BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
S
12 F
16

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
MAXIMA
PONTIFICIA
TOMVS XVI.

Digitized by Google

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

BIBLIOTHECA MAXIMA PONTIFICIA

IN QVA

Authores melioris notæ qui hactenus pro Sancta Romana Sede, tum Theologicè, tum Canonicè ſcripſerunt, ferè omnes continentur.

PROMOVENTE, AESQVE SVPPEDITANTE

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

D. FR. IOANNE THOMA DE ROCABERTI

Prælato domeſtico aſſiſtente ſacro Solio, ab INNOCENTIO XI. Archiepiſcopo Valentino: olim in eiuſdem Vrbis Vniuerſitate S. Theologiæ Primario Profeſſore, Ordinis Prædicatorum in Prouincia Aragoniæ Prouinciali, poſtmodùm totius Religionis Generali Magiſtro; ſemel, atque iterum Valentini Regni Prorege, & in præſentia Hiſpaniarum Inquiſitore Generali.

SANCTISS.MO IN CHRISTO PATRI

INNOCENTIO XII.

DIVINA PROVIDENTIA PONTIF: MAX:

DICATA.

TOMVS XVI.

ROMÆ, M. DC. XCVIII.
Ex Typographia Ioannis Franciſci Buagni.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſtro Sacri Apoſtolici Palatij.

Dominicus Belliſarius de Bellis Epiſc. Melphicten. Viceſg.

CENSVRA
TOMI XVI.
BIBLIOTHECÆ PONTIFICIÆ.

De ordine Reuerendiſs. P. Paulini Bernardinij Sac. Palatij Apoſtolici Magiſtri reuidi infraſcripta Opera: Marci Antonij Cappelli Franciſcani: De Summo Pontificatu B. Petri. Item: De Succeſſione Epiſc. Rom. in Pontif. B. Petri. Item: De Regis Primatu. Item: De Appellationibus Eccleſiæ Africanæ. D. Melchioris Cani: De Eccleſiæ Catholicæ Auctoritate. Item: De Auctoritate Conciliorum. Item: De Eccleſiæ Romanæ Auctoritate. Michaelis de Aninyon: De vnitate Ouilis, & Paſtoris. Martini Becani: De Antichriſto Reformato. Item: De Eccleſia Romana Appendix. Item: De Republica Eccleſiaſtica. Item: De Primatu Petri. Item: De Primatu Romani Pontificis. Item: De Iudice Controuerſiarum. In ijs nihil reperi contrarium Fidei, aut bonis moribus, quare cenſeo poſſe permitti, quod imprimantur, vt Decimus ſextus Tomus Bibliothecæ Pontificiæ. Ita cenſeo ego infraſcriptus. Ex Ædibus S. Mariæ in Porticu in Campitello hac die 22. Septembris 1698.

Franciſcus Maria Campionus
Examinat. Synod. in Vrbe.

Imprimatur,

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum Sacri Apoſtolici Palatij Magiſter.

Digitized by Google

AVTHORES

Quorum opera in hoc XVI. Tomo continentur.

M. Antonij Cappelli Franciſcani: De Summo Pontificatu B. Petri.

Item: De Succeſſione Epiſc. Rom. in Pontif. B. Petri.

Item: De Regis Primatu.

Item: De Appellationibus Eccleſiæ Africanæ.

D. Melchioris Cani: De Eccleſiæ Catholicæ Auctoritate.

Item: De Auctoritate Conciliorum.

Item: De Eccleſiæ Romanæ Auctoritate.

Michaelis de Aninyon: De vnitate Ouilis, & Paſtoris.

Martini Becani: De Antichriſto Reformato.

Item: De Eccleſia Romana Appendix.

Item: De Republica Eccleſiaſtica.

Item: De Primatu Petri.

Item: De Primatu Romani Pontificis.

Item: De Iudice Controuerſiarum.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM

Huius Decimiſexti Tomi.

R. P. FR. M. ANTONII CAPPELLI
Franciſcani Conuentualis.

Diſputationes Duæ, Prior de Summo Pontificatu B. Petri, Poſterior de Succeſsione Epiſcopi Romani in eumdem Pontificatum, aduerſus Anonymos duos; Alterum cui titulus, Papatus Romanus; Alterum de Suburbicarijs regionibus; ibique Synopſis,
pagina 1.

DISPVTATIO PRIOR.

De Summo Pontificatu B. Petri.

Cap.j. QVid Auctorem impulerit ad ſcribendum, ſcopus ſcriptionis, & partitio. pag. 3
Cap.ij. Controuerſiæ ſtatus, & origo. 4
Cap.iij. Beati Petri Primatus demonſtratur ex verbis Chriſti, Matthæi 16. Tu es Petrus, &c. 7
Cap.iv. Teſtimonium ſancti Leonis Papæ inductum ab Anonymo Petri primatui fauere. 10
Cap.v. Sanctum Cyprianum, quem ſibi allegat Aduerſarius ſtare pro Petri primatu. 12
Cap.vj. Lucij Papæ ſententia non eneruari, ſed confirmari, comprobarique Petri primatum. 15
Cap.vij. Petri primatus probatur ex duabus reliquis particulis eiuſdem teſtimonij, & ex Ioann. 21. Paſce oues meas. 16
Cap.viij. Eaſdem auctoritates Petro primatum tribuere etiam ex illis teſtimonijs Sanctorum Patrum, quæ obijcit Aduerſarius. 18
Cap.ix. Pleriſque alijs teſtimonijs comprobatur Petri primatus. 24
Cap.x. Teſtimonijs omnium ſeculorum confirmatur Petri primatus. 26
Cap.xj. Diluuntur quatuordecim argumenta pro paritate Petri, & omnium Apoſtolorum. 28
Cap.xij. Enodantur argumenta pro paritate Petri, & Pauli. 35
Cap.xiij. Occurritur obiectionibus poſtremis Anonymi pro æqualitate Petri, & aliorum Apoſtolorum. 40
Cap.xiv. Non ab Apoſtolis tantùm, ſed à Chriſto primatus Beato Petro delatus eſt, quidquid Anonymus dicat. 43

DISPVTATIO POSTERIOR.

De Succeſſione Epiſcopi Romani in Pontificatum B.Petri.

Cap.j. ARiſtocratiam Eccleſiæ, quam inducit Anonymus repugnare cum primis principijs fidei Chriſtianæ, ex quibus demonſtratur ſucceſſio Romani Pontificis in primatum B.Petri. 45
Cap.ij. Ex rebus in Eccleſia, & ſpeciatim in Oriente geſtis à morte Chriſti ad annum eius quingenteſimum, quæ eſt prima Anonymi periodus, demonſtratur ſumma poteſtas Pontificis Romani in vniuerſam Rempublicam Chriſtianam. 51
Cap.iij. Explicatur ſextus Canon Nicænus, & refutantur coniecturæ libelli de ſuburbicarijs, de conſtitutione Eccleſiaſticæ politiæ ad formam politiæ temporalis. 68
Cap.iv. Diluuntur obiectiones ſuburbicarij. 77
Cap.v. Refellitur error ſuburbicarij de ſpeciali Diœceſi Patriarchatus Romani, cuius antiqui, & canonici limites deſignantur. 82
Cap.vj. Soluuntur argumenta, quibus ſuburbicarius contrahit Romanum Patriarchatum ad centeſimum lapidem. 87
Cap.vij. Ex rebus in Oriente geſtis ab

anno Chriſti 500. ad 800. quæ eſt ſecunda Anonymi periodus demonſtratur Catholicos Orientales toto eo tempore agnouiſſe, & veneratos eſſe Romanum Pontificem tamquam ſupremum Caput Eccleſiæ Chriſti. 92
Cap.viij. Diluuntur argumēta ex ſecundo Anonymi capite contra primatum Papæ. 107
Cap.ix. Diluuntur argumenta ex tertio capite. 108
Cap.x. Occurritur argumentis ex cap. 4. Anonymi, & defenduntur donationes Caroli Magni, & Ludouici Pij. pag. ibid.
Cap.xj. Enodantur argumenta capitis 5. in quo ex auctoritate Conciliorum impugnatur primatus Papæ. 117
Cap.xij. Refelluntur obiectones Anonymi contra Concilia Lateranenſe quartum ſub Innocentio Tertio, & Florentinum ſub Eugenio Quarto. 122
Cap.xiij. Satisfit obiectionibus capitis ſeptimi. 127
Cap.xiv. Refelluntur commentitia priuilegia Caroli Magni, Othonis I. Imperatoris, in quibus aſſerendis verſatur Anonymus cap.8. ibid.
Cap.xv. Occurritur reliquis obiectionibus libri. 136

E I V S D E M   A V C T O R I S.

Aduersùs prætenſum Primatum Eccleſiaſticum Regis Angliæ, Liber in quo Iacobi Regis, & eius Eleemoſynarij confutantur ſcripta; pag.140.

CONTROVERSIA I.

Cap.j. EXplicatur controuerſia, & fundamentum Regis pro ſuo iuramento fidelitatis. 147
Cap.ij. Diluitur ratio Regis, & probatur iuramentum ab Anglis præſtari non potuiſſe. ibid.

CONTROVERSIA II.

Cap.j. EXplicatur ſtatus controuerſiæ, & ordo ſeruandus. 150
Cap.ij. Ciuili Hebræorum Reipublicæ nullam omninò poteſtatem fuiſſe ſuper Leuitarum Perſonis, quæ ſoli Pontifici ſubiectæ, ab illo omninò exemptæ ſegregatę, & immunes fuere. ibid.
Cap.iij. Leuitarum exemptio exemplis confirmatur. 152
Cap.iv. Supremam poteſtatem in cauſis ſpititualibus, & pertinentibus ad Diuinam legem in Teſtamento Veteri non Principum populi, ſed Principis Sacerdotum extitiſſe. 154
Cap.v. Supremam poteſtatem ciuilis Reipublicæ Hebræorum fuiſſe ſubiectam Sacerdotio Dinino iure, ab ipſoque ſemper debuiſſe pendere. ibid.
Cap.vj. Ex lege Chriſti Principi laico ius nullum in rebus ſacris, perſonæque Clericorum immunes à poteſtate ciuili. 157
Cap.vij. Patrum teſtimonijs refellitur Anglicanus Primatus. 158
Cap.viij. Locus Athanaſij contra Primatum defenditur ab obiectionibus Aduerſarij. 159
Cap.ix. Oſij Cordubenſis locus aduersùs Regis Primatum propugnatur. 160
Cap.x. Ambroſij locus ab Aduerſariorum obiectionibus vindicatur. 161
Cap.xj. Sancti Martini auctoritas in Regis primatum defenditur. 163
Cap.xij. Fruſtrà laboraſſe Aduerſarium in Auguſtino, cuius teſtimonio eius primatus refellitur. ibid.
Cap.xiij. Gelaſij teſtimonium confirmatur contra Aduerſarij reſponſa. 165
Cap.xiv. Manere in robore contra diuerticula Aduerſarij Gregorij teſtimonium aduersùs primatum. 166
Cap.xv. Ex Conſtantini ſententia ruere primatum Regis, cui quæ L. obijcit confutantur. 167
Cap.xvj. Valentinianum ſeniorem refragari, quidquid dicant Aduerſarij eorum primatui. 168
Cap.xvij. Non efficere L. quin Theodoſij iunioris teſtimonio primatus corruat. 170
Cap.xviij. Argumentum à teſtimonio Baſilij efficax, quidquid Aduerſarius obiectat. ibid.
Cap.xix. In Carolo Magno, nequiequam laborare L. ſenſit enim pro Catholicis. 172
Cap.xx. Etiam Theodorici Ariani ſententia Regis Angliæ primatum ruere, & in hac impugnanda L. nihil proficere. ibid.
Cap.xxj. Ius confirmandi, & approbandi Concilia generalia non eſſe Principum ſeculi. 173
Cap.xxij. Supremum ius in conuocandis Concilijs non eſſe Principum ſeculi. pag. 175
Cap.xxiij. Obiectiones ex veteri Teſtamen-

mento. Diſcutitur præfatiuncula L. in teſtimonio veteris Teſtamenti pro primatu Regis. 176
Cap.xxiv. Regis Ioſaphat exemplum nō aſtruere, ſed deſtruere Regis primatum. 174
Cap.xxv. De Dauide, quod primum obijcitur ad rem non eſſe. 178
Cap.xxvj. De Dauide, quod ſecundò opponitur, nihil concludere pro primatu. 179
Cap.xxvij. Salomonis exemplum in dedicatione Templi, ne minimum quidem fauere Regis primatui. 180
Cap.xxviij. Ioſiam Regis primatum nihil prorsùs iuuare. 182
Cap.xxix. Nehemias ſtat pro Pontificis primatu,& Regum Hebræorum exempla allegata eidem non proſunt. 183
Cap.xxx. Ezechię geſta nullius momenti eſſe contra primatum Eccleſiæ. 184
Cap.xxxj. Ioſaphat geſta, ne minimum quidem officere noſtro primatui. 186
Cap.xxxij. Deiecti ab Salomone Abiactaris exemplum Regis primatus cauſam, nihil omninò iuuare. 188
Cap.xxxiij. De titulis Regum in Teſtamento veteri. De titulo Filij Dei. pag. 192
Cap.xxxiv. De titulo Dij, vbi multa de Regum, & Sacerdotum dignitate perpenduntur. ibid.
Cap.xxxv. De titulo Chriſti Domini, in quo notantur tres errores inexcuſabiles Aduerſarij. 195
Cap.xxxvj. De titulo ſedentis in ſolio Dei. 196
Cap.xxxvij. De titulo famuli Dei. ibid.
Cap.xxxviij. De titulo Angeli. 197
Cap.xxxix. De titulo ſecundùm cor Dei pag. 198
Cap.xl. De titulo Lucernæ Iſrael. 199
Cap.xlj. De titulo Nutritij Eccleſiæ.ibid.
Cap.xlij. Obiectiones ex nouo Teſtamento quibus ſatisfit. 200
Cap.xliij. Tria argumenta Aduerſarij ponderantur, & enodantur. 202
Cap.xliv. Occurritur teſtimonijs Conciliorum pro primatu Regis. 205
Cap.xlv. Obiectiones ab inuocatione,& approbatione Conciliorum explicatur primum fundamentum pro enodandis obiectionibus Aduerſariorum. pag. 207
Cap.xlvj. Explicatur ſecundum fundamentum aduersùs argumentum Aduerſariorum. 208
Cap.xlvij. Explicatur tertium fundamentum. ibid.
Cap.xlviij. Diluitur prima obiectio ex Concilio Arelatenſi. 209
Cap.xlviij. Rursùs. Defenditur reſponſum Cardinalis ab obiectionibus. 210
Cap.xlix. Diluitur obiectio à quinque Concilijs Carolinis. 212
Cap.l. Reſpondetur argumento à conuocatione, & approbatione quatuor Conciliorum generalium. 213
Cap.lj. Reſponſio Cardinalis ad ſuperiores obiectiones propugnatur. 214
Cap.lij. Occurritur quibuſdam interpoſitis obiectionibus de primatu Papæ, cuius ſumma dignitas apud veteres Patres demonſtratur. 215
Cap.liij. Eamdem Cardinalis defenſionem proſequitur Auctor. 218
Cap.liv. Teſtimonium Synodi Conſtantinopolitanæ pro Auctoritate Pontificis ab Aduerſarij obiectionibus vindicatur. 219
Cap.lv. Refellitur inanis quædam obiectiuncula aduersùs poteſtatem Pontificis in conuocandis Concilijs. 220
Cap.lvj. Turpiter lapſum eſſe Aduerſarium in ijs, quæ obijcit ex quinta Synodo generali, quæ nihil Catholicis obſtant. 221
Cap.lvij. Fruſtrà laborare Aduerſarium contra Catholicos in ſexta Synodo. pag. ibid.
Cap.lviij. Et ex ſeptima nihil omninò Regis Primatui prodeſſe, ex qua Iconomachus Rex Iacobus eſſe conuincitur, qualem ſe eſſe negat. 222
Cap.lix. Octauam Synodum minimè pro Aduerſario ſtare, ſed contra potiùs. 224

CONTROVERSIA III.

De numero, & facultatibus Clericorum.

Cap.lx. QVæ Rex obiecerit contra immunitatem, & facultates Clericorum, & quid aduersùs illa probandum. 227
Cap.lxj. Eccleſiaſticos non eſſe tertiam partem populi in Chriſtiana Republica, immò longè pauciores. ibid.
Cap.lxij. Bona Eccleſiaſticorum tertiam non eſſe bonorum totius Reipublicæ Chriſtianæ, & Regem in hac aſſertione in errorem ferè inexcogitabilem lapſum eſſe. 228
Cap.lxiij. Nec decimam bonorum omnium Chriſtianæ reipublicæ Eccleſiaſticas poſſidere, immò nec ſexageſimam. 229
Cap.lxiv. Datis pro veris Regis Principijs Eccleſiaſticos ſumma laborare inopia. ibid.

Cap. lxv. Multa damna, & nullum commodum euenire laicorum reipublicæ ex inuaſione, & diuiſione bonorum Eccleſiæ. ibid.

EIVSDEM AVCTORIS,

De Appellationibus Eccleſiæ Africanæ ad Romanam Sedem Diſſertatio.

Cap. j. EXplicata controuerſia de appellationibus Eccleſiæ Africanæ ad Romanam Sedem iuxtà Hæreticorum ſententiam, quæ in hoc opuſculo contra eos probanda ſunt ad certa capita reducuntur. 231
Cap. ij. Quanti referat noſſe, cuius Concilij ſit canon de Appellationibus ad Tranſmarina, cumque cum octo canonibus contra hæreſim Pelagij perpetam tribui Concilio Mileuitano, vel primo, vel ſecundo. 232
Cap. iij. Canonem de appellationibus Eccleſiæ Africanæ ad Tranſmarina, ſcientibus, & iubentibus Romanis Pontificibus editum fuiſſe. Ex quo cum cæteris, qui obijciuntur probatur, quod Eccleſia Africana tunc agnoſcebat, & profitebatur ſe ſubiectam Romanæ. 242
Cap. iv. Detegitur impoſtura actorum, quæ tribuuntur Concilio Chartaginenſi, & epiſtolarum, quæ vulgatæ ſunt nomine Patrum Africanorum ad Bonifacium, & Cæleſtinum Romanos Pontifices. 247

D. MELCHIORIS CANI EPISCOPI CANARIENSIS,

Ordinis Prædicatorum.

Locorum Theologicorum, Liber Quartus, Quintus, & Sextus; ibique Synopſis, pag. 252.

LIBER IV.

De Eccleſiæ Catholicæ Auctoritate.

Cap. j. QVibus argumentis Eccleſiæ auctoritas impugnetur. pag. 254
Cap. ij. Quid Eccleſiæ voce ſignificetur. pag. 258
Cap. iij. Quænam ſint fideles illi, è quibus verè, & propriè Eccleſia conſtetur. 260
Cap. iv. Quænam ſit Eccleſiæ in fidei dogmate auctoritas. 261
Cap. v. Aduersùs hanc poſtremam concluſionem obiectiones quædam. 267
Cap. Poſtremum. In quo argumenta primi capitis confutantur. 270

LIBER V.

De Auctoritate Conciliorum, quæ quarto loco poſita eſt.

Cap. j. ARgumenta continet, quibus Hæretici vtuntur ad huius loci auctoritatem labefactandam. 281
Cap. ij. Docet quidnam nomen, aut Synodi, aut Concilij hoc loco ſignificet. 282
Cap. iij. In quo Synodorum varia genera ponuntur. 284
Cap. iv. Vbi concluſiones ponuntur, quibus loci huius auctoritas continetur. pag. 285
Cap. v. Vbi nodi quidam ſoluuntur, quibus interdum homines etiam docti illigari ſolent. 289
Cap. Poſtremum. In quo refelluntur argumenta capitis primi. 301

LIBER VI.

De Eccleſiæ Romanæ Auctoritate, quæ quinto loco continetur.

Cap. j. VBi ponuntur argumenta, quibus huius loci auctoritas impugnatur. 310
Cap. ij. In quo redditur cauſa, cur Sedes Apoſtolica quintum locum obtinet. pag. 311
Cap. iij. Tria pronuntiata continet, quibus efficitur Petri in fide firmitatem ad ſucceſſores quoque deriuari. 312
Cap. iv. In quo oſtenditur, quod Romanus Epiſcopus ille ſit, qui Petro, & in fidei firmitate, & in componendis Religionis controuerſijs diuino iure ſuccedat. 316

Cap.

Cap.v. Vbi concluſio eadem oſtenditur Sanctorum veterum teſtimonijs manifeſtis. 318
Cap.vj. Vbi Conciliorum clariſſima teſtimonia referuntur, quibus Eccleſiæ Romanæ vis, & auctoritas comprobatur. 319
Cap.vij. Rationibus Theologiæ probat Pontificem Romanum fidei controuerſijs finiendis errare non poſſe. 320
Cap.viij. Vbi argumenta capitis primi refutantur. 323

MICHAELIS DE ANINYON,

Decretorum Doctoris Cæſarauguſtani, & S.Officij Conſult.

Tractatus De Vnitate Ouilis, & Paſtoris; ibique Synopſis, 332.

Cap.j. IN quo ad vnitatem hanc faciliùs perſuadendum commemorantur aliqua ex pluribus, & immenſis beneficijs, quæ Deus Optimus contulit hominibus præſertim Chriſtianis. 333
Cap.ij. In quo oſtenditur nihil gratum, & acceptum poſſe hominem retribuere Deo, à quo tot beneficia ſuſcepit, ſi extra hanc vnitatem diuagetur. pag. 336
Cap.iij. In quo explicatur per ouile, ouium ſignificari Eccleſiam Dei, & vnde parabola hæc ad Eccleſiam relata ſit. 338
Cap.iv. De proprietate vocabuli huius Eccleſiæ per ouile ſignificatæ. 341
Cap.v. De antiquitate, ortu, & progreſſibus huius almæ Eccleſiæ per ouile ouium ſignificatæ. 342
Cap.vj. De laudibus excellentia, & titulis, quibus noſtra hæc ſancta Mater Eccleſia dicta ouile ouium, reperitur decorata in Scriptura. 345
Cap.vij. De Perſonis, quæ intra hanc ſanctam Eccleſiam, ſeu ouile ouium continentur. 348
Cap.viij. De vnitate huius ouilis, & de varijs auctoritatibus veteris Teſtamenti ad eam confirmandam. 351
Cap.ix. De varijs noui Teſtamenti auctoritatibus hanc ouilis vnitatem comprobantibus. 353
Cap.x. De diuerſis ſanctorum Patrum doctrinis in commendationem huius, tam neceſſariæ vnitatis,& de proprietatibus eius. 356
Cap.xj. De Vnitate Paſtoris gubernantis hoc ſanctum ouile. 361
Cap.xij. De multis alijs fundamentis, quibus hæc vnici Paſtoris vnitas comprobatur. 363
Cap.xiij. De neceſſitate huius vnici Paſtoris, & pro Chriſto Vicarij, quo in particulari egebamus ad veram Euangelicæ legis intelligentiam,& ad conuincendos Hæreticos, quos Chriſtus futuros eſſe prædixerat. 367
Cap.xiv. In quo monſtratur primùm pro Chriſto Vicarium, & Paſtorem huius ouilis fuiſſe beatum Petrum Apoſtolorum Principem, & eidem à Chriſto fuiſſe promiſſum hunc paſtoratum. pag. 370
Cap.xv. In quo probatur Paſtoratum, & iſtum pro Chriſto Vicariatum fuiſſe Petro collatum poſt Reſurrectionem, paulò antequam Chriſtus Cœlos aſcenderet. 373
Cap.xvj. In quo probatur primatum hunc Petro promiſſum ante Paſſionem, poſt Reſurrectionem collatum à cæteris Apoſtolis, poſt Aſcenſionem fuiſſe veneratum, & traditum executioni. 377
Cap.xvij. In quo demonſtratur poſt glorioſum Petri martyrium Romanum Pontificem fuiſſe, eſſe, & futurum, vſque ad ſeculi conſumationem Paſtorem, & pro Chriſto Vicarium ouilis vniuerſi. 380
Cap.xviij. In quo declaratur, quare Romæ potiùs, quàm Hieroſolymis, vel alibi Vicariatus iſte, quem Petri Cathedram appellamus fuerit inſtitutus. pag. 383
Cap.xix. In quo alijs rationibus oſtenditur Vicariatum hunc, & Petri Primatum Romæ, & non alibi fuiſſe fundatum poſt tranſlationem de Antiochia. pag. 385
Cap.xx. In quo cauillationibus Hæreticorum contra ſanctiſſimam huius Cathedræ auctoritatem obiectis reſpondetur. 389
Cap.xxj. In quo proſequendo confutationem Hæreticorum diluuntur obiecta negantium Romanum Pontificem eſſe ſucceſſorem beati Petri. 395
Cap.xxij. In quo oſtenditur cæteras Eccleſias particulares per totum Orbem diffuſas Patriarchales, Archiepiſcopales

pales, & Epiſcopales, ac cæteras inferiores, etiam Religioſorum de vnius Romani Pontificis poteſtate pendere, & ei tamquam vnico, & principali Paſtori ſubditas eſſe oportere. 401
Cap.xxiij. De varijs titulis, & encomijs, quibus ſacroſancta hæc Romani Pontificis Auctoritas à noſtris Maioribus, & Doctoribus fuit venerata. 404
Cap.xxiv. In qua declaratur quid oues, & fideles intra hoc ouile conſtitutæ agere debeant, vt tam ſanctam vnitatem conſeruent. 406
Cap.xxv. De diuerſitate manſionum huius Eccleſiæ per ouile ouium ſignificatæ, quæ ad habitationem fidelium præparatæ reperiuntur vnitate eius in nihilo propter hoc alterata. 409
Cap.xxvj. In quo explicatur, vnde ſit colligenda fides neceſſaria ad manendum intra portas huius ouilis, quod eſt Eccleſia, & opera requiſita ad habitandum in atrijs interioribus Eccleſiæ. 412
Cap.xxvij. De Decretis Romanorum Pontificum, & Conciliorum generalium, ex quibus neceſſaria ad ſalutem æternam colligere debemus, vltra Euangelia, & alia ſactæ Scripturæ volumina. 415
Cap.xxviij. De traditionibus, & conſuetudinibus Eccleſiæ, per Sedem Apoſtolicam approbatis, quas etiamſi ſcriptæ non ſint obſeruare debemus. pag. 418
Cap.xxix. De varijs meditationibus, quibus moniti facilè poterimus conſeruare obedientiam, quam Romano Pontifici debemus, & omnibus Hæreticorum nequiſſimis telis reſiſtere. pag. 421
Cap.xxx. In quo proſequendo materiam capitis præcedentis, oſtendit ad conſeruandam fidem, & obedientiam Eccleſiæ Romanæ oportere, vt à vitijs, & à nouitatum inuentoribus abſtineamus. 425

MARTINI BECANI SOCIETATIS IESV

Sacerdotis, & Theologi.

Diſputatio Theologica, De Antichriſto reformato, cum Appendice. An Romana Eccleſia defecerit; ibique Synopſis, pagina 430.

De Antichriſto reformato.

Primum vitium reformatorum contemptus SS. Patrum. 432
Secundum vitium reformatorum; praua Scripturæ interpretatio. 433
Tertium vitium reformatorum; mendacia, & calumniæ. 436
Quartum vitium reformatorum; mutua diſſenſio. 437
Quintum vitium reformatorum; damnent ſuos maiores. 438
Speciale examen Antichriſti reformati. 439
Cap.j. An Antichriſtus venerit. ibid.
Cap.ij. An Papa ſit Antichriſtus. 442
Cap.iij. An Papa defecerit à vera fide. pag. 444
Cap.iv. An Papa ſedeat in Templo Dei. pag. ibid.
Cap.v. An Papa oſtendat ſe tamquam Deum. 445
Cap.vi. An Papa extollat ſe ſupra omnem Deum. 446
Cap.vij. An Papa neget Chriſtum. pag. ibid.
Cap.viij. An Papa colat Idola. 447
Cap ix. An Papa faciat miracula. 448
Cap.x. An Papa imprimat ſuis characterem. 450
Cap.xj. An Papa ſit blaſphemus. 451
Cap.xij. An Papa perſequatur Sanctos. pag. 452
Cap.xiij. An ſit articulus fidei Papam eſſe Antichriſtum. ibid.

De Eccleſia Romana

APPENDIX.

An Eccleſia Romana defecerit.

Prima Concluſio. Concedenda eſt aliqua viſibilis Eccleſia in terris, quæ ſit, & dicatur Catholica, Sancta, Sponſa Chriſti, Domus Dei, columna, & firmamentum veritatis. 454
Secunda Concluſio. In hac viſibili, & catholica Eccleſia, de qua dictum eſt ſunt omnes illi, qui in Chriſti fidem baptiſmo initiantur, non ſolùm boni, ſed etiam mali, nec ſolùm prædeſtinati, ſed etiam reprobi. 455
Tertia Concluſio. Extra hanc viſibilem,

lem, & catholicam Eccleſiam nemo poteſt ſaluari, aut remiſſionem peccatorum conſequi. 456
Quarta Concluſio. Qui hanc viſibilem, & catholicam Eccleſiam deſerunt deſertores ſunt Religionis, & transfugæ, & ſacri coniugij violatores. ibid.
Quinta Concluſio. Hæc viſibilis Chriſti Eccleſia non poteſt eſſe ſine Paſtoribus, Epiſcopis, Doctoribus, aliiſque Miniſtris legitimè vocatis, & ordinatis. 457
Sexta Concluſio. Hæc viſibilis Eccleſia, tàm firmiter à Chriſto fundata eſt, vt non poſſit deficere, aut perire. ibid.
Septima Concluſio. Eccleſia Romana primis quingentis annis poſt Chriſtum fuit illa viſibilis, & Catholica Eccleſia Chriſti, de qua hactenùs dictum eſt. 458
Octaua Concluſio. Eccleſia Romana nunquam hactenùs defecit ab eo ſtatu, in quo fuit primis quingentis annis, ac proindè ſicut tunc erat verè Catholica, & Apoſtolica, ità etiam nunc eſt. ibid.

EIVSDEM AVCTORIS.

De Republica Eccleſiaſtica.

LIBER PRIMVS.

De Chriſto ſupremo Eccleſiæ Capite, ſeu Monarcha.

Cap.j. AN Eccleſia Chriſti ab ipſo Chriſto fundata, & ædificata ſit. 463
Cap.ij. Quando Chriſtus cæperit eſſe Caput Eccleſiæ. 465
Cap.iij. An Chriſtus ſit Caput Eccleſiæ viſibile. 466
Cap.iv. Quale ſit officium Chriſti, quatenùs eſt caput Eccleſiæ. 467
Cap.v. Annon ſit aliud caput Eccleſiæ præter Chriſtum. 468

LIBER II.

De Primatu Petri.

Cap.j. QVod Spiritus ſanctus propriè non ſit Vicarius Chriſti. 473
Cap.ij. Refellitur primatus Petri à Marco Antonio confictus. 474
Cap.iij. Verus Petri primatus probatur ex Scriptura. 479
Cap.iv. Primatus Petri probatur ex Patribus. 483
Cap.v. Primatus Petri probatur ex Auguſtino. 488
Cap.vj. Primatus Petri probatur ex prærogatiuis Petri. 491
Cap.vij. Diluuntur obiectiones Marci Antonij contra primatum Petri. 503

LIBER III.

De Primatu Romani Pontificis.

Cap.j. AN Eccleſia Romana à Petro fundata. 515
Cap.ij. An Petrus fuerit Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ. 519
Cap.iij. An Pontifex ſit ſucceſſor Petri. pag. 520
Cap.iv. An Pontifex ſit Caput, ſeu Paſtor vniuerſalis Eccleſiæ, & eius priuilegia. 522
Cap.v. Diluuntur obiectiones Marci Antonij de Dominis contra primatum Pontificis. 529

EIVS-

De Iudice Controuerſiarum, pag. 541.

PRimum argumentum ex officio Iudicis. 542
Secundum argumentum ex parte Scripturæ. ibid.
Tertium argumentum ex parte controuerſiarum. 545
Quartum argumentum ex vſu, & praxi veteris Teſtamenti. 547
Quintum argumentum ex vſu, & praxi noui Teſtamenti. 552
Sextum argumentum ex analogia Iudicis controuerſiarum ciuilium. 555
Soluuntur obiectiones. 556

Digitized by Google

R. P. F. M. ANTONII
CAPPELLI
FRANCISCANI CONVENTVALIS
DISPVTATIONES DVÆ:

PRIOR

DE SVMMO PONTIFICATV B. PETRI:

POSTERIOR

De Succeſſione Epiſcopi Romani in eumdem Pontificatum;

Aduersùs Anonymos duos:

Alterum, cui titulus; Papatus Romanus; Alterum De Suburbicarijs regionibus, & Eccleſijs; Seu De Præfectura, & Epiſcopi Vrbis Romæ Diœceſi, Coniectura.

M. Antonius Capellus Venetus, ſeu vt alij vocant Antonius Capellus Franciſcanus Conuentualis, poſt longum ſtudium Philoſophiæ, & Theologiæ, & Sacræ Scripturæ totum ſe contulit ad eruditionem Eccleſiaſticam, & ad Theologiam dogmaticam. Edidit ergo Diſſertationem de Cęna Chriſti ſuprema, deque præcipuis eius vitæ capitibus aduersùs Authorem anni primitiui Ægyptium, Pariſijs apud C. Morellum anno 1625. Edidit alterum librum aduersùs prætenſum Primatum Eccleſiaſticum Regis Angliæ, in quo Iacobi Regis, & eius Eleemoſynarij confutantur ſcripta; & ibi agit de Captioſo iuramento propoſito Anglis Catholicis, de vſurpata poteſtate ſpirituali eiuſdem Regis, de exaggerata, & impoſſibili hominum, & reddituum Sacrorum copia in vniuerſa Republica Chriſtiana, ad Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Dominum D. Benedictum S. R. E. Cardinalem Iuſtinianum pro Sanctiſſimo D. Paulo Papa Quinto Bononiæ de latere Legatum. Bononiæ ex Typographia Bartholomæi Cocchij 1610. Cauſa ſcribendi huius libri hæc fuit. Prodierunt ex Anglia anno ſuperiori, tres libri aduersùs Eccleſiam Chriſti, & fidem catholicam, duoque ex illis præferebant nomen Iacobi Regis, tertius verò L. Ciſtercienſis Sacellani, & eleemoſynarij Regij. Scriptionis origo fuit, quod Summus Pontifex Paulus V. interdixerat Anglis Catholicis, ne ſacrilegis, & execrandis cœnis Caluinianis, quas nomine Eucha-

riſtiæ ipſi cohoneſtant, intereſſent, ne per nomen fidelitatis Regiæ fidem orthodoxam eiurarent, vtrumque enim ab ipſis vt fieret, lege lata ſancitum erat, quæ per capita digeſta in fronte operis collocatur. Ex iſtis tribus libris, tria præcipua capita ſelegit Auctor, vt cum illis congrederetur. Primum de iuramento fidelitatis Angliæ, ſecundum de eiuſdem poteſtate in ſpiritualia, tertium de ipſiuſmet ſententia, circa numerum Eccleſiaſticorum, ipſorumque bona temporalia. Inſcripſit autem librum de primatu Regis, huc enim quaſi lineæ ad centrum omnia Anglicana ſcripta diriguntur, eſtque è tribus omnium copioſa, & maximè neceſſaria. Hanc ergo omni argumentorum genere probare contendit, ex datis, & conceſſis ab Aduerſarijs, ab vtroque teſtamento, à Concilijs, & Patribus, oſtenditque cum ipſis ſæculi principibus manifeſtè pugnare. In omnibus ergo eſt eruditus, præterquam in ſtylo, de quo ſe excuſat nunquam didiciſſe, & ſe maiorum inſtituta ſequutum; quibus res non verba curæ erant. Fatetur enim ſe cum Paulo imperitum ſermone, quamuis non ſcientia, & cum Sancto Hieronymo, inter Chriſtianos verborum errores contemni ſolere; & cum Iulio I. ad Arianos Orientales, in rebus Eccleſiaſticis, non ſpecimen eloquentiæ, ſed canones Apoſtolici requiruntur. Hæc opera enumerat Vuadingus, qui de eo honorificam agit mentionem, & nulla alia recenſet. Cæterùm extat aliud opus ſic inſcriptum, R. P. F. M. Antonij Cappelli Franciſcani Conuentualis Diſputationes duæ, prior de Summo Pontificatu B. Petri; poſterior de ſucceſſione Epiſcopi Romani in eumdem Pontificatum aduersùs Anonymos duos, alterum cui titulus Papatus Romanus, Alterum de Suburbicarijs regionibus, & Eccleſijs, ſeu de præfecturæ, & Epiſcopi Vrbis Romæ Diœceſi Coniectura. Coloniæ Agrippinę Sumptibus Ioannis Kinchij ſub ſigno Monocerotis Anno 1621. Quare autem liber iſte non ponatur cum alijs editis ab iſto Auctore, & inueniantur argumenta de iſta materia, præcipuè contra libellum de Suburbicarijs hanc accipe cauſam. Ante tres annos Auctor abſoluerat librum iſtum, & pleriſque doctis in vrbe viris communicatum, multorumque menſium ſpatio amicorum manibus detritum tandem typis deſtinarat. Sed dum Auguſta Coloniam an. 1619. fertur à Ioanne Paulo Gellio Bibliopola Romano, commiſſus fidei Io. Chriſtophori Flechamer Auguſtani in itinere perit. Coactus ideò eſt Auctor denuò illum exſcribere, & diutiùs, quàm voluiſſet eius publicationem prorogare. Prodierunt interim ex Gallia, ex vrbe, & aliunde aliquot eiuſdem generis doctiſſimæ lucubrationes. Vnde contigit huic libro, quod olim Zaræ de Tamar, qui cum priùs manum emiſiſſet iam clamante obſtetrice, hic egredietur prior, & retrahente manum ab obſtetrice ligatam, alter eſt egreſſus. Anonymi contra quos ſcribit, duo ſunt. Alter tempore Marci Antonij de Dominis Archiepiſcopi Spalatenſis, deinde Apoſtatæ, & miniſtri Regis Angliæ editus eſt Londini quidam libellus Anonymus cum hoc titulo Papatus Romanus, liber de origine, progreſſu, & extinctione ipſius. Eſſe hunc Epitomen librorum M. Antonij ab ipſomet editam tunc ſpargi cœpit in vulgus nullo alio, vt opinor argumento, niſi quod poſt Auctoris Præfationem Marci Antonij effigies libro inſerta erat. Sed vbi Auctor legit ſtili ſordes, quæ forenſem rabulam olent, pleraque dogmata, quæ pugnant cum Antoniana Iliade, & ſummam hominis imperitiam; perſuaſere monſtrum hoc alio eſſe ouo prognatum, eoque maximè, quod Auctor in epiſtola liminari ad Regem Angliæ apertè fatetur ſe Italum eſſe dicens Nomen meum N. qui Italus ſum, inquit, publicari non patiar. Cæterùm non tantum vulgus, ſed homines Doctiſſimi putarunt eum librum eſſe M. Antonij de Dominis, ſub ignota pelle Lupus latens, inter quos Balthaſſar Nardius confutans eum librum de litera ad literam putat eſſe M. Antonij, vnde duo eiuſdem libri viſuntur frontiſpicia, in vno dicitur ſe ſcribere contra M. Antonium de Dominis, in alio contra Anonymum quemdam, & in priuilegio libri habito à Galliarum Rege dicitur, ipſum Nardium ſcripſiſſe contra Apoſtatam de Dominis, quod vlteriùs manifeſtum eſt ex iiſdem locis corruptis, eadem detruncatione mutilatis. Quòd autem nomen falſificauerit, & ſtylum, quid mirum ſi, & fidem falſificauerunt, & Sanctos Patres, & Concilia. Non tamen quæſtionem decidimus, cum & videamus eadem loca corrupta à pluribus hæreticis ab vno fonte bibentibus turbida afferri, ſed probabiliorem eligat Lector. Prodijt eodem tempore ex Gallia alius libellus Anonymus cum hoc titulo. De Suburbicarijs regionibus, & Eccleſijs; ſeu de Præfecturæ, & Epiſcopi Vrbis Romæ diœceſi, coniectura. Hic ſecundus Græcè, & Latinè eſt ſciens non ſicuti primus penè omninò

igua-

ignarus. Contra iſtum Anonymum iam non amplius Anonymum ſcripſere doctiſſimi Pater Sirmondus, Petrus de Marca, & iam meditabatur ſcribere Cardinalis Perronius, fato deinde mox extinctus, & dum in promptu erat ſuperbos vertere funeribus triumphos, ipſe funeris victima inuentus eſt. Anonymus ergo Salmaſius eſt, contra quem ſcripſit in alijs materijs, & partim in iſta eruditiſſimus Dionyſius Petauius S. I, præclariſſimum lumen. Quo tempore floruerit iſte Auctor, in medio poſitum eſt, & perſpicuum nempè initio huius ſæculi ſub Paulo Quinto, & alijs Romanis Pontificibus, illuſtrauitque præcipuas Italiæ vrbes præſentia ſua, Venetias, Romam, Bononiam, & omnes virtute, & fama.

DISPVTATIO PRIOR.

De Summo Pontificatu B. Petri.

CAPVT PRIMVM.

Quid Auctorem impulerit ad ſcribendum, Scopus ſcriptionis, & partitio.

QVo tempore Marcus Antonius de Dominis olim Archiepiſcopus Spalatenſis, nunc Regis, & hæreſis Angliæ miniſter emiſit quatuor ſuos priores libros de Rep. Eccleſiaſtica, Londini etiam editus eſt quidam libellus Anonymus cum hoc titulo [Papatus Romanus: liber de origine, progreſſu, & extinctione ipſius.] Eſſe hunc Epitomen librorum Marci Antonij ab ipſomet editam, tunc ſpargi cœpit in vulgus, nullo alio, vt opinor, argumento, niſi quòd poſt Auctoris præfationem Marci Antonij effigies libro inſerta erat. At vbi legere datum eſt, ſtili ſordes, quæ forenſem rabulam olent, pleraque dogmata, quæ cum Antoniana Iliade pugnant, ſumma (in peruulgatis etiam, & detritis) hominis imperitia, perſuaſere, monſtrum hoc alio eſſe ouo prognatum. Eòque maximè, quòd Auctor in Epiſtola liminari ad Regem Angliæ profitetur apertè, ſe Italum eſſe [Nomen meum N. qui Italus ſum, inquit, publicari non patior.] Eum fateor non ſine mœrore legere cœpi: Quis enim non expectaſſet funeſtum aliquid, & pernicioſum ab homine, qui auitam Religionem non ipſe abieciſſet tantùm, ſed ab omnium animis auulſam penitus, & extirparam vellet? ab Italo, qui eam dignitatem eueſum iret, qua vna ſingulari Dei prouidentia Italiæ noſtræ totus orbis aſſurgit? ab hæretico, qui Regi Magnę Britannię, quaſi Athlanti Hercules, auxilium, & operam ſuam polliceretur? & magna quidem in præfatione pollicebatur lectori: reprehenſis enim tam Theologis, quàm Canoniſtis (quòd in antiquiſſima controuerſia de iuribus, & pręcellentia Papatus leuiſſima ſępè arripiant, & planiſſima, vt plurimum detorqueant: indolebat, quòd nullus hactenus apparuerit, qui hunc laborem ſuſciperet, vt amarum ipſius immenſum mare Canonum, & Decretorum falſitatis cum hiſtorijs, temporumque diſtinctione, & obſeruantia in reductum ſinum reſtringeret. Vnum ſe apum mellificantium ſolertiam imitatum eſſe. E magno ſcriptorum campo ſelegiſſe floſculos, è quibus non corollam texeret, ſed paucas mellis guttulas delibaret.] Quin etiam ſibi blandiens, quodnam de ſuo libello iudicium dictaret ſibi philautia cæca, lectori perreleganter, vt omnia explicauerat. [Habebitur, inquit, liber iſte ſuccinctus, authenticus, facilis, obuius, ex immenſo, profundo, ac difficulter penetrabili tot ſanctorum Patrum, Theologorum, & Hiſtoricorum Oceano exiguum in lacum non paruo cum labore radactus.] Hærebam itaque expectans, quid tanto promiſſor ferret dignum hiatu. Verùm vbi totum librum perlegi, demiratus ſummam Auctoris cùm nequitiam, tum vanitatem cum Cypriano dixi: [Triticum non rapit ventus, nec arborem ſolida radice fundatam procella ſubuertit. Inanes paleæ tempeſtate iactantur: inualidæ arbores turbinis incurſione euertuntur.] Nihil ſcilicet in toto libello reperi, quòd aut doctrinam, aut ingenium, aut induſtriam præſeferret, ſed rancida omnia, putidaque non tantùm veterum hæreticorum, & ſchiſmaticorum ſcriptis iam pridem detrita, ſed quotidianis etiam muliercularum Græcarum, & Hæreticarum ſermonibus in compitis, & triuijs, in tabernis, & hypocauſtis decantata. Ad hæc mendacia ſine fine, temporum, & hiſtoriarum extremam ignorantiam; iudicium verò in ijs connectendis, & differendis adeò retuſum, & hardum, vt valdè miratus ſim, quòd Rex Angliæ, qui prudentiæ, & doctrinæ laudem aucupatur, paſſus ſit cauſam ſuam tali patrocinio ſuffulciri, quo vno optima cuiuſque exiſtimatio inclinari facilè, & labefactari potuiſſet. Sed verè Tertullianus: [Nuſquam facilius proficitur, quàm in caſtris rebellium, vbi ipſum eſſe illic, promereri eſt.] Etſi verò in hoc libello multa de principatu inter ſe ſcelera certant, mea tamen ſententia impietas, & impudentia palmam ferunt. Eccleſiam enim omnem, ſed præſertim Romanam Cathedram, Radicem, & matricem Eccleſiæ Chriſti, adeò inuerecundè, & petulanter proſcindit, talibuſque conuitijs, & probris inſectatur, vt ne maioribus quidem poſſet, ſi non in Italia, ſed in Scythia natus, nullis Ca-

ſholicæ Religionis vinculis vnquam conſtrictus fuiſſet, vel Gebennæ enutritus; non recentes, & ſpootaneas, ſed oaturales, & bæreditatias inimicitias geteret cum ſede Petri.

Suſpenſus, & dubios animi aliquam diu pependi, num hominem redarguerem, eique teregerem vnitatem ſuam; dehortabatur enim doctrinæ leuiras ſumma, à qua nihil periculi, quod vnum acuere ſolet ingenia Catholicorũ,& calamos; ſed tandem ad ſcribeodum me adegit ira Hieronymus: ep.58.[Noli deſpicere aoimam, pro qua Chriſtus mortuus eſt.] Quare conſtituit io Carholica veritate miſellum hunc inſtituete, ſuaſque,& aliorum hæreticorum, quos ſectatur, ſabulas, ignorantias, & dolos in controuerſia de Primatu Papæ illi non enodare cantùm, verùm explicare, & digito etiam demonſtrare, ſi poſſim: vt vel reſipiſcar, & errabunda ouis reuertatur (quod mihi optatiſſimum eſt) ad gregem, & Paſtorem ſuum, vel iudicaodus falſem apud Deum nulla ignoratæ veritatis poſſit exeuſatione deſendi.

Prodierat eodem tempore ex Gallia alius libellus Anonymus cum hoc titulo: [De Subutbicarijs Regionibus & Eccleſijs, ſeu de Præfecturæ & Epiſcopi vrbis Romæ Diœceſi coniectura. Huius, ſicur & prioris conſilia omnia in eo ſtant, vt percuſſo Eccleſiæ Paſtore, grex Chriſti diſpergatur, ſuſaſque,& vagantes Catholicas oues, cuius ſtipendijs milirant, aduerſarius noſter abripiat, qui, vt Petrus air, [tanquam leo rugieos circuit quærens,quem deuorer.] Contra priorem ſcripturus, operæprerium factorum me arbirratus ſum, ſi eadem fidelia duos dealbarem parietes. Quod vt factu ſacillimum ſuit, ita huius,quàm illius reſutatio ſucceſſit minùs moleſta. Licèt enim deſideres in eo piesarem, modeſtiam, veramque, & ſolidam eruditionem, Græcè tamen, & Latiuè ſcit, neque obtuſi iogeoij homo eſt, vt prior ille.

Erſi verò vtriuſque Anooymi errores proſequi, & refutare decreui, non tamen maledicta, conuitia, & contumelias, vt enim rectè dicebat Imperator Theodoſius, [l. 1. C. Siquis Imp. maled. Si id ex lenitate proceſſit, contemnendum; ſi ex inſania, miſeratione diguiſſimum; ſi ab iniuria, remittendum:] Adde, quòd viri probi non eſt in hoc certamen venire, quod non niſi peſſimi, & infimi de fœce plebis benè certare ſolent, de quibus Iur. Conſ. [Quamquam temerarij pœna digni ſunt,tamen ve infamibus illis parcendum eſt.] Nugas etiam & deliramenta quædam inſulſiſſima, quibus ſcatent (maximè Italus iſte) præteribo frequenter, eaque tantùm,quę robuſtiora, firmioraque videri poſſunt, diſcutiam, & conuellam.

Quæ diſputo,concluduntur duobus pręcipuis capitibus, à quibus pendet omnis dignitas,& poteſtas Pontificis Romani.Primum eſt, [Ao omnes Apoſtoli fuerinr omninò æquales inter ſe, an Petrus Paſtor, & Princeps omnium. Secundùm, An Epiſcopus vrbis Romæ locum B. Petti ſortitus ſit; eique in Pontificia dignitate ſuccedat.] Ad quas controuerſias non anre aggredior, quàm ſtatum ipſarum commonſtrem, digitumque ad earum fontes intendam.

CAPVT II.

Controuerſia ſtatutus & origo.

APoſtoli nomen à græco verbo *apoſtello*, origine ducta, Nuncium, ſeu Legatum ſignificare certiſſimum eſt. Quare Chriſtus Ioannis XIII. [Neque Apoſtolus maior eſt eo, qui miſir illum.] Et Paulus Chriſtum, quia miſſus à Patte, appellat Apoſtolum: [Conſiderate, inquit, Apoſtolum, & Pontificem cooſeſſionis noſtræ Ieſum Chriſtum, Hebr. 3, vbi Theodoretus: Quòd autem noſtræ etiam conſeſſionis Apoſtolus factus eſt, poſtquam bumanam ſumpſit naturam, docuir in Epiſtola ad Galaras. Quando enim, inquit, venit plenirudo temporis, miſir Deus filium ſuum ſactum ex muliere. Et noo dixit, miſir ipſum, vr fierer ex muliere, ſed ſactum ex muliere, vt clatum eſſet humanæ naturæ eſſe conducibile Apoſtolatus, hoc eſt, legationis, ſeu miſſionis nomen.] Quæ verò ſnerit ſumma Apoſtolatus ſui, explicuit Chriſtus ipſe Luc. 4. de ſe io ſynagoga interpretatus vaticinium Eſaiæ lxi. 1.[Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me.Euangelizare pauperibus miſit me: ſanare contritos corde, prædicare captiuis remiſſionem, & cæcis viſum,dimittere confractos in remiſſionem; prædicare annum Domini acceprum, & diem retributionis.] Iraque ſi non ad tria, ad ſummùm ad quatuor capita rediguntur omnia munera Apoſtolarus Chriſti. Euangelizare, ſanare, dimitrere, prædicare Iubilæi libertatem,& diem retributionis, quæ in nouiſſimo fiet.

Ad hoc munus, cui Chriſtus deſtinatus à Patre, ex omnibus diſcipulis deſtinauit etiam ipſe XII. illos, quos, vt inquit Tertul. [appellario miſſos interpretatur,eoſque lateri ſuo adelegit,& ſpeciatim Apoſtolos nominauit, Marci 3. 13.Vndè ſanctus Cyrill.Alex. explicans illud Ioan. XVII.18. Sicut me miſiſti in mundum, & ego mitto eos in mundum. Miſiſſe autem eos in mundum, ait, ad imitationem ſuæ miſſionis. Apoſtolus enim, id eſt, miſſus,& Pootifex cooſeſſionis noſtræ Ieſus ſecundùm Paulum factus eſt. Et ſanctus Auguſtinus: Quos miſit, uiſi Apoſtolos ſuos: nam & ipſum nomen Apoſtolorum, quod græcum eſt, oihil niſi miſſos ſignificat in latino. Miſit ergo Deus filium ſuum, non in carne peccati, ſed in ſimilitudine carnis peccati,& miſit filios eius eos,quos natos in carne peccati ſanctificauit à labe peccati.]

Hanc legationem iniunxit eis Ioannis XX. dicens: [Sicur miſit me Pater, ego mitto vos. In quæ Cytillus Alex. Quos ita dicit mittere, ſicut ipſe à Patre miſſus eſt, vt etiam Apoſtolatus dignitatem oſtenderet, & magnitudinem poteſtatis eorum aperiret. & ſimul monſtrarec, quam viam in ſtudijs ſuis, vitaque ſua ſequi eos oporteret. Et infrà: Hæc omnia pauciſſimis verbis ſignificauit dicens: ſic eos mittere, ſicut à Patre miſſus eſt, vt hinc intelligant, vocandos eſſe peccatores ad pœnitentiam, curandos corpore, atque ſpiritu malè habentes, & in diſpenſatione rerum non ſuam, ſed eius, qui miſit, volun-

Digitized by Google

voluntatem faciendam, mnndumque prædicationibus, & doctrina fidei ſaluandnm.] Scin alios ex hoc Cyrilli loco referre maiora, quæ ego non reperio, ſed ſumma Apoſtolatus ipſorum eadem prorsùs, quæ Apoſtolatus Chriſti. Quare ſicut Chriſtus de ſe dicebat: Spititus Domini ſuper me, ita de Apoſtolis diait; Accipite Spiritum ſanctum. De ſe: Propter quod vnxit me, id eſt, ſanctificauit, & conſecrauit. Pro Apoſtolis ad Patrem: Sanctifica eos in veritate, Ioan. 17. 17. De ſe: Euangelizare pauperibns miſit me, læra ſcilicet, fauſtaque nuntiare. Illis quaſi prædicandi formulam præſcribir, Dicite, quia appropinquauit in vos Regnum Dei, Luc. x, quo nuntio quid lætius? Quare Paulus 1. Cor. 3. Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed Euangeliaare: & ad Epheſ. 6. Suffragia Sanctotum epoſcit, [vt detur mihi, inquir, ſermo in apertione oris mei cum fiducia notum facere myſterium Euangelij, pro qno legatione fungor in Catena: & 1. Cor. 9. Nam ſi euangeliaem, non eſt mihi gloria, neceſſitas enim mihi incumbit: Væ enim mlhi, ſi non euangelizauero; ſi enim volens hoc ago, mercedem habeo, ſi autem inuitus, diſpenſario mihi credita eſt. De ſe Chriſtus: Sanare contriros corde. Illis: Dedit pnteſtatem curandi infirmitates, & mitacula patrandi. Marc. 3. de ſe: Pradicare captiuis remiſſionem, & cæcis viſum. Illis: Docete omnes gentes, quæ ſumma mentis cæcitate percuſſæ commutauerant, vt air Apoſtolns, veritatem Dei in mendacium, & ſerulebant creaturæ poriùs, quàm erearori. De ſe, Dimirtere confractos in remiſſionem. Illis, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. De ſe: Prædicare annum Domini acceptnm, & diem retributionis.] Annnm Domini acceptum iuterprerantur viri docti tempus a baptiſmate ad Aſcenſinnem, & diem rerributionis, diem iudicij. De primo Chriſtus Act. 18. ad Apoſtolos: [Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Indæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.] Er Princeps Apoſtolorum, cum de ſufficiendo in locum Iudæ ad Concilium referret: [Oportet, inquit, teſtem Reſurrectionis cius nnbiſcum fieri vnum ex his, qni nobiſcnm ſunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & eaiuit inter noa Dominus Ieſus, incipiens à baptiſmate Ioannis vſque in diem, qua aſſumprus eſt à nobis. De ſecundo Petrus idem: Præcepit nobis prędicare populo, & teſtificari, quia ipſe eſt à Deo iudea viuorum, & mortuorum.]

Hæc ea ſunt, quæ colligi pnſſunt ex illis verbis Chriſti: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: perindè enim eſt, ac ſi dicat: Apoſtolatum meum vobis iniungo. Hinc eſt, quòd omnes Apoſtoli ratione Apoſtolatus interdùm à Patribus vocantur Vicarij Chriſti. Amb. in Epiſt. ad Rom. c. 1. [Mittit Apoſtolos, vt prædicarent fidem omnibus gentibus, vt obedirent, & ſaluarentur, vt donum Dei non iam ſolis Iudæis, verùm etiã omnibus gentibus conceſſum videretur, & hanc eſſe Dei voluntatem, vt à Chriſto, & per Chriſtum omnibus miſereatur, Vicarijs eius prædicantibus. Et in epiſt. 1. ad. Cor. c. 3. Dei enim ſumus operis adintores, hoc ad Apoſtolnrum perſonam pertinet, quos conſtat eſſe Dei adiutores, quia Vicarij ſunt Chriſti. Certè enim vice Chriſti euangelizabant. Pro Chriſto legarione fungimur tanquam Deo exhortanre per uos, dicebat Paulus 2. Cor. 5. Et ad Epheſ. 6. Pro quo legatione fungnr in Catena. Quare Chryſoſtomus Homil. 11. in 2. Cor. Pro Chriſto legatione fuogimur, hoc eſt, illius loco, nam nos, quæ illius officij ſunt, ſuſcepimus.] Et ideò Eccleſia in præfatione de Apoſtolis eos vocat, Vicarios operis Chriſti.

Sanctiſſimi iſti viri nnn tantùm Apoſtolatu, ſed ſacerdotio etiam à Chriſto hnnorati ſunt, ab ipſo in cæna ſuprema initiati ad offerendum pro ſalute hominum incruentum ſacrificium corporia, & ſanguinis eins, ſicut ex Apoſtolica traditione omnium Otthodoxorum conſenſu receptum eſt. Et quamuis plerique nouatorum, qui Lutherum ſequuti ſunt, hanc veritatem in dubium reuocauerint, non tamen in hoc libello Anonymus, cum quo nunc agimus.

Cæterum Religionis eſt, non tantùm ſacrificia offerre, ſed & qni offerant, initiare, Dei legem interpretari, cæremonias ordinare, hnmines in vero Dei cultu conrinere, perſonis Dei dicatis ius dicere, & denique quicquid peculiari iure ad Deum attinet, pro Numinis dignitati moderari. Hinc factnm eſt, vt conceſſa iſta Poteſtate inſignioribus quibuſdam, in ſacra Politia alijs alij præpoſiti ſint, & vnus in vertice omnium collocatus, qui ab Hebræia...... à Græcis *archieras* à Latinis Pontifex Maximus appellatus eſt.

Quamdiu cùm ſynagoga ſtetit templum, & ſacerdotium vetus, maiores noſtri à nomine ſacerdotis abſtinuerunt, minores ſacerdotes Præsbyteros, maiores Epiſcopos græcis nominibus appellantes. At euerſo templo, & ſacerdotio Moyſis ſublato, ſacerdotij nomen paſſim in Eccleſia vſurpari cœpiſſe (non antiquatis tamen prioribus illis præsbyterl & Epiſcopi) fidem faciunt contra noſtri, & ſuperioris ſæculi Nouatores (qni cum Sacerdotio omnem ſacrum ordinem extirpatum eunt (Hieronymus, Ambroſius, Cyprianus, Hilarius, Arnobius, Tertullianus, Damaſcenns, Gennadius Archiep. Conſtantip. Cyrillus, Chryſoſtomus, Nazianzenus, Baſilius, Euſebius, Origenes, Ignatius, Polycarpus, Dionyſius Areopagita, Phylo Iudæus, Clemens Romanus. Præsbyteros Epiſcopis inferiores, ſubiectoſque fuiſſe, Marſilius, & Lutherus inficiantur, ad quos interdum propendere videtur Anonymus. Expræſsè tamen aſſerit Dei verbum, & conteſtatur omnis antiquitas. Paulus ad Timotheum Epheſiorum Epiſcopum: [Aduerſus præsbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus. Et ad Titum: Huius rei gratia reliquit te Cretæ, vt ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per Ciuitates præsbyteros: Pauluſque, & Barnabas cùm conſtituiſſent per ſingulas Eccleſias Præsbyteros, & oraſſent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino,] Act. 14. 2. Ex antiquioribus PP. Dionyſius Areopagita, Ignatius, Clemens Alea. Origenes, Epiphaniſius, Tertullianus, Cyprianus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus. Concilia Ancyrauum, Antio-

Antiochrnum, Illiberitanum, Toletanum primum. Pontifices Innocentius, Cæleſtinus, Leo, Gelaſius, omnes horum nominum primi, vt inuumera alia teſtimonia prætermittam.

Chriſtum Dominum noſtrum fuiſſe Sacerdotem, & Ponrificem, ſcripturæ apertè reſtantur, ntque hæretici negant. At an, qnemadmodum in Eccleſia reliquit Apoſtolatum ſuum, & Sacerdotium ſuum, reliquerit etiam Pontificatum ſuum, & ex omnibus ſacerdotibus vnum aliquem vice ſua ſummum, maximumque eſſe iuſſtrit, an potiùs mutato regimine Eccleſiæ ex Monarchico in Ariſtocraticum, æquali loco reliquerit omnes Apoſtolos, hoc illud eſt, de quo tribus ab hinc ſæculis ab hæreticis dubirari cœptum eſt, & de quo nunc cum larua iſta mihi congrediendum.

Primus, qui in Occidente in Petri Pontificatum ſigna contulit, fuir Marſilius Paeauinus (Valdeuſes enim, & Fraticellos rude, & ignarum hæreticorum genus nullo numero pono) circa annum Domini 1324. in libro, quem iuſcripſir: [Defenſorium pacis, & in Apologia ad Ludouicum Bauarum Imperatorem.] Nemoque inrer viros doctos per tota tredecim ſæcula repertus eſt adeò proiectæ temeritatis, qui contra apertiſſima ſcripturæ teſtimonia, contra totius antiquitatis, imò contra totius Orbis terrarum conſenſionem hoc ſacrilegium aggredi auſus ſit, verum.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Hunc Ioannes XXII. Poutifex Maximus anathemate percuſſit, eiuſque fundamenta Albertus Pighius vir pietate, & eruditione ſingulari in ſua Hierarchia Eccleſiaſtica radicitùs euulſit.

Circa annum Domini 1350. Ioannes Witcleffus Anglus Marſilium ſecutus eſt, edito libello de Chriſto, & Antichtiſto. Sed cum execrabilem antè toti Eccleſiæ collectis erroribus eius Concilium generale Conſtantienſe ſeſs. 8. anno Domini 1415. tanquam hæreſiarcham condemnauit, & Thomas Waldenſis Anglus Carmelita in ſuo doctrinali Antiquitatum fidei doctiſſimè confutauit.

Ab eodem Concilio ſeſſione 15. Ioannes Huſs Boemus viuus combuſtus eſt, qui circa annum Domini 1378. ab Witcleffo venenum mutuarus, hoc viru Eccleſiam Boemorum magna ex parte infecerat.

Græci Schiſmate Photiano per aliquot ſæcula ab Eccleſia Carholica ſeparati eundem errorem hauſerant, depoſuerunt tamen an. Domini 1439. in Concilio generali Florentino, cui cum Patriarcha, & Imprtatore Conſtantinopolis interfuit pars magna Eccleſiæ Orientalis.

Martinus Lutherus ad an. Domini 1520. in aſſertione ſuorum articulorum hæreſim hanc extinctam, & ſepultam, iterum ab inferis excitauit; quare damnatus à duobus Summis Pontificibus Leone X. & Hadriano VI.

Lutherum ſequuti ſunt Caluinus, & Centuriatores, ille ad an. 36. iſti ad ſexageſimum ſupra milleſimum quingenteſimum, & demùm confuſum illud hæreticorum examen, quod à Lutheri ſecta profectum, eam in mille partes dilaniauit, dum, vt inquit Tertullianus de Martionitis, & Valentinianis, [Idem licuit Lutheranis, quod Luthero, de arbitrio ſuo fidem innouare.]

Inſanos iſtos repreſſerunt quidem permulti viri docti, proſtrauerunt tamen duo illa luminaria magna noſtri ſæculi Baronius, & Bellarminus S. R. E. Cardinales.

Quare ſi rem ad ſuam originem referamus, huius erroris auctorem repetiemus vnicum Marſilium, à quo Witcleffus, Huſs, Lutherus, & teliqua hærticorum turba, paucis adiectis, mutuata eſt, quicquid ad euerſionem Primatus vnquam congeſſit. Nos verò, vt omittamus tot Sanctorum, & Sanctarum myriadas, quæ per ſexdecim integra ſæcula in hac fidei confeſſione dormierunt, eam ſanguine alij, alij atramento glorioſiſſimè obſignantes, tantùm dicemus, à prima Marſilij defectione, vſque ad poſtremam Lutheri habere nos Catholici dogmatis vindices quatuor Summos Pontifices, Ioannem, Martinum, Leonem, Hadrianum, duoque Concilia generalia, Conſtantienſe, & Florentinum, quorum iudicio error Marſilij ſextùm damnatus eſt. Quiſquis ergo ad hanc controuerſiam animum confert, is velim, vt primùm ſibi ob oculos ponat vtriuſque partis Aſſertores; hinc ſcilicet quatuor Pontifices, & duo Concilia generalia, ex toto terrarum orbe conuocata, indè Marſilium Parauinum, cum tribus, aut quatuor Apoſtatis. Illos vnanimi conſenſu decernentes Petro, & ſucceſſoribus Primatum iure Diuino, iſtos illorum decretis imprudentiſſimè reclamantes. Audiat mox, quem Deus, & Chriſtus Eccleſiæ controuerſijs finem imponat: [Quicunque noluerit obedire Sacerdotis imperio, ex decreto iudicis morietur; Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus] Atque ità demùm vtram mauelit in partem, concedat. Quod ſi, vel in Henrico VIII. Angliæ Rege, vel in Luthero, iſtius poſtremæ defectionis principibus, quis quidam ſuſpiciat, quod ad eandem apoſtaſiam ſuperbos titillet, & impios, audiat priùs quidnam vterque de tota hac cauſa ſcripſerit.

Henricus antequam Bolenæ dementatus amore, de repudianda vnà cum legitima Coniuge, etiam communi matre fidelium, conſilium inijſſet, contrà Lutherum, qui ſemel verecundiæ fines tranſgreſſus, iam ex veteri prouerbio benè, & gnauiter impudẽs eſſe cœperat, calamum ſtringrns: [Non tam inimicus ero Pontifici, inquit, vt anxiè, ac ſollicitè de eius iure diſceptem, tanquam res haberetur pro dubia. Satis eſt ad præſens negotium, quàd inimicus eius ità furore prouehirur, vt ſibi fidem deroget ipſe, ac dilucidè ſe oſtendat, præ malitia neque conſtare ſecum, neque videre quid dicat. Nam negare non poteſt, quin omnis Eccleſia fidelium Sacroſanctam Sedem Romanam, velut Matrem, primatumque recognoſcat, ac veneretur, quæcunque ſaltem, neque locorum diſtantia, neque periculis interiacentibus prohibetur acceſſu, quanquam, ſi vera dicunt,

qui

Digitized by Google

quin et India quoque uenerunt huc. Indè etiam ipſi tot terrarum, tot marium, tot ſolitudinum plagis diſiuncti, Romano tamen ſe Pontifici ſubmittunt. Ergo ſi tantam, ac tam latè fuſam poteſtatem, neque Dei iuſſu Pontifex, neque hominum voluntate conſequutus eſt, ſed ſua ſibi vi vindicauit, dicat; velim, Lutherus, quando in tantæ ditionis irrupit poſſeſſionem? Non poteſt obſcurum eſſe initium tam immenſæ potentiæ, præſertim ſi intra memoriam hominum nata ſit. Quòd ſi rem dixerit, vnam fortaſſis, aut duas ætates ſuperare, in memoriam nobis rem reuocet ex hiſtorijs.

Alioquin ſi tam vetuſta ſit, vt rei etiam tantæ obliterata ſit origo, legibus omnibus cautum eſſe cognoſcit, vt cuius ius omnem hominum memoriam ità ſupergreditur, vt ſciri non poſſit, cuiuſmodi habuerit initium, cenſeatur habuiſſe legitimum: vetitumque eſſe conſtat omnium conſenſu gentium, ne quæ diu manſerunt immota, moueantur. Certè ſiquis rerum geſtarum monumenta reuoluat, inueniet, iam olim protinus poſt pacatum Orbem, pleraſque omnes Chriſtiani Orbis Eccleſias obtemperaſſe Romanæ. Quin Græciam ipſam, quanquam ad ipſos commigraſſet Imperium, reperiemus tamen, quòd ad Eccleſiæ Primatum pertinebat, (præterquam dum Schiſmate laborabat) Eccleſiæ Romanæ ceſſiſſe. Beatus verò Hieronymus quantum Romanæ Sedi cenſeat deferendum, vel indè luculenter oſtendit, quòd quamuis Romanus ipſe non eſſet, tamen apertè fatetur ſibi ſatis eſſe, ſi ſuam fidem quibuſuis improbantibus alijs comprobaret Papa Romanus.

Qui cùm Lutherus tam impudenter pronunciet, idque contra ſuam pridem ſententiam, nihil omninò iuris in Eccleſiam Catholicam ne humano quidem iure competere, ſed Papam mera vi meram occupaſſe tyrannidem, vehementer admiror, quod aut tam faciles, aut tam ſtupidos ſperet eſſe lectores, vt Sacerdotem credant inermem, ſolum, nullo ſeptum ſatellitio, qualem fuiſſe eum neceſſe eſt, priuſquam eo potiretur, quòd etiam Lutherus ait inuaſiſſe, vel in ſpem venire vnquam potuiſſe, vt nullo iure fultus, nullo munitus titulo, in tot vbique pares Epiſcopos apud tam diuerſas, tam procul diſſitas gentes tantum obtineret imperium: nedum vt credat quiſquam populos omnes, vrbes, Regna, Prouincias ſuarum rerum, iuris, libertatis fuiſſe tam prodigos, vt externo Sacerdoti, cui nihil deberent, tantum in ſe poteſtatis darent, quantum ipſe vix eſſet auſus optare. Sed quid refert, quid in hoc ſentiat Lutherus, qui præ ira atque inuidia non ſentit ipſe quid ſentiat?] Hæc Henricus.

Lutherus verò: [Primum quod me mouet, Romanum Pontificem eſſe alijs omnibus (quos ſaltem nouerimus ſe Pontifices gerere) ſuperiorem, eſt ipſa voluntas Dei, quam in ipſo facto videmus. Neque enim ſine voluntate Dei in hanc Monarchiam venire vnquam potuiſſet Romanus Pontifex. At voluntas Dei quoquo modo fuerit nota, cum reuerentia ſuſcipienda eſt. Ideòque non licet temerè Romano Pontifici in ſuo Primatu reſiſtere. Hæc autem ratio tanta eſt, vt etiamſi nulla alia cauſa eſſet, hæc tamen ſatis eſſet ad compeſcendam temeritatem reſiſtentium.] Hucuſque Lutherus. Quòd ſi Henricum, & Lutherum contrarium mox ſenſiſſe, ſcripſiſſeque obijcias, audi eumdem Henricum: [Sed iſtud rogo, qui illa tam nuper vidit, vndè nunc ſubitò videt nihil ſe tunc vidiſſe? quos nouos oculos induit? An acutiore cernit obtutu, poſtquam ad ſuperbiam ſolitam (adde in Henricum effrenatam libidinem) ira quoque ſuperuenit, & odium? Et longius videlicet proſpicit vſus tam præclaris conſpicilijs.

Hæc ea ſunt, quibus quaſi tabulis obſignatis in Henricum, Lutherum; & ſequaces ſuprema feretur ſententia. Sed eis omiſſis, cum aduerſario gradum conferamus, probaturi, quod controuerſiæ noſtræ caput eſt, non reliquiſſe Chriſtum omnes Apoſtolos pares; vt cum Marſilio, Witcleffo, & Luthero Anonymus vult, ſed ſolum Petrum vice ſua Sacerdotij clauum tenere, & tractare iuſſiſſe, cique vni tanquam Vicario Pontificatus ſui Eccleſiam vniuerſam commendaſſe.

CAPVT III.

Beati Petri Primatus demonſtratur ex verbis Chriſti, Matth. 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

QVi generatim pro Primatu Beati Petri ſcripſerunt aduersùs hæreticos, antequam ex Euangelio, & alijs ſcripturis Noui Teſtamenti probent, quòd ei Pontificatus à Chriſto collatus ſit, multa præclarè diſputant de optima Politia, varijſque teſtimonijs tam ſacris, quàm prophanis ex omnibus primas deferunt Monarchiæ. Cum enim Eccleſia Chriſti optima Politia ſit; & à ſapientiſſimo principe conſtituta, conſentaneum videtur, vt etiam formam optimam ei dederit. Pro hac multa vtriuſque teſtamenti grauiſſima teſtimonia Epiſcoporum ab eis congeſta ſunt, quibus Eccleſiæ vnitas, & vnus eius Hierarcha indigitatur, multa luculenter diſcuſſa contra Ariſtocratiam, & Democratiam, vt illis excluſis, ſola Monarchia ex Dei verbo in Eccleſia reliqua ſit. Hinc ad Petrum diſputatione conuerſa, ei ſoli Eccleſiæ vniuerſæ principatum à Chriſto delatum demonſtrant.

Si homo hic ſine nomine, contra quem diſputo, aut literatus eſſet, & capax Theologicæ ſtudioſioris, aut priorem controuerſiæ partem, quæ intelligentiæ eius orbem tranſcendit, conſultò non declinaſſet, ego quoque in eo refellendo eundem, quem alij, ordinem ſequutus eſſem. At ipſe ſibi conſcius, non docto, quod fieri aut debuit, aut docuit, diſputationem inſtituit; ſed tantùm de eo, quod reipsa à Chriſto factum eſt, ex teſtimonijs noui Teſtamenti. Cogit ideò me, qui vt eum lucrifaciam, ad exemplum Apoſtoli ingenio, & capacitati eius inſeruire conſtitui, omiſſa priori parte controuerſiæ, de poſteriori tantùm diſputare. Non tamen audiet nimis, & ſubtiliter: [Vbi enim auditor non eſt, inquit Spiritus ſanctus, non effundas ſermonem, & Hieronymus: Oleum

per-

perdit, & impenſas, qui bouem mittit ad Ceroma.] Chriſtus Dominus noſter, audita illa confeſſione Petri: [Tu es Chriſtus Filius Dei viui:] Poſt eius commendatam fidem, illi vices rependens, ſubiecit: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues regni Cœlorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cęlis; & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cęlis.] Atque ita vt Syri, & Paleſtini ſolebant, diuerſis ſymbolis, fundamenti, clauium, ligandi, & ſoluendi ſupremam Eccleſiæ poteſtatem Petro pollicitus eſt.

Hæretici vt euaderent hoc argumentum, diuerſa ſubterfugia excogitarunt, & cum alijs Anonymus iſte, ſed fruſtra, vt ſingillatim in vnoquoque ſymbolo demonſtrabo.

Quando Petrus Andreæ maioris fratris hortatu ad Chriſtum acceſſit, non Petri, ſed Simonis nomine vocabatur. Statim tamen ac Ieſus vidit eum, dixit illi: [Tu es Simon filius Iona, Tu vocaberis Cephas.] Porrò Cephas verbum Syriacum eſſe, quod ſignificet Petrum, non eſt quod probem. Præſtiterunt id iam viri doctiſſimi, & nunc nonniſi ab indoctiſſimis ignoratur. Quod ergò Grecus interpres vertit *ſy ei Petros*, Tu es Petrus, Syriacè à Redemptore dictum eſt, *Tu es Cephas*, hoc eſt, Tu es Petra. Potuit quidem vertere tam *ſy ei Petros*, quàm *ſyei Petra*; cum Græcis tam *o Petros*, quam *Petra* indiſcriminatim Petram ſignificet; At accommodatiùs viſum eſt maſculinum, quàm fœmininum ad propriam viri nuncupationem, ſicut fœmininum magis, quàm maſculinum, ad indicandum appellatiuè ſaxum. Quæ verò Græcus interpres liberè (benè tamen) ita appropriauit, hæc mutuatus Latinus, ſicut pleraque alia immutata retinuit.

Cæterum quod in ędificio eſt fundamentum, hoc analogia eſt in corpore caput, in Politia Princeps, præcipua ſcilicet, ac potiſſima pars, à qua totum omne dependet; idcircò Chriſtus frequenter in ſcriptura nuncupatur Eccleſię fundamentum, & Petro Quia ergo Chriſtus dixit Petro: [Tu es Petra, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam,] appoſitè Catholici colligunt eum pollicitum eſſe Petro vices ſuas, Primatum ſcilicet, & regimen vniuerſale Eccleſiæ Dei.

Hoc vaticinatus videtur Eſaias cap. 28. [Hæc dicit Dominus Deus: ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum,] Chriſtum eſſe Eccleſiæ fundamentum primarium, apertè docet Apoſtolus [Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus,] Eſſe Apoſtolos etiam Eccleſiæ fundamenta ſecundaria, expreſsè ſcribit Ioannes: [Et murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum Agni.] Dum ergo promittit Deus, miſſurum ſe in fundamentis Eccleſiæ lapidem angularem fundatum in fundamento, ſatis apertè innuit myſterium Petri, ſuper quem vnum inter omnes Apoſtolos, tanquam ſuper firmiſſimam petram fundatam in fundamento Chriſti, ædificaturus erat Eccleſiam ſuam. Non ſum neſcius, quòd iſtud vaticinium primò, principaliter, & per ſe dirigitur ad Chriſtum; nemo tamen negauerit, quin etiam ex vbertate ſenſuum ſacræ ſcripturæ conuenientiſſimè Petro accommodetur. Vt enim dicebat Baſilius: [Chriſtus axiomata ſua largitur alijs, largitur autem ea non euacuatus, ſed nihilominus habens.] Dicitur verò lapis angularis, quia lapis angularis non locum dumtaxat ſuum implet in ædificio, verùm etiam duos parietes connectit, & continet. Quare Chriſtus de ſe interpretatur illud Pſalmi 117. [Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli,] vt qui totum ædificium Eccleſiæ ſuſtineat, & duos parietes, id eſt, Iudæos, & Gentiles in vnum angulum coagmentauerit, cuius ipſe eſt caput, & princeps. Petro autem Deus commiſit primùm conuerſionem, & baptiſmum Gentilium: Et ideò primus ipſe coniunxit in Eccleſię ędificio vtrumque parietem. Vndè Sanctus Ambroſius: [Petra dicitur, eò quòd primus in nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tanquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem, molemque contineat. Petra Petrus dicitur, & Petra pro virtute Dominus nuncupatur. Rectè conſortium meretur nominis, qui conſortium meretur & operis.] Et fortè ad hoc Eſaiæ vaticinium alluſit Petrus ipſe, quando pro concione dixit; [Viri fratres, vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum gentes audire & credere.] Hæc iuxta vulgatam videtur conſona interpretatio Eſaiæ, à qua etſi aliæ recedunt, non ita tamen, vt myſterium Principatus Petri diſſoluant. Exempli gratia, vbi vulgata habet: [Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum:] textus Eſaiæ habet........................ quod Rabbi Aben. Ezra ita legendum putat: [Ecce ego fundator in Sion lapidis: lapidis angularis.] Et vbi vulgata habet, in fundamento fundatum Eſaias.........., quorum vtrumque Hebræorum doctiſſimi legunt, tanquam nomen, & hoc ab illo rectum fundamenti fundamenti.] Quare iuxta has interpretationes vaticinium erit principaliter non de Petro; ſed de Chriſto, conſequenter tamen etiam de Petro; promittitur enim Chriſtus tanquam lapis lapidis, & tanquam fundamentum fundamenti, caput ſcilicèt capitis, & Princeps Principis.

Quicquid ſit, illud certum eſt, quòd ſi Chriſtus ideò lapis angularis, & fundamentum Eccleſiæ nuncupatur, quia eſt eius caput, & Princeps, dum Petrum Petram facit, & futurum aſcrit Eccleſiæ fundamentum, ei apertiſſimè pollicetur communionem Principatus, & Monarchiæ ſuæ.

Anonymus, vt eludat hoc argumentum, ſicut omnes alias prærogatiuas Apoſtoli Petri, negat vel Petrum alibi, vel Petram hic ſignificare Petri perſonam, ſed vult tam Petrum, quàm Petram geſſiſſe Eccleſiæ perſonam & typum. Verùm id ineptum nimis, & inſulſum eſt. Sic enim dixiſſet Chriſtus: Tu Eccleſia mea es Petra, ſuper quam ædificabo Ec-

Ecle-

cleſiam meam, egregium certè, & acutum interpreramentum. Quis enim adeò cæcus, & amens eſt, vt non videat per ſymbolum ædificij explicari à Chriſto prærogatiuas, quas Petro collaturus erat in Eccleſia? triaque eſſe, in quibus totam ſymboli, & analogiæ rationem conſtituit? Ædificatorem, Petram fundamentalem, ædificium ſtruendum? Tribuſque his proportione reſpondere Chriſtũ, Petrum, Eccleſiam? Proportione itaque eſt Architectus Chriſtus, fundamentum Petrus, ædificium Eccleſiæ. Fac Anonyme fundamento Petrum non reſpondere, & ex ſententia tua hinc pone Architectum, fundamentum & ædificium, indè Chriſtum dumtaxat, & Eccleſiam, quam comparationem & proportionem inſtitues inter duo hæc, & tria illa? Ad bonam comparationem quatuor requiruntur, res comparata, res cui comparatur, qualitas, & quòd qualitas communicet cum vtroque. At ſublato Petro, ex correſpondentibus proportionis deeſt ſymbolo Chriſti res cui comparetur; & qualitas fundamenti non communicat cum re, cui comparatur. Quare affingis Chriſto ineptiam nimis ſupinam. Sed quia, vt Tertullianus ait: [Nobis de noſtro arbitrio nihil indulgere licet, ſed nec eligere, quod aliquis de ſuo arbitrio induxerit,] à Patribus audiamus, quid hìc ſignificet tam Petrus, quàm Petra. Non tamen, vt inquit Auguſtinus in cauſa ſimili, [omnium de hac re ſententias, nec omnes eorum, quos commemorabo, me congregaturum polliceor, quia nimis longum eſt, & neceſſe eſſe non arbitror, ſed ponam pauca paucorum, quibus tamen noſtri Contradictores cogantur erubeſcere, & cedere, ſi vllus in eis, vel Dei timor, vel hominum pudor reliquus ſit.]

Ac primùm illud occurrit. Si neque temerè, neque caſu quicquam egit Redemptor, cur Simoni communicat Petræ nomen, quo ipſe cenſetur, ſi Petrum Vicarium, & conſortem nolebat in ædificio, & regimine Eccleſiæ ſuæ? Vnam hanc rationem Patres aſſignant, cui aut hæretici ſubſcribere debent, aut aliam reperire. Sanctus Leo Magnus: [Sicut meus Pater manifeſtauit tibi Diuinitatem meam, ita ego notam facio excellentiam tuam: quia tu es Petrus, id eſt, cùm ego ſim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere; tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris, vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia. Sanctus Ioannes Chryſoſtomus: Aduertendum, quòd non omnia, quæ ventura erant ei, hoc primo congreſſu prædixit, non enim appellauit eum Petrum, non dixit ſuper eum Petram ædificaturum ſe Eccleſiam ſuam, ſed dixit: Tu vocaberis Cephas, adhuc in futurum hoc differens, maioris enim erat auctoritatis, & poteſtatis nomen (audis Anonyme, quale nomen Cephas?) & idcirco Chriſtus nunc continuit; humiliùs à principio loquitur. Cùm verò Diuinitatem ſuam monſtraret, maiora narrauit, inquiens, ego dico Tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Hæc Chryſoſtomus. Maximus verò: Hic eſt Petrus, cui Chriſtus Dominus communionem ſui nominis libenter indulſit. Vt enim, ſicut Paulus Apoſtolus edocuit, Petra erat Chriſtus, ita per Chriſtum Petrus factus eſt petra, dicente ei Domino: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. S. Proſper: Quis ambigat, quis ignoret, hanc fortiſſimam petram, quę ab illa principali petra communionem, & virtutem ſumpſit, & nominis hoc deſiderium ſemper habuiſſe, vt ei moriendi pro Chriſto conſtantia donaretur? S. Baſilius: At Petrus dixerat iam, & beatus pronunciatus fuerat, dixerat. Tu es filius Dei excelſi, & viciſſim audiuerat ſe eſſe Petram, ita laudatus à Domino, licèt enim petra eſſet, non tamen petra erat, vt Chriſtus, vt Petrus petra erat. Nam Chriſtus verè eſt immobilis petra, Petrus verò propter petram. Axiomata namque ſua Ieſus largitur alijs, largitur autem ea non euacuatus, ſed nihilominus habens.]

Cum ergò non Eccleſiæ vniuerſæ, non alijs Apoſtolis, ſed ſoli Petro petræ nomen impoſitũ ſit, quòd ſolus ex omnibus in ædificio Eccleſiæ ſuſtentando regendoque ad Chriſti conſortium deſtinatus eſſet, reſtat, vt quando Chriſtus dixit: [Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiã,] neque Petram Eccleſiam vniuerſalem ſignificauerit, neque alios Coapoſtolos, ſed ſolum Ionæ filium, cum quo loquebatur. Ad hanc rationem, quam videre nequeo, quomodo euadere poſſint hæretici; accedit patrum conſenſus, ſine quo pedem mouere nobis religio eſt.

Auguſtinus: [Petra dicitur, eò quòd primus in nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tanquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem, molemque contineat. Petrus dicitur, & petra, pro virtute Dominus nuncupatur: rectè conſortium meretur nominis, qui conſortium meretur & operis. Ac iterum, dignus certè, qui ædificandis in Domo Dei populis Petrus eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clauis ad regnum. Hieronymus. Sicut ille princeps philoſophorum, ita hic Apoſtolorum fuit, ſuper quem Eccleſia Domini ſtabili mole fundata eſt, & ad Damaſum, Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio, & alibi, ſuper vnum montium Chriſtus fundat Eccleſiam, & loquitur ad eum: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Ambroſius, hanc ſolam Eccleſiæ nauim aſcendit Dominus, in qua petrus magiſter eſt conſtitutus, dicente Domino, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.] Et in hymno de gallo gallinaceo, quem canit Eccleſia.

Hoc ipſo Petra Eccleſiæ
Canente culpam diluit.

Sanctus Gregorius Magnus: [Quis neſciat Sanctam Eccleſiam in Apoſtolorum principis ſoliditate firmatã, quia firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur?] Hæc quatuor Latini Eccleſiæ Doctores. Quibus adſtipulantur, & Græci; Athanaſius: [Tu es Petrus, ſicut veraciter dicit diuinum eloquium, & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ ſunt confirmatæ,

Baſilius, ſtatim ex hac voce petra, intelligimus Petrum Ionæ filium, qui ſuit ex Bethſaida, Andreæ fratrem, qui ex piſcatore ad Apoſtolatus miniſterium vocatus eſt, qui quoniam fide præſtabat, Eccleſiæ commiſſam ſibi ædificationem ſuſcepit. Gregorius Nazianzenus, Vides quemadmodum ex Chriſti diſcipulis magnis vtique omnibus, & excelſis, atque electione dignis, hic, ſcilicet Petrus petra vocetur, atque Eccleſiæ fundamenta in fidem ſuam accipiat. Chryſoſtomus. Vide cuiuſmodi peccato permiſit ſubijci Petrum illum talem, ac tantum virum, Apuſtolorum verticem, ac fundamentum immobile, & petram ſtabilem, & quæ non poſſet concuti. Et alibi, audi quid Chriſtus dicat Petro, Columnæ inquam illi, & baſi, ac propterea Petro appellato, qui ſaxea fide præditus erat, Simon Simon, &c. Columna illa, illa petra Eccleſiæ, illa fidei baſis, illud Apoſtolici chori caput Petrus, an non ſemel, & iterum, ac tertiò Dominum abiurauit?] Habes iam ſententiam omnium doctorum Eccleſiæ, tum Latinæ, tum Græcæ, [audi ex vtraque totidem antiquiſſimos patres. Tertullianus: [Latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ, petram dictum, Claues Regni Cęlorum conſecutum, & ſoluendi, & alligandi in cœlis, & in terris poteſtatem?] Et iterum Petrum ſolum inuenio maritum: [Monogamum præſumo per Eccleſiam, quæ ſuper illum ædificata. Cyprianus. Petrus tamen, ſuper quem ædificata à Domino fuerat Eccleſia, vnus pro omnibus loquens, &c. Et alibi, Petrus etiam, cui oues ſuas Dominus paſcendas, tuendaſque commendat, ſuper quem poſuit, & fundauit Eccleſiam. Hilarius, Petrus, cui ſuperius claues Regni cœlorum dederat, ſuper quem Eccleſiam ædificaturus erat, aduerſus quem portæ inferi nihil valerent. Et alibi, in nuncupatione noui nominis fęlix Eccleſię fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & Tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret. S. Zeno Veronenſis, non ſine ratione Simoni, ſuper quem ædificauit Eccleſiam Chriſtus, Petrus nomen impoſuit. Hi Latini omnes, à quibus ad Gręcos. Origenes: Vide, magno illi Eccleſiæ fundamento, & petræ ſolidiſſimæ, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam, quid dicatur. Epiphanius. Ipſe autem Dominus conſtituit eum (Petrum) primum Apoſtolorum, petram firmam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt. Cyrillus Alexandrinus. Nec Simon ſibi iam fore nomen prædicit, ſed Petrus, vocabulo ipſo commodè ſignificans, quòd in eo tanquam in petra, lapideque firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam. Damaſcenus; Princeps diſcipulorum Petrus fidei petra ſalutiferæ paſſionis tempore certo quodam Concilio aliquantiſper à Deo deſertus, &c.

Quando itaque Anonyme cum Auguſtino cœpi, ſic cum Auguſtino concludam: [Si cernis, cerne, & tandem tace, Lutheranamque linguam tot linguis Catholicis deprime, tot venerandis oribus proterua ora ſubmitte. Si ſcholam Xenocratis, ſicut Polemo, ex antelucano conuiuio temulentus intraſſes, non tanta, quanta in iſto cœtu, tot Sanctorum deberes verecundia coerceri: Hic enim certè tantò maior debet eſſe verecundia, quantò verior addiſcitur ſapientia, tantò amplius reuerendi ſunt tot memorabilium Epiſcoporum, quàm vnius Xenocratis vultus quantò Platone Xenocratis Doctore Doctor iſtorum maior eſt Chriſtus.]

Cœterùm hæreticorum ſuperbia tanta eſt [vt qui orbem Catholicum, Domino reſiſtente, peruertere nequeunt, commouere nitantur, & hanc ſaltem gloriam captare, vt propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur.] Quare habeat ſibi Anonymus præter priuatos Patres etiam Generale Concilium. Communi igitur Patrum conſenſu in Concilio Chalcedonenſi hæc ſententia in Dioſcorum lata eſt: [Sanctiſſimus, & Beatiſſimus Archiepiſcopus magnæ, & ſenioris Romæ Leo per nos, & per præſentem Sanctam Synodum, vnà cum ter Beatiſſimo, & omni laude digno B. Petro Apoſtolo, qui eſt Petra, & crepido catholicæ Eccleſiæ, & ille, qui eſt rectæ fidei fundamentum, nudauit eum tam Epiſcopatus dignitate, quàm etiam & ab omni Sacerdotali miniſterio.]

Quid feciſſes Anonyme, ſi Concilio Chalcedonenſi interſuiſſes? certè aut mutaſſes ſententiam, Petramque ipſum Petrum ſignificare dixiſſes contra Lutherum, & eius ſectatores, aut eodem, quo Dioſcorus (cuius temeritati patrocinaris) anathemate percuſſus, Sathanæ traditus eſſes, condignas tuæ cùm pertinaciæ, tum impudentiæ pœnas luiturus.

CAPVT IV.

Teſtimonium Sancti Leonis Papæ inductum ab Anonymo Petri Primatui fauere.

HÆretici, cùm ſub alieno nomine hæreſim concinnare machinentur, captare plerumque ſolent, vt Lirinenſis ait, veteris alicuius viri ſcripta paulò inuolutius edita, quæ pro ipſa ſui obſcuritate dogmati ſuo quaſi congruant, vt illud neſcio quid quodcumque proferunt, neque primi, neque ſoli ſentire videantur.] Effecit id Anonymus, auſus citare ſibi S. Leonem Magnum, & S. Cyprianum, illum epiſt. 89. ad Epiſcop. Viennenſem, iſtum lib. de vnit. Eccleſ. relatum à Gratiano 24. quæſt. 1. cap. loquitur. Quibus tamen Patribus nemo, aut expreſſius, aut illuſtrius aſſeruit primatum B. Petri, neque ipſi alicubi fortè magis, quàm in iſtis ipſis, & locis, & cauſis, quæ citantur. Arbitratur Anonymus, vt dicebam S. Petrum, quando ei à Chriſto dictum eſt, [Tu es Petrus, &c.] repræſentare Eccleſiam vniuerſam; idque inſinuare exiſtimat Leonis teſtimonium aſſerentis, quòd ea verba dicta ſunt in conſortium indiuiduæ vnitatis.

Cœterùm, quia intelligentia dictorum ex cauſis eſt ſumenda dicendi altius repetenda res eſt, videndumque cur, & quid ſcripſerit Leo, atque hinc de tota re iudicandum.

Vetus controuerſia agitata eſt inter Epiſcopos Arelatenſem, & Viennenſem, ad quemnam ipſorum ſpectaret ordinatio Epiſcoporum Prouinciæ Vienenſis, qua de re extant varia decreta Concilij Taurinenſis, Boniſa-

nifacij, & Cœleſtini Romanorum Pontificum, vt vnuſquiſque Metropolitanus ordinatione Epiſcoporum ſuæ Prouinciæ contentus eſſet. Quo decreto non contenti Arelatenſes, vindicarunt plerumque ſibi ordinationes Viennenſium, ſicuti S. Leonis tempore tandem fecit Hilarius: Depoſito enim Celidonio Epiſcopo, proiectoque alibi in eadem Prouincia ordinato; idque ea violentia, quam mox audies à Valentiniano Imperatore, querela ad Leonem Pontificem perlata eſt. Acceſſit ad Vrbem Hilarius ſpontè, cauſamque dixit. Conuictus, non expectata, vel licentia, vel ſententia, ex Vrbe Arelatum reuerſus contra Primatum Pontificis æquo liberius verba fundere cœpit. Hinc ſanctus Leo ad Epiſcopos Viennenſis Prouinciæ dedit epiſtolam, quam citauit Anonymus, eamque ſic exorditur.

[Diuinæ cultum religionis, quem in omnes gentes, omneſque nationes Dei voluit gratia coruſcare, ità Dominus Noſter Ieſus Chriſtus humani generis ſaluator inſtituit, vt veritas, quæ antè legis, & Prophetarum præconio continebatur, per Apoſtolicam tubam in ſalutem vniuerſitatis exiret, ſicut ſcriptum eſt: In omnem terram &c. Sed huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret, vt ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem ſe intelligeret myſterij eſſe Diuini, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere: Hunc enim in conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumptum, id quod ipſe erat, voluit nominari, dicendo. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, vt æterni ædificatio templi mirabili munere gratiæ Dei in Petri ſoliditate conſiſteret, hac Eccleſiam ſuam firmitate corroborans, vt illam, nec humana temeritas poſſet appetere, neque portæ contra illam inferi præualerent. Verùm hanc Petræ iſtius ſacratiſſimam firmitatem, Deo, vt diximus, ædificante conſtructam, nimis impia vult præſumptione violare, quiſquis poteſtatem eius tentat infringere.] Hæc ibi Leo.

Poteratne verò temeritatem Anonymi, aut grauius coarguere, aut ſeuerius? In ea autem particula [Hunc in conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumptum, id quod ipſe erat, voluit nominari] lapis eſt, qui non videt Leonem loqui de conſortio, & indiuidua vnitate Petri cum Chriſto, non Petri cum cœteris. Quem vnum nominis, & muneris ſui conſortem aſſumpſit, adeòque indiuiſibiliter [vt exortem myſterij ſe intelligeret eſſe diuini, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere, ſiquidem à Petro in reliquum Eccleſiæ corpus, tanquam à capite in membra dona ſua diffundere voluit.] Paulò clarius id ita expreſſit ſerm. 3. de aſſumptione ſui [Magnum, & mirabile huic viro conſortium ſuæ potentiæ tribuit diuina dignatio, etſi quid cum eo cœteris commune voluit eſſe principibus, numquam niſi per ipſum dedit, quicquid alijs non negauit.] Vides iam Lector, opinor, acumen hominis, & ſolertiam, & quantum iudicij in eo ſit in ponderandis momentis cauſæ, quam tuetur. Quando tamen ad hanc Leonis epiſtolam nos prouocauit, audiat infelix, ſi non, vt in prouerbio eſt, lora ab ipſo ſumantur boue. Interiectis nonnullis de iure appellationum, quas ex antiqua conſuetudine Romam [deferri ait ex Gallia, Leo in Hilarium inuehitur, quod [ipſius quoque Beatiſſimi Petri reuerentiam verbis arrogantibus minuebat, cui cùm præ cæteris ligandi, atque ſoluendi tradita ſit poteſtas, paſcendarum tamen ouium cura ſpecialiùs mandata eſt. Cui quiſquis principatum æſtimat denegandum, illius quidem nullo modo poteſt minuere dignitatem, ſed inflatus ſpiritu ſuperbiæ ſuæ ſemetipſum in inferna demergit.] Videat itaque Anonymus, quo loco ſit, & emergat, ſi ſapit.

De tota hac cauſa extat integra Valentiniani Imperatoris Conſtitutio in Codice Theodoſiano, quæ licèt longiuſcula ſit, quàm patiatur breuitas, cui ſtudemus, non prætereunda tamen, ſiquidem impudentiæ hæreticorum iugulum petit. Ad hunc itaque modum ſcribit Imperator ad Ætium agentem in Gallia Magiſtrum militiæ [Cùm Sedis Apoſtolicæ Primatum S. Petri meritum, qui princeps eſt Epiſcopalis Coronæ, & Romanæ dignitas Ciuitatis, ſacræ etiam Synodi firmarit auctoritas, ne quid præter auctoritatem Sedis iſtius illicitum præſumptio attentare nitatur; Tunc enim demùm Eccleſiarum pax vbique ſeruabitur, ſi rectorem ſuum agnoſcat vniuerſitas, hæc enim cùm hactenus fuerint inuiolabiliter cuſtodita, Hilarius Arelatenſis (ſicut Venerabilis viri Leonis Papæ Romani fideli relatione comperimus) contumaci auſu illicita quædam præſumenda tentauit, & ideò Tranſalpinas Eccleſias abominabilis tumultus inuaſit, quod recens maximè teſtatur exemplum. Hilarius enim, qui Epiſcopus Arelatenſis vocatur, Eccleſiæ Romanæ Vrbis inconſulto Pontifice indebitas ſibi ordinationes Epiſcoporum ſola temeritate vſurpans inuaſit: nam alios incompetenter remouens, indecenter alios ordinauit. Qui quidem quoniam non facilè ab his, qui non elegerant, recipiebantur, manum ſibi contrahebat armatam, & clauſtra murorum in hoſtilem morem obſidione cingebat, vel aggreſſione reſerabat, & ad ſedem quietis pacem prædicaturum per bella ducebat.]

[His talibus contra Imperij maieſtatem, & contra reuerentiam Apoſtolicæ Sedis admiſſis, per ordinem Religioſi viri Vrbis Papæ cognitione diſcuſſis, certa in eum ex his, quos malè ordinauerat, lata ſententia eſt, & erat ipſa quidem ſententia per Gallias etiam ſine Imperiali ſanctione valitura (quid enim tanti Pontificis auctoritate in Eccleſias non liceret?) ſed noſtram quoque præceptionem hæc ratio prouocauit, ne vlterius, vel Hilario, quem adhuc Epiſcopum nuncupari ſola manſueti Præſulis permittit humanitas; nec cuiquam alteri Eccleſiaſticis rebus arma miſcere, aut præceptis Romani Pontificis liceat obuiare. Auribus enim talibus fides, & reuerentia noſtri violatur Imperij: Nec hoc ſolùm, quòd eſt maximi criminis, ſubmouemus, verùm ne leuis ſaltem inter Eccleſias turba naſcatur, vel in aliquo minui religionis diſciplina videatur, hoc perenni ſanctione decernimus, ne quid tam Epiſcopis Galli-

Digitized by Google

canis, quàm aliarum Pronincianım contra conſuetudinem veterum liceat ſine viri venerabilis Papæ Vrbis æternæ auctoritate tentare; ſed illis omnibus pro lege ſit, quicquid, vel ſanxie, vel ſanxerit Apoſtolicæ Sedis auctoritas; ità ve quiſquis Epiſcoporum ad iudicinm Romani Antiſtitis euocatus venire neglexerit, per moderatorem eiuſdem prouinciæ adeſſe cogatur, per omnia ſeruatis, quę diui parentes noſtri Romanæ Eccleſiæ detulerunt. Ætl Pater Cariſſimè Auguſti; Vndè illuſtris, & præclara magnificentia tua præſentis edictalis legis auctoritate faciet, quæ ſunt ſuperius ſtatuta, ſeruari, decem librarum multa protinns exigenda ab vnoquoque Iudice, qui paſſus fuerit præcepta noſtra violari &c. Datum 8. Idus Iunij Romæ Valent. Aug. 6. Conſ.] Hæc Imperator, quo teſtimonio neſcio quid proferri poſſit illuſtrius pro primatu vniuerſali tam Petri, quàm Papæ.

Cum ergo talia ſint Anonymi diuerticula, mitari deſine Lectot, ſi in hoc certamine non faciem, ſed perſonam geſtarit.

CAPVT IV.

Sanctum Cyprianum, quem ſibi allegat Aduerſarius, ſtare pro Petri Primatu.

SIcut perpetuo, & vnluerſali Patrum conſenſu receptum in Eccleſia eſt, quòd Petrus inſtitutus à Chriſto, ſit Princeps Apoſtnlnrum, omnium Epiſcoporum primus, & ſupremus cum ampliſſima poteſtate in Eccleſiam vniuerſam in Apoſtolos ipſos: ità de modo, & tempore, quo id factum à Chriſto ſit, Doctorum Virorum ſententiæ variæ ſunt. Cenſent nonnulli Petrum ſolum Epiſcopatu initiatum à Chriſto, & ab eo omnes Apoſtolos, alij è contra, Apoſtolos omnes à Chriſto. Arbitrantur alij omnem poteſtatem regimiuis politici, ſiuè, vt vocant, iuriſdictionis in foro exteriori à Chriſto immediatè datam vni Petro, & ab ipſo cnmmunicatam cœteris Apoſtolis. Alij Chriſtum ipſum omnibus Apoſtolis perindè, ac Petro contuliſſe, quicquid poteſtatis habere, eis tamen omnibus caput, & principem couſtituiſſe Petrum.

Plerique Sanctorum Patrum aiunt primatum Petro delatum Matth. 16. verbis illis: [Tu es Pettus, & ſuper hanc petram, &c.] Alij non datum hoc loco, ſed promiſſum dumtaxat, datum verò Ioan. 21. per verba, [paſce oues meas, &c.] Priorem ſententiam ſequuntur, Tertullianus, Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus, Hilarius, Chryſoſtomus, Cytillus Alexandrinus, Damaſceuus, Sanctus Laurentius Iuſtinianus, Sanctus Thomas. Poſteriorem Hieronymus, Baſilius, Cyrillus item Alexandrinus, Euthimius, Gregotius Magnus, Sanctus Thomas. In poſteriorem ſententiam frequentiores eunt ſcriptores æui poſterioris; at prior magis vſurpata Pontificibus, qui ad hunc potiſſimum locum communitèr referunt primatum Eccleſiæ Romanæ. Ità Anacletus, Alexander, Pius primus, & Pius ſecundus, Victor, Iulius primus, Damaſus, Gelaſius, & pletique omnes. Facilè tamen conciliari poſſunt vtręque aſſertiones, ſi vtrobique aliquid conceſſum Petro à Chriſto dicamus; primo loco deſignatum, ſiue electum caput totius Eccleſiæ, & ptincipem; poſteriori ordinatum, collata ei executione paſtoratus ſui. His de rebus nil certi definitum ab Eccleſia, & variæ tum rationes, tum auctoritates pro vnaquaque ſententia afferri ſolent. Neque deſunt id genus ſexcenta, in quibus quid factum ſit, fide certum habetur, modus, quo factum ſit, & aliæ citcumſtantiæ inueſtigantur, & exercent quotidie ingenia Cathnlicorum, dum citra iacturam fidei vnicuique abundare ſas eſt in ſuo ſenſu.

Multa quidem Cyprianns dicit, multa Hieronymus, & alij, quæ in omnes harum controuetſiarum partes facilè flecti poſſunt; at Primatum Petri, & ſucceſſorum eius omnes vbique aſſerunt conſtantiſſimè, & Cyprianus præſertim in libello de vnitate Eccleſiæ, ex qno Anonymus objicit hoc teſtimonium:

[Loquitur Dominus ad Petrum: Tu es Petrus, &c. ſuper vnum ædificat Eccleſiam, & quamuis Apoſtnlis omnibus poſt Reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat, Sicut miſit me Pater, ego mitto vos, &c. tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc vtique erant cæteri Apoſtoli, quòd Petrus fuit, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia vna monſtretur.] Arreptis duabus huius teſtimonij particulis Hæretici Primatum Petri, & imparitatem Apoſtolorum impugnant. [Quamuis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem parem poteſtatem tribuat, &: Hoc erant cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis.] Verùm ſi attentè conſideremus Cypriani tum verba, tum mentem, ex hoc loco euidentiſſimè colligemus Primatum Petri.

Cyprianus adhortaturus Carthaginenſes ſuos ad vnitatem Eccleſiæ, quæ occaſione Schiſmatis Nouatiani in Africa diſtrahebatur, hoc eos potuſſimum argumento vrgee, quòd vnitas Eccleſiæ pendet ab vnione cum Csthedra Petri, quæ omnium Eccleſiarum eſt matrix, & radix. Eum proindè, qui aut Cathedram Petri deſerat, aut alium Epiſcopum ſequatur, quàm eum, qui à Romana Cathedra profectus eſt, & cum Romana Cathedra ſentit, hunc non magis eſſe in Eccleſia, quàm ramum in arbore, quem à trunco, & à radice diuellas.

Dixerat, quòd Dæmon videns idola derelicta, [hæreſes inuenit, & ſchiſmata, quibus ſubuerteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet vnitatem. Quos detinere non poteſt in viæ veteris cæcitate, circumſcribit, & decipit noui itineris errore. Rapit de Eccleſia homines, & dum ſibi appropinquaſſe iam lumini, atque euaſiſſe ſæculi noctem videntur, alias neſcientibus tenebras rursùs infundit, vt cum Euangelio Chriſti, & cum obſeruatione eius, & lege non ſtantes Chriſtianos ſe vocent, & ambulantes in tenebris, habere ſe lumen exiſtiment.] Vndènam verò tot malorum origo? [Hoc eò fit, fratres dilectiſſimi, inquit, dum ad veritatis originem

nem non reditur, nec caput quæritur, nec magiſtri Cęleſtis doctrina ſeruatur, quæ ſi quis conſiderer, tractatu longo, atque argumenris opus non eſt. Probatio eſt ad fidem facilis compendio veriraris.]

Quonam Compendium iſtud, quo tanta cum facilitate fidem ab hereſi, & Catholicos à ſchiſmaticis ſecernamus? [Loquitur Dominus ad Perrum: Ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam, & tibi dabo claues, &c. Et iterum eidem poſt Reſurrectionem ſuam dicit: paſce oues meas, ſuper illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas.] Si ergo ſuper vnum Petrum ædificat Eccleſism Chriſtus, quid tu Anonyme alios vndecim adhibes? Si ouium ſuarum Chriſtus Petrum paſtorem inſtituit, & Apoſtoli omnes erant oues Chriſti, dum Apoſtolos omnes Petro æquales facis, non vides, te paſtori ſuo oues coæquare?

Cæterùm occurrebant duæ obiectiones contra hanc Cypriani doctrinam, quòd ab vno Petro Chriſtus voluerit Eccleſiam totam pendere. Prima, quòd licèt Chriſtus aliquando magna conceſſerit Petro, ei tamen poſt Reſurrectionem æquauerit omnes Apoſtolos, dicens: [Sicut miſit me Pater, &c.] Secunda, quòd etiam cęteri Apoſtoli eſſent idem quod Petrus, presbyteri vt Petrus, Epiſcopi vt Petrus, Apoſtoli vt Petrus, pares proindè Petro, honore, & poteſtate. Vtramque diluit Cyprianus, primamque his verbis:

[Et quamuis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem parem poteſtatem tribuat, & dicat, Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, tenebuntur, tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnam Cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit.] Hęretici non ſolutionem obiectionis, quæ Cypriani eſt, ſed obiectionem, quam Schiſmaticorum nomine ſibi facit, arripiunt, & quaſi Sanctus Pater Nouatianis illa arma ſuggereret, quæ ex eorum manibus extorquebat, eius auctoritate nobis inſultant. At ſi aduertiſſent illam aduerſatiuam, tamen, & quæ ſequuntur, vidiſſent etiam, Cyprianum paritati, quam vellent, refragari, non ſuffragari. Reſpondet igitur Cyprianus, quòd licèt illa poteſtas, quæ data eſt per verba, [Sicut miſit me Pater, &c.] par in omnibus Apoſtolis fuerit; cum in ea conferenda nihil diſtinxerit Chriſtus inter Petrum, & alios, non tamen ideò auctoritate Chriſti duodecim Cathedræ Apoſtolicæ inſtitutæ fuere, ſed vna tantùm, & hæc Petri; vndè reſtabat, quòd cæteri tunc æquati non fuerint Petro. Cur autem non plures, ſed vnam tantùm Cathedram auctoritate ſua Chriſtus conſtituit? Reſpondet Cyprianus, id proptereà factum, vt manifeſtaret vnitatem; & vnitatis eiuſdem Cathedræ, ſcilicet originem ab vno incipientem.] Quid verò hæc verba velint ſibi, & hęc ratio ſubobſcura, neque hæreticis peruia, ex ipſo Cypriano explicandum eſt.

Eccleſiam vnam, Epiſcopatum vnum, & Cathedram vnam in vniuerſa Eccleſia Cyprianus eſſe contendit, eo tamen genere vnitatis, quod ſumitur ab origine vna: qua potiſſimùm ratione plures homines ab eodem ſemine propagatos vnam familiam, & vnum genus appellare ſolemus. [Nemo, inquit hic, fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat. Epiſcopatus vnus eſt, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur, Eccleſia quoque vna eſt, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur.] Sed qua ratione Epiſcopatus eſt vnus? Eccleſia vna? audi: quomodo ſolis multi radij, ſed lumen vnum. Et rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum. Et cum de fonte vno riui plurimi defluunt, numeroſitas licèt diffuſa videatur exundātis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine. Et infrà: Sic & Eccleſia Domini luce perfuſa per orbem totum radios ſuos porrigit, vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur. Ramos ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit. Profluentes largiter riuos latiùs expandit, vnum tamen caput eſt, & origo vna, & vna mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa. Illius fœtu naſcimur, illius lacte nutrimur, ſpiritu eius animamur. [Vides itaque Epiſcopatum, & Eccleſiam à Cypriano rebus illis conferri, quę vnæ ſunt in origine, licèt multiplicentur in propagatione. Ex quo efficitur, vt à Chriſto conſtitutus fuerit vnus Epiſcopus, à cuius Sede veluti à matre fœcunda cæteri omnes Epiſcopi procrearentur, & ad quem tanquam ad primum caput, & fontem Epiſcopatus omnes, Cathedræ omnes referrent originem ſuam. Is verò Petrus fuit, vt paſſim docent Patres. Quare Romanam Cathedram Cyprianus appellare ſolebat radicem, & matricem Eccleſiæ Chriſti. Sic lib. 2. ep. 10. ad Cornelium Rom. Pont. de Nouatiano Antipapa ſcribens: [Diuerſæ partis, inquit, obſtinata pertinacia non tantùm radicis, & matricis ſinum, atque complexum recuſauit, ſed etiam adulterum, & contrarium caput in Eccleſia fecit, & lib. 4. ep. 8. Singulos nauigantes hortati ſumus, vt Eccleſiæ Catholicæ radicem, & matricem agnoſcerent, & tenerent. Quare lib. 1. ep. 3. Romanam Eccleſiam appellat Petri Cathedram, & Eccleſiam principalem, vndè vnitas ſacerdotalis exorta eſt, & ep. 40. Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & Eccleſia vna, & Cathedra vna ſuper Petrum Domini voce fundata.] Quare dum Cyprianus dicebat, quòd Chriſtus, vt vnitatem manifeſtaret, vnam cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit, hoc vnum dicere volebat, Chriſtum ideò vnam Petri cathedram conſtituiſſe, vt indicaret, quæ, qualiſque futura eſſet Eccleſiæ ſuę vnitas, & à qua cathedra, tanquam à capite, & origine prima in Eccleſia vniuerſa eadem Epiſcopatus, & cathedrę vnitas petenda eſſet. Cyprianum explicaſſe videtur Optatus: [Negare non potes, inquit, ſcire te, in Vrbe Roma Petro primò cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus; vndè & Cephas appellatus eſt, in qua vna cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas

gulas

gulas ſibi quiſque defenderent, vti iam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram alteram collocaret.] A prima obiectione ad ſecundam pergit, & Nouatiani nomine, inquit Cyprianus: [Hoc erant vtique cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis: cui reſpondet: Sed primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & cathedra vna monſtretur.] Quaſi dicat: quomodo Apoſtoli omnes erant, quod fuit Petrus, quomodo æquales ei in honore & poteſtate, ſi ad conſtituendam Eccleſiæ, & Cathedræ vnitatem Petro ſoli primatus datus eſt? Ità locus iſte legitur in vetuſto Codice Cambronenſi, vt teſtatur Pamelius in notis ad librum iſtum num.14. At aliter alij. Pamelius, [Sed exordium ab vnitate proficiſcitur. Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & cathedra vna monſtretur.

Alij Codices, quos probant hæretici, neque reijciunt catholici: [Sed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia vna monſtretur.] Sola iſta lectio placet hæreticis, quòd in ea non vident expreſſum nomen primatus Petri. At repetant principia Cypriani, & viderint ineſſe cum non minùs in hac, quàm in cæteris lectionibus. Cyprianus omnes Epiſcopatus vnum Epiſcopatum eſſe dicebat, quia ab vno primo Epiſcopo propagati; omnes cathedras vnam, quia ab vna Petri cathedra deriuatæ, quàm ſolùm ab initio auctoritate ſua Chriſtus conſtituit. Perindè igitur eſt, ac ſi Nouatianis diceret: Dicitis, Apoſtolos omnes idem fuiſſe, quod Petrus, eique pares honore, & poteſtate, ſed ſi ab exordio vna tantùm cathedra conſtituta, vnus tantùm Epiſcopus ordinatus, vt etiam Eccleſia vna monſtraretur, quomodo vos non pudet hæc effutire? adeònè ſtupidi eſtis, vt ambarum aſſertionum repugnantiam non intelligatis?

Non ouum ouo ſimilius, quàm huic obiectioni ex auctoritate Cypriani altera ex auctoritate Sancti Hyeronimi libro primo aduerſus Iouinianum, cuius verba hæc nobis opponunt hæretici: [Super Petrum fundatur Eccleſia, licèt id ipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni Cœlorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur, &c.] at verba hæc non ſunt ſancti Hieronymi, ſed Iouiniani, vt nunc oſtendo.

Pro Nuptijs contra Virginitatem ſcribens, eo potiſſimùm argumento vtebatur Iouinianus, quòd cum duodecim eſſent Apoſtoli, & ex eis Petrus coniugatus, Ioannes Virgo, non Ioanni, ſed Petro coniugato, non virgini Principatus Apoſtolicus delatus eſt. Audi Hieronymum: At dicis: [Super Petrum fundatur Eccleſia, licèt idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat; & cuncti claues Regni Cœlorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt Capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio: ſed cur non Ioannes electus eſt Virgo?]Hoc totum argumentum Iouiniani, cui reſpondet Hieronymus, non nuptijs, ſed ætati delatum eſſe.

Si verò, quæ ex hæreticorum, & ſchiſmaticorum perſona Patres dicunt, accipiantur tanquam ab eis dicta ex propria ipſorum ſententia, non tantùm Primatus Petri, ſed tota Chriſti fides ex ſcriptis Patrum, quàm celerrimè diruetur. Si tamen pertinaciter vellit hæreticus vtrumque teſtimonium dictum ex mente Patrum, non ex hæreticorum perſona, non repugnabo, verùm illi ego varijs Catholicorum reſponſionibus occurram. Sancti Thomæ: Apoſtolos pares fuiſſe Petro in executione auctoritatis, non in auctoritate regiminis. VValdenſis: honore & poteſtate Apoſtolatus, non auctoritatis Iuriſdictione. Sanderi, Bellarmini, Stapletonis: Apoſtolica auctoritate reſpectu populi Chriſtiani, non pares inter ſe. Cardinalis de Turrecremata, & Auguſtini de Ancona, poteſtate ordinis, non poteſtate iuriſdictionis: Pighij, ratione actum & effectum in fideles, non menſurà, ac plenitudine poteſtatis. Stapletonis iterum, Poteſtate extraordinaria, non ordinaria. Caietani, in quantùm Apoſtolos, non in quantùm oues Chriſti.] Quæ omnes ſi non in vnam, ad ſummum in duas recidunt ſententias, quatenus vel mediante Pontifice Petro, vel immediatè à Chriſto poteſtatem regiminis Politici reliquis Apoſtolis omnes collatam putant. [Sed redeamus ad Cyprianum, & ad Compendioſam illam probationem, quā promiſerat, quæ hæc eſt: Eccleſia vna eſt, quia Caput, radix, & fundamentum eius vnum eſt; ſcilicet Petri ſedes, in qua vniuntur omnes Eccleſiæ particulares. Epiſcopatus vnus eſt, quia omnibus Epiſcopis vnum glutinum eſt Petri ſucceſſor, à quo originem ducunt. Itaque ſi Epiſcopus, aut ab Eccleſia Romanà diuiſus ſit, aut aliundè profectus, quàm à ſede Petri, hunc impoſſibile eſt aut verum Epiſcopum eſſe, aut in Eccleſia. [Qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit; inquit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? Et alibi ad Corn. Rom. Pont. Hortati ſumus, vt te vniuerſi collegæ noſtri, & communicationem tuā, id eſt, Catholicæ Eccleſiæ vnitatem pariter, & charitatem probarent firmiter, & tenerent. Et rurſùm: Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & Eccleſia vna ſuper Petrum Domini voce fundata. Aliud altare conſtituit, aut ſacerdotium nouum fieri præter vnum altare, & vnum ſacerdotium non poteſt, quiſquis alibi colligit, ſpargit.] Ergò regula Cypriani, qua ſine argumentis vnuſquiſque ſecernere poteſt Catholicos ab hæreticis, & ſchiſmaticis, eſt, conſiderare, an vnitatem conſeruent cum ſede Petri, cui in Eccleſia vniuerſa Redemptor noſter commiſit vices ſuas. Neque enim, vt alibi dicebat, [aliundè hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, quam indè, quòd ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnius in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur.]Si verò Cypriano primum principium, & inſtar axiomatis eſt, vt quiſquis à Romana Eccleſia diffidet, is tanquam diuiſus à capite, radice, & matrice Eccleſiæ Chriſti, ab ipſa quoque Eccleſia, & à Chriſto ipſo diuiſus ſit, videat Anonymus, quàm prouidentia, & ſcitè ad Cyprianum tanquam ad Apoſtaſiæ ſuæ patronum prouocarit.

Tacendum non eſt, quòd hæreticis, quos ſectatur Anonymus, ea ſententia placet, quæ

pote-

poteſtatem Petro promiſſam Matth. 16. non datam aſſerit, niſi Io. 21. per verba: paſce oues meas. Cyprianum verò cum alijs Patribus interpretantur de Primatu temporis, non de Primatu Iuriſdictionis & Poteſtatis, vt dicere voluerit, vnum Petrum à Chriſto Epiſcopum ordinatum ante alios Apoſtolos, & datas vni illi claues ab initio, vt quaſi tropologicè Eccleſiæ Catholicæ vnitas deſignaretur. Verùm poſt æquatos eſſe ei omnes Apoſtolos, dum coniunctim omnibus à Redemptore noſtro dictum eſt, Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, &c. Cæterùm prior aſſertio pugnat cum Cypriano; poſterior cum Euangelio, & altera alteram deſtruit.

Pugnat illa cum Cypriano, qui relatis Chriſti verbis Matth. 16. adiecit: Super illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, de præſenti, non de futuro. Vndè ep. 55. expendens ea verba Petri ad Chriſtum: Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, &c. Ioan. 6. inquit: Petrus tamen, ſuper quem ædificata à Domino fuerat Eccleſia, vnus pro omnibus loquitur, & Eccleſiæ voce reſpondens ait, Domine, &c. Et epiſt. 69. Loquitur illi Petrus; ſuper quem ædificata fuerat Eccleſia.]

Pugnat iſta cum Euangelio, quæ enim communiter Petro, & cæteris dicta ſunt: Sicut miſit me Pater, &c. habentur Ioannis 20. quando diſcipulis domi congregatis poſt Reſurrectionem Saluator primùm apparuit. Quę verò Petro ſoli: Paſce oues meas, referuntur cap. 21. quando tertia vice eiſdem piſcantibus ad mare Tiberiadis Dominus oſtendit ſe. Quomodo ergo Claues priùs à Chriſto conceſſæ ſunt Petro, & alijs poſt: Si illis prima vice, Petro tertia, illis c. 21. conceduntur? Et ſi Apoſtoli Epiſcopi ordinati ſunt Io. 20. verbis illis: Accipite Spiritum S. &c. Petrus verò Primatum ſuum accepit Ioan. 21. per verba: Paſce oues meas, quomodo hunc Primatum temporis appellare non pudet? Forſan apud hæreticos, quibus omnia peruerſa ſunt, etiam numeris tertius primùm, & vigeſimus primus numerum vigeſimum anteuertit? Imò ſi paſtoralis dignitas, & poteſtas regiminis politici Petro conceſſa non eſt, niſi cum Symbolo paſtoris, tertia apparitione, & cap. 21. Euangelij Ioannis, quando vnquam poſt alij quoque Apoſtoli eam acceperunt à Chriſto, ſi poſt hanc apparitionem in toto Euangelio nullus occurrit locus, vndè aliquid ſimile coniectare poſſimus? Aliter certè cenſuit Optatus, qui contra Parmenianum Cyprianum Imitatus lib. 7. dixit: [Bono vnitatis B. Petrus, cui ſatis erat, ſi poſt quòd negauit, ſolam veniam conſequeretur: & præferri Apoſtolis omnibus meruit, & claues regni Cœlorum cæteris communicandas ſolus accepit. Et vt omnem tolleret ambiguitatem, paulò poſt ſubiecit: Stante tot innocentes, & peccator accipit claues. Vt vnitatis negotium formaretur, prouiſum eſt, vt peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores. Et Sanctus Leo: Si quidem cum eo (Petro) cæteris voluit commune eſſe Principibus, non niſi per ipſum dedit, quicquid alijs non negauit. Et vt alios omittam) vtrumque ſequutus Angelicus Doctor: Quia præſentiam corporalem erat Eccleſiæ ſubtracturus, oportuit, vt alicui committeret, qui loco ſui vniuerſalis Eccleſiæ curam gereret. Hinc eſt, quòd Petro dixit ante aſcenſionem, paſce oues meas, Io. vlt. & ante paſſionem: Tu iterum conuerſus, confirma fratres tuos, Luc. 22. & ei ſoli promiſit: Tibi dabo claues Regni Cœlorum, vt oſtenderetur poteſtas clauium per eum ad alios deriuanda ad conſeruandam Eccleſiæ vnitatem.]

CAPVT VI.

Lucij Papæ ſententia non eneruari, ſed confirmari, comprobarique Petri Primatum.

FRequenter mihi audire videor, Rullum pro lege Agraria, de quo Cicero: Poſtquam, inquit, [benè longam Orationem habuiſſet, tanta ex frequentia inueniri nemo potuit, qui intelligere poſſet, quid diceret. tamen ſi qui acutiores in concione ſteterat, de lege Agraria neſcio quid illum voluiſſe dicere, ſuſpicabantur. Sic etiam in teſtimonio Lucij ſuſpicatus ſum, Anonymum, vt euaderet auctoritatem Matthæi, voluiſſe dicere neſcio quid contra Primatum Petri; quid dixerit, audi tu lector.

Item probatur: quia verba Chriſti, Ego pro te rogaui, vt non deficeret fides tua, interpretata ſunt de Eccleſia, quia fides Eccleſiæ nunquam deficit, neque errare poteſt c. à. recta 24. q. 1. & probat Archidiaconus in cap. ita Dominus diſt. 19. Hæc Anonymus.

Nos verò, vt aliquid dicamus ad ea, quæ Anonymum voluiſſe dicere ſuſpicamur, Fide certi ſumus, quòd priuilegium Petro à Chriſto conceſſum, non illi vni tantùm, ſed etiam ſucceſſoribus eius conceſſum eſt, contra quam opinatur Lutheus. Eoſque omnes nunc nomine Apoſtolicæ ſedis, nunc Eccleſiæ Romanæ, nunc Eccleſiæ Catholicæ nuncupamus, antiquorum Patrum veſtigijs inſiſtentes. Eſt enim priuilegium proprium Apoſtolicæ ſedis ex B. Petri ſucceſſione, vt quicunque in ea ſedet, à fide deficere nequeat. Hoc illud eſt, quod in cap. à recta aſſerit Lucius papa, & loco citato docet Archidiac. Verba papæ ſunt hæc: [Hæc ſancta, & Apoſtolica mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit, ſed vt in exordio fidei Chriſtianæ percepit ab auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus, illibata finetenus manet.] Hæc Lucius in cap. à recta, Anonymus probare, opinor, volebat, priuilegium Petro à Chriſto impetratum non competere Apoſtolicæ ſedi, ſed Eccleſiæ Chriſti vniuerſali, quæ complectitur omnes Eccleſias particulares. Allegat verò teſtimonium Lucij Papæ, qui apertè aſſerit hoc priuilegium competere Apoſtolicæ ſedi, quæ mater eſt omnium Eccleſiarum: Equidem hominem ſtupidiorem noui nunquam.

Et non intelligitur de fide Petri, qui in fide deficit; vel legitur Matth. cap. 16. & in

cap.

Digitized by Google

cap. fidelior diſt. 50. Ergo ſicut iſta verba in Petrum directa de Eccleſia intelliguntur, ità & illa: Tu es Petrus, de Eccleſia intelligenda ſunt.

Eſto, non à religione tantùm, ſed etiam à fide Petrus defecerit, (quod neque probari poteſt, & grauiſſimis viris negatur) nondum erat Epiſcopus vniuerſalis, cùm negauit, nondum oues ei ſuas commiſerat Chriſtus, priuiuilegium illud, quod ei oratione Domini impetratum eſt, fuit non perſonæ Petri, qua Petrus, ſed qua paſtor gregis Dominici, qua Epiſcopus Eccleſiæ vniuerſalis, qua Chriſti Vicarius, qua Summus Pontifex Chriſtianorum. Hæc vbi collata ſunt Petro, nunquam defecit, nunquam nutauit in fide. Quare non antè, ſed poſt conuerſionem fratres confirmare iubetur: quòd non antè, ſed poſt conuerſionem ad Pontificatum à Chriſto aſſumendus erat. Non dicit Chriſtus, [& tu antequam pecces, ſed tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Expreſſiùs ex Syriaco, quin & tu, quo tempore conuerſus fueris, confirma fratres tuos.] Quare cùm priuilegium illud annexum ſit gradui, & dignitati Eccleſiæ, non alij cuicumque conditioni perſonæ, veriſſimum eſt, quòd conceſſum eſt Eccleſiæ, non conceſſum perſonæ, quia non conceditur perſonæ, niſi in ordine ad Eccleſiam, & in ſumma Eccleſiæ dignitate conſtitutę.

Eſt itaque priuilegium Eccleſiæ, ſed in capite, non in corpore, niſi ex capite. Pari ratione, videre, audire, loqui, homini conuenit, at per caput dumtaxat, in quo vno omnium horum ſenſuum organa poſita ſunt.

CAPVT VI.

Petri Primatus probatur ex duabus reliquis particulis eiuſdem teſtimonij, & ex Ioann. vigeſimo primo: Paſce oues meas.

SAnctus Gregorius Magnus homil. 12. in Euangel. [Sciendum nobis eſt, inquit, quòd ſæpè in ſacro eloquio regnum cœlorum præſentis temporis Eccleſia dicitur: de quo alio in loco Dominus dicit; Mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, neque enim in illo regno Beatitudinis, in quo pax ſumma eſt, inneniri ſcandala poterunt, quæ colligantur. Et vndè rurſùm dicitur: Qui ergo ſolueris vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.] Quò pertinent parabolæ de ſagena, de zizania, aliæque permultæ communi omnium Patrum conſenſu ità explicatæ.

Clauium ſymbolo in ſacra Scriptura ſupremam poteſtatem ſignificari certum eſt. Quare Eſa. 22. minitans Deus, ſe deiecturum Sobnam Pontificem è loco ſuo, aliumque in locum eius ſuffecturum, inquit: [Quid tu hìc? aut quaſi quis hìc? & infrà: & expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam te, & erit in die illa. Vocabo ſeruum meum Eliacim filium Helciæ, & induam eum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manu eius, & erit quaſi pater habentibus Hieruſalem, & Domui Iuda, & dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius, & aperiet, & non erit, qui claudat, claudet, & non erit, qui aperiat. Hinc de Chriſto Ioan. Apocal. 3. Hęc dicit Sanctus, & verus, qui habet clauem Dauid, qui claudit, & nemo aperit, aperit, & nemo claudit: & cap. 1. Chriſtus ipſe de ſe: Ego, inquit, ſum primus, & nouiſſimus, & viuus, & fui mortuus, & ecce ſum viuus in ſæcula ſæculorum, & habeo claues mortis & inferni,] ſupremam ſcilicèt poteſtatem. Neque apud ſacros auctores dumtaxat, ſed etiam apud profanos hoc ſenſu claues acceptas reperias. Sic Orphæus apud Stobæum ſerm. 50. amorem inuocat [claues habentem omnium, cœleſtis ætheris, Ponti, terræ, tartari, ſolus enim iſtorum omnium imperium obtines.]

Quare dum Chriſtus ad Petrum ait; Tibi dabo claues regni cœlorum, perinde eſt, ac ſi dicat, Conſtituam te ſupremum caput, & Principem Eccleſiæ meæ.

Poteſt & magis propriè regnum cœlorum accipi pro Paradiſo cœleſti. Et quia extra Eccleſiam nemo ſaluari poteſt, idcircò rectè dicitur, quòd per ingreſſum, & egreſſum Eccleſiæ, aut patet, aut clauditur aditus ad regna cœlorum, Qui ergo in terris habet claues regni cœlorum, eum ſupremam in Eccleſia poteſtatem habere neceſſe eſt. An vni Petro hìc promittuntur à Chriſto: vnus igitur Petrus deſignatur à Chriſto Eccleſiæ militantis cum ſuprema poteſtate caput.

Id ipſum exprimit tertium ſymbolum Chriſti: [Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cęlis.] Ligant, non funibus certè, ſed poteſtate, & auctoritate Principes, iubendo ſcilicet, vetando, leges ferendo; hinc à ligando, obligatoria legum, paſſimque, & vulgò vſurpatur ligare, pro obligare. Dum ergo vniuerſim, & abſque vlla prorsùs exceptione Petro dicit Chriſtus: [Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis:] quid aliud hoc eſt, quàm ei poteſtatem primam, ſummamque à Deo in omnibus rebus mundi polliceri? Certè, qui terram ſimpliciter dicit, non regionem vllam peculiarem Petro præſcribit; & qui quodcunque ait, ſi non mentitur, quicquid ligari poteſt, & ſolui iure religionis, id omne Petro permittit. Summum in terris regimen, quod Petro hìc pollicitus eſt Chriſtus, expreſsè conceſſit ei Ioann. XXI. [Factum, quod ab Euangeliſta refertur hunc in modum: Cùm ergo prandiſſent, dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis diligis me plus his? dicit ei, etiam Domine, tu ſcis, quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos: Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me plus his? ait illi, etiam Domine, tu ſcis, quia amo te. Dixit ei: Paſce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me? & dixit ei: Domine omnia tu ſcis: Tu ſcis, quia amo te. Dicit ei: paſce oues meas:] Quo ex loco regimen vniuerſale Petri, hunc in modum colligimus: Qui paſcit oues, non eſt ouis, ſed paſtor: Beatum Petrum oues ſuas paſcere iubet Chriſtus: Quare ad omnes fideles voluit Petrum habere

ſe

ſe tanquam paſtor ad oues, & viciſſim omnes fideles ad Petrum, perindè ac oues ad Paſtorem ſuum. Ergò aut Petrum omnibus Chriſtianis à Chriſto præpoſitum eſſe fatendum eſt, aut negandum, Paſtorem ouium regimini præſidere.

Æſtuant hic hæretici, tergiuerſantur. vertunt ſe in omnem partem, vt euadant, Negant nonnulli, paſcere, ſignificare, regere, & præeſſe; ita Lutherus; ſed eum hic deſerit Anonymus, non ignorans, quòd Paſtor, & Princeps, paſcere, & regere ſunt verba ſynonyma, tam apud ſacros, quàm apud prophanos auctores. Populus congregatus ad Dauid in Hebron dixit: [Tibi dixit Deus tuus: Tu paſces populum meum Iſrael, & tu eris Princeps, & Dux ſuper eum. Ezechiel. 33. Et ſuſcitabo ſuper pecora mea paſtorem vnum, qui paſcat ea, ſeruum meum Dauid, & ipſe paſcet ea, & ipſe erit eis in Paſtorem: De quo etiam Pſal. 77. Suſtulit eum de grege ouium, & de poſt fœtantes accepit eum; paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam: Eſaiæ 44. Qui dico Cyro, paſtor meus es: S. Cyrillus Alex. loquens de Abel primo paſtore ouium ait: Perindè enim, atque homines regeret, rem ipſam ſumma cum ſapientia exercebat; ob quam etiam cauſam præſules quoque gentium, Ciuitatum, populorumque, tam Scriptura ſacra, quàm Gentiles ipſi Paſtores ſoliti ſunt appellare. Quare Socrates apud Platonem in Minoe; Quòd Minos vir bonus, vt ſuprà diximus, atque legitimus populi paſtor fuerit, leges eius argumento ſunt, quæ immutabiles perſeuerant, vtpotè vera Ciuitatis gubernatione reperta, & infrà: Iſti ergo priſcorum omnium legumlatores excellentiſſimi fuerunt, hominumque paſtores, quemadmodum, & Homerus bonum exercitus Ducem paſtorem populi nuncupat: & tandem: Si poſt hoc ex nobis quærat, quidnam bonus animæ legislator, & paſtor animę adhibens, atque impertiens meliorem efficit, quid nos huic potiſſimùm reſpondebimus, vt minùs de nobis ipſis, deque ætate noſtra erubeſcamus? Hac de cauſa S. Petrus: Nunc autem conuerſi eſtis ad paſtorem, & Epiſcopum animarum veſtrarum,] ad Chriſtum nempè, qui paſtorem, & paſtorem bonum frequentèr appellabat ſeſe, ſubditos verò ſuos, oues, & agnos ſuos. Dum ergo Epiſcopus, & Paſtor noſter Chriſtus aſcenſurus ad Patrem, ſemel, iterùm, tertiò ouium, & agnorum ſuorum Petrum paſtorem inſtituit, deferre ei hoc ſymbolo vices ſuas, ſupremum ſcilicet, & vniuerſalem Eccleſiæ principatum, ità planum, ità conſonum vero videtur, vt ne Anonymus quidem auſus ſit id negare.

Aliud tamen cum Caluino, & Marſilio ſibi diuerticulum quærit. Petrus, inquit, non perſonam Petri ſignificabat, & repræſentabat, quando dixit ei Chriſtus: [Paſce oues, paſce agnos,] ſed omnes Paſtores, ſed Eccleſiam vniuerſalem, ſed Coapoſtolos ſuos, quibus in Petro tunc datum paſcendi ius eſt.

Cęterùm ſi Chriſtus eamdem poteſtatem cæteris tribuere volebat, quam tribuit Petro, cur eum ab alijs condiſcipulis diſtinguit? cur dicit ei, diligis me plus his? ſi poteſtate omnes Apoſtolos pariat, cur imparem à Petro dilectionem requirit? cur non communis alicuius virtutis, ſed indiuiduæ, & in præmium ſingularis dilectionis Petri Petro conſequentèr ſubiungit, paſce oues meas? Si hoc eſt conſequens exceſſus amoris antecedentis, vbi antecedens non eſt, quanam methodo conſequens reperietur? Si non committebantur Apoſtoli Petro, cur ab ouium numero, quas Petro committebat, eos non excepit, ſed vniuerſim dixit, oues meas? meræ nugæ, meræ fugæ ſunt iſtæ: [Interroga patres tuos, & dicent tibi, maiores tuos, & docebunt te.]

Arnobius: Ecce, [Apoſtolo pœnitenti ſuccurritur, qui eſt Epiſcopus Epiſcoporum, & maior gradus redditur plorauti, quàm ſublatus eſt deneganti. Quod vt doceam, illud oſtendo, quòd nullus Apoſtolorum nomen paſtoris accepit; ſolus enim Dominus Ieſus Chriſtus dicebat: Ego ſum paſtor bonus. Me, inquit, ſequuntur oues meæ. Hoc ergo nomen ſanctum, & ipſius nominis poteſtatem poſt reſurrectionem ſuam Petro pœnitenti conceſſit, & ter negatus negatori ſuo banc, quam ſolus habuit, tribuit poteſtatem. Ambroſius: Is interrogatur, de quo non dubitatur, ſed Dominus non dubitat, qui interrogabat, non vt diſceret, ſed vt doceret, quem eleuandus in cœlum amoris ſui nobis velut Vicarium relinquebat; Sic enim habes: Simon Ioannis diligis me plus his, &c. & ideò, quia ſolus profitetur ex omnibus, omnibus anteſertur. Et infrà: Iam non agnos, vt primò quodam lacte paſcendos, nec ouiculas, vt ſecundò, ſed oues paſcere iubetur, perfectiores vt profectior gubernaret. Alibi verò, quiſnam fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore cibum? Non vilis hic ſeruus eſt, magnus aliquis eſſe debet. Eſt Petrus ipſius Domini ad paſcendum gregem iudicio electus, qui tertiò meretur audire: Paſce agniculos meos, paſce agnos meos, paſce ouiculas meas.] Certè ſi Petrus ſuper Chriſti familiam conſtitutus eſt, & Apoſtoli ſoli erant ex Chriſti familia, omnibus Apoſtolis præpoſitum fuiſſe neceſſe eſt.

Eucherius Lugdunenſis: [Dicit ei: paſce oues meas. Priùs agnos, deindè oues commiſit ei, quia non ſolùm paſtorem, ſed paſtorum paſtorem eum conſtituit. Paſcit igitur Petrus agnos, paſcit & oues, paſcit filios, paſcit & matres, regit & ſubditos, regit & prælatos. Omnium igitur paſtor eſt, quia præter agnos, & oues in Eccleſia nihil eſt.]

Arator:

——Nec deſerit artem
Per latices ſua lucra ſequens, cui tradidit agnus,
Quas paſſus ſaluauit, oues, totumque per orbem
Hoc auget Paſtore gregem, quo munere ſummus
Surgit, &c.

S. Bernardus: [Cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolutè, & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oues? Si me amas Petre, paſce oues meas. Quas? illius, vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certè regni? Oues meas inquit. Cui non planum non deſignaſſe aliquas, ſed aſſi-

gnaſſe omnes? Nihil excipitur, vbi diſtinguitur oihil. [Theophylactus hunc locum explicans: Petro, inquit, præpoſituram orbis terrarum tradidit, nec alij, ſed iſti ipſam dedit.] S. Ioanoes Chryſoſtomus: Quid tandem alijs omiſſis, his dumtaxat Petrum affatur? os erat diſcipulorum; & Princeps, propterea & Paulus eum præter alios viſurus aſcendit, ſimul vt ei oſtenderet iam ſibi fiduciam habendam, tanquam enim negationis obliuiſceretur, fratrum curam ei committit.] Si fratrum curam Petro committit Chriſtus, aut Apoſtoli Petri fratres noo ſunt, aut eorum cura committitur Petro. [Optatus Mileuitanus ratus ad eamdem dignitatem ſpectare ſymbolum Clauium Cœli, & muuus paſcendi gregem, ſuprà dicebat. [Stant tot Innocentes; & peccator accipit claues, ut vnitatis negotium formaretur, prouiſum eſt, vt peccatot aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores.] Obſignet hunc locum ſonimus idem, atque ſanctiſſimus Pontifex Gregorius Magnus: [Cunctis Euangelium ſcientibus liquet, quòd voce dominica, Sancto & omnium Apoſtolorum principi Petro Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Ipſi quippe dicitur, Petre amas me? paſce oues meas. Hom.16.ſuperMar.cap.16. Et alibi, conſiderandum nobis eſt, cur omoipoteos Deus eum, quem cunctæ Eccleſiæ præferre diſpoſuerat, ancillæ vocem pertimeſcere, & ſe ipſum negare permiſit. Quod nimirum magnæ eſſe actum pietatis diſpenſatione cognoſcimus, vt is, qui futurus erat paſtor Eccleſiæ, in ſua culpa diſceret, qualiter alijs miſereri debuiſſet. Prius itaque eum oſtendit ſibi, & tunc præpoſuit cæteris, vt ex ſua infirmitate cognoſceret, quàm miſericorditer aliena infirma toleraret.

Iam colligo, ſi dum Petro dicit Redemptor: [Paſce oues meas; eum præpoſuit cunctæ Eccleſiæ Paſtorem, qui ſe ipſum negauerat, vt ait Gregorius. Si ſtant tot innocentes, & peccatot ſolus accipit claues, vt ait Optatus, ſi alijs omiſſis illi fratrum curam committit, cuius negationem obliuiſcebatur, vt ait Chryſoſtomus, ſi abſolutè, & indiſcretè Petro totæ commiſſæ ſunt oues abſque vlla prorſus exceptione, vt ait Bernardus, ſi nulli alij, ſed Petro ſolo tradidit præpoſituram Orbis terrarum, vt ait Theophylactus, ſi omnes oues, quas paſſus, ſaluauit, Petro committit tanquam ſummo Paſtori, vt ait Arator, ſi Petrum paſtorem paſtorum inſtituit, eique quicquid in Eccleſia continetur, totum ſubiecit, vt ait Eucherius. Si qui ſolus pro omnibus profitetur, ſolus omnibus antefertur, vt ait Ambroſius. Si demùm, quam poteſtatem ſolus ſaluator habuit, eam omnem negatori ſuo Petro conceſſit, vt ait Arnobius, audebis ne tu contra tot, ac tantos Catholicæ fidei Doctores, & defenſores negare eiſdem verbis ſoli Petro ſummam Eccleſiæ poteſtatem collatam?

CAPVT VIII.

Eaſdem auctoritates Petro primatum tribuere etiam ex illis teſtimoniis Sanctorum Patrum, quæ obycit aduerſarius.

ANonymus Marſilium, Lutherum, & Caluinum ſequutus, hæc apertiſſima teſtimonia ſcripturæ ſacræ Auguſtini auctoritate eludere conatur hunc in modum.

Neque dici poteſt, Petro ſuper alios Apoſtolos poteſtatem datam eſſe à Chriſto Io. cap. vlt. per illa verba, Simon Ioanois diligis me plus his? vbi per ſingula dicebat Dominus Ieſus Petro diceuti. Amo te, paſce oues meas, paſces Agnos meos. Nam D. Auguſtinus in ſermone de Vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli; [in vno Petro, ait, figurari voitatem omnium paſtorum, ſeu bonorum, qoi ſciant oues Chriſti paſcere Chriſto, non ſibi. Idem ſuper Io. tract.50. cap.12. Quodcunque ligaueris ſuper Terram, erit ligatum & in Cœlis. Si hoc tantùm Petro dictum eſt, non facit Eccleſia. Et paulò infrà. Si ergò hoc in Eccleſia fit, Petrus, quando claues accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificauit: ſi in Petri perſona ſignificati ſunt in Eccleſia boni; in Iudæ perſona ſignificati ſunt in Eccleſia mali.] Qui textus io decreto Gratiani poſitus eſt in 24. cauſa, quæſt. 1. cap. 6. Idem Auguſtinus in ſerm. 10. ſuper Io. loquendo de poteſtate ligandi, atque ſoluendi dicit. [Hoc Petrus pro omnibus tanquam perſonam vnitatis accepit, & iterum in lib. de Agone Chriſtiano, cap. 30. Non ſine cauſa inter omnes Apoſtolos Eccleſiæ perſonam ſuſtinet Petrus, huic enim Claues Regni Cœlorum datæ ſunt, & cùm ei dicitur, omnibus dicitur. Amas me, paſce oues meas. Et in cap. 31. ſubijcit. Nec eos audiamus, qui negant Eccleſiam Dei omnia peccata poſſe dimittere. Itaque miſeri, dum in Petro petram non intelligunt; & nolunt credere eſſe datas claues Regni cœlorum, ipſi eas de manibus amiſerunt. Et ſuper pſalm 108. dicit, ſunt quædam, quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videntur, nec tamen illuſtrem habent intellectum, niſi cùm ad Eccleſiam referuntur; cuius ille agnoſcitur in figura geſſiſſe perſonam. Item in lib. 2. quæſtionum veteris & noui Teſtamenti quæſt.79. dicit, quod in Concilio generali per hæc verba definitum eſt, & hoc vtique ſacramentum nemo poteſt conficere, niſi ſecundùm claues Eccleſiæ ordinatus fuerit, quas ipſe conceſſit Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Ieſus Chriſtus, & habetur in cap. 1. in fin. de ſumma Trinit. & fid. Cathol. & nonnullis interiectis inducit aliud eiuſdem Patris teſtimonium lib. 7. de Baptiſmo, cap. 51. Quæ domus claues accepit, ac poteſtatem ligandi & ſoluendi, hanc ſi quis corrigentem, corripientemque contempſerit, ſit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus.] Hæc Anonymus.

Cui occurro iiſdem verbis, quibus Auguſtinus Iuliano Pelagiano, qui contra doctrinam Catholicam de peccato originali citauerat ſibi aliquot teſtimonia Sancti Ioannis

Chry-

Digitized by Google

Chryſoſtomi; poſtquam enim Auguſtinus pro peccato originali produxit ſex grauiſſimos patres, [Itane, inquit, iſta verba Sancti Ioannis Epiſcopi (dicam ego Sancti Auguſtini Epiſcopi) audes tanquam è contrario, tot, tantiſque ſententijs Collegarum eius opponere, eumque ab illorum concordiſſima ſocietate ſeiungere, & eis aduerſarium conſtituere; Abſit, abſit, hoc malum de tanto viro credere, aut dicere. Abſit inquam vt ſanctus Auguſtinus de poteſtate Petri tot, ac tantis Coepiſcopis ſuis reſiſtat. Alia ſunt, in quibus inter ſe aliquando etiam doctiſſimi, atque optimi regulæ Catholicæ defenſores ſalua fidei compage non conſonant, & alius alio de vna re melius aliquid dicit, & verius. Hoc autem, de quo nunc agimus, ad ipſa fidei pertinet fundamenta.] Hæc (mutatis cauſæ, & auctorum nominibus) in Anonymum Auguſtinus, cuius mentem, vt aſſequamur in teſtimonijs dicendis, ea præmonere neceſſe eſt, quæ ſubijcio.

Duo ſunt ſenſus ſcripturæ Diuinæ, Hiſtoricus, & Myſticus. Hiſtoricus eſt, quem rei geſtæ narratio, ac verborum ſeries repræſentat, & hic duplex, proprius, & metaphoricus. Proprius eſt, quem verba, ac nomina iuxta primam, nudamque vocis ſignificationem præſeferunt, vt cùm lupum, agnum, leonem, petram audimus, quæ primùm his vocibus ſignificantur, intelligimus. Metaphoricus verò, quem voces tranſumptæ & ad nouam ſignificationem translatę ſignificant, vel quem figurata locutio circumſcribit, ſic communiter voracem lupi, aſtutum vulpis nominibus ſignificamus. Hoc ſenſu frequenter in ſcripturis Chriſtus Redemptor noſter appellatur vitis, leo, petra, agnus, lapis angularis, & alia huiuſmodi ex analogia, quam habet ad quaſdam proprietates iſtarum rerum.

Senſus myſticus, qui & ſpiritualis, ſeclusus, & arcanus nuncupatur, ſecretior, & ſublimior eſt, neque omnibus peruius, ſed in intima medulla reconditus, non per verba, ſed per res ſignificatus.

Hic triplex eſt, Allegoricus, Tropologicus, Anagogicus, diſtinctus iuxta triplicem temporis differentiam, præteriti nimirùm, præſentis, & futuri. Allegoria, præteritarum in veteri lege vmbrarum, ac figurarum prænotiones, & pręſagia manifeſtat. Tropologia, quæ in ſcripturis Sanctis geſta, dictaque ſint, ad præſentis vitæ mortalem inſtitutionem conuertit. Anagogia, ad futuræ beatitudinis, & cœleſtis gloriæ ſublimiora myſteria ſuſtollit.

Senſus myſticus cuiuſcunque generis ſit, ſupponit ſemper ſenſum hiſtoricum. & literalem, & in eo fundatur. [Si quæ enim figuræ ſunt, inquit Tertullianus, ex rebus conſiſtentibus fiant neceſſe eſt, non ex vocantibus, quia nihil poteſt ad ſimilitudinem de ſuo pręſtare, niſi ſit ipſum, quod tali ſimilitudine pręſtet.] Sic e. g. Paulus in Epiſtola ad Galatas cap. 4. per allegoriam explicat duos filios Abrahæ ſignificare duo teſtamenta. Nulla porrò eſſet allegoria, niſi Abraham verè duos illos filios habuiſſet. Tropologia in prima ad Corinth. explicat hiſtoriam Hebræorum, qui in deſerto propter Idololatriam perierunt, & concludit: [Hæc autem in figura facta ſunt noſtri, vt non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupiuerunt, neque efficiamur Idololatræ, ſicut quidem ex ipſis. Et rurſum: Hæc autem omnia in figura contingebant illis, ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum deuenerunt.] Fac Hebræos in deſerto non perijſſe propter idololatriam, tollis totam eſſentiam, & rationem tropi. Anagogia demùm in Epiſtola ad Hebræos, Terram promiſſionis æternam beatitudinem eſſe dicit, quæ ſi verè promiſſa non fuiſſet, quomodo ſummæ fælicitatis ſympolum eſſe poſſet?

Etſi verò frequenter accidit, vt idem ſcripturæ locus horum omnium ſenſuum capax ſit, nihilominus dogmata noſtræ fidei non myſtica, ſed hiſtorica ſcripturæ intelligentia, & interpretatione regulariter innituntur. Nam cum aliæ explanationes ſenſus intra literę medullam abditos, & latentes rimentur, indeque eos per quaſdam rerum ſimilitudines extrahere conentur, facilè ex ſimilium rerum imaginibus falli poſſunt. Eoque magis, quòd deductio, & elucidatio cogitatione, diſcurſu, & inquiſitione humani ingenij ſit, quod facilè decipitur, & in rebus obſcuris fingere plerumque ſolet ea, quæ vel tempus, vel occaſio exigunt. Hinc Sanctus Hieronymus: Nunquam parabolæ, & dubia enigmatum intelligentia poteſt ad auctoritatem dogmatum proficere. Et Sanctus Auguſtinus: [Quis autem non impudentiſſimè nitatur aliquid in allegoria poſitum pro ſe interpretari, niſi habeat & manifeſtiſſima teſtimonia; quorum lumine illuſtrentur obſcura? Et Eucherius: Hiſtorica expoſitio eſt, quæ veritatem nobis factorum, ac fidem reuelationis inculcat. Hæc quæ de ſenſibus ſcripturarum dicta ſunt, ſi accommodentur verbis Chriſti: paſce oues meas, & tibi dabo claues Regni Cœlorum, etiam ſimpliciſſimus quiſque intelliget ſummam leuitatem Anonymi, & eorum, quos ſequitur, in obiectandis teſtimonijs Auguſtini.

Secundùm ſenſum hiſtoricum purum: Simon Ioannis; paſce oues meas, id ipſum ſonat, quòd Simon fili Ioannis, ouibus meis paſcua, cibumque ſuppedita; ſecundùm ſenſum hiſtoricum metaphoricum idem, quod, Simon Ioannis ſubditorum meorum princeps eſto.

Et rurſum: Tibi, Petre, dabo claues Regni Cœlorum, ſecundùm purum hiſtoriæ ſenſum quid ſignificet, nemo non percipit: At ſecundùm hiſtoricum metaphoricum, Petre, ſupremum Eccleſiæ principem conſtituam te. Hunc ſenſum, cui, vt dicebam, potiſſimùm innituntur dogmata fidei, communi conſenſu ſancti illi patres expræſſerunt, qui ſuprà relati ſunt, & quos non ita poſt nos referemus. At iuxta tres reliquos ſenſus, qui magis arbitrarij ſunt, nunc ad tropologiam, nunc ad analogiam, nunc ad anagogiam, pro vniuſcuiuſque arbitratu vtraque Chriſti ſententia detorta eſt. Non iuxta ſenſum hiſtoricum, in quo fides & dogmata, ſed iuxta tropologicũ, & figuralem, qui ad mores pertinet, expræſsè loqui ſe declarat Auguſtinus, cum in perſona B. Petri, vel claues, vel paſtoralem dignitatẽ bonis Prelatis, & Eccleſiæ vniuerſę à Chriſto collatas affirmat, eum audiamus.

In ſetmone de Vigilia Apoſtolotum Petri & Pauli: [In vno Petro, inquit, figurabatur vniras omnium paſtorum,ſed bonorum qui ſciant oues Chriſti paſcere.] Diſpicis Anonyme Tropologiam? figurabatur, Ait Auguſtinus. In quo verò figurabatur hæc paſtorum vnitas? in vno Petro, inquit.

Ineptiſſimè itaque colligis, vnum Petrum à Chriſto non fuiſſe creatum Paſtorem, quia vnitatem omnium bonorum paſtotum figurabat. Pati nimirùm ratione concludes; quòd duos illos filios Abraham non habuit, vel quòd Hiſraelitę in deſerto occiſi non ſunt, quia illi duo teſtamenta, hi peccatores æterno ſupplicio puniendos figurarunt. Suprà te monui, hiſtoricam veritatem tropi, & figurę eſſe fundamentum, & baſim: Quare ſemper conſequentia tenet à figurali, & tropologica veritate ad hiſtoriam tanquam à poſteriori ad prius natura hunc in modum. In duobus filijs Abrahæ figurabantur duo teſtamenta; ergò Abtaham duos illos filios verè habuit. In Idololatris occiſis in deſerto figurabantur Idololatræ æterno ſupplicio puniendi, ergò Idololatræ in deſerto verè occiſi ſunt. Cum ergò in vnitate Petri bonorum Paſtorum vnitas figuraretur, neceſſariò ſecundùm ſenſum hiſtoricum ad mentem Auguſtini vnum Petrum ouium Chriſti Paſtorem creatum fuiſſe fateri neceſſe eſt. Poteramne ego teſtimonium reperire, quo prę́ſſius vrgeretis?

Pari ſœlicitate citas ſecundum Auguſtini teſtimonium ex tract. 50. in Io. cap. 12. quòd abs te murilatum, integrum reddo. Expendens illud Chriſti [Pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis] totus ad ſenſus myſticos conuerſus, inquit [Quid ſibi vult? quomodo intelligendum eſt: me autem non ſemper habebitis? Nolite expaueſcere, Iudæ dictum eſt, quare ergo non dixit, habebis, ſed habebitis? quia non vnus eſt Iudas: Iudas malus, corpus malorum ſignificat,quomodo Petrus, corpus bonorum, corpus Eccleſiæ, imò corpus Eccleſiæ, ſed in bonis.] Vides, opinor, ſi vides, Patrem ex inſtituto non tractare ſenſum literalem, & hiſtoricum; ſed myſticum. Petrum verò ſignificare quod dixerat, ſic probat. [Nam ſi in Petro non eſſet Eccleſiæ ſacramentum, non ei diceret Dominus: Tibi dabo claues regni cœlorum, quæcumque ſolueris in terra, ſoluta erunt, & in cœlo.] Itaque hoc hiſtoricè Petro dictum eſt, id omue myſticè ad Eccleſiam referri vult Auguſtinus, & ore rotundo inquit, quòd in Petro erat Eccleſiæ ſacramentum. Etiam Adam hiſtoricè de ſeipſo, & Eua coniuge dixit [Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea] quod tameu myſticè, allegoricè, & ſacramentaliter in perſona Chriſti, & Eccleſia dictum aſſeruit Apoſtolus [Sacramentum magnum, inquit, dico autem vobis in Chriſto, & Eccleſia.] Sequitur Auguſtinus [Si hoc Petro tantùm dictum eſt, non facit hoc Eccleſia,ſi autem etiam in Eccleſia fir, vt quæ in terra ligautur, in cœlo ligentur, & quæ ſoluuntur iu terra, ſoluantur in cœlo, quia cum excommunicat Eccleſia, in cœlo ligatur excommunicatus, cum reconciliatur ab Eccleſia, in cœlo ſoluitur reconciliarus: Si hoc ergo in Eccleſia fit, Petrus, quando claues accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificauit: Si in Petri perſona ſignificati ſunt in Eccleſia boni,in Iudæ perſona ſignificati ſunt in Eccleſia mali, & ipſis dictum eſt, me autem non ſemper habebitis.]

Hac ratione probat Auguſtinus Petrum fuiſſe Eccleſiæ Sacramentum, dum claues accepit: quòd ea, quæ Eccleſia ligat in terta, ligantur in cœlo, quæ Eccleſia ſoluit in terra, ſolunntur in cœlo. Ergo quando Petrus à Chriſto claues accepit, duplicem geſſit perſonam, propriam, & Eccleſiæ, illam hiſtoricè, iſtam allegoricè, & ſacramentaliter: illam propriè geſſit, uon ſignificauit, iſtam è contra ſignificauit, neque alirer geſſit, quàm per modum ſigni rei mox futuræ. Itaque quod Petro dictum à Chriſto, non vni Petro dictum, ſed illi, & Eccleſiæ, illi ſecundùm hiſtoriam, Eccleſiæ ſecundùm allogoriam. Quid tum Anonyme? Ergo, inquis, quando Petrus claues accepit, eas alij quoque Apoſtoli ſimul acceperunt,totaque Chriſti Eccleſia ſimul accepit. Negamus (pace tua) Anonyme hanc conſequentiam. Non dicit hoc Auguſtinus; ſed: ergo Petrus[quando claues accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificauit] ſignificauit, inquit, Auguſtinus, non accepit. Quòd verò Allegoricè ſignificatur, non fit tunc, quando ſignificatur, ſed poſt futurum eſt. Qnare locus iſte ſtat contra te. Si enim quando Petrus accepit claues, Eccleſia non accepit, ſed accepturam poſt ſignificatum eſt, efficitur, vt alij Apoſtoli non niſi poſt Petrum hanc poteſtatem acceperint. Etiam Adam, vt nunc dicebamus, quando dixit [hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea] duplicem geſſit perſonam, ſuam, & Chriſti, illam hiſtoricè, iſtam myſticè, allegoricè, & ſacramentalitcr, ſuam ideò non ſignificauit, ſed geſſit; Chriſti non aliter geſſit, quàm ſignificando. Ergone Eccleſia è larere Chriſti ſimul formara eſt,atque ex Adami coſta viuentium marer?

Tertium teſtimonium ex ſerm. 10. ſuper Ioan. Ego nuſquam reperire potui. Eſto tamen,dixerit Auguſtinus de poteſtate clauium [Hoc Petrus pro omnibus tanquam perſona vnitatis accepit.] Eotum ſenſus erit: Quòd Petrus tanquam Præpoſitus, & Epiſcopus omnium hanc poteſtatem accepit. Neque incongruè perſonam Epiſcopi, perſonam vnitatis appellauerit, cum à perſona Epiſcopi, & eius glutino omnis Eccleſiæ vnitas proficiſcatur, & pendeat, Cyprianus epiſt. 68. [Etſi contumax, ac ſuperba multitudo diſcedat, Eccleſia tamen à Chriſto non recedit, & illi ſunt Eccleſia plebs Paſtori ſuo adunata, & paſtori ſuo grex adherens. Vndè ſcire debes, Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo, & qui cum Epiſcopo non ſit, in Eccleſia non eſſe.] Vndè auctor quæſt. nou. & veter. teſtam. quæſt. 75. quem Anonymus Auguſtinum arbitratur [Manifeſtum eſt, in Petro omnes contineri. Rogans enim pro Petro, pro omnibus rogaſſe dignoſcitur: ſemper enim in præpoſito populus, aut corripitur, aur laudatur.] Quare ſi Petrum tanquam perſonam vnitatis claues accepiſſe dicit Auguſtinus,hoc vnum dicit,quòd tanquam Epiſcopus vniuerſalis Eccleſiæ Dei illas claues accepit,& hoc obſiſtere putas primatui Petri?

Quar-

Quartum teſtimonium ex libro de Agone Chriſtiano cap.30. [Nuſquam tam vigere debent viſcera miſericordię, quàm in Catholica Eccleſia, vt tanquam vera mater, nec peccantibus filijs ſuperbè inſultet, nec correctis difficilè agnoſcat. Non enim ſine cauſa inter omnes Apoſtolos Eccleſiæ Catholicæ perſonam ſuſtinet Petrus, huic enim claues regni cœlorum datæ ſunt, & cùm ei dicitur, ad omnes dicitur: Amas me, paſce oues meas. Debet ergo Eccleſia Catholica correctis, & pietate firmatis filijs libenter ignoſcere, cùm ipſi Petro perſonam eius geſtanti, & cùm in mari titubaſſet, & cùm Dominum carnaliter à paſſione reuocaſſet, & cùm aurem ſerui gladio præcidiſſet, & cùm ipſum Dominum ter negaſſet, & cùm in ſimulationem poſtea ſuperſtitioſam lapſus eſſet, videamus veniam eſſe conceſſam.]

Auguſtinus hoc loco totus in Tropologia verſatur, adhortans Eccleſiam ad miſerandum, & indulgendum peccantibus filijs contra Luciferianorum ſæuitiam, qui Epiſcopos ex Ariana hæreſi ad Eccleſiam Catholicam redeuntes recipiendos eſſe inficiabantur. Argumenti eius neruus; & tropus eſt: Petrus, qui Eccleſiæ perſonam iure ſuſtinet, quia vt præcedenti teſtimonio dictum eſt, Eccleſia eſt in Epiſcopo, & ipſe Epiſcopatum Eccleſiæ vniuerſę ſymbolo clauium cœli accepit à Chriſto. Quare cùm ei hiſtoricè dicitur, ad omnes, qui eius muneris participes ſunt, tropologicè dicitur [amas me, paſce oues meas] quas tamen Luciferiani paſcere recuſabant in Eccleſia Catholica illud auerſantes, quod, vt inquit Auguſtinus[verè Catholicæ ſanctitatis eſt.] Eſſe verò id proprium Catholicæ ſanctitatis eſt.] Eſſe verò id proprium Catholicæ ſanctitatis, indè liquet, quòd iſte ipſe, qui eſt veniæ debitor, quia toties peccator veniam eſt conſecutus, iſte ipſe, inquam, Eccleſiæ typum gerit, & perſonam, [vt Eccleſia Catholica intelligat filijs correctis, & pietate firmatis libenter ignoſci debere.] Habes lector Auguſtini conſilium, & argumentum, in quo neſcio videre, quid ſit, quod Anonymo faueat. Si enim reſpicio clauſulam illam [Inter omnes Apoſtolos Eccleſiæ Catholicæ perſonam ſuſtinet Petrus, huic enim claues regni cœlorum] datæ ſunt, nullum alium ſenſum elicere ſcio, niſi quòd Petrus ſolus inter Apoſtolos ſuſtinet Eccleſiæ perſonam, quia ſolus ipſe claues regni cęlorum accepit à Chriſto, tanquam eius Paſtor vniuerſalis. Si ſequentia conſidero[& cùm ei dicitur, ad omnes dicitur: Amas me, paſce oues meas] hoc vnum colligere poſſum, quòd cum Petrus eſſet paſtor vniuerſalis Eccleſiæ Chriſti, in quo tanquam in ſemine, & radice omnes futuri paſtores continebantur, dum creatur paſtor, & non abijcere, non negligere, ſed paſcere, & regere iubetur oues Chriſti, hoc ipſum in eo omnibus alijs paſtoribus imperatur; contra quam Luciferiani contendebant. Vni etiam Adamo dictum eſt [in quacumque hora comederis, morte morieris] eadem tamen pęna omnibus hominibus ſimul impoſita eſt, quia omnes homines in eo continebantur, & tunc totius humanæ naturæ perſonam gerebat; ſicut ergo conſequens eſt, vt mortem ſubeat, quiſquis ex Adamo communi parente propagatur, quia tanquam gerenti perſonam totius humanæ naturæ hæc ei pęna impoſita eſt, ſic etiam conſequitur, vt quiſquis ad paſtorale munus aſſumitur in Eccleſia, is oues Chriſti paſcere iubeatur, quia à Petro primo, & vniuerſali paſtore propagatur, cui tanquam gerenti perſonam omnium præpoſitorum à Redemptore noſtro dictum eſt [Paſce oues meas] non abijce, non neglige fac Petrum paſtorem vniuerſalem non fuiſſe, fac omnes alios paſtores ab eo non propagari, argumentum Auguſtini ineptiſſimum,& eius tropologia nihil concludet. Vtrumne ergo à Lectore damnatum iri arbitraris? te ne, qui Auguſtini acumen non ſis aſſecutus, an Auguſtinum, qui te iudice ita extra chorum ſaltarit?

Quintum Auguſtini teſtimonium ex eiuſdem libri cap. 31. contra eoſdem Luciferianos [Nec eos audiamus, qui negant Eccleſiam Dei omnia peccata poſſe dimittere. Itaque miſeri dum in Petro petram non intelligunt, & nolunt credere datas Eccleſiæ claues regni cęlorum, ipſi eas de manibus amiſerunt.]

Petrus ex Auguſtini ſententia claues regni cęlorum accepit à Chriſto, & cum eis poteſtatem dimittendi omnia peccata in foro exteriori. Ipſe mox participata ſua poteſtate cum alijs Apoſtolis, & Epiſcopis, acceptas claues communicauit Eccleſię vniuerſę in præpoſitis eius. Per Petrum itaque Eccleſia dupliciter accepit claues. Primùm à Chriſto immediatè in perſona Petri. Cum enim Petrus Eccleſiæ pars, & pars præcipua ſit, quippè, qui eius lapis, & fundamentum cenſeatur, Princeps nimirùm, & caput, eò fit, vt quicquid in ipſo dignitatis, & poteſtatis eſt, in Eccleſiam vniuerſam id omne redundet. Qua ratione, vt pridem dicebamus, audire, loqui, videre, guſtare homo cenſetur, etiam ſi in ſolo hominis capite horum ſenſuum organa poſita ſint. Secundò, claues accepit Eccleſia per communicationem, transfuſa ſcilicet earum poteſtate per Petrum in omnes alios paſtores. Non intelligebant Luciferani Petræ (Capitis nimirùm, & fundamenti) ſymbolum in Petro, & ideò credere nolebant, quòd Eccleſia in Petro, & à Petro capite ſuo iteratò claues accepiſſet. Quare à capite, & à corpore Eccleſiæ per hæreſim ſeparati acceptam poteſtatem miſeri amiſerunt. Hoc illud eſt, quod dicit Auguſtinus, in quo ne apex quidem eſt, qui mirificè non aſtruat primatum Petri. Si verò claues amittunt, qui non intelligunt in Petro ſymbolum Petræ; miſer qui cœlum ſuſpicis (ſi tamen ſuſpicis) tu, qui neque Petræ ſymbolum percipis, & tanto conatu cœlorum claues Petro eripere tentas?

Sextum Auguſtini teſtimonium ſuper Pſal.108. non mutilum,ſed integrum hoc eſt: [Sicut quædam dicuntur, quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videantur; nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cùm referuntur ad Eccleſiam, cuius ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam, propter primatum, quem in diſcipulis habuit, ſicut eſt: Tibi dabo claues regni cœlorum, & ſi qua huiuſmodi, ita Iudas perſonam quodammodo

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

do ſuſtinet inimicorum Chriſti Iudæorũ, qui & tunc oderant Chriſtum, & tunc per ſucceſſionem perſeuerante genere ipſius impietatis oderunt.] Expoſiturus moraliter hunc pſalmum Auguſtinus ait, quæ in eo Iuda vaticinatur propheta, ſe de omnibus Chriſti hoſtibus interpretaturum. Quod appoſitè, concinneque fieri probat exemplo Petri. Multa nimirùm, quæ ad literam, & hiſtoricè dicuntur de Petro, moraliter non habent illuſtrem intellectum, obuium ſcilicet, planum, & explicatum, niſi referantur ad Eccleſiam, cuius ipſe tropologicè propter primatum ſuum perſonam geſtabat. Quare cum iniquorum, & impiorum omnium Iudas malitia, & nequitia princeps ſit, efficitur, vt pari ratione in tropis eorum quoque perſonam appoſitè geſtare poſſit. Quid hìc Anonyme reperiſti contrà primatum Petri? Nonne totius rationis Auguſtini cardo in eo ſolo verſatur? Hunc colle, tuo, non ſuo more loquetur Auguſtinus, nihil ad rem. Prætericras tamen, bone vir, clauſulam illam, [propter primatum Petri, quem in diſcipulis habuit,] quæ totius argumenti Auguſtiniani neruus eſt, hanc ego ſubieci, vt lectori conſtaret, non minùs Auguſtinum ſibi, quàm te tibi ſemper, & vbique ſimilem eſſe.

Septimum Auguſtini teſtimonium ex lib. 2. quæſt. veter. & noni Teſtamenti qu. 79. ego reperire oon potuit, & in ea quæſt. è citatis, verbum ne minimum qoidem. At neque Auguſtini eſt liber ille, ſed ei falsò adſcriptus; neque vacat erroribus: quare paſſim ex albo operum Auguſtini à viris doctis expungitur. Sit Auguſtious tamen eius Auctor: vide quæſt. 75. quid dicat: [ſicut in ſaluatore erant omnes cauſæ magiſterij, ità & poſt ſaluatorem in Petro omnes cootineotur. Ipſum enim conſtituit caput eorum, vt paſtor eſſet gregis Dominici.

Octauum Auguſtini teſtimouiũ ex li. 7. de Baptiſmo cap. 15. [Qua domus, &c.] nihil aliud dicit, niſi quod Eccleſia Claues accepit, quòd veriſſimum eſſe profitemur; at non negat, per Petrum, in Petro, & à Petro Claues Eccleſiæ collatas, quod vuum controuerſiæ noſtræ caput eſt.

Sanctus Hieronymus citatus ab Anonymo inquit, [Habent quidem hanc iudiciariam poteſtatem omoes alij Apoſtoli, quibus poſt Reſurrectionem Dominus dixit: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſuut, Petrus autem ideò ſpecialiter accipit, vt omnes intelligant, quòd quicunque ab vnitate fidei, & ſocietatis eius ſe ſeparauerit, nec à peccatis ſolui, nec Cœlum ingredi poteſt.

Equidem legi, & perlegi Hieronymi Commentarios in hunc locum, neque reperire potui verbum vllum ex his: Immò tantùm abeſt, vt iſti ſententiæ ibi patrocinetur, vt potius verba proxima explicans, [vade poſt me Sathana,] apertè aſſerat, tunc poteſtatem quidem, & priuilegia futura promiſſa fuiſſe Petro, ſed non conceſſa. [Ædificabo, inquit, Eccleſiam meam ſuper te, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues regni Cęlorum, &c. Omnia de futuro, quæ ſi ſtatim dediſſet ei, nunquam in eo prauæ confeſſionis inueniſſet locum.] Quomodo ergo aſſerere potuit, quòd tunc eadem iudiciaria poteſtas data ſit Petro, quę poſt Apoſtolis omnibus data eſt: ſi ergo Anonyme Hieronymum vidiſſes, Hieronymi nomine hunc locum non obieciſſes. Eſt autem Rabani, qui à Beda, & ſententiam mutuatus, & verba primatum Petri indicat ſatis apertè. Quid enim ſibi velle putas ea verba: [Petrus ideò ſpecialiter accipit, vt omnes intelligant, quòd quicunque ab vnitate fidei, & ſocietatis eius ſe ſeparauerit, nec à peccatis ſolui, nec Cœlum ingredi poteſt.] Specialiter itaque Petrus accipit hanc poteſtatem non ſolùm quò ad tempus, ſed etiam quò ad modum: quando ex omnibus Apoſtolis vnus ipſe æternæ ſalutis ſupponitur fundamentum. Qui enim ſocietatem eius deſerit, ſchiſmaticus eſt, qui fidem, hæreticus, & vterq; extra Eccleſiã, extra quam nõ eſt ſalus.

Noonullis ioteriectis Anonymus congerit aliquot alias Patrum auctoritates contra citata Matthæi, & Ioannis teſtimonia pro Petri primatu; ex quibus intelligit Lector, cuique Orthodoxo, & verè Catholicæ veritatis amanti viro uoo mioùs in Sanctorum Patrum, quàm in ſacrorum, & canooicorum auctorum teſtimooijs illud eſſe obſeruaodum, quod Origenes mouet. Hom. 31. in Luc. [Si quando teſtimouia de ſcripturis audieris, vide ne ſtatim loquenti acquieſcas, ſed conſidera illum, qui loquitur, cuius ſenteutiæ ſit, ſi enim ſententia hæreticus ſit, & ſub ouis pelle lupus latitat, Diabolus in eo loquitur, nihil ad eum ſcripturæ petinent, & Ambroſius: Hæretici illi ſunt, qui per verba legis legẽ impugnãt, & proprium ſenſum verbis aſtruunt legis, vt peruerſitatem mentis ſuæ legis auctoritate commendent.] Quàm verum id ſit, videamus.

Chriſtus dum dixit: [Paſce oues meas, paſce agnos meos,] & honorem paſtoralem detulit Petro, & ius paſtorale conceſſit, & paſtorale onus impoſuit. Honoris eſt, ſubditorum meorum princeps, & caput eſto. Oneris eſt, ſubditorũ meorum indigentijs opem ferto. Iuris eſt; ſubditi quiq; mei Petro promptè & expeditè in omnibus obtemperato. Appoſitiſſimè tria hęc explicat vnicum Symbolum Chriſti: [Paſce oues meas.] Qui paſcit oues, non eſt ouis, ſed paſtor. Et quænam dignitas maior, quàm io tali habitudine conſtitui cum cæteris Chriſti fidelibus, vt ad alios omnes, quocunque nomine cenſeantur, quis habeat ſe raquam paſtor ad oues? quod verò grauius onus, quàm aliena magis, quàm ſua curare debere? verboque, exemplo, lege, iudicijs, ſanguine demùm, & anima ipſa vt quiſque magis indigeat, ità potiſſimùm opitulari? An onus honorem, an onus hooor ſequatur, non diſputo, hoc vnum ſcio, quòd ea ſibi inuicem ita connexa ſunt, vt alterum ſine altero ſtare noo poſſit. Vtrumque verò conſequitur ius paſtorale, quod cùm multa complectitur, tum maximè debitum obedientiæ præpoſito ſuo à ſubditis exhibendæ. Quæ cùm ex ſymbolo Chriſti talis eſſe debeat, qualis eſt ouiculatũ erga paſtores ſuos, eximiam, promptiſſimam, expeditiſſimam eſſe neceſſe eſt.

Petrus, vt dicebamus, totius Dominici gre-

Digitized by Google

gregis paſtor creatus fuit, delato ei iure communicandi paſtoralem dignitatem alijs quoque fidelium, abſcitis eis in partem ſollicitudinis ſuæ. Quare non incongruè dicere poſſumus, quòd ſicut omnes homines erant poteſtate in Adamo, quando ei interdictum eſt pomum, ſic omnes paſtores poteſtate eſſent in Petro, quando oues Chriſti paſcere iuſſus eſt. Et conſequenter omnibus præpoſitis in Petro collatum eſſe honorem paſtoris, conceſſum ius paſtorale in grege ſuo. Quæ omnia certè falsò dicerentur, niſi Petrus fuiſſet paſtor primus, vniuerſalis, & maximus. Hæc ea ſunt, quæ dicunt plerique ex ſequentibus Patribus, quos Anonymus citat, aut ſi nihil horum, nihil dicunt ad rem.

Citatur Primò Baſilius in conſtitutione monaſtica, non indicato capite, quod nunquam Anonymus vidit, qui dicit: Chriſtus per verba: [Paſce oues meas Petrum conſtituit paſtorem Eccleſiæ, & conſequenter eandem poteſtatem dedit omnibus paſtoribus, atque magiſtris.

Eo capite, quod eſt 23. de obedientia, varijs argumentis Baſilius perfectam obedientiam Monachis perſuadere contendit, & hoc inter cætera: Quòd omnes Antiſtites paſtores ſunt Monachorum ſuorum; Monachi verò ſuorum Antiſtitum oues, vndè concludit: [Quemadmodum igitur paſtori ſuo oues obtemperane, & vuam quamcumque ille vult, ingrediuntur, ſic qui ex Deo pietatis cultores ſunt, moderatoribus ſuis obſequi debent, nihil omninò illorum iuſſa curioſiùs perſcrutantes, quando libera ſunt à peccato: contraque ea ſumma animi alacritate, ſummoque ſtudio conficere..

Cæterùm omnes Antiſtites, & Præpoſitos paſtores eſſe probat, quia omnes habent paſcendi poteſtatem, regendi ſcilicet, & gubernandi oues, [Atque hoc, inquit, à Chriſto ipſo docemur, dum Petrum Eccleſiæ ſuæ Paſtorem poſt ſe conſtituit: Petre enim, inquit, amas me plus his? paſce oues meas, & omnibus deinceps paſtoribus, atque magiſtris eandem tribuit poteſtatem, hoc eſt, regendi, cuius quidem rei ſignum eſt, quòd omnes ſimiliter, atque ille ligant, & ſoluunt.] Quaſi dicat, collata per Chriſtum Petro iure paſcendi, quia virtute omnes alij Antiſtites Eccleſiæ erant in Petro, ſicut poteſtate omnes homines fuerant in Adamo, idem paſcendi, regendi, & imperandi ius omnibus alijs Antiſtitibus conſequenter conceſſum eſt, ſed oues cuique ſuas, non alienas. Communicatum paſcendi ius à Petro omnibus alijs Antiſtitibus Orthodoxis, hoc ſignum eſt, quòd ius ligandi, & ſoluendi Petro conceſſum eſt; omnes tamen Antiſtites ligant, & ſoluunt fideles ſibi ſubiectos. Quare cum metaphoricè idem ſignificet paſcere, quod ligare, ac ſoluere, vno conceſſo, alterum negari non potuit: Ex hoc loco, ex his argumentis, ex his verbis Baſilij ego neque poſſum, neque ſcio colligere, etiam ſi vellem, aliud quàm Petri primatum. Si enim Eccleſiæ ſuæ paſtorem Petrum poſt ſe Chriſtus conſtituit, Petroque Eccleſiam commiſit tanquam ouile, efficitur, vt ex inſtituto Chriſti nemo poſſet ſubterfugere virgam Petri, niſi qui Chriſtum paſtorem, & Eccleſiam ouile habere detrectaret. At Anonyme, decepit te, ſcio, illa clauſula, [& omnibus deinceps paſtoribus, atque magiſtris eandem tribuit poteſtatem.] Sed age, viſne tu, omnes, qui iuxta Baſilij verba, eandem poteſtatem acceperunt, quam Petrus accepit, viſne tu, inquam, illos eam accepiſſe eadem menſura, eoſque omnes æquali loco, & gradu ſtare cum Petro, & Papa in regimine Eccleſiæ vniuerſalis? Vis, opinor, & hoc vnum moliris. Ergo non tantùm Apoſtolos Petro, & Epiſcopos papæ, ſed Abbates, Priores, Guardianos Monachorum, omneſque eorum Antiſtites adæqua Epiſcopis, Apoſtolis, Papæ, Petroque ipſi in regimine Eccleſiæ vniuerſalis: hi quippè omnes iuxta Baſilij verba eandem poteſtatem acceperunt, quam Petrus accepit. Expende verba Baſilij, Non, inquit, omnes Epiſcopi, ſed omnes præpoſiti, atque magiſtri eandem poteſtatem acceperunt, quam Petrus accepit, & loquitur de præpoſitis, & magiſtris monachorum. Quòd ſi tot monachorum examina Hierarchiæ Epiſcoporum æquare non audes, & hoc pugnare vides tecum, & cum Baſilio ipſo, nega, ibi voluiſſe Baſilium omnes paſtores, & magiſtros Petro æquare. Te verte quoquò verſum, non euades. Aut quos neque tu, neque Baſilius, neque vllus ſanus adæquat, æquales ſunt: aut illa verba ad mentem Baſilij paſtores non adæquant, vt arbitraris. At illud durum tibi videbitur, ſcio, neque fortè, quia illiteratus, & rudis es, percipere poteris quomodo verum ſit, quòd omnes magiſtri, & præpoſiti habeant eandem poteſtatem, quam Petrus habet, & tamen ipſi omnes non ſint æquales inter ſe, & cum Petro in poteſtate. Si cum viro docto diſputarem, paucis rem expedirem, & intelligeret; plenius tecum agam, & tanquam paruulo lac potum dabo, non eſcam. Non poteſt verò id accommodatius explicari, quàm ſimilitudine exercitus, cui Deus ipſe comparat Eccleſiam ſuam, [terribilem appellans eam, ſicut caſtrorum aciem ordinatam.] In exercitu ſunt quinquagenarij, Centuriones, Præfecti, Tribuni, Dux deinùm ipſe, & Imperator ſupremus. Regitur exercitus ab hiſce ordinibus ſuo peculiari iure, quod vocatur ius militare, cap. ius militare 1. diſtinct. & in ſe ipſo habet facultatem tam tribuendi vnicuique militum ius militare, quàm exigendi ab vnoquoque militum ius militare; æque ſcilicet Iuris militaris nomine cenſetur, quod milites debet, atque quod militi debetur ratione militiæ. In quocunque gradu, loco, homine ſit hæc poteſtas, eſt eadem ſpecie, quia vbique facultas tam exigendi, quàm tribuendi militi ius militare. At non eſt vbique eadem ratione ordinis, non eadem magnitudine virtutis, non eadem adæquatione ſubiecti. Ratione ordinis Imperator habet ſe tanquam primum mouens, reliqui tanquam mouentia ſecundaria, Imperator reliquos omnes mouere poteſt, nullus ipſorum vel Imperatorem, vel qui medij ſunt inter Imperatorem, & ipſos; ſed eos, quibus præſunt dumtaxat; idcirco maior poteſtas Imperatoris, quàm cæterorum: Imperator tandem poteſtate ſua complectitur totum exercitum, vniuerſamque mi-

militum multitudinem ſubiectam habet, reliqui quaſdam dumtaxat partes peculiares. Habent itaque omnes militiæ ordines eamdem ſpecie poteſtatem, quam habet Imperatot; ſcilicèt tribuendi,& exigendi ius militare. At non habent eamdem magnitudinem æqualitatem, quia inferiorem ordine, minorem virtute, anguſtiorem adæquatione ſubiecti. Transfer Anonyme ad Eccleſiam, Petrum, Paſtores & magiſtros exemplum cum analogia, atque ita intelliges, quàm captioſè & Suphyſticè colligatur; Omnes magiſtri habent eamdem poteſtatem, quam habet Petrus, ergo ſunt omnes æquales poteſtate.

Sequitur Ambroſius: [quas oues, quem gregem non ſolùm tunc Beatus Petrus ſuſcepit eas, & in illo ſuſcepimus omnes. Eadem ratione Apoſtolos inquit, ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.] Si verò hunc in modum in Adamum mortis,in Chriſtum Reſurrectionis originem refert Apoſtolus, ecquid aliud ſibi voler Ambroſius illa dicendi formula; quàm per Petrum,& à Petro in alios Epiſcopos omnem paſtoralem dignitatem & poteſtatem manaſſe? & conſequentet, eum omnium aliorum Paſtorem primum fuiſſe? Anonymus retulit hoc Ambroſij teſtimonium ex ſermone de Apoſtolis, ſed falsò. Eſt enim in lib. de dignit. Sacerd. cap. 2. At non miror: non magis opera Ambroſij, quàm ipſum Ambroſium vnquam vidit hic homo. Simile eſt teſtimonium Auguſtini; quod vnde erutum ſit, neſciens Anonymus tacet.[Chriſtus commendauit oues vni Petro, in Petro vnitatem commendauit, totam vnitatem Eccleſiæ ab vno Petro voluit pendere. Multi erant Apoſtoli,& vni dicitur,Paſce;omnes in vno ſunt,] nimirùm in Epiſcopo tota eſt Eccleſia,vt Cyprianus dicebat. Si omnes in vno ſunt, nonne ille vnus eſt paſtor vniuerſalis? Si totam vnitatem Eccleſiæ ab vno Petro voluit pendere,ſequitur, quòd Eccleſia Chriſti nihil aliud ſit, quàm ea Chriſti fidelium multitudo,quæ fide, charitate, pace, & communione Petro coniuncta eſt. Vndè intelligis, quàm rectè paulò antè collegerint Rabanus, & Beda, quòd quicunque ab vnitate fidei, & ſocietatis eius ſe ſeparauerit, nec à peccatis ſolui, nec cœlum ingredi poteſt.

Leonem,mox vellicat Anonymus, & inquit,Leo Papa in ſerm. 5. de Aſcenſione Domini: [Cùm Petro dixit; Tibi dabo claues, tranſiuit in alios huius poteſtatis ius, quodque vni commendatur, omnibus intimatur, & Petro dixit ſingulariter, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus Petri forma proponitur. Anonymus, qui, vt dixi, patres nunquam à limine ſalutauit, alicubi reperit citatum Leonem ſerm. 3.de aſſumpt. ſui, & arbitratus erraſſe, qui ita Leonem citarat, correxit citationem homo doctus, & pro Aſſumptione ſui, ſubſtituit De Aſcenſione Domini. Vide Anonyme, vide non in 2.ſermone de Aſcenſione Domini, ſed in ſermone 3. de Aſſumptione ſui ad Pontificatum dixit, quæ citaſti: neque ita peruerſa,mutila, contorta, vt retuliſti, ſed hunc in modum:[Tranſiuit quidem etiam in alios Apoſtolos ius poteſtatis illius, non dixit cum dixit,Petro,Tibi dabo claues, tranſiuit in alios, tuque adiecíſti de tuo illud; cùm, non enim tunc, ſed poſt, quia vt paulò antè dixerat, ſi quid cum eo cæteris commune voluit eſſe principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quidquid alijs non negauit.] Neque verò tunc dare poterat Pertus, quod non niſi poſt reſurrectionem ei conceſſum fuit à Chriſto. Sequitur: [Non fruſtrà vni commendatur, quod omnibus intimetur, nimirùm paſcere oues ſuas: Petro enim ideo hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus Petri forma præponitur: Cur autem cunctis Eccleſiæ Rectoribus Petri forma præponitur? quia non ſic inflectere ſenſus humanos edicta valent, quàm vita regentis. Vnde antè dixerat: Vnus de toto mundo eligitur, qui & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur; vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principalitet regit & Chriſtus. Hæc Leo.]

Poſt Leonem inducitur Cyprianus lib. 4. ep. 5. Vnam Chriſtus in vniuerſum inſtituit Eccleſiam. Quid tum? huius tamen radicem, & matricem voluit eſſe Cathedram Petri, voluit vnitatem eius pendere totam à Petro & à ſucceſſoribus tanquam à capite. Ita docuit ipſe in lib. de vnit. Eccl. quem ſuprà ponderauimus.

At inquis; [Epiſcopatus eſt vnus: ſed multorum Epiſcoporum numeroſitate diffuſus. Quid inde? ſed iſte Epiſcopatus omnem vnitatem, quam habet, habet à ſolo Petri Epiſcopatu; quare reliqui Epiſcopi omnes Romano comparati riuuli ſunt præ fonte, rami præ arbore, radij pręſole, ſi Cypriano credis, & hoc obſtat Primatui?

Venimus tandem ad ſummum. Bernard. ad Eug. lib. 3. [Erras, ſicut ſummam ita ſolam inſtitutam veſtram Apoſtolicam auctoritatem exiſtimas.] Da, quæſo, veniam Anonyme, vt quo nomine Tertullianus Hermogenem, ego te compellem, extremam lineam non ſcientem: Huncćine locum contra ſummam Perti poteſtatem citas, in quo Bernardus apertiſſimè, & diſertiſſimè ſummam confitetur? Deus det tibi tuam mentem. Inconcuſſus itaque hactenus, intaminatuſque ſtat primatus Petri, vel ipſiſmet Aduerſariorum obiectionibus confirmatus.

CAPVT IX.

Pleriſque alijs Teſtimonijs comprobatur Petri Primatur.

Cum aut falſa religione, aut falſa fide honeſtè coli non poſſe diuinum numen, ſuborituris indies nouis difficultatibus, & controuerſijs de religione; de fide, de lege ipſius, certus aliquis iudex præficiendus erat, qui neque in decernendo errare poſſet, & cui conſequenter, poſtquam decreuiſſet, pacis & vnitatis ergo omnes obtemperare deberent: Iudicibus verò laicis tam diuina lege,quàm omnium gentium conſenſu excluſis à Iuriſdictione rerum Dei, ad ſolos Sacerdotes iudicium controuerſiarum ſacrarum delatum eſt: Qua tamen parte ſuperemum, & in-

Digitized by Google

& infallibile, non ad quoſcunque Sacerdotes indiſcriminatim, ſed vt ius dignitati æqua proportione reſponderet, ad ſolum Sacerdotum caput Pontificem Maximum. Hinc celebris illa lex Deuteron. 17. [Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter cauſam, & cauſam, lepram, & non lepram, ſanguinem, & ſanguinem, iudicumque intra portas tuas verba videris variari, ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, quicunque fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem & facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit ſibi Dominus tuus, & docuerint te iuxta legem eius, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, vel ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, ex decreto Iudicis morietur.] Itaque pollicetur Deus, Pontificem indicaturum in omnibus cauſis iudicij veritatem, ad amuſſimque legis diuinæ omnia documenta ſua collineaturum. Quod vt præoſtenderet, Exodi vigeſimo octauo in eius rationali Iuſtitiam & veritatem poni iuſſerat. Dum ergo non alij quicunque Apoſtolorum, ſed Petro ſoli Redemptor noſter dicit, [Luc. 22. Simon Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides, tua, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos;] quid aliud hoc eſt; quàm declarare Petrum ſummum Pontificem, & in rationali eius ſolius figere iuſtitiam, & veritatem? Ita patres. Theophylactus: [Quia te habeo principem diſcipulorum, poſtquam, negato me, fleueris, confirma cæteros, hoc enim decet te, qui poſt me Eccleſiæ petra es, & fundamentum. S. Leo ſerm. 3. de Aſſumptione ſui ad Pontif. Pro fide Petri propriè ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certio ſit futurus, ſi mens principis victa non fuerit.] Æquiualere fidem, non deficere, & portas inferi non præualere, & vtrumque Petro conceſſum, quia fundamentum & caput Eccleſiæ, ſenſit Origenes: [Manifeſtum eſt, inquit, etſi non exprimatur, quòd nec aduerſus Eccleſiam portæ præualere poterunt inferorum. Nam ſi præualerent aduersùs Petrum, in quo Eccleſia fundata erat, contra Eccleſiam etiam præualerent.] Cæterum ſicut à ratione fundamenti Origenes, ita nos à ratione paſtoris colligere poſſumus hoc ipſum priuilegium. Si .n. omnes Apoſtoli, & omnes fideles ad Petrum habebant ſe, perinde ac oues ad paſtorem ſuum, & conſequenter ex iure paſtorali debebant audire vocem eius, & eum ſequi: errante illo, nonne tota erraſſet Eccleſia? & portæ inferi aduersùs eam præualuiſſent, contrà quam dixerat Chriſtus? Mitto, quæ ab alijs accuatim congeſta ſunt, & locum iſtum hac ratione concludo Supremum in religione ius ex Iuſtitia diſtributiua non niſi perſonæ ſummæ dignitatis conferri poteſt. Cum ergò in fide errare non poſſe, & alios omnes in ea confirmare, ſupremum in Religione ius ſit, dum Petro ius iſtud confertur à Chriſto, ei quoque ſupremam in Eccleſia dignitatem collatam fuiſſe fateri neceſſe eſt. Si verò ſummam hanc dignitatem ſoli Petro, & non alij cuicunque contulit Chriſtus, eſt certè extremæ dementiæ, omnes Apoſtolos æquales à Chriſto inſtitutos putare.

Si Apoſtoli omnes æquales erant Petro, quid ſibi voluit Chriſtus, quando Petrum piſcatum miſit, & non pro alijs, ſed pro ſe tantùm & pro Petro ipſo Magiſterij didrachma ſoluere iuſſit? [Quæſt. 75. Magiſter veſter non ſoluit didrachma, &c. inquit auctor quæſt. nou. & veter. Teſt. quo dicto, magiſtrum, vt pro omnibus ſolueret, conuenerunt. Saluator autem cùm pro ſe, & Petro dare iubet, pro omnibus exoluiſſe videtur: quia ſicut in ſaluatore erant omnes cauſæ magiſterij, ita & poſt ſaluatorem in Petro omnes continentur; ipſum enim conſtituit eſſe caput eorum, vt paſtor eſſet gregis dominici.] Si nullum inter Apoſtolos diſcrimen, cur omnib. alijs nauibus contemptis ſolam Petri nauiculam conſcendit Dominus? Hanc ſolam Eccleſiæ nauium aſcendit Dominus, inquit Ambroſius, in qua Petrus magiſter eſt conſtitutus. Matthæus relaturus Apoſtolarum nomina inquit, Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc: Primus Simon, qui dicitur Petus. Quo verò titulo primus? Certè non primus vocatione, quia Andreas frater eius eum primùm adduxit ad Ieſum Io. 1. Andreas ſecutus eſt ſaluatorem, ſed primatum non accepit Andreas, ſed Petrus, inquit Ambroſius. Non primus ætate, quia Petrus minor: vt inquit Epiphanius, non primus numero, quia nullus ſecundus, aut tertius, ſed omnes à Petro ſecundi. Quo ergò titulo primus, ſi dignitate, & gradu non ſit primus? ſi omnes inter ſe pares, cur nunquam alius quiſquam in Euangelio præfertur Petro, ſed ſemper omnibus Petrus? Luc. 8. [Non admiſit quemquam ſe ſequi, niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem. Luc. 22. Miſit Petrum & Ioannem. Matth. 17. Aſſumpſit Petrum, & Iacobum, & Ioannem. Marc. 13. Interrogabant eũ Petrus, Iacobus, Ioannes & Andreas. Ioan. vl. Erant ſimul Simon Petrus, & Thomas, & Nathanael, & filij Zebedæi, & alij ex diſcipulis eius duo. Non, certè caſu id factũ. Quatuor tali iacti caſu Venereum efficiunt (inquit Cicero de diuin. lib. 1.) Num etiam centum Venereos, ſi quadringentos talos ieceris, caſu futuros putas?] Tantum abeſt, vt quiſquam alius Petro præponatur, vt potiùs reliqui omnes vni Petro tanquam Duci, & capiti perpetuo ſubigantur. Matth. 1. [Et proſecutus eſt eum Simon, & qui cum eo erant. Luc. 8. Dixit Petrus, & qui cum illo erant. Luc. 8. Petrus verò, & qui cum illo erant. Marc. 16. Dicite Diſcipulis eius, & Petro. Act. 2. Stans Petrus cum vndecim: & ibidem, dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos. Act. 5. Petrus, & Apoſtoli dixerunt: & 1. Corint. 9. Numquid non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi, ſicut cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas, vbi Ambroſius: Ideò addit, & Cephas, quia cùm primus eſſet inter Apoſtolos, non refutabat ſumptus oblatos. Cephas ipſe eſt Simon Petrus. Cur autem poſtremò hic loco ponatur, ità Chryſoſt. Vide ſapientiam, eum, qui eſt Coriphæus, & primus, poſterius poſuit, nam quod eſt ex capitibus validius, tunc ponit, neque enim erat adeò mirandum,

Digitized by Google

oſtendere alios hoc facere, ſicut eum, qui ſtat in primo loco, & cui ſunt creditæ claues regni cœlorum.] Agnouit vbique Petrus primatum ſuum, exercuit ſemper dignitatem ſuam: Ipſe conuocatis fratribus ſufficiendum eſſe decernit alium ex diſcipulis in locum Iudæ. Act. 1. Ipſe poſt acceptum Spiritum ſanctum omnibus alijs tacentibus primus Euangelium promulgat. Ipſe primus in confirmationem fidei miracula edit, ſanato claudo ad portam Speciosam. Ipſe ſolus reliquis audientibus, & tacentibus Ananię, & Saphiræ hypocriſim conuincit, & punit. Ipſi ſoli Deus imponit primò conuerſionem gentium, Neque ſine ſymbolo capitis, [Macta & manduca.] ad ipſum tanquam ad caput, & principem ſuum Paulus aſcendit. [Poſt annos tres aſcendi Hieroſolymam videre Petrum. Os erat Apoſtolorum, & princeps, inquit Chryſoſt. hom. 87. in Io. propterea & Paulus eum præter alios viſurus aſcendit. Ambroſius verò, con. ad Gal. c. 1. Dignum fuit, vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apoſtolos, cui delegauerat Saluator curam Eccleſiarum: & Hieron. ep. 89. ad Aug. Tantæ Petrus auctoritatis fuit, vt Paulus in epiſtola ſua ſcripſerit: Deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum.] Petrum ſolùm baptizauit Chriſtus manibus ipſe ſuis, Petrus verò Andream, Iacobum, & Ioannem, & iſti reliquos. Petrum ſolùm Chriſtus Epiſcopum ordinauit; vt alia prætermittam ſuis quæque locis expendenda, & huic, quem Dei verbo teſte, tanto prærogatiuarum internallo omnes alios Apoſtolos Chriſtus præire voluit; huic, inquam, omnes alij iure diuino erunt æquales?

CAPVT X.

Teſtimonijs omnium ſæculorum confirmatur Petri Primatus.

POſt iacta per Chriſtum Eccleſiæ fundamenta nullum præterijt ſæculum, nulla ætas ſine aliquo teſtimonio illuſtri primatus Petri. Abſtulit quidem multa tempus edax rerum, & inuidioſa vetuſtas, tot nihilominus, tantaque reliquit, quot, quantaque quiuis impudentiſſimus non ſine pudore contemnat. Ea ego non omnia (ne vnicum iſtud caput monſtri inſtar reliquum libri corpus adæquet;) ſed aliqua dumtaxat in vnoquoque ſæculo percenſebo.

Occurrit in primo ſæculo Apoſtolorum contemporaneus Dionyſius Areopagita, qui de electione Matthię in Apoſtolatum loquens ait: [Atque etiam ipſe princeps diſcipulorum cum hierarchica decade condiſcipulorum ſuorum cùm ad ſupplendum, perficiendumque numerum hierarchici duodenarij veniſſet, Deo electionem religioſè, timidèque permiſit, cùm dixit: Oſtende nobis, quem elegeris, & alibi: Aderat Petrus ſupremum decus, & antiquiſſimum Theologorum Coriphæus,] princeps nimirùm, & caput.

Clementem Romanum B. Petri diſcipulum, & ſucceſſorem fortè non citaſſem, niſi Anonymus ipſe cap. 2. ex epiſtola 1. Clementis retuliſſet ad verbum, quæ ſubijcio, arbitratus ea fauere ſibi: [In illis ciuitatibus, in quibus olim apud Ethnicos primi flamines eorum, atque primi legis Doctores erant, Epiſcoporum primates poni, vel patriarchas B. Petrus præcepit, qui reliquorum Epiſcoporum cauſas, & maiora, quoties neceſſe foret, negotia in fide agitarent. Et paulò poſt: In illis autem ciuitatibus, in quibus dudum apud prædictos erant Archiflamines, quos tamen minores tenebant, quàm memoratos primates, Archiepiſcopos inſtitui præcepit, & infrà: In ſingulis verò reliquis ciuitatibus ſingulos, & non binos, vel ternos, aut plures Epiſcopos conſtitui præcepit, qui non primatum, aut Archiepiſcoporum, aut Metropolitanorum nomine; quia matres ciuitates non tenent, ſed Epiſcoporum tantùm vocabulo potirentur.] Hæc Clemens ad literam apud Anonymum, ex quibus vides totam Eccleſiaſticam politiam Petri ſolius imperio diſpoſitam eſſe. Reticuit tamen Anonymus, quod extremo illi verbo, potirentur, adiunxit Clemens. [Quoniam nec inter Apoſtolos ipſos par inſtitutio fuit, ſed vnus omnibus præfuit.]

In 2. Theophilus Antiochenus; [Socrus Petri Synagoga eſt, filiaque eius Eccleſia, quam Petrus regendam accepit.]

In 3. præter Tertullianum, & Cyprianum, de quibus abundè olim Hyppolitus Martyr: Princeps Petrus fidei petra, quem Beatum iudicauit Chriſtus Deus noſter, ille doctor Eccleſiæ, ille primus diſcipulorum, qui regni claues habuit. Orig. Scandalizati ſunt vniuerſi, in tantùm, vt Petrus quoque Apoſtolorum princeps tertiò denegarit. Euſebius Cæſarienſis: Petrus Apoſtolus natione Galilæus, Chriſtianorum Pontifex primus. Athanaſius: Etiam Petrus ipſe ſacrorum Apoſtolorum primarius poſt negationem lachrymatus eſt, receptus, & ſeruatus. Baſilius: ſi illud principis Apoſtolorum recordemur, meminerimuſque, quia poſt tot ſibi præclarè acta, & iterùm: Adminiſter talis, ac tantæ ſententiæ eſt B. Petrus, qui omnibus alijs diſcipulis antepoſitus fuit. Ambroſius: Petrum ſolum nominat, & ſibi comparat, quia primatum ipſe acceperat ad fundandam Eccleſiam, &c. Soli Petro gratia primatus eſt conceſſa inter Apoſtolos. Gaudentius Brixien. Solus cùm loquitur Petrus, nequaquam reliquorum credentium fides excluditur, ſed congruus ordo ſeruatur, dum principi Apoſtolorum primus locus iure defertur. Sophronius Hieroſolymitanus, Petro mundi procuratio committitur, & traduntur cœleſtium Theſaurorum claues. Supra cœtum Apoſtolorum conſtitutus eſt. Optatus Mileuitanus: Et cum hæc ita ſcripta ſine, bono tamen vnitatis B. Petrus, cui ſatis erat, ſi poſtquam negauit, ſolam veniam conſequeretur, & præferri Apoſtolis omnibus meruit, & claues regni cœlorum communicandas cæteris ſolus accepit. Et nonnullis interiectis: Ecce vt ſuprà dictum eſt, cæteris non agnoſcentibus, ſolus agnouit, cæteris non promittentibus ſolus promiſit, cæteris nec ſemel negantibus ter ſolus negauit; & tamen bono vnitatis de numero Apoſtolorum ſeparari non meruit. Vnde intelligitur omnia ordinata eſſe prouidentia Saluatoris, vt ipſe acciperet claues:

Inter-

Digitized by Google

Intereluſa eſt malitiæ via, ne Apoſtoli animo conciperent licentiam iudicandi, & ſecurè contemnerent eum, qui negauerat Chtiſtum. Stant tot innocentes, & peccator accipit claues, vt vnitatis negutium formaretur: Prouiſum eſt, vt peccatnr aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores. Quin etiam antè Parmeniano dixerat: Negare nnn potes, ſcire te in vrbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collocatam, in qua ſederit omnium Apnſtolorum caput Petrus, vnde & Cephas appellatus eſt, in qna vna Cathedra vnitas ab omuibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſibi ſingulas quique defenderent, vt iam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram altera collocaret. Hierouymus: Nullus de diſcipulis, neque Petrus, qui caput eſt Eccleſiæ, quia & ipſe negauit, &c. & alibi: Vt Porphyrio reſpondeant blaſphemanti, qui Pauli arguit procacitatem, quòd principem Apoſtolorum Petrum auſus eſt reprehendere. Cyrillus Hieroſolymitanus: Nemo deſperet de ſua ſalute, Petrus princeps excellentiſſimus Apoſtolorum coram ancilla ter negauit Dominum, & alibi: Omnibus Apoſtolis reticentibus (ſuprà vires enim erat hæc doctrina) Petrus princeps Apoſtolorum, & ſupremus Eccleſiæ præco dicit, &c. & tertiò: In eadem Spiritus ſancti virtute, & princeps Apoſtolorum, & regni cœlorum clauiger Petrus Liddę in Chriſti nomine paraliticum Æneam curauit. Ephrem Syrus; Sicut Moyſes ſocietatis illius, & coniunctionis Hebræorum iuſſu Dei princeps fuit, ita Petrus Eccleſiæ Chriſtianorum. Atque vt ille veteris, ſic hic noui teſtamenti princeps. Nazianzenus: Occurrunt hinc antiquus ille iudex Manue, inde Petrus Eccleſiæ columen. Epiphanius; Deus, qui nouit vocationes cordium, & ſcit, qui dignus ſit primo loco locari, elegit Petrum, vt eſſet dux ſuorum diſcipulorum, & alibi: Ipſe Dominus conſtituit Petrum primum diſcipulorum petram firmam, &c. quæ ſuprà citata ſunt: Iuxtà enim omnem modum in ipſo firmata eſt fides, qui accipit claues cœlorum, & ſoluit in terra, & ligat in cœlo. Chryſoſtomus; Abluit illam abnegationem, vt etiam primus Apoſtolorum fuerit factus, ac terrarum orbem ſolus ſubiecerit. Pergitque alibi cumulare laudibus Petrum; Permiſſus eſt peccare is, cui Eccleſia credenda erat, illa videlicet Eccleſiarum columna, & portus fidei. Petrus orbis terrarum magiſter peccare permiſſus fuit ob eam maximè cauſam, quòd populorum multitudo illi credenda erat, & alibi; Indicat nobis Marcus Petrum eſſe omnibus prælatum. Neque laudibus eius parcit vnquam Chryſoſtomus; Siquidem cùm magna Chriſtus Petro communicaſſet, orbis terrarum curam demandaſſet, martyrium prædixiſſet. Et ad Antiochenus: Petrum ad priorem reduxit honorem pœnitentia, & ei per totum terrarum Orbem Eccleſię præſidentiam tradidit. Et in pſalmos: Columna illa Eccleſiæ, illa fidei baſis, illud Apoſtolici chori caput Petrus, an non ſemel, & iterùm, ac tertiò Dominum abiurauit?]

In quinto ſæculo Auguſtinus explicans lotionem pedum poſt ſupremam Domini cœnam, negat alium quemquam lotum, priuſquam lauaretur Petrus; quare non ità accipiendum, quod Ioannes ait; venit ergo ad Simonem Petrum, quaſi aliquibus iam lauiſſet, & poſt eos veniſſet ad primum. Quis enim neſciat, inquit, primum Apoſtolorum eſſe Beatiſſimum Petrum? Sed quòd ab illo cœperit, & alibi; Puto quòd ſine vlla ſui contumelia Cyprianus Epiſcopus Petro Apoſtolo comparatur, quantum attinet ad martyrij coronam; cæterum magis vereri debeo, [ne in Petrum contumelioſus exiſtam; Quis enim neſciat illum Apoſtolatus principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum? & infrà, in Apoſtolo Petro primatus Apoſtolorum excellenti gratia præeminet.

S. Paulinus Nolanus;

Biſſeno princeps ſuper agmine Diſcipulorum
Petrus.

Et alibi;

——Ac proceres Deus ipſos mœnibus amplis
Intulit, & paucos functos diuiſit in oras;
Quos tamen antè obitum toto dedit orbe magiſtros.
Inde Petrum, & Paulum fixit in vrbe,
Principibus quoniam medicis caput orbis egebat.

Maximus Taurinenſis [Quanti ergò meriti apud Deum ſuum Petrus erat, vt ei poſt naiculæ paruæ remigium totius Eccleſię gubernacula traderentur?] Philippus presbyter Romanæ Sedis legatus præſidens nomine Cęleſtini Papæ Concilio Epheſino primo [Gratias agimus ſanctæ, venerandæque huic Synodo, quòd literis Cœleſtini ſanctiſſimi, beatiſſimique Papæ vobis recitatis, ſancta Eccleſię membra, ſanctis veſtris vocibus pijſque præconijs ſancto veſtro capiti vos exhibueritis. Non enim ignara eſt veſtra Beatitudo, totius fidei, omniumquè cœterorum Apoſtolorum caput B. Apoſtolum Petrum extitiſſe.] Et ad eamdem Synodum idem Philippus die ſequenti: [Nulli dubium, imò ſæculis omnibus notum eſt, ſanctum, beatiſſimumque Petrum Apoſtolorum principem, & caput, fideique columnam, Eccleſiæ Catholicæ fundamentum à Domino Ieſu Chriſto Saluatore noſtro, humanique generis redemptore cęleſtis regni claues accepiſſe, ſoluendique, atque ligandi poteſtate, quam acceperat, vſum fuiſſe. Ioannes Caſſianus; Interrogemus ſummum illum, & inter Diſcipulos Diſcipulum, & inter magiſtros magiſtrum, qui Romanæ Eccleſiæ gubernacula regens: ſicut fidei habuit, ita & ſacerdotij principatum. Dic nobis quęſumus Apoſtolorum princeps petre.] Philo Carpatiorum Epiſcopus in ea Canticorum verba: [Caput eius aurum Cephas.] Petrus, inquit [qui & Cęphas caput Eccleſiæ ipſius ſponſæ aliquando futurus erat.] Cyrillus Alexandrinus explicans illud Ioan. Domine ad quem ibimus? [Per vnum, qui præerat, omnes reſpondent; ſanctam profectò, ſanctiſque congruentem diſciplinam optimè conſeruantes, & poſterioribus prudentiæ, & modeſtiæ laudabilia præbentes exempla. Decet enim non

omnes confuſè, nec proſilientes impudenter, quaſi tapra vri oratione, ſed cedere ijs, qui & conſilio, & ordine præpoſiti ſunt. Opus erat igitur diuinitus comprobatæ prudentiæ ſoli reſponſionem committere illi, qui ordine maior erat. Eadem ratione alibi: B. Petrus diſcipulorum omnium princeps narranti, quæ paſſurus erat ſaluatori reſiſtebat clamans &c. & iterum: Petrus, vt princeps, caputque cæterorum exclamanie. Iſidorus Peluſiota: Apoſtoli ea, quæ cæperunt, literis complexi ſunt, velut Petrus Apoſtolici Chori Præſul in eo libro, quo res ſuas geſtas narrat, Quem propterea appellat alibi Apoſtolici ſodalitij Coriphæum, & Apoſtolorum Anteſignanum. Petrus Chryſologus: Petrus miſit ſe in mare: vt eſſet primus in reditu, qui acceperat in ordine principatum. Et iterum; Petrus Apoſtolici chori vetuſtum teneat principatum.]

Vereor Lector, ne in proſequendis ſigillatim, percenſendiſque totius antiquitatis, tum verbis, tum ſententijs vrbanè minus agam, quàm par ſit: quare quodam quaſi indice ſæculorum ſequentium inſtituto, inſignioribuſque dumtaxat quibuſdam Auctoribus, & locis deſignatis, huic capiti finem imponam. Itaque in ſexto ſæculo teſtimonia illuſtria ſunt epiſt. omnium Eccleſiarum per Illyricum ad Papam Symmachum. Aurel. Caſſiodorus lib. de amicit. cap. quali diſcr. benefac. Arator Hiſtor. Apoſt. lib. 2. Gildas ſapiens corrept. in Eccleſ. ord. In 7. ſæculo Iſidorus Hiſpalenſis de vita, & morte Sanctorum cap. 69. Hildelphonſus Toletanus ſer. 5. de Aſſumpt. Mariæ, Aldhelmus de laudib. Virginit. ad ſacr. Virg. cap. 28. & epiſt. ad Gerum. In 8. ſæculo Aponius lib. 2. in Cant. Beda ad cap. 13. Ioan. & Hom. in die Apoſt. Petri, & Pauli. In 9. ſæculo Theodor. Studites duabus epiſt. ad Paſchalem Papam, & de Imag. Ignat. Epiſc. Conſtat. ad Hadrian. Papam Walafrid. Strabo de reb. Eccleſ. cap. 52. Rabanus Maurus ad Matth. cap. 16. & ad cap. vlt. Ioan. In 10. ſæculo Altercatio Synag. & Eccleſ. cap. 19. Luithprandus Ticinenſis lib. 6. cap 8. & Luithprandus Cremonenſis ſi alius eſt in legat. pro Othon. & Adelh. Theophylact. ad Matth. cap. 16. & 21. Io. Simeon Metaphraſtes in Encom. Ioan. in 11. ſæculo Petr. Damian. ſerm. 1. de B. Andrea Apoſt. Anſelmus ad cap. 16. Matth. Iuo Carnotenſis epiſt. 54. Euthymius ad Matth. cap. 16. Marci 16. & Ioan. 21. in 12. ſæculo Honor. Auguſt. ſerm. de Decollat. Sancti Ioannis Baptiſtæ, Hugo de S. Victore ſerm. 64. de Apoſt. Petro, & Paulo Bernard. ſerm. 3. de ſept. miſericord. fragm. & de conſider. ad Eugen. lib. 2. & epiſt. 237. ad eumdem Oth. Friſingen. lib. 3. chron. cap. 15. Hugo Erethrian. de proceſs. Spirit. ſancti lib. 3. cap. 17. Godefred. Viterbienſis chron. pat. 14. Adam Victorinus Proſa de Petro, & Paulo. In tertiodecimo ſæculo Iacobus Vitria. hiſtor. orient. cap. 75. Albertus Magnus ad Matth. cap. 10. Thom. de Aquin. con. err. Græc. lib. 1. c. 32. Guibertus Tornac. de offic. Eccleſ. cap. 35. Albertus Stadenſis in chron. Itaque ſupremam Eccleſiæ poteſtatem per mille trecentos, & amplius annos renuerat Petrus, his, alijſque innumeris grauiſſimis viris vtriuſque Eccleſiæ aſſertoribus, quando Marſilius primùm eam illi eripere aggreſſus eſt, ſcelus, quod quando etiam ſolo tot, tantorumque virorum conſenſu improbaretur, nemo niſi impudentiſſimus attentaſſet, nemo niſi ſine mente, ſine fronte, ſine Deo tentanti manus dediſſet. Alia tamen adhuc antiquitas exhibet teſtimonia, & hæc eò maiora, quò ſanctiora, & Anonymo noſtro ſingulariter venerata.

Marcellus primus Papa epiſt. 1. [Ipſe eſt caput totius Eccleſiæ, cui ait Dominus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.] Melchiades ad Epiſcopos Campaniæ [Licèt cunctorum Apoſtolorum par eſſet electio, Beato tamen Petro conceſſum eſt, vt alijs præemineret. Iulius primus epiſt. ad orient: Inter Beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cùm omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineret. Syricius epiſt. 4. Per quem Petrum, & Apoſtolatus, & Epiſcopatus in Chriſto cæpit exordium.] Eadem penitus Innoc. primus epiſt. ad Vict. Leo Magnus ſerm de Aſſumpt. [Vnus de toto mundo Petrus eligitur, qui & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur, vt quamuis in populo Dei multi ſacerdotes ſint, multique paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit, & Chriſtus.] Gelaſius epiſt. 11. ad Epiſcopos Dardaniæ, loquens de Eccleſiæ Romanæ primatu [Pro ſuo, inquit, principatu, quem B. Petrus Apoſtolus Domini voce præceptum Eccleſia nihilominùs ſubſequente, & tenuit ſemper, & retinet. Gregorius Magnus lib. 4. epiſt. 32. Cunctis Euangelium ſcientibus liquet, quòd voce dominica ſancto, & omnium Apoſtolorum principi Petro Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt.] Quæ ad literam ingeminantur ab Adriano primo epiſt. 3. Nicolaus primus epiſt. ad Mediolanenſes [Eccleſiam Romanam ſolus ipſe fundauit, & ſuper petram fidei mox naſcentis erexit, qui B. Petro æternæ vitæ clauigero terreni ſimul, & cæleſtis imperij iura commiſit.] Mitto cæteros pontifices, qui ſequuntur, quorum ſententia damnari ſe confitetur Anonymus, & ſupra centum alia teſtimonia à Catholicis ſcriptoribus obſeruata. Hæc igitur aliaque permulta ſcripturæ, Pontificum, Conciliorum, Patrum monumenta ſunt, quibus inſtructi catholici neque minis, & terrore ſchiſmaticorum, & hæreticorum principum concuti, neque ſpe, & præmijs allici, neque blaſphemantis Marſilij, & ſectatorum præſtigijs ſeduci potuerunt, vt Petri vexillum desererent, ſed quocumque prælatum, & explicatum eſt, illuc ſemper iterunt.

CAPVT XI.

Diluuntur quatuordecim argumenta pro paritate Petri, & omnium Apoſtolorum.

POſtquam Iob vir Dei quoque teſtimonio [iuſtus, rectus, & timens Deum, & recedens à malo] recenſuit varia opera charitatis, in quibus ſingulari cum beneficentia erga proximos, vſque ab ineunte ætate exercuerat ſe: in hanc exclamationem prorupit,

[Quis

[Quis mihi tribuat auditorem, vt deſiderium meum audiat omnipotens, & librum ſcribat ipſe, qui iudicat, vt in humero meo portem illum, & circumdem illum quaſi coronam mihi? Per ſingulos gradus meos pronuntiabo illum, & quaſi principi offeram eum.] Hæc eadem Anonymus decertaturus contra Eccleſiam Dei in primo ignorantiarum, & blaſphemiarum ſuarum veſtibulo collocauit impudens, quaſi ipſe Iob, Rex Angliæ Deo, impietas, & ignorantia eius eximiæ charitati ſancti illius viri proportione reſponderent. Lingua quò vadis? quæ conuentio luci ad tenebras? Chriſti ad Belial? ſancto ad ſacrilegum? Deo ad abominationem deſolationis, quæ ſtat in loco ſancto? Charitati ad Apoſtaſiam? Quærit Tertullianus [A quo intellectus interpretur eorum, quæ ad hæreſes faciunt? & quæſtionem ſoluit: A diabolo, dicens, cuius ſunt partes interuortendi veritatem, qui ipſas quoque res ſacramentorum diuinorum in Idolorum myſterijs æmulatur] reque, exemplis luculenter explicata concludit [Qui ergò ipſas res, de quibus ſacramenta Chriſti adminiſtrantur, tam æmulanter affectauit, exprimere in negotijs Idololatriæ, vtique & idem, & eodem ingenio geſtijt, & potuit Inſtrumenta quoque diuinarum rerum, & Sacramentorum Chriſtianorum, ſenſum de ſenſibus, verba de verbis, parabolas de parabolis prophanæ, & æmulæ fidei attemperare] Si ad amuſſim quadret id in Anonymum, vide tu lector. Interim ego à verbis ad argumenta.

Si Apoſtolorum inſtitutionem, & acta percurrimus (quibus Epiſcopos iure dinino ſucceſſiſſe probabimus) nullam neque ordinis, neque iuriſdictionis ratione inter eos præcedentiam dari poſſe inueniemus. Qua inuincibili ratione fatendum erit, neque inter eorum ſucceſſores, quibuſcumque populis præfecti fuerint, præeminentiam aliquam dari poſſe.

In Apoſtolis tria ſeorſim conſideranda ſunt. Primò Apoſtolatus. Secundò ſacerdotium, ſeu presbyteratus. Tertiò adminiſtratio ſacræ Politiæ, quæ deſignatur nomine pontificatus. Quo ad inſtitutionem, & munera Apoſtolatus; omnes Apoſtolos pares confitemur. Quo ad inſtitutionem, & munera presbyteratus item: At inæquales aſſerimus ratione pontificatus. Elegit duodecim, eoſque nominauit Apoſtolos Mat. 10. Marc. 3. Luc. 6. quorum munus eſſe voluit, Euangelizare, teſtificari, prædicare omnibus gentibus, miracula patrare.

Eoſdem Sacerdotes ordinauit Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. ad Corinth. 11. collata poteſtate conficiendi ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, & offerendi Deo incruentum ſacrificium corporis, & ſanguinis ſui. Huic poteſtati mox annexuit alteram dimittendi peccata in foro interiori Io. 20.

Ad Apoſtolatum, & ſacerdotium, quæ communia fuerunt Chriſto cum Apoſtolis, vt dicebamus cap. 2. accedebat in Chriſto iuriſdictio, & adminiſtratio politica rerum ſacrarum, quæ in eo ſolo tanquam in ſupremo capite reſedit, quamdiù terras incoluit. Tranſlata nimirùm à Synagoga ad Eccleſiam, à Leui ad Iudam, ab Aarone ad Chriſtum. Cathedra Moyſis quicquid religioſum eſt, & ad Deum attinet, perindè, ac ouile ad paſtorem ſuum iure pontificatus ad Chriſtum pertinebat.

Hanc aſcenſurus ad patrem non conceſſit Redemptor alijs Apoſtolis (quando enim?) ſed vni Petro, ſicut antè tot ſymbolis ſe facturum promiſerat, & conſequenter vno iſto iure quo ad ordinem politicum omnibus alijs Apoſtolis Petrum præpoſuit, omnes alios Apoſtolos Petro ſubiecit, ſicut à tota Eccleſia Chriſti paulò ante conclamatum eſt. Quare vtcumque probet Anonymus Apoſtolos pares in inſtitutione, & munere Apoſtolatus, in inſtitutione, & munere presbyteratus, addamus etiam, ſi libet, in inſtitutione, & munere Epiſcopatus, non tamen probabit quo ad ordinem politicum, qui à iuriſdictione proficiſcitur, pares, niſi probet, alios Apoſtolos ęquè inſtitutos fuiſſe Petri paſtores, atque Petrus totius Eccleſię, & aliorum Apoſtolorum paſtor, princeps nimirùm, & caput creatus eſt.

Etiam in Religionis ſtatu ſunt diuerſi gradus, profeſſi, ſacerdotes, magiſtri, Prælati. Quo ad profeſſiones omnes fratres ſunt pares. Quo ad ſacerdotij poteſtatem omnes ſacerdotes ęquales ſunt, quocumque loco politico ſint: Quo ad munera magiſterij non magis magiſter eſt miniſter generalis quocumque priuato. At quo ad adminiſtrationem politicam, & ordinem eius, impares ſumus, quando, etſi multi miniſtri ſunt, vnicus tamen ſit noſter paſtor, & miniſter ſupremus, reliqui omnes huius paſtoris oues, huius capitis membra. Anonymus, qui quodnam ſit verum, & politicum pedis, & capitis diſcrimen ignorat, ebrij, cęci, & amentis inſtar contra primatum Petri iaculatur, & nunquam collineat. Sed nunc Apoſtolatum, nunc preſbyteratum confìgit; interdum, nec hunc, nec illum, ſed ęthera, & nihil.

Apoſtolis omnium populorum cura demandata fuit, Matth. cap. vlt. [Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. & ibidem: Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.] Quæ verba Origenes interpretatur Apoſtolis ſimul congregatis Dominum dixiſſe.

Reſp. Quid, miſer, Origenem, quem nunquam legiſti, & neſcis, quo in loco id dicat, interpretem adhibes in re conſpicua? Si Euangeliſtam legiſſes, quem, & quo in loco citaſti, non euocaſſe ab inferis Orig. qui (ſi non 1600.) 200. ſaltem annis, poſtquam id dixerat Chriſtus, teſtificetur hoc dictum eſſe Apoſtolis ſimul congregatis. Audi Euangeliſtam Matth. abſque Origene: [Vndecim autem Diſcipuli abierunt in Galilæam, in montem, vbi conſtituerat illis Ieſus, & videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt. Et accedens Ieſus locutus eſt eis, Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra. Euntes ergo docete, &c.] Hoc argumentum, quod Marſilius primum obiecit, ineptiſſimum eſt, & inſulſiſſimum. Exercitu ad pugnam inſtructo, omnes Commilitones hortatur Imperator ad decertandum viriliter, & ſtrenuè: annè ideò militem, Centurionem, Tribunum, Præfectum inter pugnandum quo ad adminiſtrationem politicam, & ordinem eius pari omnibus iure eſſe conclu-

des?

des? Non, ſi noo inſanis. Perindè ſacis Anonyme, ac ſi colligere velles, omnes numeros eſſe inter ſe æquales ſimpliciter, quia omnes in vnitate conueniunt, aut ſimpliciter æquales quaternarium, & quinarium, quia vterque æqualiter continet vnitatem, binarium & ternarium. Argumenta ſunt hæc ex officina artis ſophyſticæ, & contentioſæ profecta, non è ſchola Chriſti. Non ab vna, aut à pluribus partib. numerorum æqualitas ſimpliciter ęſtimatur, Anonyme, ſed ęqualitas ſecundùm quid, ea autem, quam ſimpliciter dicunt ab omnibus; neque ab vna, aut à pluribus partibna, ab vno, ant pluribus muneribus hominum æqualitas ſimpliciter pendet, ſed æqualitas ſecundùm quid, ęqualitas autem ſimpliciter ab omnibus. Continet ternarium, quicquid continet binarius, at non viciſſim binarius, quicquid ternarius, quare ternarius binario ſimpliciter maior, binarius ternario ſimpliciter, & abſolutè minor. Pari ratione quicquid Apoſtolatum tangit, & Apoſtolis omnibus conceſſum eſt, id omnes Petro quoque à Chriſto conceſſum, at non viciſſim, quicquid conceſſum Petro, idipſum conceſſum à Chriſto alija Apoſtolis. Non enim paſtoralis dignitas, & adminiſtratio ſuprema iuris Dei. Quare æquales ſint, licèt quò ad munera Apoſtolatus, cuiuſmodi eſt baptizare, & docere omnes gentes, nihilominus quò ad ordinem politicum Petrus fuit reliquis maior, reliqui Petro minores, & conſequenter Petro reliqui æquales ſecundùm quid, minores ſimpliciter.

Item Ioan. cap. 20. Inſufflauit, & dixit eis, Anonym. 2. argum. [Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.

Reſp. In eodem luto hærea Anonyme tuo, hoc argumento, quod ex Witteleffo & Centuriatoribus deſumpſiſti, & eò ſœdius, quòd hunc in modum non ſolùm Apoſtolos Petro, ſed etiam omnes diſcipulos Apoſtolis æquales ſacis. Non enim Apoſtolis tantùm, ſed alijs etiam inſufflaſſe Dominum, & ea verba dixiſſe conſtat ex ſancto Luc. cap. vlt. Quippè duo illi Diſcipuli, quibuſcum fuerat Dominus in Emaus, regreſſi ſunt in Hieruſalem, & inuenerunt congregatos vndecim, & qui cum illis erant, dicentes, quia ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni: Et ipſi narrabant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis. Dum autem hæc loquuntur, ſtetit Ieſus in medio eorum, & dixit eis, Pax vobis, &c. Tunc inſufflauit & dixit. Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt,] vt narrat Sanctus Ioannes. Hæc itaque non Apoſtolis tantùm, quibus ſuccedunt Epiſcopi, ſed diſcipulis etiam, quibus ſuccedunt presbyteri, dicta ſunt, & inſufflatum à Chriſto. Idcircò Eccleſia vtitur eiſdem ſignis in conſecratione Sacerdotum; & Catholici vnanimes tuentur, per ea conferri poteſtatem ordinis, non poteſtatem Iuriſdictionis fori exterioris, & datam poteſtatem ligandi & ſoluendi in foro poli, vt aiunt, quæ omnibus ſimplicibus Sacerdotibus cum ordine datur; non autem in foro fori, quæ ſuperiorem politicum conſtituit. Fac tamen ſolis Apoſtolis dicta eſſe, quid inde? Æqualiſne eſt Epiſcopo presbyter? non; niſi fallor. Quid ergo hinc omnes Apoſtolos pares Petro eſſe concludis, ſi nullam aliam poteſtatem accipiunt, niſi quæ omnibus ſimplicibus presbyteris datur? [Anonym. 3. argum. Omnibus æqualiter Cælorum claues traditæ fuerunt, Matth. 18.

Reſp. Claues Regni Cælorum hoc loco Apoſtolis datas eſſe, falſum eſt (ſi in verbis ſcripturæ tantùm aciem intendas,) quando de clauibus ibi nulla mentio fiat. Cum enim dixiſſet Chriſtus, quòd ſi quis Eccleſiam audire noluiſſet, is haberetur tanquam ethnicus, & publicanus, hoc vnum adiecit: [Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo. Qui contra deſertaa & exploſaa interpretationes Origenis, & Theophylacti, cum Chryſoſt. Homil. 61. Hieron. in comment. & Auguſt. comment. aduer. leg. & Proph. c. 17. ſentiunt, hoc loco ſermonem haberi de poteſtate iuriſdictionis, in tres diſtrahuntur opiniones. Poteſtatem regiminis, & adminiſtrationis politicæ his verbis datam Apoſtolis ſentiunt Caietan. tom. 1. opuſc. tract. 3. cap. 5. & Victor. Relect. 2. de pot. Eccl. nu. 9. Non datam, ſed promiſſam Turrecremata, lib. 2. cap. 61. Bellarminus de Rom. Pont. lib. 1. cap. 12. & de cenſ. diſp. 1. ſect. 2. Suarez. Neque datam, neque promiſſam ſanctus Thomas in comment. ad Matth. cap. 18. Hic ponitur, inquit, [efficacia huius ſententiæ. Quia poſſet aliquis dicere, quid curo ego, ſi Eccleſiæ dicatur, & ſim excommunicatus: ideò oſtendit efficaciam iſtam, Amen dico vobis, &c.] Quare Sancti Doctoris ſententia eſt, eſſe hæc verba adiecta à Redemptore ad indicandum robur Eccleſiaſticæ excommunicationis ex ratihibitione diuina, quę ipſiſſima ibid. S. Hieronymi expoſitio eſt. [Quālibet ex tribus iſtis ſententijs admittaa Anonyme (aliam enim re excogitaturum non opinor,) nihil concludes contra primatum Petri. Enimuerò ſi primam ſequaris, reſpondebunt eius auctores, quòd quamuis æqua poteſtas hoc loco Apoſtolis à Chriſto tributa ſit, æqualitas tamen ſublata eſt Ioannis 21. quando vni Petro tanquam paſtori totum ouile Chriſti ſubiectum eſt. Si ſecundam, dicent promiſſam quidem hanc poteſtatem Apoſtolis, & datam, ſed immediatè Petro, & per Petrum alijs, vt in eo tanquam in capite, fonte, & radice perpetuò Eccleſiæ vnitas ſeruaretur. Si tertiam, nihil ad primatum erit hoc argumentum, cum Chriſtus ſolius excommunicationis ratihibitionem polliceatur. [Facultas enim excommunicandi ſi non ſimplici animarum curæ annexa eſt, vt placet nonnullis, quos citat D. Thom. in 4. ſent. diſt. 18. q. 2. art. 2. ſaltem annexa eſt Epiſcopatui ſimplici, vt fert communis, & vera, quare tantum abeſt ab apice poteſtatis facultas iſta, quantum à dignitate Pontificia, ſi non Parochialis, ſaltē quæ illi proxima infra ordinem Archiepiſcoporum, Primatum & Patriarcharum Epiſcopos ſimplices locat.

Æqualiter alios vita exemplari docere iubet, ſic luceat lux veſtra coram hominibus. Pariter omnibus infirmitates curandi; Dæmo-

moneſque eijciendi poteſtatem dedit, Mar. cap. 3. Matth. cap. 10.

Reſp. Hanc poteſtatem non Apoſtolis tantùm, ſed diſcipulis etiam conceſſit, Marci. 3. & Ioan. vlt. omnibus Chriſtianis. [Signa autem, inquit, eos, qui crediderint, hæc ſequentur, in nomine men Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent. & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt.] Quare aut argumentum hoc nihil concludit, aut concludit, omnes fideles fuiſſe æquales Apoſtolis. Quod etſi à nonnullis hæreticis dictum eſt, non tamen à te, cui non magis probatur Illyrici Democratia, quàm Catholicorum Monarchia. Caneri itaque more, vt Apoſtolus ait, ſerpis Anonyme, qui primùm ęquaſti Petro omnes Apoſtolos, mox omnes Presbyteros, & demùm omnes fideles.

Reuerſi à prædicatione ſeptuaginta dixerunt, etiam Dæmonia ſubijciuntur nobis.

Reſp. Nunc tandem Anonyme agnoſco, & confiteor te hominem acutiſſimum, & Logicum ſingularem. Quare argumentum tuum ad regulas logicas expendamus. Concluſio, quam probandam aſſumis, eſt: Duodecim Apoſtoli ſunt pares poteſtate: Hanc colligis per enthymema, tanquam conſequens ex antecedenti, quia ſeptuaginta dixerunt, etiam dæmonia ſubijciuntur nobis. Enthymema itaque, Septuaginta æqualem poteſtatem habuerunt in dæmones; ergo duodecim Apoſtoli æqualem poteſtatem habuerunt. Hoc conſequens illi antecedenti colligari non poteſt, niſi iuxta regulas Logices adijciatur minor propoſitio, quæ affirmet medium terminum de minori extremo, Septuaginta de duodecim, atque ita argumentum Cathegoricum in forma ſit. Septuaginta habuerunt æqualem poteſtatem in dæmones: Sed duodecim Apoſtoli ſunt ſeptuaginta diſcipuli: Ergo duodecim Apoſtoli æqualem poteſtatem habuerunt. Lepidum ſanè argumentum, & acutum. Fac tamen donare me tibi, duodecim Apoſtolos eſſe ſeptuaginta diſcipulos, an ideò, quicquã concludes? non opinor, Æthiops eſt albus ſecundum dentes, ergo Æthiops eſt albus: Apoſtoli habent æqualem poteſtatem in dæmonia, ergo habent eandem poteſtatem. Anonymus credit in Deum, quod etiam Turcæ credunt, ergo Anonymi, & Turcarum eadem fides. Hæc omnia ad eandem fallaciam ſpectant, quam Ariſtoteles vocat à ſecundùm quid ad ſimpliciter. Niſi tu fortè dicas, in te non eſſe fallaciam, quia in reliquis etiam credas, quæ Turcæ credunt, quod non grauatè concedam.

Sextum argumentum Anonimus Ioan. 20. Volens Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam poteſtatem Apoſtolis datam confirmare, ſicut pater miſit me, ergo mitto vos, accipite Spiritum Sanctum.

Reſp. Magna quidem colligunt nonnulli ex his verbis Chriſti; at ego ſequendos arbitror Thom. Auguſt. Chryſoſt. Cyrill., & ſi qui alij SS. Patrum locum iſtum interpretati ſunt. Auguſtin. tractat. 121. in Ioann, ſimilitudinem miſſionis conſtitutam putat in authoritate mittentis. Thomas in Commentarijs & in hac, & in paſſione miſſorum. Gregorius M. hom. 28. in Euang. & in hac, & in charitate mittentis. Chryſoſt. hom. 85. in in Ioan. contrahit eam ad remiſſionem peccatorum. Cyrillus lib. 12. cap. 55. in Io. his verbis ordinaſſe Apoſtolos, ait, orbis Doctores, & diuinorum myſteriorum miniſtros. At quòd eis conceſſerit eandem poteſtatem, quam capite ſequenti ſeorſim Petro conceſſit, nemo vnquam aſſeruit.

Octauum argumentum. Iacobus non à ſolo Petro, ſed cum Apoſtolis ordinatus eſt Epiſcopus, & Anacletus in ipſa epiſt. 2. Porrò, ait, [Hieroſolymitanorum primus Archiepiſcopus Beatus Iacobus, qui iuſtus dicebatur, & ſecundùm carnem Domini vocatus eſt frater, à Petro, Iacobo & Ioanne Apoſtolis ordinatus eſt.]

Reſp. Si Iacobus Apoſtolus, quomodo omnes Apoſtoli à Chriſti Epiſcopi ordinati ſunt? quomodo eos omnes Chriſtus reliquit pares, vti contendis? Neque ex eo, quòd duo alij Epiſcopi ordinauerunt Iacobum vnà cum Petro, ſequitur, quod arbitraris, nimirùm Iacobum, & Ioannem Petro à Chriſto pares fuiſſe. Si non mentiri velis Chryſoſtomum, qui Inquit, Hom. 87. in Io. [Quòd ſi quis percunctaretur, quomodo Iacobus ſedem Hieroſolymis acceperit, reſponderem: hunc totius Orbis magiſtrum præpoſuiſſe Petrum.] [Neque dicas, quòd ſicut tres illi ſimul ordinauerunt Iacobum, ſic ipſi pariter præordinati fuerint à Redemprore, quia, vt dixi, per te omnes pares à Chriſto. Iacobum iuſtum non fecit Epiſcopum Chriſtus, ergo ex Apoſtolis nullum. Quomodo enim illos dicas pares, quorum alij Epiſcopi ſint, alij non Epiſcopi? Si verò eos ordinatos à Chriſto, non aliundè concludis, quàm ab hac ordinatione Iacobi, perperam, & fallaciſſimè colligis. Pari enim ratione efficeretur, quòd etiam tres iſtos baptizaſſet Chriſtus, quia tres illi reliquos baptizarunt. Quod tamen falſum eſſe aſſerit illorum temporum author Euodius Petri diſcipulus, & ſucceſſor in Epiſtola, quam inſcripſit *Fhos*. [Chriſtus, inquit, manibus ipſe ſuis Petrum tantummodo baptizauit, Petrus porrò Andream, & filios Zebedæi, hi deinceps reliquos alios.] Atque ita in conferendo baptiſmo proſeruit Chriſtus ordinem, quo conferendus erat Epiſcopatus.

Nouum argumentum. Item in electione Matthiæ omnes Apoſtoli fuerunt Act. c. 1. Quod D. Hieronymus ſuper Ioan. cap. 1. explicat, & Beda in dict. cap. 1. Act. dicunt Apoſtolos nonniſi collecto fratrum cœtu, precibuſque ad Deum fuſis id egiſſe.

Reſp. Dixi paulò antè, te eandem habere fidem, quam Turcæ, nec pænitet. Credunt ſcilicet Turcæ ſcriptoribus ſacris noui teſtamenti perindè, ac quibuslibet alijs ſcriptoribus prophanis. Dum verò tu probas hiſtoriam cap. 1. Actuum Apoſtolorum, nimirùm quòd Apoſtoli nonniſi collecto fratrum cętu, precibuſque ad Deum fuſis Matthiam elegerunt, quia Hieronymus, & Beda ita factum fuiſſe dicunt, nonne hoc ipſum dicis; quòd eſt verbum Dei eſſe verum, quia conteſtes habet Hieronymum, & Bedam? Tantine verò facis Dei verbum? vbi Deus apertè loquutus eſt, quaſi incertum ſit, verone,

ne, au ſalsò locutus ſit, homiois teſtimonio Deum vera dixiſſe probare audes? Nonne hoc Turcicum eſt vel, quod peius eſt, atheum? Vide prætcrea in quot errata labaris? Quod Hieronymus, inquis, explicat ſuper Ionam, cap. 1. Nihil ibi Hieronymus explicat huius capitis; ſed de ſortitiooe nautarum in Ionam loqueus, hoc vnum ait, [Nec ſtatim debemus ſub hoc exemplo ſorribus credere, vel illud de actibus Apoſtolorum huic teſtimonio copulare, vbi ſorte in Apoſtolatum Matthias eligitur, cùm priuilegia ſingulorum non poſſint facere legem communem.] Neque plura; & hanc (quod ad rem artinet) appellas explicationem, in qua de rei ſubſtantia nec verbum, nec apex? Certè longè explicatior ibi eſt Lucas, quàm ſit hic Hieronymus. Ipſummet audi. Poſtquam percenſuit nomina vndecim Apoſtolorum, ſubdit: [Hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Ieſu, & fratribus eius, & continuò: In diebus illis exſurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat autem turba hominum ſimul ferè centum viginti.) Vides Apoſtolos iam, & frarres congregatos. De precibus audi illud ipſum capitulum, quod citaſti, & orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende, quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum miniſterij huius, & Apoſtolatus, de quo præuaricatus eſt Iudas.] Habes itaque Apoſtolos, habes fratres congregatos, habes eorum preces ad Deum fuſas, & hæc ita perſpicua, vt nec ſol quidem magis, etiam ſine explicatione Hieronymi. Adde quòd Hieronymus ne per ſomnium quidem quicquam ibi dicit, vel de Apoſtolis, vel de fratrum cœtu, vel de precibus ad Deum fuſis, ſed ea tantùm, quæ poſui: & te non pudet adeò nefariè, & proſtitutè mentiri? At inquies, fortaſſe te non inducere Hieronymum, ſed ſolùm Bedam dicentem, Apoſtolos nonniſi collecto, &c. Fac ita eſſe, quo pacto ſtare poterit, Beda, qui dicunt? Hinc itaque ſolęco, mendacio inde obſideris, cede vtri lubet. Inquis tu, in electione Matthiæ omnes Apoſtoli fuerunt: Atq; hinc colligis, quòd omnes Apoſtoli parem poteſtatem habuerunt. Ineptiſſima conſequentia: Romæ habentur conſiſtoria, in quibus à Papa cum voto Cardinaliũ de rebus ad Eccleſię vniuerſalis regimen attinentibus deliberatur. In Germaoia, in Gallia, in Anglia habentur Comitia, in quibus grauiora Regnorum ſuorum negotia vnuſquiſque princeps cum ſuo conſeſſu determinat. Non eſt tamen in toto orbe quiſquam adeò inſanus, qui hinc colligat, Papæ Cardinales, Imperatori, & Regibus illis principes, Germaoiæ, Galliæ, & Britanniæ ſubiectos noo eſſe, ſed cum illis æquo in omnibus iure. Falſum itaque eſt, quòd quicunque deliberationibus publicis interſunt, ijdem pares ſint in omnibus poteſtate. Quod vel ex hac ipſa electione Matthiæ intelligere poteras, ſi hunc ipſum librum, quem obijcis, in fonte vidiſſes. Interfuerunt enim huic electioni cum Apoſtolis ex turba etiam, & plebe homines 120. Quare vel dic, turbam ipſam, & plebem in rebus Eccleſiæ ęqualem poteſtatem habuiſſe tunc cum Apoſtolis, & habere nunc cum Epiſcopis, quod & falſum eſt, & tibi non arridet, vel tuũ paralogyſmum confitere. Non oſtendis itaque tu ex hoc loco, neque oſtendere potes, Apoſtolos ęquales Petro, ſicut ego hinc eorum omnium caput, & principem illum oſtendam.

Eccleſia proditione, & ſuſpendio Iudæ vno Apoſtolo viduata, nemo ex toto fratrum cœtu fuit, qui vel de ſufficiendo Apoſtolis Collega, vel de Apoſtolatus vacuitate tuenda ad Eccleſiam referre auderet, quando muneris, & dignitatis ſuæ memor Petrus exurgens in medio fratrum dixit:] Et ſumma orationis eius fuit: ſubſtituendum eſſe aliquem in locum Iudæ, eumque non ex quibuſcunque fratribus, ſed ijs duntaxat, qui ibi tunc aderant. Neque quemcunque ex illis, ſed aliquem, qui rebus à Chriſto geſtis à baptiſmate vſque ad aſcenſionem interfuiſſet. [Oportet, inquit, ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Ieſus, incipiens à baptiſmate Ioannis vſque in diem, qua aſſumptus eſt à nobis, teſtem Reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis.] Et vbi perorauit, ei ab vniuerſo cœtu obtemperatum, ſubſortitique ſunt in locum Iudę Matthiam. Petrus itaque ſolus tria in hac electione vendicat ſibi, quę nunquam vẽdicaſſet, niſi aliorum omnium princeps, & caput fuiſſet. Primò, non permitrit aliorum conſultationi, an ſubrogandum ſit in locum Iudæ, ſed ſubrogandum decernit. Secundò, non reliquit liberam electionem perſonæ, ſed coarctat eam ad illos qui aderant. Tertiò, perſtringit magis, ex ijs nimirùm, qui aderant, ad eos tantùm, qui à baptiſmate ad Aſcenſionem Chriſtum ſecuti fuerant. [Suntne Principis hæc, Anonyme, an priuati? Paſtoris, an ouis? Rectè itaque Chryſoſt. hunc in locum: [Quam agnoſcit Petrus commiſſum ſibi gregem? quàm in hoc choro princeps eſt? Et Oecumenius: Surgit Petrus non Iacobus, vt is, cui præſidentia diſcipulorum commiſſa erat. Neque vllus orationi Petri contradixit, ſed mox ad eius præceptum conſtituerunt duos, quos digniſſimos eo gradu exiſtimabant, vt vnum eorum Deus ipſe deſignaret.] Eſt itaq; Matthiæ electio teſtimonium Monarchiæ Petri, non argumentum Ariſtocratiæ hæreticorum. At quæres forſan, ſi Petrus princeps erat, & caput, cur non arbitratu ſuo Matthiam ipſe ſuffecit; ſed alijs ipſius electionem permiſit? Audi Chryſoſt. Hom. 3. in Act. Apoſt. [Quid? an non licebat ipſi eligere? Licebat, & quidem maximè. Verùm id non fecit, ne cui videtur gratificari.

10. Argumentum. Præterea cùm ageretur de legalibus veteris teſtamenti ſeruandis, vel non, & quæſtio fidem tangeret, Iacobus Epiſcopus Hieroſolymorum ſententiam dixit: act. cap. 15. Ego iudico. Quod igitur Iacobus dixit, Petro adſcribi non potuit, vt plurimi falsò autumant, & tandem ex verbis, Ego iudico, concludit: Omninò igitur fatendum eſt, nullam Petri in hoc auctoritatem interueniſſe.

Reſp. Cauſa eius Concilij conuocandi fuit, quòd Paulo, & Barnaba Antiochiæ Euangelium prædicantibus, nonulli conuerſi ex Iudæis ad fidem Hieroſolymis eò profecti prædicare cœperunt conuerſis ex gentilitate,

quòd

quòd niſi circumciderentur ſecundùm legem Moyſis, ſalui eſſe non poterant, Paulo,& Barnaba cõtrarium aſſerentibus grauis inter eos controuerſia orta eſt, atque ita in oppoſitas, cùm ſententias, tum partes, Eccleſia diſtrahi cœpit. Hanc ob cauſam communi fidelium conſenſu ſtatutum eſt, vt hinc Paulus & Barnabas, inde alij aliquot contrariæ factionis Hieroſolymam irent petituri ab Apoſtolis,& Senioribus controuerſiæ ſolutionem. [Et ſi quæras, cur Paulum Apoſtolum, & apoſtolum per antonomaſiam in hac cauſa amandarint Antiocheni ad eos Apoſtolos, qui erant Hieroſolymis, reſpondebo, propter principatum Petri, cuius erat fratres confirmare, qui alijs per orbem diuiſis, ſolus cum Iacobo Hieroſolymis tunc commorabatur, vt habet Paulus ipſe ad Galatas cap. 1. Legatione audita, viſum morem gerendum eſſe paruulis illis in Chriſto, & ſicut optabant, conuocatis etiam ſenioribus rem expedire. Eoque maximè, quòd vbi Hieroſolymam delata res eſt, [ſurrexerunt quidam de hęreſi Phariſæorum, qui crediderant, dicentes non tantùm circumcidi eos oportere, verùm etiam eis præcipere ſeruare legem Moyſi. Conuenerunt itaque Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc. Cùm autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit.] Vide Anonyme, quiſnam in dicenda ſententia principem ſibi vendicet locum? Hanc verò orationem habuit: [Viri fratres, vos ſcitis, quòd ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, ac credere; & qui nouit corda Deus, teſtimonium perhibuit, dans illi Spiritum ſanctum, ſicut & nobis, & nihil diſcreuit inter nos, & illos fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus?ſed per gratiam Domini Ieſu Chriſti credimus ſaluari ſicut & illi.] Hiſque dictis, conticuit. Senſit itaque Petrus, non teneri fideles ad legem Moyſis. Sequitur Lucas: [Tacuit autem omnis multitudo, & audiebat Paulum, & Barnabam narrantes, quanta Deus feciſſet ſignat, & prodigia in gentibus per eos.] Quare Paulus, & Barnabas confirmabant teſtimonio ſuo Petri ſententiam, qui ea ratione collegerat, non eſſe neceſſarium ad ſalutem ſeruare legem Moyſis, quòd etiam gentibus incircumciſis ſola fide purgatis Deus Spiritum ſanctum dediſſet, quod non feciſſet,ſi præter fidem circimciſio etiam neceſſaria eſſet ad ſalutem. [Pergit Scriptura, Et poſtquam tacuerunt, reſpondit Iacobus, dicens: Viri fratres audite me.] Tertiò itaque loco loquitur Iacobus, neque contra, ſed pro Petri ſententia hunc in modum: [Simon narrauit, quemadmodum Deus viſitauit ſumere ex gentibus populum nomini ſuo, & huic concordant verba Prophetarum.] Productoq; pro Petri ſententia teſtimonio Amos, tandem concludit, Propter quod ego iudico. Vide rationem iudicij totam pendere ab vna Petri ſententia? abſolutè dixiſſet, ego iudico, cauillari poſſes, Anonyme, quòd nulla, vt ais, interuenerit Petri auctoritas in iudicio Iacobi. At dum ipſe apertè, palàm, explicatè it in ſententiam Petri,& dicit, [propter quod ego iudico non inquietari eos,qui ex gentibus conuertentur ad Deum,] tuam hanc mentiendi licentiam non poſſum non mirari. Rectè itaque Hieronymus: [Tacuit autem omnis multitudo, & in ſententiam eius Iacobus Apoſtolus, & omnes ſimul presbyteri tranſierunt.] Quare ibidem non Iacobum, ſed Betrum huius decreti principem appellat.

Vndecimum Argumentum addit: [Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, nihil vltrà vobis imponere,] nihil de Petro tangitur. Quod ſi eius auctoritate factum eſſet, Petro ipſi adſcribi opus fuiſſet, vt Canoniſtæ profitentur in cap. non ſatis de Simonia, & in cap. ad Apoſtolica de re iudicata lib. 6. & in cap. vbi periculum de elect. l. 6.

Reſpon. Putidiſſimum mendacium eſt, quòd Iacobus addat ea verba iudicio ſuo, ſed multò pòſt inſeruntur epiſtolæ, quam Apoſtoli, & ſeniores dederunt Paulo, & Barnabæ ad Antiochenos. Bone Deus, qui fieri poteſt, vt talium mendaciorum te non pudeat? Duo præterea dicis, quæ ſimul conſiſtere nequeunt. Ais primò, ſolius Iacobi iudicio, & auctoritate totam hanc controuerſiam expeditam eſſe. Ais ſecundò, quòd acta eius nomini adſcribi debent, cuius auctoritate terminantur. His datis, quorsùm euadas, non video: Si enim acta conciliaria inſcribuntur eius nomini, cuius auctoritate concluduntur, mentiris, dum ais auctoritate Iacobi rem hanc concluſam eſſe, quia in literis Concilij id non adſcribitur Iacobo, ſed Concilio. Et rursùm ſi quod Iacobi auctoritate geſtum eſt, id non adſcribitur Iacobo, ſed Concilio, falſum eſt, quòd eius nomini acta adſcribenda ſint, cuius auctoritate concluduntur. Nodum hunc ſolue, ſi potes: Ego autem fidenter affirmo rem totam Petri iudicio, & auctoritate à Concilio geſtam eſſe. [Quando ſubijcis:ergo Petro ipſi adſcribi opus erat: nego hanc tuam illationem:poterat enim adſcribi tam illis, à quibus geſta erat, quàm ei, cuius auctoritate geſta erat. Atque ita ſequentibus ſæculis vtrumque factitatum in Eccleſia Dei, ſicut innumera iura teſtantur. [At inquis, quòd iuxta doctrinam Canoniſtarum in capit. Non ſatis, &c. illius nomini acta adſcribere dedebant Apoſtoli, cuius auctoritate geſta erant: Miſer, Apoſtoli à Canoniſtis diſcere debeant, quomodo ſibi ſcribendum? ſequi debeant Apoſtoli Canones tot poſt ſæculi natos? Si tamen ſequendos ſibi Canoniſtas duxiſſent apoſtoli, cur non grauiſſimos illos viros, qui quando lex, aut res originatur à Concilio, eam Concilio, non Papæ adſcribi debere cenſuerunt?

Duodecim argumentum. Idem factum eſt, cùm viros boni teſtimonij elegerunt, qui Diaconorum officium exercerent: act. c.8.

Reſp. Tu idem factum dicis, nos idem factum reſpondemus,& factum id ab apoſtolis tanquam à toto Collegij corpore, ſatis colligunt viri docti ex Græco *oi dodeca*.

Decimumtertium argumentum. Etiam Apoſtoli miſerunt Petrum, atque Ioannem, actorum capite octauo; & cùm miſſi fuiſſent, parem poteſtatem habuiſſe dicuntur Petrus, & Ioannes capite octauo,[Nam ſeruus maior

E Do-

Domino eſſe non poteſt;] Io. capite decimo tertio, neque miſſus mittente.

Reſp. Hæc obiectio, quam primatui Petri poſt Marſilium omnes hæretici ſemper oppoſuerunt, millies à noſtris ſcriptoribus detrita eſt, & quando nihil noni adijcit Anonymus, mihi quoque ſat erit repetijſſe, quæ ad eam ab alijs longè antè dicta ſunt. Miſſio triplex eſt, auctoritatis imperio, amicitiæ officio, prouidentiæ conſilio. Prima miſſio ſuperioritatem dicit in mittente, & de ea loquitur Chriſtus Io. 13. non reliquæ duæ, & quia Anonymus tanquam lucifuga ſolem Cardinalem Baronium odit, & auerſatur, communem Catholicorum doctrinam vnius Baronij verbis ipſi opponere lubet. Hanc igitur miſſionem expendens Baronius ad annum Chriſti 35. inquit: [Hine videas, quantopere hallucinentur nouatores, qui cæco furore in Petrum inſanientes, de illius primatu dettahere non erubeſcunt, eò quòd à cæteris mittatur Apoſtolis, quaſi inferioris numeri ſit habendus is, qui mittitur, ab ijs, qui miſerunt illum, ſapiant hac ratione, & idem dicant, quod Arius, filium, quòd à Patre ſie miſſus, eſſe Patre minorem.] Ignorare inſuper conuincuntur complura in Scriptura diuina, & innumera, quæ ſunt de his in prophanis ſcriptis exempla, quibus ſatis ſuperque perſpicuum redditur, ad ea, quæ maximi omnium viſa ſunt eſſe momenti, peragenda, qui inter cæteros primarum gererent, legatos miſſos, qui non ſic quidem miſſi dicerentur, quaſi à maiore minores, & vt à Domino ſubditi, ſed quòd rogarentur ob ſalutem omnium eam ſuſcipere functionem, ſubijciam ex his alterum ex veteri, alterum verò ex nouo teſtamento exemplum, addam & tertium ex auctore prophano, vt res omni ſcripturarum genere reſtata reddatur. [Legitur in primis in libro Iosuæ filios Iſrael, vt de re magna ad inueſtigandum de altari, quod trans Iordanem erexerant filij] Ruben, & Gad, & media tribus Manaſſe in terra Galaad, miſiſſe Phineem, qui habebatur omnium princeps, & decem alios, qui in ſingulis decem tribubus primatum agerent: Rursùm ſimili huic vrgente cauſa ad perquirendum quid de gentilibus, qui Chriſto crederent, agendum eſſet, cùm circumcidi deberent, qui erant Antiochiæ fideles, Paulum & Barnabam miſerunt ad conſulendum Apoſtolos Hieroſolymam, quod Sanctus Lucas teſtatur in Actis: [Sed quid prophanus auctor, & in his, quæ ſunt Iudæorum, Ioſephus Iudæus in hanc ſententiam ſcribat, adducamus in medium. Iudæi, qui erant Hieroſolymis, cùm aduersùs Agrippam eorum Regem, nec non aduersùs Feſtum Præſidem cauſam haberent, miſerunt Romam ad Neronem Imperatorem ex primoribus Iudæorum decem legatos, ac cum eis Iſmaelem ſummum Pontificem, & qui huic ſecundus ordine videbatur, Chelchiam Sacri cuſtodem ærarij. Ecce quàm inualidis, & planè inefficacibus rationibus obnitantur in primatum Petri, quem omnium Principem eadem hæc ipſa potiùs declarare videntur.] Hæc Baronius.]Porrò miſſionis cauſa fuit hæc: Simon Magus mitis præſtigijs Samaritanis illuſerat, [adeò vt omnes crederent in illum à minimo vſque ad maximum appellantes illum Dei virtutem, quæ vocabatur magna. Phillippus Iudæorum perſecutionem deuitans eò ſe contulerat, Samaritaſque prædicatione ſua, & miraculis ad Chriſti fidem conuerterat. Non poterat tamen aliquo viſibili ſigno illos conferre Spiritum ſanctum. Quem niſi reciperent, periculum erat ne mox in priſtinos errores relaberentur. Quiſnam verò ex Apoſtolis tantam prouinciam ſuſcipere deberet, dubitatum non eſt; Per Petrum ſcilicet Spiritus Sanctus iam operari cœperat: verbo enim ſanauerat claudum ad portam Speciosam: verbo conuertetat ad fidem circiter tria hominum millia: in carcerem cum Ioanne propter fidem conjectus mirabiliter à Deo ereptus fuerat: verbo interemerat Ananiam & Saphiram mentientes Spiritui S. Quare vnus Petrus huic prouinciæ par rem tantam aggredi poſſe videbatur. Huc accedit, quòd Deus vni Petro præoſtenderat linteum ſymbolum vocationis gentium, eique vni dixerat, macta, & manduca. Ac demum Apoſtolis notum erat, tum ex nomine Petræ, & lapidis angularis, quod ei indiderat Chriſtus, tum ex ſuprema poteſtate, quam ſolus in terris acceperat, & denique ex prophetarum vaticinijs, quòd Petrum iam pridem ad hoc munus elegerat Deus. Quare Act. 15. pro concione dixerat: [Viri fratres vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere.] Et Iacobus mox teſtimonijs prophetarum Petri aſſertionem confirmauerat. Petrus itaque quia tanquam princeps, & caput aliorum omnium primus ad id ab æterno ordinatus erat à Deo, & hanc peculiarem prouinciam ei vice ſua impoſuerat Chriſtus, non auctoritatis imperio, ſed piæ ſuggeſtionis conſilio ab Apoſtolis in Samariam miſſus eſt. Et hoc non eſt argumentum primatus, & principatus?

14. Argum. Et in poſſeſſionum diuiſione non ſolùm Petrus interfuit Act. capit. 4. quod Clemens Papa in epiſt. 5. declarat.

Reſp. De communione pretij poſſeſſionum, quæ vendebantur, Anonyme, non de poſſeſſionibus diuidundis ibi loquitur Lucas, tuque ſemper peruerſi, & præpoſteri aliquid coaxas. Audi ipſum: vbi dixiſſet, [quòd multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, paulò poſt ſubijcit: Quotquot enim poſſeſſores agrorum, ac domorum erant; vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Diuidebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat:]& hoc ipſum eſt, quod ſcribit Clemens epiſtol. 5. Sed qua methodo hinc euerti poſſe putas primatum Petri? Accipiendis pecunijs Petrus non interfuit ſolus, ergo Petrus non fuit Apoſtolorum caput? Lunam facilius è Cœlo deduxeris, quàm hoc conſequens ab illo antecedenti. Vide verò, quàm facilè ab eadem re colligatur Petri Primatus. Fraudato pretio poſſeſſionum ab Anania & Saphira, delataque tantùm eius parte ad pedes Apoſtolorū, ex omnibus Apoſtolis ſolus Petrus loquitur, ſolus examinat, ſolus ius dicit ſolus punit ſolus interimit, conticeſcunt reliqui omnes; & hinc

tu

tu Petri principatum non concludes? Hæc ea ſunt Lector, quibus Anonymus Petrum à Chriſto æquali cum cæteris Apoſtolis gradu, locoque in Eccleſia collacatum eſſe,& perſuaſus eſt, & alijs perſuadere poſſe ſperauit, ex quibus apertiſſimè vides, quàm verè de hæreticis à Iob dictum ſit: [Palpabunt quaſi in tenebris, & non in luce, & errares eos faciet quaſi ebrios.

CAPVT XII.

Enodantur argumenta pro paritate Petri & Pauli.

MArſilius, VVitcleffus, Lutherus, & reliqua nouatorum turba vbi priorem ſpem de paritate omnium Apoſtolorum extenuari, & euaneſcere præſenſerunt, aliam machinationem commoliti ſunt in Petri primatum [Paulus, inquiunt, parem cum Petro poteſtatem habuit, ergo Petrus non fuit Apoſtolorum, & Eccleſiæ vniuerſalis Hierarcha] Sequitur eorum cùm ſententiam, tum argumenta Anonymus, quàm fœliciter videamus.

Anonym. Paulus parem cum Petro poteſtatem] habuit, quod ex epiſtola Pauli ad [Galat. cap. 2. deducitur: Cum cognouiſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Iacobus & Ioannes, qui videbantur Columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis. Item ibi: Mihi autem,qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt, id eſt, principales Apoſtoli nihil contulerunt in notitia Euangelij, ſed è contra ego contuli eis, vt exponit Nicolaus de Lyra. Mox clariùs exprimit, cùm vidiſſent,quòd creditum mihi eſt Euangelium præputij, ſicut & Petro circumciſionis: qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatu circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes Ergò Paulus non à Petro, ſed à Chriſto hoc officium ſuſcepit. Et ibi gloſſa Auguſt. hoc amplius exprimens dicit: Qui videbantur eſſe aliquid, ſcilicet Petrus, & qui cum Domino fuerant, nihil addiderunt mihi, in quo apparet, quòd illis inferior non ego ſum, quia ita à Domino perfectus ſum, vt nihil eſſet, quod in collatione perfectioni adderent. Ad hoc etiam probandum Nicoaus addit: Cùm vidiſſent, quòd mihi creditum eſt Euangelium præputij, id eſt, officium Apoſtolatus ad prædicandum gentibus, & Petro circumciſionis, id eſt, officium Apoſtolatus ad prædicandum Iudæis. Qui enim operatus Petro, &c. Ab eodem .n. vterque ad fidem, & Apoſtolatum euocatus,ergo æquè principaliter miſſi fuerunt & cùm ſequitur: Cùm autem veniſſet Petrus Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia repræhenſibilis erat, quod non auderet, niſi ſe non imparem ſentiret.]

Reſp. Totum ſecundum caput Epiſt. ad Gal. anonyme, luxaſti, peruertiſti,mutilaſti, quare ſuo quæque loco collocata omnia, quę obieciſti, expendamus. Galatas agreſte, & durum hominum genus Paulus excoluerat in fide Chriſti, ſed poſt eius diſceſſum eos aggreſſi propugnatores legalium ſubuerterant, multa in Paulum mentiti, ſed duo præſertim; Quòd non eſſet Apoſtolus Chriſti, ſed Apoſtolorum, & quòd doctrinam ſuam non accepiſſet à Chriſto, ſed ab Apoſtolis, à quibus etiam in hoc dogmate diſſideret. Quare eius doctrinæ non fuiſſe fidendum. Repellit in hac epiſtola has calumnias Paulus, præſertimque 1. & 2. capitib. narrans ex ordine vocationem ſuam, profectum, viſitationem Petri, Apoſtolatum, doctrinæ approbationem & alia, quæ huc attinent, & ſpeciatim c. 2. inquit: [Deindè poſt annos quatuordecim iterum aſcendi Hieroſolymam cum Barnaba aſſumpto, & Tito. Huius profectionis cauſam hanc ſubijcit: Aſcendi autem ſecundum reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus: ſeorsùm autem ijs, qui videbantur aliquid eſſe, ne in vacuum currerem, aut cucuriſſem. [Oſtendit, inquit, Hieronymus (honorificè quidem de Petro, minùs tamen verè quàm Ambroſ.) ep. 89. ſe non habuiſſe ſecuritatem Euangelij prædicandi, niſi Petri, & qui cum eo fuerant ſententia roboratum, & Tertull.l. con. Mar. 5. Denique ad patrocinium Petri, cæterurumque Apoſtolorum aſcendiſſe Hieroſolymam poſt annos quatuordecim ſcribit, vt conferret de Euangelij ſui regula, ne in vacuum tot annis cucurriſſet, aut curreret, ſi quid ſcilicet citra formam illorum euangelizaret, adeò ab illis probari, & conſtabiliri deſiderabat.] Hos autem, cum quibus contulit, paulò poſt explicitè nominat,Petrum, Iacobum & Ioannem, æmulatione deindè explicata,quæ huius itineris ſuſcipiendi cauſa fuerat, ſubiungit: [Ab ijs autem, qui videbantur eſſe aliquid, quales aliquando fuerint, nihil mea intereſt: Deus perſonam hominis non accipit, mihi qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt.] Perindè ac ſi dicat,communicato Euangelio meo cum ijs, qui tunc æſtimabantur præcipui Apoſtolorum; quales olim fuerint, piſcatores nimirùm & rudes, mihique eruditione & doctrina minimè conferendi, nihil ad me, quia in collocandis muneribus ſuis hanc perſonarum rationem non habet Deus, hi inquam, qui communi conſenſu cenſebantur Apoſtolo um Coriphæi, de ſuo ne iota quidem mihi communicarunt. Vndè ſequitur, falſum eſſe,quod eius æmuli ſpargebant in vulgus, ipſum non Deo, ſed hominibus Euangelium ſuum acceptum referre.[Itaque ſi expendamus totum hunc locum, & colligamus, quæ hactenus dicta ſunt, ſumma erit, quòd Paulus contulit cum Petro, & cæteris Euangelium ſuum. ne in cacuum curreret; Petrus & reliqui nihil de ſuo cum Paulo contulerunt, tum quia ipſe inſtitutione non indigebat, à Deo edoctus; tum quia ſi non conferrent, non metuendum erat eis, ſicut Paulo, ne in vacuum cucurriſſent. Hoc verò vt non minorem in Paulo, quàm in Petro doctrinam arguit, ita maioris certè in Petro, quàm in Paulo dignitatis & poteſtatis eſt argumentū, non enim Petrus ad Paulum, ſed Paulus ad Petrum ire: non Petrus cum Paulo, ſed Paulus cum Petro Euangelium ſuum conferre iubetur. Tanta tamen eſt Anonymi & hæreticorum cœcitas, vt Hæbreorum inſtar. videntes non videant, audientes non audiant, intelligentes non intelligant. Sequitur Apoſtolus.

[Sed è contra cùm vidiſſent, quòd creditum eſt mihi Euangelium præputij, ſicut & Petro circumciſionis (qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes) & cum cognouiſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui vocabantur Columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis, vt nos in gentes, ipſi autem in circumciſionem.]

At ſi Apoſtolus dicat. Non tantùm, qui cenſebantur Apoſtolorum eximij, quicquam de ſuo mihi non contulerunt, ſed è contra potiùs, cum ex miraculorum vi, & energia, (quæ me euangelizante in gentibus ediderat Deus, eis affinia, quæ effecerat, Petro Iudæis euangelizante)cum inquam ex hac gratia mihi collata cognouiſſent, quòd Deus credidiſſet mihi munus euangelizandi gentibus, perindè atque Petro prouinciam euangelizandi Iudæis, dederunt ſociales dexteras mihi, & Barnabæ, ſummaque animi conſenſione inter nos conuenit, vt nos gentibus, ipſi Iudæis euangelium nunciaremus. Hactenus de Iuriſdictione nihil, ſed tantùm de munere prædicandi, euangelizandi, miracula patrandi, quæ omnia ad Apoſtolatum ſpectant, non ad Pontificatum. [Nos verò tantum abeſt, vt Paulo eximio Apoſtolorum Petrum anteferamus in munere Apoſtolatus,vt potiùs & Paulum, & omnes alios Petro in poteſtate Apoſtolatus pares eſſe dicamus, neque Apoſtolos, qua Apoſtolos miſſos arbitramur à Petro, ſed à Chriſto, ſi enim eos non Chriſtus, ſed Petrus miſiſſet, non amplius Apoſtoli Chriſti, ſed Petri Apoſtoli eſſent. Tota inæqualitatis noſtræ ratio in ſolo ordine politico poſita eſt, cuius hìc apertè Paulus primas Petro concedit. Quòd ſi quicquam ex dextera ſociali contra Petri primatum pro Paulo colligi poſſe putat Anonymus, cur non, & contra Pauli pro Barnaba? non enim Paulo tantùm, ſed Paulo, & Barnabæ dexteras ſociales dederunt Apoſtoli: attamen certum eſt Barnabam non tantùm Petro non eſſe coæquatum, ſed in præcipuorum Apoſtolorum numerum ne receptum quidem. Si ergo hæc dextera Barnabam Paulo non adæquat, quo iure Petro Paulum æquare poterit? Tertullianus de præſcr. [Dexteras ei dederunt ſignum concordiæ, & conuenientiæ.]

Cæterùm quod Apoſtolus ait, inter eos conueniſſe, quòd Petrus, & ſocij Hebræis, ipſe & Barnabas gentibus prædicarent, non ita intelligendum, vt Petrus, & ſocij abdicarint à ſe facultatem euangelizandi gentibus, Paulus, & Barnabas Hebræis, ſed cùm vnuſquiſque omnibus in locis eſſe non poſſet, vt vbique annunciaretur Verbum Dei, has quaſi prouincias ſibi ad prædicandum diuiſiſſe: retento tamen iure Apoſtolatus, quo omni creaturæ prædicare, omnes gentes docere, & baptizare poterant. Hinc Paulus Iudæos ſæpius docuit Act. cap.9.13.14. Damaſci, Salaminæ, Antiochiæ, Ichonij, & alibi. Petrus verò, & primus gentibus prædicauit, & primus eas Eccleſiæ inſerere iuſſus eſt, & pro concione Act. 15. dixit, quòd Deus determinauerat ab æterno gentes per os eius audire, & credere, multas in Italia, & alibi fundauit Eccleſias, & vnà cum Paulo Romæ gentibus prædicans, Martyrij coronam accepit; Ioannes verò in Aſia gentibus ſimul, & Iudæis prædicans Epheſi iam ſenex obijt, Philippus in Aſia, Andreas in Achaia, Iacobus Hieroſolymis, & cæteri Apoſtoli per diuerſas orbis partes Iudæis, & Gentibus prædicando peragrantes, in Domino dormierunt.

Quod poſtremò obijcit, Petrum à Paulo reprehenſum de obſeruantia legalium, res leuiſſima eſt, omnium licèt hæreticorum calamis ſordidata. Primùm quia Paulus non nominat Petrum, ſed Cepham, hunc autem non B. Petrum, ſed vnum è ſeptuaginta diſcipulis eiuſdem nominis fuiſſe, tradiderunt Dorotheus in Synopſi, Clemens lib. 4. diſpoſ. & Euſebius Cæſareenſis. Primò hiſtoriarum, Euſebius ſcilicet, qui Romanæ fidei, & Apoſtolicæ Cathedræ fuit infenſiſſimus hoſtis, & Dorotheus, ac Clemens, qui ante omnem de hac reprehenſione controuerſiam exortam, ſcripſerunt, ab vtriuſque partis odio, & amore liberi.

Secundò, quia qui concedunt hunc Cepham Petrum Apoſtolum eſſe, non omnes ſentiunt, Petrum à Paulo verè reprehenſum, quòd verè erraret, ſed permulti ex compoſito vtrumque Apoſtolum ſimulaſſe putant, quæcumque hic narrantur à Paulo. Volebant enim tam Petrus, quam Paulus perſuadere fratribus Iudæis legalium obſeruantiam, non tantùm gentilibus (quod iam decreuerant;) ſed neque Iudæis ipſis eſſe neceſſariam ad ſalutem, contra quàm exiſtimabat Eccleſia circumciſorum. Nulla verò ratione meliùs, faciliuſque id fieri poſſe arbitrati ſunt, quàm ſi Petrus abſtineret à conuictu gentilium, ac ſi ſentiret cum fratribus Iudæis de ciborum delectu. Dum enim hinc arrepta occaſione Paulus eum publicè argueret, & ipſe æquo animo corripientem audiret, & quaſi errantem ſe in viam reuocari à Paulo pateretur, in eo vno, vtpotè Eccleſiæ capite, facilè fuiſſet omnes fratres Iudæos ad bonam frugem reducere. Quam ſententiam ſequuti ſunt Origenes, & alij, quos refert, & ſequitur Hieronymus epiſt.89. [prætereàque Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Oecumenius, & Caſſianus. Eiſque fauere videntur Græca exemplaria, quæ vbi legimus, [reſtiti in faciem,] habent *catà proſopon*, id eſt, ſecundùm ſpeciem, & apparentiam, vt ponderat Chryſoſt. Et vbi noſtra habent, quia reprehenſibilis erat, Græca *categnoſmenos*, id eſt, reprehenſus. quomodo legit Ambroſius, & cum Chryſoſtomo plerique interpretantur: vt ſenſus ſit, quòd quando Petrum Paulus reprehendi vidit à gentilibus conuerſis, ac ſi peccaret, hac arrepta occaſione, tum demùm in eius reprehenſionem proſiluit.

Alij è contra in hac hiſtoria nihil fictum, nihil ſimulatum agnoſcunt, ſed Petrum verè à Paulo reprehenſum exiſtimant, quòd dum antiquatæ legis cæremonias ſeruaret, gentes exemplo ſuo Moſaico iugo ſubijcere velle videretur: Cuius ſententiæ Auguſt. princeps eſt contra Hieronymum.

Si Cephas reprehenſus non fuit Petrus Apoſtolus, nihil ad rem hic locus, ſi ſimulata, & compoſita fuit hiſtoria, multò minùs: tantùm ſi Cephas Petrus ſit, & reprehenſus

verè,

verè, obiectio aduerſarij nonnullum ſcrupolum inijcit. Quare neruus diſſicultatis ad limites admodùm anguſtos coarctatur. At ne ſic quidem obeſt, res enim iuxta hanc ſententiam ità ſe haber. Petrus cum Antiochiæ degeret, Christiana libertate cum gentibus cibum capiebar, ſuperuenerunt autem interim quidam Iudæi à Iacobo Apoſtolo ad Petrum miſſi. Tum Petrus cogitare cœpit, vix poſſe ſe offenſionem, aut gentilium, aut Iudæorum euadere. Nam ſi pergeret cum gentibus cibum capere, ſine dubio Iudæos offendiſſet, qui cùm in fide eſſent infirmi, nondum ſibi perſuadere poterant licere Iudæis cibis gentium vti: ſin autem ſegregaret ſe à gentibus, & ſeorſim cum Iudæis cibum ſumeret, in offenſionem gentilium incurriſſet, quippè qui aut Petri lenitatem arguerent, aut exemplo tanti viri ipſi quoque iudaizare inciperent. Itaque in hac animi fluctuatione elegit, quod minus malum putauit, vt videlicet quia Iudæis præſertim prædicabat, & eorum conuerſionem ſpeciatim ſibi delegerat, Gentiles potiùs, quàm Iudæos offenderet. Quare abſtinendum ſibi duxit à conuictu gentilium, quamdiu Iudæi adeſſent, & ſimulationi eius, inquit Paulus, [conſenſerunt cæteri Iudæi, ità vt & Barnabas duceretur in illam ſimulationem.] Paulus memor præcepti Domini, ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, audienſque Petrum hac de cauſa à gentilibus vehementer reprehendi, ac poſtremò deſpiciens, quòd ea ſimulatio non eſſet è re euangelica, cum cæteri Iudæi à conuictu gentilium abſtinerent, non ſicuti Petrus, ſed quia illicitum eſſe arbitrabantur, electionem Petri improbauit, de eaque ſimulatione publicè Petrum corripuit. [Etſi enim Petro Paulus iuriſdictione inferior, & ſubditus erat, tamen erat ei par iure Apoſtolatus, & quò ad fidei defenſionem, inquit Sanctus Thomas. Ne tamen putaremus exceſſiſſe Paulum limites ſuos, arrogaſſeque ſibi vllam iuriſdictionem in Petrum, eademmet verba ſubijcit, quibus vſus eſt, [Dixi Cephæ coràm omnibus: Si tu cum Iudæus ſis, gentilitèr, & non iudaicè viuis, quomodo gentes cogis iudaizare?] Quodnam quæſo verbum hìc eſt, quod iuriſdictionem, & ſuperioritatem redoleat? Ità coarguit Petrum, vt non damnare factum, ſed facti potiùs rationem ſciſcitari, & doceri velle videatur. Quid humiliùs? Quid modeſtiùs? Sola correptio ſuperioritatis, & præeminentiæ argumentum non eſt. Nam vt inquit S. Gregorius; [Sicut decretum, laudabileque eſt, reuerentiam exhibere maioribus; ità rectitudinis, & Dei timoris eſt, ſi quid in eis correctione indiget, nulla diſſimulatione poſtponere, ne totum corpus (quod abſit) incipiat morbus inuadere, ſi languor non fuerit curatus in capite.] Tantumque abeſt, vt patres hinc colligant paritatem Pauli cum Petro, vt potiùs hoc inſigne exemplum cunctis ſuperioribus eſſe dicant, quo commoneantur, æquo animo ferre fratrum inferiorum, ſubiectorumque correptiones, ſi quando mereantur. Ità Auguſtinus relatus in gloſſa, ad illud verbum, dixi Cephæ, [Ipſe Petrus, quod à Paulo fiebat, vtilitèr libertate charitatis ſecum, ac benigna pietate vtilitatis accepit. Atque ita exemplum poſteris præbuit tantò ſanctiùs, quantò ad imitandum difficiliùs, quo non dedignentur maiores ſicubi fortè recti tramitem reliquiſſent, etiam à poſterioribus corrigi. Laus itaque iuſtæ libertatis in Paulo, ſanctæ humilitatis in Petro.] Quod argumentum proſequitur etiam S. Cyprianus epiſt. 71. ad Quintum.

S. Gregorius lib. 2. ſuper Ezechielem hom. 18. hanc ipſam rem explicans, inquit: [Ecce Paulus in epiſtolis ſuis ſcripſit, Petrum reprehenſibilem, & ecce Petrus in epiſtolis ſuis aſſerit, Paulum in his, quæ ſcripſerat, admirandum. Certè enim niſi legiſſet Petrus Pauli epiſtolas, non laudaſſet: ſi autem legit, quia illic reprehenſibilis dicitur, inuenit. Amicus ergo veritatis laudauit etiam, quòd reprehenſus eſt, atque ei hoc ipſum placuit, quia in his non placuerat, quæ aliter, quàm debuerat, ſenſit, ſeque etiam minori fratri ad conſenſum dedit, atque in eadem re factus eſt ſequens minoris ſui etiam, vt in hoc præiret, quatenus, qui primus erat in Apoſtolorum culmine, eſſet primus, & in humilitate. Penſate fratres cariſſimi, in quo mentis vertice ſtetit, qui illas epiſtolas laudauit, in quibus ſcriptis ſe vituperabilem inuenit: quę illa manſuetudo tanta eſſe potuit? quæ quies animi? quæ ſoliditas, atque imperturbatio cogitationis? Ecce à minore ſuo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur: non ad memoriam reuocat, quòd primus in Apoſtolatum vocatus eſt, non quòd claues regni cœlorum acceperit, non quòd peccata quæcunque in terra ſolueris, eſſent ſoluta & in cœlo, non quòd in mari pedibus ambulauit, non quòd paralyticos in Ieſu nomine iubendo erexerit, non quòd ægros corporis ſui vmbra ſanauerat, non quòd mentientes verbo occiderat, non quòd mortuos oratione ſuſcitabat, &c.] [Quare quòd Gloſſa inquit, non auſurum id Paulum, ſi ſe non imparem ſentiret, [Apoſtolatu intelligendum eſt, non ordine politico, & poteſtate iuriſdictionis: eà propter ad illud, coram omnibus, dicit; vt in eo, qui primus eſt, diſcant cæteri.] Et ſi neque Gloſſæ, neque Auguſtino, neque Cypriano, neque Hieronymo, neque Gregorio credis Anonyme, crede ſaltem tibi. Nonne dicis tu, Paulum Petro parem poteſtate, & iuriſdictione fuiſſe? nihil magis. At par in parem non habet imperium, nec poteſtatem; non ergo id fecit Paulus ex poteſtate, & iuriſdictione. Quorſum euades? Aut Paulus non egit ex iuriſdictione, aut non eſt par, ſi enim par eſt, non egit ex iuriſdictione, & ſi ex iuriſdictione agit, par non eſt; nega vtrumuis, vtrumque tuum.

Anonymus, vbi pro Petri, & Pauli æqualitate obiecit caput ſecundum ad Galatas, confeſtim tranſit ad Patres, indè retrocedit ad caput primum ad Galatas, hinc iterum ad caput ſecundum, mox ad alia, vt quantumuis ſobrietatem iactet, nihilominus dum nullibi firmum figit pedem, neque graditur rectà, quod Pſalmiſta ait, [Turbatus, & motus videatur ſicut ebrius.] Et vide, quæſo te, Lector, quàm miſeri, & infęlicis ingenij argumenta ſint hæc. Probare vult Petrum, & Paulum pares, neque pares vitæ, & conuerſationis ſanctitate, ſed iuriſdictione, & poteſtate, & producit hoc teſtimonium Ambroſij,

& Au-

& Auguſtini: Beati Petrus, & Paulus eminent inter vniuerſos Apoſtolos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt, verùm inter ipſos, quis cui præferatur, incertum eſt.] Vidiſti Anonymum hactenùs deſudare, vt vnum id perſuaderet; poteſtate æquales eſſe penitùs omnes Apoſtolos, nunc ſui oblitus eminere vult omnibus alijs Petrum, & Paulum, quamuis non ita certum ſit, vter eorum alteri præponatur, ſtrictìm itaque ratio eius hæc eſt: Omnes Apoſtoli ſunt pares: quia Petrus, & Paulus ſunt pares, Petrus, & Paulus ſunt pares, quia omnibus alijs eminent: quare à primò ad vltimum omnes Apoſtoli ſunt pares, quia omnes Apoſtoli non ſunt pares. Quid ais Lector? ſanine hominis eſt ita verbigerare? Sed ſcire vis Anonyme, quænam comparatio inſtituatur à ſanctis illis viris inter ſanctos iſtos Apoſtolos? audi ipſos: [Cùm omnes Beati Apoſtoli parem gratiam apud Dominum ſanctitaris obtineant, neſcio quo tamen pacto Petrus, & Paulus videntur præ cæteris peculiari quadam in Saluatorem fidei virtute præcellere. Quod quidem ex ipſius Domini iudicio poſſumus approbare. Nam Petro ſicut bono diſpenſatori clauem regni cœleſtis dedit, Paulo tanquam idoneo Doctori magiſterium Eccleſiæ inſtitutionis iniunxit, ſcilicèt, vt quos ipſe erudierit ad ſalutem, ille ſuſcipiat ad quietem, & quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna cœlorum. Clauem enim quodammodo à Chriſto ſcientiæ Paulus accepit. Et infrà: Ambo igitur claues à Domino perceperunt, ſcientiæ iſte, ille potentiæ, diuitias immortalitatis ille diſpenſat, ſcientiæ theſauros iſte largitur. Ergo Beati Petrus, & Paulus, &c.] quæ citaſti. Non ergo pares poteſtate Petrus, & Paulus ex Ambroſij, & Auguſtini ſententia, ſi Paulus à Chriſto non accepit claues potentiæ, ſed Petrus. Perinde facis Anonyme, ac ſi quis dicat: Inter Imperatores, & Philoſophos eminent Alexander, & Ariſtoteles, incertum tamen eſt, vter fuerit maior. Hinc verò tu colligas, vel Alexandrum fuiſſe æqualem in Philoſophia Ariſtoteli, vel Alexandro in Imperio Ariſtotelem: Aut ſi quis aſſerat, inter omnes potentias animæ eminere intellectum, & voluntatem, vtra tamen alteri præferatur incertum eſſe. Hinc verò concludas, iudicium, & dominium actuum humanorum æquè ad vtramque potentiam pertinere: ſenſu cates Anonyme, ſi non cognoſcis te rem gratiſſimam agere meris ſophiſmatis. Hinc retrocedis ad cap. 1. ad Galatas, & ex gloſſa in ea verba, [Neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum colligis, Petrum Paulo non æqualem amplius, ſed maiorem: vt per hoc ſit maior, qui videbatur eſſe minor. Cæteri enim Apoſtoli videbantur maiores, quia priores, iſte minimus, quia nouiſſimus; ſed indè apparet eſſe dignior, quia priores per Chriſtum conſtituti ſunt adhuc ex parte homine, id eſt, mortalem, nouiſſimus verò Paulus per Chriſtum iam totum Deum, id eſt, ex omni parte immortalem; Et paulò poſt in eodem cap. 1. ad Galat. ſubiungit: [Notum enim facio vobis Euangelium fratres, quod euangelizatum eſt à me, quod non eſt ſecundùm hominem, non enim ab homine accepi illud, neque didici, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.] Itaque neque Petrus, neque alius Apoſtolus, aut homo quiſquam elegit, miſit, aut inſtituit Paulum Euangelij miniſtrum. Ergo minor non eſt etiam Petro in iuriſdictione: Hæc tu Anonyme, ſed quidnam illud eſt, de quo contendimus? Num non negamus nos Apoſtolos ordine politicò pares? tu pares affirmas? planè non indè, nunc tu pares primò probas, quia Paulus eſt Petro, & omnibus alijs maior? Quare omninò ſi viuo, & ſentio, tu ita ratiocinaris; Paulus fuit maior alijs Apoſtolis; Ergo omnes Apoſtoli fuerunt ęquales: & non deliras? Paralogizas etiam, dum ex verbis gloſſæ colligis Paulum alijs iuriſdictione maiorem. Comparans gloſſa Apoſtolos, quò ad electionis modum, ſiue quò ad eligentis ſtatum, inquit, hac ratione maiorem eſſe cæteris Apoſtolis Paulum, quia à Chriſto iam immortali ad Apoſtolatum aſſumptus eſt. Idque verè, & benè gloſſa ex locis communibus de maiori, quæ paſſim in Rhetoricis docentur. Neque tamen hinc concludi poteſt Paulum alijs maiorem iuriſdictionem habuiſſe. Initientur duo, alter Epiſcopatu, alter presbyteratu, poſterior à pontifice, prior ab alijs Epiſcopis. Numquid veriſſimè non diccmus habita ratione conſecrationis honoratiorem, & digniorem fuiſſe poſteriorem priore? Anne ideò, vel ſimpliciter, vel etiam ratione collatæ iuriſdictionis? Apagè huiuſmodi ſophiſticas, & deceptorias illationes, dicam neſcio, an illuſiones.

Quod ais ſecundò, [Paulus, inquit, ſe non accepiſſe Euangelium ab homine, ſed à Chriſto;] verum eſt, ſed quid inde? Ergo etiam quò ad ordinem politicum Petrò ęquatus à Chriſto? Tenet hæc conſequentia, ſicut ab angulo ad parietem. Iudices, qui gerunt magiſtratus in Anglia, Iuriſprudentiam, ex cuius regulis iudicant, certè non acceperunt à Rege, ergone etiam quò ad iuriſdictionem Regi æquales ſunt? à Rege indèpendentes? Certè ſi illatio ſequatur à Doctrinæ magiſterio ad iuriſdictionis miniſterium, reſtat, vt abdicet ſe Rex Angliæ ſuo illo primatu, nemo enim Epiſcoporum Anglię illum magiſtrum, & præceptorem agnoſcit, imò hiſce in rebus (ſi vera ſcribunt eius miniſtri) ipſe palàm profitetur, ſe iudicio Epiſcoporum Eccleſiæ ſubiectum eſſe.

Iam centies diſtinguendum eſſe dixi ex Catholicorum ſententia primatum ab Apoſtolatu, & iuriſdictionem à doctrina. Quò ad munera Apoſtolatus, non tantùm Petro Paulum catholici conferunt, ſed etiam præferunt, Doctiorem Paulum, quàm Petrum confitentur, confitentur Paulum plura ſcripſiſſe, quàm Petrum, plures prouincias, quàm Petrum ſummo cum labore peragraſſe, fidem plantando, quæ omnia propria Apoſtolatus ſunt. Hinc per Antonomaſiam Apoſtolus nuncupatur. [Apoſtolus cum dicitur, ſi non exprimatur, quis Apoſtolus, non intelligitur, niſi Paulus, quia pluribus eſt epiſtolis notior, & plus alijs laborauit] inquit Auguſtinus. Non tamen ideò Petro, quò ad ordinem politicum conferendus, propterea Petrus non Apoſtolus, ſed ſuo peculiari iure princeps Apoſtolorum appellatur. Notatunt hæc diſcrimina catholici paſſim, eaque venuſtè ſatis

ex-

Digitized by Google

expreſſerunt carmine Fortunatus, & Adam de S. Victore.

Fortunatus.

Cælorum portæ, luti duo lumina mundi
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus,
Inter Apoſtolicas radiante luce coronas
Doctior hic monitis, celſior ille gradu.
Hunc per corda hominum reſerantur, & aſtra per illum,
Quos docet iſte ſtylo, ſuſcipit iſte polo.
Pandit iter cæli hic dogmate, clauibus alter,
Eſt via, cui Paulus, ianua fida Petrus.

Et alibi:

Princeps claue Petrus, primus quoque dogmate Paulus.

Adam verò;

Petrus præit principatu;
Paulus pollet Magiſtratu
Totius Eccleſiæ.
Principatus vni datur,
Vnitaſque commendatur
Fidei Catholicæ.

Eadem diſcrimina Hugo de S. Victore ita complexus eſt [Petrus cęteris eminet excellentia poteſtatis, Paulus excellentia prædicationis, Petrus Sol, Paulus Luna, Petrus Sol per collatam ſibi diuinitùs potentiam, Paulus Luna per collatam ſibi cęlitus ſapientiam. Luminare maius fecit Deus, dum dixit Petro, Caro, & ſanguinis fidei ſacramentum non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui eſt in cœlis, & illum tunc lucere in cœlo præcepit, dum illi claues regni cœlorum contradidit. Luminare minus fecit, dum Saulum ſtrauit, & Paulum erexit. Petrum Soli comparo, cùm Petro ſoli dictum eſſe conſtet: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam &c. Petroque ſoli inter cæteros, & præ cæteris à Domino cura paſtoralis principaliter, & ſpecialiter iniuncta eſt, vbi dicit: Paſce agnos meos.] Hinc Arator:

Contulit, vt Petro Paulum gerat ordo ſecundum,
Qui fundamentis manet Architectus in illis.

Delirare pergit Anonymus, & inquit: Minor Petro non eſt etiam iuriſdictione, nam excommunicauit Corinthium, & 1. Corinth. cap. 1. aſſerit, ſe quoſdam tradidiſſe Sathanæ, & ibidem cap. 5. [Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu iam iudicaui tanquam præſens, qui ſic operatus eſt.]

Reſp. Siccine ergo arbitraris paritatem iuriſdictionis colligi poſſe? Paulus abſens excommunicauit Corinthios: ergo æqualem cum Petro iuriſdictionem habuit? Ecquiſnam docuit te, à paritate alicuius pœnæ colligere æqualitatem poteſtatis iuriſdictionis? Nonne hoc non eſt illud ipſum ſophiſma à ſecundùm quid ad ſimpliciter, quod toties regeſſi? Petrus potuit excommunicare Corinthios, Paulus potuit excommunicare Corinthios: vtrumque verum: Ergò Paulus Petro iuriſdictione inferior non fuit. Negamus conſequentiam. Pari enim ratione quiſquam dicat: Epiſcopus poteſt excommunicare laicum, Parochus poteſt excommunicare laicum, Ergò Epiſcopus, & parochus pares ſunt iuriſdictioni poteſtate? In Religione generalis poteſt excommunicare fratrem priuatum, Guardianus poteſt excommunicare fratrem priuatum. Ergò Generalis, & Guardianus iuriſdictionis poteſtate ſunt pares? Præfectus ſontes morti adiudicare poteſt, Rex ſontes morti adiudicare poteſt; Ergò Rex, & præfectus pares ſunt poteſtate? Auguſtinus librum ſcribere potuit, Anonymus etiam librum ſcribere potuit; Ergò Anonymus eſt æquè doctus ac Auguſtinus? Et te ad talia certamina Eccleſiam Dei prouocare non pudet? Vt Paulus Petro inferior erat ratione regiminis, ſic Pauli poteſtas poteſtate Petri, & ideò ordine politico inæqualis, inæqualis etiam, vt iam pridem dixi, ratione ſubiecti, non enim alios Apoſtolos Paulus ſubiectos habebat, vt Petrus: inæqualis conſequenter magnitudine virtutis, non enim omnia ſecundaria agentia mouere poterat Paulus, ſicuti Petrus. Pergit Anonymus.

Anonymus. Ideòque illorum reſponſio, qui paritatem inter Petrum, & Paulum intelligunt de paritate vitæ, & ſanctitate conuerſationis, ſtare nullo modo poteſt: & Vlricus Argentinenſis in lib. ſui operis cap. 23. hanc interpretationem Gratiani non conuenire verbis literæ probat, quoniam redarguere coram omnibus ad officium Eccleſiaſticę dignitatis pertinet [Illi peccantem coram omnibus arguunt, vt cœteri timorem habeant] iuxta ſententiam Pauli 1. Timoth. cap. 5.

Reſp. Non poſſum non mirari Anonyme, quòd cùm tu nullam artium ingenuarum vnquam didiceris, nihilominùs in hac ſcena ſophiſtæ perſonam ita ad viuum geris, ac ſi vni deceptoriæ perpetuò incubuiſſes. Prudenter Clemens Alexandrinus [Oportet arguendi, & refellendi genus perſequi, vt Sophiſtarum fallaces refellantur opiniones.] Quare vide, quàm facilè tuas haſce decipulas eludamus.

Vnus, & idem effectus à duplici cauſa etiam contraria proficiſci poteſt. Areſcente luto fit puluis. Areſcit verò tam ex ardore ſolis, quàm ex rigore frigoris. Sophiſta, qui decipere vult, & perſuadere; exempli gratia Media hyeme calorem ſolis eſſe nimium, ſic argumentatur: Puluis ex luto fit ob nimios ſolis æſtus, media hyeme puluis ex luto fit, ergò media hyeme ſolis calor eſt nimius.

Eadem penitùs ratione Lector nobiſcum agit Anonymus. Quiſquis enim chriſtiano nomine cenſetur, corripi, & argui poteſt, palàm, publicè, coram omnibus duplici de cauſa, ſcilicèt, vel charitatis officio, vel iuriſdictionis miniſterio: Charitatis officio, à quolibet fratre, ſiuè ſuperior ſit ſiuè inferior, ſiuè æqualis: Iuriſdictionis miniſterio à ſolo ſuperiori. Officium charitatis præcepit Chriſtus, Matth. 18. [Si te non audierit, dic Eccleſiæ.] Iuriſdictionis miniſterium præcepit Paulus loco, quem citauit Anonymus. Petrum reprehenſum à Paulo non iuriſ-

dictio-

dictionis miniſterio, ſed ſolo charitatis officio, ſenriunt Patres, & boni omnes, etiam illi ipſi, quos ſibi ſuprà citaoit Anonymus, vt vidiſti. Ipſe tamen, qui cum Vlrico ſuo nos decipere vult, & perſuadere, Paulo Petrum iuriſdictione inferiorem fuiſſe (quod non minùs falſum eſt, quàm ſolis ardorem hyeme nimium eſſe) ſumpta non cauſa pro cauſa ſic argumentatur: Ad ſuperiorem pertinet arguere peccantem coram omnibus, Ergò Paulus Petro ſuperior. Habes, vides, palpas, Lector, fraudes hæreticorum, & dolos, his tamen artibus decepti miſeri, & defecerunt à Chriſto, & alios dœmonum inſtar ad eamdem defectionem quotidiè inſtimulare non deſiſtunt. Eſto tamen, fuerit Paulus maior, & Petro, & omnibus alijs, quomodo hinc colliges omnes Apoſtolos iuriſdictione æquales, quæ ſola illa Helena eſt, pro qua deliras? Paulus Petro maior, ergo Apoſtoli æquales iuriſdictione, vetus tuum argumentum eſt verum argumentum ingenij, & doctrinæ tuę. Fac tamen, Petrum primas concedere Paulo. Ecquiſnam alius Paulo mox ſucceſſerit, ſi non ſucceſſit Epiſcopus Romanus? Epiphanius hæreſ. 27. [In Vrbe Roma primi fuerunt Petrus, & Paulus Apoſtoli ijdem, ac Epiſcopi] & Prudentius:

Vna fides vigeat, priſco quæ condita ſæclo eſt.
Quam Paulus retinet, quamque Cathedra Petri.

Quare ſi Romanus Pontifex non minùs ſuccedit Paulo, quàm Petro, dum Petro Paulum præponis, vides quàm intricato errorum labyrintho implicaris.

CAPVT XIII.

Occurritur obiectionibus poſtremis Anonymi æqualitate Petri, & aliorum Apoſtolorum.

Reſilit Anonymus iterum ad cap. 15. act. & inquit: Quod de Paulo dicitur, idem de alijs Apoſtolis dicendum eſt, in quos nullam iuriſdictionem, aut poteſtatem Petrus à Chriſto accepit; nulliſi enim hoc legitur, ſed contrarium: nam quæ Petrus geſſit, ex communi Apoſtolorũ voto geſſiſſe apparet act. 15.

Reſp. Dixeras, nec ita pridem, Anonyme, loquens de controuerſia legalium, quæ tractatur cap. 15. quod citaſti, nullam in ea terminanda Petri auctoritatem interueniſſe: Nunc ais, quicquid circa eam à Petro geſtum eſt, id ex communi Apoſtolorum voto geſtum fuiſſe. Quare nonnullam, ſed conſpicuam, & pręcipuam Petri auctoritatem in ea controuerſia agnoſcis; ipſum enim rem geſſiſſe fateris, quamuis non ſine aliorum voto, & conſenſu. Quàm verè Cyprianus, Mendacium non diù fallit.

Quòd verò ex Apoſtolorum voto colligis, Petrum in eos nullam poteſtatem, aut iuriſdictionem accepiſſe, ego ablegarim te ad tuum Regem Angliæ, & ad principes vniuerſos ſciſcitatum, quàm verum eſſe putent, ſe nullam poteſtatem habere in eos, ex quorum voto in comitijs, & conſilijs ſuorum ſtatuum res ab ipſis geruntur. Vade Anonyme in Angliam, tuam hanc doctrinam ibi promulga, tuere, & videris, ſi mitiùs tecum agetur pro primatu temporali, quàm cum catholicis pro primatu ſpirituali.

Falſum eſſe, quòd Petrus in eos nullam poteſtatem acceperit, ex quorum voto res illa geſta eſt, ex ipſamet hiſtoria, & ex tua confeſſione luce clarius apparet: Apoſtolos ſupremam iuriſdictionem à Chriſto accepiſſe contendis. Cœterùm ea controuerſia terminata eſt non Apoſtolorum voto dumtaxat, ſed aliorum etiam. [Conuenerunt enim Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc] verſ. 6. Apoſtoli, & ſeniores legatos ad Antiochenos decernunt verſ. 22. [Tunc placuit Apoſtolis, & ſenioribus cum omni Eccleſia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam.] Epiſtola decretalis non Apoſtolorum tantùm, ſed aliorum etiam nomine ſcribitur verſ. 23. [Apoſtoli, & ſeniores fratres his, qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ſalutem.]

Quare aut falſum eſt, quòd ſumma Eccleſiæ poteſtas fuerit penès Apoſtolos, ſed illis adijciendi ſunt ſeniores, contrà quam putas. Aut falſum, quòd qui rem illam geſſit, nullam poteſtatem, & iuriſdictionem in eos haberet, ex quorum voto geſſit, quod aſſeruiſti. Pergis, & inquis.

Anonym. Et ex præcepto Chriſti apparet contrarium Matth. 23. [Ne vocemini Rabbi, vnus eſt enim magiſter veſter Chriſtus, omnes autem vos eſtis fratres.]

Reſp. Hæc verba à Chriſto dicta ſunt non diſcipulis tantùm, ſed turbis etiam [Tunc enim locutus eſt ad turbas, & diſcipulos ſuos dicens.] An verò putas Anonyme, omnibus chriſtianis interdictum à Chriſto fuiſſe magiſtri nomen? non opinor, vtcumque multa per ignorantiam, multa per malitiam delires; omnibus tamen id nomen interdixiſſet Chriſtus, ſi iuxta ſenſum literalem purum locus iſte intelligendus eſſet. Eſto tamen, non populo, & turbis, ſed Apoſtolis ſolis id prohibuerit Chriſtus, ſi in cortice literæ perſiſtas, iam vocandus erit tibi in iudicium Paulus Apoſtolus, qui 2. ad Timoth. 2. palàm profitetur, [ſe poſitum eſſe prædicatorem, & Apoſtolum, & Magiſtrum gentium.] Et poſtremò, ſi quibus magiſtri nomen prohibet, ijs iuriſdictionem etiam prohibet Chriſtus, vt vis, reliquum eſt, vt ne Apoſtolis quidem omnibus eam conceſſerit, cùm ſolùm ſe, nullumque præterea magiſtri nomine vocari patiatur. Quare non magis Monarchiam noſtram, quàm Ariſtocratiam tuam, iuxta ſententiam tuam euertit hic locus, & ad Anarchiam redigit Eccleſiam Chriſti: Æthilogia, Anonyme hic opus eſt, quam ſi adhibeas, videris, quòd non nomen, non rem Magiſtri hic prohibet Chriſtus ſuis, ſed faſtum Phariſaicum: Hunc enim redarguens dixerat [Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſeruate, & facite, ſecundùm opera eorum nolite facere.] Cùm ergò inter cętera Phariſęorum opera illud recenſeat: [Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi] meritò humili-

Digitized by Google

tatem chriſtianam tumori Phariſaico contraponit. [Vos autem nolite vocari Rabbi &c.] Faſtum itaque Rabbinicum à Chriſto prohiberi tam certum eſt, quàm certum Chriſtum ea verba dixiſſe. Quòd ſi tecum [quis dicat, non faſtum, ſed iuriſdictionem prohiberi, in Anabaptiſmum impingat neceſſe eſt. Non parallogizo, Anonyme, vt ſoles tu, ſed rectè colligo [Eis enim, quibus prohibet Chriſtus Magiſtri nomen, prohibet etiam iuriſdictionem in fratres.] Hoc eſt, quod contendis. [At magiſtri nomen prohibet, & diſcipulis ſuis, & omnibus Chriſtianis, vt Euangeliſta teſtatur. Ergò omnibus diſcipulis ſuis, & omnibus chriſtianis iuriſdictionem in fratres interdicit.] Ecquid aliud Anabaptiſtæ dicunt? nonne ipſiſſimo iſto argumento vtuntur monſtra illa, & portenta generis humani ad euerſionem omnis poteſtatis Politicæ? Hanc itaque notam non elues, niſi vel hæreſi addas blaſphemiam, & mentitum aſſeras Euangeliſtam dicentem : [Locutus eſt ad turbas, & ad diſcipulos ſuos] vel te, qui iuriſdictionem hìc prohiberi aſſeruiſti, imprudens. Vtuntur etiam Anabaptiſtæ contra principatum politicum argumento, quod tandem opponis.

Anonym. Et Matth. cap. 20. [Scitis quòd principes gentium dominantur eis, & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eis, non ita erit inter vos, & Marc. 10. Ieſus vocans Apoſtolos, ait illis : Scio quòd ij, qui videntur principari gentibus, dominantur eis, & principes eorum poteſtatem habent ipſorum, non ità autem eſt in vobis, & Lucæ 23. Reges gentium dominantur eis, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur, vos autem non ſic.]

Reſp. Decem Apoſtoli audita ambitioſa petitione filiorum Zebedæi, qui ad primas Regni Chriſti per maternas preces conſcendere pertentauerant, indignabundi, quòd virtutis præmia aliena gratia præripere voluiſſent, obliquis oculis eos aſpiciebant, quando Redemptor noſter eorum diſſidia componere volens, & ſuperbiæ vulnera humilitatis virtute curare, omnibus accerſitis, illos ita allocutus eſt [Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos.] Perindè, ac ſi dicat, Gentilium principes ſeruorum loco habent ſubditos ſuos, arbitratuque ſuo omnia distribuunt, hoc enim propriè dominari ſignificat. Vbi legimus maiores, Græcè in poſitiuo *megalon* magni, quaſi dicat, & ſunt magni quidam viri, quos beneficos vocant, qui apud eos plurimùm poſſe ſolent. [Non ita erit inter vos] hoc enim. Ne ſperetis hac via, gratiæ nimirùm, & interceſſionis cari cuiuſquam, vt quiſquam veſtrum cœteris præferatur, ſed ſola humilitate, & ſeruitute fratrum ad dignitatis faſtigium vobis eſt contendendum [Sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter; & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus, ſicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis.] Hæc Chriſtus, qui dum miniſterio maioritatem, & ſeruituti Apoſtolorum primatum pollicetur, ſatis apertè adimit ſpem omnem eius æqualitatis, quam hæretici ſomniant. Regibus gentium Chriſtus proportione reſpondet, maioribus Regum mater filiorum Zebedæi, & cari quicumque : totaque antiphraſis conſiſtit in ſola methodo conferendi dignitates: Reges enim gratiæ interceſſorum honores, & dignitates elargiebantur, non ità Chriſtus, ſed vni virtuti, humilitati, & charitati in fratres. Quare iuxta hanc expoſitionem verba illa [& qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos] non de ſubditis intelliguntur, ſed de principibus, apud quos iſti Deſpotachirij omnia poterant.

Poteſt aliter etiam hic locus interpretari, vt Regibus gentium Chriſtus, eorum magnantibus princeps Apoſtolorum, Dominatui Regum adminiſtratio Chriſti, abuſui poteſtatis Dynaſtarum miniſterium primatus Apoſtolici contraponatur. Et neque hac ratione (ſi omnia rectè expendantur) hæreticorum errori hoc teſtimonium patrocinari poteſt. Regimen ſcilicet duplex eſt, Deſpoticum, & ciuile. Qui enim præſunt, & imperant, aut ſui, aut ſubditorum gratia præſunt, & imperant. Qui ſubditorum gratia, ij nedum alia omnia, ſed ſe ipſos etiam, & quicquid agunt, gerunt, cogitant, id omne ad ſubditorum vtilitatem, & commodum dirigunt, ſicut è contra, qui gratia ſui ſubditos tanquam mancipia ordinant ad ſui ſolius commodum, & bonum. [Sanctitas, pietas, fides, priuata bona ſunt : qua iuuat, Reges eant] inquit Tyrannus ille. Hoc propriè dominari eſt, & Tyrannum conſtituit. [Sors iſta Tyrannis conuenit, inuideant claris, forteſque trucident, muniti gladijs viuant, ſeptique venenis, Ancipites habeant artes, trepidique minentur.] At adminiſtrare, & gubernare, populiſque parentis inſtar eſſe, hoc eſt, quod verum principem facit, verè enim non homines propter principatum, ſed principatus propter hominem inſtitutus eſt. Hinc Ariſtoteles: [Conſtat igitur, quòd quæcumque Reſpublicæ ad communem vtilitatem intendunt, hæ certè rectæ ſunt ſecundùm ſimpliciter iuſtum; Quæcumque verò ad propriam illorum, qui præſunt, vtilitatem ſolum, aberrant quidem, ſuntque omnes rectarum Rerumpublicorum tranſgreſſiones, & labes; gubernantur enim quaſi à Dominis; Ciuitas autem eſt liberorum ſocietas (Rectè proindè Seneca: Ciuium non tibi tradita ſeruitus, ſed tutela) & neque Reſpublica tua eſt, ſed tu Reipublicæ.] Et Antoninus Philoſophus ad Senatum [Nos vſque adeò nihil habemus proprium, vt etiam veſtras ædes habitemus.]

Quantum à verò principis inſtituto defeciſſent, & Tiberius, & cœteri eorum temporum Reges, nemo ignorare poteſt, [qui vel in Romanorum, vel in aliarum gentium hiſtorijs mediocriter verſatus ſit. Et hoc eſt, quòd Chriſtus dixit [Reges gentium dominantur eorum] nempè ſubditos ſeruorum loco habent, ſuo commodo per eorum incommoda proſpicientes. Hoc enim ſignificat propriè Græca dictio *catà chirieuuſin auton* : propoſitio enim *catà*, adiecta verbo *chirieuuſin* non vſum ſimpliciter, ſed vſum poteſtatis aduerſùs, & in malam partem exprimit.

Quod autem ſubdit : [Et qui maiores ſunt; poteſtatem exercent in eos] hoc eſt, & qui auctoritate, gratia, dignitate apud Re-

ges cæteros antecellunt, ſuos Dominns imitati commodis ſuis per populnrum iucommoda proſpiciunt. Græca enim dictio *catezu-ſiazuſin auton* rarinne eiuſdem propoſitionis *catà* eumdem poteſtatis abuſum aduerſus ſubditns nobis ingerit. Quam Redemptoris ſententiam etiam Seneca Tragicus ita expreſſit:

Colit hic Reges, calcet vt omnes,
Perdatque aliquos, nullamque leuet;
Tantùm vt aoceat, cupit eſſe poteas.

Propoſita Tyrannide Regum, & magnatum Geurilium, quorum potentiam ſibi ſomniabant Apoſtoli, Chriſti Regnum eiuſdem geueris futurµm exiſtimantes, eorum errorem mox corripit, oſtendens Magnorum ſuorum poteſtatem verè ciuilem futuram, quemadmodum ciuilis erar etiam adminiſtratio ipſius. [Non ita erir inter vos, ſed quicumque voluerit inter vos mainr fieri, ſi veſter miniſter, & quicumque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus.] Nimirùm, vt dicebamus, verns princeps verè miniſter, & ſerui inſtar eſt ſubditis ſuis. Contrapoſitis maioribus ſuis magnatibus gentilium, ſeipſum contraponit Regibus gentium; planè ciuilem oſtendens adminiſtrarionem ſuam [Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam (id eſt vitam) ſuam redemptionem pro multis.] Si itaque, qui inrer Apoſtolos maior futurus erat, ità is miniſtrare debebat, ſicut fecerar Chriſtus, conſequens eſt, vt rale miniſterium poteſtatem ciuilem inuoluar, non adimat. Chriſtus ſcilicet, qui dicebat Apoſtolis [non veni miniſtrari, ſed miniſtrare, eiſdem etiam dicebat, vos vocatis me Magiſter, & Domine, & benè dicitis; ſum etenim.] Quare tantùm abeſt, vt ex hoc loco, vel tantillum minui poſſit iuriſdictio principis Apoſtolorum, ſicut putant hæretici, vt verius hinc neruoſiſſimè confirmetur. Maior enim, & primus Apoſtolorum, ex ſententia Chriſti, cæteris ita miniſtrare debebat, quemadmodum miniſtrauerat, & ſeruierat Chriſtus ipſe: ſeruitutem verò Chriſti excludere prælationem in eos, quibus ſeruiuit, nemo impius licèt, & amens affirmarit. Adeò tameu hæreticos excæcauit, & dementauit impietas, vt & in meridiè quaſi veſpertiliones cæcutiant, & igni oleum inijcientes, incendium ſuum ſe non extinguere, ſed augure non ſentiant. Poſtremò multa à catholicis, ab hærericis hinc indè Anonymus corrogat, vt reprobet cum Soto, & alijs opinionem Petri de Palaude, quæ, vt antè monuimus, aliorum etiam catholicorum eſt: nimirum alios Apoſtolos iuriſdictionem fori exterioris, ſiuè regiminis Politici accepiſſe per Petrum à Chriſto. Et quaſi accipere iuriſdictionem immediatè à Chriſto, & accipere æqualem iuriſdictionem à Chriſto ſit vna, & eadem res, taudem concludit.

Anonym. Hucuſque ſatis ſuperque probatum credimus, Apoſtolos æqualem poteſtatem tam ordinis, quàm iuriſdictionis à Chriſto habuiſſe.

Reſp. Sed erras Anonyme. Res admodum diuerſæ ſunt, accipere iuriſdictionem, & gradus ſuos æquè immediatè à principe, & accipere ab eo iuriſdictionem æqualem, gradns æqnales. Æquè immediatè à S.P.Q.R. primùm, & à principibus poſt creabantur Conſules, Cenſores, Prætores, Quæſtores, Ædiles &c. Annè ideò colligas omnes hus Magiſtratus fuiſſe æquales inter ſe, & habuiſſe in omnibus æqualem poteſtatem? Antecedens illud catholicum eſt, conſequentia hæretica, & iudigna homine non malè ſano, vt tu ipſe quoque confiteberis, ſi mores, & inſtituta hominum tantiſper inquiras, vt ſaltem ea exempla conſideres, quæ quotidiè ante oculos tibi verſantur.

Habes nunc Lector omnia, quibus perſuaſus Anonymus apoſtatauit à fide. Vide tu, ſi propter tales nænias, & nugas quiſquam, qui & Deum eſſe credat, & humana curare, deſeruiſſet vnquam eam Religionem, in qua natus eſt, quam ſuxit cum lacte materno, in cuius cultu maiorem ſui ſui partem traduxit.

Explicatus ab æqualitate omnium Apoſtolorum profuſiſſimus eſt in probando Epiſcopos iure diuino Apoſtolis ſucceſſiſſe. Id verò etſi inter Catholicos controuerſum eſt, ego tamen quo ad dignitatem, & munus Epiſcopatus verum eſſe concedo. Dixi quo ad Epiſcopatus dignitatem, & munus, nam qui Apoſtolis Epiſcopos etiam in Apoſtolatu ſuccedere velit, vt audio velle M. Antonium de Dominis, hunc (vt cætera taceam) concedere neceſſe eſt, Epiſcopos etiam teſtes oculatos eſſe debere Reſurrectionis, & Aſcenſionis Domini, habereque facultatem ſanandi ægrotos, & miracula patrandi, quæ ſuprà oſtendimus ad munus Apoſtolatus propriſſimè pertinere. Id autem quàm verum ſit, infelix ille arbitratu ſuo poterit experiri.

Si Epiſcopi iure diuino ſuccedunt Apoſtoli, vt Anonymus vult, & ego lubens concedo, conſequens eſt, vt qui ex Epiſcopis Apoſtolo Petro ſuccedit, hic eodem iure ſit caput Eccleſiæ vniuerſalis, & ad eum reliqui omnes, quocunque nomine cenſeantur, habeant ſe tanquam oues ad Paſtorem ſuum. Ita colligit etiam Sanctus Leo ep. 84. [Sacerdotibus cùm non ſit dignitas communis, eſt tamen ordo generalis, quoniam, & inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cùm omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineret, de qua forma Epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio, & magna diſpoſitione prouiſum eſt, ne omnes ſibi omnia vendicarent, ſed eſſent in ſingulis prouincijs, quorum inter fratres haberetur prima ſententia; & rurſùm quidam in maioribus vrbibus cõſtituti ſolicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri ſedem vniuerſalis Eccleſiæ cura confluerer, & nihil vſquam à ſuo capite diſſideret.] Quiſnam ergo ille inter Epiſcopos ſit, qui Petro ſucceſſerit, inquiramus, priùs tamen quatuor alia verba de iure primatus eius Anonymus importunè à nobis extorquet.

CA-

CAPVT XIV.

Non ab Apoſtolis tantùm, ſed à Chriſto Primatus Beato Petro delatus eſt, quicquid Anonymus dicat.

SAnctus Hieronymus Epiſtola centeſima tertia, quæ eſt ad Paulinum, conſiderans, quàm miſera ſit hominum vitio conditio Theologiæ Chriſtianæ, inquit, Agricolæ, cementarij, fabri, metallorum, lignorumue cæſores, lanarij quoque, & fullones, & cæteri, qui variam ſupellectilem, & vilia opuſcula fabricantur, abſque Doctore non poſſunt eſſe, quod cupiunt. Quod medicorum eſt, promittunt medici, tractant fabrilia fabri, ſola ſcripturarum ars eſt, quam ſibi omnes paſſim vindicant.

Scribimus indocti, doctique poemata paſſim,

[Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, antequam diſcant. Et infrà: Puerilia ſunt hæc, & circulatorum ludo ſimilia, docere quod ignores: imò, vt cum ſtomacho loquar, ne hoc quidem ſcire quod neſcias. [Quod peccatum hæreticorum proprium, & peculiare eſſe notauit Tertullianus: [Omnes tument, inquit, omnes ſcientiam pollicentur: antè ſunt perfecti Catechumeni, quàm educati.] Hæreticos propterea Apoſtolus conuerſos dicit [in Mateologiam, volentes eſſe legis Doctores; non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.] Vndè tandem fit, vt ait Iudas: [Quòd tanquam fluctus feri maris deſpument tantùm ſuas confuſiones, ſydera errantia, quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.] Ignorantiæ, impudentiæ, inconſtantiæ, aſineſis Hæreticorum ſingulare exemplum eſt miſer hic leguleius, qui quatuor vix paragraphis tinctus, cum auſus ſit in ſcripturæ ſacræ myſteria intrudere ſe, & de ſanctioribus fidei dogmatibus diſceptare, quàm turpiter circa primatum Petri deſpumauerit confuſiones ſuas, poſtremo loco demonſtrandum reliqui.

Audiſti hactenus, quanto argumentorum apparatu probare conatus ſit [Nullam neque Ordinis, neque Iuriſdictionis ratione inter Apoſtolos præcedentiam dari poſſe.] Vidiſti eu nunc æquare ſingulos quoq; Apoſtolos inter ſe, nunc omnibus ſubijcere Petrum, nunc Petro Paulum componere, interdum etiam præferre. Audi modò quid ſcribat cap. 2. pag. 31. libelli ſui: [Primatum Diui Petri non negamus; ſed non ab ipſo Chriſto Saluatore habuiſſe, verùm cæteris Apoſtolis Prælatum eſſe,] & paulò poſt: [Ab Apoſtolis igitur princeps, & caput is deputatus eſt, qui primus poteſtatem à Chriſto Saluatore accepit:] atque ita euertit, quicquid hucuſque conſtituit. Si enim Petrus fuit princeps, & caput Apoſtolorum, falſum eſt, inter Apoſtolos nullam neque ordinis, neque iuriſdictionis præcedentiam dari poſſe; falſum ſuperiorem ab inferioribus mitti nequire, non corripi, & argui, falſum, prohibuiſſe Chriſtum Apoſtolis primatum, & exercitium iuriſdictionis, vel quando exemplo Regum Gentium vſus eſt, vel etiam quando prohibuit eis Rabbini nomen, falſum quicquid de paritate Petri, & Pauli Anonymus effutiuit; & denique fallacia, & deceptoria omnia fermè, quæ contra Petri primatum vnquam congeſſit; æquè enim militant, ſi à Chriſto, ac ſi ab Apoſtolis principatum, & Monarchiam ſuam Petrus accepit. Et ſi verum eſt, quòd Petrus poteſtatem à Chriſto primus accepit, vt poſtremo loco dicit Anonymus, falſum eſt, quod toties ab eo antè dictum eſt, omnes Apoſtolos, totamque Eccleſiam Chriſti ſimul cum Petro, & in Petro omnem poteſtatem accepiſſe. Intelligiſne quę loquaris, Anonyme? & de quibus affirmas? an verſùs deſpumas confuſiones tuas? At audire æquum eſt, qua ratione probes, quod dixiſti.

Anonym. Ita & ipſi Pontifices Romani profitentur, qui in decreto 1. diſt. 2. cap. 2. in nou. ex epiſt. 2. Anacleti Papæ ita tranſcribunt, eiuſque dicta canonizant: [In nouo teſtamento poſt Chriſtum Dominum à Petro Sacerdotalis cœpit ordo, quia ipſi primo Pontificatus in Eccleſia Chriſti datus eſt, dicente Domino ad eum, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prænalebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues Regni Cœlorum. Hic ergo ligandi, atque ſoluendi poteſtatem primus accepit à Domino, primuſque ad fidem Domini populum virtute ſuę prædicationis adduxit. Cæteri verò Apoſtoli cum eo pari conſortio honorem, & poteſtatem acceperunt, ipſumque principem eorum eſſe voluerunt.] Ab Apoſtolis igitur princeps, & caput is deputatus eſt, qui primus poteſtatem à Chriſto Saluatore accepit.

Reſp. Anacleti nemo melior Interpres, quàm Anacletus ipſe, qui epiſt. 1. inquit: [Si difficiliores quęſtiones ortæ fuerint, aut Epiſcoporum, vel Martyrum iudicia, aut maiores cauſæ fuerint, ad Sedem Apoſtolicam (ſi appellatum fuerit) referantur. Quoniam Apoſtoli hoc ſtatuerunt iuſſione Saluatoris, vt maiores, & difficiliores quæſtiones ſemper ad Sedem Apoſtolicam deferantur, ſuper quam Chriſtus vniuerſam conſtruxit Eccleſiam, dicente ipſo ad Beatum principem Apoſtolorum Petrum: Tu es Petrus, &c. Et ep. 3. Hæc ſacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas Eccleſias, ac totum Chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt, ſicut ipſe Beato Petro Apoſtolo dixit, Tu es Petrus, &c. Et infrà: Inter Apoſtolos quędam fuit diſcretio, & licèt omnes eſſent Apoſtoli, Petro tamen à Domino eſt conceſſum, & ipſi inter ſe id ipſum voluerunt, vt reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis, & Cephas, id eſt, caput, & principium teneret Apoſtolatus. Et poſt nonnulla: Si quæ verò cauſæ difficiliores inter vos ortæ fuerunt, ad huius ſanctæ Sedis apicem eas, quaſi ad caput, referte, vt Apoſtolico terminentur iudicio, quia ſic Dominum velle, ab eoque ita conſtitutum eſſe, antedictis teſtimonijs declaratur.] Quare ſi Anacletus cum Anacleto non pugnat,

negare non poteſt, Apoſtolum Petrum à Domino, non ab Apoſtolis primatum accepiſſe. quod verò ait, id ipſum Apoſtolos voluiſſe, ipſumque principem eorum eſſe voluiſſe, & ſi quæ ſunt huiuſmodi, alia ratione quàm putas interpretanda ſunt. Cnriſtus, vt communi conſenſu Theologi docent, præter ea, quæ tangunt eſſentiam fidei,& Sacramentum, nullum reliquit præceptum poſitiuum, ſed ea omnia permiſit liberæ diſpoſitioni, & determinationi Eccleſiæ. Erat de eſſentia fidei, & Eccleſiæ, vt eſſet, & caput vnum, & vnus paſtor eius vice Chriſti: hunc ipſe conſtituit. Quæ negotia, quæ cauſæ, quarum perſonarum iudicia ad eum, vel ad alios deferri deberent, non expreſſit, ſed exprimendum, decernendumque Apoſtolis dimiſit. Apoſtoli verò in ordinanda Eccleſiæ politia, habita ratione primatus, & principatus Petro à Chriſto collati, ad inſtitutionem Chriſti attemperarunt, accomodarunrque decreta ſua, ſtatuentes, quòd omnia grauiora negotia, adeòque etiam ſuę ipſorum cauſæ ad Petrum deferrentur: Parique ratione iudicia, & cauſæ grauiores ſucceſſorum ſuorum ad ſucceſſorem Petri tanquam ad caput, & Principem Eccleſiæ Dei. Atque ita primatum ius primariæ dignitati tribuerunt, quò ad actum ſecundum Petro eumdem primatum deferentes, quem quò ad actum primum acceperat Petrus à Chriſto, ſiue dicamus (& recidit eodem) quòd Eccleſiæ principatum Chriſtus Petro conceſſit, Ius verò principatus Petro Apoſtoli exhibuerunt; atque ita ille concedendo, iſti reddendo, dederunt Petro primatum. Quod ſuperioris eſt, præſtitit Chriſtus, quod inferioris, Apoſtoli: Hoc illud eſt, quod Anacletus vult, idque ita Chryſoſtomus expreſſit: [Apoſtoli, gratia accepta, vbique primatum Petro præbeur, & in Concionibus eum anteponunr, quamuis cæteris rudior videretur.] Et certè nimis impudens eſt, [qui audito ab ore Chriſti, ſuper hanc petram ædificabo, tibi dabo claues, paſce oues meas, confirma fratres tuos,] adhuc negare auſit, Chriſtum ædificaſſe, claues dediſſe, paſcere, & confirmare iuſſiſſe: quæ tamen negant, qui negant Petro Chriſtum primatum detuliſſe.

DISPVTATIO POSTERIOR.

De Succeſſione Epiſcopi Romani In Pontificatum Beati Petri.

CAPVT PRIMVM.

Ariſtocratiam Eccleſiæ, quam inducit Anonymus, pugnare cum primis principijs fidei Chriſtianæ, ex quibus demonſtratur ſucceſſio Romani Pontificis in Primatum Beati Petri.

CHriſtum D. N. & Beatum Apoſtolum Petrum ſummo Eccleſiæ Pontificatu potitos eſſe, vt quæſtione præcedenti dictum eſt, confitetur Anonymus; quamuis primatum non à Chriſto, ſed ab Apoſtolis Petro collatum putet. At Petro per Neronem ſublato, Eccleſiæ regimen mutatum fuiſſe contendit, æquali tum loco, tum gradu cum cæteris Epiſcopis conſtituto Romano Pontifice. Proinde Monarchiam Eccleſiaſticam anno Chriſti 70. quo Cruci ſuffixum Petrum arbitratur, in Ariſtocratiam defeciſſe. Hac autem ratione id ſe probare putat cap. 2. [Quia præeminentiam ſuper alios nullo expreſſo iure oſtendere huc vſque potuit.] Et infrà: [Sed circumſcriptis Papæ confeſſionibus, quæ in iure Canonico aſſertæ fuere, ſuper quibus tota Canoniſtarum, & Romæ ſcribentiũ multitudo fundari conſueuit Papa Romę Epiſcopus ex nulla Apoſtolorum ordinatione ſuperioritatem, quam prætendit, fundare valet. Neque ex Patrum dictis probari poteſt, vt mox oſtendetur, ergo aſſerta præeminentia admittenda non eſt,] Totuſque eſt in hoc argumento vſque ad caput quartum,

Capite quarto diſtinguit Papatum in tres periodos, quas ſtatus appellat. Primam producit à morte Chriſti per quingentos viginti ſex annos vſque ad Iuſtinianum Imperatorem. Secundam per ducentos quadraginta ſex à Iuſtiniano ad Carolum Magnum. Tertiam à Carolo Magno ad Iulium ſecundum Romanum Pontificem. In prima periodo aſſerit, Romanos Epiſcopos nihil vel in ſpiritualibus, vel in temporalibus vltra ſuam diœceſim (quam intra centeſimum ab Vrbe lapidem coarctat) ſtatuiſſe, aut decreuiſſe & ſpeciatim in reliquos Patriarchas Romano antiquiores: [Et quidem, inquit, ſi primum quingentorum annorum ſtatum à Chriſto Seruatore noſtro mortuo vſque ad Iuſtiniani tempora reuoluamus, nihil ipſum Pontificem in ſpiritualibus duntaxat vltra ſibi ſubditos decreuiſſe apparebit.] & infrà de Patriarchis: [Sed Romani Pontifices nullam in hoc temporis ſtatu, neque in ſpiritualibus, neque in temporalibus ſuper præfatos Epiſcopos illo antiquiores, vel ſuper eorumdem ſucceſſores, vel ſuffraganeos, ne ſuper Eccleſiaſticis quidem, aut ſæcularibus aliquid ſtatuiſſe, aut decreuiſſe, legi poteſt. Negatiua iſta probatur ex in ſpectione omnium librorum.] In hoc tamen ſtatu appellationem Athanaſij ad Iulium Romanum Pontificem, & Canones Concilij Sardicenſis de iure appellationum, quaſi primam Papatus conceptionem, & originem notat.

In ſecunda periodo nihil auguſtius, ſed inquit: [Si ſecundum ſtatum à temporibus Iuſtiniani primi Imperatoris, nimirùm ab anno Chriſti 526. per ducentos quadraginta ſex ſubſequentes vſque ad tempora Caroli Magni ſpectabimus, Epiſcopos Romanos ſemper Imperatori ſubditos fuiſſe comperiemus.

In hac periodo duo obſeruat Anonymus, quaſi Papatus incunabula, Conſtitutiones editas à Iuſtiniano, Arcadio, & Honorio Imperatoribus pro libertate Eccleſiaſtica, & decretum Phocæ Imperatoris, quo titulus Vniuerſalis Romano Epiſcopo contra Conſtantinopolitanum adiudicatus eſt.

In tertia Periodo incrementa Papatus ad eam amplitudinem protendit, qua eminet in Eccleſia; eiuſque duas cauſas aſſignat, Leges Caroli Magni, & ſub prætextu falſę donationis Pipini Francorum Regis occupationem Patrimonij Sancti Petri, euerſo iam per Francos Longobardorum Regno. Ita paſſim, in quit, Eccleſia Rom. Patrimonium in temporalibus occupante, Papæ pro tempore exiſtentes, qui Sanctitatis ſpeciem præ ſe ferebant, viros doctos vndique conuocare incipiunt, atque ingentia illis munera, dignitateſque elargiri, vndè Romana Curia illuſtrari incœpit, doctiſque viris repleri, qui veluti ſydera in firmamento per totum mundum luceſcebant, Reges & Principes in Religionis ſimplicitate condentes, eorum regna, ſtatuſque orationibus Epiſcopi Romani commendant, eleemoſynas annuas dari iubent, Et mox, alij ſimplices credentes Romanam Eccleſiam vnum cum Deo facere conſiſtorium, ditiones ſuas illi ſuppoſuerunt, coronamque Regiam à Romano potiùs, quàm à Cæſare deſumere maluerunt. Cæteri omnes Reges, Principes, Epiſcopi, Archiepiſcopi, & cuiuſcunque conditionis viri pro habendis à tot ſapientibus conſilijs, litium euitandarum

ergo

ergo, aut legatos, vel nuntios eò loci mittunt, aut literas ſcribunt, aliquando ad eoſdem quaſi ad oracula conuolant, tantus concurſus cauſarum, & hominum in illos compromittentium ad Romanam Curiam confluunt, vt aliquos ab ipſa multitudine per pontem Sancti Angeli ad Palatium Papæ incedentes ſæpe ſæpius ſuffocatos eſse à pluribus practicis ſcriptoribus annotatum fuerit.

In hac poſtrema Periodo Paparum defeciſſe aſſerit in Iulio 2. Eo per ſimoniam ad Pontificatum aſſumpto, ſacrilegi huius libelli argumentum hoc eſt, in quo conſtituendo, & refelleudis fundamentis Catholicæ veritatis homo, ſupra quàm credi poteſt, impius, & ſceleratus, ſine literis, & ſine ingenio reliquum nugarum, & blaſphemiarum ſuarum mendaciſſimè, & impudentiſſimè impendit.

Contra Anonymum, & omnes Hæreticos duas aſſertiones tenet, credit, & profitetur Eccleſia Catholica.

1. Romanum Pontificem in B. Petri primatum ſucceſſiſſe, eamdemque cum illo in omnibus vbique Eccleſijs ligandi, atque ſoluendi poteſtatem ſemper obtinuiſſe.

2. Primatum verò indè vſque ab initio agnouiſſe, defendiſſe, exercuiſſe ex hiſtorijs Eccleſiaſticis eſſe ita perſpicuum, vt id negare, non niſi mens vel nimis ſupina, vel nimis improba poſſit.

Et vt ab Apoſtolica traditione incipiamus, quam pro primatu pontificis ſtare inficiatur Anonymus. Illud ab Apoſtolica traditione deriuare ſemper creditum eſt, quod perpetuò illæ Eccleſiæ retinuerunt, quæ interrupta Epiſcoporum ſucceſſione referunt originem ſuam ad Apoſtolos ipſos, à quibus fundatæ, inſtitutæ, & gubernatæ ſunt, ſed præ omnibus Eccleſia Romana. Si enim aſcendendo per Epiſcopos ſibi inuicem ſuccedentes perueniamus ad Apoſtolum aliquem, & non poſſit oſtendi, quòd vllus eorum Epiſcoporum introduxerit nouam doctrinam, certi ſumus, ibi conſeruari Apoſtolicas traditiones, quia Apoſtoli tradiderunt ſucceſſoribus ſuis cum officio Epiſcopatus, etiam doctrinam Religionis. Hinc S. Irenæus lib. 3. cap. 3. [Traditionem Apoſtolicam in toto mundo manifeſtatam, in omni Eccleſia adeſt perſpicere omnibus, qui vera velint audire, & habemus enumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſijs, & ſucceſſores eorum vſque ad nos, qui nihil tale docuerunt. Sed quoniam valdè longum eſt omnium Eccleſiarum ſucceſſiones enumerare, maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo præterquam oportet, colligunt, & lib. 4. cap. 43. Quapropter eis, qui ſunt in Eccleſia, Presbiteris, obaudire oportet his, qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſtendimus, qui cum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis certum ſecundum placitum Patris acceperunt. Reliquos verò, qui abſiſtunt à principali ſucceſſione & quocunq; loco colliguntur, ſuſpectos habere, vel quaſi Hæreticos, & malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes, & elatos, & ſibi placentes: Tertullian. in lib. de præſcriptionibus: Edant ergo origines Eccleſiarũ ſuarum, euoluant ordinem ſuorum Epiſcoporum, ita per ſucceſſionem ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquẽ ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris (qui tamen cũ Apoſtolis perſeuerauerit) habuerit auctorem, & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt, ſicut Eccleſia Smyrneorũ habens Polycarpum ab Ioanne conlocatum refert, ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit, proindè vtique & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingant tale aliquid Hæretici, quid enim illis poſt blaſphemiam illicitum eſt? Et infra, Age iam, qui voles curioſitatem meliùs exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc Cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur, apud quas ipſæ authenticæ eorum literæ recitantur ſonantes vocem, & repræſentantes faciem vniuſcuiuſque. Proxima eſt tibi Achaia, habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiæ adiaces, habes Romam, vndè nobis quoque auctoritas præſtò eſt. Fœlix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt. Vbi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apoſtolus Ioannes, poſteaquam in oleum igneum demerſus nihil paſſus eſt, in Inſulam relegatur. Videamus quid didicerit, quid docuerit. Auguſtinus verò con. Epi. funda. cap. 4. Multa ſunt, quæ me iuſtiſſimè tenent in Eccleſiæ Catholicæ gremio. Tenet conſenſio populorum, & gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata. Tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli vſque ad præſentem Epiſcopatum continuata ſucceſſio Sacerdotum. Hac regula vſi ſunt Theodoſius Maior, Sanctus Hieronymus, & alij. Theodoſius, Cunctos, inquit, populos, quos Clementiæ noſtræ regit temperamentum, in ea volumus Religione verſari, quam Diuinum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, religio vſque nunc ab ipſo inſinuata declarat, quamque Pontificem Damaſum ſequi daret, & Petrum Alexandriæ Epiſcopum virum Apoſtolicæ Sanctitatis.] Non pariat Petrum Damaſo Theodoſius dignitate, poteſtate, gradu, vt hallucinantur Hæretici, ſed Petrum Damaſo adijcit propter ſucceſſionem Apoſtolicam. Eadem ratione Hieronymus ad Marcum presbiterum: [Hæreticus vocor? ſi ab Arianis, meritò, ſi ab Orthodoxis, qui huiuſmodi arguunt fidem, Orthodoxi eſſe deſierunt, aut ſi eis placet, Hæreticum me cum Occidente, Hæreticum me cum Ægypto, hoc eſt, cum Damaſo, Petroque condemnent. Si enim vna Romana ſedes orthodoxæ fidei argumentum ſufficientiſſimum erat, quantò efficacius eſſe debebat, ſi ad Romanam aliæ quoque Eccleſiæ Apoſtolicæ acceſſiſſent, maximè Patriarchales? Iungamus dexteras, animos copulemus, dicebat

alibi

Digitized by Google

alibi ibidem Sanctus Pater, & duos Orientis, atque Occidentis *tropanophorus* alacri ſequamur inceſſu. Alludebar ad Anaſtaſium Papam, & ad Theophilum Epiſcopum Alexandriæ, quorum auctoritate, quòd ambo per continuam ſucceſſionem ad S. Petrum referrent ſuarum Eccleſiarum initia, Origenes damnatus fuerat. Defecit verò iam certa & continuata Epiſcoporum ſucceſſio in alijs Eccleſijs, quas fundarunt Apoſtoli, & ex peculiari Petri priuilegio ſola Romana ſupereſt, aduersùs quam portæ inferi non præualuerunt. Quare ſi aſcendentes à Sanctiſſimo Domino noſtro Paulo V. vſque ad Petrum Apoſtolum, reperiamus omnes Romanos Pontifices, quorum monumenta extant, conſtantiſſimè docuiſſe, & retinuiſſe primatum vniuerſalem Eccleſiæ Chriſti tanquam ſucceſſores in eo B. Petri, ſicut reuera docuerunt, & retinuerunt, conſequens eſt, vt fateantur, originem huius doctrinæ ab Apoſtolica Traditione deriuari. Ratio, quæ eò fortiùs vrget, quòd non Romani Epiſcopi tantùm (qui tamen ſoli ea regula patrum ſufficiunt) ſed reliqui etiam omnes Apoſtolici ſeminis traduces Romanis tamdiu in hoc dogmate conſenſerunt, quamdiu ab ea fide non exciderunt, quæ eorum præceſſoribus ſimul cum Epiſcopatu ab Apoſtolis primùm tradita fuerat, vt paulò poſt, & cap. ſecundo, ac quinto demonſtrabo.

Præterea S. Auguſtinus epiſt. 118. ad Ianuarium cap. 1. [Illa, inquit, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenarijs Concilijs, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas commendata. atque ſtatuta retineri.] Quare dubium non eſt, quò minùs ab Apoſtolica traditione deſcendant ea, quæ ante Concilia Generalia, & abſque eorum decretis vniuerſim obſeruata in Eccleſia ſunt: vndè Auguſtinus ipſe de baptiſ. contra Donatiſtas lib. 4. cap. 24. [Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur. Et Tertullianus de Corona militis: Quamdiu per hanc lineam ſerram reciprocabimus, habentes obſeruationem inueteratam, quæ præueniendo ſtatum fecit. Hanc ſi nulla ſcriptura determinauit, certè conſuetudo corroborauit, quæ ſine dubio de traditione manauit. Quomodò enim vſurpari quid poſſet, ſi traditum priùs non eſt?] At ratione ſequenti, & capitibus ſecundo, & quinto huius diſputationis oſtendam, Eccleſiam vniuerſam, & in Concilijs, & extra Concilia, & ante Concilia Generalia vbique gentium, vbique locorum agnouiſſe ſupremam poteſtatem Pontificis Romani in omnes Eccleſias, in omnes Epiſcopos, in omnes fideles. Ergo ſucceſſio eius in primatum B. Petri ab Apoſtolica traditione deſcendit, & ex Auguſtini præcepto, [Inſolentiſſimæ inſaniæ eſt, quin ita faciendum ſit diſputare: ſed eius contemptores ſicut præuaricatores Diuinarum legum coercendi ſunt.]

Huc accedit, quòd quoties aliquid nouum in Eccleſia attentatum eſt, numquam defuere Zelatores Antiquitatis, qui nouatoribus obſtiterunt, maximè ſi alienæ Eccleſiæ iura quis occupatum iuit. Diutiſſimè Antiochenus reſtitit Hieroſolymitano iura ſua inuadenti, neque turbæ illæ compoſitæ, niſi in quinta Synodo. Reſtiterunt Theophilo Chryſoſtomus, Baſilius Antimo, Leo Anatolio, Hadrianus Ignatio, & alijs alij, quorum contentionibus, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & Acta omnium Conciliorum referta ſunt. At ſi repetamus res ſuperioribus ſæculis in Eccleſia geſtas, reperiemus, quòd cum omnes antiqui Pontifices exercuerint Iuriſdictionem in Eccleſia vniuerſa in omnes Epiſcopos, nemo omnium vnquam repertus eſt, qui eorum aliquem nouitatis, & occupatæ iuriſdictionis accuſauerit. Quin potiùs ſtatim, ac primatum Romanum impugnare aggreſſi ſunt Marſilius, Wittcleffus, Lutherus, & alij, in eos tanquam in Nouatores vniuerſa Eccleſia Catholica commota eſt. Nouus ergo nunquam, illegitimus nunquam habitus eſt in Eccleſia Papæ primatus. Quòd ſi nunquam illegitimus, nunquam nouus, alios certè auctores habere non poteſt, quàm Chriſtum, & Apoſtolos, nimirùm hac etiam ratione inſtituta Chriſti, & Apoſtolicas traditiones colligere ſolet Eccleſia.

Quòd ergo originem primatus refert Anonymus ad tempora Iulij I. id merum mendacium eſt, de quo arguunt eum Irenæus, Cyprianus, & omnis, quæ præceſſit antiquitas, cui & legitimus, & antiquus ſemper fuit; vnde Irenæus: [ad hanc, inquit, Eccleſiam (de Romana loquitur) propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt vndique fideles, in qua ſemper conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.] Non tantùm à proximis, ſicut alias Eccleſias Apoſtolicas, Romanam tunc adeundam fuiſſe, inquit Irenæus, ſed ab omnibus Eccleſijs (ergo etiam ab omnibus Epiſcopis,) quocumque demùm terrarum loco eſſent: Neque ſicut aliàs tantùm propter ſucceſſionem Apoſtolicam, ſed propter potentiorem eius principalitatem, quam nos appellamus primatum. Atque ita priſcis illis temporibus factitatum. Marcion enim excommunicatus à Patre, & Epiſcopo ſuo, ex Ponto vſque Romam pro abſolutione accedit ad Higinium. Fortunatus, & Felix in Africa loco moti à Cypriano, Cornelium papam appellant. Cyprianus verò non nouitatis appellationem, non inuaſionis iudicium accuſat, ſed ad Cornelium ipſum ita ſcribit: [Poſt iſta inſuper, Pſeudoepiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto, nauigare audent, & ad Petri Cathedram, atque Eccleſiam principalem, vndè vnitas Sacerdotalis exorta eſt, à ſchiſmaticis, & prophanis literas ferre, neque cogitare, eos eſſe Romanos (quorum fides Apoſtolo prædicante laudata eſt,) ad quos perfidia non poſſit habere acceſſum.] Paulò poſt Baſilides ab Hiſpanis depoſitus, prouocat ad Romanum Epiſcopum Stephanum, quòd ſciret, ab eius auctoritate amiſſam ſedem ſe poſſe recuperare. Neque fruſtratus ſpe, deluſo miris dolis Sancto Pontifice. Cyprianus verò hanc cauſam agens contra auctoritatem pontificis reſtituentis, nihil penitùs, ſed [Romam pergens Baſilides, inquit, Stephanum Collegam noſtrum longè poſitum, & geſtæ rei, & tacitæ veritatis ignarum

Digitized by Google

rum feſellit, vt exambiret teſtitui in Epiſcopatu, de quo iuſtè fucrat depoſitus. Hæc eò pertineut, vr Baſilidis non ram abolita ſint, quàm cumulara delicta, vt ad ſuperiora eius peccata etiam ſallaciæ, & circumuentionis crimen acceſſcrit. Neque cnim tam culpandus eſt ille, eui negligenrèr obreptum eſt, quàm hic accuſandus, qui ſraudulenrèr obrepſir.] Eodem tempore occupata à Martiano Nouatiano ſede Arelatenſi in Gallia, idem Beatiſſimus Marryr eumdem Ponrificem ſic interpellat. [Dirigantur in prouinciam, & ad plebem Arelatæ conſiſtentem à te literæ, quibus abſtento Martiano, alius in locum eius ſubſtituatur, & grex Chriſti, qui in hodiernum ab illo diſſipatus, & vulnerarus contemnitur, colligatur, & infrà: Significa planè nobis, quis in locum Martiani fuerit ſubſtitutus, vt ſciamus, ad quem fratres noſtros dirigere, & cui ſcribere debeamus.] Decennio vix elapſo, ſuſpicantur nonnulli, Dionyſium Epiſcopum Alexandriæ de fide minùs rectè ſenrire: propterea quid geſſerint, audi ab Athanaſio: [Cùm Dionyſius Epiſcopus certior ſactus de Pentapolitanis, zelo teligionis hanc epiſtolam, quemadmodum dixi contra hæreſim Sabellij, ad Ammonium, & Euphranorem ſeripſiſſet, quidam ex Eccleſia rectè quidem ſentientes, ſed tamen ignari eius cauſæ, cur ab eo ita ſcriptum eſſet, Romam aſcenderunr, ibique eum apud Dionyſium eiuſdem nominis Romanum præſulem accuſauerunr. Re comperta Alexandrinus ſimul, & contra Sabellij ſectatores, & Arij dogmata, propter quæ ab Eccleſia eiectus fuit, volumen compoſuit, &c. poſtulauitque à Romano præſule, vt obiecta ſibi indicarent. Quibus acceptis opus edidit ſub nomine Elenchi, & Apologiæ.] Eaque purgauit ſe pontifici Dionyſio. [Origenes ipſe, inquit Hieronymus, in ea epiſtola, quam ſcribit ad Fabianum Romanæ vrbis Epiſcopum, pœnitentiam agit, cur talia ſcripſerit, & cauſam temeritatis in Ambroſium refert, quòd ſecretò edita in publicum protulerit.] Diffidentibus inter ſe Romanis, & Orientalibus Eccleſijs in celebratione Paſchatis, Polycarpus, quem totius Aſiæ principem Hieronymus appellat, ex Oriente Romam ad Anicetum venit, pro qua controuerſia etiam Irenæus non multò poſt ad Eleutherium ex Gallijs legatus eſt. Quid ita? dixit iam Irenæus, [Quoniam propter potentiorem principalitatem neceſſe erat, vt ad Romanam vndique conuenirent omnes Eccleſiæ, omnes fideles.] Quæ autem ea tempeſtate gerebantur, tum Romæ, tum alibi rectiſſimè, & ad præſcriptum legis Chriſti geſta eſſe, luculentiſſimus teſtis eſt Hegeſippus. [Cùm eſſem Romæ, inquit, manſi ibi vſque ad Pontificis Aniceti tempora, cuius tum quidem Eleutherius diaconus erat. Huic ſucceſſit Soter, quo morte extincto, Eleutherius munus Epiſcopale capeſſit. Nulla Epiſcoporum ſedes (ſucceſſione ab Apoſtolis deducta,) nulla Ciuiras, in qua non ita obſeruata eſſent omnia, vt lex præſcripſerat, docuerant prophetæ, & Dominus ipſe prædicauerar.] Tandemque controuerſia de paſchate maiora quotidie diſſidia germinante, Victor Eleutherij ſucceſſor anathematizauit omnes Orientales, qui diſſentirent in paſchate ab Eccleſia Romana. Et quamuis ſeueritatis nimiæ à nonnullis notatus fuerit, non tamen à quoquam nouitatis, vel vſurpatæ iuriſdictionis. Agebantur hæc à Romanis Pontificibus ſub oculis (vt ita dicam) Chriſti, & Apoſtolorum (qua libertate, vides.) Ad eos propter potentiorem principalitatem ſedis ſuæ omnium Eccleſiarum, omnium fidelium cauſæ deferebantur ex Gallia, ex Hiſpania, & Aphrica, ex Ægypto, ex Ponto, ex Græcia, ex orbe toto, à probis, ab improbis, ab omnibus. Ex teſtimonio ſcriptorum eius ſæculi Eccleſia Romana adminiſtrabatur, ſicut tradiderant Apoſtoli, præſcripſerat lex, docuerant prophetæ, Dominus prædicauerat. Et non pudebit poſt mille ſexcentos à Chriſto annos accuſare nouitatis, & vſurpationis ius illud, quo intra vnum, aut alterum ſæculum à morte Apoſtolorum, tanta cum laude, tantà cum veneratione, tanta cum tranquillitate, & pace Romanus Epiſcopus potiebatur? non pudebit negare traditum ab Apoſtolis, quod & ſcriptis commendatum, & tanquam legitimum vſu receptum in Eccleſia videas ab eis, qui doctrina, & ſanctitate clari immediatè Apoſtolis ſucceſſerunt.

Quamquam Caluinus, & nonnulli eius ſectarij negarint, ſymbolum Apoſtolicum ab Apoſtolis ipſis editum eſſe, more ſuo Sanctorum, & antiquorum Patrum traditionem ſacrilegè proterentes, deſerer tamen eos in hoc errore Anonymus, vt opinor, cum eos deſeruerit etiam Rex magnæ Britanniæ, cui infęlix iſte iure mancipij deuinxit fidem ſuam. In hoc ergo ſymbolo, quod afflatu Spiritus ſancti compoſuerunt Apoſtoli, antequam per orbem diſpergerentur, vt eſſet quaſi prima teſſera militiæ Chriſtianæ, inter cætera diffinitum eſt, Eccleſiam credendam eſſe, eamque Sanctam, & Catholicam. Mox in Concilio Conſtantinopolitano primo ex Apoſtolica traditione adiectum eſt, vnam & Apoſtolicam. Quare ſi probauero, eodem articulo, quo diffinitum eſt, Eccleſiam perpetuò Eccleſiam, & vnam, & Catholicam fore, eodem decretum eſſe, & Petro, & Petri ſucceſſoribus primatum, reliquum erit, vt impudentiam ſuam confitearur Anonymus, qui ita audacter aſſeruit, quòd [Papa Romę Epiſcopus ex nulla Apoſtolorum ordinatione ſuperioritatem, quam prætendit, fundare valet. Probatio verò compendioſiſſima eſt.] Quid enim eſt Eccleſia? [Eccleſia, inquit Cyprianus, eſt plebs ſacerdoti adunata, & paſtori ſuo grex adhęrens.] Itaque duæ ſunt partes eſſentiales Eccleſiæ, ex quibus conſtat hęc eius definitio, plebs & Sacerdos, grex & paſtor, prior haber ſe tanquam genus, ad inſtar differentiæ poſterior: Alterutram tolle, naturam & eſſentiam Eccleſiæ euertis, corrumpis. Dum ergo ab Apoſtolis definitum eſt Eccleſiam eſſe credendam, conſequentèr conſtitutum eſt, credendum, eſſe aliquem vnum ſacerdotem, & paſtorem eius, à quo quiſquis de grege, & plebe recedat, ab Eccleſia recedat. Pugnat itaque cum fide Apoſtolorum illa mutatio reginimis, quam poſt Petrum Anonymus gratis, & ſine vllo fundamento fingit ſibi: Si verò ſacerdos, & paſtor eſt eſſentialis Eccleſiæ, iſne alius eſſe poteſt, quàm Romanus Pontifex Petri ſucceſſor? non opinor. Ecquando quiſ-

quam

quam mortalium alteri cuiquam hanc dignitatem tribuere auſus eſt? Nunquam certè, vel Catholicus, vel Hæreticus quiſquam, quem ego legerim. Propterea Cyprianus, [Qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? Hieronymus ad Damaſum: Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini Tuę, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc Domum agnum comederit, profanus eſt. Et infrà: Quicunque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Conciſius, ſed acutius Ambroſius, Vbi Petrus, ibi Eccleſia. Et Optatus lib. 2. contra Parm. Probatum eſt, nos eſſe in Eccleſia ſancta Catholica, apud quos & ſymbolum Trinitatis eſt, & per Cathedram Petri, quæ apud nos eſt.] Secundò, ſi poſt Petrum mutata fuiſſet forma regiminis Eccleſiaſtici, perperam in ſymbolo perpetuo profiteri iuſſi eſſent fideles Eccleſiæ vnitatem, tum ob rationes ſuprà latè cum Cypriano diſcuſſas, tum quòd Eccleſia non fera, non agreſtis, & barbara, ſed politica eſt, & ciuilis quædam ſocietas: Ciuilis verò ſocietatis ſpecies ſunt tres, Monarchia, Ariſtocratia, Politia, ſiue Reſpublica, quarum differentia ſumitur non à Deo, aut à Chriſto (quod Hęretici in Eccleſia ſomniant;) ſed ab eis mortalium, pęnès quos ſumma eſt rerum adminiſtratio, & poteſtas. Monarchia ab vno, Ariſtocratia à paucis, & optimis, Reſpublica à pluribus. Quare translata poteſtate ab vno Petro in omnes Epiſcopos, tranſiiſſet Eccleſia à Monarchia ad Ariſtocratiam, & conſequenter ab vna ſpecie Politica ad aliam. Propterea corrupta forma Eccleſiæ primitiuæ, non eſſet ampliùs eadem Eccleſia, quæ ſub Chriſto, & ſub Apoſtolis fuit, & ideò vnam ſanctam Eccleſiam credere non falsò profiteremur. Adde, quòd neque vna eſſet ratione fidei, & charitatis, quam vnitatem, antequam pateretur, Chriſtus à Patre ei peculiari oratione precatus eſt, vbi enim non ſit vnus controuerſiarum iudex ſupremus, ſed omnes pares ſint poteſtate, illis de rebus fidei inter ſe diſſidentibus, quis eorum diſſidia componet? liter dirimet? Concilia generalia, dicent Hæretici; ergone primis trecentis annis Eccleſiam Chriſtus reliquerit ſine hoc fundamento vnitatis? & tunc Eccleſiam vnam profiteri, & credere fideles debuiſſent, quando vna eſſe nulla poterat ratione? Aut ergo malè Eccleſiæ vnitas articulis fidei inſita, aut omnium vnus aliquis ſupremus in ea iudex eſt conſtitutus. Huc verò ſpectat, quod toties à Cypriano dictum eſt: [Vna eſt Eccleſia à Chriſto Domino ſuper Petrum origine vnitatis, & ratione fundata; epiſt. 70. vt vnitatem manifeſtaret, vnam Cathedram conſtituit: de vnitat. Eccleſ. & paulò pòſt: Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & Cathedra vna monſtretur.] Quæ verba hunc maximè ſenſum præ ſe ferunt, quòd ſi Chriſtus ad Patrem aſcendens vice ſua nullum ſupremum in Eccleſia Principem reliquiſſet, ſed omnes Apoſtolos loco pari, Eccleſiæ vnitas iam diſſoluta eſſet, contra quam innumeris Sacræ Scripturę monumentis teſtatum habebamus. Quare vt Eccleſiæ vnitas ſeruaretur, primatus Eccleſiaſticus Petro datus eſt. Ab vno itaque Petri primatu Eccleſiæ vnitas pendet. Si verò poſt Chriſtum Eccleſiæ vnitatem hac vna ratione ſeruare poſſibile fuit, vt primatus alicuipiam Apoſtolorum deferretur, quomodo poſt Petrum eamdem vnitatem tueri poſſibile fuerit, ſublata ab Eccleſia ea dignitate, in qua vna omnis ratio vnitatis ſita eſt? Quare aut contra ſymbolum Eccleſia vna non eſt, aut contra Anonymum, & omnes Hæreticos etiamnum durat in Eccleſia primatus Petri. Vbi verò? dicant Patres, taceant Pontifices, quorum fidei, & integritati diffidit Anonymus. Auguſtinus epiſtola centeſima ſexageſima ſecunda: [In Romana Eccleſia ſemper apoſtolicæ cathedræ viguit prinipatus.] Ante Auguſtinum Optatus lib. 2. contra Parmenianum:] Negare non poteſt ſcire te, in Vrbe Roma Petro primò cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, in qua vna Cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur. Ergo Cathedra vnica eſt, quæ eſt prima de dotibus: ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, &c. Damaſo Syricius, hodie qui noſter eſt ſocius: cumque nobis totus orbis commercio formatarum in vna communionis ſocietate concordat.] & ante Optatum Concilium Nicęnum primum Canone ſexto, ſicuti refertur in Concilio Chalcedonenſi act. 16. Eccleſia Romana ſemper habuit primatum. Et ante Concilium Nicænum Cyprianus: [Cùm Fabiani locus, id eſt, cùm locus Petri, & gradus cathedræ ſacerdotalis vocaret.]

Concludamus, ſi Eccleſia caret Summo Pontifice, vna non eſt, & falſum ſymbolum fidei, ſi Romanus Epiſcopus Pontifex non eſt, in Eccleſia nullus alius Pontifex eſt. Anonymus ergò, vel concedat cum tota antiquitate Romano primatum, vel neget contra totam Eccleſiam ſymbolum noſtræ fidei.

Tertiò, ſi Eccleſia Vniuerſalis Romanum Pontificem paſtorem non haberet, eique tanquam capiti ſuo non adhæreret, falsò nuncuparetur Eccleſia Catholica: Catholico enim opponitur tam hæreticus, quàm Schiſmaticus; Hæreticus, quia malè ſentit de fide, Schiſmaticus, quia non communicat cum Eccleſia. Quare Catholicum in ſe includit duo, fidem Orthodoxam contra Hæreſim, communionemque, & pacem cum Eccleſia iam definita contra ſchiſma. Hinc Auguſtinus: [Credimus Eccleſiam ſanctam, vtique Catholicam, nam & hæretici, & ſchiſmatici congregationes ſuas Eccleſias vocant, ſed hæretici de Deo falſa ſentiendo, ipſam fidem violant, ſchiſmatici autem diſſenſionibus iniquis à fraterna charitate diſſiliunt, quamuis ea credant, quæ credimus. Quapropter nec hęreticus pertinet ad Eccleſiam Catholicam, quia non diligit Deum, neque ſchiſmaticus, quia non diligit proximum.]

Cæterum duæ iſtæ catholici conditiones nulli Eccleſiæ competunt primò, & per ſe, niſi Romanæ, nulli fidelium primò, & per ſe, niſi Summo Pontifici, cæteris verò Eccleſijs, quatenus coniunguntur Romanæ tanquam radici, & matrici Eccleſiæ Chriſti, & Romano Pontifici tanquam ſupremo eius capiti poſt Chriſtum, eique per communionem ſu-

Digitized by Google

peræ dificantur tanquam fundamento domus Dei. Quare Cyprianus epiſt. 45. [Serupulo omni de ſingulorum pectoribus excuſſo, per omnes omninò iſtic poſitos literæ fierent (ſicuti ſunt,) vt te vniuerſi Collegæ noſtri, & communionem tuam, id eſt, Catholicæ Eccleſiæ vnitatem pariter, & charitatem probarent firmiter, & tenerent.] Vides quomodo ſolam communionem Romani Pontificis appellat vnitatem Eccleſiæ catholicæ? Hoc autem ideò dixit, quia iam antè comparauerat Eccleſiam vniuerſam radijs ſolis, qui ideò vnum lumen ſunt, quia vniuntur in ſole; ramis, qui vnam arborem conſtituunt, quia in trunco vno, & vna radice conueniunt, riuulis, qui vna aqua ſunt, quia ab vno, & eodem fonte promanant. Eique ſol, fons, radix erat vna Eccleſia Romana,& Sedes Petri, in cuius communione vniuntur omnes Eccleſiæ particulares, omnes fideles. Ideòque redarguens Carthaginienſes ſuos dicebat: [Qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia,deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? Et Hieronymus: Fidem tuam, quam vocas? eamne, qua Romana pollet Eccleſia, an illam, quæ in Origenis voluminibus continetur? Si Romanam reſponderit; ergò Catholici ſumus. Et Ambroſius, Percunctatus eſt, ſi cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt ſi cum Romana Eccleſia conueniret. Iam enim ei certam regulam eſſe vidiſti,quòd vbi Petrus, ibi Eccleſia. Ad probandum ergo, quemquam eſſe Catholicum, ſola vnitas, & communio cum Eccleſia Romana, & neceſſaria, & ſufficiens à Patribus credita eſt.Vndè Optatus ſuprà dicebat: [Probatū eſt, nos eſſe in Eccleſia Sancta Catholica, apud quos, & ſymbolum Trinitatis eſt, & per Cathedram Petri,quę apud nos eſt.] Iam ergo colligamus etiam hoc caput: Si nulla Eccleſia in orbe Catholica eſt, niſi quæ & fide, & communione coniungitur Pontifici Romano tanquam capiti, Eccleſia verò vniuerſalis(quæ ſcilicet conſtat ex omnibus Eccleſijs particularibus) Catholica eſt, reſtat ex neceſſitate,vt Eccleſia vniuerſalis Romanum Pontificem agnoſcat, tanquam caput, aut ſi minùs id faciat, Catholica non ſit, quod eſt contra ſymbolum.

His, alijſque(quas prætereo, quòd apud ſexcentos auctores leguntur) grauiſſimis rationibus permoti Patres Concilij Florentini in literis vnionis expreſsè decreuerunt primatum Romani pontificis eſſe de fide. [Definimus ſanctam,& Apoſtolicam Sedem,& Romanum pontificem in vniuerſum orbem tenere primatū,& ipſum pontificem Romanum eſſe ſucceſſorem Beati Petri principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totius Eccleſiæ caput, omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere, & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino Noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur.] Blaterat canis iſte in ſacrum iſtud Concilium, multaque, emendicatis blaſphemijs, euomit contrà Eugenium, & contra Patres illos, quibus mox occurremus. Ante Florentinum in Concilio Conſtantienſi ſeſs. 15. inter errores Ioannis Huſs, iſti ſpeciatim damnati ſunt 27. [Non eſt ſcintilla apparentiæ, quòd oporteat eſſe vnum caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa Eccleſia militante conuerſetur, & conſeruetur: 28. Chriſtus ſine talibus capitibus monſtruoſis per ſuos veraces diſcipulos ſparſos per obem terrarum melius ſuam Eccleſiam regularet. 29. Apoſtoli, & fideles Sacerdotes Domini ſtrenuè in neceſſarijs ad ſalutem regularunt Eccleſiam antequam Papæ officium foret introductum, ſic facerent, deficiente per ſumme poſſibile Papa vſque ad diem iudicij.

Idem Concilium ſeſſione 8. inter errores Ioannis Witcleffi 41.articulo hunc ipſum damnat: [Non eſt de neceſſitate ſalutis credere, Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias,] & confirmauit pòſt Martinus Quintus ſpeciali ſua conſtitutione vtriuſque ſeſſionis cenſuram.

Addiderunt huic articulo, tam Concilium, quàm Pontifex hanc explicationem: [Error eſt, ſi per Romanam Eccleſiam intelligat vniuerſalem Eccleſiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum ſummi pontificis ſuper alias Eccleſias particulares.] Quam declarationem audi, quomodo deprauet, detorqueat, eludat Anonymus. Martinus Quintus in bulla Concilij Conſtantienſis approbante eodem Concilio,condemnans illum articulum Ioannis Witcleffi dicentis: non eſſe de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſuperiorem inter alias, declarat erroneum eſſe, ſi per Romanam Eccleſiam intelligatur vniuerſalis Eccleſia. Quamobrem Romana Eccleſia vniuerſalis non eſt, neque alijs ſuperior. Hæc tu Anonyme, pari cùm impudentia,tum ſtupiditate.

Enimuerò iuxtà doctrinam Concilij nomen Eccleſiæ Romanæ tria ſignificare poteſt, primò Eccleſiam vniuerſalem, quæ ex omnibus Eccleſijs particularibus integratur, ſecundò Concilium generale, quod Eccleſiam vniuerſam repræſentat, tertiò Eccleſiam Vrbis Romæ, cuius Epiſcopus eſt ſucceſſor Petri. Iuxtà omnes iſtos ſenſus Concilium declarat erroneum articulum witcleffi, & conſequenter, de fide eſſe decernit primatum illum, quem negas. Quomodo ergo colligis à decreto Concilij,quòd Eccleſia Romana alijs ſuperior non ſit, ſi Concilium literis pedalibus ſuperiorem eſſe decernit? Si declaraſſet Concilium articulum erroneum, vt ſignis tu iuxtà primum ſenſum dumtaxat,fateor te indè aliquid colligere potuiſſe, at hoc impudentiſſimum mendacium eſſe nemo non videt.

At dices (ſi tamen tantum ingenij tibi eſt) Eccleſia vrbis Romæ in hoc decreto diſtinguitur ab Eccleſia vniuerſali: ergo Eccleſia vrbis Romæ, vtcunque per Papam ſuperior ſit omnibus Eccleſijs particularibus, ſicut Concilium decreuit, ſaltem non erit Eccleſia vniuerſalis.

Reſpondeo, eo certè ſenſu, quo Eccleſiæ corpus vniuerſum vocatur Eccleſia vniuerſalis, eo inquam Eccleſia Romana non eſt vniuerſalis, ſed corporis illius vniuerſalis membrum præcipuum. At neque Concilium Generale eſt Eccleſia vniuerſalis in eo ſenſu,

ſed

ſed (etiam ſecundùm ſententiam veſtram) caput tantùm Eccleſiæ vniuerſalis, & ideò in hoc decreto æquè diſtinguitur ab Eccleſia vniuerſali Concilium Generale, atque Romana Eccleſia particularis: primò enim Eccleſia vniuerſalis, mox Concilium, & tandem Papa locatur: Nihilominus Concilium Generale à vobis Ariſtocraticis Eccleſia vniuerſalis nuncupatur. Proinde hoc argumentum nil magis perſtringit ſententiam noſtram, quàm errorem veſtrum, cui nos ſic occurrimus.

Vniuerſale (pro ſubiecta materia) triplex eſt, in eſſendo, in repræſentando, in regendo: Eccleſiæ corpus, quod coaleſcit, & integratur ex omnibus fidelibus, qui communione ſociantur cum ſummo Pontifice, eſt Eccleſia vniuerſalis in eſſendo. Concilium generale, quod conſtat ex omnibus Epiſcopis Catholicis, quorum vnuſquiſque repræſentat Eccleſiam ſuam iuxta illud Cypriani: Eccleſia eſt in Epiſcopo, iure dicitur Eccleſia vniuerſalis in repræſentando. Eccleſia Romana, cuius Epiſcopo totum ouile Chriſti commiſſum eſt, vocatur Eccleſia vniuerſalis in regendo, vt alias rationes omittam opportuniori loco proferendas. Et quæſo, ſi Eccleſia, ex mente Concilij à Romano Pontifice non penderet, quid cauſæ aſſignares, quòd Concilium & Eccleſiam vniuerſam, & concilium generale appellaret Eccleſiam Romanam, non ita Alexandrinam, aut Antiochenam, aut Conſtantinopolitanam, aut aliam quamcunque? Sed non eſt, quòd de mente Concilij diſputemus. [Erroneum eſt, inquit, aſſertum Wittcleffi, ſi intendit negare Primatum ſummi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares.] Erronem ergò te negare non potes: faxit verò Deus, vt ita ſis erro, ſicut erronem diffinijt Vlpianus.

CAPVT II.

Ex rebus in Eccleſia, & ſpeciatim in Oriente geſtis à morte Chriſti ad annum eius quingenteſimum, quæ eſt prima Anonymi periodos, demonſtratur ſumma poteſtas Pontificis Romani in vniuerſam Rempublicam Chriſtianam.

Eccleſiæ Monarchiam in Petro non defeciſſe, ſed eius loco Romano Epiſcopo totius Chriſtianæ Reipublicæ habenas commiſſas eſſe, quod ab Anonymo primo loco negatum, nobis primò demonſtrandum erat. etiam abſque vllo Romanorum Pontificum teſtimonio probatum eſt. Sequitur nunc, vt quod impudentia, & ignorantia pari ſecundò contendit, id refellamus, nimitum Epiſcopi Romani poteſtatem ante tempora Caroli Magni vnius Romanę Diœceſis limitibus quaſi clauſtris quibuſdam fuiſſe concluſam: Quod tantùm abeſt à vero, vt nihil certius ſit, quàm Romanos Pontifices eo maximè tempore in omnes Epiſcopos (Patriarchas præſertim) & in totam Eccleſiam ſupremam, & ampliſſimam poteſtatem exercuiſſe. Et quoniam in duas periodos octo illa ſæcula diuiſit Anonymus, primam à Chriſto mortuo ad Iuſtinianum, ſecundam à Iuſtiniano ad Carolum: eamdem diuiſionem ſequutus ego illum refellam.

Capite 4. pag. 41. inquit, Petrus Cathedram Antiochenam ſeptem annis rexit, vbi relicto Epiſcopo Euodio anno 43. Romam petijt, Romanum Epiſcopatum ſuſcepit: cumque omnes conueniant circa viginti quinque annos gubernaſſe, idcirco Linum & Cletum coadiutores ſibi feciſſe dicendum eſt. crucifigitur Petrus anno Chriſti 70. Clemens eiuſdem ſucceſſor deputatus eſt. Habemus itaque ab Anonymo, Beatum Petrum Epiſcopum Romanum toto ſpatio viginti quinque annorum, vt etiam tradunt Catholici.

Capite 2. pagina 3. inquit, primatum Diui Petri non negamus, ſed non ab ipſo Chriſto Saluatore habuiſſe, verùm à cæteris Apoſtolis prælatum eſſe.

Exercuiſſe Petrum Primatum ſuum in vniuerſam Eccleſiam, apertè aſſerit eodem capite 2. pag. 25. vbi inducit tanquam validiſſimum fundamentum errorum ſuorum Clementis Petri diſcipuli, & ſucceſſoris ex Epiſt. 1. ad Iacobum fratrem Domini hæc ipſa verba: [In illis Ciuitatibus, in quibus olim apud Ethnicos primi Flamines eorum, atque primi legis Doctores erant, Epiſcoporum primates poni, vel patriarchas Beatus Petrus præcepit, qui reliquorum Epiſcoporum cauſas, & maiora, quoties neceſſe foret, negotia in fide agitarent. Et paulò pòſt, in illis Ciuitatibus, in quibus dudum apud prædictos erant Archi-Flamines, quos tamen minores tenebant, quàm memoratos primates, Archiepiſcopos inſtitui præcepit. Et infrà: In ſingulis verò reliquis Ciuitatibus ſingulos, & non binos, vel ternos, aut plures Epiſcopos, conſtitui præcepit, qui non primatum, aut Archiepiſcoporum, aut Metropolitanorum nomine, quia matres Ciuitates non tenent, ſed Epiſcoporum tantùm vocabulo potirentur.

Nunc igitur, Anonyme, dic, obſecro te: Si Beatus Petrus fuit Epiſcopus Romæ, & exercuit per viginti quinque annos (hoc eſt, ad annum Chriſti 70.) Primatum ſuum in vniuerſam Eccleſiam, quomodo per totos octingentos annos, à morte Chriſti, extra ſuam Diœceſim Epiſcopus Romanus nihil decreuit, nihil iuris obtinuit, quod tu tanta cum audacia aſſeueraſti? nonne tu te mendacem arguis, & conuincis? Si Petrus non exercuit primatum, falleris, dum cum Clemente ais, arbitrio Petri vniuerſam Eccleſiæ Politiam fuiſſe diſpoſitam; ſi verò exercuit, mentiris, dum cum Veleno, & alijs Hæreticis noſtri, & ſuperioris ſæculi negas, per octo integra ſæcula à morte Chriſti Romanos Epiſcopos extra Diœceſim ſuam vlla in re exercuiſſe primatum. Vides ad quas anguſtias tua te adigit ignorantia? Sed quoniam hæc prima Clementis epiſtola adeò tibi probatur: videamus quàm perſpicuè in ea non Petri tantùm, ſed Clementis etiam primatus eluceat.

Non admodum longè ab initio narrat, quomodo Pontifex inſtitutus fuerit à Beato Petro hiſcemet verbis: [in ipſis autem diebus, quibus vitæ finem ſibi imminere præſenſit, in Conuentu fratrum poſitus apprehenſa

manu mea repentè conſurgens, in auribus totius Eccleſiæ hæc protulit verba: Audite me fratres, & conſerui mei, quoniam vt edoctus ſum ab eo, qui miſit me Domino, & magiſtro meo Ieſu Chriſto: dies mortis meæ inſtat, Clementem hunc Epiſcopum vobis ordino, cui ſoli meæ prædicationis, & doctrinæ Cathedram trado. Et paulò infrà: propter quod ipſi trado à Domino mihi traditam poteſtatem ligandi, atque ſoluendi, vt de omnibus, de quibus decreuerit in Terris, hoc decretum ſit & in Cœlis: ligabit enim, quod oportet ligari, & ſoluet, quod expedit ſolui, tanquam qui ad liquidum Eccleſiæ regulam nouerit, & poſt multa antè verba abs te citata: Epiſcopos autem per ſingulas Ciuitates, quibus ille non miſerat per doctos, & prudentes ſicut ſerpentes, ſimplicesque ſicut columbas, iuxta Domini præceptionem nobis mittere præcepit, quod etiam facere inchoauimus, & Domino opem ferente facturi ſumus. Et paulò pòſt: Aliquos verò ad Gallias, Hiſpaniaſque mittemus, & quoſdam ad Germaniam, & Italiam, atque ad reliquas gentes dirigere cupimus: Vbi autem ferociores, & rebelliores gentes eſſe cognouerimus, illuc dirigere ſapientiores, & auſteriores neceſſe habemus.

Vides itaque Clementem ſucceſſorem Petri in Cathedra prædicationis, & doctrinę: vides, ei Petrum, quam à Domino acceperat poteſtatem ligandi, & ſoluendi, hanc omnem impertijſſe, ac denique non intra centeſimum ab Vrbe lapidem, & ſuburbicarias quaſdam regiones eius poteſtatis exercitium contineri, ſed dilatari ad totam Italiam, ad Hiſpaniam, Galliam, Germaniam, aliaſque ferociores, & rebelliores nationes.

Nonnulla alia eodem 2. c. Pontificum teſtimonia producis, quæ certè tu attigiſſes nunquam niſi aut ſtupidiſſimus eſſes, aut agereris à Spiritu, ſicuti Cayphas. Inquis igitur [Anacletus ad Epiſcopos Italiæ epiſtol. 2. Leges diuinæ & Eccleſiæ in Ciuitatibus Patriarchas, & Epiſcopos poni ſtatuerunt. Et paulò poſt; Inſtituente Domino formam ordinandi Epiſcopos Apoſtoli tradiderunt. de quo in cap. Sacroſancta, diſt. 22. & in capite porrò, diſt. 66. & Prouinciarum diuiſio aliàs ab Apoſtolis, & Clemente facta à nobis renouatur. Item Epiſtolo tertia: Apoſtoli ſtatuerunt, qui eorum primus, & potior eſſet] hæc tu. Si verò Prouincias in Patriarchias diuiſit poſt Apoſtolos Clemens, eamque diuiſionem poſt Clementem reperijt Anacletus certè Clemens, & Anacletus in tota Eccleſia primatum exercuerunt: Sed opus non eſt ſyllogiſmis ad concludendum primatum ex literis Anacleti. Audi illum ipſum hac eadem Epiſtola 2. non longè ab ea particula, quam citaſti de metropolitanis loquentem: [Primates tamen (ſicut præfixum eſt,) & tunc, & nunc habere iuſſi ſunt: ad quos poſt ſedem Apoſtolicam ſumma negotia conueniant, vt ibidem quibus neceſſe fuerit, releuentur, & iuſtè reſtituantur, & hi, qui iniuſtè opprimuntur, iuſtè reformentur, atque refulciantur, Epiſcoporumque cauſæ, & ſummorum negotiorum iudicia (ſalua Apoſtolicæ ſedis auctoritate) iuſtiſſimè terminentur: Hæc ab antiquis, hæc ab Apoſtolis, hæc à Sanctis Patribus accepimus. Quæ autem fuerit ea ſedis Apoſtolicæ auctoritas, quam ſaluam eſſe iubet Anacletus, dixerat epiſtola prima ad omnes Epiſcopos, & Chriſti fideles: Si difficiliores ortæ fuerint quæſtiones, aut Epiſcoporũ, vel maiorum iudicia, aut maiores cauſæ fuerint, ad ſedem Apoſtolicam (ſi appellatum fuerit) referantur. Quoniam Apoſtoli hoc ſtatuerunt iuſſione Saluatoris, vt maiores, & difficiliores quæſtiones ſemper ad ſedem deferantur Apoſtolicam, ſuper quam Chriſtus vniuerſam conſtruxit Eccleſiam, dicente ipſo ad Beatum Principem Apoſtolorum Petrum: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Et Epiſtola tertia ad omnes Epiſcopos: Si quæ verò cauſæ difficiliores inter vos ortæ fuerint, ad huius Sanctæ ſedis apicem eas, quaſi ad caput referte, vt Apoſtolico terminentur iudicio, quia ſic Dominum velle, ab eoque ſic conſtitutum eſſe antedictis teſtimonijs declaratur.] Habes hìc appellationes à primatibus ad ſedem Apoſtolicam, habes ſedem Apoſtolicam iudicem Epiſcoporum omnium, Eccleſiæ vniuerſalis fundamentum, eam habes caput à Chriſto omnium Eccleſiarum, & ſtultè huc prouocaſti?

Quæ verò te adegit inſania ad mentionem Canonis Sacroſancta, diſt. 22. ex eadem 3. Anacleti? Eius epiſtola, & Canonis verba ſunt hæc: [Hæc vero Sacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas Eccleſias, ac totum Chriſtiani populi gregem aſſequuta eſt, ſicut ipſe Beato Petro Apoſtolo dixerat: Tu es Petrus,] &c. Et poſt multa, de Eccleſię Romanę primatu, per quam honorificeè commemorata Canon iſte concluditur illis eiuſdem verbis: [Hæc verò Apoſtolica ſedes, cardo & caput omnium Eccleſiarum à Domino, & non ab alio eſt conſtituta, & ſicut cardine oſtium regitur, ſic huius ſanctæ ſedis auctoritate omnes Eccleſiæ, Deo diſponente, reguntur.] Vide quando cum iudicio agas, quod agis, & quàm periculatè hoc certamen depugnes?

Citas etiam ibi Calixtum primum. Calixtus primus, inquis, anno Domino 221. in epiſtola 2. cap. 3. [Primates, Metropolitani, & Epiſcopi nihil extra eorum prouincias nec iudicent, vt ab Apoſtolis, & patribus ſtatutum fuit,] & habetur in cap. nullus primas in cauſa nona q. 3.

Sed homo vafer, & nequam corrupiſti poſtremam clauſulam, & reticuiſti ſequentia Canonis, & epiſtolæ verba, quibus iugulatis, habet enim Calixtus: [Sed hoc obſeruent, quod ab Apoſtolis, ac Patribus, & prędeceſſoribus noſtris eſt ſtatutum, & à nobis confirmatum.] A Calixto itaque & prædeceſſoribus leges latæ, quæ omnes Epiſcopos, & Primates ligabant. Neque quiſquam eius auctoritatem tunc reuocauit in dubium, quia, vt dixerat ipſe epiſt. 1. [Nulli dubium, quòd apoſtolica Eccleſia mater ſit omnium Eccleſiarum, à cuius vos regulis nullatenus conuenit deuiare. Non decet enim à capite membra diſſidere, ſed iuxta ſacræ Scripturæ teſtimonium omnia membra caput ſequantur, & ſicut Dei filius venit facere volunta-

tem

tem Patris, ſic & vos voluntatem veſtræ impleatis matris, quæ eſt Eccleſia, cuius caput (vt prædictum eſt) Romana exiſtit Eccleſia.] Itaque illis ipſis teſtimonijs, quæ producis, ad annum 221. Romani Epiſcopi ingeruntur tibi Capita, & Paſtores Eccleſiæ vniuerſæ, & velis nolis, liberum vides ſupremæ eorum poteſtatis vſum vbique terrarum. Iuriſque adeò certi, & explorati tunc erat eorum Primatus, vt Tertullianus hoſtis iam manifeſtus Eccleſiæ Romanæ, ſtylo in eam verſo relaturus Romani Pontificis decretum, quod impugnare volebat, exiſtimauerit, titulum Primatus indicem non eſſe prætereundum: [Audio, inquit, edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium: Pontifex ſcilicet Maximus, Epiſcopus Epiſcoporum dicit: Ego & mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.] Repete ex ſuperioribus capitibus, quæ geſſit Cyprianus, quæ ſcripſit, nonne ea omnia ſunt Romani Primatus æterna monumenta? Negant hæretici nunc Pontificis Romani ſupremum in tota Eccleſia ius, quod eo ſæculo à gentilibus ipſis etiã perſequutoribus Chriſtianorum neque ignoratum eſt, neque violatum. [Cùm enim Paulus Samoſatenus, inquit Euſebius, in Concilio Antiocheno de Epiſcopatu deiectus, ex Epiſcopi domo, quæ illius Eccleſiæ propria erat, exire nollet: Imperator Aurelianus rogatus ſententiam, ſanctiſſimè quid eſſet agendum decreuit. Præcepit enim, vt domus Eccleſiæ illis tribueretur, quibus Chriſtiani Italiæ, & Vrbis Romæ Epiſcopi per literas tribuendum præſcriberent.] Gentilis & perſequutor eſt, qui decernit, Orientalis & Arianus, qui decretum tanquam ſanctiſſimum non audet non commendare. Neuter certè teſtis ſuſpectæ fidei pro Romano Primatu. Adiecit verò Imperator Pontifici Chriſtianos Italiæ, quòd ſciret à Pontifice Dionyſio ob eamdem cauſam Epiſcoporum Italiæ Synodum conuocatam. Sed percurſis iam tribus prioribus ſæculis, de quibus aliqua etiam ſuperiori capite dicta ſunt, pergamus ad quartum, in quo liberè, & impunè Chriſtus coli, & adorari cœpit, & veniamus ad primum Concilium Nicænum, vndè, quaſi triumphato primatu, catholicis aduerſarij pæana canentes inſultant.

Anonymus cap. 5. libelli ſui, cuius Rubrica eſt, [in quibus Concilijs diſpoſitum fuerit Papam non habere præeminentiam ſuper cæteros Patriarchas,] inquit: Concilia recenſenda ſunt, quibus ſancitum fuit, vt ſua Diœceſi contentus ſit, & primatum ſuper cæteros Patriarchas non prætendat. Synodus Nicææ congregata anno Domini 325, in capite ſexto ita decreuit: [Antiqua conſuetudo valeat, quæ in Æſtypto, Lybia, & Pentapoli fuit, vt Alexandrinus Epiſcopus ſuper his omnibus auctoritatem habeat, quoniam & Romano Epiſcopo hæc eadem conſuetudo. Similiter & apud Antiochiam, & in cæteris Prouincijs priuilegia conſeruentur. Illud autem planum eſt, quòd ſi quis ſine conſenſu Metropolitani fiat Epiſcopus, hoc magna Synodus ſtatuit Epiſcopum eſſe non oportet.]

Confirmatur auctoritate Ruffini decretum illud interpretantis in lib. 10. Eccleſ. hiſt. [Apud Alexandriam, & in Vrbe Romæ hæc conſuetudo ſeruetur, vt & ille Ægypti, & hic ſuburbicarum Eccleſiarum ſollicitudinem gerat.] Itaque ſuburbicarum tantùm rerum Epiſcopatus Romani fines à ſancta Nicæna Synodo poſiti fuere, ergo primatum ſuper totas mundi Eccleſias habere non poteſt. Hæc Anonymus, veteri hæreticorum cantilena, cui nuper ex Gallia Mineruæ ſuffragium acceſſit, hoc eſt alter ille libellus Anonymus de ſuburbicarijs regionibus, & Eccleſijs, de quo iam dictum mihi. Huius auctor per quàm ſuperciliosè ſuburbicarias regiones intra centeſimum ab Vrbe lapidem contrahit. Et quia nomine Eccleſiarum ſuburbicariarum cenſeri putat Eccleſias iſtarum regionum, ideò centeſimum ab Vrbe lapidem terminum ponit Epiſcopo Romano, quem vltra ex Canone ſexto Nicæno procurrere non poſſit.

Ergo verò conſtantiſſimè affirmo, Concilium Nicænum Romani Pontificis primatum in totam Eccleſiam Chriſti, & omnes prorsùs Epiſcopos agnouiſſe, iuſtiſque honoris, & venerationis officijs ſummam eius dignitatem eſſe proſequutum. Putoque teſtimonijs adeò illuſtribus id probari, vt facilius, quod ait ille, humo infigi poſſint aſtra, quàm homini non inſano Anonymorum ſententia perſuaderi.

Conſtantino Imperatore morte ſublato, hæreſis Ariana, quæ Nicæni Concilij auctoritate extincta videbatur, Conſtantij filij & ſucceſſoris auctoritate confota reuixit, principe, architectoque omnium malorum Euſebio Nicomedienſi. Huic adſtipulabantur omnes Epiſcopi Orientis, qui Ariana peſte infecti (quales tabulæ loquuntur hiſtoriæ) metu Conſtantini, quamdiu vixit, virus iſtud in pectore occulturant. Hi gregem Chriſtianum perdituri, paſtoribus Orthodoxis cum primò ſpoliare conſtituunt. Quare varijs dolis, & technis etiam per ſpeciem Concilij Antiochiæ congregati Athanaſium Epiſcopum Alexandriæ Arij antagoniſtam, & fidei Nicænæ acerrimum defenſorem è gradu deijciunt, ſuffecto in eius locum Gregorio eiuſdem cum illis farinæ. Poſt quem aggreſſi Paulum Conſtantinopolis, Aſclepiam Gazæ, Marcellum Ancyræ, & Lucium Hadrianopolis Epiſcopos Catholicos, alioſque permultos ſuis deturbant ſedibus. Verùm antequam aperta vi Athanaſium adorirentur, iure eum loco mouere conſtituunt. Quare, vt ipſe affirmat Apol. 2. trium grauiſſimorum criminum apud Iulium tum temporis Romanum Pontificem illum accuſant. Iulius vtramque partem ad ſe venire iubet: neque mora, & Athanaſius, & Euſebiani Romam legatos mittunt. Cauſa cognita, Euſebiani metuentes ſibi cauſari incipiunt, ſe ob locorum diſtantiam probare nequire crimina Athanaſij, inſtare, vt Alexandriæ Synodum Iulius indicat, vbi probari facilè obiecta poſſent, & interim clàm elapſi infectare in Orientem reuertunt. Rem totam hoc ordine narrat Athanaſius ipſe in ſecunda Apologia. Anonymus ſemper mendax, & nequam non Euſebianos, ſed Athanaſium primùm conuolaſſe ait ad Iulium, &] Iulium arripuiſſe occaſionem, propter quam Eccleſia Romana ſuper Orientales

eales acquirere poterat.] Ac oppoſitum ſcribit Inli us ad Orientales ipſos apud Athanaſium eadem Apologia ſecunda: [Scripſere, inquit, prius Euſebius cum ſuis contra Athanaſium, ſcripſiſtis & vos in in præſentiarum, ſcripſere etiam plurimi ex Ægypto, & alijs Prouincijs pro Athanaſio. Concordat Concilium Sardicenſe Epiſtola ad omnes Epiſcopos. Cum igitur iam pridem literas ſuas accuſatrices de Athanaſio, Aſcleptia, Marcello, Comminiſtris noſtris Euſebiani ad Inlium Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum miſiſſent, contingit, vt etiam alij ex alijs locis Epiſcopi ad eumdem Iolium literas ſuas mitterent, quibus & Athanaſij Innocentiam, & Euſebianorum ſycophantiam conteſtabantur.] Si verò ante quatuordecim annos dumtaxat in Concilio Nicæno Romano Pontifici fibula impoſita fuit, (vt dicunt hæretici) poteſtate in alios, & Patriarchas, & Primares ſublata, eaque intra centeſimum tantùm ab Vrbe lapidem concluſa, cur tanto omnium conſenſu cauſa tantæ molis ad eis iudicium ex Oriente defertur? Si de poteſtate Romana decretum fuiſſet aliquid tale in Concilio Nicæno, quis credat, illos Epiſcopos, qui Nicæno Concilio interfuerant, ciuſque maximos cultores ſe eſſe etiamnum ſimulabant, Athanaſium Epiſcopum Alexandrinum ad Romanum Pontificem delaturos, quando Athanaſio in promptu futuram non ignorarent exceptionem Iudicis incompetentis? Aut quis ſibi perſuadeat, Athanaſium Nicæni Concilij ſcrupuloſiſſimum, & obſeruantiſſimum defenſorem, contra Nicænos Canones tanto cum præiudicio ſedis ſuæ, motæ pecudis inſtar, illegitimum iudicium ſubiturum? Julius indicto Romæ Epiſcoporum Italorum, Concilio, Athanaſium, & Euſebianos ſtata die coram adeſſe iubet, cauſam terminaturus: quæ eò grauior euaſerat, quòd Paulus Conſtantinopolis, & alij Catholici Epiſcopi à Nicomedienſi, & fautoribus ſuis ſedibus pulſi, Romam confugerant, iuſtitiam à Iulio, & reſtitutionem poſtulantes. Athanaſius ipſe Apologiæ ſuæ inſeruit hæc verba Iulij ad Orientales: [Præter hæc omnia annum totum, & integros ſex menſes apud nos hæſit, veſtram præſentiam expeſtans, aut quotquot comparere auderent, ſuaque præſentia pudefecit omnes, quippè, qui iudicio non ſtetiſſet, niſi ſui fiduciam habuiſſet. Neque enim ſponte, ſed literis noſtris ad iudicium vocatus comparuit, quemadmodùm vos per litteras citauimus. Et infrà: Non enim ſolus Athanaſius, & Marcellus Epiſcopi, cum quætimonijs de illatis iniurijs, ſed & plurimi alij Epiſcopi ex Thracia, Cœleſyria, Phœnicia, Palæſtina huc conuenere, Præsbyteri item non pauci partim ex Alexandria, partim aliundè, &c.] Quo iure hęc tunc à Iulio, & apud Iulium agerentur, narrant Hiſtorici Græci, ijque (vno excepto) omnes octauo ſæculo antiquiores, quos propterea Pontificum largitione de patrimonio ſancti Petri corruptos fingere nequit Anonymus: Theodoretus, qui proximè ſequenti ſæculo floroit, lib. 2. hiſtor. capite quarto, [Athanaſius, inquit, intelleſtis eorum inſidijs, clàm ſe ſubduxit Alexandria, & rectè in Occidentem contendit. Etenim Iulium Epiſcopum, qui tum Romanam texit Eccleſiam, Euſebiani de criminibus, quæ falsò contra Athanaſium confixerat, per literas certiorem fecerant. Ille Eccleſię Canonem ſequutus, & eos iuſſit Romam venire, & diuinum Athanaſium, quò pro ſe in iudicio ipſe reſponderet, vocauit, qui vt primùm fuit accerſitus, eò maturè contendit. Tragœdiæ autem auctores Romam ideò non ſunt profecti, quòd intellexerunt ſua mendacia maniſeſtò fore depræhenſa, Socrates Theodoreti contemporaneus lib. 2. cap. 11. Athanaſius vix dum in Italiam traiecerat. Et mox: Eodem tempore Paulus Epiſcopus Conſtantinopolis, Aſclepias Gazę, Marcellus Ancyræ vrbis minoris Galatiæ, & Lucius Hadrianopolis, alius ob aliam cauſam accuſati, & Eccleſijs ſuis eiecti, Romæ omnium Ciuitatum facilè Principis verſantes, Iulium Epiſcopum Romanũ de ſuo ipſorum ſtatu certiorem faciunt. Ille verò, quoniam Eccleſia Romana priuilegium præter cæteros obtinebat, literis ſuis ad Epiſcopos Orientis liberiùs præſcriptis, illorum partes tueri ſtudet, in Orientem literas mittit, quò & ſuus cuique locus reſtitueretur, & eos, qui illos temerè abdicauerant, grauiter repræhenderet.

Sozomenus contemporaneus Theodoreti, & Socratis lib. 3. cap: 7. recenſitis ijſdem Epiſcopis, inquit [Quorum criminationes cùm Epiſcopus Romanus intellexiſſet, & omnes ſidei Concilij Nicęni conſentientes reperiſſet, in communionem recepit. At cùm propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipſum ſpectaret, ſingulis ſuam Eccleſiam reſtituit, ſcripſitque ad Epiſcopos Orientis, eoſque incuſauit, quòd inconſultò de hiſce viris iudicaſſent, Eccleſiaſque perturbaſſent, cùm decretis Concilij ſtare nollent.]

Nicephorus Calliſtus etiamſi durante Græcorum ſchiſmate Conſtantinopoli tertio decimo ſæculo ſcripſerit, nihilominus lib. 9. cap. 8. eandem rem hiſcemet verbis refert [Horum cauſa Iolius Antiſtes Romanus cognita, quòd conſentientes ſibi de Nicænis decretis inuenit, communione eos eſt dignatus. Pro amplitudine autem Sedis ſuæ ex veteri priuilegio, & prærogatiua perſuaſum habens omnium vbique Epiſcoporum curam, & iudicium ad ſe pertinere, datis cuique liberrimè ſcriptis literis ſuas eis Eccleſias reddidit, eoſque in Orientem remiſit.]

Itaque non noua, non illegitima auctoritate, recenterque, & contra Canones vſurpata Iulius egit, quod egit, neque temerè ad eum confugerunt Orientales [ſed pro amplitudine Sedis ſuæ, & ea veteri priuilegio, inquit Nicephorus, quia propter Sedis dignitatem cura omnium ad eum ſpectabat, inquit Sozomenus, quia Eccleſia Romana præter cęteras priuilegium obtinebat] inquit Socrates, & demùm Eccleſiæ Canonem ſecutus] inquit Theodoretus. Quare tantum abeſt, vt in Concilio Nicæno coarctata fuerit pontificia poteſtas ad eos fines, quos hæretici ſomniant, vt verius etiam tunc eam, & antiquam fuiſſe, & in eo ſartam tectam conſeruatam eſſe luce clarius appareat.

At inquiunt Anonymi, Orientales Iolio non obtemperarunt, quin potius conuocato Antiochiæ Concilio, Athanaſio, & alijs catho-

Digitized by Google

tholicis Epiſcopis ſucceſſores dederunt, literiſque acrimonia plenis Iulio fibulam impoſuerunt. Id quidem verum eſſe fateor; at quiſnam catholicorum iuris argumentum petendum eſſe dixerit non ab eo, quòd catholici, ſed ab eo, quòd Ariani geſſerunt? Ergone Eccleſiæ totius lumen Athanaſius, cum tot ſanctiſſimis Epiſcopis Canones violarint, Euſebius, & cœteri Ariani ſe legitimè geſſerint? ò intolerabilem impudentiam! Cur non deletis etiam ex Symbolo verbum omouſion, quod illi ab Athanaſio, & catholicis Niceæ inſitum, ab Euſebio, & ſocijs Antiochiæ euulſum eſt? Quod ab Euſebianis ibi geſtum eſt, id illegitimè, & contra Canones factum Græci ipſi fatentur. Socrat. lib. 2. cap. 5. [Quin etiam Iulius Romanus Epiſcopus neutiquam aderat, neque quemquam, qui eius locum ſuppleret, eò miſit, idque cùm canon Eccleſiaſticus iubeat, non oportere abſque ſententia Epiſcopi Romani decreta Eccleſijs ſancire.] Scripſerunt etiam temerè ad Iulium (non nego) at nunquam obiecerunt, quòd limites ſuæ diœceſis exceſſiſſet; qua tamen vna ratione Iulij cauſa profligata fuiſſet; tantùm dixerunt, excommunicatos ab alijs Epiſcopis ab ipſo recipiendos non eſſe, & damnatos à Synodis per ipſum reſtitui non debere. At quo caractere hæc Epiſtola à catholica Ægypti Synodo tunc notata ſit, conſtat ex literis eiuſdem Synodi apud Athanaſium Apologia ſecunda, cuius hic verba ſubijcio [Eccleſiam in ſchiſma conijciunt, eaque paſſim ſcribunt, quæ & hæreſim commendant, & Eccleſiam conuitijs lacerant, vt ex literis eorum ad Romanum Epiſcopum, & fortaſsè ad vos ipſos ſcriptis deprehendere poteſtis.] Quibus ergo teſtimonijs ſuffulciant Anonymi cauſam ſuam, maximè Italus iſte, qui hanc Orientalium epiſtolam totam verbatim exarauit, iam vides.

Arianis qua peruicacia Chriſti deitatem Chriſti Vicario obedientiam negantibus, detrectantibuſque reſtituere Athanaſium, & Paulum in ſedes ſuas, anno ſalutis trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo, rogatu cùm Athanaſij, & Pauli, tum Imperatorum Conſtantis, & Conſtantij, Sardicæ, quæ eſt Illyrij Ciuitas, à Iulio Romano Pontifice conuocatur generale Concilium. A Iulio Concilium illud conuocatum fuiſſe, ſatis conſtat ex Socratis lib. 2. cap. 16. afferens enim eò ſeptuaginta ſex tantùm Orientales Epiſcopos conueniſſe, hanc rationem ſubijcit [Nam alij infirmitatem corporis cauſantur, alij de temporis præſtituti queruntur anguſtia, culpamque illius rei in Iulium Epiſcopum Romanum conferunt.] Iulius itaque fugrat, qui nimis anguſtum conueniendi tempus præſtituerat. Cuius precibus Concilium indixerit Iulius, & ſententiam ſuam iteratò diſcuti paſſus ſit, eodem loco habet idem auctor hiſcemet verbis: [Paulus, & Athanaſius aliud Concilium cogi poſtulant, vt cùm de eorum rebus, tum de fide in Concilio generali cognoſceretur, docentque, ſe abdicatos fuiſſe, quò ipſa penitus labefactaretur fides. Edicitur Concilium generale, vt omnes Sardicam conueant, idque de ſententia duorum Imperatorum, alterius per literas illud flagitantis, alterius, qui in Oriente regnabat, alacri, & paraso animo eiſdem optemperantis.] [Quare mentitur, vt ſolet, Anonymus, dum pag. 58. ait, quòd [huius Sardicenſis Concilij conuocandi nullæ Iulij Romani Epiſcopi partes extitere.] Quòd autem Concilium initio literarum ad omnes Epiſcopos, ſicut citatur ab Anonymo, dicat. [Etiam ipſi pijſſimi principes ex diuerſis nos prouincijs, & Ciuitatibus colligentes, ſanctum hoc Concilium in Sardicenſium celebrari vrbe præceperunt:] id quidem falſum eſt, ſi inſpiciantur exemplaria Athanaſij, qui illius Concilij magna pars fuit. [Religioſiſſimi principes nos, inquiunt, ex diuerſis mundi prouincijs, & ciuitatibus in vnum conuocarunt, cupientes, vt ſancta Synodus in Sardorum ciuitatem conueniret.] Eſto tamen, dixerit Concilium, quod affert Anonymus ex collectione Conciliorum, hoc neque negat Iulij conuocationem, neque iuriſdictionem tribuit Imperatori ſupra Concilium, vt proximis retrò annis à me probatum eſt contra Regem magnæ Britanniæ.

Præſederunt huic Concilio nomine Iulij Archidamus, & Philoxenus Apoſtolicæ Sedis legati, quorum ſubſcriptionem hanc refert Athanaſius Apologia ſecunda. [Iulius Romæ per Archidamum, & Philoxenum presbyteros ſuos.] Aduocatus ſiue Patronus eius Concilij fuit Oſius Epiſcopus Cordubenſis, quem etiam legatis Papæ annumerat Gratianus cap. prima adnotatio diſtin. 16. Huius muneris erat, vt obſeruat Baronius, definienda proponere, atque ſingulorum rogare ſententias. Ex hoc Patroni nomine, & munere (quod idem Latinè, ac Italicè ſignificare putauit Anonymus) colligit non legatos Papæ illi Concilio præfuiſſe, ſed Oſium, quàm conſequenter, viderit. Age tamen, præſederit Oſius caput, & princeps Concilij, neque legatus fuerit, quis ei hanc auctoritatem contulerit? Pontifex? Imperatores? an Concilium? aliud à tribus his nemo fingere poteſt. Si Imperatores, vel Concilium, vbi? quando? dicant, proferant aduerſarij aliquod teſtimonium, quo alterutrum ſi non probari, conijci ſaltem poſſit. Quod ni faciant, confiteantur, Oſium eo loco à Pontifice collocatum, cum in omnibus Concilijs illi perpetuò præſederint, qui ab Apoſtolica Sede miſſi ſunt, vt edocebunt ſequentium Conciliorum exempla. Et ſicuti paci, & vnitati Eccleſiæ proſpiciens permiſit ex epychia Iulius iudicium à ſe factum in eo Concilio ad examinis lancem reuocari; ità ex eadem virtute, quò res omni ſuſpicione vacaret, non legatos ſuos, ſed Oſium virum ea tempeſtate laudatiſſimũ principem in eo conſeſſu locum tenere voluit. Ex eis verò, quæ fiunt per epychiam, colligere ius commune, deliri potius, & inſani, quàm ignorantis eſt.

Interfuerunt quidem huic Concilio ex diuerſis prouincijs Epiſcopi catholici plus minus trecenti, vt aſſerit Athanaſius in epiſt. ad ſolit. vit. agent. Ex quibus ducenti ſex, & octoginta ſubſcripſerunt in Concilio, quos nominatim recenſet Apologia ſecunda, ſcilicet ex Italia 78. ex Gallia 24. ex Africa 36. ex Ægypto 96. ex Canalio Italiæ 15. ex Cypro 12. ex Palæſtina 15. Baronio tamen probatur, quàm Socratis, & Sozomeni arbitratur, ſententia, vt conuenerint Sardicæ trecenti

centi ex Occidente, ex Oriente verò ſuptuaginta ſex Epiſcopi ijdem omnes catholicæ communionis. At indulgeat Baronius vir nunquam ſatis laudatus, vt eius argumentis præponamus expreſſum teſtimonium Athanaſij, quem ipſe ibidem ſatetur præ cæteris audiendum, eoque maximè, quòd ſeptuaginta ſex illos Orientales ſupra tercentum non catholicos, ſed Arianos fuiſſe Socrates, & Sozomenus aſſerunt; apertiùs licèt Socrates, quàm Sozomenus. Quod obſeruauit etiam Leo IX. epiſt. 1. Hos ſeptaginta ſex, vbi ipſis cum catholicis non conuenit de expulſione Athanaſij, & aliorum catholicorum, relicta Sardica, Philippopolim abijſſe, ibique conciliabulum celebraſſe, Athanaſius, Socrates, Sozomenus, & omnes ſcriptores conſentiunt.

Vt huius Concilij auctoritatem infringat, in quo primatus Romani Pontificis in vniuerſam Eccleſiam mirificè effulſit, duo facit Anonymus. Primum ex Gratiano, quem paulò antè appellarat omnium bonarum ſcripturarum corruptorem; & ex collectore Concillorum aſſumit, huic Concilio ſexaginta tantùm Epiſcopos ſubſcripſiſſe. Deindè ex Baronio fuiſſe in eo Epiſcopos 376. atque hinc colligit, geſta huius Concilij non valere ex regula iuris [factum non dicitur, quod à maiori parte factum non fuit.]. Nobis tamen inſtar omnium vnus eſt Athanaſius, qui ſemel, iterum, tertiò commemorat, & nomina, & numerum, & prouincias eorum, qui Concilio iſti ſubſcripſerunt. Nemiuemque adeò iniquum iudicem futurum ſperamus, qui Autographa Athanaſij non præferat codicibus, vel Gratiani, vel Surij. Scribebat ſcilicet Athanaſius, quæ tum gerebantur, quibus intererat, nomina eorum, quos quotidiè videbat, alloquebatur. Exſcripſerunt iſti, quod tot retrò ſæculis geſtum erat, è codicibus corroſis, corruptis, & lacunoſis. Neque in eo Concilio veteres ſcriptores vllius inter catholicos diſſidij meminerunt, ſed quæ geſta ſunt, communi conſenſu geſta fuiſſe conſentiunt, altiſſimamque concordiam, & charitatem ſpirant omnes Epiſtolæ, quas indè patres diuerſas dederunt.

Maxima ſemper fuit huius Concilij auctoritas: quare à Sulpitio lib. 2. ſacræ hiſtoriæ appellatur Concilium ex toto orbe conuocatum, à Socrate lib. 2. cap. 16. Generale Concilium & Nicolaus primus epiſt. 4. Sardicenſe Concilium, inquit, omnis Eccleſia recepit. Conſtituta, propugnataque Concilij Sardicenſis auctoritate, quid decreuerit, videamus.

Capite quarto [Oſius Epiſcopus dixit; Si aliquis Epiſcopus adiudicatus fuerit in aliqua cauſa, & putat ſe bonam cauſam habere, vt iterum iudicium renouetur, ſi vobis placet, ſancti Petri memoriam honoremus, vt ſcribatur ab his, qui cauſam examinauerunt, Iulio Romano Epiſcopo, etſi iudicauerit renouandum eſſe iudicium, renouetur, & det iudicea. Si autem probauerit talem cauſam eſſe, vt non refricentur ea, quæ acta ſunt, quæ decreuerit, confirmata erunt, ſi hoc omnibus placet; Synodus reſpondit, placet.]

Cap. 7. vel ſecundùm aliam verſionem 8. [Oſius dixit: Placuit autem, vt ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & iudicauerint congregati Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo eum deiecerint, ſi appellauerit, qui deiectus eſt, & confugerit ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, & voluerit ſe audiri, ſi iuſtum putauerit, vt renouetur iudicium, vel diſcuſſionis examen, ſcribere his Epiſcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua prouincia ſunt, vt ipſi diligenter omninò requirant, & iuxta fidem veritatis requirant. Quodſi is, qui rogat cauſam ſuam iterùm audiri, deprecatione ſua mouerit Epiſcopum Romanum, vt è latere ſuo presbyterum mittat, erit in poteſtate Epiſcopi, quid velit, & quid æſtimet: & ſi decreuerit, mittendos eſſe, qui præſentes cum Epiſcopis iudicent, habentes eius auctoritatem, à quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio; ſi verò crediderit Epiſcopos ſufficere, vt negotio terminum imponant, erit in ſuo ſapientiſſimo iudicio.]

Hæc Concilium, ex quibus intelligas, quænam Eccleſiæ catholicæ ſententia tunc fuerit de Romano Pontifice, & paremne, an ſuperiorem cęteris Epiſcopis eum eſſe crediderit. Imò Patres poſt Concilium epiſt. ad Iulium, cuius initium [quod ſemper credidimus. Hoc optimum, inquiunt, & valdè congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad caput, id eſt, ad Petri Apoſtoli Sedem de ſingulis quibuſque prouincijs Domini referant Sacerdotes. [Cùm verò Sardicenſe Concilium conuocatum fuerit tanquam propugnaculum Nicæni, quis ſibi perſuadeat, Sardicenſe prolaturum fuiſſe ad aliorum patriarchias Romani pontificis pòteſtatem, ſi Nicęnum concluſiſſet eam intra clauſtra Romanę Diœceſis? Cur aliquis hanc antitheſim non vidiſſet? non obieciſſet? Tam Nicænum, quàm Sardicenſe innumeros implacabiles hoſtes habuiſſe ignorat nemo, nihilominùs de abrogato Nicæno Canone altum apud omnes ſilentium, ſolæ iſtæ ranę ex putri Lutheri fęce nudiuſtertius enatæ obſtrepunt, ſolæ coaxant. At ſententiam Concilij Sardicenſis de Papæ poteſtate poſt Concilium Nicænum nemo melius explicauerit, quàm Concilium ipſum, vt mox dicam. Interim obſeruo, quòd in conſtituendo canone tertio non dicit Oſius: [Si vobis placet, honoremus Romanam Vrbem, Romanum Imperium, ſed honoremus memoriam Beati Petri.] Quare in iure appellationum, quod ibi Romano pontifici firmatur, non rationem dignitatis Ciuilis, vt Suburbicarius putat, ſed rationem ſucceſſionis Apoſtolicæ ab Eccleſia ſpectatam eſſe, cæcus eſt, qui non videt. Niſi fortè dicamus, quòd Oſius, dum ea verba dixit, voluerit honorare Beatum Petrum, repetita memoria legis ab eo latæ de iure appellationum, quam Apoſtolicam eſſe latè à nobis antè probatum eſt, vtrum maluerint, concedant hæretici, nos admittemus vtrumque.

Duo ſuperſunt Anonymi mendacia circa Sardicenſe Concilium confutanda; primum [quòd ex iſto Canone Romanæ præeminentiæ ſuper Orientales originem produci velimus: ſecundum, quòd Canone iſto nunquam vſu receptus fuerit, & ideò tanquam exorbitans à iure originem Romanæ ſuper hoc præeminentiæ nullo modo probat.

Primum mendacium refellitur tum ſuperioribus probationibus, quæ omnes hoc

Con-

Concilio ſunt antiquiores, tum teſtimonio eiuſdem Concilij in epiſtola ad omnes Epiſcopos Catbolicos, in qua nou longè ab initio inquit: [Cum igitur iampridem literas ſuas accuſatrices de Athanaſio, Marcello, & Aſclepa comminiſtris noſtris Euſebiani ad Iulium Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum miſiſſent, contigit, vt etiam alij ex alijs locis Epiſcopi ad eumdem Iulium literas ſuas mitterent, quibus & Athanaſij innocentiam, & Euſebianorum ſycophantiam conteſtabantur, atque id ita eſſe, ex eo præcipuè apparuit, quòd accerſiti à dilecto noſtro comminiſtro Iulio, iudicio non ſteterunt, ſteriſſent enim ſi ſui, auctorumque ſuorum in comminiſtros noſtros fiduciam habuiſſent.] Dum ergo probatur Concilio, quòd partes confugerint ad Iulium tanquam ad iudicem, & arguuntur Euſebiani, quòd Iulij iudicium ſubterfugerint, fatentur certè Patres, etiam aute hunc ſuum Canonem, Romanum Epiſcopum omnium Epiſcoporum legitimum ſuperiorem, & iudicem extitiſſe. Quare non ea, quam Anonymus ſomniat, ſed hæc noſtra ſententia eſt, [Apoſtolica traditione omnium Epiſcoporum appellationes Epiſcopo Romano debitas eſſe, & Concilium Sardicenſe non condidiſſe ius nouum, ſed nouo Canone antiquum ius roboraſſe.

Secundum mendacium Auonymi non eſt, quòd nunc ſigillatim reſutem; omnibus huius, & ſequentium ſæculorum teſtimonijs pateſcet, quàm immane ſit, & portentoſum.

Vrſacius, & Valens Epiſcopi, Arij alumni primarij, illius ſeditionis ſaces, poſtquam res Arianas in deterius labi proſpexerunt, ad eundem Pontificem non multò pòſt dederunt literas hoc eodem exemplo: [Domino Beatiſſimo Papæ Iulio Vrſacius, & Valens. Quoniam nemini obſcurum eſt, nos per literas noſtras, quibus Tuæ Sanctitati literis reſpondimus, iam pridem Athanaſio grauiter obtrectaſſe, ea de cauſa, quam ſignıcabimus, in fraudem deductos, non potuiſſe rationem facti noſtri reddere, idcircò apud tuam pietatem, præſentibus omnibus presbyteris fratribus noſtris, ingenuè confitemur, omnia, quę ante hoc tempus ad aures noſtras de prędicto Athanaſio peruenerunt, ſalſa, commentitia, & ab eo reuera omninò aliena. Quamobrem cum eo deinceps communicandi magna cupiditate ducimur, idque maximè, quòd tua pietas propter inſitam ſibi bonitatem noſtro errori ignoſcere dignata eſt, quin etiam hoc quoque confitemur, ſi quando nos Epiſcopi Orientis, vel Athanaſius ipſe præ malitia in iudicium de hac re vocare voluerint, nos ab ſo, quod tu ſtatueris, minimè deſciſſuros.] Mox abiurato Ario, & eius hæreſi ſubribunt: [Ego Vrſacius huic meæ confeſſioni coram ſubſcripſi. Similiter etiam, & ego Valens.] Extant hæ literæ apud Sozomenum lib. 3. cap. 22. Nicephorum lib. 9. cap. 27. & alios; ex quibus intelligas, quanta Eccleſiaſticæ hiſtorię ignorantia laborant, qui centeſimum ab Vrbe lapidem immenſi huius Oceani litus conſtituunt. . . .

Mortuo Conſtante Conſtantini filio, innocentiæ Athanaſij, & Nicænæ Confeſſionis Sanctiſſimo Vindice ad vnum Conſtantium totius Romani Imperij ſumma deuoluta eſt, qui ſtatim, ac à fratris virtute, & armis liberum ſenſit ſe, furioſi, & amentis inſtar in Catholicos deſæuire cœpit, nullumque lapidem non mouere, quò ſanctus Athanaſius damnaretur. Quare conuocato Mediolani frequenti Epiſcoporum Concilio, vi, metuque multos è Catholicis adegit in ſententiam ſuam. Indè ad Liberium Romanum Pontificem Iulij ſucceſſorem tanquam ad arcem cauſæ totius conuersùs, quid egerit, narrant S. Athanaſius, & Ammianus Marcellinus gentilis eius temporis ſcriptor hunc in modum. Athanaſius ep. ad ſolit. vit. agen. [Ne Liberio quidem Romano Epiſcopo pepercerunt, nulla reuerentia ducti, vel quod ſedes iſta apoſtolica eſſet, vel quòd Roma metropolis eſſet Romanę ditionis, vel quòd eos Apoſtolicos viros in ſuis literis appellaſſent, ſed omnia ſimul miſcentes æquè omnium obliuiſcebantur, neque quicquam illis curæ, niſi ſola impietas fuit. Nam cùm Liberium vidiſſent Orthodoxum, & oſorem quidem Arianę ſectæ, ſtudioſum verò in hoc, vt cunctos ab ea hæreſi retraheret, iſta ſecùm impij cogitarunt: Si Liberium in noſtram ſententiam traxerimus, omnes breui ſuperabimus. Rem igitur ad Imperatorem deferunt, ille autem ſperans, per Liberium omnes ſe poſſe attrahere, mittit Eunuchum quemdam Euſebium, (hic erat præfectus Cubiculi) cum literis, & donis, vt donis quidem blandiretur, literis autem minaretur.] Hæc Athanaſius. Cur autem ſolo Liberio expugnato, omnes alios facilè ſuperatos iri ſperaret, expreſſit Ammianus lib. 15. [Hunc Athanaſium per ſubſcriptionem abijcere Sede Sacerdotali, paria ſentiens cæteris, iubente principe, Liberius monitus perſeueranter renitebatur, nec viſum hominem, nec auditum damnare, nefas vltimū ſæpe exclamans, apertè ſcilicet recalcitrans Imperatoris arbitrio. Idem enim ille Athanaſio ſemper infeſtus, licèt ſciret impletum, tamen auctoritate, qua potiuntur æternæ Vrbis Epiſcopi, firmari deſiderio nitebatur ardenti.] Spes itaque Conſtantij, & Arianorum expugnandi omnem Catholicorum conſtantiam ſola ſubſcriptione Liberij repoſita erat in ea auctoritate, qua potiuntur æternæ Vrbis Epiſcopi.] Illuſtrat verò hunc Ammiani locum epiſt. Iulij ad Orientales apud Athanaſium Apologia ſecunda: [Sicut dicitis, omninò in culpa fuerunt, oportuit ſecundùm Canonem, & non iſto modo iudicium fieri, oportuit ſcribere omnibus nobis, vt ita ab omnibus, quod iuſtum eſſet, decerneretur. Epiſcopi enim erant qui patiebantur, & non vulgares Eccleſię, ſed quas ipſi Apoſtoli ſuamet opera in fidem inſtruxerant. Cur igitur, & in primis de Alexandrina Ciuitate nihil nobis ſcribere voluiſtis? an ignari eſtis, hanc conſuetudinem eſſe, vt primùm nobis ſcribatur, vt hinc quod iuſtum eſt, definiri poſſit? Quapropter ſi iſtic huiuſmodi ſuſpicio in Epiſcopum concepta fuerat, id huc ad noſtram Eccleſiam referri oportuit.] Quare tam ex Canone (quod paulo antè etiam Socrates dixit,) quàm ex conſuetudine tunc vſque ſupremam illam iuriſdictionis auctoritatem habebat Epiſcopus æternę Vrbis in cauſis, & iudicijs Epiſcoporum (primatum præſertim) quam ſubindicat

H Am-

Ammianus, ob cuius defectum nunquam rata habita eſt in Eccleſia hęc depoſitio. Quocirca ſenſum Canonis à Iulio citati referens Sozomenus lib.3. cap.9. inquit, [legem eſſe ad Sacerdotij dignitatem ſpectantem, quæ pronunciat, acta illa irrita eſſe, quæ præter ſententiam Romani Epiſcopi conſtituuntur.] Exſufflandus eſt itaque auctor libelli de ſuburbicarijs, qui hunc Ammiani locum interpretatur [de ſumma Romani, non in Epiſcopos alios, verùm inter Epiſcopos auctoritate, ſeu dignitate, qua ratione inter Reges vnus alio auctoritate potior eſt, ſiue perſonæ, ſiue regni ſuo merito.] Quod autem Marcellinus dicit, (licèt ſciret implerum) indulgendum eſt externo ſcriptori, rerumque noſtrarũ ignaro, Chriſtianas res metienti pede gentilium, quibus ſumma religionis etiam tunc erat apud Imperatorem tanquam apud Pontificem Maximum, qui etiam in facto Athanaſij falſa Arianorum relatione deceptus, ait, [quòd dicebatur fatidicarum ſortium fidem, quæue augurales portenderent alites, ſcientiſſimè callens aliquoties prædixiſſe futura, & ſuper his intendebantur ei alia quoque à propoſito legis abhorrentia, cui præſidebat.] Quod non magis cum hiſtoriæ veritate concordat, quàm fides Catholica cum Ariana perfidia.

Concludo hanc cauſam argumento, auctoritate, verbis etiam Anonymi noſtri c. 4. pag.41. [Facta immediatè ſubſequentia præcedentibus praſtant euidentiſſimum intellectum l. Iulianus §. proindè D.ad ſenatuſconſultum Macedonianum l. vxori D.de legatis] tertiò; & obſeruantia immediatè ſubſequens ea eſt, quæ declarat, quam actoritatem in Concilio Nicæno Romani Epiſcopi habuerunt. Hæc eſt virtus obſeruantiæ ſubſequentis ad Bartol. in l. miſſi iuuatores num. 14. C. de exactoribus tributorum lib. 10. & in conſilio 59. Oſaſch. in deciſ. Pedemontana 136. in fin. Rota Romana in deciſ. 359. & in illis, quas vocant nouiter, nouiſſimas.] hæc Anonymus. At ſtatim à Concilio Nicæno Catholici Epiſcopi, Catholici Patriarchæ Orientales, ijque Nicæni Concilij propugnatores, & vindices agnouerunt poteſtatem Romani Pontificis in ſeipſos, & in vniuerſam Eccleſiam. Iſti ipſi pro eadem poteſtate citarunt tunc Eccleſię canonem, & conſuetudinem; contrariam verò eiuſdem Concilij diſpoſitionem nemo vnquam obiecit, teſtat ergo vt pręfractior ſit, quàm ferat moralis verecundia, qui vel ad centeſimum lapidem, vel ad alios limites Eccleſia vniuerſali anguſtiores auctoritate Concilij Nicæni ſupremam hanc Papæ poteſtatem coarctat.

Si aduersùs vnum Anonymum hominem illiteratum, & rudem de hoc controuerſiæ capite decertandum fuiſſet, rem paucioribus tranſegiſſem, & ſatis fuiſſet aliquot Nicæni Concilij Canones, quos ſubijcio ex reſcripto Iulij (quod Anonymus genuinum agnoſcit) hunc in locum transferre, verùm prolixior fui, quòd neque inuectiuæ Euſebianorum, neque Iulij reſponſum carent difficultatibus.

Can.18. [Vt omnes Epiſcopi, qui in quibuſdam grauioribus pulſantur, vel criminantur cauſis, quoties neceſſe fuerit, liberè Apoſtolicam appellent Sedem, atque ad eam quaſi matrem confugiant, vt ab ea, ſicut ſemper fuit, piè fulciantur, defendantur, & liberentur. Cuius diſpoſitioni omnes maiores Eccleſiaſticas cauſas, & Epiſcoporum iudicia antiqua Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum, atque Canonum auctoritas reſeruauit. Quoniam culpantur Epiſcopi, qui aliter erga fratres egerint, quàm eiuſdem Sedis Papæ fieri placuerit.]

Can.19. Placuit, vt accuſatus, vel iudicatus à Comprouincialibus in aliqua cauſa Epiſcopis licentèr appellet, & adeat Apoſt. Sedis pontificem qui aut per ſe, aut per Vicarios ſuos retractari negotium procuret. Et dũ iterato iudicio pontifex cauſam ſuam audit, nullus alius in eius loco ponatur, aut ordinetur Epiſcopus, quoniã quamquàm à Comprouincialibus accuſari cauſam Pontificis ſcrutari liceat, non tamen definiri, inconſulto Romano Pontifice, permiſſum eſt, cùm Beato Petro Apoſtolo, & non ab alio, quàm ab ipſo dictum ſit Domino: Quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata, & in cœlis, & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta, & in cœlis.]

Canon.21. Si quis putauerit ſe à proprio Metropolitano grauari, apud primatem Diœceſis, aut penès vniuerſalis Eccleſiæ Apoſtolicæ Papam iudicetur.]

Canon. 5. Placuit, vt ſi accuſatus, vel damnatus Epiſcopus appellauerit Romanum Pont. id ſtatuendũ, quod ipſe iuſtè cenſuerit.]

Canon.55. [Salua Apoſtolicæ Sedis auctoritate, nullus Epiſcopus extra ſuam prouinciam ad iudicium deuocetur, & infrà, Nam ſi ipſe Metropolitanum, aut iudices ſuſpectos habuerit, aut infenſos ſenſerit, apud primates diœceſeos, aut apud Romanæ Sedis Pontifices iudicetur.]

Canon.60. [Et prouincialis Synodus retractaretur per Vicarios Vrbis Romæ Epiſcopi, ſi ipſe decreuerit.]

Quare ſi hoc iure experiri velit Anonymus, rem ſibi ad reſtim rediſſe videt.

Supereſſet nunc, vt ſexto Canoni Nicęno reſponderemus, verùm quia hiſtoriarum progreſſus ad eius veram intelligentiam nobis aperiet viam, ad calcem huius perindi eius explicationem reijcio.

Conſtantius bellum, quod Deitati Chriſti, & Innocentiæ Athanaſij ſemel indixit, quàm diù ſuperſtes fuit, depoſuit numquam, ſed contra vtramque animo planè gladiatorio terra, vt aiunt, marique pugnauit. Quare poſt Mediolanenſe alio Arimini Concilio generali conuocato ex Epiſcopis quadringentis plus minus, Nicœnæ fidei damnationem extorquet, verùm Conſtantio elato, formula fidei Arimini decreta à Damaſo Papa reprobata eſt, eoque maximè titulo [quòd compoſita eſſet Epiſcopo Romano non conſentiẽte, cuius ſententia præ cęteris omnibus expectanda erat.] Literas reprobationis ad Epiſcopos Illyrici referunt. Socrates lib.4. c. 24. Sozom. lib.6.cap.23. Sententiam Damaſi tota Eccleſia Catholica amplexata eſt.

Hoc eodem ſæculo in Oriente Baſilius, & Hieronymus, in Occidente Ambroſius, ad Meridiem Optatus Mileuitanus illuſtria teſtimonia dederunt primatui Romano: Eunomia-

mia-

Digitized by Google

miana enim hæreſi oriente ex Atiana, quaſi ex gangræna vlcus permeante, S. Baſilius Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus Eunomij Antagoniſta ſola Romani Pontificis auctoritate malis indè imminentibus occurri poſſe ratus ad Athanaſium ſcribit hunc in modum epiſt.52.[Viſum eſt autem mihi conſentaneum vt ſcribatur Epiſcopo Romæ, vt quæ hìc geruntur, conſideret, detque conſilium, & quoniam difficile eſt, vt communi, ac Synodico decreto aliqui illinc mittantur, ipſe ſua auctoritate in hac cauſa vſus,viros eligat adferendas quidem moleſtias idoneos, verùm iuxta adhuc quoque accommodos, vt manſuetudine, & facilitate ingenij,eos, qui diſtorti, atque obliqui ſunt, corrigant.] Quin etiam vrgens idem argumentum epiſt.77. ad Epiſcopos Tranſmarinos vehementer dolet, quòd Pontifex nullum è ſuis in Orientem miſerit ad inſtituendum, & corrigendum, quod opus erat, eiuſqe poſtea cenſuræ, & iudicio ſe ſubiectum fatetur, quòd apud multos hæreſis ſuſpicione laboraret, quia cum Apollinari hæreſiarcha per literas communicaſſet, & inquit [Ecce iam literis vos ipſi prouocamus, & cauſas huius, quæ nobis adſcribuntur, fatemur, parati veſtram hac in re inſtitutionem amplecti, hoc tantùm orantes, vt ſi quos admiſeritis, qui nos traducant, ac vituperent, in conſpectum noſtrum coram veſtra pietate conſtituantur.] Habes actorem, & reum coram legitimo iudice, qui in reum ſententiam excommunicationis etiam ferre poteſt. [Non enim ſi conuincamur, peccatum noſtrum agnoſcemus, & vobis poſt eam reprehenſionem à Domino non imputabitur, ſi communionem noſtram tanquam peccatorum declinaueritis, deindè & præmium habebitis, ſi nos reprehenderitis, vt qui occultam noſtram malitiam patefeceritis.] Et quia ſcribebat ad omnes tranſmarinos, inter quos tenet principem locum Papa, cęteri cęteris Epiſcopis pares ſunt, ex eò quòd tam Papa de ſua, quàm reliqui de ſua in Eccleſiæ corpore dignitare ſentiebant, collegit ſe, vel capiti, vel reliquis membris Eccleſiæ deſpicatui eſſe, æquum videri non poſſe, [ſiuè caput vos ipſos vniuerſalis Eccleſiæ reputatis, non poteſt pedibus dicere caput, non eſt mibi opus vobis. Siuè in reliqnum vos Eccleſiaſticorum membrorum ordinem locatis, non poteſtis nobis dicere, qui in eodem vobiſcum corpore conſtituti ſumus, non eſtis nobis neceſſarij.] Quòd verò dubius non fuerit Baſilius, an Papa eſſet caput Eccleſiæ vniuerſalis, apertius conſtat ex epiſt.70. [Etiamſi habitationibus ſumus alter ab altero,quàm longiſſimè diſſiti, ac dirempti, ratione tamen huius coniunctionis ſumus propinqui inuicem. Quia igitur pedibus caput dicere non poteſt, non eſtis mihi neceſſarij, planè neque vos amicitiam nobis renuntiare ſuſtinebitis.] [Morem geſſit Damaſus, ſcripſitque tandem, ſicuti refert Sozomenus lib.6. cap. 22. [Controuerſia cum contendendi ſtudio, vti credibile eſt, in dies magis, magiſque creſceret, Epiſcopus Romanus de ea certior factus ſcripſit ad Eccleſias Orientis literas, vt vnà cum Sacerdotibus, & Epiſcopis Occidentis Trinitatem, & conſubſtantialem eſſe, & gloria æqualem exiſtimarent. Quo facto, ſinguli rebus ab Eccleſia Romana ſemel iudicatis acquieuerunt, hæcque controuerſia finem habere viſa eſt.] Hinc cernis, quàm certus, & illuſtris tunc eſſet in Oriente Romanus primatus.

Pro eo teſtis multò locupletior Ambroſius, cuius poſt tot antè congeſta, vnum tantùm, aut alterum teſtimonium produxiſſe ſat erit in epiſt.1. ad Timot. cap.3. Eccleſia, inquit, eſt domus Dei, cuius hodiè rector eſt Damaſus. Et quia tanquam rectorem Eccleſiæ vniuerſalis Romanum Pontificem ex corde venerabatur, ideò Theophilo Patriarchæ Alexandrino quærenti, quid agendum eſſet in cauſa Flauiani, & Euagrij, quorum diſſidia de Cathedra Antiochena à Synodo Capuenſi illi commiſſa fuerant,reſpondet epiſtola 9. itá vt Alexandrinus intelligat, quantum, & ipſe Pontifici Romano deferret, & quantum ab Alexandrino etiam deferendum putaret. [Sanè referendum arbitramur ad ſanctum Fratrem noſtrum Romanæ Sacerdotem Eccleſiæ, quoniam præſumimus, ea te iudicaturum, quæ etiam illi diſplicere nequeunt. Ità enim vtile erit conſultum ſententiæ, ita pacis, & quietis ſecuritas, ſi id veſtro ſtatuatur conſilio, quod communioni noſtræ diſſenſionem non afferat, vt nos quoque accepta veſtrorum ſerie ſtatutorum, cùm id geſtum eſſe cognouerimus, quod Eccleſia Romana haud dubiè comprobauerit,læti fructum huiuſmodi examinis adipiſcamur.] Non repeto, quæ Romani primatus monumenta in Africa reliquit Optatus, quæ copioſè ſemel, & iterum à me antè commemorata ſunt, ſed in ſolo Oriente pedem figo, vbi Anonymus omnium librorum teſtimonio ait, ignotum hoc tempore fuiſſe Papæ primatum, Eccleſia Antiochena diuturno trium Patriarcharum, Paulini, Vitalis, & Meletij ſchiſmate lacerata, odijſque, & diſſenſionibus conflagrante, ad miſeriarum cumulum, quaſi noua incendij fax illud acceſſit, quòd nondum benè explicata ſignificatione nominum, perſona, & hypoſtaſis, plerique Græcorum tres perſonas, & viciſſim permulti latinorum tres hypoſtaſes dicere detrectabant, vndè contentiones, & turbæ grauiores. Degebat tum in Syria S. Hieronymus, qui ea turbarum congerie vehementer exagitatus exemplum ſingulare dedit cuique pio, quanam ratione gerat ſe, vbi ſimilibus de cauſis fides, & animarum ſalus periclitetur. Quid geſſerit, audi ab ipſo epiſt.57. ad Damaſum [Quoniam vetuſto Oriens inter ſe populorum furore colliſus indiſciſſam Domini tunicam, & deſuper textam minutatim per fruſta diſcerpit, & Chriſti vineam exterminant vulpes, & inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficilè, vbi fons ſignatus, & hortus ille concluſus ſit, poſſit intelligi, ideò mihi Cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam. Et infrà: Quanquam igitur tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. A Sacerdote victimam ſalutis, à paſtore præſidium ouis flagito. Faceſſat inuidia, Romani culminus recedat ambitio, cum ſucceſſore piſcatoris, & diſcipulo crucis loquor. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior. Super

illam Petram ędificatam Ecclesiam ſcio: Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit, regnante diluuio, & quia pro meis facinoribus ad eam ſolitudinem commigraui, quæ Syriam iuncto Barbariæ fine diſterminat, nec poſſum ſanctum Domini tot interiacentibus ſpatijs à ſanctimonia tua ſemper expetere, ideò hic collegas tuos Ægyprios confeſſores ſequor, & ſub onerarijs nauibus parua nauicula deliteſco. Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum: Quicumque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt] & poſtquam oſtendit, ſibi minimè probari dicere tres hypoſtaſes in Deo, ſubiecit tamen: [Obteſtoe Beatitudinem tuam per Crucifixum mundi ſalutem, per Omouſion Trinitatem, vt mihi epiſtolis tuis, ſiue tacendarum, ſiuè dicendarum hypoſtaſeon detur auctoritas.] Neque ſe tantùm ab arbitrio pontificis pendere, ſed etiam hæreticos ipſos [Campenſes cum Tharſenſibus hæreticis copulati nihil aliud ambiunt, quàm vt auctoritate communionis veſtræ fulti, tres hypoſtaſes cum antiquo ſenſu prædicent.] Expende cauſam, verba, & ſingulas huius epiſtolæ partes, & iota non reperies, in quo meridiè clarior non eluceat primatus ille, quem Anonymus aſſerit in nullo libro reperiri poſſe. Seriùs quàm optaſſet, Damaſus reſpondit Hieronymo, quare vir ſanctus impatiens moræ poſt preces humillimè repetitas epiſt. 58. tandem concludit: [Hinc præſidijs fulta mundi Ariana rabies fremit, hinc in tres partes diſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat. Monachorum circa manentium antiqua in me ſurgit auctoritas; ego interim clamito, Si quis Cathedrę Petri iungitur, meus eſt Meletius, Vitalis, atque Paulinus. Tibi communicare ſe dicunt. Poſſem credere, ſi hoc vnus aſſereret, nunc autem, aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcircò obteſtor Beatitudinem tuam per Crucem Domini, per neceſſarium fidei noſtrę decus, per paſſionem Chriſti, vt qui Apoſtolos honore ſequeris, ſequaris, & meritò &c. Vt mihi literis tuis, apud quem in Syria debeam communicare, ſignifices, noli deſpicere animam, pro qua Chriſtus mortuus eſt.] I modò effrons audacia, & nega, ſi potes, in Oriente vſum primatus Petri, quando manibus ipſis contrectes, quòd non Catholici tantùm, ſed ſchiſmatici etiam, & hæretici non alia ratione putarunt ſe Epiſcopalem Cathedram tenere poſſe, niſi impetrata pace, & communione ab Eccleſia Romana; quam etiam dolosè ſuffuratus eſt Vitalis primùm, & Paulinus poſt legitimè obtinuit, Romæ ab vtroque ante Pontificem Damaſum cauſa dicta.

Athanaſio Alexandriæ ad cœlos euocato, Petrus in eius locum ſuffectus eſt; vndè ſtatim Valentis Imperatoris Ariani nutu, manu verò Palladij prouinciæ illius præfecti, & magni Præſidis per miſerabiles tragœdias exturbatus Romam contra Lucium confugit, ad eam ſedem elatum ab ijs, qui Imperatoris partes ſequebantur [ibique, inquit Nazianzenus, pro cadaueribus cruentas veſtes Eccleſiæ Romanæ protulit, & per tacitam accuſationem omnibus lachrymas mouit, vt calamitatis magnitudinem in oculis, & aſpectu defigeret, atque auxilium nanciſceretur, quemadmodum etiam nactum eſſe ſcimus. Fit enim ferè, vt qui opibus, & potentia præcellit, ad infirmi, afflictique miſeriam ſubleuandam maximè inflectatur, ac ſpontaneæ beneuolentiæ affectu ad eum, qui dignitate imminutus eſt, ſe adiungat.] Auxilium, quod impetrauit à Damaſo Petrus, fuit confirmatio electionis ſuæ, quæ quantum habuerit ponderis apud Eccleſiam Alexandrinam, narrat Socrates libro 4. capitulo 30. [Magnopere recreati ſunt, propterea, quòd Petrus Roma cum literis Damaſi Epiſcopi Romani eò reuerſus erat, quæ quidem & Moyſis fidem confirmabant, & Petri creationem. Populus igitur illis confiſus expellit Lucium, Petrum autem in eius locum introducit, & Sozomenus lib. 6. cap. 39. Petro Roma cum literis Damaſi, quæ & decreta Concilij Nicæni, & Petri creationem confirmabant, reuerſo, Eccleſias tradiderunt. Lucius autem inde eiectus Conſtantinopolim nauigauit.] Et conſentit Nicephorus lib. 15. cap. 48. Non militum arma, non magiſtratus terror, non Imperatoris poteſtas, non deportationes,; verbera, vincula, neces innumerabiles editæ, quarum recenti cruore madebant adhuc templi parietes, & altaria obſtiterunt tunc Papæ primatui, ſed ad eius nutum & Lucius reiectus, & Petrus in ſuam Cathedram reſtitutus ab Eccleſia eſt. Quos itaque libros legiſſe putamus Anonymum, qui dixit hoc temporis ſtatu [Romanos Epiſcopos neque in ſpiritualibus, neque in temporalibus ſuper Epiſcopos Alexandrinos, vel ſuper eorum ſucceſſores, aut ſuffraganeos aliquid decreuiſſe, aut ſtatuiſſe?] Impudentiſſimamque hanc negatiuam ſuam probari ex inſpectione omnium librorum?

Vbi turpi, dedecoroſaque morte Valenti Orientis Imperium à Deo ereptum eſt, & Theodoſio à Gratiano donatum, in ipſis Principatus primordijs optimus Imperator hanc legem tulit: lib. 1. de fid. Cath. C. Theodoſ. [Cunctos populos, quos clementiæ noſtræ regit temperamentum, in tali volumus religione verſari, quam Diuinum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, religio vſque nunc ab ipſo inſinuata declarat, quamque Pontificem Damaſum ſequi claret, & Petrum Alexandriæ Epiſcopum virum Apoſtolicæ Sanctitatis.] Roborata itaque vetuſta illa, quam hactenùs vidiſti, conſuetudine, diuinis, Eccleſiæ, & ciuilibus legibus, firmatoque tot cardinibus Romano primatu, Hiſt. ſac. lib. 2. [Inſtantius Saluianus, & Priſcillianus (teſte Sulpitio) in Synodo apud Cæſarauguſtam in Hiſpania damnati Romam profecti ſunt, vt apud Damaſum Vrbis ea tempeſtate Epiſcopum obiecta purgarent; ſed vbi Romam peruenere Damaſo ſe purgare cupientes, ne in conſpectum quidem eius admiſſi ſunt.] Vides, Lector, quot monumenta, quot geſta, quot exempla maiorum relata ſunt, quibus quaſi antiquitatis digito cùm Papæ primatus, tum hæreticorum veſania apertiſsimè demonſtratur, & tamen nondum quartum Eccleſiæ ſæculum totum luſtratum eſt. Immò nec plura ex eo tibi percenſeo, ne ſequentium, quorum res non minùs illuſtres ſunt,

gu-

guſtum amittas. Ex his verò non minuta, amplius, & mediocria inquiram, ſed inſigniora tantùm, cuiuſmodi ſunt Conciliorum Generalium res geſtæ, & ea, quæ attinet ad Sedes Conſtantinopolis, Alexandriæ, Antiochiæ & ſimilia.

In primo quaſi quinti ſæculi limine occurrit nobis Sanctus Ioannes Chryſoſtomus Epiſcopus Conſtantinopolis; qualis, & quantus vir, non eſt, quod dicam, qui à Theophilo Patriarcha Alexandrino cum ſuffragijs Concilij ad hunc finem Conſtantinopoli conuocati afflante aura Eudoxiæ Imperatricis, ſua ſede priuatus ad Romanum Pontificem Innocentium appellationem interpoſuit. Ad calcem appellationis extant hæc: [Scribite, precor, & auctoritate veſtra decernite, huiuſmodi iniqua geſta nobis abſentibus, & iudicium non declinantibus, nullius eſſe roboris, ſicut per ſuam naturam ſunt profectò, & irrita & nulla. Porrò, qui talia geſſere, eos Eccleſiæ Cenſuræ ſubijcite, nos autem inſontes, neque conuictos, neque deprehenſos, neque vllius criminis reos comprobatos Eccleſijs noſtris iubete reſtitui, vt charitate frui, & pace cum fratribus noſtris conſueta] poſſimus. Scripſit etiam eodem tempore ad Pontificem Theophilus, refert Palladius. Antequam deponeretur à Concilio Chryſoſtomus, varijs rationibus tàm ipſe, quàm ſui periculum, quod imminebat, declinare tentarunt, eaque in primis, quam commemorat Palladius, quòd [Theophilus ſolueret Canones Nicænos, cauſaſque extra terminos ſuos cognoſcere vellet.] An ergo ſimile vero quis credat, quòd Chryſoſtomus, qui obiecerat Theophilo tranſgreſſionem ſexti Canonis Nicæni, quòd extra ſuam Diæceſim iudicia exercere tentaret, ad illud ipſum crimen mox prouocaſſet Innocentium Pontificem annullationem geſtorum Theophili, & reſtitutionem Epiſcopatus ab eo expoſcens? Æquè extra Romanæ, atque extra Alexandriæ diœceſis fines erat Conſtantinopolis (maximè ſi, vt vis, centeſimo ab Vrbe milliario Romana Diœceſis diffinita erat) non tamen eam ęquè liberam putat Chryſoſtomus à poteſtate Innocentij, atque à poteſtate Theophili, ergo Nicæno Canone cenſuit non fuiſſe contractam poteſtatem Pontificis ad ſolam Romanam Diœceſim, ſicut ad ſolam Alexandrinam iura Alexandrini. Quare ibidem inquit, [Cùm hæc ita habere didiceritis, ſtudium veſtrum, & magnam diligentiam adhibete, quò retundatur hæc, quæ in Eccleſiam irrupit iniquitas. Quippè ſi mos hic inualuerit, & fas erit, cuius in alienam parœciam irrumpere, idque ex tantis interuallis, & eijcere quos voluerit, & auctoritate propria quæque pro libidine ſua facere, ſcitote quòd breui tranſibunt omnia, & totus Orbis premetur bello non indicto, omnibus ab omnibus eiectis, & omnes eijcientibus. Quapropter ne confuſio hæc omnem, quæ ſub cælo eſt, nationem inuadat, obſecro, vt ſcribas, &c.] Ergo vel lex, quæ ligat Alexandrinum, non ligat Romanum, & ſolus præeſt Eccleſiæ vniuerſæ, aut eam legem violari Chryſoſtomus poſcit, quam violatam dolet. Ea ligari Innocentium, non Theophilus, non Imperator, non alius quiſquam putauit, excommunicati enim ab Innocentio, vt refert Nicephorus lib. 13. cap. 34. de poteſtate iudicis ne muſſitarunt quidem, immò non Catholici tantùm, ſed hæretici & hæreſiarchæ ipſi illorum temporum minùs impudentes erant, quàm ſint hæretici noſtri. Cæleſtius enim, vt refert Aug. lib. 2. cap. 7. contra ipſum, & Pelagium. [Beati Papæ Innocentij literis non eſt auſus obſiſtere, immò ſe omnia, quæ illa ſedes damnauit, damnaturum eſſe promiſit.] De quorum cauſa ſura Proſper contra collatorem: [Tunc Pelagianorum machinæ fractæ ſunt, quando bonæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apoſtolico mucrone percuſſit. Cur autem tantumdem Innocentio tribuerer, hoc carmine expreſſit.

Peſtem ſubeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quę paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non poſſidet armis,
Religione tenet. Et proſa rursùm: [Roma per Apoſtolici Sacerdotij Principatum amplior facta eſt arce religionis, quàm ſolio poteſtatis.

Interiecto aliquot annorum ſpatio Neſtorius Epiſcopus Conſtantinopolis Chriſtum in duos filios, & duas perſonas diuidens prædicare incipit, Beatiſsimam Virginem eſſe genitricem non Dei, ſed Chriſti, vndè inter ipſum, & Cyrillum Patriarcham Alexandrinum grauiſsimæ contentiones. Vterque ad Eccleſiæ verticem Cęleſtinum Romanum Pontificem cum literis legatos deſtinat, iudicium eius expoſcens. Cyrillus explicato ſtatu cauſæ totius ad finem Epiſtolæ ſubijcit: [At quamuis res ita ſe habeat, non priùs tamen illius communionem confidenter deſerere auſi fuimus, quàm hæc ipſa pietati tuę indicaremus. Digneris proindè quid ſentias declarare, quò liquidò nobis conſtet, communicare ne nos cum illo oporteat, an verò liberè eidem denunciare, neminem cum eo communicare, qui huiuſmodi erroneam doctrinam fouet, & prædicat. Porrò tuæ integritatis mens, ac ſuper hac re ſententia non modò pijſsimis, Deoque deuotiſsimis Macedoniæ Epiſcopis, ſed totius quoque Orientis Antiſtitibus perſpicuè per literas exponi debet, nam cupientibus illis anſam dabimus, vt omnes vno animo in vna ſententia perſiſtant, rectæque fidei, quæ iam impugnatur, opem ferant.

Re pro dignitate diſcuſſa, Neſtorianoque dogmate damnato, reſpondet, vtrique Cæleſtinus, monitoque Cyrillo, qua ratione cum Neſtorio agat, vt ſi vnquam fieri poſſit, ad mentem redeat, tandem concludit: [Quanobrem noſtræ ſedis auctoritate aſcita, noſtraqua vice, & loco cum poteſtate vſus, eiuſmodi non abſque exquiſita ſeueritate ſententiam exequeris, nempè vt niſi decem dierum interuallo ab huiuſce noſtræ admonitionis die numerandorum nefariam doctrinam ſuam conceptis verbis anathematizet, eamque de Chriſti D. N. generatione fidem in poſterum confeſſurum ſe ſpondeat, quam & Romana, & Tuæ Sanctitatis Eccleſia, & vniuerſa denique religio Chriſtiana prædicat, illico Sanctitas Tua illi Eccleſiæ proſpiciat, ſe verò modis omnibus à noſtro corpore ſegregatum eſſe intelligat.]

Ad

Digitized by Google

Ad Neſtorium verò poſt officia veri Paſtoris, & cætera, quæ huiuſmodi cauſa depoſcebat, ſubiecit: [Quamobrem hoc tibi perſuaſum habes, velim, niſi de Chriſto D.N. ea tenucris, quæ & Romana & Alexandrina, & vniuerſa Ecclcſia Carholica tenet, & docet, Sanctaque magnæ Conſtantinopolis Eccleſia vſque ad tuum Epiſcoparum tenuit, & docnit, & perfidam illam nouitatem, quæ ea diuellere nititur, quæ ſacra ſcriptura coniungit, intra decem dies poſt hanc admonitionem ad te perlatam ennmerandos aperta, ſcriptaque confeſſione deteſtatus fueris, ac repudiaueris, ab vniuerſa Eccleſiæ Catholicæ communione, quàm primùm te expulſum, proſcriptumque iri, & hoc nos planè facere in animum induxiſſe. Quam noſtri in te iudicij formulam cum cæteris omnibus cartis, & commentarijs per filium noſtrum Poſſidonium Diaconum, cuius ſuprà meminimus ad Sanctum Cyrillum memoratæ Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopum, quia ea ipſa quoque de te ſuſius ad nos retulerat, tranſmiſimus, vt noſtee hac in parte Vicarius efficiat, quò noſtrum decretum, & tibi, & reliquis quoque omnibus fratribus pateſiat.]

Conſentanea ſcribit ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum, & ad Ioannem Patriarcham Antiochenum, eiſque tranſmittit formulam ſuæ in Neſtorium ſententiæ. Hæc Cæleſtinus tunc, qua libertate, vides, & in toto Oriente nemo repertus eſt (neque Neſtorius ipſe, licèt gradu deiectus) tam procax, qui eum de vſurpata, dilatataue iuriſdictione inſimulare auderet. Quin potius conuocato ob hanc cauſam Epheſi tertio Generali Concilio, in quo tanquam Cæleſtini legatus omnia egit Cyrillus, damnatus, & exauthoratus eſt Neſtorius hac ipſa forma: [Per ſacros Canones, ſanctiſsimique Romanæ Eccleſiæ epiſcopi Cæleſtini Patris noſtri literas lachrymis ſuffuſi, & penè inuiti ad lugubrem hanc ſententiam vrgemur. Igitur Dominus Noſter Ieſus Chriſtus, quem ſuis ille blaſphemis vocibus impetiuit, per ſacram hanc Synodum eumdem Neſtorium omni prorſus epiſcopali dignitate priuatum, & ab vniuerſo Sacerdotum conſortio, & cœtu alienum eſſe decernit] Quem ſacra Synodus, & qualis Synodus? Patrem appellat, cuius literis reuerentia filiali ad eam, quam tulit ſententiam, vrgeri ſe profitetur, ad quem tanquam ad ſuperiorem tam hæretici, quàm Catholici ex Oriente confugiunt, contra quem neque Neſtorius damnatus, excommunicatus, degradatus, neque alius quiſquam vel digitum tollere audet, hunc poſt duodecim ſæcula nihil iuriſdictionis eius temporis in Oriente habuiſſe noſtri Innominabiles aſſerunt: & in hoc ſæculo reperient, qui pedalibus iſtis ineptijs deludi ſe patiatur? Iuuenalis epiſcopus Hieroſolymitanus contra Nouatores noſtros dixit in eodem Concilio grauiſsimum hoc teſtimonium: [Oportebat quidem religioſiſsimum Eccleſiæ Antiochenæ epiſcopum, hac Sancta, & magna & œcumenica Synodo conſiderata, rectà mox citra vllam dilationem ad eorum, quæ ei obijciuntur, dilutionem occurrere, Apoſtolicæque ſedis magnæ Ciuitatis Romæ auctoritati nobis aſsiſtenti, & Apoſtolico S. Dei Eccleſiæ Hieroſolymorum Antiſtiti honorem, & obedientiam deferre, præſertim cum Apoſtolica ordinatione, antiquaque traditione in conſuetudinem abierit, vt ſedes Antiochena perpetuò per Romanam dirigatur, ac iudicetur.

Viginti circiter annis elapſis Eutichiana hæreſis à Neſtoriana nata eſt, quaſi ex cadauere vermis: Euthiches enim Monachus, & Archimandrita Conſtantinopolitanus, vt euerteret Neſtorium, qui duas in Chriſto ponebat perſonas, aſtruere cœpit, poſt incarnationem ne duas quidem diſtinctas in eo fuiſſe naturas. Re ad Flauianum Epiſcopum delata, vocatus, citatus iudicium detractans & pertinax Eutiches damnatur. At ipſe confeſtim ad Romanum Pontificem Leonem magnum conuerſus, mendacijs, & dolis in Flauianum eum irritare procurat. Præterquam enim quòd ſe Catholicum eſſe ſimulauit, illud etiam adiecit, ſe in Concilio, à quo damnatus eſt, appellationem interpoſuiſſe ad Apoſtolicam ſedem, eamque à Flauiano neglectam fuiſſe. Quapropter acriter reprehenſus eſt à Leone Flauianus, adeò vt ei dixerit Leo. [Reſpicientes ad cauſam, facti tui noſſe volumus rationem, & vſque ad noſtram notitiam cuncta deferri.] Iuſſit propterea Flauianum ad ſe legatos mittere rerum geſtarum rationem reddituros. [Non caput attollit Flauianus, non vrbicarias, aut ſuburbicarias comminiſcitur, ſed in Leone Petrum reueritus, ita reſpondet, vt & mendacium Eutichetis detegat, & ſubiectionem ſuam erga Leonem confiteatur: Litteræ nobis datæ ſunt veſtræ Sanctitatis per admirabilem Comitem Panſophium, per quas ſumus edocti, quia idem Eutiches libellos direxit vobis plenos omnia fallacia, atque calliditate dicens, iudicij tempore libellos ſe dediſſe appellationis & nobis, & hic conuenienti Sancto Concilio, & appellaſſe veſtram S. quod nequaquam ab eodem factum eſt, ſed etiam & in hac parte mentitus eſt, tanquam per fallaciam mendacij ſubrepere ſe Sanctis veſtris auribus putans. Commotus itaque, ſanctiſsime Pater in his omnibus, quæ ab eo præſumpta ſunt, & ob ea, quæ in nos, & Sanctiſſimã Eccleſiam facta ſunt, atque fiunt, pro conſueta fiducia fiducialiter age, ſecundùm quod Sacerdotio competit, propriam faciens communem cauſam, & Sanctam Eccleſiarum diſciplinam ſimul decernere dignare per propria ſcripta damnationem aduerſus eum regulariter factam. Confortare autem & piſſimi, & Chriſto dediti ſſimi noſtri Imperatoris fidem: cauſa enim eget ſolummodo veſtro ſolatio, atque defenſione, qua debeatis conſenſu proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere: ſic enim hæreſis, quæ ſurrexit, & turbæ, quæ propter eam factæ ſunt, facillimè deſtruentur.] Videnè quanta cum veneratione Epiſcopus Conſtantinopolis agnoſcit, & reueretur Romanum primatum, neque reprehenſus, laceſſituſque quicquam ſomniat. vel de Romana diœceſi, vel de ſuburbicarijs, ſed iugo Pontificio humilis ceruices ſubmittit? Qui ergo ait, in hoc ſæculo Romanos Pontifices nil iuris exercuiſſe in Conſtantinopolitanam Eccleſiam, neque in ſpiritualibus,

ne-

neque in temporalibus quicquam decreuiſſe, aut deſtatuiſſe concluſa iam à Patribus nicænis intra centeſimum lapidem poteſtate ipſorum, hunc aut nullas legiſſe hiſtorias neceſſe eſt, aut ſi vllas legit, proſtituta verecundia, cum auita religione omnem exuiſſe pudorem. Res Eutichetis ad manifeſtum ſchiſma interim vergere cœpeeant, quod eius patrocinium ſuſcepiſſet Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus, & Chriſaphius Eunuchus Imperatoris Theodoſij D. ſui gratia potentiſſimi. Indicitur ob id Epheſi Concilium Generale, ad quod legatos mittit Leo cum confirmatione geſtorum Flauiani, & damnatione Eutichetis. In eo Concilio non verbis, ſed armis, & fuſtibus omnia geſta ſunt: mortis metu extorta ſuffragia, fugati Papæ legati, Flauianus etiam appellans Leonem damnatus, occiſus, Eutiches abſolutus, nouo, & inaudito exemplo Leo excommunicatus. Appellaſſe Flauianum habent acta Concilij Epheſini prædatorij recitata in Concilio Chalcedonen. act. prim. Appello à te. Appellaſſe Pont. aſſerunt Valentinianus, Placidia, & Eudoxia inter præambulares Concili Chalcedonenſis epiſtola quam mox citabo. Hinc rugire Leonem, Concilium anathematizare, nouum indicere, ad Imperatorem, Imperatrices litteras vltrò citroque miſſitari. [Quænam eo ſæculo eſſet ſententia de Papæ poteſtate, accipe ab ipſis Principibus. Galla Placidia Arcadij, & Honori AA. ſoror ad Theodoſium Imperatorem inquit: [In Apoſtolica ſede primus ille, qui cæleſtes claues dignus fuit accipere, Principatum Epiſcopatus ordinauit. Valentinianus Imperator, Placidia, & Eudoxia Auguſtæ ad eundem Imperatorem: Debemus dignitatem propriæ venerationis Beato Apoſtolo Petro intemeratam etiam noſtris temporibus conſeruare; quatenus Beatiſſimus Romanæ Ciuitatis Epiſcopus, cui Principatum Sacerdotij ſuper omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide ac Sacerdoribus iudicare: Hac enim gratia ſecundùm ſolemnitatem Conciliorum, & Conſtantinopolitanus Epiſcopus eum appellauit, propter contentionem, quæ orta eſt de fide. [Habet itaque hucuſque Papa principium teſtimonijs principatum Epiſcopus ordine Beati Petri, ei principatum ſuper omnes antiquitas contulit, de fidei, & Sacerdotij rebus ſupremus eſt iudex, ex ſententia Conciliorum Conſtantinopolitanus Antiſtes ad eum legitimè appellauit.] Et in hoc ſæculo Papa credita eſt æqualis cuicunque Epiſcopo! & intra centeſimum lapidem tunc repreſſa erat eius poteſtas? Mortuo Theodoſio, Martianus, qui eius Imperiũ ſuſcepit, ſtatim de conuocando Concilio ad Leonem literas dedit: [Tuam Sanctitatem principatum in Epiſcopatu diuinæ fidei poſſidentem ſacris literis noſtris principio iuſtum credimus alloquendam, &c. quatenus omni impio errore ſublato, per celebrandam Synodum, te auctore, pax circa omnes Epiſcopos fidei Catholicæ fiat ab omni ſcelere pura, & intemerata conſiſtens. Audi nè Anonyme? Principatum in Epiſcopatu fidei poſſidentem? & per celebrandam Synodum te auctore? Sequenti Epiſtola rogat Leonem, vt conuocet Concilium, cui & interſit; ſin minùs, ei inſinuet, quòd congreget, vbi libuerit, vt omnes Sanctiſſimi Epiſcopi debeant conuenire, & quæ Chriſtianorum religioni, atque Catholicæ fidei proſint, ſicut Sanctitas tua ſecundùm Eccleſiaſticas regulas definierit, ſua diſpoſitione declarent. Vide quàm magnificè ſentiant Principes de poteſtate Leonis? Omnes Epiſcopi ſua diſpoſitione declarent, ſicut Sanctitas tua ſecundùm Eccleſiaſticas regulas definierit? Et Imperatrix Pulcheria: Propterea Tua Reuerentia, quocunque modo perſpexerit, ſignificare dignetur, vt omnes etiam totius Orientis Epiſcopi, Thraciæ, atque Illyrici (ſicut etiam pijſſimo Domino Imperatori meo coniugi placuit) in vnam Ciuitatem velociter ab Orientalibus patribus valeant conuenire, & illic facto Concilio, & de Catholica confeſſione, & de his Epiſcopis, qui ante hoc ſegregati ſunt, ſicut fides, & Chriſtiana pietas exigit, te auctore decernant. Anonyme, ſi vnquam hæc teſtimonia legiſſes, non dixiſſes, opinor, tuam negatiuam probari inſpectione omnium librorum.

Conuocatur Concilium Chalcedone, quartum ſcilicet Generale, in quo damnatus eſt Eutiches, & mox duobus libellis accuſatus Dioſcorus hac inſcriptione: [Sanctiſſimo, & Beatiſſimo vniuerſali Synodo Calcedonenſi.] Damnatur etiam Dioſcuros hac potiſſimùm præ cæteris cauſa expreſſa: [Quoniam ſecundis exceſſibus priorem iniquitatem valdè tranſcendit, præſumpſit enim excommunicationem dictare aduerſus Sanctiſſimum, & Beatiſſimum magnæ Romæ Leonem.] Forma autem ſententiæ, quam promulgarunt Legati Papæ, & cui Conciliũ ſubſcripſit, hæc eſt:

[Sanctiſſimus, ac Beatiſſimus Archiepiſcopus magnæ, & ſeniores Romæ Leo per nos, & per præſentem hanc Synodum vnà cum ter Beatiſſimo, & omni laude digno Beato Petro Apoſtolo, qui eſt Petra, & crepido Catholicæ, & ille, qui eſt rectæ fidei fundamentum, nudauit eum tam Epiſcopatus dignitate, quàm etiam ab omni Sacerdotali abalienauit miniſterio.] Subſcripſerunt verò ſententiæ Papæ Legati primo loco hunc in modum:

[Paſcaſinus Epiſcopus Eccleſiæ Lilibetanæ vice Beatiſſimi aeque Apoſtolici vniuerſalis Eccleſiæ Papæ Vrbis Romæ Leonis Sanctæ Synodo præſidens in Dioſcori damnatione conſenſu vniuerſalijs Concilij ſubſcripſi. Lucentius Epiſcopus Eſculanæ Eccleſiæ ſimiliter. Cœlius Bonifacius presbyter Eccleſiæ Romanæ ſimiliter. Actione 10. Anatolius Archiepiſcopus Conſtantinopolis dixit: Deffinimus, nihil horum valere, quæ in ſecunda Synodo Epheſina ſunt facta, niſi circa Maximum Antiochiæ Epiſcopum, quoniam & Sanctiſſimus Leo Romanus Archiepiſcopus in communicationem eum recipiens præeſſe eum Antiochenſium indicauit Eccleſiæ. Mitto innumera alia, & vnum hoc dico, quòd concluſo Concilio, Patres perquam honorificè agunt cum Sancto Leone eius arbitrio geſta omnia ſubijcientes. [Quibus tu quidem Epiſcopis ſicut membris caput præeras in his, qui tuum tenebant ordinem, beneuolentiam præferens: & infrà: Et poſt hæc omnia inſuper & contra te ipſum, cui vineæ cuſto-

dia

Digitized by Google

dia à Saluatore commiſſa eſt, ſuam extendit inſaniam, id eſt, contra tuam quoque Apoſtolicam Sanctitatem, & excommunicationem meditatus eſt contra te & in calce epiſtolæ: Rogamus igitur, & tuis decretis noſtrum honora iudicium, & ſicut nos capiti in bonis adiecimus conſonantiam, ſic & ſummitas tua filijs quod decet, adimpleat.] Immò conſueuiſſe Pontifices gubernare Eccleſias Orientis, & interdum communicare vices ſuas Epiſcopis Conſtantinopolis, indicant Patres hac eadem epiſtola. [Confidentes quòd lucente apud vos Apoſtolico radio, & vſque ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam conſuetè gubernando illum ſpargentes huc ſæpius expanditis, eò quòd abſque inuidia conſueueritis veſtrorum bonorum participatione ditare domeſticos.] Quare Gelaſius Papa epiſt. ad Epiſc. Dardaniæ cùm ob multa crimina Acacium Conſtantinopolis Epiſcopum iuſtè damnatum aſſerit, tum ob illud in primis, [quòd multa reticuiſſet, quæ ad ſedem Apoſtolicam referre debuiſſet, à qua ſibi curam illarum Regionum nouerat demandatam.] Hoc illud eſt, quod ſibi volunt ea Chalcedonenſium verba. Vide, Lector, quot in hoc vno Concilio (quod Anonymus ipſe inſtar Euangelij venerandum eſſe profitetur) ſunt monumenta primatus. Vocatur Leo Patriarcha vniuerſalis. Cùm omnes alij Epiſcopi excommunicari poſſint, ſolus ipſe non poteſt, propterea damnatur Dioſcorus. Appellatur Concilij caput, & Pater, & honoratur titulo ſummitatis. Vineæ, hoc eſt, Eccleſię cuſtodia ei commiſſa dicitur, eius ordinaria poteſtas in ſedem Conſtantinopolis palàm aſſeritur: Geſtorum Concilij ab eo confirmatio poſtulatur, nihilominùs hæretici audacter enunciant, eum in hoc ſæculo cuicumque alij Epiſcopo parem fuiſſe. O impudentiam! Meliùs, & longè meliùs certè quàm miſeri iſti, nouerat, quis in hoc ſæculo fuerit ſtatus Epiſcopatus Romani, Theodoretus Epiſcopus Cyri, qui in Synodo Epheſina prædatoria damnatus, & ſede pulſus Leonem Pontificem appellauit epiſt. 113. cuius particula hæc eſt: [Ego autem Apoſtolicæ veſtræ ſedis expecto ſententiam, & ſupplico, & obſecro veſtram Serenitatem, vt mihi appellanti iuſtum veſtrum, & rectum iudicium opem ferat, & iubeat ad vos accurrere, & oſtendere meam doctrinam Apoſtolica veſtigia ſequentem. Et infrà, ſed ſupplicationem meam, quæſo, ne reſpuatis, nec miſeram meam canitiem deſpiciatis, quæ poſt tot labores affecta eſt contumelijs. Ante omnia autem rogo, vt ſciam à vobis, an in iniuſta hac depoſitione me oporteat acquieſcere, an non. Veſtram enim expecto ſententiam, & ſi iudicatis me ſtare, ſtabo, nec vlli deinceps homini moleſtiam exhibebo; ſed Dei & Saluatoris noſtri expectabo iudicium. Et ad Renatum, qui fuerat Leonis legatus in Synodo prædatoria: Tuam oro Sanctitatem, vt perſuadeas Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Archiepiſcopo, vt Apoſtolica vtatur auctoritate, & præcipiat ad veſtrum conuolare concilium, habet enim Sanctiſſima illa ſedes omnium per orbem Eccleſiarum Ducatum, & principatum.]

In hoc Concilio Anatolius Archiepiſcopus Conſtantinopolis homo ventoſiſſimus tentauit transferre terminos antiquos, quos rebus Eccleſiaſticis Patres noſtri poſuerant, neque tantùm inter Patriarchas locum ſibi quærere, & locum à Romano primum, reiectis in nouiſſimum Alexandrino, & Antiocheno, ſed quod maius eſt, paria priuilegia, & æqualem Maieſtatem cum Romano, & præter hæc omnia ordinationes trium Diœceſeon, Aſiæ, Ponti, & Thraciæ. Cum verò huic nouitati reſtagantes reperiſſet Legatos Pontificios, eorum abſentia expectata, locum, & ius exambitum, à ducentis Græcis Epiſcopis (qui non erant tertia Conilij pars) impetrauit, re duplici prætextu cohoneſtata. Primùm, quòd ita ſtatutum eſſet in primo Concilio Conſtantinopolitano; Deindè quòd Conſtantinopolis eſſet noua Roma. Quare cùm Romano Epiſcopo primatum canones detuliſſent, quia Roma eſſet caput Imperij eadem ratione ijſdem priuilegijs potiri debere Epiſcopum nouæ Romæ. Vtrumque malè, vtrumque falsò: ſi enim ante ſeptuaginta annos, qui interceſſerunt inter primam Synodum Conſtantinopolitanam, & hanc Chalcedonenſem, delatus fuiſſet Conſtantinopolitano primatus, cur non ſtatim à Synodo primatibus fuiſſet adſcriptus? Cur S. Ioannes Chryſoſtomus, dum adhuc recens eſſet Canon ille, depoſitus ab Alexandrino, excommunicatus, ſede deiectus, eius Canonis clypeo non protexiſſet ſe? Cur, ſicut dixit, Theophilum proculcare Canones Nicænos, quòd extra ſuam Diœceſim iuriſdictionem exerceret, non dixit etiam violare Conſtantinopolitanos, quòd ſuperiori ſuo ius dicere vellet? An veriſimile eſt, Canones Conſtantinopolitanos notiores fuiſſe poſt ſeptuaginta, quàm poſt viginti annos? Quare hunc Canonem veris Conſtantinopolitanis Canonibus aſſutum ab Anatolio probabiliſſimum eſt, eòque magis, quòd cùm ad Damaſum miſſa fuiſſent acta Concilij Conſtantinopolitani pro confirmatione, Canonem hunc tranſmiſſum non fuiſſe aſſerit S. Leo epiſt. 53. ad Anatolium ipſum: [Perſuaſioni tuæ in nullo penitùs ſuffragatur quorumdam Epiſcoporum ante ſexaginta (vt iactas) annos facta ſubſcriptio, nunquam à prędeceſſoribus tuis ad Apoſtolicę ſedis tranſmiſſa notitiam.]

Quod ſecundò dicitur de ratione Primatus Romanæ Cathedræ, quòd Imperij intuitu ei tributus ſit, id certè falſiſſimum eſt. Sed quòd fuiſſet Apoſtolorum ſedes, & eius Epiſcopi Petri ſucceſſores, ideò habita ſemper caput, & princeps omnium Eccleſiarum. Quod etſi copiosè ſatis ſuprà monſtratum eſt, vberiùs tamen infrà in explicatione Canonis ſexti Nicæni, & deinceps.

Legati Leonis audita fraude Anatolij, ſeſſione ſequenti eius conatui oppoſuerunt ſe, à Concilio ſubrepti Canonis reuocationem poſtulantes. Anatolianis verò è contra adnitentibus, Patres ea moderatione vſi ſunt, vt vtrique parti aliquid concederent, neutri omnino gratificarentur. In gratiam Legatorum ſuſtulerunt paritatem illam priuilegiorum, & æquam illam Maieſtatem in negotijs Eccleſiæ, ad quam anhelabat Anatolius, neque originem Primatus Romanæ Cathedræ ad Imperium, & Senatum retulerunt. In gratiam Anatolianorum ſedi Conſtantinopo-

lis

lis decreuerunt Primatum honorarium dumtaxat, hoc eſt, primum à Romano locum, & ordinationem trium Diœceſeon, Aſiæ. Ponti. & Thraciæ. At Legati Romani, quibus Nicænorum Canonum cuſtos, & vindex Leo præceperat, ne contra eos quicquam innouari paterentur, à Concilio ad Pontificem prouocarunt, [vt ipſe de ſuæ ſedis iniuria, & de Canonum euerſione poſſet ferre ſententiam.]

Pacatiſſimè Legatorum interceſſio audita à Patribus eſt, & cauſa de integro ad Leonem delata, ei humilitèr ſupplicatum pro confirmatione huius decreti. Concilij verba ſuprà relata ſunt. Agebatur de inſtitutione nouæ Sedis Patriarchalis in Oriente: agebatur de præferendo nouo Patriarchatu antiquioribus: agebatur de approbatione, vel reprobatione decreti Concilij Generalis: hęc tamen omnia ab vnius Epiſcopi Romani (etiam abſentis) arbitrio pendere Concilium cenſuit. Credit ergo Concilium, Epiſcopum Romanum ſuperiorem eſſe Conſtantinopolitano, quem & attollere poterat, & deijcere. Credidit ſuperiorem Alexandrino, & Antiocheno, quorum iura derogare poterat, & tueri. Credidit ſuperiorem Concilio Generali, cuius decreta approbare poterat, & reprobare. Ad huius Concilij amuſſim (quod tanquam Euangelium dicis te venerari) velim vt referas Anonyme libellum hunc tuum: ſic enim intelliges, quàm verè, & quàm Catholicè ſcribas, quæ ſcribis de poteſtate Papę, deque eius cognitione, & vſu in Oriente octo prioribus ſæculis.

Leo acceptis Concilij literis decretum hoc irritauit, obiurgato Anatolio grauitèr, & ſeuerè epiſt. 53. Cui etiam, ni reſipiſcat, excommunicationem, & depoſitionem ità denunciat: [Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Nam ſi inconceſſa quęſieris, ipſe te tuo opere, atque iudicio vniuerſalis Eccleſiæ pace priuabis. Et epiſt. 54. ad Martianum: Habeat, ſicut optamus, Conſtantinopolitana Ciuitas gloriam ſuam, ac protegente dextera Dei, diuturno clementiæ veſtræ fruatur imperio. Alia tamen ratio eſt rerum ſæcularium, alia diuinarum, nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento poſuit, ſtabilis erit vlla conſtructio. Propria perdit, qui indebita concupiſcit, ſatis ſit prædicto, quòd veſtræ pietatis auxilio, & mei fauoris aſſenſu Epiſcoparum tantæ Vrbis obtinuit. Non dedignetur regiam Ciuitatem, quam Apoſtolicam non poteſt facere ſedem, nec vllo ſperet modo, quòd per aliorum poſſit aſcenſiones augeri. Et ad Pulcheriam epiſt. 55. poſt multa contra ambitum Anatolij grauitèr dicta: Conſcenſiones verò Epiſcoporum Sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes (cuiuſmodi erat Canon iſte) vnita nobiſcum veſtræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per authoritatem B. Petri Apoſtoli generali prorſùs definitione caſſamus.] Neque tantùm in hac, ſed in omnibus alijs epiſtolis vrget hunc Canonem, & Anatolium cum Canone, quòd hac nouitate violatus eſſet ſextus Canon Nicænus. Non tamen vel Imperator, vel Imperatrix, vel Concilium, vel denique Anatolius ipſe vnquam in eam ſuſpicionem venere, quòd Leo illos Canones violaret, quos propugnabat. Si verò tunc Eccleſia de ſexto Canone Nicæno eam habuiſſet ſententiam, quam modò obtrudunt hæretici, quis putat vel Leonem adeò ſtupidum, vt obijceret eum Canonem, quem violabat, aut Anatolium adeò modeſtum, vt in obiurgatorem ſuum culpam, quâ notabatur, non regereret? Quod tantum à vero abeſt, vt potiùs perterritus Anatolius ceſſerit tandem auctoritati Leonis, abiecta penitùs à ſe cura Primatus. Quocirca Leo epiſt. 71. ad ipſummet Anatolium inquit; [Illam autem culpam, quam de augenda poteſtate, aliena, vt aſſeris, culpa contraxeras, efficaciùs, atque ſinceriùs tua claritas diluiſſet, ſi quod tentari ſine tua voluntate non potuit, non ad ſola Clericorum conſilia tranſtuliſſes, quia ſicut in mala ſuaſione delinquitur, ita in mala conſenſione peccatur; ſed gratum mihi frater cariſſime eſt, quòd dilectio tua profitetur, ſibi diſplicere, quod tunc etiam placere non debuit. Verba Anatolij ſunt hæc: De hoc autem, quod Conſtantinopolitanæ gratia ſedis factum eſt in Chalcedonenſi nuper vniuerſali Synodo, pro certo Beatitudo veſtra hoc habeat, nullam eſſe culpam in me homine, qui ſemper otium, & quietem in humilitate me continens ab ineunte meą ętate dilexerim, ſed Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ reuerendiſſimus clerus eſt, qui hoc habuit ſtudium, & in iſtarum partium religioſiſſimi Sacerdotes, qui in hoc fuere concordes, & ſibi pariter adiutores, cum & ſic geſtorum vis omnis, & confirmatio auctoritati veſtræ Beatitudinis fuerit reſeruata. Hoc igitur benè compertum Sanctitas veſtra cognoſcat, nihil ex me iſtius cauſa factum eſſe negotij, qui ſemper omnem iactantiæ leuitatem, & alienum appetendi cupiditatem mihi vitandam crediderim.] Vndè epiſtolam hanc aſſequutus ſim, dicam poſt. Indulgentia verò Imperatoris precibus Anatolio impetrata eſt, vt Leo ad Iulianum ſcribit epiſt. 68. [Chriſtianiſſimus Princeps ad nos epiſtolam dedit interueniens pro Anatolio Epiſcopo, vt noſtri animi gratia illi præbeatur, quoniam correctionem eius promittit, & in omnibus ſe ſatis facturum eſſe, quæ ad fidei obſeruantiam pertinent, pollicetur.] Erantne verò Principes illi, Epiſcopi illi, cæci omnes, fatui omnes, qui ignorarent iura ſua, & iura Leonis? paterenturne illum arbitratu ſuo confirmare, & infirmare geſta Conciliorum, minitari Epiſcopis extra Diœceſim ſuam excommunicationes, depoſitiones, & dira quęque, niſi exploratum fuiſſet eo ſæculo, Pontificis poteſtatem illam ipſam eſſe, quam tuemur? Anatoliuſne homo Græcus, æmulæ Vrbis Epiſcopus, Dioſcori alumnus, amantior ſui, quàm Lucifer, æquo tuliſſet animo hanc repulſam contra duo Concilia generalia, ſi in Eccleſia Catholica de ſumma poteſtate Leonis in Concilia, vel leuiſſimus ſcrupulus fuiſſet? Præterea pleraque huius Pontificis geſta circa promulgationem eiuſdem Concilij, aliaque ab eo in Sicilia, Gallia, Hiſpania, Mauritania, & alibi pro dignitate geſta: neque enim iam noua teſtimonia opus eſſe crediderim, vbi totus terrarum Orbis tanta omnium conſenſione, & verbis, & factis ſententiam dixiſſe videtur,

Controuerſiam de Patriarchatu Sedis Conſtantinopolitanæ excitatam in hoc Concilio S. Leo inuictiſſimi animi Pontifex, virtute ſua reſtinxit, nulla habita ratione, quòd Martianus Imperator patrocinaretur Anatolio. Quod optimus Imperator nedum ægrè non tulit, ſed etiam, vt teſtatur Gelaſius ep. 13. ad Epiſc. Dard. [Leonem mitis laudibus proſequutus eſt, quòd Canonum regulas violari nulla fuerit ratione perpeſſus.] At mortuis Martiano Imperatore, & Leone, ac Hilario Pontificibus, precibus Leonis Imperatoris à Simplicio Romano Pontifice Patriarchatum impetrare tentauit iterum Anatolius. Cæterum eandem repulſam tulit à Simplicio, quam à Leone, vt aſſerit Gelaſius eadem epiſtola. Cedo Anonyme, ſi Epiſcopi Romani nil iuris habuiſſent in Eccleſiam Conſtantinopolitanam, ſi eorum poteſtati Concilia Generalia ſubiecta non fuiſſent, cur poſt decretum ſibi à Concilio Chalcedonenſi Patriarchatum, Anatolius adeò importunè, & Pontifices, & Imperatores fatigaſſet, vt Patriarchatum ſuum Romana auctoritate firmaret? Quia in re poſtquam vidit ſe operam perdere, omni ſpe deſperata, conticuit, quamdiu vixit. Neque hoc vlcus contrectauit eius ſucceſſor Gennadius vir ſanctiſſimus, imò neque Acatius tertius ab Anatolio Romanos Pontifices metuens, niſi ſub impijſſimo Tyranno Baſiliſco, occaſione, quam dico.

Ad annum Chriſti 470. præter propter Baſiliſcus hæreticus Eutychianus homo omnium ſcriptorum calamis ſordidatus Zenoni Principi arripuit Imperium Orientis, & lege lata grauiſſimis pœnis interdixit Concilium Chalcedonenſe. At poſt paucos menſes, dum Zeno collectis viribus Imperium repetiturus eius ceruicibus immineret, ſenſit infælix egere ſe ope, auxilioque Epiſcopi Conſtantinopolitani, & Catholicorum, quos illa ſua lege exacerbauerat. Quare, vt Nicephorus ait, cogente Acacio, aliam legem conſcripſit, qua prior de Concilio Chalcedonenſi abrogabatur. Referunt eam Euagrius lib. 3. cap. 7. & Nicephorus lib. 17. cap. 7. Acatius nactus occaſionem Tyranni meticuloſi, egentis, & hæretici, eam arripiendam eſſe duxit: ſi enim à tali viro, & in eas anguſtias adacto id non extorqueretur, vidit, nullam ampliùs affore Patriarchatus ſpem, quòd probi liberi, legitimi, & Catholici Principes contra Romanæ ſedis Antiſtites ire non auderent.

Effecit igitur Acatius, vt Baſiliſcus ad calcem illius edicti apponeret hanc appendicem: [Quin etiam Prouincias, quarum Epiſcoporum creatio penès ſedem huius regiæ, & illuſtris Ciuitatis eſt, Reuerendiſſimo, & Sanctiſſimo Patriarchæ, & Epiſcopo Acatio reſtitui.] Qui reſtitutionem expoſcit, is certò non habet, quod reſtitui ſibi vult, habuerat tamen antè eo Concilij decreto, quod Leo Romanus Pontifex irritauerat. Hæc igitur Baſiliſci Tyranni conſtitutio Patriarchatus Conſtantinopolitani poſt Concilium Chalcedonenſe fuit origo prima. Quæ tamen non profuit Baſiliſco, qui vigeſimo tyrannidis menſe, fauente Acatio, vitam cum Imperio arripuit Zeno. Zeno autem Imperium aſſequutus, [è veſtigio legem ſancit, inquit Euagrius, qua decreta Baſiliſci Tyranni in literis generatim ad omnes præſcriptis comprehenſa abrogata fuere:] quod totidem verbis aſſerit etiam Nicephorus. Retulit hanc legem in codicem ſuum Iuſtinianus, ſed vel librariorum, vel aliorum culpa effectum eſt, vt lex Leone prorsùs indigna tribueretur Leoni, & Anthemio. At eſſe eam Zenonis, duo euincunt. Primùm Conſulatus Armati, quo notatur, nullum enim Armatum Conſulem edunt Faſti toto Leonis tempore, ſed ſolus ſecundus annus Zenonis Baſiliſco, & Armato Coſſ. ſignatur. Ità in Faſtis Caſſiodori, Marcellini Comitis, Incerti auctoris apud Cuſpinianum, Victoris Tununenſis, qui omnes vel eo tempore, vel proximo floruerunt. Et hoc Conſulatu Imperium à Baſiliſco amiſſum, & à Zenone recuperatum diſertis verbis ſcripſere Victor, & Euagrius, quod etiam reliqui innuunt. Solum verò Armatum Zeno Conſulem nominat, tum ob inuiſum nomen Baſiliſci, tum quòd, vt Tununenſis obſeruat, priùs omni dignitate, & poſt vita etiam illum priuauit. Quod ſecundò refragatur titulo Leonis, & Anthemij, eſt, quòd auctor illius legis aſſerit ſe [antiquare, & infirmare omnia, quæ tempore tyrannidis innouata ſunt contra venerabiles Eccleſias, quarum Sacerdotium gerit Beatiſſimus Patriarcha pietatis Pater Acatius.] At in Oriente fuiſſe Tyrannum vllum, Leone Imperatore, & Acatio Epiſcopo, nemo vnquam meminit. Hinc etiam corrigas errorem ſupinum Gloſſæ in hanc legem, quæ de Odoacre Erulo, & Leone Imperatore eam interpretatur, cum tamen neque Odoacer in Oriente, ſed in Italia, neque tempore Leonis, ſed Zenonis, depoſito Auguſtulo, & occiſo Oreſte Patricio eius patre, regnum occuparit. Zenonis igitur ea lex eſt, & illa penitùs, quam memorant Nicephorus, & Euagrius. Vtcumque verò Baſiliſci decreta irritauerit Zeno, memor beneficiorum acceptorum ab Acatio, & metuens eius auctoritatem, quæ apud populum Conſtantinopolis (eo etiam mortuo, vt conſtat ex epiſtolis Gelaſij, & Hormiſdæ) ſemper maxima fuit, decreta de priuilegijs Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ non ſolùm non irritauit, imò quaſi à Baſiliſco infirmata fuiſſent, hæreticus etiam, & flagitioſiſſimus confirmauit, & exaggeratiſſimè cumulauit: vt ſi corpus in animam poteſtatem haberet, præ Conſtantinopolitano Romanus nil iam cenſeri poſſet, legemque illam hac clauſula obſignauit: [Omnia, quæ ante noſtrum Imperium, vel nobis imperantibus habuiſſe dignoſcitur, habere in perpetuum firmiter regiæ Vrbis intuitu iudicamus, & ſancimus.] Promouit Patriarchatum Conſtantinopolis Iuſtinianus, & tolerantiam Romanæ ſedis impetrauit à Vigilio Romano Pontifice: quare, vt ambitioſum ſuum ſtudium aliorum erroribus conueſtiret, vndecumque potuit, ſimilia monumenta corrogauit. Hac Zenonis Conſtitutione, & eius gratia munitus Acatius, audacior, & inſolentior effectus, vt benefactori ſuo vices rependeret, abuſus poteſtate ſibi à Pontificibus conceſſa in Oriente, Petrum Mogum Eutychianum Alexandriæ Epiſcopum conſtituit, ea ſede deiecto Ioanne Talaida viro Orthodoxo. [Ioannes autem Talaida eiectus de ſede Alexandrina, inquit Liberatus, Simplicium

Ro-

Romanum Pontificem appellauit, ſicut & Beatus fecerat Athanaſius,] eique conſentanea ſcribunt Nicephorus, & Euagrius. Simplicius per literas Imperatorem corripuit, & Acatium, ſed morte præuentus, neque Ioannem coràm audire, neque cauſam eius ad exitum perducere potuit. Effecit vtrumque Felix, qui pro Concilio, audito Ioanne, Zenoni adhortatorias ſcripſit, Acatium Romam citauit ad dicendum cauſam, Petrum Fullonem, aliàs Cnaphæum, Principem Theopaſchitarum non ſine aura Acatij intruſum in Cathedram Antiochenam vna opera priuauit. Hunc Acatius, etiam antequam Papæ literas acciperet, anathemate proſequutus fuerat, at vbi hæ literæ ad eum delatæ ſunt, furijs exagitatus, poſt malè habitos Papæ legatos, nedum Mogum Alexandriæ, ſed Cnaphæum etiam Antiochiæ confirmauit. Quare excommunicatus, & degradatus eſt à Felice; ſed ipſe viciſſim Zenonis præſidijs innixus anathematis fulmen in Felicem retorſit, nomen eius è dyphticis eraſit, & pro eo Mogum repoſuit, atque ita diuturni ſchiſmatis inter Orientales, & Occidentales Eccleſias altiſſima iecit fundamenta. In hoc tamen ſchiſmate facies Romani Primatus obnubilari potuit, non ecclipſari, imò inter illius nebulas, & procellas frequentiſſimè ſolis inſtar effulſit. Vt enim Baſilius inquit: [Quemadmodum accenſione incenſæ, ac flagrantis materiæ flamma in maius attollitur, ſic ſemper contingit, vt qui toto anniſu ſtuduere demoliri Eccleſiam violenta impreſſione tentationum, eam ad auguſtiorem, & ampliorem ſemper extulerint gloriam, ac poteſtatem.] Quod Eccleſiæ Romanæ in hac cauſa vſu veniſſe mox videbis. Mortuo tandem Acatio, Flauitas, vel Flauianus malis artibus ſucceſſor ei datus eſt. [Qui, vt Liberatus inquit, non conſenſit ſine Romano Pontifice intronizari, ſed tranſmiſit Synodicam Papæ Romano Felici. Verùm vbi Felici malæ Flauitæ artes innotuiſſent, Legati eius cum contumelia Roma expulſi ſunt.]

Euphemius breui tempore ſucceſſit Flauitæ, de quo Nicephorus Calliſtus: [Euphemius ſimul, atque Epiſcopatum inijt, nihil moratus ſuis ipſe manibus in ſacris tabulis Mogi nomen expunxit, & Felicis appellationem repoſuit, atque in ſacro ſuggeſto conſidens Synodales more recepto epiſtolas Romam ad Felicem dedit. Porrò Papa ſcripta quidem illius recepit, & Euphemio velut Orthodoxo fauit, ſed illum in Epiſcopalem communionem non admiſit, propterea quòd Acatij quoque, & Flauitæ nomen in ſacro libro non induxiſſet. Et Nicephorus Monachus: Felix Synodicis Euphemij receptis, ei quidem tanquam Orthodoxo appoſitus eſt, Epiſcopum autem illum non recepit, eò quòd nomen Acatij, & ſucceſſoris Flauitæ de dypthicis non eraſerit.]

Noluit itaque Acatij nomen expungere Euphemius: propterea neque à Felice, neque à Gelaſio eius ſucceſſore communionem Epiſcopalem impetrare potuit, quamquam ſedulò id tentauit, perquam honorificis legationibus ad vtrumque. Tandemque Deo inimicos ſuos de inimicis ſuis vindicante ab Anaſtaſio Zenonis tam fidei, quàm Imperij ſucceſſore in exilium pulſus, inglorius deceſſit. Vnico teſtimonio hanc periodum claudo, ex quo intelligas, qualiſnam eſſet hoc tempore Eccleſiæ Africanæ ſenſus de poteſtate Papæ. Narrat Victor libro 2. de perſecut. Vandal. quòd cùm Rex Vandalorum, & Alanorum Hunericus Catholicos Epiſcopos prouocaſſet ad reddendam rationem fidei ſuæ, Eugenius Carthaginenſis Epiſcopus reſpondit, [Cauſam fidei eſſe communem, & ideò ſine Vniuerſitatis conſenſu non debere tractari, ſe igitur ſcripturum fratribus ſuis, vt in Africam veniant, & præcipuè Eccleſiæ Romanæ, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum.]

Manu duxi te Lector, via regia, ad ſextum à Chriſto ſæculum, oſtendique tibi ex ſacratioribus Eccleſiæ monumentis Romanum Epiſcopum, verum & legitimum B. Petri Apoſtoli ſucceſſorem non intra centeſimum ab Vrbe Roma milliarium, aut etiam intra Occidentalis Imperij limites continuiſſe ſe, ſed in omnibus Eccleſiæ partibus (Orientis præſertim) maximè inſignioribus poteſtatem ſupremam exercuiſſe. Neminemque, aut Catholicum, aut hæreticum in tota hac periodo fuiſſe, qui de eius limitata per Canones Nicænos poteſtate os aperiret. Quare antequam ad ſequentem periodum pergamus, nonnulla in prima iſta, velim, obſerues. Primùm quòd cum coarctatio poteſtatis Papæ ex Can. Nicæno ad centeſimum lapidem, & ad alios quoslibet fines pugnet cum expreſſo conſenſu, & cum perpetuo vſu Eccleſiæ Dei (maximè eorum Patrum, qui Concilio Nicęno interfuerunt) eam & falſam, & hæreticam eſſe.

Secundum, Anonymum errare grauiter, qui duplici reſponſione eludere ſe putat omnia noſtra teſtimonia pro Papæ primatu, altera proteſtantium, altera quorundam Baſileenſium. Proteſtantes aiunt, Pontificem eſſe caput omnium Eccleſiarum, ſed Dięceſis ſuę, Baſileenſes eſſe ſuperiorem omnibus Eccleſijs particularibus, non tantùm Diœceſis ſuæ, ſed etiam totius mundi, non tamen Eccleſiæ vniuerſalis à Concilio generali repræſentatæ. Tu verò non modò contrà Proteſtantes vidiſti Papam extra Romanam Diœceſim ius exercere, ſed contra Baſileenſes approbare, & reprobare Concilia generalia, nunc ex toto ſicuti Ariminenſe, & Epheſinum ſecundum, nunc ex parte ſicut Conſtantinopolitanum primum, & Chalcedonenſe.

Tertium, Anonymum omninò plumbeum eſſe, qui duabus iſtis reſponſionibus indiſcriminatim vtatur, cùm altera alteram tollat. Si enim caput eſt omnium Eccleſiarum, certè non eſt caput ſuæ Diœceſis tantùm, & verſa vice.

Quartum, Tam reſponſione Proteſtantium, quàm Baſileenſium euertere doctrinam Anonymi tantò argumentorum apparatu ab initio fundatam, ſiue enim Patriarchæ præſunt omnibus Epiſcopis ſuæ Diœceſis tantùm, ſiue Romanus ſimpliciter omnibus, quomodo iure diuino Epiſcopos Epiſcopis præeſſe vetitum eſt? Aut ergo fateatur Anonymus Epiſcopos Apoſtolis non ſuccedere, aut Apoſtolos pari inter ſe gradu fuiſſe neget.

Quintum, & poſtremum eſt explicatio ſexti Canonis Nicænæ Synodi, cum enim

Digitized by Google

falſum eſſe conſtet, quòd hæretici comminiſcuntur de limitata poteſtate Papæ ad illas anguſtias Romanæ Præfecturæ, quid Canon ille ſibi velit ad mentem Concilij inueſtigandum eſt.

CAPVT III.

Explicatur ſextus Canon Nicænus, & refelluntur coniecturę Libelli de Suburbicarijs, de conſtitutione Eccleſiaſticæ politiæ ad formam politiæ temporalis.

SExageſimus iam vertitur annus, poſtquam Carolus Molinæus longè infenſior Romanæ Sedi, quàm Græci, ei obijcere cœpit, cum Epitome Rufini Canonem ſextum Nicęnum: eoque homo audax perſuadere ſe poſſe ſperauit, quòd primis Eccleſiæ temporibus coarctauerint Patres Papæ poteſtatem non ad fines Imperij Occidentalis, vt Greci aſſeuerabant, ſed ad Romanas ſuburbicarias tantùm tanquam ad limites peculiares ſui Patriarchatus, vltra quos nullam prorsùs iuriſdictionem exercerer. Poſt Molinæum verò vix vllus in Pontificem virus exeruit, quin hoc ipſum argumentum obiectarit, & nouiſſimè Anonymus Auctor Libelli de ſuburbicarijs ex eodem muſtaceo laureolam quęſiturus hoc vnum argumentum proſequutus eſt, acutè quidem, vt ſibi videtur, & eruditè, mea verò ſententia longè infęliciori Minerua quàm ſperaſſem, ſcilicet tota eius Libelli erudito eſt Diatribarum Berterij, Anonymi ſolum virus. Non malè propterea quærat ab eo Berterius, quo iure ſiluam ſuam cædat, & quid in ſuo agat non ſuus.

Summa libelli eius hæc eſt, politiam Eccleſiæ ita cum politia publica coniunctam eſſe, vt non modò conſtiturio Eccleſiaſticæ à conſtitutione publicæ pendeat tanquam ab idæa, & exemplari, ſed ad eius alterationem moueatur, muteturque, & illam vbique tanquam vmbra corpus conſequatur. Idcircò veterem Eccleſiam, quia in Romana Republica conſtituta erat, politiam quoque ſuam, Epiſcoporum dignitatem, gradus, atque Diœceſes ad ciuilem eiuſdem Reipublicæ typum, & formam conſtituiſſe. Cum verò Politicus ordo Romanæ Reipublicæ à ſola dignitate Ciuitatum deductus eſſet, indè quoque varium Epiſcoporum in Eccleſia ordinem, varias eorum dignitates manaſſe. Cæteris omnibus Romanã Ciuitatem dignitate prælatam, Præfectum etiam cæteris digniorem ſortitam eſſe, & conſequenter Epiſcopum omnibus alijs honorabiliorem, ex alijs ciuitatibus, cùm quædam eſſent minores, maiores aliæ, aliæ maximę, nimirùm, quædam ciuitates ſimplices, quędam metropoles prouinciarum, quædam metropoles Diœceſeon (Diœceſis enim multas prouincias complectitur, ſicut prouincia multas ciuitates) eis propterea Magiſtratus impares, & conſequenter etiam impares Epiſcopos obtigiſſe. Epiſcopos minorum ciuitatum Epiſcopos ſimplices, maiorum Metropolitanos, maximarum Patriarchas, Primates, & Exarchos Diœceſeon priſcos illos Patres nuncupaſſe. [Hinc factum, vt quot erant in Imperio prouinciæ, tot Metropolitani eſſent in Eccleſia, & tot in iſta Patriarchæ, quot in illo Diœceſes. Sicuti Magiſtratus ſimplicium Ciuitatum vltra earum territorium, nullam iuriſdictionem habuere: ità neque vltra prouinciam ſuam Rectores prouinciarum, neque vltra ſuam Diœceſim Rectores Diœceſeon, eiſdem prorsùs finibus concluſam iuriſdictionem, & poteſtatem Epiſcoporum, Metropolitanorum, & Patriarcharum. Quare cùm Diœceſis Pręfecti Vrbi Romæ vltra centeſimum ab Vrbe lapidem (quod integra diſcertatione priori probare contendit) non procurrerit, cuius regionis, prouinciæ, Vrbicariæ, Suburbicariæ, & Suburbanæ appellatæ ſunt, eiſdem prorsùs Suburbicarijs terminis Romani Pontificis iuriſdictionem fuiſſe concluſam. [Vndè factum, quòd ſicuti cęteris Patriarchis fas non erat, vltra ſuorum Præfectorum Diœceſim iuriſdictionem exercere, ità neque Romano Epiſcopo vltra Suburbicarias. Fauere Concilium Nicænum, à quo Canone 6. ita decretum: [Antiqui mores obtineant, qui ſunt in Ægypto, Libya, & Pentapoli, vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quoniam illa etiam Romano Epiſcopo eſt conſuetudo. Quod Gratianus reddidit: quoniam Epiſcopo Romano parilis mos eſt;] exploratum eſſe, hoc Canone Epiſcopi Alexandrini iuriſdictionem coarctari ad limites ſuę Diœceſis ſolo exemplo Romani, ſuam proinde etiam Romanum Diœceſim habere, intra quam ſe contineat. Rufinum idcò lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 6. in epitome Canonum Concilij Nicęni 6. hunc ita retuliſſe, [vt apud Alexandriam, & in Vrbe Roma antiqua conſuetudo ſeruetur, vt vel ille Ægypti, vel hic ſuburbicariarum ſollicitudinem gerat.] Sollicitudinem itaque Papæ ita ad ſuburbicarias coarctari, vt ad Ægypti Eccleſias Alexandrini. Hæc neruorum omnium iſtius libelli ſumma eſt.

Cæterum antequam de huius Canonis interpretatione diſſeramus, Lector monendus eſt, varias eſſe eius editiones, & à varietate editionum varietatem etiam interpretationum deriuaſſe. Legati Sancti Leonis in Concilio Chalcedonenſi, dum ageretur de inſtitutione Patriarchatus Conſtantinopolitani, canonem hunc ex Archiuijs Romanis produxerunt hac forma: [Teneat autem, & Ægyptus, vt Epiſcopus Alexandriæ omnium habeat poteſtatem, quoniam etiam Romano Epiſcopo hæc eſt conſuetudo.] Paulò diuersùs ab Anatolianis ibidem ita productus eſt: [Antiquę conſuetudines teneant in Ægypto, vt Alexandrinus Epiſcopus omnium habeat poteſtatem, quoniam, & Romano Epiſcopo hæc conſuetudo eſt.] Eum etiam ijſdem expreſſum verbis habuère Rufinus, & Arabes, ſed ab vtraque harum editionum vulgata diuerſa eſt, ex qua his verbis concipitur: [Antiqui mores teneant in Ægypto, Libya, & Pentapoli, vt Alexandrinus horum omnium habeat poteſtatem, quoniam, & Vrbis Romæ Epiſcopo eadem eſt conſuetudo.] Et hæc forma ex Archiuijs Alexandriæ, Antiochię, & Conſtantinopolis ad ſextum Concilium Carthaginenſe miſſus eſt.

Quo-

Quod in hoc Canone difficultatem affert, eſt elauſula illa, quoniam Epiſcopo Romano hæc, vel eadem conſuetudo eſt,] quæ eſt tota ratio, & anima ipſius. Ambiguum enim viderur, & incertum, quomodo Romana conſuetudo inſita Canoni ſit, an tanquam exemplum anctoritatis, à qua in adminiſtratione Eeclesiæ deuiare non liceat, an tanquam exemplar, & idæa, ad cuius ſimilitudinem Alexandrini adminiſtratio à Patribus dirigatut. Iuxta priorem ſententiam ſenſus Canonis eſt: In Alexandrini poteſtate ſit Ægyptus (vt habent priores editiones) vel Ægyptus, Libya, & Pentopolis (vt habet vulgata) quoniam, & Epiſcopus Romanus ita vel tenere, vel permittere, & concedere conſueuit. Iuxta poſteriorem: Epiſcopus Alexandrinus ſubiecta habeat poteſtati ſuæ omnia in Ægypto, vel prætorea Libya, & Pentapoli, quoniam etiam Epiſcopus Romanus ſimili modo omnia habet ſubiecta.

Hæc autem ſecunda ſententia in duas ſubdiuiditur, ſi enim omiſſis Libya, & Pentapoli, numinat ſolam Ægyptum, comparare poteſt adminiſtrationem Archiepiſcopalem ſolam, non Patriarchalem, & prouinciæ, non Diœceſis, vt mox oſtendam. Si addit Ægypto Libyam, & Pentapolim, certum eſt, quod non comparat Atchiepiſcopatum, ſed Patriarchatum, non prouinciam peculiarem, ſed Diœceſim, has enim regiones non iure Metropolitico, ſed Patriarchali regebat Alexandrinus, vt omnes fatentur. Huius Canonis explicationes totidem ſunt, & fermè omnes habent grauiſſimos aſſertores. Eas omnes ego ſigillatim nunc explicabo, oſtenſurus, quacunque velis, admiſſa, primatui Papæ Canonem nihil obeſſe. Quæ tamen ex eis verior, & ſincerior ſit, haud facilè iudices, niſi antè cognoueris, quænam huius Canonis promulgandi cauſa fuerit, de qua nunc dico.

Ante Conſtantiniana tempora Eccleſia perſequutionum turbinibus agitata impedite nequierat, quo minùs in electione, & ordinatione Epiſcoporum, & aliorum ordinum inferiorum irreperent variæ corruptelę, & præſertim ex Chorepiſcoporum licentia, qui paſſim vſurpauerant ſibi munera Epiſcoporum, & iura. Qua de re extant diuerſa Pontificum Damaſ. ep. 5. Leon. ep. 88. & Conciliorum decreta. Neocæſar cap. 13. Ancyr cap. 12. Reſque hæc eò audaciæ tandem progreſſa erat, vt Meletius Epiſcopus Lycopolis Chorepiſcopus Petri Alexandrini, ordinatis Epiſcopis in Ægypto, Thebaide, Libya, & Pentapoli, pleraſque Eccleſias illius Patriarchatus bicipites reddiderit. Aſſerunt id Epiphanius Hær. 68. Sozomenus, lib. 1. c. 3. Theodoretus, lib. 1. cap. 9. & Nicephorus, lib. 1. cap. 19. Ordinatorumque nomina, & numerum refert Athanaſius Apolog. 2. ex libello, quem Meletius ipſe Petro dedit in Concilio Nicæno. Ad hos itaque, & ſimiles abuſus tollendos viſum eſt Patribus Nicænis, conſtituendam eſſe certam formam electioni, & ordinationi Epiſcoporum, alijſque negocijs, qua non ſeruata, omnia irrita eſſent. Præſtiterunt id Canone 4. his verbis: [Epiſcopum conuenit maximè quidem ab omnibus, qui ſunt in prouincia, Epiſcopis ordinari. Si autem hoc difficilè fuerit, aut propter inſtantem neceſſitatem, ant propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in id ipſum conuenientibus, & abſentibus quoque pari modo decernentibus, & per ſcripta conſentientibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum, quæ per vnamquamque Prouinciam fiunt, Metropolitano tribuatut Epiſcopo.

Cæterùm conceſſo iure confirmationis vnicuique Metropolitano in ſua prouincia dubium oriebatur, an hoc Canone derogatum eſſet antiquis Priuilegijs Epiſcoporum Alexandriæ, & Antiochiæ, qui ſingulari prærogatiua prępoſiti fuerant pluribus ſimul iunctis, & Metropolitanis, & prouincijs, Alexandrinus quatuor, Antiochenus quindecim. Idque eo iure, vt in hiſce Diœceſibus inferiorum geſta rata non eſſent, niſi quæ Alexandrinus, & Antiochenus auctoritate ſua confirmaſſent. Tollit hanc difficultatem Concilium Canone ſexto, & inquit [Teneat autem, & Ægyptus; ſiuè, antiqui mores ſeruentur in Ægypto, vel in Ægypto, Libya, & Pentapoli, vt Epiſcopus Alexandriæ omnium, vel horum omnium habeat poteſtatem, quoniam, & Romano Epiſcopo hæc conſuetudo eſt; ſimiliter autem, & in Antiochia, & in alijs prouincijs ſua priuilegia ſeruentur Eccleſijs. Vniuerſaliter autem notum eſt, quòd ſi quis prę̈ter ſententiam Metropolitani fuerit factus Epiſcopus, hunc magna Synodus definiuit non eſſe Epiſcopum.]

Iuxta editionem Romano Chalcedonenſem ſenſus huius Canonis eſſe videtur; Quoniam Epiſcopus Romanus tenere conſueuit, quòd Epiſcopus Alexandriæ poteſtatem habeat confirmandi omnia, quæ in Ægypto geruntur, ideò Ægyptus etiam id teneat: Siuè quoniam Epiſcopus Romanus tenere, vel iubere, aut permittere conſueuit, vt Alexandrinus ſubiectas habeat poteſtati ſuæ prouincias Ægypti, Libyæ, & Pentapolis, ideò Ægyptus etiam, Libya, & Pentapolis id teneant, & antiquas iſtas conſuetudines ſeruent. Quam interpretationem ſecuti ſunt Cardinales Baronius, & Bellarminus, & plerique omnes Catholici ſcriptores, qui ante eos pro Catholica fide certarunt. Hinc verò euidentiſſimè colligitur Papæ primatus. Quis enim neget Papæ poteſtati Ægyptum ſubiectam eſſe, ſi ideò antiquas iſtas conſuetudines ſeruare debet Ægyptus, quia ita, vel iubere, vel tenere Papam mos eſt? Hunc fuiſſe ſenſum Eccleſiæ Romanæ de hoc Canone, oſtendit titulus ei præfixus, & Chalcedone, vnà cum Canone lectus [Quòd Eccleſia Romana ſemper habuit primatum.] Quorſum enim hunc titulum Canon in fronte gereret, ſi aut ad primatum Papæ non pertineret, aut (quod aduerſarij volunt) ei refragaretur? Eumdem ſenſum, quem habuit Eccleſia Romana de hoc Canone, habuiſſe etiam Concilium Chalcedonenſe, & Græcos omnes, duo argumenta ſunt. Primùm, quòd, canone diſcuſſo, iudices ſubiecerunt [Ex his, quæ geſta ſunt, vel ab vnoquoque depoſita, perpendimus, omnem quidem primatum; & honorem præcipuum ſecundùm Canones antiquę Romę ſanctiſſimo Archiepiſcopo conſeruari oportere.] Secundum, quod in recognitionem talis primatus, cùm referre vellent Epiſcopum Conſtan-

ſtantinopolis in numerum Patriarcharum, eique ſubijcere Aſiam, Pontum, & Thraciam, cenſuerunt, ſine conſenſu Papæ omnia hæc priuilegia irrita fore, valida tantùm futura, ſi ipſe eis aſſentiret. Quare & in Synodo per literas, & poſtea varijs modis centum aſſiduis annis, vt aſſentiretur, moleſtiſſimè illum interpellarunt. Aſſenſit tandem Vigilius in quinta Synodo. Poſtquam verò Vigilius aſſenſus eſt, ſucceſſores illum imitati reliquerunt Conſtantinopolitanos in pacifica poſſeſſione earum Eccleſiarum, quas ab initio tyrannicè ſibi ſubiecerant. Quod contigit Patriarchæ Conſtantinopolitano, hoc ipſum. De Bell. ſac. lib. 14. cap. 12. Tyrio aſſertore, euenit etiam Hieroſolymitano, & demùm alijs omnibus, qui vſquam titulum iſtum aſſecuti ſunt, vt mox dicam. Declararunt exempla hæc ſenſum Eccleſiæ vniuerſæ de iure Patriarcharum, quorum omnium inſtitutionem, dignitatem, & poteſtatem omninò pendere cenſuit à conſenſu, & approbatione pontificum, & conſequenter, quid ſibi vellent ea huius Canonis verba [quoniam Epiſcopo Romano eadem conſuetudo eſt.] Fac enim, poſt ducentos, aut trecentos annos à quinta Synodo in aliquo Concilio dubitaſſe quempiam, an Thracia, Pontus, & Aſia ſubiectæ eſſe deberent Epiſcopo Conſtantinopolitano, an eodem iure, quo antiquitùs erant, nonne rectiſſimè Patres potuiſſent ſic reſpondere; Teneant Aſia, Pontus, & Thracia, quòd Epiſcopus Conſtantinopolis horum omnium poteſtatem habeat, quoniam, & Epiſcopus Romanus ita conſueuit? Ecquis poſt hinc colligeret comparari hic Papæ poteſtatem cum poteſtate Conſtantinopolitani? Aut diœceſim alteram cum altera? Sed non fingantur exempla, vbi ſuppetunt vera. Metropolitani Diœceſis Orientis vſurpauerant ſibi poteſtatem ordinandi Epiſcopos ſibi ſubiectos ſine conſenſu Epiſcopi Antiocheni Patriarchę ſui. Conſuluit ideò Alexander Epiſcopus Antiochiæ Innocentium Primum Romanum Pontificem, quid agendum? cui ita reſpondet Innocentius epiſt. 18. [Arbitramur, frater chariſſimè, vt ſicut Metropolitanos auctoritate ordinas ſingulari, ſic & cæteros non ſine permiſſu, conſcientiaque tua ſinas Epiſcopos procreari. in quibus hunc modum rectè ſeruabis, vt longè poſitos, literis datis, ordinari cenſeas ab his, qui nunc eos ſuo tantùm ordinant arbitratu. Vicinos autem, ſi æſtimas, ad manus impoſitionem tuæ gratiæ ſtatuas peruenire. Quorum enim te maxima expectat cura, præcipuè tuum debent mereri iudicium.] Adde exemplum alterum: Patriarchas, & Primates differre non officio, ſed nomine (quæcunque ſit) grauiſſimorum auctorum ſententia eſt, cui ſubſcribit etiam ſuburbicarius. At S. Leo Magnus ſcribens ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicæ Illyrici primatem epiſt. 84. cap. 6. inquit [De perſona autem conſecrandi Epiſcopi, & de Cleri, Plebiſque conſenſu Metropolitanus Epiſcopus ad fraternitatem tuam referat, quòdque in Prouincia benè placuit, ſcire te faciat, vt ordinationem ritè celebrandam tua quoque firmet auctoritas.] Nonne tunc rectiſſimè dictum eſſet: Vniuerſus Oriens teneat, quod Epiſcopus Antiochenus omnium illarum prouinciarum habeat poteſtatem? Teneat quoque Illyricum, quòd omnes earum Diœceſeon Eccleſię Epiſcopo Theſſalonicenſi ſubiectæ ſint, quoniam etiam Epiſcopus Romanus ita conſueuit? Quis verò, aut hic vniuerſalem primatum Romanum non videat, aut hinc ad Romanam præfecturam, & Vrbis ſuburbicarias cogitandas excitetur? At reclamat ſuburbicarius contra Cardinales Baronium, & Bellarminum, & inquit:

Edant iſti, quæſo, mihi delegationis iſtius hactenus exemplum, vel vnicum, non iam ex profligatæ fidei ſcriptoribus, quod ſolemne iſtis, verû exceptione omni maioribus.

Tu Suburbicari vnicum exemplum exigis, agam liberaliùs; dabo quatuor, dabo quinque, & plura, ſi voles, & hæc ex illius characteris ſcriptoribus, quos expoſcis. Iuſtinianus Imperator Epiſcopum primæ Iuſtinianæ patriæ ſuæ non modò Patriarcham eſſe voluit, ſed primum poſt Conſtantinopolitanum, quod ſcire potes à Nouella XI. quam tu eleganter appellas, & à 131. Eique pro Diœceſi magnam partem præfecturæ Illyrici impetrauit. Disertè tamen aſſerit Nouella 131. [in ſubiectis ſibi prouincijs locum obtinere eum Sedis Apoſtolicæ antiquæ Romæ, ſecundùm ea, quæ diffinitiua ſunt à Beatiſſimo Papa Vigilio.] Immò S. Gregorius Magnus mittit Pallium electo primæ Iuſtinianæ, & inquit [Pallium verò ex more tranſmiſimus, & vices vos Apoſtolicæ Sedis agere iterata innouatione decernimus.] Epiſcopum Conſtantinopolis Patriarchis adſcriptum fuiſſe, te non latet, nihilominus audi, quid de eo Conſtantinopoli ſcribat Luitprandus Epiſcopus Cremonenſis in legatione ſua pro Othonibus, & Adelhaida [Cum Conſtantinopolitana Eccleſia noſtræ ſanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ Romanæ meritò ſic ſubiecta, ſcimus, immò videmus, Conſtantinopolitanum Epiſcopum Pallio vti non niſi ſancti Patris noſtri permiſſu: verùm cùm impijſſimus Albericus] (fuerat hic Romanæ Vrbis Tyrannus) quem non ſtillatim [cupiditas, ſed velut torrens impleuerat Romanam Ciuitatem, ſibi vſurparet, Dominumque Apoſtolicum quaſi ſeruum proprium in conclaui teneret, Romanus Imperator filium ſuum Theophylactum Eunuchum Patriarcham conſtituit, cumque eum Alberici cupiditas non lateret, miſſis ei muneribus ſatis magnis, effecit, vt ex Papæ nomine Theophylacto Patriarchæ literæ mitterentur, qua auctoritate cùm ipſe, tum ſucceſſores eius abſque Paparum permiſſu pallijs vterentur.] Scripſit autem Luitprandus hęc, quæ eo viuente, & vidente geſta ſunt. Epiſcopum Theſſalonicæ fuiſſe primatem Illyrici, ſi neſcis, paulò poſt te docebo; audies tamen Leonem Magnum delegaſſe illi vices Apoſtolicæ Sedis in ea Diœceſi, & Nicolaum primum mittere Conſtantinopolim antiqua ipſa delegationum autographa.

Certè Sedes Antiochena fuit Patriarchalis, attamen Iuuenalis Epiſcopus Hieroſolymitanus in Concilio Epheſino aſſeruit [Apoſtolica ordinatione, & antiqua traditione in conſuetuetudinem abijſſe, vt Sedes Antiochena perpetuò per Romanam dirigatur, ac iudicetur] & Pallium Antiocheno dat S. Gregorius lib. 1. epiſt. 27.

Quam

Quam poteſtatem habuit Alexandrinus in Ægypto, Antiochenus in Oriente, & Theſſalonicenſis in Illyrico, eandem habuit in Africa tota Epiſcopus Carthaginenſis: quare Aurelius Epiſcopus Carthaginis dixit [Ego cunctarum Eccleſiarum, vt ſcitis fratres, ſollicitudinem ſuſtineo. Fuit ſemper hæc licentia huic ſedi, vt vndè vellet, de cuius nomine fuiſſet Conuentui, pro deſiderio cuiuſque Eccleſiæ ordinare Epiſcopum.] Hæc erant antiqua iura illius Eccleſiæ. Nihilominùs Dominicus eius ciuitatis Epiſcopus Gregorium Magnum orauit, vt ei ſeruaret priuilegia ſua; cui Romano more ita reſpondet Gregorius [De Eccleſiaſticis priuilegijs, quod veſtra fraternitas ſcribit, hoc poſtpoſita dubitatione teneat, quia ſicut noſtra defendimus, ita ſingulis quibuſque Eccleſijs ſua priuilegia ſeruamus, nec cuilibet, fauente gratia, vltra quàm meretur, impartior, nec vlli hoc, quod ſui iuris eſt, ambitù ſtimulante derogo, ſed fratres meos per omnia honorare cupio, ſicque ſtudeo honore ſingulos ſubuehi, dummodo non ſit, quod alteri ab altero iure poſſit opponi.] Suppoſito hoc, & ſimilibus pontificum reſponſis, nonne appoſitiſſimè conſtitui potuiſſet in Africa [Teneat Africa vniuerſa, quòd Epiſcopus Carthaginenſis omnium habeat poteſtatem, quoniam, & Epiſcopus Romanus ita conſueuit: Vel, Decernimus, quòd antiquæ Africę conſuetudines retineantur, vt Carthaginenſis omnium habeat poteſtatem, quoniam, & Epiſcopus Romanus ita conſueuit?]

Si Alexandrina Eccleſia non conſueuiſſet tunc per Romanam dirigi, & regulari, certè S. Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus non inſeruiſſet Apologiæ ſuæ ea Iulij pontificis verba ad Orientales: [Cur igitur, & in primis de Alexandrina Ciuitate nihil nobis ſcribere voluiſtis? An ignari eſtis, hanc conſuetudinem eſſe, vt primùm nobis ſcribatur, vt hinc, quod iuſtum eſt, definiri poſſit?] Vnicum exemplum poſcebas ſuburbicari, habuiſti ſex, & multò plura dabunt Italia, Gallia, Germania, Hiſpania, & Eccleſia tota, in qua nullus primas, vel Patriarcha eſt, qui Apoſtolicæ Sedi acceptam non ferat dignitatem ſuam, & non profiteatur ouem eſſe ſe Romani paſtoris. Vos verò, qui contenditis, Epiſcopos Apoſtolis ſuccaſſiſſe iure diuino, non negabitis, quam proportionem habuit Marcus ad Petrum, eandem habuiſſe etiam ſucceſſores Marci ad ſucceſſores Petri. An autem veroſimile vobis videtur, quòd Marcus Alumnus Petri magiſtro, & ordinatori ſuo noluerit ſedem ſuam eſſe ſubiectam? & , vt inquit Iulius, non ſemper Romam ſcripſerit, vt hinc, quod iuſtum eſſet, diffiniri poſſet? Si ergo talis conſuetudo tenuit ſemper, vt inquit Iulius: ſi Apoſtolica ordinatione, & antiqua traditione in conſuetudinem abijt, vt ſedes Patriarchales perpetuò per Romanam dirigantur, & gubernentur, vt inquit Iuuenalis, iam perſpicuum eſt, tuque intelligere potes, quid tibi velint Patres, dum Alexandrinis antiqua priuilegia ſeruari iubent [quoniam etiam Epiſcopus Romanus ita conſueuit.] At vrges rurſùm, & inquis:

Deindè hic ego Bellarmini, & Baronij fidem, & conſcientiam interpello, Canonis verba ſuperiùs prolata (faſtidioſè hic repetenda) inſpiciantur, vel leuiter; obſecro, num ex illis aliquod, vel minimum delegationis argumentum quibuſcunque fidiculis exprimi poteſt? Contrà, non illis apertiſſimè comparatio Epiſcopi Alexandrini, & Romani inſtituitur? hęc videlicet, vt quemadmodum Epiſcopi Vrbis Romæ mos hic eſt, vt intra præfecturam [Vrbis omnem Diœceſim ſuam extendat, ità & in Alexandrinæ Vrbis Epiſcopo parilis mos ſeruetur.]

Nos, Suburbicari, ſine vllis fidiculis ad mentem Patrum Nicęnorum nullo verbo adiecto, nullo adempto, elicuimus ex Canone antiquam vel ordinationem, vel conſtitutionem, vel delegationem, vel permiſſionem, vel conceſſionem Apoſtolicæ ſedis in Diœceſi Ægypti, quam vnam Patres conſtituunt animam, & rationem huius Canonis. Quare non eſt, quòd hac de cauſa vel Bellarmini, vel Baronij aut fidem, aut conſcientiam interpelles. Tu verò qua conſcientia, qua fide inſeris Canoni & Præfecturam Auguſtalem & Præfecturam Vrbanam, quæ Patribus Nicænis nunquam venerunt in mentem? Ex Baronij & Bellarmini ſententia non inſtituunt Patres comparationem inter Epiſcopum & Epiſcopum, Præfecturam & Præfecturam, Diœceſim & Diœceſim, poteſtatem & poteſtatem (hæc eſt arx Controuerſiæ totius, quam tu ſupponis, nec probas) ſed circa poteſtatem Alexandrini Ideò ſeruari iubent antiquas conſuetudines, quoniam & Epiſcopus Romanus, quod ipſi faciunt, facere conſueuarat. Fingis tu arbitratu tuo ratiocinationem Canonis, & tandem concludis:

Quæſo, ſi ex delegatione Epiſcopi Romani ius iſtud Alexandrinus haberet, cur mori antiquo id Nicæni Patres tribuerent? aut ſi morem antiquum pro conſueta Romani Epiſcopi delegatione intelligebant, cur nouæ & ſecundæ rationi, à pari ſcilicet deſumptæ particulam, & notam *cai* ſubijcerent? *epidi cai tuto*, &c. Hunc nodum ſoluant illi mihi, quibus ſolemne fallere rerum coniunctarum diuiſione.

Nodum iſtum à te in ſcyrpo quæſitum nullo labore ſoluemus. Non Baronius vel Bellarminus viri doctiſſimi, & ſummæ integritatis quemquam fallere volunt rerum coniunctarum diuiſione, ſed tu, duas quippè ex vna tibi fingis huius Canonis rationes: primam à more antiquo verbis illis: Antiquæ conſuetudines teneant: ſecundam à ſimili ſupremo loco poſitam, quoniam Epiſcopo Romano parilis mos eſt, Sed erras, & ſupinè quidem. Nam clauſula, antiquæ conſuetudines ſeruentur, non eſt ratio Canonis, ſed concluſio, & reſolutio quæſiti. Et ideò enunciatur per verba imperatiua, *ta arcea ethiera tito*, antiquæ conſuetudines ſeruantur, de quibus dubitabatur, an eſſent ſeruandæ. Reſolutionis verò, & decreti tota ratio eſt, quoniam & Epiſcopus Romanus hoc habet in more. Quare dum dicis. . . . . .

Si ex delegatione Epiſcopi Romani ius iſtud Alexandrinus haberet, cur mori antiquo id Nicæni Patres tribuerent?

Reſpondemus, quia dubitabatur, ſeruanduſne in Ægypto eſſet mos antiquus, vt Alexandrinus omnes Prouincias Ægypti ſubiectas

iectas

Digitized by Google

iectas haberet, ideò quæſtione propoſitæ reſpondentes, nihil aliud Nicæni Patres dicere poterant, niſi aut ſeruentur, aut non ſeruentur auriqui mores. At ſubijcis:

Aut ſi morem antiquum pro conſueta Epiſcopi Romani delegatione intelligebant, cur nouæ, & ſecundæ rationis à pari ſcilicèt deſumptæ particulam, & notam *cai* ſubijciunt?

Supponamus ea verba, antiqui mores teneant, fuiſſe in Canone, ſupponamus à Græcis ſeruatum fuiſſe Cannnem fide Latina, non eſt, quòd tu diuines, quid velint ſibi Patres verbis illis. Ipſimet explicant ſe verbis diſertis, vt Alexandrinus horum omnium poteſtatem habeat. Neque ſecundam & nouam, ſed primam, & ſingularem hanc rationē reddunt, quoniam & Epiſcopo Romano eadem conſuetudo eſt. Addunt verò particulam & notam *cai* ad emphaſis, non ad ſimilitudinis & paritatis expreſſionem propter ſupremam Pontificis Romani in Eccleſia poteſtatem, cuius vnius fuit ſemper omnibus controuerſijs Eccleſiaſticis extremam manum imponere. Tu ipſe incautè ſuggeris duo exempla ſimilia, quæ commodiſsimè explicant proprietatem, & energiam huius particulæ, ex primo Optati lib. de cauſa Cæciliani: [Cæcilianus omnium ſuprà memoratorum ſententijs innocens eſt pronunciatus. Etiam Melchiadis ſententia, qua iudicium clauſum eſt.] Ex Ammiani 15. de cauſa Athanaſij, cuius damnationem Conſtantius confirmari volebat à Liberio: [Id enim ille Athanaſio ſemper infectus, licèt ſciret impletum, tamen auctoritate quoque, qua potiuntur æternæ Vrbis Epiſcopi, firmari deſiderio nitebatur ardenti.] Hoc ſenſu Rex Aſſuerus dixit: Etiam Reginam, me præſente, vult opprimere in domo mea, & Cęſar in Brutum, *cai ſy i ecinon, cai ſy tecnon*. Cum ergo ipſi quoque Romani Pontifices probare conſueuiſſent, quòd iuxta antiquas conſuetudines Alexandrinus ſollicitudinem gereret Ægypti, Libię, & Pentapolis, id vnum Patribus ſufficere viſum eſt ad robur decreti ſui pro auctoritate, qua potiuntur ęternę Vrbis Epiſcopi. Hactenùs de prima explicatione, venio nunc ad ſecundam.

Nicolaus I. epiſt. 8. *videtur fuiſſe in* ſecunda ſententia, quòd Eccleſia Romana proponatur tanquam exemplar & idęa, ad cuius inſtitutionem dirigenda ſit forma Eccleſię Alexandrinę. [Denique, inquit, ſi inſtituta Nicęnę Synodi diligenter inſpiciantur, inuenietur profectò, quia Romanę Eccleſię nullum eadem Synodus contulit incrementum, ſed potiùs ex eius forma, quod Alexandrinę Eccleſię tribueret, particulariter ſumpſit exemplum.] Cum enim Rom. Pontifex ex ſucceſsione B. Petri primus ſit inter Epiſcopos, primus inter Metropolitas, & primus inter Patriarchas, ęquum eſt, vt à forma regiminis eius exemplum ſumant omnes Eccleſię Chriſti Rectores. Quod enim in vnoquoque genere primum eſt, hoc eſſe metrum, & menſuram omnium aliorum, ſummi Philoſophi receptiſsima ſententia eſt. Hinc S. Leo in illud: [Tibi dabo claues. Petro, inquit, hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſię Rectoribus Petri forma proponitur.] Proponunt idcircò ſibi in hoc Can. Nicęni Patres formam Eccleſię Romanę, vt ad eius ſimilitudinem inſtituant Alexandrinam. An verò exemplum ſumatur ab adminiſtratione Prouincię, an Diœceſis, ſicut antè dicebam, varij varia ſentiunt. Iam ergo de vtraque comparatione ſeorſim dicamus, & primò de Prouincię. Fundamenta huius ſententię duo mihi videntur. Primum, ea editio Canonis, quam ſequitur Rufinus, & quę lecta eſt in Concil. Chalced, in qua ſolius Aegypti fit mentio, non Libię, vel Pentapolis, cui ego præ cæteria fidem habendam duco. Cur enim non, ſi ex Archiuijs duarum Eccleſiarum Romanæ, & Conſtantinopolitanæ in contradictorio iudicio coram tanto Concilio producta neminem aduerſantem habuit, ſed vnanimi conſenſu ab omnibus recepta eſt? Ægypti verò nomine interdum cenſeri ſolebat ſpecialis illa Prouincia, quæ Deltam conſtituit, interdùm & hæc, & Thebais, interdùm & duæ iſtæ, & præterea Libya, quæ poſt diuiſa fuit in Libyam & Pentapolim, ſicut Ægyptum in Aegyptum, & Auguſtamnicam. [Tres Prouincias Aegyptus fertur habuiſſe temporibus priſcis, inquit Ammianus, Aegyptum ipſam, & Thebaidem & Libyam, quibus duas adiecit poſteritas, ab Aegypto Auguſtamnicam, & Pentapolim à Libya ſicciore diſparatam. Habebat verò hæc Prouincia notitiæ tempore ſuum peculiarem Præſidem, qui ad diſtinctionem cæterorum vocabatur Præſes Ægypti. Hoc igitur anguſtiore ſenſu Ægyptum acceptam eſſe iuxta hanc inrerpreterionem dicendum eſt.

Secundum fundamentum eſt, quòd Rom. Pontifex præter curam vniuerſalem totius Eccleſiæ, & curam particularem Eccleſiæ Vrbis Romæ, etiam oneribus intermedijs ſuppoſuit humeros, & ſicut in vnaquaque Prouincia, quò ad perſonalem, & immediatam adminiſtrationem omnes Epiſcopos ſubiecit Metropolitano (ſeruato tamen vbique iure ſuo Apoſtolicæ ſedi) ita eos Epiſcopos, qui Romam circumſtant, reſeruauit ſibi tanquam ſpeciali Metropolitano Prouinciæ Romanæ. Idem iuramentum præſtabant olim Pontifici Rom. Epiſcopi huius Prouinciæ, quod cæteris Metropolitanis ſuffraganei. Gregor. IX. ad Patriarcham Gradenſem cap. dilecti de maior & obed. Mandamua tibi, inquit, quatenus contentus forma canonica, quam nos à Coepiſcopis noſtris nobis immediatè ſubiectis accipimus, nil amplius à Caſtellano Epiſcopo obtentu alicuius conſuetudinis exigas. Eoſdem Epiſcopos Synodus Ro. ſub Zacharia vocat Epiſcopos, qui Apoſtolicæ ordinationi ſubiacent, vt habetur cap. iuxta, diſt. 93. Eorumque notitiam ex antiquo M. S. Vaticano edidit Baron. ad ann. 1057. Quod in Epiſcopatu Rom. ab initio vſus obtinuit, idipſum in Alexandrino, & Antiocheno, quorum Epiſcopis [præter curam Patriarchalem, quam ille in Ægypto, et vtraque Libya gerebat, hic in toto Oriente) iniunctum fuit ſpeciale munus Metropolitani, illi in Ægypto, cuius Metropolis erat Alexandria, iſti in Syria Cœle, cuius vertex erat Antiochia.

Decreuerant Patres Can. 4. quòd confirmatio eorum, quæ per vnamquamque Prouin-

Digitized by Google

uinciam ſiunt, Metropolitano tribuatur Epiſcopo. Reſtabat declarandum, quinam tanquam Metropolitani habendi eſſent, maximè quòd Prouinciarum Metropoles frequenter Imperatorum arbitrio mutabantur. Accedebat, quòd Patriarchatus Alexandrinus erat moles oneris immenſi, cum Diodorus aſſerat fuiſſe in Ægypto Ciuitates, & Oppida inſignia vltra 18. millia, & Plin. vltra 20. millia. Neque minor Antiochenus (cuius Diœceſim terrarum maximam appelat Plin.) cum Otiens 15. ampliſſimas Prouincias compleɛteretur. Quare onus Metropoliticum, & ius ab ampliori illo diuidendum eſſe videri poterat, vt cura Patriarchalis diuiſa in duos eſſet minùs moleſta. Poſtremò patriarchis refragari videbatur exemplum adminiſtrationis publicæ, quam enim Diœceſim adminiſtrabat Epiſcopus Alexandrinus in ſpiritualibus, hanc regebat in temporalibus Præfectus Auguſtalis, & quam Patriarcha Antiochiæ in Eccleſiaſticis, eandem in Ciuilibus Comes Orientis, & perindè ac Patriarcharum iſtius ſedes erat Antiochia, illius Alexandria. Ita tamen & Comes Orientis, & Præfectus Ægypti curam gerebant ſuis quiſque Diœceſeos, vt neuter cuiquam peculiari Prouinciæ addictus eſſet, nec illis quidem, in quibus reſidebant, ſed Ægyptum Præſes, Syriam Conſularis gubernabat. Nunquam defuere Nouatores, vt mox videbimus, qui aſſererent Politiam Eccleſiæ eſſe ordinandam iuxta formas ciuiles: quare non eſt inueriſimile, fuiſſe etiam tunc, qui aſſererent, Alexandrinum, & Antiochenum contentos eſſe debere cura Patriarchali, eiſque Metropolitanos ſubſtituendos eſſe, quaſi eorum Præſides, & Conſulares in Syria, & in Aegypto. Tollunt vtramque difficultatem Patres Can. 6. & inquiunt: [Antiquæ conſuetudines teneant in Aegypto, vt Alexandrinus horum omnium habeat poteſtatem, quoniam & Epiſcopo Romano eadem conſuetudo eſt.] Quaſi dicant, ſi Epiſcopo Rom. neque Patriarchatus, neque vniuerſalis Eccleſiæ cura obſtat, quò minùs in ſua Prouincia ſpeciali Concilia conuocet, electiones Epiſcoporum ſuffraganeorum diſcutiat; eoſque ordinet; cur Patriarchalis cura Alexandrino adimet adminiſtratione ſpecialem Prouinciæ Aegypti? Quoniam ergo Romanus ita conſueuit, etiã Alexandrinus, antiquas Aegypti conſuetudines ſeruet, & tanquam Metropolitanus Prouinciæ ſuæ omnium Eccleſiarum eius curam gerat. Ita Canonem hunc intellexerunt Arabes, à quibus hac forma concipitur: [Conſtitutum eſt, vt Epiſcopus Aegypti ideſt Patriarcha Alexandriæ præſideat, & habeat poteſtatem totius Aegypti, & omnium locorum, Ciuitatum, & Caſtellorum, qui ſunt circa eam, quia ſic conuenit, ſiquidem ſimiliter Epiſ. Romæ ideſt ſucceſſor Petri Apoſt. poteſtatem habet omniũ Ciuitatum, & Caſtellorum, qui ſunt circa eam.] Quas Arabes dixere Ciuitates, & loca, quæ ſunt circa Romam, has elegantiùs ſuburbicariarum nomine Rufinus expreſſit, Canonem ita complexus: [Vt apud Alexandriam, & in vrbe Roma vetuſta conſuetudo ſeruetur, vt vel ille Aegypti, vel hic ſuburbicariarum Eccleſiarum ſollicitudinem gerat.] Suburbicarius multa nugatur, vt Rufinum defendat, qui dixit, vel, & vel, ſed tandem ait, fuiſſe corruptum, & commodiſſimè legi poſſe, Vt ille Aegypti, velut hic ſuburbicariarum ſollicitudinem gerat. Nos verò & veniam Rufino damus, & caſtigationem Suburbicarij non reijcimus. Neque enim hinc aliud colligi poteſt, niſi quòd ita Metropolitani ſollicitudinem gereret Alexandrinus in Prouincia Aegypti, quemadmodum Epiſcopus Romanus eandem ſollicitudinem gerebat in ſuburbicarijs. Confirmato Metropolitano in Prouincia Aegypti pergunt ad cæteras Prouincias Patres, & dicunt: [Similiter autem & in Antiochia, & in alijs Prouincijs ſua priuilegia ſeruentur Eccleſijs. Arabes: Ac ſimiliter Epiſcopus Antiochiæ ideſt Patriarcha poteſtatem habeat Prouinciæ illius totius, & eorum locorum, quæ circum eam ſunt. Et in alijs locis ſeruari debet, quod in præterito conſtitutum eſt.] Quare videtur Concilium loqui de Alexandrino, & Antiocheno tanquam de Metropolitanis, non tanquam de Patriarchis, & de cura Prouinciæ, non de cura Diœceſis. Ita ſenſit Hincmarus Remenſis in opuſc. LV. cap. non longè à fine. [Metropolitanis Epiſcopis, ac Metropolitanis ſedib. inquit, priuilegia tribuerunt, decernentes, vt antiqua conſuetudo ſeruetur Alexandrino Epiſcopo, quatenus ſuorum omnium (ſc. quæ ſunt in Prouincia ſuæ Diœceſis, velut Innocentius ad Alexandrum Epiſcopum Antiochenum oſtendit, & Africanum Concil. ad Cœleſtinum Papam exponit) habeat poteſtatem, quia & vrbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt.] Quod argumentum ibi latè proſequitur. Et quidem audiuimus ſup. Innocentium I. conſulentem Patriarchæ Antiocheno, vt Epiſcopos ſuæ Diœceſis longè poſitos non ordinaret ipſe, ſed vicinos tantùm. Non malè propterea ſuburbicarias eas Eccleſias appellauit Rufinus, quarum Epiſcopos, qui reſpondent in Patriarchatu Antiocheno, Innocentius vicinos vrbi dixit. Hi verò in Italia, qui ab initio fuerint, facilè colligas, ſi ab Italia, & Inſulis adiacentibus excipias eos, qui Aquileienſi, Mediolanenſi, & Rauennati Metropolitanis ſubiecti erant: Eccleſias enim cæteras iure Metropolitico Papa regebat, vt ex hiſtorijs ſacris perſpicuum eſt. Cum ergo hoc Canone non coarctetur poteſtas vel Alexandrini, vel Antiocheni ad ſolam Prouinciam vel Syriæ, vel Ægypti, ſed præter curam Patriarchalem vtrique iniungatur etiam peculiaris adminiſtratio Prouinciæ ſuæ iure Archiepiſcopali; nonne deploranda cæcitas eſt, ex hoc Canone coarctare velle omnem poteſtatem Papæ ad Romanam Prouinciam, & ſolas ſuburbicarias? Confirmare videtur Hincmari, & Rufini ſententiam clauſula Canonis, quæ ſubijcitur: [Vniuerſaliter autem notum ſit, quòd ſi quis præter voluntatem Metropolitani fiat Epiſcopus, hunc ſancta Synodus diffiniuit non eſſe Epiſcopum.] Poſtquam enim conſtitutum erat, quinam vbique Metropolitani cenſendi eſſent, reliquum videbatur, vt explicaretur, quorſùm tenderet hæc declaratio, quod faciunt Patres hac clauſula. Non refello Metamorphoſim Suburbicarij, qui *eparchias* vertit in Diœceſes, & Metropolitanos in Patriarchas; riſu enim, vel miſeratio-

ne potiùs, quàm confutatione digna ſunt hæc diliria. Suppoſita ergo interpretatione Ruſini, argumentum Suburbicarij non ſolum vanum, ſed etiam ridiculum eſt, & hac ſimilitudine colligitur oppoſitum eius, quod vellet. Cum enim certum apud omnes ſit, quòd præter poteſtatem Syriæ & Ægypti, quę ad exemplum Romani hìc decernitur duobus Patriarchis, vterque haberet Primatum ampliorem, quo tot gentium, & Prouinciarum eccleſijs maiora iura dabant; ſi ſimilitudo currit, certè conſequens eſt, vt Romano etiam præter ſuburbicarias cura maior, & latior ſupereſſet. Neque Rufinus ipſe aliter vnquam arbitratus eſt, qui conſtitutus longè vltra centeſimum ab Vrbe lapidem, & ſuburbicarias, ad Damaſum inquit [Expoſit. Symb. Si quid parũ cautè poſitum, emendari cupimus à te, qui & Petri ſedem tenens & fidem.] Et Romana Cenſura damnatus alto premit corde dolorem, deque vſurpata iuriſdictione contra Canones mutus magis, quam piſces:] Quid, inquit Hieron. in Rufin. de Papa Anaſtaſio, de quo nulli, vt ais, verum videtur, vt tantæ vrbis Sacerdos, vel innocenti tibi iniuriam facere potuerit, vel abſenti? Et pòſt: Innocentem te vocas, ad cuius interpretationem Roma contremuit? abſentem, qui accuſatus reſpondere non audes, & tantum Romanæ vrbis ſugis iudicium, vt magis obſidionem Barbaricam, quàm pacatæ vrbis velis ſententiam ſuſtinere?] Nihil reſpondet Rufin. de ſuburbicarijs contra Anaſtaſium; alia omnia diuerticula quærit, hoc vnum nec tangit, nec comminiſcitur. Vndenam verò rectiùs mens, & ſententia Rufini inueſtigari poteſt? ab ijs ne, quæ viuens Rufinus geſſit, an potiùs à vecordium quorundam coniecturis, qui mille ducentis annis poſt eius mortem in Deum, Sanctos, fidem, Religionem Catholicam ſanda, atque infanda fundentes, ipſo, quo aguntur, furore Deo violatæ pietatis pœnas pendunt? Quid horum verba audiam, cum facta Rufini videam? Neque plura de ſecunda interpretatione, iam dicamus de tertia.

Eccleſia tota ab initio per B. Petrum in tres Patriarchatus diuiſa ſuit, Romanum, Alexandrinum, & Antiochenum; Alexandrino attributa eſt Ægyptus cum annexis Prouincijs Africæ, quæ in Canone expreſſæ ſunt, Antiocheno Oriens, qui omnem eam regionem complectitur, quem à Cilicia, Cypro, & Arabia, excepta Aſia minore, vſque ad Tigrim extenditur. Quicquid Eccleſiæ reliquum eſt, totum conceſſit in Patriarchatum Rom. Quare Nicolaus I. epiſt. 8. ad Michael. inquit: [Per has igitur tres præcipuas Eccleſias omnium Eccleſiarum ſollicitudo beatorum Apoſt. Principum Petri, & Pauli procul dubio moderamen expectat.] Ad quem diuiſionem Hieron. etiam ſic alludit: Quid facient Orientis Eccleſiæ? quid Aegypti, & ſedis Apoſtolicæ? Aduerſ. Vigilant. Quicquid Eccleſiaſticum in vnoquoque Patriarchatu gerebatur, id omne Patriarchæ ſui poteſtati ſubiectum erat; ita tamen, vt & Patriarchæ, & Patriarchatus vniuerſi titulo altiori Pontificis Rom. iuriſdictioni ſubiecti eſſent, vt grauiſſimis teſtimonijs antè monſtratum eſt, Can. 6. Nic. ſermonem habeti non de Prouincia, & iure Metropoleos, ſed de Diœceſi, & de hoc iure Patriarcharum, qua Patriarchæ ſunt, ſenſerunt olim viri longè grauiſſimi. Innocent. I. ad Alexandrum Epiſc. Antioch. [Reuoluentes, inquit, Ep. 18. cap. 1. auctoritatem Nicænæ Synodi, ſuper Diœceſim ſuam, non ſuper Prouinciam aliquam prædictam Eccleſiam (Antiochenam) recognoſcimus conſtitutam S. Hieron. Aduerſus errores Ioan. Hieroſolym. Ibi (in Concil. Nic.) ſtatuitur, vt Palæſtinæ Metropolis Cæſarea ſit, totius Orientis Antiochia. Synodus 2. Generalis: Orientis Epiſcopi Orientem gubernent ſeruatis Priuilegijs Primatus Eccleſiæ Antiochenæ, quæ ei in Conc. Nic. tributa ſunt. De cuius Concilij Patribus Theodor. Epiſt. 86. Conſona ijs, quæ in Nicæa ſtatuta ſunt à SS. Patrib. ibi congregatis ſtatuerunt, & Diœceſes diſtinxerunt, & vnicuique diœceſi, quæ ipſi conueniebant, tribuerunt.] Si ergo de Diœceſi, & iure Patriarchali loquuntur Patres Nicæni, quid ſibi vult clauſula illa: [horum omnium poteſtatem habeat, quoniam etiam Epiſc. Rom. eadem conſuetudo eſt? Dico.

Decreuerant Can. 4. Epiſcopis Metrop. poteſtatem confirmandi electiones ſufraganeorum, & omnia, quæ in Prouincia geruntur, cum iure ordinandi eos, quos confirmaſſent. Decreuerant can. 5. quæ eſſet poteſtas Synodi Prouincialis circa excommunicatos ab Epiſc. comprouincialibus, & ea quando, & à quo cogenda. Ne verò hæc priuilegia conceſſa putarentur in præiudicium poteſtatis Patriarcharum Ægypti, & Orientis, vt progreſſu temporis putatum eſt, ſtatim can. 6. ſubijciunt: [Antiquæ conſuetudines teneant in Aegypto, Libya, & Pentapoli, vt Alexandrinus horum omnium habeat poteſtatem, quoniam etiam Epiſc. Rom. eadem conſuetudo eſt. Similiter autem & in Antiochia.] Ac ſi dicerent; quoniam Epiſc. Rom. in Patriarchatu ſuo ita conſueuit concedere Metropolitanis hæc priuilegia, vt tamen retineat etiam ſibi tanquam Patriarchæ poteſtatem horum omnium, ſc. confirmandi electiones, ordinandi ſuffraganeos, decernendi de iudicijs Metropolitanorum, de conuocatione, loco, tempore, iudicijs ſuorum Concil. Prouincialium, idcircò priuilegia, quæ Metropolitanis, eorumque Synodis à nobis conceſſa ſunt, tam in Aegypto, quàm in Oriente, ita conceſſa ſunt, vt antiquas nihilominùs conſuetudines vtrobique retineri velimus, nimirùm, vt Epiſcopus Alexandr. & Antiochiæ in ſua quiſque Diœceſi (cum etiam ipſi Patriarchæ ſint) horum omnium poteſtatem habeant. Et certè verba illa, horum omnium, non poſſunt referri ad Prouincias Aegypti, quas regebat Præſ. Auguſt. vt putant hæretici (eſſet enim turpiſſimus ſolæciſmus) ſed neceſſariò referenda ſunt ad res, & iudicia, quorum antè mentio facta eſt. Tota igitur huius Canonis intentio eſt, quòd poteſtas, quæ Synodis Prouinciarum, & Metropolitanis conceſſa eſt, ea non ſit abſoluta, & independens, ſed ſubordinata in omnib. & ſubiecta poteſtati duorum Patriarcharum. Quare Innocent. I. ad Alexan. Epiſc. Antioch. de ordinatione Epiſcoporum Orientalis Diœceſeos rogatus, poſt euolutos canones

nones

Google

nones Nicænos ita reſpondet: Ep. qua ſuprà (Arbitramur frater chariſs. vt ſicut Metropolitanos auctoritate ordinas ſingulari, ſic & cæteros non ſine permiſſu, conſcientiaque tua ſinas Epiſcopos procreari. Patres ipſi Nic. ad Epiſc. Aegypti, Libiæ, & pentapolis: Quòd ſi fortè quiſpiam eorum, qui Eccleſiæ funguntur munerib. diem ſuum obierit, tum vnus ex illis, qui nuper in Eccleſiam aſciti ſunt (modò idoneus videatur, & populus illum eligat, Epiſcopuſque Alexandr. ei ſuffragetur, atque adeò populi electionem confirmet) in locum ſuccedat de mortui. S. Leo ad Anaſt. Epiſc. Theſſal. Vicar. ſed. Apoſt. in Illirico: Ep. 84. cap. 6. De perſona conſecrandi Epiſcopi, & de Cleri, plebiſque conſenſu Metropolitanus ad fraternitatem tuam referat, quodque in Prouincia beneplacuit, ſcire te faciat, vt ordinationem ritè celebrandam tua quoque firmet auctoritas. Quæ de Epiſcoporū ordinationib. in tribus Patriarchatib. oſtenſa ſunt, de indicijs, rebuſq; cæteris probare putidſi eſt. Erexerant aliquando cornua Metropolitan. contra Patriarchas, & ad Synodos Diœceſeon etiam vocati accedere detrectabant, cauſantes canonicam neceſſitatem præſidendi bis in anno Concilijs Prouincialibus, à quibus etiam ſe iudicari debere dicebant. Conatibus eorum obuiam erant Patres Synodi quartæ Conſtantinopolitanæ, & generalis octauæ ex Can. 6. Nicæno, & ex clauſula illa [horum omnium] oſtendunt, hæc ab illis iniquè tentari. [Sancta, inquiunt, & vniuerſalis prior Synodus Nicæna antiquas conſuetudines iubet ſeruari per Ægyptum, & Prouincias, quæ ſub ipſa ſunt, ita vt horum omnium Alexandrinus Epiſcopus habeat poteſtatem, dicens, quia & in Romanorum Ciuitate huiuſmodi mos præualuit. Qua pro cauſa & hæc ſancta, & magna Synodus tam in ſeniori, & noua Roma, quàm in ſede Alexandriæ, Antiochiæ, & Hieroſolymorum priſcam conſuetudinem decernit in omnibus conſeruari, ita vt eorum Præſules vniuerſorum Metropolitanorum, qui ab ipſis promouentur, &c. habeant poteſtatem ad conuocandum eos, vrgente neceſſitate, ad Synodalem conuentum, vel etiam ad coercendum illos, & corrigendum, cùm fama eos ſuper quibuſdam delictis accuſauerit.] Cum ergo Can. 6. Nicæno nihil conſtituatur, vel de libertate, vel de ſubiectione Patriarcharum inter ſe, ſed confirmetur tantùm Alexandrini, & Antiocheni poteſtas Patriarchalis in rebus ſuarum Diœceſeon ſupra Metropolitanos, exemplo Romani, miſerabilis certè, vel cæcitas, vel dementia eſt, hinc eruere velle aliorum Patriarcharum libertatem à Romano. Etiam ex Conc. Nicæno omnes Metropolitani ita poterant iudicare, ordinare, & vocare ad Synodos Prouinciæ ſuffraganeos ſuos, ſicut Patriarchæ in ſua Prouincia ſuos; ergone ex Concilio Nicæno Metropolitani Patriarchis pares ſunt poteſtate, & à Patriarchis in regimine Prouinciæ independentes? deliria ſunt indigna, quæ refutentur. Iam ergo Canone explicato, videamus, quàm vera ſint, quæ homo iſte comminiſcitur de origine Politiæ ſacræ à Conſtitutione Politiæ tēporalis.

A Chriſto nato, vſque ad tempora Concilij Nicæni tres Imperij Romani diuiſiones & conſtitutiones recenſeri; ab Auguſto primam; ſecundam ab Hadriano; tertiam à Conſtantino, neminem fugit. Quare ſi oſtendero, quòd in conſtituenda Eccleſiæ Politia ad nullam harum diuiſionum Patres collinearunt, coniecturæ Anonymi ſomniorum inſtar euaneſcent. Auguſtus toto Romano Imperio in Prouinciarum formam redacto, quo cum ſuſpicione regni odium ſenatus à ſe remoueret, per ſpeciem charitatis Prouincias pacatiores ſenatui diſtribuit, ac ſi ad quietem, & otium illum deſtinaret, potentiores verò, & ferociores ſibi quaſi domandas retinuit, pollicitus has etiam pacatas ſe mox redditurum. Exarmatoque penitùs, & nudato Senatu, hoc prætextu arma, militeſque ad ſe ſolum traduxit. Ita Dion lib. 53. Sueton. in Auguſto, Strabo lib. vlt. & alij paſſim.

Inter Prouincias Senatui decretas Dion, & Strabo referunt Libyam, & Cyrenaicam, quæ alio nomine Pentapolis nuncupabatur; inter Prouincias Auguſti Ægyptum; ſuos in ſuas Cæſar; ſuos in ſuas Senatus Magiſtratus mittebant. Itaque ex Conſtitutione Auguſti, duæ ſaltem adminiſtrationes fuerunt, Ægyptus, Lybia, & Pentapolis. At Patres Nicæni ſexto Canone dicunt: [Antiquæ conſuetudines teneant in Ægypto, Libya, & Pentapoli, vt Alexandrinus horum omnium habeat poteſtatem.] Quare Patriarchatum Alexandrinum ad typum Præfecturæ Ægypti Patres ab eius origine non conſtituerunt.

Multò minùs Antiochenum; nam Antiochia, quę Orientis Metropolis eſt, Auguſto ceſſit: Cyprus Auguſto primùm, Senatui mox. Attamen vſque ad tempora Zenonis ſub ditione Epiſcopi Antiocheni Cyprum fuiſſe, ſcribit Nicephorus lib. 16. cap. 37.

Non dicam nunc, quàm immenſum diſcrimen fuerit inter Præfecturam Vrbanam, & Diœceſim ſpecialem Romani Pontificis, de hoc enim paulò poſt, & capite altero accuratiùs dicendum erit. Sequitur Conſtitutio Imperij ab Hadriano, ad quam Apoſtolos reſpexiſſe in ordinanda Eccleſiæ Politia, impoſſibile eſt, cum non niſi ad annum Chriſti 120. Imperio potitus ſit, ad quem nullus Apoſtolorum ſuperuixit. Præterea poſt Auguſtum, & ante Conſtantinum ad duos Præfectos Prætorio ſumma totius Imperij tranſlata fuit, ſicuti libro ſecundo Zoſimus aſſerit, ſubiecto eis etiam Præfecto Vrbis. [Cùm eſſent, inquit, duo Præfecti Prætorio, qui hoc Officium communiter gerebant, nec palatini tantùm ordines eorum cura, poteſtateque gubernantur, ſed etiam ij, quibus Vrbis erat commiſſa cuſtodia, & quotquot in omnibus limitibus erant collocati.] Itaque ſi Politia Eccleſiæ ex hac conſtitutione ordinata fuiſſet, ante Conſtantinianam diuiſionem reperire oporteret duos Epiſcopos Papa maiores, qui vniuerſum Romanum Orbem, adeòque & Romam ipſam ſua complecterentur poteſtate; quorum nulla ad hanc vſque diem memoria extat.

Non fuiſſe demùm conſtitutam ad formam Imperij Conſtantiniani, contrà quàm & hæretici, & Græci paſſim aſſerunt, luce clarius apparet. Primùm quòd Conſtantinus, vt ait Zoſimus, Magiſtratum Præfecti Prætorio in quatuor Imperia diuiſit, atque

ita è duobus quatuor Præfecti Prætorio orti ſunt; Præfectus Prætorio Orientis, Præfectus Prætorio Illyrici, Præfectus Prætorio Italiæ, Præfectus Prætorio Galliarum. Ad quos accedebant duo Præfecti, Vrbis Romæ alter, alter Conſtantinopolis. Sub diſpoſitione Præfecti Prætorio Orientis erant quinque Diœceſes: Oriens, Ægyptus, Aſiana, Pontica, Thracia, quæ duas de quinquaginta Prouincias complectebantur. Ecquem Epiſcopum (Romano excepto) vnquam Eccleſia edidit, qui omnibus his Prouincijs prę ſideret? Præfecti Prætorio Orientis Antiochiam Metropolim fuiſſe inter omnes conuenit: quare ex hac diuiſione cùm Ægypto prę eſſet Præfectus P. Orientis, etiam Epiſcopus Antiochenus præfuiſſet Ægypto, & Alexandriæ, quod tantum à vero abeſt, vt potius Antiochenus primas honoris, & dignitatis ſemper conceſſerit Alexandrino.

Hoc ſubterſugio minùs ſuccedente, ad ſacrum illud hæreticorum aſylum fortè conuertet ſe ſuburbicarius; Alexandriam fuiſſe ſecundam Vrbem Imperij Romani, id enim mutuatus à Berterio varias eruditiunculas probare contendit, vt ſi non ratione Magiſtratus, ſaltem ratione dignitatis, & amplitudinis Vrbis ſuæ Epiſcopus Alexandrinus ſecundum inter Epiſcopos locum ſortitus videri poſſit; hanc enim præ cęteris rationem Diatribę 2. cap. 1. lectori commendat. Cęterùm id ſi concedamus, Suburbicario viciſſim concedendum erit, falſam eſſe ſententiam ſuam de conſtitutione Politię ſacrę ad formam Politię temporalis, peribitque ei omnis diſſertationum ſuarum fundus, & fundamentum. Et nihil tamen firmior erit poſterior hęc coniectura priori, nam ſi Vrbium dignitatem, & Maieſtatem ſpectaſſent Patres in conſtitutione ſacrę politię, vt alia taceam, primum poſt Romanum locum non Alexandrino Epiſcopo, ſed Carthaginenſi dediſſent, aut ſaltem aliquem inter Patriarchas: Tritum eſt enim Auſonianum illud:

Conſtantinopoli aſſurgit Carthago priori,
Non toto ceſſura gradu, quia tertia dici
Faſtidit, non auſa locum ſperare ſecundum.

Et:

Accuſat Carthago Deos iam plena pudoris,
Nunc quoque ſi cedat, Romam vix paſſa priorem.

Nihilominùs certum eſt, quòd inter Patriarchas non tantùm non obtinuit, ſed ne ſperauit quidem vnquam locum vllum Epiſcopus Carthaginenſis. Sed redeamus ad diuiſionem Conſtantinianam, in qua licèt pugnantia dicat, conſtanter tamen perſiſtit. Pręfectus Pretorio Galliarum in ſua diſpoſitione habebat tres Diœceſes, & in eis ſeptem Prouincias Hiſpanię, ſeptemdecim Galliarum, Britanniarum quinque. Ecquiſnam Galliarum Epiſcopus omnium harum Prouinciarum Eccleſias vnquam moderatus eſt? Epiſcopum Mediolanenſem, cuius ſedes erat etiam ſedes Pręfecti Pretorij Italię, quis vnquam prępoſuit Rauennati, Aquileienſi, & Italię vniuerſę, quam omnem eius Pręfectus Pretorio adminiſtrabat? Illud etiam incommodum ſequitur hanc ſententiam, quòd Pręfecti Pretorio, & Pręfecti Vrbi erant indiſcretę penitùs dignitatis, vt loquitur Imp. l. 1. de Pręfect. Pręt. C. Theodoſ. ordine tamen, dum magiſtratum gerebant PV. cedebat Pręfecto Pretorio. Quare in Notitia Imperij Orientalis primus locus tribuitur Pręfecto Pretorio Orientis, ſecundus Pręfectus Pretorij Illyrici, tertius Pręfectus Vrbis Conſtantinopolis. In Occidentali primus Præfectus Pretorij Italię, ſecundus PP. Galliarum, tertius Pręfectus Vrbi Romę. Et in Concilio Chalcedonenſi quoties memorantur Pręfectus Pretorio, & Pręfectus Vrbi, qui diuerſis illius Concilij actionibus interfuerunt, ſemper Palladius Pręfectus Pretorio pręponitur Tatiano Pręfecto Vrbi Conſtantinopolis, Metropolim PP. Italię Anonymus facit Mediolanum; Metropolim Illyrici fuiſſe Theſſalonicam, infrà demonſtrabo. Cum ergo ex ſententia Anonymi eadem proportio eſſe deberet inter Epiſcopos, quę erat inter Magiſtratus ciuiles, Epiſcopus Romanus, & honore, & loco, & dignitate fuiſſet par Mediolanenſi, & Theſſalonicenſi ordine verò inferior vtroque. Fatetur tamen Anonymus, primas honoris, & dignitatis inter omnes Epiſcopos ſemper habuiſſe Romanum. Quo obſequio, qua reuerentia Mediolanenſes Romanum proſequerentur, grauiſſima teſtimonia ſunt, quæ ſuprà retulimus ex Ambroſio: Theſſalonicenſes ſummi ſemper honoris loco duxiſſe tenere vices Apoſtolicæ ſedis in ipſiſmet Prouincijs Præfecturæ Illyricianę, audi Leonem Magnum, qui epiſt. 84. ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicæ ſcribit: [Quoniam ſicut præceſſores mei præceſſoribus tuis, ita etiam ego dilectionis tuæ priorum ſequutus exemplum vices mei moderaminis delegaui, vt curam, quam vniuerſis Eccleſijs principaliter ex diuina inſtitutione debemus, imitator noſtræ manſuetudinis effectus adiuuares, & longinquis ab Apoſtolica ſede Prouincijs præſentiam quodammodo noſtrę viſitationis impenderes, quia de continenti, opportunoque proſpectu promptum tibi eſſet agnoſcere, quid in quibuſque rebus, vel tuo ſtudio componeres, vel noſtro iudicio reſeruares.] Agebatur tunc cauſa Metropolitani Epirotarum, qui grauatus à Theſſalonicenſe ad Leonem confugerat. Epyrum verò in Illyrici Præfectura fuiſſe, non eſt qui dubitet.

De Præfecto Vrbi dicendum aliquid eſt, quem Suburbicarius typum eſſe vult Romani Patriarchæ. Italia omnis cùm adiacentibus inſulis in ſeptemdecim Prouincias diuiſa fuit, quas referam poſt: Romana Vrbs in extremo Thuſciæ conſtituta Campaniam, & Valeriam terminabat. Paulus Diacon. de geſt. Longob. lib. 2. [Septima quoque Prouincia Campania ab Vrbe Roma vſque ad Siler Lucaniæ fluuium producitur, in qua opulentiſſimæ Vrbes, Capua, Neapolis, & Salernus conſtitutæ ſunt. Et poſt: Porrò tertiadecima Prouincia Valeria, cui eſt Nurſia annexa, inter Vmbriam, & Campaniam, Picenumque conſiſtit, quæ ab Oriente Samnitum Regionem attingit. Huius pars occidua, quæ ab Vrbe Roma initium capit, olim ab Etruſcorum populo Etruria dicta eſt. Hæc habet Vr-

bea

Digitized by Google

bes Tiburim, Carſeolis, Reate, Furcone, & Amiternum, regionemque Matſorum, & eorum lacum, qui Fucinus appellatur.] Vnaquæque prouincia ſuum peculiarem Magiſtratum habebat, à quo adminiſtrabatur cum titulo, aut Couſularis, aut Præſidis, ant Cortectoris. Ex his Thuſcia, & Campania Conſulares, Valeria Præſidem habuit, Omnes prouinciarum Magiſtratus non Præfecto Vrbi, ſed Præfecto Prætorio Italiæ ſubditi erant, & vni ex duobus eius Vicatijs, Vrbis ſcilicet, & Italiæ; qui tamen finitimas Vrbi Prouincias adminiſtrabant, Vicario Vrbis Romæ. Hęc notitiæ, omniumque ſcriptorum conſenſu recepta probare putidum eſſet. Etſi verò neque Prouincias regere, neque Præſidibus earum imperare quidpiam poterat Præfectus Vrbi, quod aut ad bellum, ant ad publieam adminiſtrationem pertineret: (ſiquidem ſola quędam officia Vrbana habebat in diſpoſitione ſua) appellationes tamen omnes intra centeſimum ab Vrbe lapidem à Præſidibus Prouinciatum ad ipſum deferebantur, non ad Vicarios Vrbis, aut ad Præfectum Pretorio. Idque bene probat Suburbicarius.

Qui ergo vult, Patriarchatum Romanum formatum eſſe ad typum Vrbanæ Præfecturæ, is oſtendat, oportet, omnes Epiſcopos, qui vndique Romam circumſtant, habuiſſe ſuos Metropolitanos, à quibus ordinarentur, & regerentur Campani, Tuſci, Valeriani, Picenres, & ſi qui alij ſunt in finitimis Vrbi prouincijs, eoſque nulla in re (appellatione excepta) ſubiectos fuiſſe Epiſcopo Romano. Ad hæc in Vrbe Roma alium quemdam Epiſcopum reperiat neceſſe eſt, qui omnibus his Metropolitanis, cum imperio præſit, eoſque, & eorum prouincias, excluſo Papa, altioti quodam iure regat, & moderetur. Quis verò adeo aut iuſanus ſit, aut infenſus Pontifici, vt tales Chimæras, vel ex ore, vel ex calamo ſinat excidere ſibi? Ergo politiam Eccleſiæ iuxta politiam Imperij conſtitutam fuiſſe, falliſſimum eſt: Imò, neque iuxta Ciuiles Imperij Conſtantiniani formas mutandam, & alterandam eſſe antiquam formam Reipublicæ ſacræ ſatis apertè decretum illo ipſo ſexto Canone, quem tractamus. Cum enim ſtatim abſoluto Concilio Nicæno decreuiſſet Conſtantinus mutare totam Romanæ Reipublicę formam, & ſubijcere Ægyptum Metropoli Orieutis, ſuſque deque vertere veterem illam Imperij politiam, multa dubia emergebant. Primùm dubitari poterat, an Ægypti Patriarcha cum ſua Diœceſi in Antiocheni ditionem ceſſurus eſſet: Deindè an ad quaſcunque Vrbes ſuam iutiſdictionem extenderent Præfecti Prætorio, ad eaſdem ſuam protenderent etiam Metropolitani Præfecturarum; Et poſtremò quem locum habere deberet Epiſcopus Nouę Romæ, Quare omnibus his controuerſijs fortè occurrere volens Concilium, decreuit, Antiquas conſuetudines retinendas eſſe in Ægypto, vt Alexandrinus omnium habeat poteſtatem. Similiter & Eccleſiæ Antiochenæ, & omnibus alijs Eccleſiis priuilegia ſua eſſe ſeruanda. Atque hunc in modum recepta, confirmataque veteri Eccleſiæ Conſtitutione, præcluſa eſt à Concilio via innouandi quicquam in politia ſacra ob eam, quæ fieri cœperat, nouam Reipublicæ Romanæ conſtitutionem. Quare dum Epiſcopus Conſtantinopolis, ex Canſtantiniana diuiſione primatum quęreret ſibi, ſubiectiſque ſibi alijs Patriarchis ad Maieſtatem Romanam aſpiraret, ad reprimendum ſęcularem hunc typhum, rectè à Legatis obiectus ei eſt Canon iſte, ex quo Heracleenſem tanquam Metropolitanum agnoſcere debuiſſet. Igitur tantum abeſt, quòd Politia Eccleſiæ ad Conſtantinianam Imperij conſtiturionem formata ſit, vt potiùs tunc maximè ab eo ordine cauendum ſibi Eccleſia ipſa decreuerit. Quare non niſi poſt 60. annos à Concilio Nicæno (ſi Canon Conſtantinopolitanus verus eſt) Epiſcopi Conſtantinopolis prętextu Imperii, & ſuæ Nouæ Romæ auſi ſunt erigere ceruices, idque necubi fieret, ante Concilium Chalcedonenſe Innocentius, in Concilio Chalcedonenſi Leo, poſt Concilium Chalcedonenſe Gelaſius, & alii Summi Pontifices cauerunt, Nicænorum Patrum regulas religiosè ſequuti. Plura, quæ huc attinent, dicemus infrà capite 5. quo de ſpeciali Diœceſi Papæ cum Suburbicario congreſſuri ſumus.

CAPVT IV.

Diluuntur obiectiones Suburbicarij.

SVburbicarius in ea ſententia, vt dixi, pertinax eſt, quòd Eccleſiaſtica Politia quò ad dignitatem, gradus, & Diœceſes Epiſcoporum, ita pendeat à dignitate, gradu, & adminiſtratione Magiſtratuum Ciuilium, vt non tantùm ab initio iuxta eam conſtituta ſit, ſed illam quoque tanquam vmbra corpus conſequatur. [Proinde, inquit, olim etiam prout noua aliqua dignitate prouincię, & ciuitates afferebantur, ita etiam Epiſcoporum earum prouinciarum, vel ciuitatum actoritas pariter augebatur, ſic, vt ciuiles prouinciarum typos eccleſiaſticæ formæ ſequerentur, priorumque i *ton Thronon Archieratici taxis*. Sedium eccleſiaſticus ordo condeciderer,] vt Anna Alexiados 1. ſcribit. Quod decimo ſeptimo Chalcedonenſis Concilii Canone firmatum verbis diſertiſſimis: [Si qua verò ciuitas poteſtate Imperiali innouata eſt, vel deinceps innouata fuerir, ciuiles, & publicas formas eccleſiaſticarum quoque Parochiarum ordo conſequatur.] Vbi Parochiæ nomen pro Epiſcopi territorio. Hæc Suburbicarius, qui vno iſto teſtimonio euerſum arbitratus Pontificatum Romanum, hunc Canonem in præfatione, hunc in libello, hunc vbique iuueniliter iactitat, quare me etiam in eius explicatione paulò prolixiorem eſſe compellit. Dico igitur, ſenſum, quem huic Canoni affingit, non tantùm alienum eſſe à mente Concilij, ſed etiam decretis eius adeò contrarium, vt illi adſcribi non poſſit ſine grauiſſima iniuria illorum Patrum, idque demonſtro ex ipſis actis Concilij.

Actione quinta, (quæ in Græcis Codicibus habetur, ſed deſideratur in Latinis) inter Euſtachium Berythi, & Photium Tyri Epiſcopos diſceptatum eſt de iure Metropoleos Prouinciæ primæ Phœniciæ, cuius cauſæ ſtatus hic erat. Secundùm diuiſionem Eccle-

Digitized by Google

cleſiaſticæ Politiæ ab initio per Canones factam Tyrus erat Metropolis prouinciæ primæ Phœniciæ. Hanc prouinciam Theodoſius iunior Imperator pragmatica ſanctione in duas diuiſit, ademptiſque Tyro ſex ciuitatibus, Berythum earum Metropolim inſtituit. Euſtathius Epiſcopus Berythi contendebat, quòd Eccleſiaſtica Politia publicam ſequeretur, proindè eſſe Epiſcopum Berythi Metropolitanum in eccleſiaſticis omnium earum ciuitatum, quarum eſſet Berythus Metropolis in ciuilibus. Obſiſtebat Photius, negans formas Eccleſiaſticas publicos, & ciuiles typos ſequi debere, & in rebus Eccleſiaſticis pragmaticas Imperatorum ſanctiones locum habere, aſſerebatque à ſolis Eccleſiæ Canonibus Epiſcoporum, Eccleſiarumque ordinem, & iura pendere. Res ad Concilium Conſtatinopolitanum, cui Anatolius præſidebat, delata eſt. Bonus vir Anatolius, qui videbat, ſi Eccleſiæ Politia publicam ſequeretur, Roma Conſtantinopolim Pontificatum facilè trahi poſſe, cauſam ſuam agens, ius Metropoleos adiudicauit Euſtathio, & excommunicato Photio, non eum priùs abſolui permiſit, quàm Concilij ſui decreto ſubſcripſiſſet. Patribus Chalcedone conuocatis, actione quinta Photius Concilium rogat, vt cauſam ſuam de integro cognoſcat. Euſtathius reſpondere iuſſus, percunctatur Patres, num ſecundùm Canones, an ſecundùm leges Imperatoris cauſa dirimenda eſſet, ſperans iudices, qui aderant nomine Imperatoris, propitios ſibi, occaſione obiecta proferendi Imperij, ius in Eccleſiaſticum ordinem: ſed deceptus eſt; iudices enim dixere: [Sacratiſſimo Domino Orbis placuit, non iuxta ſacras Imperatoris literas, aut pragmaticos typos res Sanctiſs. Epiſcoporum procedere, ſed ſecundùm Canones à Sanctis Patribus datos.] Magiſtratu ſententiam Concilij mox rogante, [Sancta Synodus dixit, contrà Canones nihil pragmaticum valebit, regulæ Patrum teneans. Iterumque ſciſcitante, an liceat ex ſacris pragmaticis alienæ Eccleſiæ iura ab alijs Epiſcopis auerti, Sancta Synodus dixit, non licet hoc, eſt præter regulas.] Multaque à Patribus grauiter dicta ſunt in cauſam Euſtatij, accuſataque ſcandali, ſeditionis, & iniuriæ in Canones, tandemque iudices ita interloquuti ſunt: [Iuxta regulas 318. Patrum, & iuxta ſententiam totius Sanctę Synodi Photius Reuerendiſſimus Epiſcopus totius Tyriorum metropolis omnem poteſtatem ordinandi in vniuerſis ciuitatibus primæ Phęniciæ prouinciæ habebit. Euſtathius verò Reuerendiſſimus Epiſcopus à ſacro pragmatico typo nihil amplius ſibi vindicet, quàm reliqui Epiſcopi eiuſdem prouinciæ,] & approbatio Patrum ſequuta eſt. Per ſimiles pragmaticas in alijs quoque prouincijs antiquus Eccleſiæ ordo conturbatus erat, quare veteri Patres, ne talibus controuerſijs dirimendis nimium diſtinerentur ſuggerente Cecropio Epiſcopo Sebaſtopolis conſenſerunt, vt idipſum in omnibus alijs prouincijs locum haberet, conclamaruntque, [Vniuerſa pragmatica ceſſabunt, Canones teneant, & hoc à nobis fiat. Et Iudices dixerunt: Ex ſententia totius Sanctæ Synodi, In alijs quoque omnibus prouincijs teneant.] Atque ita vniuerſim decretum à Concilio, ne ad mutationem poteſtatis ciuilis mutaretur etiam poteſtas, Diœceſis, & Iuriſdictio Epiſcopalis. Quare in particula iſta Canonis noni, contrarium ſtatui nequit, niſi quis dicat, Patres illos Andabatarum inſtar ſecum ipſis pugnaſſe, & quaſi nullis conſcientiæ ſtimulis tangerentur, lege lata, illud ipſum iuſſiſſe, quod pridie eo ipſo in loco decreto vniuerſali prohibuerant, non ſine nota iniuriæ in Canones, ſeditionis, ſcandali, & impietatis. Adde quòd Legati Papę actione in vulgatis 16. legerunt Commonitorium Leonis, & ex eo hæc verba: [Sanctorum Canonum conſtitutionem prolatam (erat hęc ſextus Canon Nicænus, qui in vniuerſa Eccleſiæ Politia ſeruare iubet antiquas conſuetudines, & omnibus Eccleſijs vetera priuilegia) nulla patiamini temeritate violari, ſeruantes omnimodis perſonæ noſtræ in vobis, quos vice noſtra tranſmiſimus, dignitatem. At ſi qui fortè ciuitatum ſuarum ſplendore confiſi, aliquid ſibi tentauerint vſurpare, hoc qua dignum eſt, conſtantia retundatis.] Obſtiterunt ideò conſtantiſſimè decreto de primatu ſedis Conſtantinopolitanę contrà Anatolium, qui ſplendore ſuæ ciuitatis confiſus ad Patriarchatum Eccleſiaſticum aſpirabat, aſſerens dignitatem, & poteſtatem Eccleſiaſticam, dignitatem, & poteſtatem publicam ſequi debere. An autem ſimile vero eſt, Legatos ore clauſo permiſiſſe, legem vniuerſalem ſanciri contrà Canonem, & contrà Commonitorium, qui tamen pro Canone, & pro Commonitorio adeò ſtrenuè certarunt? Si Canone nono, id à Concilio decretum fuiſſet, iam Canone 28. Legatos irriſiſſet Anatolius, quòd primatui Romæ Nouæ obniterentur, quem eidem paulò ante lege vniuerſali decreuiſſent. Cum ergo neque huic canoni reclamarint Legati, neque hunc canonem obiecerit Anatolius, quid aliud reſtat, niſi vt de eius intelligentia nihil tale illucuſque Concilio in mentem venerit? Neque dicas, Legatos non reclamaſſe, quòd hic canon ſimul cum 28. ab Anatolianis ſtatutus fuiſſet illis abſentibus, repugnat enim hoc actis Concilij, ex quibus conſtat, tunc ſolum 28. conſtitutum. Etſi ita hunc cum hoc ſenſu ſicut 28. Anatoliani in Canones retuliſſent, poſtridie æquè in hunc, atque in 28. inſurrexiſſent Legati: Imò vehementius in hunc, quàm in illum, quod non tantùm derogaret Canoni Nicæno, ſicut 28. ſed quaſi contraria lex illum omninò tolleret, & abrogaret, commonitoriumque Papæ vſquequaque diſſolueret. Cum ergo Concilium in Canone nono ad Anonymi ſenſum intendere non potuerit, videamus, an verba Canonis admittant alium ſenſum veriorem.

Ad dirimendas Epiſcoporum contentiones de Parochiis ruralibus, & ſuburbanis Canon iſte dirigitur, de quibus tria decernuntur. Primum, Epiſcopos, qui ſunt in poſſeſſione Parochiatum per 30. annos, eas habere inconcuſſas. Secundum, ſi intra 30. annos poſſeſſionis controuerſia oriatur, litem intentandam eſſe ante Synodum prouincialem. Tertium, ſi quis de hiſce parochijs litem habeat, non cum alio Epiſcopo, ſed cum Metropolitano, is non ſubeat iudicium Concilij

cilij prouincialis, (quòd in eo Metropolitanus primas teneat,) ſed vel Primatis Diœceſeos (qui præerat Metropolitanis, ſuberat Patriarchis) vel Archiepiſcopi Couſtatinopolitani. Supererat quarta difficultas de ciuitatibus deſtructis, quas reſtaurauerant, vel reſtauraturi erant Imperatores, cum enim earum parœtiæ tranſijſſent iam ad iura proximorum Epiſcoporum poſſeſſæ fortaſſis, vel vltra 30. annos, dubium erat, an hæ etiam hac lege tenerentur. Reſpondet Canon, illas hac lege tricennali non teneri. Sed vbi reſtitutæ fuerint eis ciuiles, & publicæ formæ, etiam parętias Eccleſiaſticas ſequi debere. Habes ſententiam Canonis, & germanã ni fallor, hãc confer cũ verbis eius, quę ſubijcio: [Singularum Eccleſiarum ruſticas parochias firmas, & incoucuſſas mauere illis Epiſcopis, qui illas retinere noſcuntur, & maximè ſi per tricennium eas abſqne vi obtinentes ſub diſpenſatione rexerunt. Quòd ſi intra tricennium facta eſt de his, vel fiat altercatio, licere eis, qui ſe læſos aſſetunt, apud ſauctam Synodum prouinciæ de his mouere certamen. Quòd ſi quiſquam à Metropolirano læditur, apud primatem Diœceſeos, aut apud ſanctam Conſtantinopolitanam Sedem iudicetur, ſicut dictum eſt. Si quæ verò Ciuiras poteſtate Imperiali innouara eſt, aut in poſtetum renouabitur, ciuiles, & publicas diſpoſitiones Eccleſiaſticarum quoque parochiarum ordo ſubſequatur.] Quare ex hoc Canone hoc vnum rectè colligi poteſt, quòd poſtquam Ciuitatibus reſtauratis reſtituti ſunt à principibus magiſtratus ciuiles, reſtituendæ ſuut etiam earum Epiſcopis parochiæ rurales, & ſuburbanæ. Hoc autem lougè aliud eſt, quàm quod ſuburbicarius arbitratur.

Immò, vt intelligas, quanta conſenſione conſpirarent Imperium, & Eccleſia ad reprobandam doctrinam, qnam obtrudit, & ad executionem decreti quinctæ actionis Ætio, & ſtudio Coſs. hoc eſt tribus annis poſt abſolutum Concilium Chalcedonenſe, Martianus Imperator legem promulgauit, in qua inter cœtera inquit [Omnes ſanè pragmaticas ſanctiones, quæ contra Canones Eccleſiaſticos interuentu gratiæ, vel ambitionis elicitę ſunt, ſuo robore, & firmitate carere præcipimus.] Sequitur ſuburbicarius.

Iuſignis eam in rem non priuati alicuius hominis, paucorumuè auctoritas, verùm Oecumenici Concilij quarti, Chalcedonenſis videlicet, quod celebratum anno Domini 451. Can. 28. quo vnica hæc, & originalis prærogatiuæ Epiſcopi Romani cauſa aſſignatur, quòd vrbs, cui præeſſet, Regina foret. Verba eius ſuut: [Etenim ſedi ſenioris Romæ, quòd vrbs illa imperaret, Patres vtique prærogatiuam dederunt, & eadem conſideratione moti CL. Deo amantiſſimi Epiſcopi æquam prærogatiuam tribuerunt ſanctiſſimæ Sedi Nouæ Romæ rectè iudicantes vrbem, quæ & imperio, & Senatu honorata eſſet, & æqualibus priuilegijs cum ſeniore Roma regię frueretur, etiam in Eccleſiaſticis rebus non ſecùs, ac illam extolli, & magni fieri oportere.]

Reſpondeo. Quando Canon iſte decretus eſt, aberant Legati pontificij, ſine quibus Cõcilium illegitimum cenſetur, vt in ſequenti periodo demonſtrabo. Aberant Ægyptij, carebantque Patriarcha, cuius iuribus eo Canone derogatum eſt. Aut aberat, aut diſſenſit maior Epiſcoporum pars. Cum enim conſtaret Concilium ex Patribus ſexcentis triginta, non ſubſcripſerunt, niſi 188. præſentes, & computatis abſentibus, pro quibus Metropolitani ſubſcripſerunt, 208. Diſceſſerant cum Legatis, cum Iudicibus, & Epiſcopis Beronicianns Secretarius Concilij, & Conſtantinus eius coadiutor. Liber actorum Coucilij aſportatus fuerat, quare vbi poſtridie Anatoliani legere iuſſi ſunt, quæ pridiè, abſentibus Legatis, & Iudicibus geſta erant. [Oblata ſcheda ab Ætio Archidiacono Conſtantinopolitano, Beronicianus vir deuotus Secretarius Diuini Conſiſtorij legit; Definitioues &c.] Et hunc, qui abſentibus Legatis, & maiori Epiſcoporum parte, inauditis eis, quorum intererat, decretus eſt, non in actis Concilij, ſed (dictu indignæ res) quadam in ſcheda notarus, non à Secretario, aut à Coadiutore Concilij; ſed à potiſſimo miniſterio partium Anatolij, hunc, inquam, tu appellabis Canonem Concilij? decretum Patrum ſexcentorum triginta? regulam Synodi quartæ generalis? Tantum id abeſt à vero, vt potius quando ad plenarium Concilium poſtridiè delarus eſt, his auditis, quæ modò ſuburbicarius obiectauit, ea omnia reſecauerint Patres, reieccerintque, vt iam oſtendo. Canonis verba ſunt hæc:

[Definitiones ſanctorum Patrum vbique ſequenres, & regulam, & quæ nunc relecta ſunt CL. Deo amantiſſimorum Epiſcoporum, qui congregati ſunt piæ memoriæ Imperatore Theodoſio in Regia Ciuitate Conſtantinopoli Noua Roma, cognoſcentes, & nos eadem definiuimus de priuilegijs eiuſdem ſanctiſſimæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ nouæ Romæ. Etenim ſedi ſenioris Romæ propter Imperium Ciuitatis illius Patres conſeqnenter priuilegia reddiderunt, & eadem intentione permoti CL. Deo amantiſſimi Epiſcopi æqua ſanctiſſimæ Sedi nouæ Romæ priuilegia tribuere, rationabiliter iudicantes Imperio, & Senatu Vrbem ornatam æquis ſenioris Romæ priuilegijs frui, & in Eccleſiaſticis ſicut illam maieſtatem habere negotijs, & ſecundam poſt illam exiſtere. Et vt his, qui de Ponto ſunt, & de Aſia, & Thracia Diœceſibus Metropolitanos ſolos, rurſùs autem, & qui ſunt inter barbaros Epiſcopos præſatarum Diœceſum ordinare &c.] quæ ſequuntur de forma, & modo ordinandi illos Epiſcopos.

Hunc canonem duplici titulo accuſarunt Legati, & quòd dolo malo extortus eſſet ab Anatolio, & quòd eſſet contra regulas Eccleſiaſticas, petieruntque, vt legeretur, & annullaretur; Lectus eſt, & ab vtraque parte multa pro, & contra illum dicta ſunt, productuſque hinc indè ſextus Canon Nicœnus, ac denique [glorioſiſſimi Iudices dixerunt. Ex his, quæ geſta ſunt, vel ab vno qnoque depoſita, perpendimus, omnem quidem primatum, & honorem præcipuum ſecundum Canones antiquæ Romæ ſanctiſſimo Archiepiſcopo conſeruari oportere, ſanctiſſimum autem Archiepiſcopum Regiæ Conſtantinopolis nouæ Romæ ciſdem primatibus bonoris, & ipſum dignum eſſe, & poteſtatem habere ordinandi Metropolitas in Aſiana, & Thracica,

Digitized by Google

ciea, & Pontica Diœceſibus ſecundùm hunc modum &c.] Quo modo explicato ſubijciunt. [Quæ antem videntur, ſanctum, & vniuerſale Concilium edicat. Reuerendiſſimi Epiſcopi dixerunt: Hæc iuſta ſententia, hæc omnes dicimus, hæc omnibus placent.] At quamuis hæc priuilegia longè minora, & mitigatiora eſſent prioribus, vteumque alijs placerent; non placuere legatis, quibus præceperat pontifex, ne contra Canones Nicœnos quicquam innouari paterentur. Quare poſtquam reuocationem fruſtra poſtularunt, contradictione ſua actis inſerta, contienerunt, cauſam ad pontificem delaturi. Habes itaque Canonem, habes iudicium Concilij de Canone, ex quo intelligis, quàm turpiter ſuburbicarius mentitus ſit, qui cap.4. diſſerit, 2. aſſerit, Canonem Nicęuum, quem produxerunt legati, à toto Concilio de falſo conuictum eſſe, cum tamen contra eum nihil penitùs à Patribus dictum videas. Immò iuxta eum concludunt omnem primatum, & honorem præcipuum ſeruari oportere Epiſcopo Romano, quod vnum in eo Canone diſplicet ſuburbicario. Expendamus nunc, an Canon de priuilegijs Conſtantinopolitanis à Concilio ita approbatus ſit, vt ſine mendacio verba Concilij nuncupari poſſint, quæ ex eo ſuburbicarius ſupra obiecit nobis.

Canon dicebat, Patres dediſſe priuilegia Romanæ Sedi propter Imperium Ciuitatis illius, Concilium pro hac hæreſi ne verbum quidem, Canon dicebat quòd Concilium Conſtantinopolitanum primum conceſſerat eadem priuilegia ſedi Conſtantinopolitanæ, eò quod vrbs illa ornata eſſet Imperio, & Senatu. De hoc mendacio Concilium nihil omninò. Canon dicebat: Patres Conſtantinopolitanos ſedi ſuæ tribniſſe non tantùm priuilegia Romanis æqualia, ſed etiam in negorijs Eccleſiaſticis maieſtatem parem. Id tanquam meram falſitatem Patres Chalcedonenſes prætereunt. Et Conſtantinopolitanę ſedi tantùm decernunt (ſicut etiam in Conſtantinopolitano primo decretum arbitrabantur) eumdem primatum honoris cum Romano, & ordinationem Metropolitanorum trium Dięceſeon, Aſię, Ponti, & Thraciæ, prætereaque ordinationem Epiſcoporum barbarorum, qui erant in eiſdem Diœceſibus.

. Primatus autem honoris non dicit iuriſdictionem, & auctoritatem; Sed meram, & nudam præcedentiam. Talis fuit, ſi non vſque ad quinctam Synodum, ſaltem vſque ad hnc Concilium primatus Epiſcopi Hieroſolymitani ex 7. Conone Nicœno, ſaluo iure Cœſareenſis, cui ſuberat quamuis ei præſideret in Concilijs. Talis honor in hoc Concilio act. 6. inter Epiſcopos Bithyniæ decretus eſt Epiſcopo Chalcedonenſi, & act. 13. Epiſcopo Nicœno. Atque hinc natus 12. Can. Chalcedonenſis, in quo ita ſancitur [Quęcunque Ciuitates iam literis Imperialibus Metropolitani nominis honore ſubnixæ ſunt, honore tantummodo perfruantur, & qui Eccleſiam eius gubernat Epiſcopus, ſaluis ſcilicet veræ Metropolis priuilegijs ſuis.] Quare Patres poſtulantes à Leone confirmationem huius decreti, præter ordinationem trium illarum Diœceſeon, hoc vnum dicunt. [Confirmanimusautem, & centum quinquaginta SS. Patrum, qui Conſtantinopoli congregati ſunt regulam ſub piæ memoriæ maiore Theodoſio, quæ præcepit poſt veſtram ſanctiſſimam, & Apoſtolicam Sedem honorem habere Conſtantinopolitanam, quæ ſecunda eſt ordinata.] Neque Græci veteres ex hoc decreto aliud collegerunt, quàm nudam præcedētiam, & de iuriſdictione omninò muti. Euagrius: [Ad extremum decretum fuit, vt Epiſcopalis Sedes Conſtantinopolis proximum locum poſt Romanam obtineret.] Nicephorus. [Poſtremò omninm Synodus Conſtantinopolitano throno ius illud tribuit, & confirmauit, vt alterum ſtatim à Romana Sede locum, & ordinem obtineret] locum, & ordinem, inquiunt, non paria priuilegia, poteſtatem parem, maieſtatem æquam, vt Canon ſubreptus habebat. Falsò igitur, & nefariè tribuitur Concilio Chalcedonenſi Canon, qui à Concilio formatus non eſt, ſed ne à tertia quidem Concilij parte ſubreptus, à Concilio plenario correctus primùm, & à pontifice poſt omninò reiectus eſt. Cui non tantùm erroris pœnitens, manus denique dedit Anatolius, ſed etiam Martianus ipſe, [miris laudibus Leonem proſecutus, quòd Canonum regulas violati nulla fuerit ratione perpeſſus,] Non erant neſcij Patres Chalcedonenſes (maior ſaltem, & melior eorum pars) quod Anatoliani dixerant, Epiſcopum Romanum prærogatiuas ſuas habuiſſe à Patribus propter imperium vrbis, id non tantùm in hiſtoria falſum, ſed etiam in fide hæreticum eſſe. Certum eſt enim quòd B. Petrus primus Epiſcopus Romę eas non accepit à Patribus, ſed à Chriſto, non poſtquam Romam venit, ſed diù, multùmque antequam Romam cogitaret. Quare ſi catholicè loquendum eſt, non Roma Petro, ſed Romæ Petrus pontificatum dedit, dum ſuſcepit Epiſcopatum eius, & quam ſolus à Chriſto acceperat, hanc in ea Cathedram collocauit. Tantumque abeſt, quòd Romanus Pontifex ideò ſit caput Eccleſię, quia Roma caput, & vertex Imperij, vt potius è contra, Roma ideò mundi totius caput cenſeatur, quia habet Epiſcapum Petri ſucceſſorem, cui totum Orbem Chriſtus ipſe ſubiecit. [Iſti ſunt, inquit Sanctus Leo, qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens ſancta, populus electus, Ciuitas ſacerdotalis, & regia per ſacram B. Petri Sedem caput Orbis effecta latius pręſideres religione diuina, quàm dominatione terrena.] Et hoc ſibi Proſper voluit, dum dixit:

Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris
Facta caput mundo quidquid non poſſidet armis
Religione tenet.

Obijcit tertiò ſuburbicarius ſolemnem illam controuerſiam de Cappadocię diuiſione inter Baſilium Cęſareę, & Antimum Tianorum Epiſcopos, de qua Gregorius Nazianzenus in Epitaph. Baſilij magni, in qua ſuperiorem euaſiſſe Anthimum, res & experientia teſtantur [qui, vt Nazianzenus loquitur, vnà cum publicis, ſeu ciuilibus, & Eccleſiaſtica quoque diuidi oportere, pretendebat.] Nos verò, vt factum Anthimi non negamus, ita

ita mera vi, & aperta tyrannide contra ius, & fas ſuperiorem euaſiſſe, reſpondemus. Neque iuris Baſilij teſtes, & Iudices habemus Patres Chalcedonenſes tantùm, & principem Marcianum,qui vniuerſim improbarunt tales diuiſiones, qualem Anthimus prętendebat, tanquam contrarias regulis Patrum, & ſeditioſas, ſed Nazianzenum ipſum eodem in loco, qui inquit: [Baſilius contra veteri conſuetudine nitebatur, atque huic diuiſioni, quę olim à Patribus facta fuiſſet, inhęrebat, & optimo quidem iure.]Iniuria ergo ſuperior fuit Anthimus, quando optimo iure nitebatur Baſilius.

Obijcit 4. ſuburbicarius ex teſtimonio Iuſtiniani nouellam 11. quam elegantem appellat. [Quod cùm Illyrici faſtigium Sirmij (vbi ſedes Pręfect. Prętor. fuerat) tam in ciuilibus, quàm in Epiſcopalibus cauſis aliquando fuiſſet, poſtea translata ſede Pręfect. Pręt. Theſſalonicam ipſam pręfecturam ſacerdotalis quoque honor ſecutus fuerit, & Theſſalonicenſis Epiſcopus non ſua auctoritate, ſed ſub vmbra pręfecturę aliquam prerogatiuam meruerit.]

Reſp. quod Iuſtinianus ea nouella aſſerat, poſt euerſum Sirmium per Attilam Regem Hunnorum translatam fuiſſe cum Præfectura Illyrici prærogatiuam Epiſcopi Sirmienſis Sirmio Theſſalonicam, verum eſt. At an verè aſſerat, quòd ante Attilana tempora Sirmium eſſet faſtigium Illyrici, vtroque iure, vehementer dubito, grauiſſimis enim antiquitatis monumentis teſtatum habemus, etiam ante tempora Attilæ Theſſalonicam fuiſſe metropolim Illyrici tam in Ciuilibus, quàm in Eccleſiaſticis. Et quidem quò ad Eccleſiaſtica, tempore Concilij Nicæni Theſſalonicam fuiſſe metropolim Illyrici, teſtatur Gelaſius Ciziceuus lib. 2. eiuſdem Concilij. Referens enim nomina Epiſcoporum, qui eidem Concilio interfuerunt. [Alexander, inquit, Theſſalonicæ, cum ijs, qui ei annumerantur, Eccleſijs per Macedoniam primam, & ſecundam cum tota Græcia, & per totam Europam, Scythiam vtramque, omnibus Eccleſijs per Illyricum,Theſſaliam, & Achaiam.] Hunc Epiſcoporum cętum ducebat tunc Epiſcopus Theſſalonicæ, proindè omnes Illyricos. Quare in Concilio Sardicenſi poſt Nicænum paulò celebratum Canone 16.] Ætius Epiſcopus dixit: Non ignoratis, cuiuſmodi, & quanta ſit Theſſalonicenſium Metropolis, ſæpè igitur ad eam ex alijs prouincijs presbyteri, & Diaconi accedunt, & breuis temporis, mora non contenti permanent, & omne tempus illic agentes tranſigunt, vel vix tandem poſt multum tempus in ſuas Eccleſias reuerti coguntur:] Erat igitur Theſſalonica magna Metropolis, neque vnius prouinciæ tantùm, ſed multarum proindè vertex, & faſtigium Diœceſeos. Idipſum colligas ex ſancti Leonis epiſt. 84. ad Anaſtaſium eiuſdem Vrbis Epiſcopum, in qua diſertis verbis affirmat; Epiſcopum Theſſalonicæ præſidere permultis Epiſcopis, & Metropolitanis ex antiqua conſuetudine, & conceſſione Apoſtolicæ ſedis, & inter cæteros Epyrotis, cuius Metropolitani cauſa eam epiſtolam ſcribit. At Nicolaus I. epiſt. 2. ad Michaelem rem extra omnem controuerſiam ponit. [Oportet,inquit, veſtrum Imperiale decus, quod in omnibus Eccleſiaſticis vtilitatibus vigere audiuimus, vt antiquum morem, quem veſtra Eccleſia habuit, veſtris temporibus reſtaurare dignemini, quatenus vicem, quam noſtra ſedes per Epiſcopos veſtris in partibus conſtitutos habuit, videlicet Theſſalonicenſem, qui Romanæ ſedis per Epyrum veterem, Epyrumque nouam, atque Illyricum, Macedoniam, Theſſaliam, Achaiam, Daciam Ripenſem, Daciamque Mediterraneam, Miſiam, Dardaniam, & Prævalim B. Petro Apoſtolorum principi contradicere nullus præſumat, quæ anteceſſorum noſtrorum temporibus, ſcilicet Damaſi, Siricij, Innocentij, Cœleſtini, Sixti, Leonis, Hylarij, Simplicij, Felicis,atque Hormiſdæ ſanctorum Pontificum ſacris diſpoſitionibus augebatur. Quorum denique inſtructiones ab eis illis in partibus deſtinatas per noſtros Miſſos, vt rei veritatem cognoſcere quearis, veſtræ Auguſtali potentiæ dirigere curauimus.]

Quòd eſſet etiam Metropolis in temporalibus, & ſedes Præfecti Prætorio Theſſalonica, hæc perſuadent. Theodoretus libro 5. cap. 17. hiſt. Eccleſ. [Theſſalonica, inquit, vrbs eſt ampliſſima illa quidem, & multis hominibus frequentata, quæ tametſi ſubiecta eſt ditioni Macedonum, præ cunctis tamen vrbibus Theſſaliæ, Achaiæ, & aliarum gentium plurimarum, quas Præfectus Illyriæ moderatur primas obtiner.] Quas gentes moderarerur Præfectus Prætorio Illyrici, ex diſpoſitione Conſtantini, habes azoſimo lib. 2. [Macedones ſcilicet, & Theſſalos, & Cretenſes, & Græciam, & circumſitas inſulas, & Epyrum vtramque, & prætet has Illyrios, & Dacas, & Triballos, & Pannonios ad Valeriam vſque, præterea, & ſuperiorem Myſiam.]

In eaque vrbe Præfectum reſidere ſolitum, inſinuat Cedrenus in Theodoſio. [Cùm milites turbas in vrbe Theſſalonica ob metata, ſeu hoſpitia excitaſſent, Theſſalonicenſes Imperatorem contumelijs inſequuti ſunt, & magiſtratus quoſdam lapidibus obruerunt. At Imperator, re cognita, iræ impatiens vrbis illius Pręfecto facinus vindicandum commiſit.] Præfectum Prætorio Illyrici Præfectum illius vrbis appellauit, quòd ea in vrbe ſedem ſuam haberet: niſi velimus Theſſalonicam proprium Præfectum vrbis habuiſſe Romæ, & Conſtantinopolis inſtar, quod nemo, niſi in antiquitate peregriuus affirmaret. Expreſsè vero Hormiſda epiſt. 39. quod paulò inuolutius Cedrenus. [Hormiſda Præfecto Prætorio Theſſalonicenſi, & cæteris illuſtribus à pari.] Præfecto Prætorio dixit, non vrbi.

Cum ergo faſtigium Illyrici ante Attilana tempora fuiſſe Theſſalonicæ conſtet ex duobus Concilijs, Nicæno, & Sardicenſi, quę ea tempora pręceſſerunt, & aſſerant Theodoretus, & Leo, qui illis ipſis temporibus vixerunt, Nicolaus verò etiam ipſamet antiquorum Pontificum autographa producat, neſcio, quis talibus teſtibus præponere auſit Iuſtinianum, qui vt Spartam ſuam ornaret, centum annis poſt euerſum Sirmium eam Nearam ſcripſit. Hic de auditu, illi de viſu teſtantur, præter quos lubet.

Addit alia ſubcenturiata teſtimonia

Suburbicarius, quibus illud vnum aſſequitur, vt lector intelligat, eum cauſæ penitùs deploratæ patrocinium ſuſcepiſſe. [Hac de cauſa, inquit, etiam Epiſcopus Romanus apud Euſebium l. 3. de vita Conſtantini cap. 7. & Socratem l. 1. c. 5. hiſce verbis deſignatur, *o tis Vaſileuuſis poleos proeſtos*. Vrbis Epiſcopus penès, quàm Imperium eſt.]

At ſi Epiſcopi iuriſdictio, & dignitas ſequitur naturam Præfecturæ, non Imperij, vt vult Suburbicarius, & rationem dignitatis Epiſcopalis ſpectaſſent hic Socrates, & Euſebius, non Epiſcopum eius vrbis, penès quam Imperium eſt, ſed penès quam Præfectura eſt, dicere debuiſſent. Verùm quis non videt, eos deſcribere, non rationem dignitatis, & poteſtatis Epiſcopalis, ſed tantùm vrbis, cuius ille erat Epiſcopus? Inſulſum id quidem eſt, nec minùs quod ſequitur.

Et Valentinianus quoque iij. Placidię F. (circa eadem fermè Chalcedonenſis Concilij tempora) Nouella de Epiſcoporum ordinatione inter Theodoſianas 24. hanc eandem pariter primatus Romani (quem tamen is aliò ad Leonis ſuggeſtionem, fatente Baronio, traducit) cauſam agnoſcit, [Cum, inquit, Sedis Apoſtolicę primatum S. Petri meritum, qui princeps eſt Epiſcopalis coronę, & Romanę dignitas Ciuitatis, ſacrę etiam ſynodi firmarit auctoritas.]

Reſp. à Leone requiſitum eam epiſtolam ſcripſiſſe Valentinianum, & Baronius dicit, & Valentinianus ipſe profitetur. At Leone ſuggerente detorſiſſe dignitatem Epiſcopi Romani ad B. Petrum, vt aſſeris Suburbicari: nunquam ſomniauit Baronius, tuamque fidem hic ego deſidero. Tu tu es, qui torques, & detorques Valentinianum: Non enim dicit ille, quòd Romanę dignitas Ciuitatis firmarit primatum Apoſtolicę ſedis, vt velle videris, ſed affert duo firmamenta primatus. Primum, S. Petri meritum. Secundum, auctoritatem ſacrę ſynodi, & laudans S. Petrum, appellat eum principem coronę Epiſcopalis, & dignitatem Romanę ciuitatis. [S. Petri meritum, inquit, qui princeps eſt Epiſcopalis coronę, & Romanę dignitas ciuitatis, & erat ita quidem, quia vt S. Leo dicebat, Roma per ſacram B. Petri ſedem caput orbis effecta latiùs pręſidebat Religione diuina, quàm dominatione terrena.] Alia leniora pręterea tanquam ſagittas paruuli.

CAPVT V.

Refellitur error Suburbicarij de ſpeciali Diœceſi Patriarchatus Romani, cuius antiqui, & Canonici limites deſignantur.

Grauiſſimè lapſum eſſe Suburbicarium in pleriſque ſuarum diſſertationum capitibus, ſatis, vt opinor, huc vſque monſtratum eſt. Nuſquam tamen ſupinè magis, quàm dum centeſimum ab vrbe milliarium terminum ſtatuit Romanę Diœceſeos ſpecialis. Pugnat id primum cum eius principijs. Epiſcopos enim diſtinguit in tres gradus, in Epiſcopos ſimplices, Metropolitas, & Patriarchas, ſeu Primates. Primos fatetur pręeſſe ſingulis ciuitatibus, alios ſolidis prouincijs, tertios Diœceſibus integris, & concludit, quòd hoc [Exarchatum, ſiue Primatum numero Romanus, Alexandrinus, & Antiochenus, Epiſcopi habiti ſunt, vtpotè quibus ſolidę Diœceſes, id eſt, plures iunctim prouincię more antiquo commiſſę fuere.] Quare fatendum eſt ei, Romanum Epiſcopum in ſua ſpeciali Diœceſi ſicut habuit multas prouincias, ſic etiam habuiſſe multos Metropolitas. Quod ingenuè fatetur diſſert. 2. c. 1. laudans Hincmarum Epiſcopum Remenſem, qui epiſt. 6. ad Epiſcopos Remenſis Diœceſis, cap. 4. aſſerit, [ſanctam Eccleſiam Romanam in ſua ſpeciali Diœceſi habere plures Metropolitanos.] Cęterum ſi veteris Eccleſię monumenta ſcrutetur in tota Italia, pręter Romanum non reperiet niſi tres Metropolitanos, Mediolanenſem, Rauennatem, & Aquileienſem, & nullum eorum intra centeſimum lapidem. Cum ergo plures Prouincię, & Metropolitani plures ſint de eſſentia Diœceſes, & Patriarchatus, malè ſuburbicarius centeſimum ab vrbe milliarium conſtituit terminum Romanę Diœceſis.

Adde, quòd nullum certius argumentum Primatis, ſiue Patriarchę eſt, quàm Eccleſiarum diſpoſitio, Metropolitanorum ordinationes, & iudicia, Conciliorum Diœceſeos conuocatio, quando fuiſſe hęc potiſſima iura vniuſcuiuſque Patriarchę in ſua Diœceſi, non ſit, qui ignoret. At in Italia tota omnia hęc Romanus Pontifex ſolus ſemper vindicauit ſibi, & nullus alius vnquam ad hoc ius aſpirauit: perperam ergo ad ſuburbicariarum fines Romana Diœceſis coarctatur. Ego ex innumeris pauca delibabo, tuque ab vno Pontifice diſce omnes. Gregorius Magnus auctoritate ſua vnit Eccleſias Cumanam, & Muiſitanam, Cumanum Epiſcopum ſacrandum ad ſe venire iubet; Aquileienſem iudicandum ad ſynodum citat, Rauennatem monet, vt grauiora quęque ad ſedem Apoſtolicam referat more maiorum. Mediolanenſem electum ordinari concedit. Neapolitanos hortatur, vt eligant Epiſcopum, qui Romę initietur. Catinenſem Epiſcopatum vnit Epiſcopo Regitano. Operam ludam in re notiſſima, ſi exemplis illuſtrandum ſuſcipiam, quòd vel Italicę Diœceſeos Concilia ab vno Romano perpetuò conuocata fuere, vel quòd omnes Eccleſię Nationis noſtrę hunc vnum paſtorem vniuerſim ſequutę ſint. Audi vnicum teſtimonium omnium Epiſcoporum Italię ex Concilio Romano ſub Felice Tertio in cauſa trium Patriarcharum Orientis. [Quoties intra Italiam propter Eccleſiaſticas cauſas pręcipuè fidei, colliguntur Domini ſacerdotes, conſuetudo retinetur, vt ſucceſſor pręſulum ſedis Apoſtolicę ex perſona cunctorum totius Italię ſacerdotum iuxta ſolicitudinem ſibi Eccleſiarum omnium competentem cuncta conſtituat, qui caput eſt omnium.] Et huc ſpectat, quod ſcripſit Iulius ad Euſebianos apud Athan, apolog. 2. [Tametſi ſolus ſum, qui ſcripſi, non mea tamen ſolius ſententia eſt, ſed omnium Italorum, omniumque his in regionibus Epiſcoporum.] In Sicilia tantiſper immorabor, in qua, ſuburbicari, tuæ nimiùm te fallunt coniecturę.

Sanctus Leo Magnus ad eius Inſulę Epiſco-

ſcopos, ſcribit hunc in modum: [Quia ſaluberrimè à ſanctis Patribus conſtitutum eſt, binos in annis ſingulis Epiſcoporum debere eſſe conuentus, terni ſemper ex vobis ad diem 3. Kal. Oct. Romam fraterno ſociandi Concilio indiſſimulanter concurrant.] Conſtitutum ſanctorum Patrum, quod citat Leo, eſt quintus Canon Nicęnus, cuius verba ſunt iſta: [Viſum eſt, per ſingulos annos in ſingulis prouinciis Concilia fieri, vt ſimul in vnum conuenientes ex communi prouincia huiuſmodi examinent quęſtiones. Et infrà: Fiant autem Concilia ſemel quidem ante dies quadrageſimę &c. ſecundum verò agant circa autumni tempus.] Et hoc illud eſt, ad quod Siculos quotannis vocabat Leo. Negare ergo non potes, Siciliam ad Romanam Diœceſim pertinuiſſe. Hinc vt alia pręteream, in Concilio Lateranenſi ſub Martino I. reperias Epiſcopus Maſſanenſem, Agrigentinum, & Panormitanum, & in ſexto Romano ſub Symmacho, Meſſanenſem, Meſenatem, & Lyparitanum.

Progreſſu temporis mutatum eſt Leonis Magni decretum ſi quare Gregorius Magnus Cypriano Diacono: Lib. 6. ep. 19. [Nouit dilectio tua hanc olim conſuetudinem tenuiſſe, vt fratres, & Coepiſcopi noſtri Romam ſemel in triennio de Sicilia conuenirent, ſed nos eorum labori conſulentes, conſtituiſſe, vt ſuam hic ſemel in quinquennio præſentiam exhiberent. Tandemque omninò auulſa eſt Sicilia ab Eccleſia Romana, & ſubiecta Epiſcopo Conſtantinopolitano, vt cum Balſamone, aſſerit in 2. Can. Conc. Conſtantinop. ſuburbicarius. Verùm Diuer. 2. 13. id factum ait poſtquam Iuſtinianus prouocationes à Siciliæ iudicibus ad PP. Italiæ l. 27. C. Theodoſ. de appellat. fieri ſolitas Quæſtori, in vrbe Nouel. 75. & 104. Conſtantinopolitana delegaſſet, vt ſic Ciuiles, & publicas formas Eccleſiaſticus ordo ſequeretur; ſed errat. Enimuerò Gregorium Magnum Pontificem fuiſſe poſt Imperium Iuſtiniani, ignorare non poteſt: ſupra tamen Gregorius audiens eſt citare Epiſcopos Siculos ad ſynodum Prouinciæ. Audi verò quid rurſum ſcribat lib. 1. epiſt. 1. [Petro ſubdiacono, ſedis noſtræ intra Prouinciam Siciliam vices noſtras, Deo auxiliante, commiſimus, ſicut Prædeceſſorum noſtrorum fuit iudicium, vni perſonæ omnia committere. Et lib. 2. epiſt. 4. Maximianum Epiſcopú Syracuſanum ſuper cunctas Siciliæ Eccleſias vices ſedis Apoſtolicæ miniſtrare decernimus, vt non ſit neceſſe pro paruulis cauſis Romam ire. Eidemque præcipit, vt examinet quemdam, qui ferebatur idoneus ad Epiſcopatum, cumque ad ſe ordinandum tranſmittat. Immò Defenſores à Gregorio in Siciliam miſſos, videas lib. 7. ab epiſt. 17. ad 21. Tunc ſolummodo à Romana Diæceſi Sicilia diuiſa eſt, cum Leo Iſauricus à Gregorio Secundo mulcatus Imperio, viciſſim interdixit Gregorio iuribus Siciliæ, vt aſſerit auctor Miſcellæ. Has Eccleſias Hadrianus Primus à Conſtantino Iſaurici Pronepote requirens dicebat. [Immò & conſecrationes Epiſcoporum, ſeu Archiepiſcoporum, ſicut Olitana conſtat traditio, noſtræ Diæceſis exiſtentes penitùs Canonicè Sanctæ Romanæ noſtræ reſtituantur Eccleſiæ, Et Nicolaus Primus ad Michaelem. Inter iſta, & ſuperius dicta, volumus, vt conſecratio Syracuſano Archiepiſcopo noſtra à ſede impendatur, ut traditio ab Apoſtolis inſtituta nullatenùs veſtris temporibus violetur. Ergo ante Iſauricum Sicilia fuerat Romanæ Diæceſis. Sicut Siciliam Iſauricus, ſic Calabriam, & Apuliam Nicephorus Tyrannus Orientis poſt ducentos annos eripuit Romanæ Diæceſi: commiſſa earum ordinatione Epiſcopo Hidruntino, quem per Conſtantinopolitanum Epiſcopum Polieuctum Archiepiſcopum inſtituerat. Neque ab his teſtimonijs tantùm, ſed vel à Balſamone ipſo didiciſſe poterat Suburbicarius, Siciliam longè poſt Iuſtinianum Romanæ Diæceſi ereptam eſſe, hæc enim ſunt eius verba loco citato. [Iam verò & Sicilia certis ab hinc annis vrbis Conſtantinopolitanæ throno ſubiecta, tyrannicis manibus ab ea auulſa eſt.] Si verò vſque à Iuſtiniano Sicilia ſubiecta fuiſſet Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, non dixiſſet Balſamo, certis ab hinc annis, cum ſeptingentis propemodum annis Balſamonem præceſſerit Iuſtinianus. Cum ergo mutata forma regiminis politici, & translatis appellationibus Siciliæ ex Italia Conſtantinopolim, nihilominùs res Eccleſiæ immotæ perſtiterint, totis ducentis annis, reſtat Anonyme, vt confitcare, etiam tum ad Ciuiles, & publicas formas mutari non conſueuiſſe res ſacras. Agnoſce præterea, te non malè contraxiſſe Romanam Diæceſim ad ſuburbicarias, aut malè ſuburbicarias ad centeſimum lapidem, cum ſine iniuria totius antiquitatis ſaltem Italiam totam, & inſulas adiacentes à Romana Diæceſi ſubducere non poſſis. Immò ſi repetas, quæ tu ipſe ſcripſiſti, videtis te (inconſideratè opinor) confeſſum eſſe tam Romanam Eccleſiam, quàm Romanas ſuburbicarias non modò vltra centeſimum lapidem, verùm etiam vltra fines Italiæ, immò etiam longè vltra ſupremus limites Imperij Occidentalis procurriſſe.

Caput primum ſecundę diſſertationis ſic incipis, ſuburbicariarum Regionum tractatum excipiat alter, hìc de ſuburbicarijs Eccleſijs, quarum apud Rufinum mentio, id eſt, de Eccleſijs; quæ per ſuburbicarias regiones propriam antiquo more epiſcopi, ſeu mauis cum recentiore æuo, Patriarchæ Romani Diæceſim conſtituere. Certè Hincmarus quoque ad Epiſcopos Rhemenſis Diæceſeos ſcribens epiſt. 6. cap. 4. Specialem Romanæ Eccleſiæ diæceſim memorat his verbis. [Sancta, inquit, Romana Eccleſia plures Metropolitanos in ſua ſpeciali Diæceſi habet, ſimiliter, & Alexandrina Eccleſia in ſua Diæceſi &c.] ſentis ergo, eas omnes Eccleſias, & regiones eſſe ſuburbicarias, ex quibus iuxta Hincmarum conſtituebatur ſpecialis Diœceſis Romani Patriarchæ. Audiamus itaque Hincmarum de integro, & ex eius ſententia de tota re iudicemus. Verba eius ſunt hæc, quæ tu mala mente mutila retuliſti, [& quia ſancta Romana Eccleſia, cui ſollicitudo omnium Eccleſiarum in B. Petro Principe Apoſtolorum eſt commiſſa, plures Metropolitanos in ſua ſpeciali Diæceſi habet, ſicut Sanctus Leo ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum monſtrat, ſimiliter & Alexandrina Eccleſia

in ſua Diæceſi, ſed Antiochena ſedes nonnullos Metropolitanos, in ſua Diæceſi habet ſicut ſanctus Innocentius ad Alexandrum eiuſdem ſedis Epiſcopum ſcribit, & in Eccleſiaſticis hiſtorijs ac ſynodalibus geſtis innenimus, eiſdem Metropolitanis, quos ſuis Vicarijs ſancta Romana commiſit Eccleſia, ſecundum ſacros Nicænos Canones ſua iura decreuit ſeruari, veluti ad eumdem Anaſtaſium idem B. Leo ſcribens: Igitur, inquit, ſecundùm Sanctorum Patrum Canones ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos, Metropolitanos ſingulatum Prouinciarum Epiſcopos, quibus ex delegatione noſtræ fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditæ ſibi antiquitùs dignitatis intemeratum habere decreuimus, ita vt à regulis præſtitutis nulla, aut negligentia, aut præſumptione diſcedant: Attendendum eſt igitur, ſi Apoſtolica ſedes Metropolitanis ſuæ ſpecialis Diæceſeos, ſicut in Epiſtolis B. Gregorij ex regeſto legimus, quos propter longinquitatem ſuas vices agentibus delegauit, ſua iura ſecundùm ſacros Nicænos Canones ſeruari præcepit, ſicut & in epiſtola præfati Leonis ad prædictum Anaſtaſium dicitur, ſi quid graue inquiens, intolerandumque geſſiſſet (Metropolitanus) noſtra erat expectanda cenſura, vt nihil priùs ipſe decerneres quàm quid nobis placeret, agnoſceres. Vices enim noſtras ita tuæ credidimus charitati, vt in partem ſis ſollicitudiuis vocatus, non in plenitudinem poteſtatis.] Hactenus Hincmarus cum Leone. Sentit igitur Hincmarus, totum Illyricum, in quo Pontifices committebāt vices ſuas Theſſalonicenſi, fuiſſe in ſpeciali Diæceſi Eccleſiæ Romanæ: Quare cum Illyricum eſſet ſecunda Orientis Præfectura, ex Hincmari ſententia, ſpecialis Diœceſis Epiſcopi Romani dimidium ſaltem Imperij Orientalis occupabat. Fatere ergo ſuburbicari, Romanas ſuburbicarias vltra centeſimum lapidem, cum vltra centeſimum lapidem eſſet Illyricum, aut ſi id minus placet, dic Romanam Diœceſim ſpecialem ad Eccleſias ſuburbicarias non fuiſſe coarctatam, cum eam vſque ad Illyricum protendat Hincmarus, quem tibi citas.

Neque tantùm de Romana Diœceſi ſpeciali tu te ipſum oppugnas, ſed vaniſſimis coniecturis tuis tota obſiſtit antiquitas. Nunquam ne legiſti acta octauæ Synodi, aut ſaltem Bibliothecarum in Hadriano ſecundo? Si legiſti, ignorare non potes, quòd Bulgari (Præfecturæ Illyrici pars non contemnenda) vſque à prima Euangelij promulgatione fuerunt in ſpeciali Diæceſi Romana. Tuncque primùm eis ad fidem ex gentilitate redeuntibus, illorum ordinationes arripuerunt ſibi Græci Patriarchæ, vt teſtantur tam acta Concilij, quàm variæ Epiſtolæ Ioannis Papæ octaui. Ex multis inſeram hìc particulas vnius, aut alterius. Epiſtola nonageſimanona habet hoc initium: [Omnibus Epiſcopis & cæteris Clericis Græcis Bulgariæ Diæceſeos inuaſoribus, ac per hoc excommunicatis. Miramur, vos, & vehementer obſtupeſcimus ſanctorum Patrum Canones obſcuratis oculis relegiſſe, & calcata conſcientia terminos æternos à Patribus poſitos tranſtuliſſe, & in alienam meſſem iudicij falcem miſiſſe, in Illyrici Prouincias, quas nunc Bulgarum natio retinet ingredientes, & ordinationes illicitas perpetrantes, cum & ſacra Concilia ſub ſede B. Petri Apoſtolorum Principis, has olim Prouincias deguiſſe patenter innuant, & rerum geſtarum à Sancto Damaſo Papa conſcripta maniſeſtè denuncient. Et extrema epiſtola 201. ad Photium: Prætereà ſicut veſtra pars ſuum velle conatur accipere, ita & nos Diæceſim noſtram Bulgariam; quam Apoſtolicæ recordationis Sanctiſſimi Domini Papæ Nicolai certamine ſedes Apoſtolica recepit, ac Hadriani æquè Beatiſſimi Præſulis tempore poſſederat, ſumma nobis celeritate volumus, & de cætero omnem ordinationem Eccleſiaſticam ab Eccleſiæ Conſtantinopulitanæ Præſulibus in eadem Diæceſi Bulgarica auctoritate Apoſtolica amputamus, ipſos autem ordinatos ibid. Epiſcopos, & omnes alios inferioris ordinis clericos, vt indè ſe ſubſtrahant, & ab inuaſione Bulgaricæ noſtræ Diæceſis ſe omninò compeſcant, decertare procures.]

Sed audi lector, & conſidera, quàm mirabilia ſunt opera Dei, vidiſti capite 3. Leonem magnum aſſerentem, ſe exemplo maiorum delegaſſe vices ſuas Epiſcopo Theſſalonicæ, quæ erat Metropolis Illyrici, vidiſti capite præcedenti, Nicolaum primum mittentem ad Michaelem ipſamet exemplaria delegationum Damaſi, Siricij, Simplicij, Felicis, Hormiſdæ, quibus Epiſcopus Theſſalonicenſis conſtituebatur Vicarius Apoſtolicæ ſedis in vtraque Epyro, in Illyrico, Macedonia, Theſſalia, Achaia, Dacia Ripenſi, & Dacia Mediterranea, Myſia, Dardania, & Præuali, ex quibus Prouincijs conſtabat Præfectura Illyrici tota, vidiſti iam in prima noſtra Periodo ex epiſtola Leonis 71. Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolis humiliatum ſub manu illius ſancti Pontificis, reijcere in alios culpam primatus, quam attentarat in Concilio Chalcedonenſi. At deſiderabatur Epiſtola ipſa Anatolij, quæ nuſquam apparebat: deſiderabantur delegationes & Leonis, & cæterorum Pontificum miſſæ Conſtantinopolim à Nicolao, quæ poſtquam miſſæ ſunt, interiere. Magna certè iactura, & quàm ego vehementer dolebam, quòd viderem huiuſmodi monumentis, ſi extaſſent, paulò grauius frangi potuiſſe impudentiam hæreticorum. Quando ecce Deus conſolatus eſt me, nil minus cogitantem, occaſione, quam dico. Diebus ſuperioribus Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Dominus Scipio S. R. E. Cardinalis ſanctæ Suſannæ, & eiuſdem S. E. Bibliothecarius conſeruandæ, & reparandæ antiquitati totus intentus, aſſequutus reliquias Bibliothecæ Monaſterij Bobienſis, & nobilis, & peruetuſtæ, eas in Vaticanum deferri præceperat. Has ego alia de cauſa ſcrutari permiſſus, reperio in antiquiſſimo, & ob id lectu difficillimo manu ſcripto Concilium quoddam Romanum ſub Bonifacio ſecundo celebratum P. C. Lampadij, & Oreſtis, in quo ipſimet Epiſcopi Illyrici Romam profecti accuſant iuriſdictionis occupatæ Epiphanium Epiſcopum Conſtantinopolis, & productis ijs delegationibus, quæ deſiderabantur; (inter quas eſt etiam epiſtola Anatolij ad Leonem), demonſtrant. Illy-

ricum

ricum ſpecialiter pertinuiſſe ad curam Pontificis Romani. Maturè prodibit in lucem, & tunc intelliges, Deum ipſum, etiam dormientibus nobis, pugnare contra inſenſatos. Habes ergo huc vſque Italiam, & Illyricum in ſpeciali Patriarchatu Epiſcopi Romani. Oſtendo iam in eius Diœceſi etiam Thraciam, Pontum, & Aſiam, ex quibus in Concilio Chalcedonenſi Diœceſis Patriarchæ Conſtantinopolitani formata eſt.

Nullum certius argumentum primatis, vel Patriarchæ eſt, vt dicebamus, quàm ordinatio, & judicia Archiepiſcoporum Diœceſeos, cum ideò Patriarchę appellati ſint, quòd ſint quaſi Patres Archiepiſcoporum. Quare Innocentius primus alludens ad Priuilegium Patriarchale epiſt. 18. ad Alexandrum Antiochenum inquit, Metropolitanos auctoritate ordinas ſingulari. Et Patres Chalcedonenſes, quando adſcripſerunt Patriarchis, Conſtantinopolitanum, decreuerunt, vt poteſtatem haberet ordinandi Metropolitanos in Aſiana, & Pontica & Thracia Diœceſibus. Reddenteſque rationem Leoni ſummo Pontifici cur retulerint Conſtantinopolitanum inter Patriarchas, ſe id feciſſe dicunt, tribuentes Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, quantum Metropolitanis vrbibus ad quietem congruere viſum eſt. Et vt Conſtantinopolitani priuilegia Patriarchalia innoteſcerent, canone nono, & decimo ſeptimo ita conſtituerunt. [Si aduersùs eiuſdem Prouinciæ Metropolitanum Epiſcopus, vel Clericus habet querelam, petat aut Primatem Diœceſeos, aut ſedem Regiæ vrbis Conſtantinopolis, & apud ipſam iudicetur.]

Fuiſſe verò eòuſque hoc munus, & ius proprium Apoſtolicæ ſedis in illis Diœceſibus, docent verba Epiſtolæ Concilij ad Leonem. Poſtquam enim dixere, ſe Patriarchatu conſtantinopolitano conſuluiſſe quieti Vrbium Metropolitanarum, ſubijciunt: [Eò quòd frequenter Epiſcopis vitam finientibus multæ turbæ naſcuntur, abſque rectore, Clericis, ac populis remanentibus, qui per eaſdem ſunt Ciuitates, & Eccleſiaſticum confundentes ordinem, quod nec veſtram latuit ſanctitatem, quàm maximè propter Epheſios, vnde quidam vobis ſæpius importuni fuerunt). Et poſt pauca. Confidentes, quòd lucente apud vos Apoſtolico radio, & vſque Conſtantinopolitanam Eccleſiam conſuerè gubernando illum ſpargentes huc ſæpius expanditis.] Habes ergo, & in Aſia, in qua Epheſus, & in Thracia, in qua Conſtantinopolis, & in Ponto Patriarchatum Romanum. Ad hæc, Legati Romani intercedentes iudicio Concilij dixere; [Contradictio noſtra his geſtis inhæreat, vt nouerimus, quid Apoſtolico viro vniuerſalis Eccleſiæ Papæ referre debeamus, vt aut de ſuæ ſedis iniuria, aut de Canonum euerſione poſſit ferre ſententiam.] Ius ergo ordinationum illarum Diœceſeon collatum Conſtantinopolitanò proprium erat Apoſtolicæ ſedis, quando collatio hæc iniuriam ejuſdem ſedis annexam habebat. Clarius id Leo ad principem Marcianum epiſt. 54. [Satis ſit prædicto] Anatolio] Quòd veſtræ Pietatis auxilio, & mei fauoris aſſenſu, Epiſcopatum tantæ vrbis obtinuit. Non dedignetur Regiam Ciuitatem, quam Apoſtolicam non poteſt facere ſedem.] Ergo primatus collatus Conſtantinopolitano proprius erat Apoſtolicæ ſedis, quando, antequam Anatolius crearetur Patriarcha, ſine fauore, & aſſenſu Leonis nunquam fuiſſet Epiſcopus Conſtantinopolis. Et adeò proprium erat illud ius Apoſtolicæ ſedis, vt ideò non poſſet aſſequi Patriarchatum illarum Diœceſeon Anatolius, quia efficere nequibat, vt ſedes Conſtantinopolis eſſet ſedes Apoſtolica. Certè Marcion genere Ponticus excommunicatus ab Epiſcopo Sinopenſi patre ſuo, non vertit ſe aut ad Epiſcopum Antiochiæ, aut ad alium quemcunque pro abſolutione, ſed Romam ad Higinium. Non prætergrediebatur ergo Patriarchatus Papæ Suburbicarias tantùm Italiam, & Illyricum, ſed ingreſſus viſcera Orientis, è quinque Diœceſibus, quæ erant ſub diſpoſitione Præfectorum Prætorio Orientis, tres integras occupabat; maiorem ſcilicet, & nobiliorem eius partem, in qua erat Conſtantinopolis ipſa caput, & vertex Imperij.

Eam Africæ partem, quæ tempore Notitiæ ſubiecta PP. Italiæ parebat eius vicario, fuiſſe in Diœceſi Patriarchæ Romani Iſtè oſtendam cap. ſequenti & poſt cap. 10. Illyricum Occidentale. Hiſpaniam, Galliam, Britanniam, & quicquid Terrarum ab Oriente, & Occidente ad Septentrionem protenditur (quamdiu Catholicè vixerunt) nullum alium Patriarcham, & Primatem agnouiſſe, niſi Romanum, & quos dedit Romanus, omnes harum gentium hiſtoriæ conſtanter aſſerunt, quas putidi laboris eſſet referre ſigillatim. Neque aliter vel dicere, vel cogitare poſſibile eſt, ſi, vt dicebat Nicolaus primus, duos acceſſorios Patriarchas contemnens, per has tres præcipuas Eccleſias omnium Eccleſiarum, Dei ſollicitudo BB. Petri, & Pauli moderamen expectat. Quos tamen non contempſit Theodorus Studites, qui contra Iconomachos ſcribens. [Orientem non habent, inquit, Occidente priuati ſunt, à quini, verticis Eccleſiaſtico corpore auulſi ſunt.] Quini verticem appellauit Eccleſiam vniuerſam ratione quinque ſedium Patriarchalium, in quarum Diœceſes tota diuiſa eſt. Cum verò ab initio in tres, non in quinque Diœceſes diuiſa eſſet, vbi de duorum Patriarcharum Diœceſibus conſtiterit, tertia latere non poterit.

Diœceſim Alexandrini habes in VI. Canone Nicæno, Ægyptum, Libyam & Pentapolim. Diœceſim Antiocheni in ſecundo canone primi Concilij Conſtantinopolitani, cuius verba ſunt hæc: [Epiſcopi ad Eccleſias, quæ ſunt vltra ſuam Diœceſim, ſuoſque limites ne accedant, nec Eccleſias confundant, ſed ſecundùm canones. Alexandriæ quidem Epiſcopus Aegyptum ſolùm regat, Orientis autem Epiſcopi ſolùm Orientem adminiſtrent, ſeruatis priuilegijs Primatus, quæ in Nicænis Canonibus Eccleſiæ Antiochenæ tributa ſunt:] Quare ſola Diœceſis Orientis ad primatum Antiochiæ pertinebat, non Aſia, Pontus, & Thracia, & ideò ſequitur Canon. [Et Aſianæ Diœceſis Epiſcopi, quæ ſunt in ſola Aſia, adminiſtrent, Nec non & ponti Epiſcopi ea tantùm, quæ ſunt in ponto, Thraciæ verò ipſius, tantummodo Thraciæ.] Hinc in Concilio Chalcedonenſi actio-

ne

ne 14. Epiſcopus Antiochenus nuncupatur Exarchus Orientalis Diœceſis, in Concilio Epheſino 1. tom. 3. cap. 3. Metropolitanus Diœceſis Orientis. Et Sanctus Ioannes Chryſoſtomus de Epiſcopo Antiocheno ad Imper. profectò inquit: [Nouit ille planè, quòd non pro vna ſibi nunc ciuitate negotium, ſed pro Oriente toto, ciuitatum enim ſub Oriente poſitarum caput, & mater eſt ciuitas noſtra.] Si ergo Antiochenus Orientis, qui & Syriæ Maior, & Alexandrinus Ægypti tantùm ab initio geſſère ſollicitudinem Patriarchalem, reliquum eſt, vt quicquid extra Ægyptum, & Syriam eſſet, id omne ab initio eſſet in ſpeciali Diœceſi Romana. Quare qui Romanum Pontificem appellant Patriarcham Occidentis, interpretandi ſunt ratione Metropolis, quæ eſt in Occidente, qua ratione nunc Rex Catholicus vocatur Rex Hiſpaniæ, cum tamen habeat in ditione ſua dimidium Orbis; & olim Præf. Prær. Italiæ, Illyrici, & Orientis.

Certè tempore ſextæ Synodi eripuerant Græci magnam partem Romanæ Diœceſis Patriarchæ Romano, adhuc tamen, conuocato Romæ Concilio reliquiarum ſuarum Agatho. Rom. Pont. epiſtolæ, quæ lecta eſt act. 4. ſubſcribit hunc in modum: [Agatho Epiſcopus ſanctæ Dei Catholicæ, atque Apoſtolicæ Eccleſiæ vrbis Romæ huic ſuggeſtioni cum generalitare totius Apoſtolicæ Sedis Concilii pro rectitudine Apoſtolicæ confeſſionis factæ conſenſi, & ſubſcripſi, & in fronte epiſtolæ: Agatho Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei cum vniuerſis Epiſcopis ſubiacentibus Concilio Apoſtolicæ Sedis.] Excedebat verò Occidentem hæc ſynodus. Quare in epiſtola Patres dicunt, [Omnes nos exigui Eccleſiarum Præſules veſtri Chriſtiani Imperii famuli in ſeptentrionalibus, vel occiduis partibus conſtituti. Et infrà: Numeroſa multitudo noſtrorum, vſque ad Oceani regiones extenditur, & tertiò: Omnium noſtrorum, id eſt vniuerſorum per ſeptentionales, vel occiduas regiones Epiſcoporum.] Subſcripſit etiam in ea Synodo Ioannes Theſſalonicenſis tanquam legatus Apoſtolicę Sedis Vrbis Romæ.

Priſcam, & primæuam illam ſpecialem Diœceſim Patriarchæ Romani ſi referas ad conſtitutionem Romanæ Politiæ, intelliges, quanto interuallo diſtent Diœceſes Eccleſiaſticæ à ciuilibus, & quàm inſigne mendacium ſit, quòd tot eſſent in Eccleſia Patriarchæ, quot erant in Imperio Diœceſes, ſola nimirùm Diœceſis Romani Patriarchę conſtabat ex 11. Imperii Diœceſibus, & hę ex 95. Prouinciis, vt ea ſubiecta Imperii notitia perſpicuum eſt.

Diœceſis Italiæ conſtabat ex Prouinciis ſeptēdecim, quæ ſũt, Prouincia.
- Venetiæ
- Æmiliæ
- Flaminiæ, & Piceni Annonarii
- Tuſciæ, & Vmbriæ
- Piceni Suburbicarii
- Campaniæ
- Siciliæ
- Apuliæ, & Calabriæ
- Lucaniæ, & Brutiorum
- Alpium Cottiarum
- Rætiæ Primæ
- Rætiæ Secundæ
- Samnii
- Valeriæ
- Sardiniæ
- Corſicæ

Diœceſis Illyrici occidentalis conſtabat ſex Prouincijs.
- Panoniæ ſecundæ
- Sauiæ
- Dalmatiarum
- Pannoniæ primæ
- Norici Mediterranei
- Norici Ripienſis.

In Diœceſi Africæ erant ſex Prouinciæ.
- Africa
- Bizatium
- Numidia
- Mauritania Sitifenſis
- Mauritania Cæſarienſis
- Tripolis.

Ex tribus his Diœceſibus conſtabat Præfectura Præfecti Prætorio Italiæ.

In Diœceſi Hiſpaniæ Prouinciæ ſeptem.
- Bætica
- Luſitania
- Gallecia
- Tarraconenſis
- Carthaginenſis
- Tingitania
- Balleares.

In Galliæ Diœceſi erant Prouinciæ decem, & ſeptem.
- Viennenſis
- Lugdunenſis prima
- Germania prima
- Germania ſecunda
- Belgica prima
- Belgica ſecunda
- Alpes Maritimæ
- Alpes Penninæ, & Graiæ
- Maxima Sequanorum
- Aquitania prima
- Aquitania ſecunda
- Nouem populi
- Narbonenſis prima
- Narbonenſis ſecunda
- Lugdunenſis ſecunda
- Lugdunenſis tertia
- Lugdunenſis Senonia.

In Diœceſi Britanniarũ erant quinq; Prouinciæ.
- Maxima Cæſarienſis
- Valentia
- Britannia prima
- Britannia ſecunda
- Flauia Cæſarienſis

Tres ſuperiores Diœceſes erant ſub poteſtate Præfecti Prætorio Galliarum. Duæ ſequentes ſub poteſtate Præfecti Prætorio Illyrici.

In Macedonia prima Diœceſi PP. Illyrici Prouinciæ ſex.
- Achaia
- Macedonia
- Creta
- Theſſalia
- Epirus noua
- Epirus vetus.

In Dacia ſecunda Diœceſi eiuſdē PP. Prouinciæ quinque.
- Dacia Mediteranea
- Dacia Ripenſis
- Mæſia prima
- Dardania
- Præualitana, & pars Macedoniæ ſalutaris.

Se-

Sequuntur tres Diæceſes PP. Orientis.

In Diœceſi Thraciæ Prouinciæ ſex.	Enropa
	Thracia
	Hæmimontus
	Rhodopa
	Mæſia ſecunda
	Scythia.

In Diœceſi Ponti Prouinciȩ vndecim.	Bythinia
	Galatia
	Paphlagonia
	Honorarias
	Galatia ſalntaris
	Cappadocia prima
	Cappadocia ſecunda
	Hellenoponrus
	Pontus Polemoniacus
	Armenia prima
	Armenia ſecunda.

In Diœceſi Aſiæ erant octo Prouinciæ.	Pamphylia
	Lydia
	Caria
	Lycia
	Lycaonia
	Piſidia
	Phrygia Pacatiana
	Phrygia ſalntatis.

Hæc erat tota; & prima illa Diœceſis Patriarchæ Romani, in Imperio Romano, ex qua intelligis, quid ſibi vellent Patres Concilij Arelarenſis, quando ad S. Silueſtrum ſcripſere. [Placuie etiam, antequam à te, qui maiores Diœceſes tenes, per re potiſſimùm omnibus inſinuari.] Intelligere præterea potes, cùm longè maior fuerit hæc Diæceſis cæteris Patriarchalibus, ſumma æquitsre vſos fuiſſe Apoſtolos in Eccleſiaſtico corpore diuidundo, maximȩ Eccleſiæ maximam Diœceſim tribuentes. Stare propterea Bellarminianum argumentum, qnod tu deludis. [Si ſolis ſuburbicarijs Romana Diœceſis definita fuiſſet, minor fuiſſet Alexandrina, & Antiochena, quod eſt abſurdum.] Et quidem apud omues, qui iuſtè viuunt, abſurdum, & inæqualia eſt, aue æqualium, aut inæqualibus æqualia diſpertiri, pugnatque id cum ea ratione, qua Deus vniuerſum adminiſtrat. Tnque, ſi vel in iure, vel in Phyloſophia morali tantiſper verſatus es, id ignorare non potes. Oſtendit igitur à priori, ve Logici loquuntur, hoc argumentum, quod nos à poſteriori, & quaſi digito tibi demonſtrauimus.

Et cur Irenæum putas, iam tum Eccleſiæ Romanæ non ſolùm potentiorem principatum tribuiſſe, ſed & maximæ titulum? Tu vaticinare quod lubet, ego illum poteſtatis, hunc amplitudinis, indices eſſe reor. Ex ingenti hac Eccleſiæ Romanæ Diœceſi ſubtractæ ſunt, vt dictum ante eſt, tres poſtremæ Imperij Diœceſes, vt conſtitueretur Diœceſis Patriarchæ Conſtantinopolitano. Quare neque Romana Diœceſis, neque Conſtantinopolitana conſtitutæ ſunt iuxta formam ciuilium Diȩceſeon. In ſola Prȩfectura Orientis tribus reliquis Patriarchis Diœceſes datæ fuerȩ, duæque, ex eis in ſola Comitiua. Quare ſi Patriarchas cum Præfectis, & Eccleſiarum Diœceſes cum Præfecturis, ſeu Diœceſibus Imperij enumerate pergas, dicam tibi, [& ſolem geminum, & duplices ſe oſtendere Thebas.]

Neque Diœceſes ſolæ, ſed ipſæ etiam prouinciæ Eccleſiaſticæ frequentet diuerſæ erant à prouincijs ciuilibus. Exemplo ſit Iralia, cuius in Nòtitia erant prouinciæ ſeptendecim: attamen in Eccleſia antiquitùs non fuerunt niſi quatuor Metropolitani, Romanus, Mediolanenſis, Rauennas, Aquileienſis. In Diœceſi Ægypti eranr ſex Imperij prouinciæ, Ægyptus, Thebais, Libya, Pentapolis, Arcadica, Auguſtamnica. At in Diœceſi Eccleſiaſtica eranr decem Metropoles, ſic enim ſcribunt Theodoſius, & Arcadius ad Dioſcorum epiſtola, quæ recitata eſt actione prima Concilij Chalcedonenſis. [Igitur Tua Sanctitas, ſumpris ſecum decem Metropolitanis Epiſcopis, qui ſub tua degunt Diȩceſi, & alijs ſimiliter decem ſanctis Epiſcopis, Kal. Aug. Epheſum Mettopolim Aſiæ conuenire feſtinent.] In Diœceſi Britanniarum eraut quinque prouinciæ. Attameu Sanctus Gregorius Magnus duos tantùm in ea Metropolitas inſtituit, Cantuarienſem, & Eboraceuſem. Quid plura? Tempore Caroli Magni in toto Imperio eius non fuerunt iu Eccleſia niſi viginri duæ prouinciæ, tot enim Metropolitauos enumerat ipſe anno Domini 811. In teſtamenro ſuo, cum tamen duæ ſolȩ eius Diœceſes Gallica, & Iralica conſtarent ex 34. prouincijs. Poſſem id ipſum demonſtrare in alijs partibus Eccleſiȩ, & Imperij, ſed vereor ne ſim faſtidio lectori, dum in re nimis nota moroſè eum detineo.

CAPVT VI.

Soluuntur argumenta, quibus Suburbicarius contrahit Romanum Patriarchatum ad centeſimum lapidem.

TRribus Argumentis cap.4.diſs.2.Suburbicarius centeſimum lapidem couſtituit terminum Romanȩ Diœceſi, quorum primum eſt chimȩricum, ſecundum euertit ſententiam eius, meamque confirmat; tertium, & petit principium, & nihil concludit. Primum eſt conuenientia Politiȩ Eccleſiaſticȩ cum publica, quȩ omnia argumentorum genere reprobata, nouam teſponſionem non requirit.

Secundùm eſt lex 62. de hȩret.C. Theod. in qua Imp. Theodoſius, & Valentinianus ſchiſmaticos Romanos arceut ad centeſimum lapidem: ſchiſmaticorum ſcilicer pœna, inquit, hȩc inter alias fuit, vt extra Epiſcopatus eius terminos relegarenrur, intra quem ab Epiſcopi communione ſe ſeparaſſent, ſed hoc aſſertum hoc vno exemplo probat, quod ad eum modum Donatiſtas Carthagine, & pronincia adeò Proconſulati Aphrica pulſos, reſtatur Opratus, & Hieron. Chronico: hȩc ille.

Dixi ego, hoc argumentum euertere ſententiam Suburbicarij, & meam confirmare, quo modo, audi. Epiſcopum Carthaginenſem fuiſſe Metropolitanum Africæ Proconſulatis,

laris, & primatem Diœceſis Africanæ, & nos ante probauimus, & ſatetur Suburbicarius ipſe huius diſſertationis c. 2. Donatiſtę communione ab eo ſeparati Carthaginenſem Eccleſiam grauiſſimo ſchiſmate lacerauerant. Eijciuntur verò hac lege non extra Diœceſim Africæ, ſed extra prouinciam Africæ Proconſularis, cuius hic erat Metropolitanus. Quare ab hoc exemplo id vnum colligi poteſt, ſchiſmaticos abigi conſueuiſſe extra illas prouincias, in quibus deliquiſſent, non etiam extra Diœceſes Epiſcoporum ſuorum. Cum igitur ſchiſmaticos Romanos Impp. citata lege pelli iubeant ad centeſimũ ab Vrbe lapidem, reſtat, vt ex hypotheſi centeſimus lapis prouinciæ non Diœceſis Romanæ terminus eſſet, ſed ne id quidem ſequitur, ſiquidem ad centeſimum lapidem ſchiſmatici Romani ideò pelli iubentur, quia ad centeſimum ab vnaquaque vrbe, quam ſcindebant, milliare, ſchiſmaticos omnes relegare, iuſtum videbatur, quod poſtea iure firmatum eſt, vt habetur in lib. 35. C. Theodoſ. de Epiſc. & cler.

In tertio argumento ſupponit, duplicem tantum fuiſſe Italiæ notionem [& alteram altera anguſtiorem, prima, & latiore Italiam generaliter dictam complexam eſſe totam Italiam cum Vrbe Roma, & Suburbicarijs regionibus; ſecunda, & auguſtiore, eam tantùm Italiæ partem, quæ vltra centeſimum ab Vrbe milliarium conſtituta Mediolanum Metropolim habebat, quæ ab Vrbanis regionibus Italiæ nomine diſtinguebatur, ſimili modo à Roma, Romanæque Vrbis, & Epiſcopi Diœceſi, Italiam, Italiæque Epiſcopos ſolitos ſeparari, illos Romanum, iſtos Mediolanenſem Epiſcopos, Metropolitanos habuiſſe. Atque ita demouſtratum putat, Romanam Diœceſim, Mediolanenſi longè minorem fuiſſe, cum longè maior Italiæ pars eſſet extra ſuburbicarias, & centeſimum lapidem, quàm intra.

Quòd Epiſcopus Mediolanenſis fuerit Metropolitanus Italiæ, veriſſimum eſt, cùm S. Athanaſius epiſt. ad ſolit. & Theodor. lib. 2. cap. 15. Dionyſium Epiſcopum Mediolanenſem Italiæ Metropolitanum appellent. Cæterùm ſicut Ægyptus Ægypti, Syria Syriæ, Africa Africæ, Thracia Thraciæ, Europa Europæ, ſic etiam Italia Italiæ ſpecialis prouincia fuit, eiuſque Metropolis Mediolanum. Inter Patres Concilij Arelatenſis reperias Epiſcopum Mediolanenſem hac nota. [Ex prouincia Italiæ ciuitate Mediolanenſi Oroſius Epiſcopus, Nazaræus lector.] Quæ prouincia non complectebatur certè italiam totam vltra centeſimum lapidem; Enim verò in eodem numero fuere [Ex prouincia Campaniæ, ciuitate Capuana Protus Epiſcopus &c. Ex prouincia Apuliæ, Ciuitate Arpienſium Pardus Epiſcopus &c.] Neque ierim inficias, Hieronymum in Chronico, hoc ſenſu Italiam accepiſſe, cum dixit: [Poſt Auxentij feram mortem, Mediolani Ambroſio Epiſcopo conſtituto, omnis ad rectam fidem Italia conuertitur, & Ambroſium in Luc. cap. 20. [Diſſenſionum omnium procella deferbuit, cuncti ſęcularis cupiditatis ardores, æſtuſque omnes, quibus Italię populus per Iudaicę olim Arianæ proximè ſæuitatis incendia coquebatur, ſereno iam ſpiramine temperantur.] Solam nimirùm prouinciam ſuam, quæ hinc Galliæ, hinc Venetiæ agris terminabatur, auctoritate ſua Auxentius infecerat Ariana lue.

Quare cum indè ad contiguos Venetos, & Gallos virus ſpargi cœpiſſet [Damaſus in Eccleſiæ Romanæ primatu ſucceſſor Liberij, inquit Theudoretus, nonaginta habuit Epiſcopos ex Italia, & Gallia in vnum coactos] quorum conſenſu Synodicè Auxentius nominatim damnatus eſt, eiuſque iniquis conatibus obuiam itum. Huius Synodi Patres epiſt. ad Illyricos ſcribunt. [Significatum eſt nobis à fratribus, qui in Gallia, & in agro Venetorum habitant, nonnullos ad hæreſim amplexandam omni ſtudio incumbere.] Igitur Italia, quæ cum Auxentio defecerat, neque porrigebat ſe in agrum Venetum, cui iure Archiepiſcopali præſidebat Epiſcopus Aquileienſis, tunc Valerianus in Synodo Damaſo proximus, neque in alias Italiæ partes; ex quibus Romam tantus Epiſcoporum numerus conuenerat, ſi enim alias Italiæ partes infeciſſet, quid erat, quòd prima Galliæ, & Venetiæ contagione expreſſa, aliæ reticerentur? Quæ eſſet hæc prouincia, diſertè monet teſtamentum, quod ante Pipini mortem condidit Carolus Magnus. [Italia quæ Longobardia dicitur.] Hæc igitur eſt illa Italia tota, quæ poſt Auxentij mortem ad rectam fidem conuerſa eſt, & cuius Metropolitanus erat, & eſt Epiſcopus Mediolanenſis. Ad quam ſcribens Ambroſius ipſe lib. 7. epiſt. 1. [Ambroſius, inquit, Seruus Chriſti, vocatus Epiſcopus fratribus per omnem Italiam conſtitutis ſalutem in Domino æternam.]

Hinc intelligere potes, grauiter erraſſe te, dum duas tantùm Italiæ notiones feciſti, cum reuera ſint tres, & niſi tecum de vna litigem, quatuor, quas dum ignoras, in caſſes inextricabiles te conieciſti. De latiori notione nulla inter nos controuerſia eſt, quòd ſeptendecim prouincias complectatur. Anguſtiorem probaui, duæ reliquæ reſtant, de quibus nunc dico, neque de meo capite quicquam, ſed ea tantùm, quæ tu ipſe confeſſus es.

Italiam generatim acceptam in duas Diœceſes diuiſam fuiſſe fateris, & benè cap. 4. primæ Diatribæ pag. 23. [Vt hoc proindè ſenſu, inquis, duæ iam nobis in Italia generalibus accepta Diœceſes conſtituendæ ſint, Italia videlicèt *idioticos* ſic dicta, & Roma cum vrbicarijs, ſeu ſuburbicarijs regionibus.] Accipiamus id aſſertum, & addamus alterum pag. ſequenti. [Ad eum quoque modum Vicarius Italiæ, à Vicario Vrbis Romæ diſtinguitur.] Atque ita tecum dicamus, duas eſſe in Italia Diœceſes, Vrbanam vnam, Italicam alteram, ita inter ſe diſtinctas, ſicut vicariatus Italiæ, & vicariatus vrbis: ex quibus vni Italicæ Italiæ ſpecialiter acceptæ nomen hæſit. Neque verò ſudandum eſt, vt ſciamus, quænam eſſet Vicarij Italię Diœceſis, ſiquidem in notitia Imperij Occidentalis, grandioribus literis legitur. [Sub diſpoſitione 6. Vicarij Vrbis Romæ prouinciæ infraſcriptæ. Conſularis Campaniæ, Tuſciæ, & Vmbriæ, Piceni ſuburbicarij. Siciliæ, Corrector Apuliæ, & Calabriæ, Brutiorum, & Lucaniæ Præſides Samnij, Sardiniæ, Corſicæ, Valeriæ.] Hæc in notitia, reſtabant ideò ſub diſpoſitione 6. Vicarij Italiæ Conſulatores quatuor [Venetia,

tia,

tia, & Hiſtria, Æmilia, Liguria, Flaminia, & Picenum annonarium Præſidiales tres. Alpes Cottiæ, Rhetia prima, & Rhetia ſecunda.] Quare per tua principia ex ſolis iſtis prouincijs conſtabat Italia ſpecialiter accepta. Huc ſpectat, quod diſſert. 2. cap. 4. citas ex Athanaſio ad ſolitariam vitam agentes. [Erant enim plures in hac Synodo, quàm quadringenti, tum è magna Roma, atque vniuerſa Italia, Calabria, Apulia, Campania, Bructia, Sicilia, Sardinia, Corſica.] Vides quomodo diſtinguit Athanaſius Italiam, non tantùm à centeſimo lapide: ſed etiam à prouincijs Vrbicarijs, quæ etſi Vicario Vrbis erant ſubiectæ, ab vrbe tamen, pro maiori parte longè, latèque diſtabant? Quod fecit Athanaſius, hoc ipſum fecit, & Synodus Sardicenſis, de qua ibi loquitur Athanaſius, huno titulum affigens ſynodicæ ſuæ. [Sancta Synodus Dei gratia Sardicę congregata ex Vrbe Roma Hiſpanijs, Gallijs, Italia, Campania, Calabria, Apulia &c.] Certè verò iſti Concilio interfuere, ex prouincia Venetię, Fortunatianus Epiſcopus Aquileienſis. Ex prouincia Italię, Protaſius Mediolanenſis, Vrſacius Brixienſis. Ex prouincia Flaminię Seuerus Rauennas, & ex alijs prouincijs alij, qui ſubſcripſerunt hac forma, vt videre eſt in fragmento, quod inter opera Hilarij publicauit Pirheus. [Lucius ab Italia de Verona, Fortunatianus ab Italia de Aquileia, Seuerus ab Italia de Rauenna, Vrſacius ab Italia de Brixia, Protaſius ab Italia de Mediolano.] Hi omnes ex Diœceſi Italica, & ideo ſic ſubſcripſerunt. Cœteri Vrbanę Dięceſis non ita [ſed Vincentius à Campania de Capua, Ianuarius à Campania de Beneuento, Maximus à Thuſcia de Luca, Stercorius ab Apulia de Canuſio, Calepodius à Campania.] Hanc igitur fuiſſe notionem Italię ſpeciatim acceptam, negare non potes, niſi cum ratione ſenſum exuas, & quod ſemel ędificaſti, iterum deſtruas.

Reliqua eſt, quę tua eſt, quarta Italię acceptio, de qua non prius dico, quam abs te circa iſtam acceptionem vnius argumenti ſolutionem expoſcam, & ne, vt Baronio, & Bellarmino, mihi etiam *aſylogiſtiam* obiectes, dicam in forma. Regiones illę erant Vrbicarię, & Suburbicariæ, ex quibus conſtabat Dięceſis Vicarij Vrbis Romę: ſed Dięceſis Vicarij vrbis conſtabat ex decem prouincijs, quę protenduntur ad extremos Italię fines, & ad inſulas adiacentes; Ergo iſtę prouincię erant omnes ſuburbicarię. Quomodo igitur ſuburbicarię non excedebant centeſimum ab vrbe lapidem, quod vnum tuis hiſce diſſertationibus nobis occinis? Maior propoſito tua eſt, Minor notitię argumentum in forma, ſolutionem expecto.

Quarta Italię notio ex tuis Diatribus ſurgit nobis, Italia ſcilicet vniuerſa duobus Pręfectis vrbis, & Pretorio diſtributa, in duas Dięceſes per te diuidebatur, Vrbanam, & Italicam, Vrbana comprehendebat omnes, & ſolas prouincias intra centeſimum ab Vrbe lapidem ſitas, Italica quicquid in tota Italia vltra centeſimum lapidem reliquum eſt. Hinc Italiam ab vrbicarijs, & ſuburbicarijs diſtinctam, eiſque oppoſitam non rarò reperiri ais.

Poſſem equidem validiſſimis argumentis configere tuam hanc Chimęram, ſed otioſum puto, te de ſingulis caſtigare, & ideò vnum hoc dicam, inexcuſabile, & plumbeum erratum eſſe regiones ſuburbicarias tribuere Pretorio vrbi, & adimere Pręfecto Pretorio, cum in notitia Imperij omnes nominatim collocentur ſub diſpoſitione Pręfecti Pretorio Italię, & nulla prorsùs ex eis, nullus earum magiſtratus ſub diſpoſitione Pręfecti vrbi, etſi fortè notitię minus crederes, Zoſimus preſto eſt. Quę igitur tua, aut ſtupiditas, aut audacia hęc? Talpas ne, an ſaxa lectores arbitrabare?

Argumentum verò tuum ab appellationibus, quę intra centeſimum ab vrbe lapidem deferebantur ad P. V. vltra centeſimum ad PP. nullius eſt ponderis, nunquid enim in ſolo iure dicendo rerum adminiſtratio poſita eſt? ſi ita eſſet, non fuiſſent in diſpoſitione principum Pręfecti Pretorio, à quibus appellare ad principem non licebat; totumque Imperium Romanum fuiſſet aliquando Diœceſis P.V. quia, vt tu ex Vobiſco in Floriano probas, aliquando ex toto orbe ad P.V. prouocatum eſt. Si omnes Magiſtratus harum prouinciarum erant in diſpoſitione PP. quod notitia monet, & omnes fatentur, ſi eorum nutu cuncta regebantur, ſi, appellationibus exceptis, nil iuris in eas prouincias habuit Pręfectus Vrbi, quis quęſo patienter audiat, has prouincias fuiſſe ſub adminiſtratione Præfecti Vrbi, non Pręfecti Pretorio? Et tamen hic fundus tuus, hic diſſertationum tuarum cardo eſt.

Sit tamen vt vis, habeat hanc Dięceſim P. V. Iam ergò in Imperio Romano erunt quatuor Italię notiones, prima, Italia vniuerſa, Secunda, Italia Vicaria, Tertia, Italia Prouincia, Quarta tuaque Italia prefectura, qua fortè de cauſa in notitia Imper. Occid. reperias conſulares per Italias octo. Italias plurium nomine poſuit ob varias Italię ſignificationes, & diſtinctiones. Italia vniuerſa in re Eccleſiaſtica ſolùm Romanum Pontificem caput habuit, vt ante probatum, Vicaria Italica, nulli vnquam ſpeciali Metropolitano ſubiecta fuit, nulli tua prefectura Italica, ſed ſola prouincia Italię Mediolanenſem Epiſcopum Metropolitanum agnouit, & hęc adeò conſpicua ſunt in hiſtoria ſacra, vt ea non poſſis non videre, etiam ſi exoculeris.

Quando igitur, inquis, Italię notio duplex tantùm eſt, falleris, cum ſit quadruplex. Quando ſubdis [Italia ſpecialiter accepta ſumitur pro prefectura Italica] erras, ſiquidem frequenter ſumitur, vel pro Vicaria Italica, vel pro prouincia Italica, etſi contendam, nunquam ſumetur pro præfectura Italica, non enim id probant loca, quibus niteris.

Quando pergis, [Epiſcopi Eccleſiæ Mediolanenſis diſtinguuntur ab Epiſcopis Eccleſiæ Romanæ per nomen Italiæ,] veriſſimum eſt, ſed eodem nomine non rarò diſtinguuntur etiam ab Eccleſia Romana Epiſcopi Eccleſiæ Aquileienſis, & Rauennatis, & quando ab omnibus alijs Epiſcopis hoc nomine ſecernuntur Epiſcopi Mediolanenſes, Italia ſumitur anguſtiſſimè pro Prouincia, non pro Præfectura, aut Vicaria Italiæ. Quando ais, [Maior erat Diœceſis P. Prætorio Italiæ, quàm Præfecti vrbi,] nil verius, cum & P. vrbi nul-

lam Diœceſim haberet, & longè maior Italiæ pars eſſet vltra, quàm intra centeſimum lapidem. Cum tandem colligis, [ergo Diœceſis Papæ erat intra centeſimum lapidem, Mediolanenſis, hac excepta, occupabat Italiam vniuerſam, principium ridiculè petis, ſupponis enim Mediolanenſem Epiſcopum habuiſſe Diœceſim, & fuiſſe non tantùm Metropolitanum, ſed Patriarcham, & Diœceſim Papæ conſtitutam iuxta Diœceſim P. V. quæ falſiſſima ſunt, neque perſuaſibilia niſi homini, qui rerum Eccleſiaſticarum, ne prima quidem elementa didicerit. Tuæ igitur Diatribæ, meri fumi ſunt, nebulæ meræ.

Poſt rationes tamen ad auctoritates glorioſè nos prouocat Suburbicarius, & inquit. Vt de multis, & innumeris pauca nunc ſeligam. Apud Euſebium lib. 7. hiſtor. Eccleſ. cap. 24. Imperator Aurelianus de ea re rogatus, [ſententiam ſanctiſſimè quid eſſet agendum decreuit. Præcepit enim, vt domus Eccleſiæ illis tribueretur, quibus Chriſtiani Italiæ, & vrbis Romæ Epiſcopi per literas tribuendam præſcriberent.] Vbi fortè Italiæ Epiſcopis Epiſcopus vrbis Romæ ſtudioſè ſubijcitur, quia ſi quæritur auctoritas, Italia certè maior eſt vrbe, & vt ſingulos Italiæ Epiſcopos Epiſcopus vrbis Romæ auctoritate vincebat, ita omnibus cedere debebat. Hieronymus epiſt. ad Euag. [Si quæritur auctoritas, Orbis maior eſt vrbe, vbicumque fuerit Epiſcopus, ſiue Romæ, ſiue Eugubij, ſiue Conſtantinopoli, ſiue Rhegij, eiuſdem eſt meriti, eiuſdem eſt ſacerdotij.]

Vult probare, diſtinctos eſſe ab Epiſcopis Romanæ Diœceſis Epiſcopos Italię, Italię inquam pro Pręfectura ſua, & affert teſtimonium Aureliani, quo, vt ipſe putat, diſtinguitur Epiſcopus vrbis Romę ab omnibus alijs Epiſcopis Italię. Id vero quis negat? Non eſt hoc, quod probare debes, Suburbicari, ſed quòd Epiſcopi Italiæ, qui ſunt extra centeſimum, non ſint in Diœceſi Papæ, ſed in Italia, qui intra centeſimum, non in Italia, ſed in Diœceſi Papæ. Id ſi non probas, vt reuera non probas, deſperata res eſt.

Pugnas tamen, quamquam à curru delapſus, & Hieronymi teſtimonium nobis opponis, qui certè conſideratus nihil facit ad cauſam. Reprehendit nimirùm Hieronymus Epiſcopum, qui Presbyteris Diaconos anteferebat. Reprehenſionis verò eius cardo eſt, Epiſcopum, & presbyterum eſſe vnum tantummodo ordinem, Presbyteratum, & Diaconatum duos, & iſtum inferiorem illo. Quare vbicumque Presbyter ſit, ſemper ei cedere debere Diaconum, quia vbicumque Epiſcopus eſt, ei ſemper Diaconi cedunt, ſiue Romæ ſit, ſiue Eugubii, ſiue Tanais, cum vbicumque ſit eiuſdem meriti, eiuſdem ſacerdotii. Loquitur ideò Hieronymus de Epiſcopatu, quò ad ordinem Sacramenti cum cæteris ordinibus, non quò ad ordinem politicum reſpectu Epiſcopalium dignitatum. Nos etiam fatemur, Romanum Pontificem, quò ad ordinem Epiſcopalem omnes alios Epiſcopos pares habere, ſiue Eugubij ſint, ſiue Tanais, ſiue alterius cuiuslibet loci. At quò ad ordinem ſacræ Politiæ, Epiſcopos Archiepiſcopis, hos Patriarchis, Patriarchas Pontifici ſubiectos eſſe tenemus. Idque nunquam negauit, millies aſſeruit S. Hieronymus verbis paulò diuerſis eamdem rem ſic Nicolaus I. [Communes Eccleſiæ contumelias repellamus, qui commune ſacerdotij culmen in Chriſti Eccleſia ſinguli ſecundùm ſuorum qualitatem priuilegiorum promeruiſſe dignoſcimur.]

Tuebatur Epiphanius ſententiam ſuam conſuetudine Vrbis, in qua [ad teſtimonium Diaconi Presbyteri ordinabantur.] Cui reſpondet Hieronymus. [Si auctoritas quæritur, Orbis maior eſt Vrbe.] Cæterum ſi ſine inuidiæ conſpicillijs rem intueare, hic, qui tibi videtur Elephas, vix, ac ne vix quidem erit formica. Auctoritas duplex eſt, poteſtatis, ſiue iuriſdictionis, & vſus, ſiue conſuetudinis, nam hæc etiam conſtituit ius, quod tu, vtpotè I. C. ignorare non potes. In hoc genere tantùm totius Orbis maior auctoritas eſt, quàm ſolius vrbis; vt enim inquit S. Auguſtinus, [Illa, quæ non ſcripta, ſed tradita, cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum Orbe obſeruantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenarijs Concilijs, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata, atque ſtatuta retineri.] Supponunt ideò huiuſmodi res conſenſum ſummi Pontificis, & ab eius poteſtate pendent. Si enim ab Apoſtolis inſtituta ſunt, non ſine Petro, ſi à Concilijs plenarijs, non ſine Papa. At ſecundum auctoritatem poteſtatis, & iuriſdictionis vrbs maior eſt orbe, quod de antiqua Republica ciuili tu non negares, & de Repub. Eccleſiaſtica à me monſtratum eſt; nulla enim gregis vtcumque magni in paſtorem poteſtas. Opponebat Epiphanius non poteſtatem poteſtati, aut iuriſdictionem iuriſdictioni, ſed conſuetudinem conſuetudini, & ideò rectè Hieronymus, [Si auctoritas quæritur, Orbis maior eſt vrbe.] Tantum vero abeſt, vt in hoc genere Pontifex ex conſuetudinibus Eccleſiæ Romanæ præiudicium inferat Orbi vniuerſo, vt potius conſuetudines ſuas (quę tamen fidei, & bonis moribus non aduerſantur) inuiolatas relinquat omnibus Eccleſijs Orientis, Occidentis, & Italiæ ipſius, & ideò, vt inquit Auguſtinus, [diſciplina nulla eſt in his melior graui, prudentique Chriſtiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quamcumque fortè deuenerit.] Itaque tranſcendis tu (callidè, an inſcienter non dico) ab vno genere auctoritatis ad aliud, & ideò vt ſoles, verbis tantùm pugnas, non re.

Riſum non potui continere, vbi vidi, te ſubijcere Pontificem Epiſcopis Italiæ, quia Aurelianus prius nominauit Epiſcopos Italiæ, & poſtea Romanum. Etiam Apoſtolus ad Galatas cap. 4. [Abraham, inquit, duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. Et 1. ad Corinth. 3. Quid igitur eſt Apollo? quid verò Paulus?] Num ideò tu, aut filio Ancillæ ſubijcies filium liberæ, aut Paulum Apollo? Sed nimiùm antiquus ego, qui quaſi quiſquam cauillis hiſce tuis decipi poſſit, in huiuſmodi nugis tempus tero.

[Poſtquam probaſti, quòd nos ſponte conceſſimus, Epiſcopum Mediolanenſem eſſe Metropolitanum Italiæ, pergis, & inquis.]

[Omitto alia ſciens volens innumera. Ex his enim, vel ſolis iam ſatis apparet, à

Ro-

Romanis Eccleſijs Italicas, vt nominibus, ita etiam inſpectione, ſeu *eidemania* diſtinctas fuiſſe, quarum Metropolis Mediolanum fuit, vt totius Italiæ generalius acceptæ Roma Metropolis erat. Et hoc ſenſu Liberius ipſe apud Socratem lib. 4. c. 11. ſe *Epiſcopon Italias* nominat.]

Fateor vtique, Liberium ibi (nouo tamen, & ſingulari exemplo) reperiri Epiſcopum Italiæ, ſed ratione, quam dico. Eccleſias aliarum regionum ſuæ Diœceſeos Romani Pontifices committere ſolebant alijs Epiſcopis cum titulo Vicarij primùm, Primatis poſt, & Patriarchæ tandem, ſic in Illyrico Theſſalonicenſi, in Bulgaria Epiſcopo primæ Iuſtinianæ, in Gallia, vel Lugdunenſi, vel Rhemenſi (id enim non litigo) in Suetia Lundenſi, in Hiſpania Hiſpalenſi, & alibi alijs. Italicas verò nemini vnquam hoc iure commiſerunt, ſed eas immediatè tanquam Patriarchæ rexerunt ſemper. Audiſti ſupra omnes Epiſcopos Italiæ in Synodo Romana ſub Felice III. [Quoties intra Italiam propter Eccleſiaſticas cauſas præcipuè fidei, colliguntur Domini ſacerdotes, conſuetudo retinetur, vt ſucceſſor Præſulum ſedis Apoſtolicæ, ex perſona cunctorum totius Italiæ ſacerdotum, iuxta ſolicitudinem ſibi Eccleſiarum omnium competentem, cuncta conſtituat; quæ caput eſt omnium. Ante quos Iulius primus apud Athan. Apol. 2. Tametſi ſolus ſum, qui ſcripſi, non mea tamen ſolius ſententia eſt, ſed omnium Italiæ, omniumque in his regionibus Epiſcoporum.] Etiam Epiſcopus Antiochiæ babebat duos primates in ſua Diœceſi; vt aſſerit Volateranus in Antropologia, & Conſtantinopolitanus alios, vt conſtat ex canone 9. & 17. Concilij Chalcedonenſis, in quibus grauati à Metropolitanis, aut primatem Diœceſeos adire iubentur; aut ſedem Regiæ Vrbis Conſtantinopolis. Malo nimirùm ſic primatem interpretari cum Greg. IV. cap. Decreto 2. q. 6. quàm aliter cum Nicolao primo, quamuis & Nicolai interpretationem probabilem eſſe putem, vt aliàs dicam. Itaque reſpectu principalis, & immediatæ ſuperintendentiæ Patriarchalis reſeruatæ ſibi, Liberius appellari potuit Epiſcopus Italiæ. Hac etiam ratione Paulus vocatur Doctor gentium, & non Doctor Iudæorum, & Chriſtus dixit: [Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael:] nihilominus Paulus cum gentibus, docuit etiam Iudæos, & Chriſtus miſſus eſt pro totius mundi ſalute.

Sed illud notatu dignum eſt, quòd tu diſtinxeras Italiam generaliter acceptam in Suburbicarias, & Italiam *Idioticos* dictam. Iſtam Epiſcopo Mediolanenſi, illam Romano ſubieceras. Neque huius Diœceſim vltra centeſimum lapidem porrigi poſſe aſſerebas: Nunc autem Romanum facis Metropolitanum totius Italiæ generaliter acceptæ, eique conſequenter ſubijcis, & Mediolanenſem, & cæteros omnes Epiſcopos Italiæ. Quæ immemoria hæc? Certè pœnitet, dixiſſe me, hominem eſſe te ingenii minimè obtuſi. Neque tamen diu hìc pedem figis, ſed hac deſerta, confeſtim repetis primam cantionem, & inquis.

Certè hìc, & illud prioribus conſequentèr obiter adnotandum, in Occidente ſummam, ſed æquam Epiſcopi Romani, & Mediolanenſis auctoritatem fuiſſe. Sulpitius Seuerus noſter, qui circa annum Domini 400. ſcripſit lib. 2. ſacræ hiſtoriæ. [Priſcillianiſtæ vbi Romam peruenere, Damaſo ſe purgare cupientes ne in conſpectum quidem eius admiſſi ſunt. Regreſſi Mediolanum æquè aduerſantem ſibi Ambroſium repererunt. Tum vertere Conſilia, vt quia duobus Epiſcopis, quorum ea tempeſtate ſumma auctoritas erat, non illuſerant, largiendo, & ambiendo ab Imperatore cupita extorquerent.]

Tu ex eorum numero es, Suburbicari, [quorum ego nequitiam, dicebat ille, duplici odio dignam iudico, vel eò quòd hæreſeos venenum propinare alijs non extimeſcunt, vel eò etiam quòd ſancti cuiuſque viri memoriam tanquam ſopitos iam cineres prophana manu ventilant, & quæ ſilentio ſepeliri oportebat, rediuiua opinione diffamant.]

Poterat quidem Sulpitius & apertiùs, & cautiùs loqui, ſed poſſibile non eſt, omnia verba ita trutinare, vt non interdùm aliquid minus limatum excidat nobis. Id tamen limaſſet etiam Sulpitius, ſi aut ei veniſſet in mentem, vllo vnquam tempore hinc impugnatum iri Romanum primatum, aut vaticinari potuiſſet, poſt annos mille ducentos hominem naſciturum, qui ob iſthæc verba æquaturus eſſet Cathedram Mediolanenſem Romanæ, Sacrilegium, quo non modo Ambroſius quamdiu vixit numquam impiauit ſe, ſed, vt oſtendi ante, omnem operam dedit, vt ab alijs (etiam Orientalibus) quàm maximè caueretur. Damaſi auctoritas triplici titulo ſumma erat, Sanctitate, Doctrina, Cathedra; Ambroſij itidem triplici, ſanctitate, doctrina, familiaritate Imperatoris, qui tum Mediolani degebat. Quòd ſi Cathedræ auctoritatem reſpexiſſent Priſcillianiſtæ, nunquam adiiſſent Ambroſium, quid enim iuris Eccleſiæ Mediolanenſi in Eccleſias Hiſpaniarum, ad quas per Ambroſium reſtitui cupiebant? Si tu miſiſſes Romam Diatribas tuas ad Paulum Quintum Pontificem Maximum, & ad Robertum S. R. E. Cardinalem Bellarminum, vt eorum auctoritate probarentur, rogatus cur ita feceris, rectiſſimè reſponderes, quia in Eccleſia Chriſti vtriuſque viri ſumma auctoritas eſt. Iniuriam nihilominus tibi faceret, quiſquis colligeret hinc, vel putaſſe te ſummam vtriuſque auctoritatem eiuſdem generis eſſe, vel te hoc reſponſo Cardinalem æquare voluiſſe Pontifici. Pudeat ergo, & te auctoritatem cum poteſtate confundere, nugarique ita fallaciter, & captioſè tanta in re.

Neruis ſecundæ tuæ Diatribæ hunc in modum conciſis, reliquum eſſet, Suburbicari, vt in primam etiam calamum ſtringeremus, in qua certè errorum ſeges paulò minus copioſa eſt. Cæterum neque patientia Lectoris abuti honeſtum eſt, & huiuſmodi inutiles quæſtiones, genealogiaſque interminatas ſectari prohibet verbum Dei. Inutilem dico, quia ſi à poteſtate Pontificis ſubducere te volebas (quod vnum ſcriptionis tuę ſcopus eſt) oſtendere primo debuiſſes, Romanum Pontificem nullam habere poteſtatem, niſi in ſua Diœceſi ſpeciali. Deindè eius Diœceſim ſpecialem Eccleſijs ſub-

urbicarijs contineri. Poſt, Suburbicarias Eccleſias eas eſſe, quæ regionibus ſuburbicarijs concluduntur. Et tum demùm inquirere, regiones ſuburbicariæ, quæ nam eſſent. Sed primum non attigiſti, & nos contra hanc hæreſim toto hoc libro pugnamus. Secundum probaſti ſola auctoritate Ruffini, qui tamen apertiſſimè ſuburbicarias Eccleſias appellat eas, quæ ſub vrbana Metropoli conſtitutæ, vrbanam, ſeu mauis vrbicariam, vel ſuburbicariam Prouinciam formant. Quare de tertio, & quarto non eſt quòd laboremus.

Cum igitur à Ruffino tuo cum omnibus hiſce tuis diſſertationibus hoc vnum aſſequi poſſis, ne in Gallia conſtitutus Papæ ſubiectus ſis tanquam Metropolitano (neque enim ab eius Patriarchatu potes ſubducere te) tu quoque huic labori parcere potuiſſes, id enim citra omnem Dei offenſam, & ſine vlla animæ, nominiſque iactura à nobis pacificè impetraſſes, ſic per nos quicumque vult (& ſanctus etiam) extra Prouinciam Papæ, at non ita extra Eccleſiam, cuius caput eſt Papa. [quicunque enim extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt.] Iam ergo, hoc primæ periodi ſcopulo ſuperato, ad ſecundam calamum conuertamus.

CAPVT VII.

Ex rebus in Oriente geſtis ab Anno Chriſti 500. ad 800. quæ eſt ſecunda Anonymi periodus, demonſtratur, Catholicos Orientales toto eo tempore agnouiſſe, & veneratos eſſe Romanum Pontificem tanquam ſupremum Caput Eccleſiæ Chriſti.

CONſtantinopolis Epiſcopatum Macedonius Orthodoxus, Imperium Anaſtaſius Eutichianus, Acatianarum partium ſtudioſiſſimus, initio ſexti ſæculi obtinebant, contrarijs inter ſe ſtudijs Chalcedonenſe Concilium proſequentes, eòque iniquior erat Anaſtaſius Macedonio, quod hac de cauſa Symmachus Papa à communione fidelium illum ſegregauerat. [Porrò Imperator, inquit Nicephorus Monachus, Macedonium Conſtantinopoleos Epiſcopum cogebat anathematizare Calcedonenſe Concilium, quemadmodum, & Helias Hieroſolymitanus. At Macedonius abſque vniuerſali ſynodo, quæ Præſulem haberet Romanum Epiſcopum, impoſſibile fore, hoc ſe facere, fatebatur. Et Theodorus lector. Macedonium Imperator vehementer vrſit, vt idem ipſe faceret, (quod Helias) Ille verò ſine vniuerſali ſynodo, cui magnæ Romæ Epiſcopus præſideret, nihil ſe facturum dixit.] Epiſcopi Eccleſiarum Illyrici (quod, vt dixi, erat ſecunda Præfectura Imperij Orientalis) qui in ſchiſmate Acatiano deteriorem partem ſequuti fuerant, pœnitentia ducti, Symmachum Romanum Pontificem, per literas humillimè obteſtantur, vt eos Catholicæ communioni reſtituat. Extant hæ literæ in Bibliotheca Patrum, tom. 3. in quibus (bone Deus) quàm præclarè prædicant Romanum Primatum. [Hæc dicimus, Sanctiſſime, auſi ſupplicare non pro perditione vnius ouis, neque pro perditione vnius drachmæ, ſed pro amica nobis ſalute, non Orientalium partium tantùm, ſed trium propè plagarum habitabilis mundi, non corruptibili auro, aut argento redemptorum, de vana conuerſatione à parentibus tradita, ſed pretioſo ſanguine agni Dei, ſicut docuit Beatus glorioſorum Apoſtolorum Princeps Petrus, cuius Cathedram Beatitudini tuæ credidit Chriſtus optimus paſtor. Et infrà. Feſtina ad liberandum nos, quia non in ligando tantùm poteſtas tibi eſt data, ſed in ſoluendo quoque diu vinctos, ad imitationem magiſtri. Neque in eradicando, aut diruendo, ſed in plantando, atque ædificando ſecundùm B. Hieremiam, magis ſecundum Saluatorem mundi Chriſtum, in cuius ille extitit typo. Neque in tradendo tantùm ſathanæ in interitum carnis, ſed & in Charitate formando longa aduerſione deiectos ne (quod abſit) maiori triſtitia abſorptis nobis à ſathana videamini pertuliſſe diſpendium. Non enim ignoras eius ingenium, qui quotidie à ſacro doctore tuo Petro doceris, oues Chriſti per totum habitabilem mundum creditas tibi paſcere. Et poſt multa lectu digna. Feſtina, & noli tardare ad Orientis auxilium, magis autem ad maiores partes habitabilis mundi, quia non tantùm pro centum viginti millibus illis in magna conſtitutis Ciuitate Niniue, ſed à multò plurimis ſpera ſpectari tuam poſt Deum medicinam.] Eodem, & pro eodem Pontifice Ennodius edidit apologeticū ſuum, in quo poſt multa, inquit, [Sanctorum voce patet Pontificum dignitatem ſedis Romanæ factam toto Orbe venerabilem, dum illi quidquid fidelium eſt, vbique ſubmittitur, cùm totius corporis caput eſſe deſignatur.] Inſtitutum meum ſequutus, mitto ſcripta à Gelaſio, ab Anaſtaſio, & Symmacho contra Imperatorem Anaſtaſium, & cęteros Acatianos, in quibus illuſtriſſima teſtimonia ſunt pro Papę Primatu. Et vnum hoc dico Acatianum ſchiſma non prius finitum eſſe, quàm eraſerint Gręci ex Diptichis nomen Acatij, & omnium ſectatorum. Vbi enim Anaſtaſius à Deo fulmine ictus interijt, & Imperium Iuſtino ſeniori delatum eſt, clariſſima legatione ad Hormiſdam Romanum Pontificem deſtinata, de Eccleſiarum pace concilianda tractari cœpit. Aſſenſit Hormiſda, modò Acatiani formula ab eo præſcripta Acatium, & eius errores eiurarent, quod & præſtiterunt, Concilio in hunc finem Conſtantinopoli conuocato. Qua de re ad Hormiſdam ita ſcribit Iuſtinus ipſe. [Negatum eſt inter diuina myſteria memoriam in poſterum fieri (pro tenore libelli, quem diximus) Acacij præuaricatoris huius vrbis Epiſcopi, nec non aliorum ſacerdotum, qui vel primi contra conſtituta venerunt Apoſtolica, vel ſucceſſores erroris facti ſunt, nulla vſque ad vltimum diem ſuum pœnitentia correcti.

Occaſione librorum Fauſti Regienſis epiſcopi, qui Conſtantinopoli ſpargebantur, Pelagiana hæreſis eodem tempore ea in vrbe pullulare cœperat, de quibus Poſſeſſor Africanus Epiſcopus, qui tum ibi degebat. Hormiſdam ita conſulit, vt & re, & nomine illum Eccleſiæ totius caput indigitaret. [Decet, & expedit, ad capitis recurrere medicamentum;

Quis

Quis enim circa ſubiectos ſollicitudinem gerit, aut à quo magis nutantis fidei ſtabilitas expectanda, quàm ab eius ſedis Præſide; cuius primùs à Chriſto Rector audiuit: Tues Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam?]

Decedit interim Ioannes epiſcopus Conſtantinopolis, ſub quo Eccleſiæ Orientis conciliatæ fuerant, eique ſuccedit Epiphanius, qui cum Concilio Conſtantinopoli conuocato ſynodicas de electione ſua ad Hormiſdam literas ſcribit, & inter cætera: [Eſt mihi, inquit, ratio magnopere, Beatiſſime, vniri me vobis, & diuina amplecti dogmata, quæ ex Beatis, & Sanctis diſcipulis, & Apoſtolis Dei, præcipuè ſummi Petri Apoſtolorum ſanctæ ſedi veſtræ ſunt tradita, & nihil eis pretioſius exiſtimare.] Mox profitetur ſingulatim iuxta formulam fidei ab Hormiſda præſcriptam. Concilium verò hoc titulo præmiſſo. [Domino noſtro ſancto, ac Beatiſſimo Patri Patrum Archiepiſcopo, & Patriarchæ Theophilus Baſiliſcus.] Poſt multa, cùm ſynodicas de electione Conſtantinopolitani ad Hormiſdam literas daret, his verbis explicat. [Igitur Eccleſiaſticam legem implentes Apoſtolatui veſtro debitum perſoluentes officium, ſperamus, vt amplius charitatis vinculum, & paternum affectum circa nos charitas veſtra cuſtodire dignetur, & ſapienti gubernatione & humilitate, quæ Chriſtianum decet, & manſuetudine, quæ ad rationabilis traditi vobis Ouilis ſalutem pertinet, peragatis.] In Diœceſibus Pontica, Aſiana, & Orientis multi renitebantur, expungere è diptichis nomina omnium Epiſcoporum, qui, durante ſchiſmate, in Acaciana communione deceſſerant. Ideò Iuſtinus Imperator Hormiſdam ſupplex orat, vt paci proſpiciens hoc indulgere dignetur. [Veniam, inquit, itaque nominum poſtulamus, non Acatij, non vtriuſque Petri, non Dioſcori, vel Timothei, quorum vocabula ad nos datæ tuæ ſanctitatis literæ continebant, ſed quos in alijs celebrauit Ciuitatibus Epiſcopalis reuerentia. Et hoc, exceptis vrbibus, vbi Beatitudinis veſtræ libellus iam in plenum admiſſus eſt, niſi hanc quoque partem beneuolentia ſtatuerit, veſtra mitius corrigendam.] Negauit id Hormiſda epiſt. 75. aſſerens, melius eſſe, & magis Deo placitum, ſi ſalua fide Eccleſiaſtico corpori iungantur abſciſſi, quàm io abſciſſos tranſeant, qui in Beati Petri immaculata communione manſerunt.] Atque ita factum. Multis retrò annorum decurijs ceciderat Imperium Occidentis, Roma auaritiæ, & crudelitati Barbarorum obiecta, ſpoliati, direptique orbis pœnas perſoluerat. Italia, amiſſa libertate, graui Regnum Gothorum iugo premebatur, Oriens ſolus tunc mundo leges dabat, Occaſum nemo, Ortū omnes ſpectabant. In hoc tamen rerum mundanarum ſqualore vides omnes Orientis Eccleſias (& Conſtantinopolitanam præſertim) Romano Pontifici ouium inſtar, Paſtori ceruices ſubmittere, eius ſe ouile profiteri, ab eo tanquam à capite membra pendere, totum habitabilem orbem ei commiſſum agnoſcere, eius arbitratu ex hominum memorijs Epiſcopos, ipſoſque Imperatores ſuos prorſus delere, ſalutem totius Orbis in eius ſolius communione poſitam prædicare. Et Eccleſiarum dignitas, & Maieſtas, antiquitatis iudicio, ſæculares Magiſtratus ſequuta fuerit? in ſola eorum conſtitutione Eccleſiarum ordo radices egerit? vltra centeſimum ab Vrbe milliarium Pontifex hoc tempore nullam iuriſdictionem exercuerit? Quis neget, non in Cymmerijs, ſed in Ægyptijs tenebris eum verſari, in viam Chaim abire, & in contradictione Choræ periturum, qui hoc ſæculo Romanum verticem toto orbe conſpicuum non proſpicit; eique eam Imperatoribus, cum Patriarchis, cum tota Eccleſia Chriſti humilis non aſſurgit? Iuſtinianus ipſe hæres Imperij, ſed non moderationis Iuſtini, quamuis audacior, quàm patiatur religio in alienam meſſem plerumque falcem immiſerit, Romanum nihilominus primatum grauiſſimis monumentis teſtatum reliquit. Retulit enim ipſe in leges ſuas lib. C. tit. 1. de ſumma Trinit. tum Epiſtolam Ioannis Papæ ad ipſum, tum ſuam ad eundem Pontificem reſponſum. Dixerat ad eum Pontifex: [Inter claras ſapientiæ, ac manſuetudinis veſtræ laudes Chriſtianiſſime principum, putiore luce tanquam aliquod ſydus irradiat, quòd amore fidei, quòd charitatis ſtudio edocti, Eccleſiaſticis diſciplinis Romanæ ſedis reuerentiam conſeruatis; & ei cuncta ſubijcitis, & ad eius deducitis vnitatem, ad cuius auctorem, hoc eſt Apoſtolorum primum, Domino loquente, præceptum eſt, Paſce oues meas. Quam eſſe omnium Eccleſiarum caput, & Patrum regulæ, & principum ſtatuta declarant, & pietatis veſtræ reuerendiſſimi teſtantur affatus. Cui reſpondens Imp. inquit: Nos reddentes honorem Apoſtolicæ ſedi, & veſtræ ſanctitati &c. omnes ſacerdotes vniuerſi Orientalis tractus, & ſubijcere, & vnire veſtræ Sanctitatis ſedi properauimus. In præſenti ergo, quæ commota ſunt (quamuis manifeſta, & indubitata ſint, & ſecundùm Apoſtolicæ veſtræ ſedis doctrinam ab omnibus ſemper ſacerdotibus firmè cuſtodita, & prædicata) neceſſarium duximus, vt ad notitiam veſtræ Sanctitatis perueniant. Nec enim patimur, quicquam quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet, quamuis manifeſtum, & indubitatum ſit, quod mouetur, vt non etiam veſtræ innoteſcat ſanctitati, quæ caput eſt omnium ſanctarum Eccleſiarum. Idem Imperator ad eundem Pontificem in Authent. vt Rom. Eccleſiæ centum annorum gaudeat præſcriptione, Vt legum originem, inquit, Anterior Roma ſortita eſt, ita & ſummi Pontificatus apicem apud eam eſſe, nemo eſt, qui dubitet, vnde & nos neceſſarium duximus patriam legum, fontem ſacerdotij ſpeciali noſtri numinis lege illuſtrare. Et lib. 7. C. de ſum. Trinit. ad Epiphanium Archiepiſcopum Conſtantinopolis. Cùm comperiſſemus quoſdam alienos à Sancta Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, impiorum Neſtorij, & Eutichetis ſequutos deceptionem, diuinum ante hac promulgauimus edictum (quod & tua nouit Sanctitas) per quod hæreticorum furores reprehendimus, ita vt nullo quouis omninò modo immutauerimus, aut immutemus, aut prætergreſſi ſumus eum, qui nunc vſque, coadiuuante deo, ſeruatus eſt Eccleſiaſticum ſtatum, quemadmodum & tua nouit Sanctitas: ſed in omnibus ſeruato

ſtatu

ſtatu vnitatis Sanctiſſimarum Eccleſiarum cum ipſo Sanctiſſimo Papa veteris Romæ, ad quem ſimilia hiſce præſcripſimus. Nec enim patimur quicquam eorum, quæ ad Eccleſiaſticum ſpectant ſtatum, non etiam ad eiuſdem referatur Beatitudinem, cùm ea ſit caput omnium ſanctiſſimorum Dei ſacerdotum, vel eò maximè quòd quoties in his locis hæretici pullularunt, & ſententia, & recto iudicio illius venerabilis ſedis correcti ſiut.] Clarius conſtaret ex iſtis conſtitutionibus primatus Papæ, ſi non nuda earum verba, ſed cauſæ cur ſcriptæ ſunt, inquirerentur, quas prætermitto, faſtidioſum quippè nimis eſt, adijcere lumen ſoli.

Theodahatus ſocors ille Gothorum Rex, qui tunc in Italia rerum potiebatur, comminatus Romanis, ſenatorios omnes cùm filijs ſe necaturum, niſi Papa Conſtantinopolim iuiſſet, eique à Iuſtiniano pacem impetraſſet, Agapetum Romanum Paſtorem adegit ad ſuſcipiendum hoc iter, grauiora etiam ſubiturum pro incolumitate gregis ſibi commiſſi. Tenebat tunc ſedem Conſtantinopolis Anthimus Eutichianæ hæreſis ſuſpectus, gratia Theodoræ Auguſtæ, quæ eodem morbo laborabat, è Trapezuntis Eccleſia ad eam tranſlatus. Non prædicabat quidem hæreſim palàm, ſed neque dogma Orthodoxum. Dicebat, ſe quatuor Concilia generalia venerari, execrarique Arium, Macedonum, Neſtorium, & Eutichem, tolerabat tamen mutus, & patiens quæcunque ab Eutichianis dicebantur. Quare ab Imperatore monitus ne deeſſet officio boni Paſtoris, quid ei reſponderit, Patres Concilij Conſtantinopolitani hac de cauſa poſt Agapeti mortem congregati narrant in ſententia aduersùs Anthimum lata. [Promiſit, inquiunt, ſe omnia facere quæcumque ſummus Pontifex magnæ ſedis Apoſtolicæ decerneret, & ad ſanctiſſimos Patriarchas ſcripſit, ſe ſequi per omnia Apoſtolicam ſedem.] Atque ita eluſit Imperatorem, & Orthodoxos. Vbi verò diuina prouidentia Conſtantinopolim Agapetus appulit, cùm apud eum, etiam antequam Roma diſcederet, tam à monachis, quàm ab alijs in hæreſis ſuſpicionem Anthimus adductus eſſet, quomodo cum eo Pontifex geſſerit ſe, ita narrat Liberatus. [Primùm quidem honorificè ſuſcipiens directos ſibi ab Imperatore, ſpreuit quidem Anthimi præſentiam, eumque ad ſalutandum admittere noluit. Neque aut precibus, aut minis adduci potuit, vt eum admitteret. Denique petentibus principibus, vt Anthimum Agapetus Papa in ſalutatione, & communione ſuſciperet, illud inquit fieri poſſe, ſi ſe libello probaret Orthodoxum, & ad Cathedram ſuam reuerteretur. Impoſſibile eſſe, aiebat, translatitium hominem in ea ſede permanere, Auguſta verò promittente munera multa, & rursùs Papæ minas intentante, in hoc Papa perſtitit, ne eius audiret petitionem. Hæc idem Author. Zonaras verò, ad Imperatorias minas. Agapetum riſiſſe, addit, his verbis: Cùm autem Pontifex ad minas riſiſſet, ſeque cædem etiam æquo laturum eſſe animo reſpondiſſet, ac beatum fore, ſi ſibi vitæ talis exitus daretur, verecundatus Imperator, mutataque ſententia rem examinandam propoſuit.] Quid mox Agapetus in Anthimum conſtituerit, narrant Archimandritæ in libello ad Iuſtinianum Imperatorem poſt Agapeti mortem. [Miſit itaque Deus huic Ciuitati Agapetum, qui verè *Agapitos*, id eſt, dilectus à Deo, & hominibus Pontificem antiquæ Romæ in depoſitionem Anthimi &c. tanquam olim Petrum magnum Apoſtolum Romanis in depoſitione Simonis Cretani. Iſte enim venerabilis vir ſciens per libellos plurimorum noſtrorum ea, quæ iniquè contra Eccleſias præſumpta fuere, ea ipſa viſu ſemel accipiendo, neque ad viſum ſuſcipere voluit Anthimum furentem aduersùs Canones, ſed tunc iuſtè deiecit de ſede ſacerdotali Ciuitatis ſuæ, & coopitulante, & eo adiuuante Catholicæ fidei, & diuinis Canonibus veſtro imperio præfecit ipſi Eccleſiæ Sanctiſſimum Menam; & Agapetus ipſe ſynodali ad Petrum tunc temporis Epiſcopum Hieroſolymorum hoc ipſum ſcribit, addens ſe, quòd expectaret eius pœnitentiam, noluiſſe eum priuare abſolutè omni Epiſcopatu, & declarare ſimpliciter hæreticum, niſi [donec omnia à Patribus tradita, per quæ fidei, & veræ religionis fides, & diſciplina cuſtoditur, ſecundùm congruentem ſatisfactionem ſuſcipiat.] Hoc ipſum aſſerunt Patres in ſuprema ſententia, quam in Anthimum poſt eius pertinaciam promolgarunt. Hinc Nicephorus: [Agapetus cùm de rebus Anthimi inquireret, multoſque ab Archimandritis eius Vrbis, & alijs libellos oblatos acciperet, illi ne in conſpectum quidem admiſſo, Epiſcopatum abrogauit.] Archimandritæ & Monachi Hieroſolymorum, Conſtantinopolis, & totius Diœceſis Orientis non contenti, quòd Anthimus ſub hac conditione tantùm depoſitus eſſet, Agapetum, oblato nouo libello, ſollicitant, vt Anthimo conſtituat terminum certum, quò reſipiſcat, ſin minus abſolutè eum declaret hæreticum, & priuet etiam Epiſcopatu Trapezuntis. Extat libellus in prima act. Synodi mox congregatæ contra Anthimum cum hac inſcriptione: [Domino noſtro Sanctiſſimo, & Beatiſſimo Archiepiſcopo antiquæ Romæ, & Oecumenico Patriarchæ Agapeto, in quo non longè à fine dicunt: Adiuramus veſtram Beatitudinem (licèt audacius quid faciamus) per ſanctam, & conſubſtantialem Trinitatem, ac per principem Apoſtolorum Petrum, & ſalutem, ac victoriam pijſſ. Imperatoris noſtri, non contemnere diuinos Canones, qui ab ipſo peſſundantur, neque Eccleſiam ei traditam, quæ ab ipſo deſpicitur, ſed ſequendo in omnibus eos, qui ante veſtram Beatitudinem in ſede veſtra ſtatuerunt facere in ipſum, adhuc, & nunc contra auctoritatem Canonum inualeſcentem, & qui prætulit vitam facere cum hæreticis, quàm cum propria Eccleſia, ea quæ Sanctos Cæleſtinus contra Neſtorium liquet, feciſſe, aſſignando ei terminum, ſicut & ille Neſtorio, intra quem, niſi occurrens prædictum libellum Apoſtolicæ veſtræ ſedi porrexerit, ac veſtræ Beatitudini, & ſanctiſſimo Archiepiſcopo Vrbis regiæ, & à morbo hæretico ſe ipſum liberauerit, atque ad Eccleſiam Trapezundarum ſibi creditam proficiſcatur, definite Sanctiſſime ipſum alienum eſſe, & nodum ab omni Pontificali dignitate, atque efficacia, & ſe ipſum ſubmit-

Google

mittere condemnationi hæreticorum, & partem illorum accepiſſe, alterum verò pro ipſo Eccleſiæ Trapezuntinæ ordinandum eſſe:] Hoc ipſum ſupplici libello ab Agapeto expoſcunt 43. Epiſcopi Orientales, cuius exemplar in eadem Synodo relatum hoc habet exordium. [Ex quo Chriſtus Deus noſter pro debitis nobis præmijs, propter ipſum in omni tempore cum vera fiducia ſua inuiſibili; ac terribili virtute diuulgatam confeſſionem ſuper venerabile caput veſtrum requieſcere fecit, cùm Sedem Apoſtolorum vobis Pater Beatiſſimè commiſit, & firmauit ſupra firmam petram pedes veſtros, eique hunc titulum præpoſuerunt: Domino noſtro per omnia ſanctiſſimo, & Beatiſſimo Patri Patrum Archiepiſcopo Romanorum, & Patriarchæ Agapeto.] At priuſquam id faceret Agapetus, animam reddidit Creatori ſuo. Non tamen mortuum minùs, quàm viuentem reueriti ſunt Patres, qui aderant; ſed conciliariter congregati, ex præſcripto Agapeti, quæ ſola reſtabat, in Anchimum ſententiam abſolutam hoc ordine tulerunt. Actione prima illius Concilij leguntur libelli ſupplices Imperatori, & Agapeto porrecti contra Anthimum, & decernuntur Nuntij, qui Anchimum requirant, eique tres dies aſſignent ad ſiſtendum ſe coram Concilio. Actione ſecunda cum non comparuiſſet, alij Nuncij, & aliud tridnum termini conceditur. Actione tertia tertium triduum Anthimo aſſignant. Patres, addentes niſi interim ſiſteret ſe, [quod ſequenres venerabiles Canones, & ea, quæ à ſanctę memorię Agapeto definita ſunt, attendẽtes, iuſtam in eum ferent ſententiam.] Actione quarta cùm non compareret Anthimus, rogantur Romanorum legatorum ſententiæ, qui reſpondent, [definitionem ſanctę recordationis Patris noſtri quondam Agapeti Synodicis epiſtolis pro Menna ſanctiſſimo Archiepiſcopo huius regiæ vrbis Conſtantinopolitanæ ſactis, additam, de perſona Anthimi Trapezuntij quondam Epiſcopi, nos ſequi per omnia profitemur.] Mox Patrum omnium ſuffragia exiguntur, qui recenſitis rebus ab Anthimo patratis, cum eius contumacia, concludunt. [Apertam hanc ſuæ hæreſis demonſtrationem accipientes, ſequenteſque ea, quæ à Beatiſſimo Papa benè examinata ſunt, conſpicimus (ſi hic nobis adſtaret) omninò ipſum tanquam membrum inutile, & putridum abijci de corpore ſanctarum Dei Eccleſiarum, & extra Epiſcopatum Trapezuntium eſſe, & alienum ab omni ſacra dignitate, & efficacia, & iuxta ipſius ſanctiſſimi Papæ ſententiam à Catholica appellatione.] Tandemque Mennas Archiepiſcopus Conſtantinopolis promulgat ſententiam, cuius nerui omnes vnius Agapeti iudicium, [Reſpicientes ea, quæ pridem à ſanctæ memoriæ Agapeto Papa Antiquæ Romæ decreta ſunt, & quòd nullum pœnitentiæ tempus accipiat, &c. decernimus, ipſum Anthimum conſtitui extra Pontificatum Trapezuntinum, & alienum eſſe ab omni ſacra appellatione ſimul, & dignitate, & efficacia de cætero omninò inter Orthodoxos non numerati.

Repete quæſo te lector, poneque tibi ob oculos vſque ab initio totam hanc tragœdiã, & conſidera, non in meridie cæcutiunt, & qui imperio ſęculari conſtituunt fundamenta Romani primatus, & qui intra centeſimum ab Vrbe lapidem eius iura concludunt, & qui omnium librorum teſtimonio, hoc ſęculo conſtare, aiunt, quòd extra Suburbicarias ſuas Papa nullum ius exercuerit, maximè in Oriente, afflictis ſcilicet, proſtratriſque Romanæ vrbis, & Reipub. rebus, à Rege Ariano, & Barbaro è ſuis ſedibus Romanus Pontifex Conſtantinopolim ablegatur. Tanta paupèrie premitur, vt non niſi oppigneratis vaſis ſactis pecuniam ſibi ad iter comparare queat. Vbi tamen Conſtatinopolim venit, in qua vna cor, caput, & viſcera Imperij, Epiſcopum illius vrbis ne ſalutatum quidem admittit, Epiſcopum, quem in eo throno Imperatores ipſi collocarant. Eum nihilominùs nemo arguit, corripit nemo, neque Anthimus ipſe, ſed Patres, Imperatores, totus denique Oriens, vt legitimum Conſtantinopolitani iudicem agnoſcit, ſupplicat, interpellat. Anchimus ipſe hac vna ratione ſuſpicionem hæreſis eluerat, quòd imperata Pontificis Romani ſe facturum pollicitus fuiſſet. Renitentibus primò ipſis ſummis principibus, Anthimum è gradu deijcit Pontifex, alium ſufficit, reum ab Epiſcopali iuriſdictione ſuſpendit, ſuſpendit à nuncupatione Catholici, de fide ſibi ſatisfacere iubet, ni ſatisfaciat abſolutam vtriuſque priuationem comminatur, mortuum Pontificem, Conſtantinopolitanus Antiſtites cum frequenti Patrum Orientis Concilio ſanctè, auguſtèque colit, & veneratur, ex eius definitione æquè, ac ex ſactis Canonibus in illum ipſum Orientalem Epiſcopum ferens ſententiam. Deſinant ergo, deſinant aliquando hæretici cæcutire, & inſanire, neque ſi ſapiunt, amplius nobis commemorent Suburbicarias, Imperij Sedem, & octo prima ſæcula; Nugæ enim ſunt, & manifeſta deliria.

Poſt Agapeti mortem Siluerius in eius locum ſubrogatur, à quo Thodora Auguſta Romæ Domina, vrbe tunc à Iuſtiniano per Beliſarium recepta vnum illud obnixè poſtulat, nec tamen impetrat, vt in Sedem Conſtantinopolitanam Anthimum illum ſibi percarum reſtituat: Mauultque Sanctus Pontifex vrbe pelli, deportari, ſanctas ceruices ſuas mucroni obijcere, quàm inſanæ Herodiadi morem gerere. [Beatiſſimus Siluerus, inquit Anaſtaſius, fiduciam habens in Domino, & Beato Petro, reſcripſit dicens, Domina Auguſta, rem iſtam nunquam ero facturus, vt reuocem hominem hæreticum in ſua nequitia damnatum.] Tanta verò reſtituendi Anthimum prurigine torrebatur hæc mulier, vt Vigilio Agapeti Diacono Pontificatum polliceretur, modò ipſe Anthimum reſtitueret. Quod etſi facturum ſe recepit, tunc Vigilius, vbi tamen legitima Cleri Romani electione eam Cathedram aſſequutus eſt, quam ante malis artibus quæſierat, non modò Anthimum non reſtituit, ſed diro anathemate illum, & eius complices proſequutus eſt, & cum Conſtantinopoli conſtitutum vrgerent Juſtinianus, & Theodora hoc caput, [& cautionem manus ſuæ oſtenderent, cum promiſerat, eum in ordine ſuo reuocare, nullatenùs voluit eis conſentire, ſed tanta virtute roboratus mori magis deſiderabat, quàm viuere.

uere.] Tandemque, vt aſſerit, Sanctus Gregorius contra ipſammet Theodoram (Balaami inſtar,) & Acephalos damnationis promulgauit ſententiam. Si nullum in Oriente ius habebant Epiſcopi Romæ, cur ſine eorum arbitrio non potuiſſet reſtitui Anthimus? Prece ſcilicet; pretio, minis, terrore, fraudibus, præmijs extorquendus erat Pontificis aſſenſus, qui tamen nihil prorſus intererat, an præſtaretur. Quàm benè Eſaias ex hæreticorum, & ſchiſmaticorum perſona. [Expectauimus lucem, & ecce tenebræ, ſplendorem, & in tenebris ambulauimus, palpauimus ſicut cæci parietem, & quaſi abſque oculis attrectauimus, impegimus meridie, quaſi in tenebris, iu caliginoſis quaſi mortui.] Et certè Anonyme, aut poterant fieri Epiſcopi Conſtantinopolis inuito Poutifice, aut non poterant, ſi non poterant, ſatere primatum, quem negas, ſi poterant, dic cur non fecerint principes, quod omninò volebant?

Neque derogarunt Pontificis primatui carceres, vincula, deportatione, & cætera, quæ ab iniquis principibus Siluerius, & Vigilius paſſi ſunt, ne Petri Sedem aliqua, vel leui macula contaminarent. Si enim hæc Pontificiam dignitatem imminuerent, neque Christus, neque Petrus ſummi Eccleſiæ Pontifices fuiſſent, quòd alterum Pilatus, Nero alterum, & detruſerunt in Carceres, & egerunt in Crucem. Excitauit etiam Deus quaſi nouum Heliam Epiſcopum Patarenſem, qui pro Siluerio Iuſtinianum aggreſſus, [& iudicium Dei conteſtatus eſt de tantæ Sedis Epiſcopi expulſione, & multos eſſe, dixit, in hoc mundo Reges, & non eſſe vnum, ſicut ille Papa eſt ſuper Eccleſiam mundi totius à ſede ſua expulſus. Quem audiens Imperator reuocari Romam Siluerium iuſſit.] Hæc Liberatus eorum temporum ſcriptor.

In poſtrema huius ſæculi periodo, nouas turbas ciet Anonymus, quas verò, audi.

Pelagius ad Epiſcopos à Conſtantinopolitano conuocatos ſcribit. [Nullus Patriarcharum vniuerſitatis vocabulo vnquam vtatur, quia ſi vnus Patriarcha vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur, ſed abſit hoc, abſit à fidelis cuiuſquam mente, hoc ſibi velle quempiam arripere, vndè honorem fratrum ſuorum imminuere, ex quantulacunque parte videatur. Quapropter charitas veſtra neminem vnquam ſuis in epiſtolis vniuerſalem nomines, ne ſibi debitum ſubtrahat, cum alteri honorem offert indebitum.

Item Gregorius Eulogio Patriarchæ Alexandrino l.7. epiſt. 30. [Ecce in præfatione epiſtolæ, quam ad me ipſum, qui prohibui, direxiſtis ſuperbæ appellationis verbum, vniuerſalem me Papam dicentes, imprimere curaſtis, quod peto, dulciſſima mihi ſanctitas veſtra, vltra non faciat, quia vobis ſubtrahitur, quod alteri pluſquam ratio exigie, præbetur. Ego enim non verbis quæro proſperari, ſed moribus, nec honorem eſſe deputo, in quo fratrrs meos honorem ſuum perdere cognoſco, meus namque honor, eſt honor vniuerſalis Eccleſiæ, meus honor eſt fratrum meorum ſolidus vigor, tuuc ego verè honoratus ſum, cum ſingulis quibuſque honor debitus non ngatur, ſi enim vniuerſalem me Papam veſtra ſanctitas dicit, negat ſe hoc eſſe, quod me ſatetur vniuerſum, ſed abſit hoc, recedant verba, quæ vanitates inflant, & charitatem vulnerant.

Hæc omnia in quatuor capitulis 2. & 3. & 4. & 5. diſtinctionis nonageſimæ nonæ canonizata ſune, quibns clarius nihil legi poteſt, ad probandam ſummam vanitatem, ſummamque arrogantiam Pontificum Romanorum noſtri ſæculi, qui ſe vniuerſales, Deique Vicarios immediatos vocari, & adorari volunt, & alibi.

Præterea, hoc tempore Papæ nomen, quod omnibus Epiſcopis commune erat, ſoli Epiſcopo Romano dari incepit, nam cum inter ipſum, & Paetiarchatum Conſtantinopolitanum ſuper nomine Oecumenici controuerſia haberetur, vter eorum, vel vterque ita appellandus foret, atque controuerſia ſub Imperatore Mauritio definita non eſſet, tandem ſub Phoca ordinatum eſt, vt Romano nomen Papæ adderetur, Conſtantinopolitanus verò ſemper ſe Oecumenicum inſcriberet, atque vocari continuatus eſt, videlicet Archiepiſcopus Nouæ Romæ Conſtantinopolitanæ Patriarcha Oecumenicus, prout ex Panuinio, in vita Bonifacij Tertij legi poteſt. Et tandem.

Hanc ſententiam Romanus Pontifex negare non poteſt, quoniam prædeceſſores Pontifices Romani expreſsè confeſſi ſunt, ſe iuribus, & honoribus ſuis ſratribus competentibus derogare non velle, & ita nullatenùs vniuerſales in Eccleſia vocandos eſſe profeſſi ſunt, atque ita Pelagius, & Gregorius in diuerſis temporibus ſanciuerunt vt habetur in cap. nulllus, & cap. Ecce diſtinct. *99.* quorum confeſſiones ad verbum deſcripſimus ſuperius in cap. 2.

Et quod pauperes Canoniſtæ reſpondent. Ideò vniuerſalem ſe negaſſe, quia cuilibet particulari Eccleſiæ præficiendus non eſt, hoc eſt ſomnium, nugæ ſunt. In ipſo cap. nullus, inter Patriarchas Romanum, & Conſtantinopolitanum, agitur vter eorum vniuerſalis dici debeat. Reſpondet Pelagius 11. [abſit hoc, abſit à meute fidelium, vt aliquis fratrum ſuorum honorem imminuere videatur,] ergo non agitur de Præfectura particularium Eccleſiarum, ve ſabulantur, ſed de ipſo nomine vniuerſalis Eccleſiæ, quod ſugiendum eſt. In ipſo cap. Ecce, Gregorius Magnus ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum reſcribens conqueritur, quod Papam vniuerſalem appellauerit, quia cæteris Patriarchis ſubtraheretur, ſi vni plus, quàm ratio exigat, præbeatur.

Reſpondeo. Vt aſſequamur tam Pelagij, quàm Gregorij mentem harum epiſtolarum cauſa more noſtro inueſtiganda eſt. Hæc autem ita ſe habet: Eccleſia Catholica, in ea quam audiſti, tranquillitate conſtituta Romanum Pontificem tam in Oriente, quàm in Occidente paribus venerationis, & obedientiæ officijs proſequebatur, quando ex Oriente noui excitantur turbines hunc in modum. Ioannes *Niſeytes* hoc eſt Ieiunator, diaconus magnæ Eccleſiæ, vt vult Zonaras Monachus, vt alijs placet, externa quadam ſpecie virtutum ſingularium diu Epiſcopatum Conſtantiuopolis aucupatus eſt, quem

etiam

etiam tandem obtinuit, mortuo Eutichio. Sciebat homo callidus, [quòd certiſſima eſt regnare cupienti, via, laudare, medica, & otium, ac ſummum ſequi;] Quare nihil in eo, quod non eximiam humilitatem, & ſingularem contemptum mundi redoleret. Summus abſtinentiæ rigor ieiunatoris ei nomen indiderat. Erga pauperes liberalitas tanta, vt nedum ſua illis erogaret, ſed prætерea cum ab Imperatore multa talenta, mutuo ſumpſiſſet, ne obolus quidem, eo mortuo, in bonis repertus ſit, veſtitus adeo tenuis, vt eius hæreditas poſt decennium Patriarchatus fuerit, [lectulus ligneus, amiculus laneus, & penula deformis.] Vacante Epiſcopatu, audiens Tiberij optimi principis, & electorum animos ad ſe conuerſos, eo indignum eſſe ſe clamitans, fugam oſtentauit, cùm tamen hoc vnum, vt fugeret, vereretur.

Ar vbi Epiſcopatum aſſequutus eſt homo Acatianorum ſpirituum, ſtatim hypochriſim detexit ſuam, & prodidit, quos perferebat labores, quas ieiunabat vigilias, quas erogabat pecunias, quas detrectabat curas, vnum ſcopum habere Dominium, & Imperium. Vix enim Epiſcopalem Cathedram conſcenderat cùm fretus gratia Mauritij Imperatoris, quem vnà cum Tiberio hiſce virtutum ſpectris dementauerat, nouum, & inſolentem Patriarchæ vniuerſalis titulum primò ſibi arrogauit. Mox arreptis quotquot occaſionibus potuit, dilatandi fimbrias, neglectis alijs Patriarchis ad ſe vnum totum Orientem trahere conatus eſt, auſus etiam ſine conſenſu Papæ conuocare Concilia generalia; & hinc illæ lachrymæ: Doloſos hoſce rabulas, quorum ſemper in Orbe fuit luxorioſa ſeges, & Dominus cauere præcepit, eoſque expertus ille, Ethnicus licèt, & in cothurno exclamat:

O vita fallax abditos ſenſus geris,
Animiſque pulchram turbidis, faciem induis,
Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum, vera fallaces probant.

Vndè S. Gregorius Magnus octo annis poſt eum perſtringens [Vehementer admiror, inquit, quia ne ad Epiſcopatum venire potuiſſes, fugiſſe velle te memini, quem tamen adeptum ita exercere deſideras, ac ſi ad eum ambitioſo deſiderio concutriſſes, qui enim indignum te eſſe fatebaris, vt Epiſcopus dici debuiſſes, ad hoc quandoque perductus es, vt deſpectis fratribus, Epiſcopus appetas ſolus vocari.] Sanctus Pelagius ſecundus Papa, re audita, eam ad Epiſcopos à Ioanne conuocatos ſcripſit epiſtolam, quam Anonymus Centuriatores ſequutus modò obiecit, Eandem Molinæus, eandem Rex Angliæ, & eius miniſtri, eandem omnes hæretici paſſim obiectare ſolent, miris laudibus Pelagium efferentes. At ipſi particulam; ego, ſi non totam, maximam ſaltem eius partem tibi reddo, quę ſi contra Primatum faciat, tu iudex eris. [Dilectiſſimis fratribus vniuerſis Epiſcopis, qui illicita vocatione Ioannis Conſtantinopolitani, Epiſcopi, ad ſynodum Conſtantinopoli conuenerunt, Pelagius.]

Manifeſto (ſicut optauimus) per gratiam Dei lumine Euangelicæ veritatis ab vniuerſali Eccleſia pernicioſiſſimi erroris nocte depulſa, ineffabilitèr gaudemus in Domino, ſed non modico contriſtamur mœrore, quia illa, quæ olim calcata fuerant, & funditus damnata, nec vnquam fieri debuerant rediuiuis radicibus germinant, & quoniam multa, quæ poſſunt pœnitudinem generare, proueniunt, neceſſe eſt, ea caſſare, quæ contra ordinem, & omnem auctoritatem facta eſſe noſcuntur. Vndè fratres, reiecta penitùs audacia, quæ contra Apoſtolicam ſedem, & contra ipſam Domini Saluatoris vocem, qua dictum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, ſumpta eſt, diſputandi contra Domini præcepta, vana errantium corda conquieſcant, nec liceat defendi, quod non liceat agere.]

[Delatum eſt ad Apoſtolicam ſedem Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum vniuerſalem ſe ſubſcribere, Voſque ex hac ſua præſumptione ad Synodum conuocare generalem, cùm generalium ſynodorum conuocandi auctoritas Apoſtolicæ Sedi Beati Petri ſingulari priuilegio ſit tradita, & nulla vnquam ſynodus rata legatur, quæ Apoſtolica auctoritate non fuerit fulta. Quapropter quicquid in prędicto veſtro Conuenticulo (quia ſynodus taliter præſumpta eſſe non potuit) ſtatuiſtis, ex auctoritate Sancti Petri Apoſtolorum Principis, & Domini Saluatoris voce, qua Beato Petro poteſtatem ligandi, atque ſoluendi ipſe Saluator dedit, quæ etiam poteſtas in ſucceſſoribus eius indubitantèr tranſiuit, præcipio omnia, quæ ibi ſtatuiſtis, & vana, & caſſata eſſe, ita vt deinceps nunquam appareant, nec ventilentur, Etenim ipſe Saluator Beato Petro Apoſtolo tanquam ipſa veritas pro ſe loquitur, dicens: Quæcumque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo, multis demum Apoſtolicis, & Canonicis, atque Eccleſiaſticis inſtruitur regulis non debere abſque ſententia Pontificis Romani Concilia celebrari. Quapropter (vt iam dictum eſt) rectè non Concilium, ſed veſtrum Conuenticulum, vel Conciliabulum caſſatur, & quicquid actum eſt in eo, irritum habetur, ac vacuum. Vos quoque deinceps, vt nullius hortatu talia præſumatis, ſi Apoſtolicæ ſedis communione carere non vultis. Modò verò ideò ſuſpenditur vltio, vt locum poſſit habere correctio.]

Prædeceſſores verò Ioannis, & ipſe Ioannes non ſemel, ſed ſæpiſſimè epiſtolas, atque libellos propria manu ſubſcriptos ſanctis anteceſſoribus noſtris miſerunt, quibus coram Deo proteſtati ſunt, nihil vnquam proteruè contra Apoſtolicam ſedem agere, nec de illius, aut aliorum priuilegijs quicquam vſurpare, qui hactenus in archiuo S. R. Eccleſiæ, ſub ſigillis, ac chyrographis eorum roborati habentur integri. In ipſis enim epiſtolis, vel libellis anathematis vinculo ſe, & ſucceſſores eorum conſtrinxerunt ſi vnquam aliquid, aut contra Apoſtolicam, aut vllius alterius Epiſcopi ſedem, quicquam aduerſi eſſent moliti. Idcirco eos non eſt neceſſe excommunicare, aut anathematizare, qui ipſi anathematis vinculo proprijs manibus profeſſiones ſuas,

ſuaque ſcripta roborando conſtrinxerunt. Sciat ſe tamen, & ipſe Ioannes, niſi errorem ſuum citò correxerit, à nobis excommunicandum fore, & Apoſtolicæ ſedis, atque omnium Epiſcoporum communione carere.]

[Vniuerſalitatis quoque nomen, quod ſibi illicitè vſurpauit, nolite attendere, nec vocatione eius ad ſynodum abſque auctoritate ſedis Apoſtolicæ vnquam venire, ſi Apoſtolicæ ſedis, ac cæterorum Epiſcoporum communione vultis frui. Nullus enim Patriarcharum hoc tam profano vocabulo vnquam vtatur: quia ſi ſummus Patriarcha vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur, ſed abſit hoc, abſit à fidelis cuiuſquam mente hoc ſibi velle quempiam arripere, vndè honorem fratrum ſuorum imminuere ex qualicumque parte videatur. Quapropter Charitas veſtra neminem vnquam ſuis in epiſtolis vniuerſalem nominet ne ſibi debitum ſubtrahat, cum alteri honorem offert indebitum.] Hæc Pelagius, qui vbi multa contra hunc Ioannis titulum congeſſit, inquit: [Orate fratres, vt honor Eccleſiaſticus noſtris diebus non euacuetur, nec vnquam Romana ſedes, quæ inſtituente Domino caput eſt omnium Eccleſiarum, priuilegijs ſuis vnquam careat, aut expolietur.] Quare vbi ad eorum Epiſcoporum conſulta de forma Iudiciorum reſpondiſſet, concludit: [Maiores, & difficiliores quæſtiones, vt Sancta Synodus ſtatuit, & ſancta conſuetudo exigit, ad Sedem Apoſtolicam ſemper referant.]

Iam collige Lector, quot in hac vna epiſtola ſunt teſtimonia ſupremę poteſtatis Pontificis in vniuerſam Eccleſiam: 1. aſſerit, [Romanum Pontificem eſſe verum Beati Petri Apoſtoli ſucceſſorem, cuius priuilegia in ſucceſſorum eius redundant præſtantiam. 2. aſſeuerat ius generalis ſynodi conuocandę, firmandæque, & infirmandæ ad ſolum Romanum Pontificem pertinere. 3. geſta à Concilio generali Conſtantinopolis, caſſa, & irrita reddit. 4. omnibus Patriarchis excommunicationem comminatur, ſi contra eius præcepta quicquam præſumant. 5. aſſerit, Patriarchas Conſtantinopolitanos ſæpiſſimè, libellis conſignatis, profeſſos eſſe Romanum Primatum, quem nunquam in poſterum ſub obteſtatione diuinæ ſententiæ labefactare polliciti ſunt. 6. in Ioannem excommunicationem interminatur, niſi citò emendaret. 7. aſſerit Romanam Sedem à Domino inſtitutam eſſe caput omnium Eccleſiarum. 8. Pelagium poſt Concilium conſulunt Orientales, quomodo ſe gerere debeant. 9. Reſdondet Pelagius, conſuetudine ſeruatum, & ſynodali decreto firmatum, vt ex vniuerſo orbe maiores, & difficiliores cauſæ ad Sedem Apoſtolicam deferrentur.] Quis hæc perpendens non dicat, hæreticos inſanire, qui ad hanc epiſtolam prouocent contra primatum Papæ? hæccine ſunt argumenta poteſtatis concluſę intra centeſimum ab vrbe milliarium? At inquies, ſi Pelagius contendit habere ſe, & actu exercet iuriſdictionem in vniuerſam Eccleſiam, cur adeo aſperè inſectatur titulum vniuerſalis? reſpuit nomen, cuius rem ſibi vendicat?

Reſpondeo, quatuor ſaltem ſunt in Romano Pontifice dignitates, Epiſcopatus, Archiepiſcopatur, Patriarchatus, Pontificatus: in Patriarchis tres, in Archiepiſcopis duæ, in ſimplicibus Epiſcopis vna: quarum ſingulæ habent ſua propria munera, ſua propria iura ab alijs quibuſque diſtincta. Archiepiſcopus etiamſi omnibus Epiſcopis ſuæ Prouinciæ præeſt, non tamen eſt Epiſcopus omnium Ciuitatum eiuſdem Prouinciæ, Patriarcha ſubiectos habet omnes Archiepiſcopos, & Epiſcopos ſuæ Diœceſis, non tamen ideò eſt vel Archiepiſcopus omnium Prouinciarum, vel Epiſcopus omnium Ciuitatum ſuæ Diœceſeos. Papæ, Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Patriarchæ omnes ſubiecti ſunt, non tamen ipſe, propriè loquendo, eſt, vel Epiſcopus omnium Ciuitatum, vel Archiepiſcopus omnium Prouinciarum, vel Patriarcha omnium Diœceſeon, ſed ſolo Pontificio iure caput omnium. Quare poteſtas illa, quam habet Pontifex in vniuerſam Eccleſiam, neque competit ei, qua Epiſcopus, neque qua Metropolita, neque qua Patriarcha, ſed præcisè quatenus eſt Petri ſucceſſor, & caput Eccleſiæ. [Certè Petrus Apoſtolus, inquit Gregorius, hanc controuerſiam tranctans primum membrum ſanctæ, & vniuerſalis Eccleſiæ eſt. Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud quàm ſingularium ſunt plebium capita?] cùm ergo non totum corpus, non quoduis aliud peculiare membrum ſacri iſtius corporis ſit Petrus, & Pontifex, ſed caput tantùm; iuxta Apoſtolum, non poteſt dicere pedibus, non eſtis mihi neceſſarij. Superbus ille Ieiunator, dum Epiſcopi, & Patriarchæ Oecumenici titulum ſibi arripiebat, à ſuo cum munere, tum iure, & dignitate omnes alij Patriarchæ excludebantur. Cum enim *Icumeni* Grecè orbem terrarum ſignificet, humilis homo, dum Patriarcha *Icumenicos* volebat nuncupari, hoc vno verbo dicebat, eſſe ſe totius orbis terrarum Patriarcham. Attamen certum eſt, quòd quando habuiſſet etiam illum Patriarchatum, qui ei à Concilio Chalcedonenſi deſignatus fuerat, eius Diœceſis, tres tantùm Imperiales Diœceſes complexa fuiſſet, Thraciam ſcilicet, Aſianam, & Ponticam. Itaque non exercebat Pelagius in vniuerſa Eccleſia eam rem, cuius titulum arguebat; nunquam enim exercuit munus, vel Epiſcopi, vel Archiepiſcopi, vel Patriarchæ in toto orbe terrarum, ſed munus tantùm proprium Apoſtolicæ ſedis, quod vt re, ita & nomine diſtingueretur ab alijs, quæ Papæ cum cœteris Præpoſitis ſunt communia, non ita pridem Papatus, & Pontificatus ſingulariter appellari cœpit. Neque eo tempore, quo aſſerit. Anonymus, id factum dicit Panuinius, ſed multò poſt, nempè poſt octauum Synodum, neque tamen poſt eam ita immediatè tranſactum, vt putat Panuinius. Agitata enim eſt eadem hæc controuerſia, vſque ad annum Chriſti 1054. contra Michaelem Cerularium Patriarcham Conſtantinopolitanum, cuius faſtum redarguens Leo IX. ep. 6. inter cœtera inquit. [Et quia poſt Chriſtum conuenientius poſſet inſigniri hoc vocabulo, quàm cui dicitur diuina voce: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam &c. Verùm tamen; quia ille non inuenitur vniuerſalis Apoſtolus dictus: quamuis

uis

uis princeps Apoſtolorum ſit conſtitutus, nullus ſucceſſorum eius tam prodigioſo pronomine conſenſit appellari penitùs, licet Magno Leoni prædeceſſori noſtro, & ſucceſſoribus ipſius hoc ſancta decreuerit Chalcedonenſis Synodus.]

At dices ſi Papa non eſt Epiſcopus vniuerſalis omnium Eccleſiarum, quomodo appellatur Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ, cum Catholicorum, & vniuerſale ſit vnum, & idem? Reſpondeo aliud eſt Epiſcopus vniuerſalis, aliud Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ. Papa non ſubſcribit Epiſcopus, Archiepiſcopus, Patriarcha vniuerſalis, ſed tantum Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ. Quid verò intelligant pontifices nomine Eccleſiæ Catholicæ, non mihi videtur vſquequaque certum; hoc enim nomine ſignificari ſolet interdum Eccleſia vniuerſa; quæ conſtat ex omnibus Eccleſijs particularibus, interdum ſola Eccleſia Romana ſpecialis. Hac poſteriori acceptione nomen Eccleſiæ Catholicæ à plurimis pontificibus acceptum eſſe negari non poteſt, ſic expreſsè Damaſus epiſt. 4. [Damaſus Seruus ſeruorum Dei, atque per gratiam eius Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ Vrbis Romæ.] Sic Leo Magnus epiſt. 12. 13. Sic Pelagius ſecundus epiſt. 5. ſic Felix 3. epiſt. 6. Symmachus epiſt. 3. Martinus primus in omnibus epiſtolis, & plerique alij, ſubſcripſerunt alij hac forma. [N. Epiſcopus ſanctæ Dei Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Romanæ.] Ita Zacharias primus, & alij. Quòd ſi ſcire cupias, qua ratione Eccleſia Romana ſit vniuerſalis, cum ipſa ſit pars Eccleſiæ vniuerſalis, audi Innocentium III. lib. 2. epiſt. 148. [Eccleſia duabus de cauſis vniuerſalis vocatur (intelligentia namque dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi, cum non res ſermoni, ſed rei ſit ſermo ſubiectus) dicitur vniuerſalis Eccleſia illa vna, quæ de vniuerſis conſtat Eccleſijs, quæ Græco vocabulo Catholica nominatur, & ſecundùm hanc acceptionem vocabuli Eccleſia Romana non eſt vniuerſalis Eccleſia, ſed pars vniuerſalis Eccleſiæ, prima videlicèt, & præcipua, velut caput in corpore, quoniam in ea plenitudo poteſtatis exiſtit, ad cœteras autem pars aliqua plenitudinis deriuatur.] Et dicitur vniuerſalis. [Eccleſia illa vna, quæ ſub ſe continet Eccleſias vniuerſas, & ſecundùm hanc nominis rationem Romana tantùm Eccleſia vniuerſalis nuncupatur; quoniam ipſa ſola ſingulari priuilegio dignitatis cœteris eſt prælata.]

Alia etiam ratione Eccleſia Romana Catholica cenſetur hoc eſt ratione communionis, & fidei. Iam enim ante à nobis probatum eſt, quòd Catholicus non eſt, niſi qui vnitur Romanæ Sedi per fidem, & communionem. Quare vt pridem dicebamus cum Cypriano, quemadmodum radij in ſole, rami in radice, in fonte riui; ſic in Eccleſia Romana omnes Eccleſiæ particulares, omnes fideles ſunt vna Eccleſia Catholica. Eſt igitur Eccleſia Romana, Eccleſia Catholica ratione poteſtatis, quæ vbique protenditur, ratione fidei, & ratione communionis, quibus quaſi vinculis ligat in vnum corpus omnes fideles. Et hæc interpretatio accommodatiſſima eſt Græcæ ſignificationi huius vocis. Græci enim Catholicum appellant non illud vniuerſale tantùm, quod conſtat ex particularibus, ſiuè quod prædicatur de illis, ſed etiam quicquid ratione aliqua ſpectat ad vniuerſitatem. Sic medicamentum Catholicum eſt, non quòd, vel conſtat ex omnibus medicamentis, vel de eis prædicatur, ſed quòd purgat omnes humores. Et præceptum Catholicum, quod eſt vniuerſale, & durat ſemper. Quare ſi hoc ſenſu intelligunt Eccleſiam Catholicam pontifices, falſum eſt, quòd poſteriores aſſumpſerint ſibi titulum, quem Gregorius, & Pelagius reſpuere.

Fac tamen Anonyme verum eſſe, quod Epiſcopi Romani aſſumpſerint ſibi titulum Epiſcopi vniuerſalis (quod ego nunquam reperi, neque tu opinor reperies, quamuis millies à Græcis eis tributus ſit) Fac Eccleſiam Catholicam ſignificare Eccleſiam vniuerſam, vt placet viris doctiſſimis, non ideò deſertam putes velim, eam reſponſionem Canoniſtarum, cuius gratia tu eos pauperes appellas, & quaſi eſſes in literis Crœſus, hoc nomine deſpicis. Audi etiam extra numerum Canoniſtarum Cardinalem Bellarminum. [Duobus modis poteſt intelligi nomen vniuerſalis Epiſcopi, vno modo, vt ille, qui dicitur vniuerſalis, intelligatur eſſe ſolus Epiſcopus omnium Vrbium Chriſtianarum, ità vt cœteri non ſint Epiſcopi, ſed Vicarij tantùm illius, qui dicitur Epiſcopus vniuerſalis, & hoc modo nomen hoc eſt verè profanum, ſacrilegum, & Antichriſtianum, & de hac ſignificatione loquitur Gregorius. Altero modo dici poteſt Epiſcopus vniuerſalis, qui habet curam totius Eccleſiæ, ſed generalem, ità vt non excludat particulares Epiſcopos, & hoc modo nomen hoc poſſe tribui Romano Pontifici ex mente Gregorij probatur &c.] Cœterùm, vt intelligas quid dicat Cardinalis, audi nomen Epiſcopi dupliciter ſpectari poteſt, vel ratione ſignificationis ſuæ, vel ratione vſus, & acceptionis communis. Ratione ſignificationis ſuæ idem eſt quòd ſpeculator, ſuperintendens, & cuſtos. Quare cuiuſcumque rei cuſtodia, & cura cuiquam commiſſa eſt, is ex vi vocabuli proprijſſimè nuncupari poteſt eius Epiſcopus. Ita Cicero ad Atticum lib. 7. [Vult me Pompeius eſſe, quem tota hæc Campania, & maritima ora habeat Epiſcopum, ad quèm negotij, & delectus ſumma deferatur.] Quare quot in Eccleſia ſunt ſuperiores, & Præfecti, totidem ex vi vocabuli in ea ſunt Epiſcopi. Et hoc ſenſu Metropolitanus poſſet nuncuqari Epiſcopus prouinciæ; Patriarcha Epiſcopus Diœceſis; Romanus pontifex Epiſcopus Eccleſiæ vniuerſalis. Cœterùm ſi ad vſum communem huius nominis reſpiciamus, non ita. Vſu enim receptum in Eccleſia eſt, vt ille tantùm vocetur Epiſcopus, cui vnica ciuitas immediatè commiſſa eſt, Archiepiſcopus, cui immediatè vnica prouincia; Patriarcha, cui immediatè vnica Diœceſis, cum ſubordinatione inferioris ad ſuperiorem. Et ideò ex vſu nullus in orbe eſt Epiſcopus, Archiepiſcopus, Patriarcha vniuerſalis, quia nullus immediatam, & perſonalem curam gerit omnium, & reuera ſi in hoc ſenſu vnus eſſet vniuerſalis, tollerentur alij, quia nulla ciuitas duos Epiſcopos, nulla prouincia duos Archiepiſcopos, nulla Diœceſis duos Patriarchas habere

poſſunt, ſicut neque cœlum duos ſoles. Hanc poſteriorem Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Patriarchæ acceptionem, reſpexerunt Gregorius, & Pelaginus, quando Epiſcopi, & Patriarchæ vniuerſalis titulos reiecerunt. Priorem verò cęteri, qui eoſdem titulos admiſerunt. Immò in hoc enituit mirificè eorum modeſtia, cum enim non minus propriè vocari poſſent Archiepiſcopi, & Patriarchæ Eccleſiæ vniuerſalis, quam Epiſcopi, humiliori iſto contenti, ſublimiores illos neglexerunt.

Sed dices, ſi hoc nomen, bonum ſenſum habere poteſt, quare Gregorius abſolutè pronunciat eſſe ſuperbum, ſacrilegum, & abſolutè vetat illius vſum?

Reſpondeo, nomen Chriſtotocos bonum ſenſum habet, & tamen Patres vetuerunt vſum illius, ne videlicet ſub illo nomine lateret hęreſis Neſtorij, qui Mariam Chriſti Matrem, non Dei matrem, appellabat. Quod tamen, ceſſato periculo admiſſum in Eccleſia eſt, & nunc in litanijs paſſim cantatur. Eadem ratione à Pelagio, & à Gregorio tunc titulus Epiſcopi vniuerſalis reiectus eſt. Viderant enim ſapientiſſimi Patres, futurum aliquando, vt prætextu Imperij Conſtantinopolitani, eius Vrbis Epiſcopi aſpirarent ad eamdem poteſtatem in Eccleſia, quam habebant Imperatores in Rep. Iam huius tyrannidis præludia viderant in Concilijs Conſtantinopolitano, & Chalcedonenſi. Quare, vt occurrerent huic incendio, vetuerunt abſolutè id nomen, quod Conſtantinopolitanis, neque ratione vſus, neque ratione ſignificationis competebat. At, ceſſato periculo, vrgentibus alijs neceſſitatibus, illum reſumere coacti ſunt, non iuxta vulgatem, & communem eius vſum, ſed iuxta formalem eius nominis ſenſum, qui inferiores Præſules, & cuſtodes non excludit. Nullius ergo momenti eſt iſthęc obiectio, quare cętera proſequamur.

Tertius auctoritate Pelagij, & Gregorij, qui Pelagio ſucceſſit, Neſteutes continuit quidem ſe intra limites ſuæ Patriarchiæ, at Oecumenici titulum deponere voluit nunquam. Quare l. 6. epiſt. 194. indicat Gregorius ſe à Mauritio Imperatore monitum [ne propter appellationem friuoli nominis inter eos ſcandalum generaretur.] Et quamdiù Mauritius Imperij habenas tenuit, fouit perpetuò hanc peruicaciam Neſteutæ. Fieri nimirùm ſolet, vt ab eis, quos humiles, honeſtos, & probos arbitramur, nihil non humile, inhoneſtum nihil, nihil immoderatum proficiſci poſſe credamus. Quæ verò talia putant, qui verè tales ſunt, ea pertinaciſſimè propugnant. Quare nihil faciliùs, quàm quòd iſta ſepulchra dealbata bonis etiam paſtoribus illudant, eoſque per ſpeciem boni, factos miniſtros paſſionum ſuarum, in manifeſtas iniquitates interdum pertrahant. Ita Neſteutes ea virtutum larua, quam audiſti, capto Mauritio, principe alioquin pijſſimo, eum primò Romanis pontificibus quaſi inimicis ſplendorum nouæ Romæ ſubinſenſum reddidit. Mox perſuaſum (quod erat cardo ſuæ vniuerſitatis) rem ſacram à Republica pendere, eò adegit principem, vt Eccleſiæ poteſtatem, & libertatem grauiter affligeret, & eneruaret, vndè ſub eius duro ſeruitutis iugo Gregorium ſæpè ſæpius in regiſtro, & alibi gementem reperias. In pſalm. 4. penit. [Symoniachus Rex, inquit, in tantùm ſuæ temeritatem extendit veſaniæ, vt caput omnium Eccleſiarum Romanam Eccleſiam ſibi vendicet, & in Dominam gentium terrenæ ius poteſtatis vſurpet. Quod omnino ille fieri prohibuit, qui hanc B. Petro Apoſtolo ſpecialiter commiſit, dicens, tibi dabo Eccleſiam meam.] At Deum tandem Mauritius ſenſit grauiſſimum vindicem, & vltorem, factus cum domo ſua miſerabiliſſimum tragediarum exemplum. Sicut verò Gregorius Pelagium imitatus eſt grauiter inſectando titulum Patriarchæ vniuerſalis, ita eius veſtigia ſecutus eſt, exercendo ſedis ſuæ poteſtatem vbique terrarum, garriant, vt lubet hæretici. In Italia lib. 1. epiſt. 18. 19. 22. 31. lib. 2. epiſt. 1. 15. 20. 26. 29. 30. lib. 3. epiſt. 33. lib. 5. epiſt. 9. lib. 6. epiſt. 13. lib. 7. epiſt. 10. lib. 10. epiſt. 56. lib. 11. epiſt. 33. In Sicilia lib. 1. epiſt. 1. lib. 2. epiſt. 4. lib. 6. epiſt. 19. lib. 7. epiſt. 8. 62. lib. 11. epiſt. 42. lib. 12. epiſt. 31. In Corſica lib. 1. epiſt. 76. In Sardinia lib. 4. epiſt. 33. & lib. 7. epiſt. 2. In Africa lib. 1. epiſt. 72. & 75. lib. 2. ep. 33. 47. 48. lib. 7. epiſt. 32. lib. 10. epiſt. 8. & 32. In Hiſpania lib. 11. epiſt. 50. 53. In Hibernia lib. 9. epiſt. 61. In Anglia lib. 12. epiſt. 15. Quare à Beda hiſt. Angl. lib. 2. cap. 1. illud glorioſum elogium aſſecutus eſt. [Beatus Papa Gregorius, cum primum in vniuerſo orbe gereret pontificatum, & conuerſis iam dudum ad fidem veritatis eſſet Prælatus Eccleſiæ, Anglorum gentem eatenùs idolis mancipatam Chriſti fecit Eccleſiam, ità vt Apoſtolicum illum de eo liceat nobis proferre ſermonem, quia etſi alijs non eſt Apoſtolus, ſed tamen nobis eſt.] Hæc Beda. Nunc autem Anglia (proh pudor) Arietis alituram Eccleſiæ Romanæ rependit, ſed pergamus. In Gallia lib. 4. epiſt. 52. 53. 54. lib. 4. epiſt. 251. lib. 7. epiſt. 112. Et in priuilegio Monaſterij S. Medardi. In Dalmatia lib. 10. epiſt. 19. libro 2. epiſt. 1422. lib. 4. epiſt. 9. lib. 5. epiſt. 726. 48. In Oriente lib. 2. epiſt. 6. 7. lib. 4. epiſt. 15. 50. 55. 56. lib. 10. epiſt. 36. lib. 12. epiſt. 2. Exiſtimauit ergo verùm quod lib. 7. epiſt. 95. ſcripſit ad Magiſtrum militum in Iſtria. [Nullum illic ab Apoſtolica ſegregatum remanere vultis Eccleſia, tantuſque vos B. Petri Apoſtolorum principis amor accendit, vt ouile ipſius, cui à Domino omnes creaturæ ſunt traditæ, ſummo cum deſiderio redintegrare cupiatis.] Hucuſque ſui ouilis ouem ſpecialem Conſtantinopolitanum Epiſcopum agnoſcit lib. 7. epiſt. 63. [De Conſtantinopolitana Eccleſia quod dicunt, quis eam dubitet Sedi Apoſtolicæ eſſe ſubiectam? Quod & Dominus Imperator, & frater noſter Euſebius eiuſdem Ciuitatis Epiſcopus aſſiduè profitentur.] Et certè quomodo cum ſubiectum non agnoſceret, qui accuſato ſibi primate Bizaceno in Africa lib. 7. epiſt. 64. ait. [Si qua culpa in Epiſcopis inuenitur, neſcio quis Epiſcopus Apoſtolicæ Sedi ſubiectus non ſit.] Atque ita ſextum à Chriſto ſæculum concludo.

Principi Mauritio initio ſeptimi ſæculi Phocas miles ſimul cum vita Imperium eripuerat. Poſt Sabinianum Gregorij ſucceſſorem Pontificatum obtinuerat Bonifacius huius nominis tertius, & Conſtantinopolitanam

nam

nam Eccleſiam Cyriacus olim Mauritio cariſſimus, idemque tituli Oecumenici tenaciſſimus, etiamnum gubernabat. Quando Phocas, homo licet perditus, & multò nequior, quàm vt dici queat, ſtomacatus ſumma hac Epiſcopi Conſtantinopolitani vanitate, eum auctoritate ſua ſeuerè compeſcuit, ita rogatus à Bonifacio Papa. Quid egerit, narrant Paulus Diaconus, & Anaſtaſius Bibliothecarius hunc in modum: Diaconus [Phocas Imperator, rogante Papa Bonifacio, ſtatuit, ſedem Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ primam eſſe, cum prius Conſtantinopolitana ſe primam omnium ſcriberet, & Bibliothecarius. Bonifatius obtinuit apud Phocam principem, vt ſedes Apoſtolica B. Petri Apoſtoli caput eſſet omnium Eccleſiarum, id eſt, Romana Eccleſia, qui Eccleſia Conſtantinopolitana prima ſe omnium Eccleſiarum ſcribebat.] Vidiſti, Lector, controuerſiam non fuiſſe de re, an ſcilicet Epiſcopus Romanus eſſet Eccleſiæ caput, an Conſtantinopolitanus; iam enim Conſtantinopolitani Romanum tanquam ſuperiorem agnoſcebant, ſed merum, & purum nomen controuertebatur, nimirùm an Conſtantinopolitanus nuncupari poſſet, vel Patriarcha, vel Epiſcopus vniuerſalis. Quare hi authores æquiuo carnut in terminis, & rationem decreti vice concluſionis retulerunt, ſi enim contra Conſtantinopolitanos, Phocas iudicauit, hoc vnum conſtituere potuit, quòd Epiſcopus Conſtantinopolis in poſterum ab vniuerſalis titulo abſtineret qui ſi alterutri deberetur, Romano potiùs, quàm Conſtantinopolitano, cum Eccleſia Romana ſit caput omnium Eccleſiarum. Quicquid ſit, qui negant Papæ primatum; eos omnium mortalium nequiſſimos eſſe oportet, quando negare audeant, quod totius antiquitatis auctoritatem reuentus Phocas negare erubuit. Qualis autem Phocas fuerit audi Cedrenum, [vinoſus, mulieroſus, ſanguinarius, rigidus, in dicendo ferox, à miſeratione alienus, moribus ferus, hæreticus.] Contra nos facere putant Hæretici conditiones Phocæ, ego contra illos, quàm enim ſceleratè impium eſſe oportet, qui audeat, quod tale monſtrum exhorruit?

Heraclio Phocæ ſucceſſore imperante, noua in Oriente hæreſis exorta eſt, cuius ſectatores Monothelitæ nuncupati ſunt. Cùm enim Oriens diuerſis ſcateret hæreſibus, Neſtorianis, Eutichianis, Apollinariſtis, facilè omnes eorum controuerſias dirimi, eoſque vniri poſſe à nonnullis iudicatum eſt. Si faterentur omnes, in Chriſto duas quidem fuiſſe naturas, ac vnicam duntaxat voluntatem, à quo loquendi modo etiam nonnulli Catholici Patres non abhorruiſſe videbantur. Id vero Apollinariſtis non poterat diſplicere, qui loco animæ intellectiuæ verbum in Chriſto ponebant. Non Neſtorianis, qui Deum homini vnitum aſſeuerabant, ſolo amore & affectu. Non Eutichianis, quorum peculiare dogma erat Diuinitatem, & humanitatem In carnatione in vnam tertiam Naturam coaluiſſe: Quare Imperator homo ſimplex, Sergij Conſtantinopolis, Cyri Alexandriæ, & Athanaſij Antiochæ Epiſcoporum perſuaſionibus deluſus, dum pacificator Eccleſiæ eſſe vult, hæreſis Anteſignanus euadit, & ad grauiſſimum incendium faces præfert. [Dictante enim Sergio, promulgat edictum, quod Ecthesim nominari vult, hoc eſt expoſitionem,] qua in totius Orbis theatro egregium iſtud dogma profitetur. Mox Ectheſis Orientalium Patriarcharum calculis comprobata, Romam mittitur pro confirmatione ad Sanctum Seuerinum Papam. Verùm vt aſſerit Martinus primus in Concilio Lateranenſi: [Nec ſuſcepta eſt omninò, aut admiſſa ſecundum eorum vanam ſpem, magis autem condemnata eſt, & anathematizata ab Apoſtolica auctoritate:] Et cum ſanctus hic Pontifex, varijs ærumnis ab Heraclij miniſtris confectus obijſſet, & Ioannes 4. ſubrogatus eſt, qui ſtatim Romæ conuocato Concilio publicè reiecta Ectheſi, vt Theophanes ait, Monothelitarum hæreſim anathematizauit. Id verò cùm audiſſet Heraclius, quomodo geſſerit ſe, habent Acta Concilij Conſtantinopolitani ſub Conſtante Monothelita. [Edicto ſe liberauit omni Eccleſiaſtica reprehenſione, hæcque ſcripſit: Ectheſis mea non eſt, nec ego dictaui, aut fieri iuſſi, verùm cùm Sergius Patriarcha, quinque ante annis condidiſſet, quàm ab Oriente redirem, orauit me poſtquam ad hanc felicem vrbem adueni, vt nomine meo promulgaretur cum ſubſcriptione, eius hortatu id feci. Nunc verò cùm cognouerim, eam à nonnullis oppugnari, declaro ad omnes, non eſſe meam.] Atque hoc edicto Ioanni Papæ purgauit ſe, quod ita indicatur in Actis. [Hoc iuſſum fecit ad Beatum Ioannem Papam, qui damnarat Ectheſim.]

Tanti itaque ponderis erat etiam in Oriente tunc temporis Papæ iudicium, vt Patriarchæ omnes, Concilia, edicta Imperatorum huic vni cederent, adeò vt mallent ſummi principes in re iam eorum nomine promulgata, cuius approbatione cum eorum dignitate apertè coniuncta erat; huiuſmodi palinodias publicè canere, quàm Romanam cenſuram experiri. Eant igitur cum omnibus ſuis nugis, qui Romanum Pontificem nil pluris faciunt, quàm alium quemlibet minimum Epiſcopum.

Mortuo Sergio ſubſtituitur Pyrrhus Monothelita, Heraclio decem menſium ſpatio, duo filij ſuccedunt, Conſtantius, & Heracleonas, & huic Conſtans ex Conſtantio nepos, auitæ tam impietatis, quàm poteſtatis hæres, Cuius metu ſibi de nece Conſtantij conſcius Pyrrhus, cum ſolum vertiſſet, Paulum hac eadem hæreſi laborantem accepit ſucceſſorem. Ipſe interim in Africam nauigauit, ibique in publico Epiſcopum Africæ conſeſſu celeberrimam illam diſputationem habuit cum ſancto Maximo grauiſſimo Monothelitarum Antagoniſta, quæ notariorum manu accuratiſſimè excepta, extat ad hanc vſque diem. In qua cùm Pyrrhus ſuccubuiſſet, & victum ſe fateretur à Maximo, tandem ſubiecit:

[Hoc ſolum rogo, vt dignus habear in primis templorum Apoſtolorum, ac potius ipſorum Principum Apoſtolorum adoratione, deinde vt videam faciem ſanctiſſimi Papæ, eique tradam libellum eorum, quæ abſurdè facta ſunt. Maximus & Gregorius Patricius dixerunt, quandoquidem tua propo-

ſitio

ſitio bona eſt & Eccleſiæ vtilis, ſic fiat. Mox verò ita acta illa obſignantur: In hac ergo celeberrima vrbe Roma cum adeſſet nobiſcum, promiſſum præſtitit, damnauitque dogma impiæ expoſitionis, ſeque per rectam profeſſinnem cum ſancta Catholica, & Apoſtolica Eccleſia coniunxit, gratia & operatione magni Dei.] Hęc ex Actis, quibus conſentiunt Concilium Romanum, ſub Martino, act. 1. Theophanes, & Photius, Theodorus Romanus Pontifex, pœnitentem filium charitate planè paterna excepit, maximis honoris, & beneficentiæ teſtimonijs eum proſequutus. Id cùm innotuiſſet Paulo, metuens ſibi, ne Pyrrhus à Theodoro reſtitutus, eum loco pelleret, in apertiorem, & contumelioſiorem errorem pellexit totum clerum; propoſita pro foribus Eccleſiæ nomine omnium formula fidei Monotheliticæ, ſperans quos erroris conſortes habebat, eoſdem habiturum ſe etiam vindices ſuæ, & dignitatis, & contumaciæ. Id vbi auditum in Africa, omnes illas Eccleſias excitauit ad zelandum Zelum Domini. Quare eodem tempore quatuor Concilia Prouincialia conuocata ſunt, datæque ea de re literæ cùm ad Romanum Pontificem Theodorum, tum ad Paulum ipſum. Ad hunc, vt reſipiſceret, ad illum ni iſte reſipiſceret, vt ferro vicus curaret. Quæ ad Pontificem communi trium Conciliorum Numidiæ, Bizarenæ, Mauritaniç nomine ſcriptæ ſunt, hunc titulum præferunt.

Domino Beatiſſimo, & Apoſtolico culmine ſublimato ſancto Patri Patrum Theodoro Papæ, & ſummo omnium Præſulum Pontifici Columbus, ac Magnum, & indeficientem omnibus Chriſtianis fluenta redundantem, apud Apoſtolicam ſedem conſiſtere fontem, nullus ambigere poſſit, de quo riuuli prodeunt affluentes, vniuerſum largiſſimè irrigantes orbem Chriſtianorum: Cui etiam in honore Beatiſſimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decreuere reuerentiam in requirendis Dei rebus, quæ omninò, & ſollicitè debent, maximè verò, iuſtèque ab ipſo præſulum examinari vertice Apoſtolico, cuius vetuſta ſollicitudo eſt, tam mala damnare, quàm probare laudanda. Antiquis enim regulis ſancitum eſt, vt quicquid quamuis in remotis (audite ſuburbicarij) Vel in longinquo poſitis ageretur Prouincijs, non prius tractandum, vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam almæ ſedis veſtræ fuit deductum, vt huius auctoritate, iuſta, quæ fuiſſet pronunciatio, firmaretur, indèque ſumerent cæteræ Eccleſiæ velut de natali ſuo fonte prædicationis exordium, & per diuerſas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei ſacramenta, ſalutis.] Lectę ſunt hæ literæ in ſecundo ſecretario Concilij Romani paulò poſt ſub Martino primo. Lectæ præterea ſunt ibi hæ literæ Sergij Metropolitani Cyprij ad eumdem Pontificem in eadem cauſa. [Sanctiſſimo, & Beatiſſimo à Deo noſtro honorabili Patri Patrum Archiepiſcopo, & vniuerſali Papæ Domino Tgeodoro, Sergius humilis in Domino ſalutem. Firmamentum à Deo fixum, & immobile, atque tituli formam lucidiſſimam fidei veſtram Apoſtolicam ſedem conſtituit, ò ſacer vertex Chriſtus Deus noſter. Tu es enim ſicut diuinum veraciter pronunciat verbum, Petrus, & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ confirmatæ ſunt tibi, & claues regni Cœlorum commiſit, atque ligare, & ſoluere poteſtatiuè, quæ in terra, & cœlis ſunt, promulgauit. Tu profanarum hæreſum depoſitor exiſtis, tu princeps, & Doctor Orthodoxæ, & immaculatæ fidei.] Paulus pertinax, & Pyrrhus ſpe recuperandę ſedis iam relapſus, mox à Theodoro damnantur. Conſtans, quò ſynagoga Monothelitica cum honore ſepeliretur, ſuaſu Pauli edictum fidei promulgat, quod Typum nominat, in quo formulam fidei à Paulo Eccleſiæ foribus affixam refigi iubet, & tam Orthodoxis, quàm Monothelitis de controuerſia duarum voluntatum ſilentium indicit. Romam mittitur Typus ad Martinum Papam. Martinus conuocato Romæ frequenti Epiſcoporũ Concilio Typum cum anathemate proſcripſit, eodem fulmine proſequutus cum Phyrrho, & Paulo Cyrum, Sergium, & Theodorum Pharanitanum Monothelitarum anteſignanos, & (monothelitis exceptis) Eccleſia vniuerſa in Italia, in Gallia in Hiſpania, in Anglia, in tota Africa, in Illyrico Patris, & Papotis ſui vocem ſequuta eſt: Contra hunc Tyrum, & monothelitas Sophronius Patriarcha Hieroſalem miſit ad Martinum Stehbanũ Epiſcopum Dorenſem, qui auditus in ſecundo ſecretario, rationem ſuæ legationis explicans inter cætera dixit, ſe ideò miſſum, vt rogaret Pontificem pro fidei, & Eccleſiæ Catholicæ incolumitate. [Quippè quoniam hoc poteſtatiuè olim, & ab antiquitùs facere per Apoſtolicam, ſiue Canonicam conſueuit auctoritatem, dum aperta lucubratione non ſolùm claues regni Cœlorum creditæ ſunt ei, atque ipſe tantummodo ad aperiendum eas fidelibus quidem dignè, minimè autem Euangelicæ gratiæ credentibus iuſta, claudere magnus ſecundùm veritatem, & Princeps Apoſtolorum meruit Petrus, ſed etiam & paſcere primus iuſſus eſt oues Catholicæ Eccleſiæ, cum Dominus dicit: Petre amas me? paſce oues meas; & iterùm ipſe præcipuè, ac ſpecialiter firmam præ omnibus habere in Dominum Deum noſtrum, & immutabilem fidem, conuertere aliquando, & confirmare exagitatos conſortes ſuos, & ſpirituales meruit fratres, vtpotè diſpenſatiuè ſuper omnes ab ipſo, qui propter nos incarnatus eſt Deus, poteſtatem accipiens, & ſacerdotalem auctoritatem. Quod vtique ſciens Beatus Sophronius, quantociùs inquit de finibus terræ ad terminos eius deambula, donec ad apoſtolicam ſedem, vbi Orthodoxa dogmatum fundamenta exiſtunt, peruenias, non ſemel, aut bis, ſed multò ſæpius aperiens ſacris viris ibidem conſiſtentibus, omnia ſecundum veritatem, quæ in iſtis partibus mota ſunt, & non quieſcas inſtantiùs expetens, atque exorans eos, donec ex Apoſtolica prudentia, quæ in Deo eſt, ad victoriam iudicium perducere debeant.] Eadem actione lectus eſt libellus ſupplex multorum Abbatum, Presbyterorum, & Monachorum Orientalium, in quo prope medium, ad Pontificem aiunt, [omnium corda poſt Deum in vos pendent, ſummum Eccleſiarum ſcientes vos caput à Chriſto Deo noſtro præpoſitum.] His itaque, alijſque

iu-

inſtantibus Imperialis Typus damnatus eſt. Quod vbi Imperatnr reſciuit, ita percitns inſidias ſtruere Martino incipit, ſi qua ratione eum, vel intetficere, vel (quod multo gracius) captnm, Conſtantinopolim rapere poſſet. Imperterritus Martinus non inrermittit curam ouium ſuarum, ſed ne pleræque Orientis regiones, quas Saraceni occnparant, debito pabulo fraudarentur, deſtinat interim ſuum in Oriente Vicarium Ioannem Epiſcopum Philadelphienſem hiſce præ cæteris verbis: [Charitarem tuam exhortamur religioſiſſime frarer, noſtram iſtic vicem implere, id eſt in Orientis partibus in omnibns Eccleſiaſticis functionibus. atque officijs, vt in hoc maximè, ſicut oportet ſuſcites gratiam Dei, quæ io te eſt per impoſitionem ſacerdotalis dignitaris, & noſtræ Apoſtolicæ vicis. Non enim dedit oobis Deus ſpiritum timoris, ſed fortitudinis, & vt ſic proſperans in Domino ea, quæ deſunt, corrigas & conſtituas per omnem Eccleſiam Ciuitatum earum, quæ ſedi rum Hieroſolymitanæ, tum Antiochenæ ſubſuor Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos, hnc tibi omnium facere pręcipientibus nobis ex Apoſtollca auctoritate, quæ dara eſt nobis à Domino per Petrum ſanctiſſimum Principem Apoſtolorum. Vndè intelligas, neque totum Oricotem ab Eccleſia Romana defeciſſe, ſed Deum reliquiſſe ſibi adhuc ſeptem millia virorum in ipſis viſceribus Oricotis, qui non flecterent genua ſua anre Baal. ſublati demùm ſunt à Conſtanre, Martinus & Maximus, & ambo pro tuenda fide Catholica martyrio coronati. Durauir hoc ſchiſma rotis 46. annis, vt aſſerunt Legati Papæ in Sexra ſynodo act. 1., quo temporc Eccleſia Romana grauiſſimas calamitates experta eſt. Sed tandem Agathone Pontifice, & Conſtanrino Pngonato Imperarore reſpirauit, conuocato Conſtantinopoli ſexto Concilio Geoerali, in quo communi totius Eccleſiæ conſenſu Monothelitſmus cum auctoribus ſuis damnatus eſt. Intelligis itaquæ lector, quotquot in Oriente Romanæ Eccleſiæ Primatui reſtiterunt, eos ſemper, quocunque nomine cenſerentur, in ipſomet Oriente à Græcis ipſis, vel hæreticos, vel ſchiſmaticos habitos, & declaratos eſſe. Vndè colligas quo loco habendi ſint, qui hoc ſæculo faciunt, quòd olim Ariani tantum, Macedoniani, Neſtoriani, Entichiani, Monothelitæ, & ſimilia monſtra fecere. Petijt Confirmationem hæc ſynndus ab Agathone per literas, io quibus Patres enm, vt caput venerati ſunt, profeſſi etiam ſe ſequutus fuiſſe eius in decernendo ſententiam hiſce verbis: [Itaque tibi, vt primæ ſedis Antiſtiti vniuerſalis Eccleſiæ quid gerendum ſit, permittimus, ſtanti ſuper firmam fidei Peeram, acquieſcentes veræ confeſſionis literis à veſtra patrrna Beatitudine ad Pijſſimum Imperarorem miſſis, quas vt à ſummo Apoſtolorum vertice diuinitùs præſcriptas agnoſcimus, per quas exortam multiplicis erroris hæreticam ſectam depulimus. Et ad calcem. Quam etiam fidem, vt per honorabilia veſtra reſcripta confirmetis, veſtram oramus paternam ſanctitatem. Alias præterea literas dederunr, ad Epiſcopos Occidentis eodem tempore Romæ conuocatos, in qnibus circa medium inquiunt. [interfuiſtis namque, & vos cum vniuerſali Principe paſtorom, ſimul cum ipſo loquentes tam in ſpiritu, quàm in litera. Et paulò poſt: Tanquam ipſius diuini Petri vocem Agathonis relationem ſupee mirati ſumus, nemo enim diſcrepauit, niſi vnus. Is fuit Macarius Epiſcopus Antiochenus, qui ſecùm nonnullos alios etiam perttaxit, quare cum eis damnatus eſt, & exauctoratus à ſynodo. Verùm ſicut Patres ſubiecerunt Agathonis arbitrio reliquas omnes diffinitinnes, ita etiam ſuum iſtud de reis peruicacibus iudicium, quod ita indicar Imperator ſuis ad Agathonem literis. [Ipſi autem (Macarius & Socij) ſcriptis precibus ſereoitatem noſtram communiter omnes deprecatâ ſunt, vt ſe ad veſtram Beatitudinem mitteremus: Sic igitur fecimus, eoſque ad vos miſimus veſtro paterno iudicio omnem ipſorum cauſam permitrentes.] Refractarios vidiſti, vidiſti Aoonyme, qui obſequautur in Oriente Pontifici: Si verò tu taliū hominum exemplo colligi poſſe putas, Orientem non agnouiſſe Primatum Papæ in totam Eccleſiam Chriſti, eadem ratione concludes, Paradiſum non agnouiſſe Principatum Dei in omnes creaturas, cum neque ibi defuerit, qui dixerit, [in Cœlum conſcendam, ſuper aſtra Cœli exaltabo ſolium meum, ſimilis ero Altiſſimo.] Quæ hoc ſæculo Hiſpania, Gallia, Auglia, Hibernia, & omnes demùm Eccleſiæ ediderior clariſſima teſtimonla pro Papæ Primatu, non percenſeo tum, quod de Oriente nominatim cum Anonymo decertamus, tùm quòd ex obſequijs, quæ Papæ exhibuit Oriens, cum Catholicus fuit, facilè quiſque colligat, quomodo cum Papa geſſerit ſeſe reliquus orbis, vbi neque fides labefactata, neque fomenta ſchiſmatum, Imperij ſedes, & tituli Nouæ Romæ.

Conſtantinus Papa, & Iuſtinianus Iunior Imperator nobis octauum ſæculum aperiunt, in cuius initijs ſingulare illud reuerentiæ erga Pontificem argumentum edidit Imperator, quòd Pontifici Conſtantinopolim proficiſcenti. Anaſt. io Conſtant. [& vltra Nicæam obuiam progreſſus eſt. Et vbi ſe inuicem viderunt, Auguſtus Chriſtianiſsimus cum Regno in capite ſeſe proſtrauit, pedes oſculans Pontificis.] Dum Pontifex in Occidentem reuertitur, Philippicus, occiſo Iuſtiniano, Imperium arripit, ſuaſuque Monachi Monathelitæ mathematici, qui illi Imperium prædixerat, coacta Conſtantinopoli noua ſynodo Epiſcoporum Orientis tantùm, ſextam generalem abrogat, pulſoque de Conſtantinopolitana ſede Patriarcha, alium ſuæ fidei illi ſubrogat. Non diu tamen impunè tulit tot ſcelera Philippicus, ſed anno ſecundo ſuæ Tyrannidis, vltrice Dei dextera, & purpura ſpoliatus, & vita, Anaſtaſio viro Catholico locum ceſſit; hic Theodoſio, & Theodoſius tandem Leoni Iſaurico. Iſauricus, Hebræo quodam datam fidem repoſcente, qui ei Imperium præſagierat, ſacris imaginibus grauiſſimum bellum indicit, interdicens ſenatuſconſulto earum cultum. Tentat Gregorium ſecundum, qui Conſtantino ſucceſſerat, & Germanum Patriarcham Conſtantinopolis virum ſanctiſſimum, Blanditijs, minis, pollicitationibus, terrore, ſed fruſtrà, vtroque pro legibus pa-

trijs

trijs infractum animi robur oſtentante. Rogar Gregorium pro conuocatione Concilij generalis, Gregorius renuir. [Scripſiſti, inquit Gregorius, vt Concilium vniuerſale cogeretur, & nobis inutilis ea res viſa eſt.] Tandem ſimulata cum Gregorio pace, ad ſtabiliendam hæreſim in Oriente torus conuerſus Sanctum Germanum ſua ſede pellit. Suffecto in eius locum Anaſtaſio eadem impietate contaminato, ſtatim verò Anaſtaſius (impius licèt, & ſceleratus) Gregorium tanquam ſuperiorem ſuum reueretur, datis ad eum de more ſynodicis literis. [Sed Gregorius inquit Theophanes, Sanctiſſimus Pręſul Romanus (quemadmodum prædixi) Anaſtaſium vnà cum libellis abiecit:] Id ipſum conteſtatur Anaſtaſius Bibliothecarius in Gregorio. Et tandem cum peruicaciam Leonis videret ſanctus Pontifex, vbi fulmen anathematis in eum intorſit, totius etiam Italiæ Imperio ipſum mulctauit, interdicens omnia, quæ ex ea vectigalia capiebat Theophanes. [Gregorius ſanctiſſimus Præſul Romanus Leonem per epiſtolas tanquam iniquè agentem redarguens, Romam cum tota Italia ab ipſius Imperio recedere facit Zonaras: Gregorius, qui tum Romæ veteris Eccleſiam gubernabat, repudiata ſocietate Præſidis Nouæ Romæ, Leonis ſcilicet Imperatoris, nec non illorum, qui illum ſequerentur, illos vnà cum Imperatore ſynodico anathemate obſtrinxit, & vectigalia, quæ ad id vſque tempus Imperio impendebantur, inhibuit.] Idipſum teſtantur, omnes Græci ſeriprores. Nemo tamen tunc fuit, vel in Græcia, vel in Italia, qui dixerit, id à Pontifice fieri non potuiſſe, ſed Oriens Imperium ſuum tali membro mutilari pertulit mutus, & Italia lęta paſſis palmis libertatem excepit.

Neque Græcia ſola, aut Italia tantùm, ſed etiam Chriſtianiſſimum Galliarum Regnum quàm præclare ſentiret de ſumma Romanorum Pontificum poteſtate, æternis monumentis hoc ipſo ſęculo poſteris teſtatum reliquit. Quæ verò, audiamus ab eorum annalibus [An:749. Burchartus Wirciburgenſis Epiſcopus, & Folradus presbyter Capellanus miſſi ſunt Romam ad Zachariam Papam, vt conſulerent Pontificem de cauſa Regum, qui illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantùm Regis, ſed nullam poteſtatem regiam habuerunt. Per quos prædictus Pontifex mandauit, melius eſſe illum vocari Regem, apud quem ſumma poteſtatis conſiſteret, dataque auctoritate ſua, iuſſit Pipinum Regem conſtitui anno 750. Hoc anno ſecundum Romani Pontificis ſanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus eſt, & ad eius dignitatem honoris vnctus ſacra vnctione. Annales etiam Francorum Fuldenſes, narrata legatione ſub anno 751. anno ſtatim ſequenti ſubdunt. [Zacharias Papa ex auctoritate ſancti Petri Apoſtoli mandat populo Francorum vt Pipinus, qui poteſtate regia vtebatur, regni totius, & nominis quoque dignitate frueretur.

[Ita Hildricus Rex, qui vltimus Meroingorum Francis Imperauit, depoſitus, & in monaſterium miſſus eſt, Pipinus verò in ciuitate ſueſſionum à ſancto Bonifacio Archiepiſcopo in Regem vnctus, Regni honore ſublimatus eſt.] Annalibus vero conſentiunt Rhegino Chron. lib. 2. an. 749. 750. Lambertus Schafnaburgen. hiſt. germ. an. 750. Marianus Scotus lib. 3. ætat. 6. an. 750. Sigibertus in Chronographia ad an. 750. Siffridus in epitome ad eumdem annum. Auctor compilationis Chronologicæ eodem anno, & alij.

Quare mirari ſubit impudentiam Anonymi, qui cap. 9. ſui Papatus pag. 154. falſi arguit, cap. alius 15. qu. 6. in quo id à Zacharia Papa factum narratur. Quod enim (inquit Anonymus) Zachariæ à Grariano adſcribitur, cæteriſque Canoniſtis recipitur, falſum eſt, cum omnes illius temporis ſcriptores fateantur, Stephanum Secundum fuiſſe, qui Pipinum in Italia contra ſibi infeſtos Longobardos vocauit, atque venientem abſoluit à iuramento præſtito Regi ſuo Chilperico, eodemque inaudito, non vocato, non defenſo, non accuſato, aut delato, vt ait Abbas Vrſpergenſis, & Eutropius lib. 22. ſcribit, atque Eginhartus in vita Caroli Magni, qui illius Cancellarius erat.

Sed ſi Anonymus non odio, & inuidia tranſuerſus ageretur, vidiſſe poterat, veriſſimum eſſe Capitulum alium Grariani, & nihil minus verum, quod Eginhartus, & alij prodiderunt. Nimirùm. Pipinus bis vnctus in Regem eſt, prima vice à ſancto Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino iuſſu Zachariæ, ſecunda vice à Stephano Secundo Pontifice manibus proprijs non in Italia, vt Anonymus fingit, ſed in Gallia, non antequam Rex Hilpericus deponeretur, ſed poſtquam depoſitus, monaſticam vitam agebat. Remque ita ſe habere, Annales ipſi teſtantur, qui narrata vnctione Pipini, & depoſitione Hilperici ſub anno 750. ad annum 753. Stephanum veniſſe tradunt ad Pipinum in Galliam, [in villa, quæ vocabatur Cariſiacus auxilia petentem, & anno 754. his ipſi verbis nouam vnctionem Pipini, Stephanus Papa, poſtquam à Rege Pipino Eccleſiæ Romanæ defenſionis firmitatem accepit, ipſum ſacra vnctione ad regiæ dignitatis honorem conſecrauit, & cum eo duos filios eius Carolum, & Carolomannum, manſitque hyberno tempore in Francia.] Chronicon verò Lauris hamenſe, quod illis ipſis temporibus ſcriptum eſt, fundationem Lauris hamenſis Monaſterij referens ſic incipit:] Anno Dominicæ Incarnationis 764. Pipini verò Regis Francorum, qui ex ſententia Zachariæ Papę, depoſito Hilderico, per Beatum Bonifacium Moguntinę Sedis Archiepiſcopum, & martyrem ex Pręfecto Palatij in regiam dignitatem eſt vnctus, ac poſtea per Stephanum Papam Apoſtolica vnctione confirmatus, anno 12.] Itaque verum eſt, & quod apud Grarianum extat, & quod ab alijs ſcriptoribus proditum eſt. Quod verò addit Auonymus, non vocato non defenſo, non accuſato, aut delato, gratis dicitur, malignè, & ſine fundamento, nulla enim extat memoria, quòd quiſquam de Zachariæ iudicio conqueſtus ſit, ne quidem Hilpericus ipſe. Anonymus ſecundò ſubijcit Papam non detuliſſe Regnum Pipino, nam & ante Zachariam primum, & ante Stephanum ſecundum multis annis conſtat, Carolum Pipini Patrem Regnum vſurpaſſe, atque Franciam filijs per regna diuiſiſſe.

Reſpondeo, ea ratione adminiſtrabatur Regnum Galliæ ſub Meroingis, quam tradunt

Au-

Digitized by Google

Annales, Eginhartus, & omnes ſcriptores, [Reges Francorum ex antiqua Meroingorum ſtirpe deſcendentium, reges quidem dicebantur, habent Annales, ſed poteſtas Regni tota apud maiorem domus habebantur, excepto quòd cartæ, & priuilegia Regis nomine ſcribebanrur, & in Martis Campum, qui Rex dicebatur, plauſtro bubus trahentibus vectus, atq; in loco emiuenri ſedens ſemel in anno à populis viſus publica doua ſibi oblata ſolemnirer accipiebat, ſtante coram maiore domus, & quæ deinceps eo anno agenda eſſent, populis adnunciante ſicque Rege domum redeunte, cætera Regni negotia Maior domus adminiſtrabat.] Similia ſcribunt Græci, & Latini omnes. Regis itaque nomen, & dignitas erat penès Meroingos, poteſtas, & auctoritas (iam quaſi hæreditaria Carolingis) penès Maiores domus. Rectè ideò redarguit Eginhartus opinionem vulgi, quòd deſijſſet Meroingorum gens in Hilperico: [iam dudum enim, inquit, nullius vigoris erat, nec quicquam in ſe clarum præter inane Regis vocabulum præferebat. Nam opes, & porentia regni pęnès palatij Præfectos, qui maiores domus dicebanrur, & ad quos ſumma Imperij pertinebat, tenebanrur, neque regi aliud relinquebatur, quàm vt Regio tantùm nomine conrentus, crine profuſo, barba promiſſa, ſolio reſiderer, ac ſpeciem dominantis effingeret.] Tenuerunt igitur etiam Carolingi regnum Galliæ etiam ſub Meroingis ante Zachariam, & Srephanum, ſed quò ad poteſtatem duntaxat, quam non acceperant à Regibus, vt Anonymus dictitar, ſed à populo, vr Eginhartus his ipſis verbis teſtarur. [Qui honor nõ alijs à populo dari cõſueuerat, quàm ijs, qui & charitate generis, & opum amplitudiue cæteris eminebant.] Diuiſio nominis, & dignitaris à munere, & poteſtate Regis Zachariæ iniqua viſa eſt.

Quare vt inquiunt Annales, [mandauit melius eſſe, illum vocari Regem; apud quem ſumma poreſtatis conſiſteret, dataque auctorirate ſua, iuſſit Pipinum Regem conſtitui.

Carolum Pipini Patrem regnum vſurpaſſe, putidiſſimum mendacium eſt nullo teſtimonio ſubnixum. Imò Eginhartus contrà Anonymum ait: [Quo officio (maioris domus) tunc cum Hilpericus deponebatur, Pipinus Parer Caroli Regis iam velut hęreditario iure fungebatur. Nam Pater eius Carolus, qui tyrannos per toram Franciam dominarum ſibi vendicantes oppreſſit, & Saracenos Galliam occupare tentantes, duobus magnis prælijs ita deuicit, vt in Hiſpaniam eos redire compelleret, eumdem magiſtratum à Patre Pipino ſibi dimiſſum egregiè adminiſtrauit.] Non ergo vſurpauerat regnum Galliæ Carolus Pipini Pater, ſi Gallorum tyrannos oppreſſerat; ſi è Galliæ finibus Saracenos expulerat, ſi filio Pipino Magiſtratum Regio minorem diuiſerat, quem ei Pipinus Pater legitimè acceptum reliquerat. Quare exufflans cætera, quæ prioribus iſtis mendacijs ſuperſtructa poſt nongentos fermè annos contrà Zachariam effundere non vereris Anonyme, de tota hac cauſa nihil grauius in te conſtituo, quàm quòd ru ipſe in Ponrificem Zachariam, [in depoſirione Hilperici tuam ignorantiam, arque corrupti affectus peruicaciam prodidiſti.] Sed redamus in Orientem. Mortuo Leoni ſuccedit Conſtantinus Copronymus filius, in quo duplex *cappa* malum apud Græcos omen non ſe fellit. Hic qualis futurus eſſet erga Deum, præmonſtrauerat, dum baptizaretur, egeſto in ſacram ſtercore; Imperium aſſequutus homo omnium ſcriptorum teſtimonio nulli religioni addictus, & mortalium omnium perditiſſimus, veſtigijs paternis cum inſiſtere decreuiſſet, longè grauiùs, quàm Pater Eccleſiam Catholicam afflixit, & quantum in ipſo fuit, Orthodoxam fidem delere, & extinguere conatus eſt.

Vbi deieciſſet quotquot in Oriente potuit Orthodoxos Epiſcopos, & ſuæ farinæ homines vbique repoſuiſſet, conuocato Conſtantinopoli eorum Concilio, quod ſeptimum Oecumenicum Concilium nuncupauit, ſanctarum Imaginum cultorum eorum iudicio anarhemarizari fecit; Mox ad batibula, ad rormenta, ad cædes Catholicorum, conuersùs, omnes ſuas machinas traduxir ad expugnarionem ſancti Stephani iunioris Abbatis inſignis cuiuſdam monaſterij Conſtantinopolis, cuius vitam, & martyrium ſanctus Ioannes Damaſcenus eius contemporaneus peculiari libro proſequutus eſt.

Antequam verò ad tormenta veniret, miſit ad Stephanum inſigniores aliquot è ſuis Epiſcopis, qui eum rationibus expugnarent. In eo congreſſu Imperatorijs obijcientibus auctoriratem Concilij Oecumenici, Stephanus, Damaſceno teſte, ita reſpondet: [O ſingularem abſurditatem! Iam qui Oecumenicum iſtud Concilium vocari queat, quod nec Romanus Antiſtes (citra cuius auctoritatem nullo modo fieri poteſt, vt res Eccleſiaſticæ ad normam dirigantur) gratum habuit, nec Alexandrinus comprobauit, nec Antiochenus, nec demùm Hieroſolymitanus? Et grauiſſima quæque perpeti maluit ſanctus vir, mortemque ipſam denique ſubire, quàm huiuſmodi Concilio obtemperare.

Copronymo ſublato, Leo filius Imperij hæres fuit, in quo non fefellit prouerbum, [ralis pullus, quale ouum.] Sed Dei iuſtitia præuentus, iniquitatem, quam conceperar, diu parturire non potuit, relictiſque ſceptris Irenæ coniugi fœminæ ſanctiſſimæ, & Conſtantino filio, anno adepti Imperij quinto ad Dei Tribunal iudicandus migrauit. Non multo poſt Pauli Patriarchæ Iconomachi morientis exemplo, & verbis conſternari Principes, & populi de Catholico ſucceſſore, & de abolenda Iconomachia cogitare cœperunt. Electo itaque Taraſio ad illud munus (viro laico licet, Catholico tamen) ſtatim tam à Patriarcha Synodicæ, quàm ab Imperatoribus pro Concilio Generali literæ familiares pacem, & pietatem ſpiranres ad Hadrianum Pontificem datæ ſunt. His literis principes Hadrianum rogantes pro Synodo generali, inter cętera primatum eius, & ſucceſſionem Petri confitenres dicunt, [& tanquam verus primus ſacerdos, & is, qui in loco, & in ſede ſancti, & ſuperlaudabilis Petri Apoſtoli præſidet (ſicut dictum eſt) aſcendat, & ſimul cum omnibus ſacerdotibus, qui hìc ſunt, inueniatur, & voluntas Dei fiat. Approbauit electionem Taraſij Hadrianus, vt Theophanes

air. Octauo Kal. Iannarij ipſius octauæ indictionis conſecratus eſt almus Parer noſter Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus, qni miſſis Synodicis Romam viris, & libello fidei ſuæ receptus eſt ab Hadriano non tamen ità ſimpliciter Taraſius receptus eſt ab Hadriano Papa (quòd ante electionem laicus eſſet) ſed hac adiecta clauſula, vt teſtatue Nicolaus Primus ad Photium epiſtola 6. [Niſi in erigendis Imaginibus feruentius contra illarum depoſitores, atque illarum conculcatores, vt verus miles Chriſti reſiſteres, nequaquam veſtræ conſecrationi aſſenſum præberemus, aut in ordine Patriarchatus veſtram dilectionem ſuſciperemus.] Reprobauit tamen titulum vniuerſalis Patriarchæ, quem Taraſius præceſſores imitatus ſibi arrogauerat. Aſſenſus verò Pontifex conuocationi Concilij Generalis, inter cætera ad Taraſium, quid in Synodo agendum ſit, præſcribit his verbis: [Veſtra ſanctitas ijſdem pijſſimis, & triumphatoribus alacriter ſuggerat, vt in primis pſeudo-ſyllogus(id eſt falſum Collegium) ille, qui ſine Apoſtolica ſede inordinatè, & inſyllogiſticè factus eſt, aduersùs venerabilium Patrum traditionem, contra diuinas imagines, anathematizetur, præſentibus Apochriſarijs noſtris, & omne zizanium eradicetur ab Eccleſia, & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſermo compleatur, quia portæ inferi non præualebunr aduersùs eam. Ac rursùs: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo Eccleſiam meam, cuius ſedes in omnem terrarum orbem Primatum tenens refulget, & caput omnium Eccleſiarum conſiſtit. Vnde idem B. Petrus Apoſtolus Domini pręcepto paſcens Eccleſiam nihil diſſolutum dimiſit, ſed tenuit ſemper, & retinet principatum.] Atque ita, vt pręceperat Ponrifex factum eſt, Actione 6. eiuſdem Synodi, quę fuit ſecunda Nicęna, & ſeptima generalis. Ibi enim Patres refellentes ſeptimam pſeudo-ſynodum inter alias rationes hanc adducunt: [Quomodo autem magna, & vniuerſalis, in quam neque omnes conſenſerunt, & reliquarum Eccleſiatum Pręfecti non admiſerunt, ſed anathemate eam deuouerunt? Non habuit cooperatorinm (vt hęc quę nunc celebratur) Romanum Papam, neque illius ſacerdotes, neque vicarios, neque per Prouinciales literas, quemadmodum fieri in Synodis debet.] Sequuti ſunt Patres in omnibus epiſtolam Hadriani Papæ, cuius nomine duo Petri Synodo præſederunt. Taraſius ipſe ſcribens ad Hadrianum de rebus in Concilio geſtis eum hoc titulo alloquitur: [Veſtra fraterna, & ſummo Pontificio decorata ſanctitas.] Anachematizati ſunt Iconomachi in hoc Concilio, & Oriens Occidenti coniunctus.

Sed paulò poſt, denuò turbatis rebus, Imperium Orientis iam diu inclinatum concidere, & ad pietatis occaſum palàm vergere videbatur. Quare Leo Tertius Romanus Pontifex, ne Eccleſia Chriſti portentis Orientalibus obnoxia nouas quotidie ærumnas perpetiretur anno Domini octingenteſimo, vel octingenteſimo primo Carolum magnum Francorum Regem optimum, & fortiſſimum Principem nil minus cogitantem Imperatorem dixit, collatis in eum iuribus Imperii Orientalis.

Res, quam omnium ſcriptorum tam Gręcorum, quàm Latinorum conſenſu certam, & teſtatam habemus, Zonaræ annal. tom. 3. Cedræni in Conſtan. & Iren. Pauli Diaconi lib. 23. Rer. Rom. Eginharti in vita Caroli Magni; Annal. Franc. ad annum 801. Adonis in chron. ætat. 6. Rheginonis lib. 2. Chronic. Vitichindi Corbeienſis lib. 3. regnor. Saxon. Herman. Contracti in chron. Otho. Friſing. lib. 5. cap. 31. Godefridi Viterbienſis, Abbateis Vſpergenſis in Chronic. & aliorum omnium.

Quod antem in Imperio Caroli mirabile eſt, ante poſtremos noſtros Nouatores toto ſpatio ſeptingentorum annorum (ſi Tyrannum Nicephorum excipies) nemo in orbe fuit, qui vel factum negare, vel auctoritatem facientis in dubium reuocare auſus ſit, adeò exploratum erar apud omnes gentes, quid Romanus Pontifex poſſee.

Ergo in octauo ſæculo non poſſunt conuocari Concilia Generalia, inuito Romano Pontifice, quæ connocare audent Imperatores, & reliqui Patriarchæ, ex albo Generalium expunguntur, quòd Romani Poutificis aſſenſu, & approbatione deſtitutæ ſint, res Eccleſiaſticæ quacumque alia auctoritate munitæ ad normam redigi nequeunt ſine Romano Pontifice, Conſtantinopolitaui Antiſtites non tantùm Catholici, ſed ipſi etiam hæretici, ſtarim, ac creati ſunt, per legaros, & literas Romanum Pontificem tanquam ſuperiorem agnoſcunt, & venerantur, vnus iſte Pontifex Imperarores vectigalibus priuat, Reges aliarum Nationum deiicit, alios inſtituit, transfert Imperia.

Hæc omnia (Regno Pipini excepto) cùm in ſolo Oriente, & ex ſolis teſtimonijs Orientalium habeantur, hoc vnum reliquum eſſet (ſi per modeſtiam Chriſtianam liceret) vt clamoribus, atque ſibilis è Catholicorum, & doctorum hominum cętu exploderentur Anonymi, qui huic noſtro ſæculo adeò erudito, & oculato paritarem Epiſcoporum, & ſuas illas ſuburbicarias fabulas obtrudere conati ſunt, illeque præcipuè, qni aſſeruit, primis octingentis annis, Græcos Romanis nunquam paruiſſe. Recordare lector, quod pollicitus ſum, id mihi Religionim fuiſſe: nimirum nullum Romanum Pontificem poteſtatis ſuæ teſtem adhibere, & hac præſertim periodo ſolas res Orienris, eaſque illuſtriores tantùm, quam expeditiſſimè luſtrare. Quod ſi omnia Romanorum Pontificum monumenta euoluere, alias Chriſtiani orbis plagas ſcrutari, & minuta quæque proſequi voluiſſem, eeſteſque alios, quàm Græcos adhibere, tu certè, cum Pſalmiſta diceres: [Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion.] Verùm quæ contuli, ſatis ſuperque euincunt, quod volebam [Peccator, qui hæc viderit, iraſcetur, ſcio dentibus ſuis fremet, & tabeſcet.] Obtrectet tamen, clamet, ſtridat, ſtylum exacuat, vt lubet, ſi Chriſtus non mentitur, portæ inferi, vndè terra, & funeſta hæc monſtra, hæ portentoſæ mendaciorum chimeræ ſemper erumpunt, aduersùs Romanam Eccleſiam nunquam præualebunt, & deſiderium peccatorum in æternum peribit. Nunc quæ ſuperſunt, aduerſariorum argumenta diluamus.

CA-

CAPVT VIII.

Diluuntur argumenta ex ſecundo Anonymi capite contra Primatum Papa .

EX ſecundo Anonymi capite tria colliguntur argumenta. Primum: Pontifex Romanus primatum ſuper alios Orbis Epiſcopos ex eo prætendere non poteſt, quòd Petri ſucceſſor in Epiſcopatu Romæ extiterit, ita enim & Ignatius, qui Petri ſucceſſor in Antiochia factus eſt, & alij eiuſdem ſucceſſores in illa ſede prætendere poſſent, quoniam Petrus ibi primùm ſuam ſedem conſtituit, ſeptemque annis habitauit.

Reſp. non Ignatius, Anonyme, ſed Euodius in Epiſcopatu Antiocheno Petro ſucceſſit. Audi Ignatium ipſum ad Antiochenos ſuos, quo nemo melior teſtis. [Mementote Euodij Beatiſſimi Paſtoris veſtri, qui primus poſt Apoſtolos gubernacula Eccleſiæ veſtræ ſortitus eſt, ne ſimus pudori patri. Tu ipſe diſertè hoc aſſeruiſti cap. 4. pag. 40. Petrus Cathedram Antiochenam ſeptem annis rexit, vbi relicto Epiſcopo Euodio anno 43. Romam petit, Romanum Epiſcopatum ſuſcepit.] At non miror inconſtantiam tuam, Salomonis ſententia eſt: [Impius facit opus inſtabile;] ſed quia ad neruum difficultatis hoc nihil facit, ei nos ſic occurrimus.

Non Epiſcopus Antiochenus, ſed Beatus Petrus à Chriſto Pontificatum accepit, quare quamdiu Epiſcopatum Antiochenum Petrus tenuit, tamdiu Epiſcopus Antiochenus Pontifex fuit. At Petro Antiochia diſcedente, cum eo migrauit pariter Summus Pontificatus, & vbi Epiſcopatum Romæ Petrus ſuſcepit, Epiſcopus Antiochenus tanquam ſimplex Epiſcopus ſubiectus manſit Epiſcopo Romano, tanquam ſupremo capiti Eccleſiæ, & paſtori ſuo. Antiochia itaque non retinuit dignitatem, quam indè Petrus abſtulit, Roma non amiſit dignitatem, quam illi vni ſanguine ſuo obſignatam moriens Petrus reliquit.

II. Arg. Primatum multò rectiùs cæteris Patriarcha Hieroſolymitanus prætendere poſſet, quoniam ibi Chriſtus crucifixus eſt, ibique Petrus poſt paſſionem Domini quatuor annis manſit. Quamobrem Concilium Nicænum Hieroſolymitano primatum tribuit, quoniam Hieroſolyma fuit prima, [quia de Sion exibit lex.]

Reſp. Illi tantum rectè primatum prætendere poſſunt, qui ex Chriſti inſtitutione ius habent in eo. Cæterum tantum abeſt, vt Chriſtus Hieroſolymis primatum impartiti voluerit, vt potiùs è contra Iudęis apertè dixerit: [Amen dico vobis auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.] Primatum, quem Nicæni Patres Epiſcopo Hieroſolymorum tribuerunt, non fuit iuriſdictio, ſed pura, & nuda præcedentia ſuper alijs Epiſcopis poſt Patriarchas, ſine præiudicio tamen Epiſcopi Cæſareenſis ſui Metropolitani. Vbi enim Canone 6. decreuerunt Patriarchis Alexandriæ, & Antiochiæ antiqua priuilegia eſſe ſeruanda, conſequenter ſubiecerunt. [Quoniam mos antiquus obtinuit, & vetuſta traditio, vt Æliæ, id eſt, Hieroſolymæ Epiſcopo honor deferatur, habeat conſequenter honorem ſuum manente tamen Metropolitanæ Ciuitatis propria dignitate.] Quare Sanctus Hieronymus ſcribens contra errores Ioannis Epiſcopi Hieroſolymitani epiſt. 61. inquit: Tu qui regulas quæris Eccleſiaſticas, & Nicæni Concilij Canonibus vteris, & alienos clericos, & cum ſuis Epiſcopis commorantes niteris vſurpare, reſponde mihi ad Alexandrinum Epiſcopum Palæſtina, quid pertinet? ni fallor hoc ibi decernitur, vt Paleſtinæ Metropolis Cæſarea ſit, & totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæſareenſem Epiſcopum referre debueras, cui ſpreta communione tua, communicare nos noueras, aut ſi procul expetendum iudicium erat, Antiochiam potius literæ dirigendæ.] A ſola Synodo Chalcedonenſi, vt olim à me ſæpe dictum eſt, honor, & iuriſdictio Patriarchalis (postremò tamen loco) delata eſt Epiſcopo Hieroſolymitano, demptis Antiocheno tribus Palæſtinis, eiſque Hieroſolymitano Epiſcopo conceſſis. Neque tamen tunc benè firmata hæc dignitas Hieroſolymitano, nouitatibus eius Concilij acerrimè repugnante Sancto Leone Papa, ſed tantùm in quinta Synodo, vt aſſerit Gulielmus Tyrius lib. 14. cap. 12. & conſtat ex eiuſdem Concilij fragmento, quod tomo ſecundo Conciliorum Binius nuper inſeruit. Nullam itaque rationem Anonyme tui argumenti in præiudicium Cathedræ Romanæ habuit vnquam Eccleſia. Imò odoratus illud videtur Nicolaus primus, qui ad conſulta Bulgarorum cap. 93. inquit: [Hieroſolymitanus autem Præſul, licèt, & ipſe Patriarcha dicatur, & ſecundùm antiquam conſuetudinem, ac Nicænam Synodum honorandus ſit, ſalua tamen Metropoli propria dignitate, ſed & in eadem ſancta, & magna Synodo nequaquam Hieroſolymitanus, ſed Heliæ Epiſcopus dicitur. Nam vera Hieruſalem tantùm in cœlis eſt, quæ eſt mater noſtra: Illa verò Hieruſalem terreſtris, iuxtà quod Dominus prædixit, adeò funditus ab Helio Hadriano Imperatore Romano deſtructa eſt, vt in ea nec lapis ſuper lapidem ſit derelictus, & ab eodem Helio Hadriano in alio loco eſt conſtructa, ita vt locus Dominicæ crucis, tunc extra portam, nunc intra portam cernatur, & à prædicto Hælio Hadriano vrbs illa Helia vocetur.]

3. Arg. In Concilio Africano 4. cap. 6. hoc expreſsè definitum fuit, quòd primæ Sedis Epiſcopus non appelletur princeps ſacerdotum, vel ſummus ſacerdos, aut aliquid huiuſmodi, ſed tantùm primæ Sedis Epiſcopus, ergo hoc nomen primatus omninò in ipſo Concilio abolitum eſt.

Reſpond. Malè ſyllogizas Anonyme [Concilium conſtituit, quòd primæ Sedis Epiſcopus non appelletur alio titulo, quàm primæ Sedis Epiſcopus: Ergo nomen primatus abolitum eſt.] Si enim primas primatu eſt primas, & primatus primi primatus, dum primam Sedem Concilium vocari vult, non abolet, ſed confirmat nomen primatus, & certè in Concilijs Africanis (& in hoc nominatim) familiariſſimum eſt, & frequentiſſimè occurrit primatis nomen. Perin-

dè verò eſt cogitate ſioe primatu primatem, ac ſine prudentia prudentem, ſine ſapientia ſapientem, ſine doctrina, doctum. Adde Anonyme, quòd Epiſcopi Africæ non de aliarum Eccleſiarum rebus, ſed de ſuis conſtituunt, quod enim ius eis in Eccleſiam Romanam? Itaque vnum id canenr, vt Epiſcopus primæ Sedis ſuæ (diœceſeos ſcilicet Africanæ) neque ſummus ſacerdos, neque princeps ſacerdotum (quos titulos affectabant Græci, qui non amplius primates, ſed Exarchi Diœceſeon ſalutari volebant) nuncupetur, ſed tantùm Epiſcopus primæ Sedis. Hoc autem nihil ad nos.

Solent tamen hæretici huic Canoni addere hanc eundam vniuerſalis autem, neque etiam pontifex Romanus appelletur, quòd etiam feciſti tu pag. 28. At hoc in Concilio nuſquam reperitur. Eſto tamen reperiatur. nos Epiſcopum Romanum, Epiſcopum Romannm tantùm eſſe dicimus, non Neapolieanum, aut Carthaginenſem, & couſequenter fatemur, eum non eſſe propriè Epiſcopum vniuerſalem huius muudi. Cum hoc eamen ſtare dicimus, quòd ſit Eccleſiæ caput, & Paſtor, vniuerſalis, cui iure Summi Pontificatus omnes Eccleſiæ, omnes Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Patriarchæ ſubijciantur.

CAPVT IX.

Diluuntur argumenta ex tertio capite.

QVatuor argumentis abſoluit tertium caput Anonymus. Primum, ſi Romanus pontifex poteſtatem in totam Eccleſiam exercere non poteſt, qnomodo Chriſti Vicarius vniuerſalis dici poteſt?

Reſp. Si Romanus pontifex poteſtatem in totam Eccleſiam exercere, & poteſt, & debet, vt demonſtratum eſt, quomodo Chriſti Vicarius vniuerſalis nuncupandus non eſt?

2. Argum. [Quanam ratione Chriſti ſe Vicarium immediatum profitetur, ſi ipſemet Petrum Chriſti Vicarium eſſe aſſerit? cap. ità Dominus diſt. 19. & c. in nouo diſt. 21. mendax debet eſſe memor, ergo alibi centies mentitus eſt, cùm ſe Chriſti Vicarium immediaeum dixerie, vt in cap. quanto, & cap. fin. de translat. Prælat. &c.

Reſp. Immediatio duplex, ſucceſſionis, & iuriſdictionis, Petrus fuit immediatus Chriſti Vicarius, vtroque titulo, Petri ſucceſſores iuriſdictione tantùm, non etiam ſucceſſione. Nimis impudenter agis, quòd ignorantiæ tenebris obcæcatus, mendacij arguere non vereris pontifices Maximos. Recordare quòd Paulus Apoſtolus (etiam percuti iuſſus) cum appellaſſet iſtorum vmbram parietem dealbatum, veniam confeſtim petijt, [neſciebam, dicens, quia princeps eſt ſacerdotum: ſcriptum eſt enim principem populi tui non maledices.] At nimium ſimplex ego, qui tibi Paulum propono; quid enim cœco cum ſpeculo?

3. Arg. [Interdum ſe Petri Vicarium eſſe acceptauit, atque profeſſus eſt, vt in cap. ega Ludouicus diſt. 63. cap. non quales 1. quæſt. 1. & cap. quoties 1. quæſt. 7. ſed vicarius vicarium facere non poteſt, vt expreſſè idem pontifex ſanciuit in capitulo clericos de offic. vicarij, & probant omues canoniſtæ.

Reſp. Vicarium à vice deriuari dubium non eſt, quare qnicquid alterius cuiuſque, vel perſonæ, vel rei vices ſubibat, quacunque demum ratione ſubiret, antiquitùs id omne perſonæ, & rei Vicariæ nomen ſortiebatur, idque ijs, qui mediocriter latinè ſciunt, magis exploratum eſt, quàm vt probari queat. Cum ergo alter alterius vices duplici ratione ſubire contingat, vel ſucceſſione, vel ſubſtitutione, ideò tam ſucceſſor præceſſoris, quàm ſubſtitutus ſubſtituentis vicarij antiquitùs nuncupari ſolebant. Hinc S. Cyprianus epiſt. 67. ad Stephanum Papam [ſeruandus eſt enim antecesſorum noſtrorum Beatorum Martyrũ Cornelij, & Lucij honor glorioſus, quorum memoriam cum nos honoremus, multò magis tu frater chariſſime honorificare, & ſeruare grauitate, & auctoritate tua debes, qui Vicarius, & ſucceſſor eorum factus es.] Hac igitur ratione Petri vicarium pontifex nuncupat ſe locis abs te citatis, qua hìc vicarium Cornelij, & Lucij Stephanum Cyprianus appellat. Apud S. Anſelmum epiſt. 154 Romanum pontificem reperies vicarium, & ſucceſſorem Petri Apoſtoli. Vicarius vicarium facere non poteſt, veriſſimum eſt de vicario tantùm per ſubſtitutionem, quo ſenſu Canoniſtæ nunc id nomen vſurpant, falſum de vicario per ſucceſſionem, qua ſignificatione non ſolùm locis à te citatis, ſed mille alijs, non tantùm in antiquitate Eccleſiaſtica, ſed etiam nunc in conſecratione Epiſcoporum Papa tanquam Petri vicarius nobis occurrit.

4. Arg. Sancti Patres Epiſcopos loca tenentes Apoſtolorum, ipſorumque ſucceſſores appellarunt, quos in ſuperiori cap. 1. allegauimus: Ipſe verò contra decreta Patrum, contra proprios Canones, quos profitetur, Chriſt immediatum ſe eſſe vicarium millies appellauit.

Reſp. Si Pontifex eſt Petri ſucceſſor, vt confiteris, & locum eius tenet in Eccleſia, quomodo quò ad iuriſdictionem non erit immediatus ipſe Vicarius Chriſti? ſi ex omnibus Apoſtolis ſolus Petrus à Chriſto hanc dignitatem obtinuit?

CAPVT X.

Occurritur argumentis ex cap. 4. Anonymi, & defenduntur donationes Caroli Magni, & Ludouici Pij.

CApite quarto totus, vt dixi, eſt in explicando ſuo illo triplici Eccleſiæ ſtatu, ſed quæ ibi dicit, pleraque omnia, vel portentoſa mendacia, vel meræ nugæ ſunt, ſine fundamento, & gratis effutitæ. Permiſcet nihilominùs eis interdum aliquot argumenta, quæ ſubijcio.

1. Arg. [Victor XV. Epiſcopus Romanus poſt Petrum anno Chriſti 194. ordinauit, quòd Paſcha Reſurrectionis in die dominico ab omnibus perpetuò celebraretur. Huic decreto immediatè contradixit Polycrates Epiſcopus Epheſi, atque Polycarpus, Thraſea, Melitus, & Narciſſus Epiſcopus Hieroſolymitanus, acerrimè oppugnarunt. At Victor an-

no

no Chriſti 196.] Concilinm Romæ ſuper hoc haberi voluit, vtì Bardus, & Panuinius in Chron. huins anni atteſtantur, ſed Concilij reſolutio vltra pontificatum Romanum apud alios recepta non fuit?

Reſp. Decretum Eccleſiæ Romanæ de Paſchate vltra pontificatum Romanum certè receptum non eſt, quia non vltra Eccleſiam Chriſti, quam pontificatus Romanus omnem complectitur. At voluiſti dicere, ſcio, non fuiſſe receptam vltra Epiſcopatum Romanum, quo vno concludi arbitraris Romanum primatum. Id verò ſolemniſſimum, & putidiſſimum mendacium eſſe, teſtantur tam Conſtantinus, quàm Patres Nicœni. Conſtantius, abſoluto Concilio Nicœno, ſcribens ad Eccleſias de rebus in eo geſtis, dum de Paſchate loquitur, indicat, ex toto orbe, quàm pauciſſimos in Orientis diœceſi ſola fuiſſe, qui Victori refragari auſi ſint, inquit enim [Modus ille eximius, decoruſque ſeruandus, quem omnes Eccleſiæ ſeruant, quæ orbis partes, vel versùs Occidentem, vel versùs meridiem, vel versùs ſeptentrionem ſitas incolunt, ac nonnullæ quoque, quæ in locis ad Orientem ſpectantibus habitant. Ipſeque etiam in me recepi veſtram ſapientiam facilè aſſenſuram, vos videlicet, quòd in vrbe Roma, in Italia, in Africa, in Ægypto, in Hiſpania, Gallia, & Britannia, in Libya, & vniuerſa Græcia in Diœceſi Aſiatica, & Pontica, in Cilicia denique vna, & conſentiente ſententia conſeruatur, hoc etiam veſtra prudentia lubenter approbaturos.] Extant hæ literæ apud Euſeb. de vita Conſtant. lib. 3. c. 16. Socratem l. 1. cap. 6. Theodor. lib. 1. cap. 10. Nicephorum, & alios. Ex quibus intelligis, & omnes fermè gentes obtemperaſſe Victori, & Quartadecimanos tanquam excommunicatos non interſuiſſe Concilio. Idipſum conſtat ex literis Concilij ipſius ad Epiſcopos Ægypti, Libyæ, & Pentapolis, quæ leguntur apud eoſdem auctores. [Quod autem ad omnium conſenſum de ſacratiſſimo feſto Paſchatis celebrando attinet, ſcitote, quòd veſtris precibus controuerſia de re ſuſcepta prudenter, & commodè ſedata eſt, ità vt omnes fratres, qui Orientem incolunt, quique Iudæorum conſuetudinem in eo feſto celebrando imitari ſolent iam Romanos, nos, & omnes vos, qui eumdem morem, quem nos in illo recolendo à primis temporibus tenuiſtis, ſunt conſentientibus animis in eodem celebrando deinceps ſedulo ſecuturi.]

Victoris præcepto non paruit Polycrates (confiteor) at quod aſſeris, Polycarpum, & cęteros à te commemoratos Victori imperanti cum Polycrate non obtemperaſſe, more tuo turpiſſimè mentiris. Si enim ante Victorem in Domino obdormierant, quomodo Victori imperanti refragari potuerint? Audi Polycratem ipſum epiſt. ad Victorem. [Quid Polycarpum commemorem, qui Smyrnæ Epiſcopus, & martyr fuit? Quid Thraſeam Epiſcopum, & martyrem Eumeniæ natum citem, qui Smyrnæ ex hac luce migrauit? Quid attinet dicere de Sagari Epiſcopo, & martyre, qui Laodiceæ mortem oppetijt? Quid porrò B. Papirium, & Meſitonem Eunuchum recenſeam, qui Spiritus ſancti inſtinctu afflatus totum vitæ ſuæ tempus piè, ſanctèque exegit, qui Sardis tumulo conditus eſt?] Hi omnes ergo, quamdiù Chriſto militarunt, Polycrate teſte, celebrauerant Paſchę decimo quarto die, at vbi per anathema à Romano Pontifice Victore id fieri vetitum eſt; quomodo ei reſiſtere poterant, ſi iam pridem ad cęlos euolarant? O infęlix aſtutia: mortuos pontifici refragantes inducis? eſto tamen, vixerint omnes, & cum Polycrate conſpirauerint, an paucorum in obedientia totius orbis obſequio præponderare debet? ſi à refractarijs ius ſacrum, & dogmata religionis Chriſti petenda ſunt, expungamus è ſymbolo omnes articulos fidei, nullus enim ex eis eſt, qui ſuos aduerſarios, & obtrectatores non habuerit.

2. Arg. Idem Victor, eum omni aqua in caſu neceſſitatis baptizari poſſe ſtatuit. Huic etiam contradictum eſt, & pro contradictione firmanda in Alexandria Palęſtinæ Concilium conuocatum, nihil concluſit, ità vt vtrumque poſtea in Concilio Nicœno determinari opus fuerit.

Reſp. Tempore Victoris habitum eſſe Concilium Cœſareæ in Palęſtina à Theophylo eius prouinciæ Metropolitano, iuſſu Victoris, in eoque Quartadecimanorum errorem reprobatum fuiſſe, verum eſt, & eius Concilij fragmentum extat apud Bedam de Æquinoctio vernali. At vllum in Palęſtina Concilium conuocatum contra decretum Victoris de aqua baptiſmatis, nemo omnium meminit. Tuum itaque figmentum eſt illud Concilium, Anonyme, neque tuum tantùm, ſed etiam tuo ingenio dignum. Nam cùm multæ Alexandriæ ſint, nulla earum eſt in Palęſtina, & quam tu fortè putas, ea eſt in Ægypto, ipſaque totius Ægypti caput, & vertex, quod etiam ſtipites ſciùnt. Quare dum Concilium Alexandriæ in Palęſtina celebratum affirmas, tu te vna opera, & mendaciſſimum, & ignoratiſſimum probas. In Concilio Nicœno hac de re actum nuſquam legi.

3. Argum. Multa Concilia conuocata fuiſſe, affirmat ante Conſtantiniana tempora citra auctoritatem pontificis, eaque mira eruditionis oſtentatione homo doctus recenſet, ſtatimque ipſe ita ſibi reſpondet. Quòd ſi præfata Concilia nequaquam generalia fuiſſe diceremus, cùm ante Conſtantini tempora, perſecutione contra Chriſtianos ſęuiente, Epiſcopis in vnum conueniendi licentia, & facultas non erat, vt dicit Iſidorus, & idem etiam poſt Conſtantini tempora, poſtquam facultatem Epiſcopis in vnum conueniendi conceſſam aperiemus, nuſquam enim (ſi contra veritatem obſtinati eſſe nolumus) Romani pontificis in generalibus Concilijs conuocandis auctoritatem interueniſſe, fatendum eſt.

Poſtquam enim Alexander Conſtantinopolitanus primus Epiſcopus Chriſti anno 317. creatus fuerat, Conſtantinus ipſe an. 325. Nicœnum Concilium congregari iubet, quo anno in Nicęni conformitatem duo alia ſynodalia, teſte Panuinio, & Bardo in allegatis locis Romæ congregantur. Itaque nulla Romani Epiſcopi auctoritas ſuper Nicęno interueniſſe potuit.

Reſp. Ad quem finem ingeras Epiſcopatum Alexandri, & hunc primum eius vrbis Epiſcopum, ego protsùs ignoro, niſi vt arre-

ptis

ptis quotquot occaſionibus potes, quàm ſoles eruditionem rerum Eccleſiaſticarum oſtentes; ſed miſelle quantò conſultius intra tuos paragraphos te continuiſſes. Alexandrum fuiſſe primum Epiſcopum Conſtantinopolis, falſum eſt. Duo Nicephori Cathalogum Epiſcoporum Bizantinorum continuata ſucceſſione ab Apoſtolis ad Metrophanem anteceſſorem Alexandri perducunt. Multò pauciores enumerat Cedrenus in compendio Annalium. [Nonum annum imperante Conſtantino Metrophanes quartus Epiſcopus Bizantij creatus eſt. Tres ſaltem ante Alexandrum recenſet Zonaras in Conſtantino. Erat eo tempore Bizantij Epiſcopus Metrophanes vir ſanctiſſimus, Domitij filius, frater is fuit Probi Imperatoris, qui ob Chriſtianam Religionis profeſſionem Roma Bizantium profectus in Epiſcopatus ſpeculam euectus eſt. Poſtquàm Probus alter filius huius Pontificium thronum conſcendit; ei Metrophanes frater ſucceſſit. Metropham ſucceſſiſſe. Alexandrum, ad vnum conſentiunt omnes. Quare tua eruditio pari cum pietate, & veritate paſſu ſemper procedit. At dices fortè, non aſſerere te fuiſſe iſtum primum Epiſcopum Bizantij, dum eſſet Bizantium, ſed poſtquam Bizantium in Conſtantinopolim mutatum eſt. Fateor, non deeſſe viros graues, qui ita ſentiunt, ſed fuiſſe eum Epiſcopum Conſtantinopolis tempore Concilij Nicæni, defendi non poteſt, ſi vera eſt Gelaſij Ciziceni hiſtoria Concilij Nicæni, in qua Alexander inter Patres his verbis poſtremo loco refertur. [Alexander Conſtantinopolis tunc adhuc Presbyter, poſtea verò Eccleſiæ illius ſacerdotium epiſcopale ſortitus.]

Quod in conuocandis Concilijs Generalibus aſſeris, nullas fuiſſe partes Epiſcopi Romani, nos ſupra falſum eſſe copiosè probauimus. De Nicæno Theodoretus lib. 1. cap. 7. [Epiſcopus autem Romanus propter ætatem ingraueſcentem abfuit, verùm duos illò miſit presbyteros poteſtate illis conceſſa, actis illius Concilij aſſentiendi. In ſexta ſynodo act. 18. legitur, Conſtantinum, & Silueſtrum magnam ſynodum apud Nicæam congregaſſe. Quare in Concilio Chalcedonenſi act. 1. Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus inter Epiſcopos ſedere prohibetur, quòd ſynodum facere auſus fuiſſet ſine auctoritate Apoſtolicæ ſedis, quod nunquam factum eſt, & Gelaſius Cizicenus Oſium legatum Papæ in eo fuiſſe, ſcribit.

IV. Arg. Falſa eſt inſcriptio Canonis ſacroſancta diſt. 16. quæ ſcribit auctoritate Romani Pontificis octo Concilia roborati. Non enim confirmare dicitur, qui omninò illa ſequi cogendus eſt. Ex libro diurno, vbi profeſſio Romani Pontificis ſcripta eſt, ita legitur, ſancta octo vniuerſalia Concilia & profeſſionem Papæ de obſeruatione octo Conciliorum Generalium ad verbum refert.

Reſp. Concilia Generalia non confirmata, Papa vel confirmat, vel reprobat, confirmata ſequi, & tueri ſe, profitetur. [Digna enim vox eſt Maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe profiteri l.C. digna] vox de leg. Leges tamen legis vim conſequuntur à conſenſu & poteſtate regnantis; neque tuam hanc conſequentiam vllus Princeps, vllus ſanus admittet.

Hinc ad alia tranſit Anonymus, commiſcetque Concilia Nationalia, Prouincialia, Catholica, hæretica, cauſam Athanaſij, reſcriptum Iulij, inuectiuam Orientalium, aliaque per multa, & paginas implet ſine iudicio, & ſine ratione. Hæc verò fermè omnia ſupra explicata, & refutata ſatis, hìc repetenda non ſunt. Mox conuerſus ad libertatem Eccleſiaſticam, eam redigere conatur ad ſola Principum temporalium Priuilegia. Verùm quia quæ dicit, & millies profligata ſunt, & non pertinent ad hoc, controuerſiæ caput, quod nunc tractamus, ſed ad illud, quod à nobis diſcuſſum eſt, in alio libro, quem anno ſuperiore ſcripſimus [de iure Religionis in Politia benè, & ritè inſtituta,] ſi quicquam afferat reſponſione dignum, vbi libellus ille in lucem prodierit, id ibi accuratiſsimè refutatum reperies.

Nunc tamen Anonyme, illud inſigne mendacium præterire non poſſum, quod collocaſti in capite tui tertij ſtatus, nimirùm poſt extinctum Longobardorum Regnum, Romanos Pontifices occupaſſe Italiæ Ciuitates prætextu falſæ donationis Pipini, & Caroli magni Regum Gallorum, & mox nomine patrimonij diuitijs, & opibus præpollere cœpiſſe.

Non quia extinctum fuerit Longobardorum Regnum, ideò Pontifices occuparunt vrbes Patrimonij, & ditari cœperunt, ſed è contra Longobardorum Regnum à Pipino debilitatum, & à Carolo poſt extinctum eſt, quia Longobardorum Reges occupato Patrimonio ſancti Petri, gazas, æraria, & ditiones ſuas Pontificum bonis cumulare volebant. Tu Anonyme quicquid malignitas tibi ſuggerit, impudentiſsimè cornicaris, & ſomnia tua lectori venditas tanquam hiſtorias nobis religio eſt, ſine grauiſsimis teſtibus quicquam aſſerere.

Annales Francorum Fuldenſes. Anno 753. [Stephanus Papa Romanus auxilium contra Haiſtulphum Longobardorum Regem petens ad Pipinum in Franciam venit. Anno 756. Iterum Pipinus Italiam ingreſſus Haiſtulphum Papię incluſum obſidet, Rauennam cum Pentapoli reddere compellit, & per Fulradum miſſum ſuum Sancto Petro Apoſtolo, & Stephano Papæ vicarius eius tradit.]

Annales rerum geſtarum à Pipino. Anno 756. [Haiſtulphus Rex Longobardorum quamquam anno ſuperiore obſides dediſſet, & ad reddendum ea, quæ Romanæ Eccleſiæ abſtulerat tam ſe, quàm optimates ſuos iureiurando obſtrinxiſſet, nihil promiſſorum opere compleuit. Propter hoc Pipinus Rex iterum cum exercitu Italiam intrauit, & Haiſtulphum in Papiæ Ciuitate ſe includentem obſedit, & obſidione ad impletionem promiſſorum compulit, redditamque ſibi Rauennam, & Pentapolim, & omnem exarchatum ad Rauennam pertinentem ad ſanctum Petrum tradidit.]

Eginhartus in vita Caroli Magni. [Pipinus Haiſtulphum paucorum dierum obſidione apud Ticinum compulit, & obſides date, & erepta Romanis oppida, Caſtellaque teſti-

reſtituere, atque vt reddita non repeterentur, ſacramento fidem dare.] Hi omnes illius, temporis ſcriptores, quibus conſentiunt Paulus Diaconus, Regino, Marianus, Scotus, Sigebertus, & alij. Qua ergo fronte Anonyme poſt octingentos annos contra tot grauiſsimos teſtes aſſerere non vereris, Pipini, & Caroli donationes à Pontificibus fictas, & Patrimonij Ciuitates non recuperatas, ſed occupatas?

Gundelandi primi Abbatis Laurishamenſis operà vſum fuiſſe Pontificum, vt Pipinum pelliceret in Italiam, tradidit idem Chronicon Laurishamenſe, quod ſupra citaui. [Gundelandus inter cætera valdè mirabilia, Stephanum Papam ad Galliam euocans, & Pipinum cum totis Francorum viribus contra Longobardorum Tyrannidem accigens, exarchatum Rauennatem, pluraque Beati Petri patrimonia Romanæ ſedi reſtitui, iuge ſtudium, & operam impendit.]

Itaque teſtimonijs illorum temporum, iiſque omnibus omni exceptione maioribus, conſtat, quòd neque Rauennam, neque alias Patrimonij vrbes vel Pipinus donauit Pontifici, vel Pontifex vſurpauit à Longobardis, ſed hoc vnum effecit Pipinus, ne Longobardi vrbes Patrimonij B. Petri, quæ ſuperant, occuparent, & quas nuper occupauerant, eas vt reſtituerent.

Hoc ipſum præſtitit Carolus Magnus, ſi vlla eſt adhibenda fides iiſdem auctoribus. Eginhartus: [Finis tamen huius belli fuit ſubacta Italia, & Rex Deſiderius perpetuo exilio deportatus, & filius eius Aldagiſus Italia pulſus, & res à Longobardorum Regibus ereptę Adriano Romanæ Eccleſiæ Rectori reſtitutæ.] Eginharto conſentanea ſcribunt & reliqui. Hæ autem, quæ propriè reſtitutiones erant, eius æui ſtylo donationes appellatæ ſunt, ſicut & vidiſti, & præterea docere te poteſt Paulus Diaconus, qui eo ipſo tempore ſcripſit lib. 6. de geſt. Longobard. [Hoc tempore, inquit, Aripertus Rex Longobardorum donationem Patrimonij Alpiũ Cottiarum, quæ quondam ad ius pertinuerant Apoſtolicæ ſedis, ſed à Longobardis multo tempore fuerant ablatæ, reſtituit, & hanc donationem aureis exaratam literis Romam direxit.]

Quas recentet occupaſſent Patrimonij vrbes Longobardi, quando ab Hadriano Pontifice Carolus Magnus in Italiam vocatus eſt, habet Paulus Diaconus de geſtis Longobardorum eodem lib. 6. qui quòd apud Deſiderium ipſum tunc floreret, de re ignota non ſcripſit. Diaconi verba ſunt: [Deſiderius confirmato Regno, cùm iam per annos plures regnaſſet, imitator factus Haiſtulphi, abſtulit Ciuitatem Fauentiam, & Ducatum Ferrariæ, ſeu Comachium de Exarchatu Rauennæ, ad quem Hadrianus Papa ſæpius ſuos miſſos direxit, & obſecratorias literas, ut à tantis malis reſipiſceret, & eas, quas abſtulerat, ad ſedem Apoſtolicam redderet Ciuitates, ſed nequaquam eius cor lapideum potuit commolliri, & narrata legatione Pontificia ad Carolum, ſubdit: Carolus confeſtim direxit eidem Deſiderio ſuos miſſos deprecans, vt eaſdem B. Petro, quas abſtulerat, redderet Ciuitates, promittens ei dare quatuordecim millia ſolidorum, ſed neque deprecationibus, neque muneribus, eius ferociſſimum cor flectere valuit.] Atque hinc excidium Regni Longobardorum ſequutum eſt. Verè ergò Anonyme mendacem te eſſe dixi, qui Patrimonij originem referas ad occaſum Regni Longobardorum, & ad occupationem Vrbium Iuris illius, quam affingis Pontifici, cum è contra ob occupatas tantùm Romani Patrimonij vrbes, & iura, Longobardorum Regnum à Gallis euerſum ſit.

Neque eas tantùm Patrimonij vrbes, quas nunc commemoraui, occupatas à Longobardis apud Diaconum reperias Anonyme, ſed ante centum annos vidiſti occupatas, & reſtitutas Alpes Cottias, videbis occupatas, & recuperatas Cumas; obſeſſum, & liberatum Peruſium, & 200. annis ante Carolum Magnum apud S. Gregorium inuenies Patrimonium S. Petri in Africa epiſt. 9. & 74. lib. prim. Patrimonium Neapoli. lib. 5. epiſt. 11. in Campania lib. 2. epiſt. 49. & alibi per Italiam lib. 1. epiſt. 23. In Dalmatia lib. 2. ep. 41. 41. 61. In Gallijs lib. 2. epiſt. 72. lib. 5. ep. 5. 10. 52. 55. Patrimonium Siciliæ lib. 1. ep. 2. 3. 6. 8. 70. lib. 2. epiſt. 76. Et Diacono teſte lib. 21. rer. Roman. [Sicilia quotannis tria talenta, & dimidium auri Romanæ Eccleſiæ pendebat.] Sardinia de iure Eccleſiæ lib. 4. ep. 60. 62. Aliaque plura bona Paparus lib. 6. epiſt. 22. Si ampliſſimi huius patrimonij originem requiras, audi Luitprandum Epiſcopum Cremonenſem in legatione ſua apud Nicephorum Phocam pro Othonibus, & Adelahida ad annum 963. qui Conſtantinopoli à Græcis pro libertate Romanæ Vrbis interpellatus, poſt alia, inquit, [Conſtantinus Imperator Auguſtus, qui hanc ex ſuo nomine condidit Ciuitatẽ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, vti erat Coſmocrator, multa donaria contulit, non in Italia ſolùm, ſed in omnibus penè Occidentalibus regnis, nec non de Orientalibus, atque Meridianis, Græcia Scilicet, Iudæa, Perſide, Meſopotamia, Babylonia, Ægypto, Libya, vt ipſius teſtantur Priuilegia, quæ penès nos ſunt. Sanè quicquid in Italia, ſed in Saxonia, Baoaria omnibus Domini mei regnis eſt, quod ad Apoſtolorum Beatorum Eccleſiam reſpicit, ſanctiſſimorum Apoſtolorum Vicario contulit. Et ſi eſt, vt Dominus meus ex his omnibus Ciuitates villas, milites, aut familiam obtineat, Deum negaui. Cur Imperator non itidem facit, vt ea, quæ in ſuis inſunt regnis, Apoſtolorum Eccleſiæ reddat, & per laborem, atque munificentiam Domini mei ditem, ac liberam ditiorem ipſe, ac liberiorem reddat. Non negat Nicephori miniſter Eccleſiæ Romanæ iura à Græcis occupata. Sed hoc, ait Baſilius Parakimomenos faciet, cum ad nutum ſuum Roma, & Romana Eccleſia ordinabitur.] Mitto alia huius generis monumenta, tum quòd ſpero maiorem opportunitatem iſta diſcutiendi, tum quod è re literaria non eſt, quod quiſquam propter id genus homunculos proferat de theſauris ſuis noua, & vetera.

Etſi vero donationes iſtæ alieniſſimæ ſunt à cauſa primatus, nolo tamen Anonyme nunc indiſcuſſa manere, quæ vel obijcis tu, vel prolixiſſimè refers ex Molinæo contra

cap.

cap. ego Ludouicus 63.diſt. vt intelligas non minus Molinæi, quam Guldinaſti, & tuas eſſe leuiſſimas nugas.

In hoc Capitulo Ludouicus Pius Imperator Auum, & Patrem Pipinum, & Carolum imitatus, donauit, & reſtituit Romanæ Eccleſiæ maximam Italiæ partem, & declarauit nil Iuris habere Imperatorem in electione Pontificis Romani.

Obijcis primo tu cum Guldinaſto, quòd nullus hiſtoricus Antonino vetuſtior meminit donationum Caroli, & Ludouici.

At ego (vt taceam Leonem Hoſtienſem, Anaſtaſium Bibliothecarium, & alios) donationis Caroli teſtes adduxit Eginhartum ipſum Caroli Secretalium Diaconum, & alios. Tu ipſe p. 130. producis Eutropium, quem ex Goldaſto ais, fuiſſe ante Othonem primum dicentem. [Accipiente Carolo hoc Regnum profectus eſt Romam, deditque ibi donaria multa, quæ vſque hodie Romanum tenet Dominium de regni eius confinibus.]

De donatione Ludouici in cap. ego Ludouicus: tu modò ais, modò negas. Nunc enim illam falſam, & ſtramentitiam eſſe vis, & contra eam cum Molinæo omnes machinas admoues. Attamen cap. 8. pa. 123. 124. & 139. in ſola leuitate, & inſtabilitate conſtans, versm, legitimam, authenticam eſſe contendis. Sed quicquid ſit de ignorantia, & inconſtantia tua, futiliora ſunt argumenta Molinæi, quàm tu putas.

1. Arg. Non eſſe credendum Bibliothecario, à quo cap. illud accepit Gratianus, quòd eſſet Papæ miniſter, neque Gratiano fautori ambitionis Paparum, qui non aliundè, quàm à Bibliothecario dictum Capitulum ego Lodouicus tranſumpſi, & ſic de alijs, qui tantum dictum eiuſdem Bibliothecarij recitant, nec aliundè ſciunt, nec examinant.

Reſp. Neque Bibliothecarius vſquam retulit inſtrumentum Donationis Ludouici Pij, neque è ſcriptis Bibliothecarij ipſum Gratianus accepit, & mitor inuerecundiam Molinęi adeò proſtitutè mentientis. Qui ſi quam fidem derogat Bibliothecario, hanc homo Gallus habuiſſet annalibus Francorum, qui eo ipſo tempore ſcripti ſunt, nunquam reuocaſſet in dubium hanc donationem. In eis enim ad annum Chriſti 817. ſatis apertè refertur his verbis.

[Paſchalis pactum, quod præceſſoribus ſuis factum erat, etiam ſe cum fieri, ac firmari rogauit. Hanc legationem Theodotus Nomenclator & detulit, & ea, quæ petierat, impetrauit. Hoc ipſum, quod Annales, paulò expreſſiùs Leo Hoſtienſis. Hic Ludouicus pactum Conſtitutionis, & confirmationis fecit B. Petro, eiuſque Vicario Domino Paſchali, Parentes ſuos Pipinum & Carolum imitatus, manuſque ſua, & filiorum ſuorum ſubſcriptione corroborans, decem Epiſcopos, octo Abbates, & Comites quindecim, Bibliothecarium, Manſionarium, & Oſtiarium vnum ſubſcribere fecit, & per legatum S.R.E. Theodorum Nomenclatorem Domino Paſchali Papæ tranſmiſit.] Extat demùm autographum ipſum in Caſtro ſancti Angeli, cuius exemplum collatis quatuor exemplaribus, Baronius retulit Annales ad annum 817.

2. Arg. Paſchalis vi coactus à populo Pontificium munus obire contra liberam auctoritatem Imperatoris Legatus excuſatum, & ad culpam inficiandam, ſed in populum transferendam miſit ad Ludouicum Pium, qui, vt erat manſuetus, ſatisfactionem quidem accepit, ſed cum increpatione Cleri, & populi, & adiecto præcepto, maiorum inſtituta, pactaque ſeruandi, ne deinceps ſimili exemplo Maieſtatem læderent, vt expreſsè Platina, & Sabellicus teſtantur.

Reſp. Si de rebus Ludouici Imperatoris credendum non eſſe, contenditis, Leoni Hoſtienſi, qui floruit in 11. ſæculo, quaſi nimio interuallo ab ætate Ludouici diuiſus eſſet, cur Platinam, & Sabellicum obtrudiris, qui aliquot ſæculis poſt Hoſtienſem Paſchalis, & Ludouici res geſtas, ſcribere aggreſſi ſunt? quibus nullus antiquiorum ſcriptorum ſuffragatur? immò quibuſcum (vt vidiſti) pugnant expreſsè ij, qui rebus Ludouici interfuerunt, & eas quaſi per Ephemerides digeſſerunt? Platinam, & Sabellicum, vt opinor, decepit praua intelligentia verborum vitæ Ludouici. Cum enim Paſchalis renitens, & inuitus ad Pontificatum aſſumptus eſſet, viſum ei eſt, id ſignificandum eſſe Imperatori, quod & fecit. Verba eius auctoris ſunt hæc: [Poſt expletam conſecrationem ſolemnem legatos cum epiſtola Apologetica, & muneribus Imperatori Paſchalis miſit, inſinuans, non ſe ambitione, ac voluntate, ſed electione, & populi acclamatione huic ſuccubuiſſe potiùs, quàm inſiluiſſe dignitati.] Hinc Platina, & Sabellicus errorem illum hauſerunt, quem audiſti, detorquentes, quæ pro humilitate contra ambitum ſcripta ſunt, ad ius Imperatoris in electione pontificum decepti, falſa illa (eorum tamen ſæculo præiudicata) opinione de priuilegijs Carolo ab Hadriano conceſſis.

3. Arg. Tempore Eugenij ſecundi, Ludouico Pio adhuc viuo, Lotharius eius filius in Imperium aſſumptus Romę politiam ordinauit, & Magiſtratus inſtituit. Hoc autem fieri non potuiſſet, ſi Ludouicus Pius Romam ipſam caput Imperij Papę dediſſet.

Reſp. Solutionem huius obiectionis ſuggerunt Annales rerum geſtarum à Ludouico ad annum 824. qui id factum à Lothario aſſerunt, memorati pontificis beneuola aſſẽſione.

4. Arg. eſt diuerſitas donationis apud Gratianum & Volateranum, quare vt ſuſpectam eam eijciendam eſſe concludit.

Reſp. Gratianus, non raro, è toto ſcripturarum corpore excerpit, quæ ſpectant, quò tendit, omiſſis cæteris. Idque ab eo in illo capite factum, vident etiam talpæ. Porrò nihil omiſſum vel à Volaterano eſt, vel à Baronio, ſic enim, & illius, & iſtorum inſtitutum requirebat. Verborum Inſtrumenti ſeries paulò quidem diuerſa eſt apud Volateranum, & apud Gratianum, eadem tamen eſt vtrobique ſententia. Quòd verò ex diuerſitate verborum Inſtrumenti, etiam donationis falſitatem concludit Molinæus, malè facit, ſic enim librorum ferè omnium exemplaria, ſuſpicione falſitatis non carerent, cum iniuria temporis, incuria librariorum, varietate interpretum in omnibus fermè libris frequens occurrat verborum, & rerum ſeries in plериſque diuerſa.

6. Arg.

6. Arg. Volateranus ibi Calariam inferiorem, & ſuperiorem, & Ducatum Neapolitanum includit, & alia, quæ conſtat ex fœdere diuiſionis inter Carolum Magnum, & Imp. Conſtatinopolitanum facto, Græcorum Imperio ceſſiſſe.

Reſp. Sub principatu Mauritij Autharit Longobardorum Rex Italiam toram vſque ad extremos Calabriæ fines Græcis eripuerat, vt teſtatur Diaconus. [Fama eſt, inquit, tunc eumdem Regem per Spoletum, Beneuentum perueniſſe, eamdemque Regionem cępiſſe, & vſque etiam Regium extremam Italiæ Ciuitatem vicinam Siciliæ perambulaſſe. Et quia ibidem intra 'maris vndas columna quædam eſſe poſita dicitur, vſque eam equo ſedens acceſſiſſe, tamque de haſtæ ſuæ cuſpide tetigiſſe dicens: Vſque hìc erunt Longobardorum fines. Quæ columna vſque hodie dicitur perſiſtere, & columna Autharit, appellari.]

Calabriam tenuerunt Longobardi ad tempora Caroli Magni. Quare cum Sergius Siciliæ Præter anno ſecundo Iſaurici Maieſtatis reus ad necem quæreretur, auctor Miſcellæ, confugiſſe, ait, ad propinquos Calabrię Longobardos, Ibique in tuto fuiſſe vſque quo impunitas data ei eſt à nouo Siciliæ Prætore. Ceſſere Longobardorum iura Carolo, & Eccleſiæ Romanæ, non Græcis, qua ergo via Calabria, totaque citerior Sicilia tranſijt ad iura Græcorum? Eginhartus Caroli ſecretarius imperium eius protendit ad vltimos Italiæ fines, & includit Calabriam. Zonaras Carolo tribuit Italiam vniuerſam abſque vlla exceptione (ſed qua ratione interpretandus ſit, dicam paulò poſt) ſicut etiam Paulus Diaconus de geſtis Longobardorum, & de Epiſcopis Metenſibus, quem Anonimus ipſe ex Goldaſto producit. Quare, aut hanc diuiſionem non fecere, aut ſaltem effectum ſortita non eſt, rupto fœdere propter Venetiam, & Dalmatiam.

6. Arg. Subdit Molinæus, regiones illas Græcis remanſiſſe vſque ad Gulielmum Ferabrach Normannum, qui anno 1007. in Italiam traijciens occupauit Regnum Apuliæ, & Siciliæ, Græcis tamen ſacerdotibus relictis.

Reſp. Saraceni occuparunt Calabriam, & Apuliam, Ludouico Pio, & Michaele Balbo Impp. vt probat Baronius ad annum 827. ex Ioanne Curopolata, Eginharto, & alijs. Ioannes PP. 11. & Romanus Imp. Conſtantinopolis coniunctis viribus eaſdē Prouincias recuperarunt, Agarenis attritis, ad annum 923. Tempore intermedio varia ſorte ab Italis, & à Græcis contra Saracenos dimicatum eſt. Annno 969. Otho primus Imperator Mahumetanos, & Græcos permixtos Apulia, & Calabria eiecit, donationem Pij confirmauit, iureiurando Pontifici fidem ſuam deuinxit. Græci, & Saraceni deleto florentiſſimo exercitu Othonis ſecundi, Calabriam, & Apuliam iterum inuaſerunt ad annum 982. Indè verò expulſi non ſunt, niſi circa annum Domini 1040. auxilio, & opera Roberti Guiſcardi Normanni, qui tunc eas Prouincias quæſiuit, non ſibi, ſed Papæ legitimo Domino. Cæterum poſt adductus in ſpem principatus, paucis annis interiectis, Papa rebellauit. Quare Leo Nonus anno 1053, ex Germania in eum ingenres copias duxit, ſed & à Pontifice bellum infæliciter geſtum eſt, & Normanni victoris perfidia, recenti proſperitate confirmata. Non neſciebat verò Robertus, ſe eas Prouincias illegitimè poſſidere ſine conſenſu Papæ, quare omnium ſcriptorum teſtimonio, inueſtituram adeò importunè quæſiuit, adeò ſtrenuè mereri conatus eſt, vt impetrarit tandem à Nicolao ſecundo ad annum 1054. & ſucceſſiuè poſteri eius à ſucceſſoribus Nicolai, Tandemque ab Innocentio ſecundo Rogerius ſecundus Rex vtriuſque Siciliæ creatus eſt. Si verò Sicilia, Apulia, & Calabria Pontificij iuris non fuiſſent, neque à Pontifice Normanni rebellaſſent, neque eas Pontifex armis repetijſſet, neque à Pontifice Rogerius, & eius poſteri earum inueſtituram poſtulaſſent.

7. Argumentum. Sicut Regnum Francorum alienare non poterat, ita nec imperium, & regiones Imperij Occidentalis, quæ ex dicta diuiſione Carolo ceſſerant, & ſucceſſoribus ſuis, & multò minùs Romam caput Imperij, Alberico in lib. 1. de ſum. Trinitate &c.

Reſp. Alienatio ſupponit rem, quæ alienatur, eſſe eius, qui alienat. At iura Eccleſiæ Romanæ non erant Ludouici, ſed Eccleſiæ Romanæ, non donata, ſed recuperata, & reſtituta ei à Carolo, & à Pipino. Quare non tangit nos controuerſia, an Imperator alienare poſſit Imperium. Tantumque abeſt, quòd Carolus Magnus tunc fuerit Romæ dominus, vt potiùs anno primo Conſtantini, & Iræne, qui fuit Chriſti 781. & ſeptimus poſt captum Ticinum, & reſtitutas res Eccleſiæ Romanæ, magno ornamento ſibi futurum duxerit dignitatem Patritiatus, & vt ſcias, quidnam eſſet hæc, paucis eam tibi ob oculos pono. Imperator Conſtantinus illam primus inſtituit, [lataque lege ſanxit, vt qui eam conſequuti fuiſſent ſupra Præfectos Prætorio ſeſſitarent. Nemini ad ſublimem Patritiatus honorem, qui cæteris omnibus anteponitur, aſcendere liceat, inquit Zeno, niſi prius, aut Conſulatus honore potiatur, aut Præfectura Prætorij Orientis, vel Illyrici, vel vrbis adminiſtratione, aut magiſtri militum, aut magiſtri officiorum in actu videlicet poſitus geſſiſſe noſcatur. Et Iuſtinianus: Sancimus viros excelſos Patritios, quos in huiuſmodi dignitatis apicem Auguſta Maieſtas retulerit, illicò ab Imperialibus Codicillis præſtitis Patresfamilias fieri, & à poteſtate liberari paterna, ne videantur, qui à nobis loco patris honorantur, alieno iuri eſſe ſubiecti.] Quare non dicebantur Patritij, à Patribus, ſicut antiquæ familiæ Romanorum, ſed quòd parentum loco ab Imperatoribus haberentur. Et ſi verò inter ſenatores tanta erat dignitas Patritiatus, nullam tamen iuriſdictionem peculiarem annexam habebat, quod eius inſtitutionis formula monet apud Caſſiodorum. Quam verò tempore Caroli portionem haberet cum Imperio, indè intelligas, quòd anno ſecundo Imperij Eirenæ, Paſchalis feſtiuitatis feria ſecunda, proceſſit Eirena à ſanctis Apoſtolis in curru aureo vecta, qui quatuor albis equis trahebatur, & à quatuor Patritijs tenebatur, Bardanio videlicet Præ-

P tore

tore Thraceſiotum, Siſinno Prætore Thracæ, Niceta Domeſtico Scholarum, & Conſtantino Bohila,] Patritiumque tunc inter alios eadem Imperatrix crearat Ætium miniſtrum, & Eunuchum ſuum. Ergo ſi Carolus Longobardis triumphatis, Patritiatum Romanum aſſumpſit, (qui quantum à Romano principatu diſtaret, tu ipſe vides, ſi Romam, Rauennam, Ferrariam, & cætera omnia, quæ Eccleſiæ Romanæ occupauerant Longobardi, Hadriano pontifici reſtituit, vt omnes conſentiunt. Si Venetiam poſſedit nunquam, vt grauiſſimi auctores aſſertum eunt, quomodo arripuit ſibi dominium ſupremum, & abſolutum Romanæ vrbis, & Italiæ vniuerſæ. Si neque Africam, neque Hiſpaniam, neque Angliam Carolus vnquam obtinuit, quomodo in hac diuiſione totum Imperium Occidentis datum eſt ei? Et rursùm quot erant in Oriente gentes, quæ Conſtantinopoli Imperatoris iugo excuſſo ſe in libertatem vindicauerant? quas, irridearis, ſi dicas, ex hac diuiſione libertatem ſuam amiſiſſe, & Conſtantinopolitani iuris effectas eſſe? Ea Imperij diuiſio facta eſt, non vt transferrentur aliorum legitima iura, aut in Francum, aut in Græcum, ſed vt certi vtrique principi fines conſtituerentur, vltra quos neutri liceret aſpirare Imperij prętextu. Talis non ita pridem fuit diuiſio Noui orbis inter Reges Hiſpanię; & Luſitaniæ. Cùm ergo Eccleſiæ iura Imperij prætextu pontifici erepta non fuerint, nullo ex capite metuendum eſt, quo minus donatio Ludouici ſubſiſtat, & valida ſit.

VIII. Arg. Donatio Ludouici, ſi quæ fuit, ex eiſdem cauſis nulla eſſet, ex quibus prætenſa Donatio Conſtantini Magni, quam Gloſſa. & Doctores communiter, qui eam factam eſſe putant, tum non valuiſſe concludunt, ac Gloſſa Accurſij in Auth. [quomodo oporteat Epiſcopos &c.] tenet, quod valere non potuit ſine conſenſu populi. Atqui prætenſæ Donationi Ludouici populus Romanus nunquam, ſicut nec prætenſæ donationi Conſtantini Magni, conſenſit.

Reſp. Et ſi Accurſius citato loco, & alij nonnulli teneant Conſtantinianam donationem non valuiſſe, Bartholus tamen vertex iuris peritorum valuiſſe cenſet, & hanc eſſe fermè communem IC. teſtantur additiones ad Panormitanum in cap. 13. qui filij ſint leg. Eſſe communem etiam Theologorum, atque Canoniſtarum aſſerit S. Antoninus, ſed quicquid ſit, de paucorum pluriumue I. Conſultorum aut aſſertione, aut negatione, Anonymum interrogo. Potuerunt ne Romani tranſire à Regibus ad Conſules, ad Dictatores, Decemuiros, Tribunos, Conſules iterum, & demùm ad Imperatores? potuerunt opinor. Cur ergo non ab Imperatoribus ſuis ad Pontifices ſuos? Erant ne alienationes illæ, an ſolæ regiminis mutationes? mutationes dices non alienationes. Cur ergo appellaueris alienationem hanc, qua ab Imperatore ad Pontificem Reipublicæ ſumma defertur? forſan per te, aut ab homine anima, aut à Ciuitate Religio eſt aliena? Negaueris poteſtatem Imperatoris? At tritum in Iure eſt illud Vlpiani: [Quod principi placuit, legis habet vigorem, vtpotè cum lege Regia, quæ de eius Imperio lata eſt, populus ei, & in eum omne ſuum Imperium, & poteſtatem contulerit.] Exquires conſenſum populi? vtramque donationem lege, & reperies, adeòque diſertè, vt valdè miter, id à quoquam negari.

Pontifices in Romana Republica ſummam ſemper poteſtatem habuiſſe, non eſt, qui ignoret, vndè Cicero ad eos: [Cùm multa diuinitùs Pontifices à maioribus noſtris inuenta, atque inſtituta ſunt, tum nihil prę clarius, quàm quòd vos eoſdem, & Religionibus Deorum immortalium, & ſummę Reipublicę prę eſſe voluerunt.] Hac de cauſa poſtquam oppreſſa Rep. ſumma rerum ad Imperatorum delata eſt, numquam ab eis Imperium ſine Pontificatu receptum vidimus: vbi verò Conſtantinus, ex lege Chriſti, imperium à Pontificatu diuiſum cognouit, intellexitque dignitatem illam ſe retinere non poſſe, ſi Romam, & Imperij partem Pontifici conceſſit: nihil aliud fecit, niſi quòd in Romana Vrbe, in Romana Republica illum honorem detulit Deo, & verę Religioni, quem ex ſolo naturę lumine Deo, & Religioni tanquam debitum deferre ſemper voluerunt Romani. Ecquis verò ſani capitis id tanquam illegitimum, & contra Reipublicę inſtitutum reprehendere auſit?

Militant autem multò minùs eę rationes contra Ludouicum, quàm contra Conſtantinum, quòd Ludouicus non donauit, ſed reſtituit, imò verius neque reſtituit, ſed reſtitutiones Patris, & aui Pipini confirmauit. Fac tamen Ludouicum donaſſe propriè, & donaſſe inſcio populo: nonne iure belli à Longobardis, à Gottis, à Græcis occupata erat Italia vniuerſa? nonne ab earum Nationum principibus inuitis, & gementibus Romanis cuncta adminiſtrabantur? Eorum in locum, & ius ſucceſſit Ludouicus poſt patrem, & auum: inuitis ergo Romanis Italiam donare potuit Pontifici, ſi voluit. [At qui inuitis alienare poteſt, multò magis, & ignorantibus, & abſentibus.]

IX. Arg. & reſp. Non erubeſcit Molinęus, vt probet populi diſſenſum, obijcere ſeditiones, & populares turbas contra Eugenium III. Hadrianum IV. Alexandrum III. Lucium III. Vrbanum IV. Neque videt, quòd ſimilia, & frequentiora exempla occurrunt contra Imperatores, quorum non pauci Imperio, & vita à ſubditis priuati ſunt. Neque tamen ideò, quiſquam dixerit Imperium à Cœſaribus iniuſtè poſſideri. Conſpirationes, ſeditiones, & rebelliones quis vnquam exiſtimauit eſſe argumenta iuris? Adde quòd ex quinque enumeratis Pontificibus, quatuor Petri ſedem tenuere ab an. 1150. ad annum 1180. quintus an. 1261. An verò totis trecentis triginta annis expectandum erat, vt populus aſſentiret? Fac tamen tantumdem expectandum fuiſſe, cur non à fine tumultuum, & ſeditionum, ſed à principijs de mente populi iudicari vult Molinæus?

X. Arg. Nullus Papa vnquam inuentus eſt, qui ſe fundauit in prætenſa donatione Ludouici, nec qui eam vnquam allegauerit. Non Nicolaus III. non Gregorius VII. non Benedictus XII.

Reſp. Duplici priuilegio vti poterant Pontifices illi, nempè, & quod acceperant à Chriſto, & quod à Ludouico. Certius primum,

mum, quod innititur primæ, & infallibili veritati, Infirmius ſecundum, quod humana fide ſubſiſtit: Si verò hæretici, & ſchiſmatici negant Diuinum, quid putas, de humano dicturos? Nihil alind opinor, niſi quod Molinæus, Anonymus, & id genus ſcriptores.

XI. Arg. Præterea adhnc viuo Ludouico Pio, & biennio ante eius mortem Greg. IV. electus vnquam voluit inire Pontificatum, niſi prius ſna electione ab Imperatore, legatiſque ſuis ad hoc deſtinatis diligenter examinata, & confirmata, vt omnes teſtantur, & addit Platina, quòd præfatus Ludouicus hoc non faciebat ex ſuperbia, ſed ne iura Imperij amitteret.

Reſp. Ego etſi omnes ſcriptores legere non potui, perplures tamen legi, & nnſquam id reperi, quod Molinæns affirmat. Non id aſſerit Anaſtaſius Bibliothecarius illi ætati proximus; non Luitprandus, qui vitas Pontificum accuratiſſimè proſequuti ſunt, non Hermannus Contractus, nou Mariauns Scorus, nou Sigebertus, & demùm quis alius? Platina, quem ego legi id certè non dicit, dixerit tamen; Anaſtaſio Platinam, quis præponat? Imò non fuiſſe Ludouicum in ſententia Molinæi, Anonyme, tu ipſe confiteberis: Si conſideres creationem Hadriani relatam à Gratiano his ipſis verbis; [Cùm Hadrianus ſecundus ad Romanum Pontificatum ab Eccleſia Dei genitricis Dominæ noſtræ, quę dicitur ad Præſepe, traheretur ad Lateranenſe Patriarchium, certatim à Clero, & proceribus, & plebe deportatus eſt. Quod audientes miſſi Ludouici Imperatoris moleſtè tulerunt, indignati ſcilicet, quòd dum præſentes eſſent, non fuerint inuitati, nec optatæ à ſe futuræ electioni Præſulis intereſſe meruerunt. Qui accepta ratione, quòd non cauſa contemptus Auguſti, ſed futuri temporis proſpectu omiſſum hoc fuerit (ne videlicet Legatos principum in electione Romanorum Præſulum expectandi mos per huiuſmodi fomitem iuoleſceret) omnem indignationem medullitùs ſedauerunt, & ad ſalutandum electum etiam ipſi humiliter acceſſerunt.] Hæc ex manuſcriptis Pontificalibus de Hadriano II. Gratianus. Addunt eadem ſcripta. [Audiens hoc Ludonicus Imp. Chriſtianiſſimus, mox Imperialem ſcribens epiſtolam cunctos Romanos, qui dignum tanto peregiſſent officio Præſulem collaudauit. Addidit Platina de literis Ludouici: ſuperuenere à Ludonico Imp. literæ, quibus Romanos admodùm laudat, quòd ſummum Pontificem ſanctè, & integrè creaſſent, non expectato aliorum voto, qui fortè ea in re ob ignorationem perſonarum minus iudicij habuiſſent. Qui enim fieri poſſe dicebat, vt peregrinus, & hoſpes dignoſcere poſſit, quis in aliena Republica, quis potiſſimùm cæteris præferendus ſit.] Si literæ Ludouici eam redoleant opinionem, quam Ludouico affingit Molinæus, Lectoris eſto iudicium.

Et quia, vt in prouerbio eſt: [Natura ſemper ſimilem ducit ad ſimilem,] à Molinęo ad Gunterum, & Spigellium, ad Eutropium Guldinaſti ſui, ad Auentinum, & Crantzium, iiſque paulò melioris notæ ſcriptorem Radeuicum tranſit Anonymus: Ex Radeuico obiicit epiſtolam Friderici primi ad Epiſcopos Tranſmontanos, qua aſſerit, poteſtatem congregandi Concilia eſſe penès ſe. Ius, quod palàm idem Imp. aſſeruit etiam ſibi in pręfatione ad Epiſcopos, quos conuocauerat ad Synodum Papienſem, in qua Octauianus contra Alexandrum III. Pontifex declaratus eſt, receptuſque, & confirmatus in Pontificatu à Friderico ipſo. Qua de re Radeuico cæteri omnes conſentiunt, quos citat Anonymus.

Cæterum Concilium illud tanquam Conciliabulum Sathanæ non tantùm Eccleſia Dei execrata eſt, & eius adhærentes tanquam Schiſmaticos: ſed Imperator ipſe tandem coram populo in vrbe Venetiarum diſertiſſimis verbis hoc ipſum profeſſus eſt, à Pontifice Alexandro rerum à ſe geſtarum veniam humillimè precatus. Ex manuſcriptis Romualdi Archiepiſcopi Salernitani, qui nomine Regis Siciliæ interfuit reconciliationi Friderici, retulit hæc ipſa Friderici verba Baronius in Annales ad annum 1187. [Totus igitur mundus euidentèr agnoſcat, quòd licèt nos Romani Imperij dignitate, & gloria fulgiamus, tamen à nobis humanæ conditionis proprium dignitas Romana non abſtulit, nec ignorantiæ vitium Maieſtas Imperialis excluſit. Nam ſuggeſtione prauorum hominum ignorantiæ fuimns tenebris inuoluti, & per viam veritatis credentes incedere, extra iuſtitiæ ſemitam non inuenimus. Ecce enim Dei Eccleſiam, quam credebamus defendere, impugnauimus, & quam ſperabamus extollere, pęnè deſtruximus. Occaſione noſtra Domini Noſtri Ieſu Chriſti tunica inconſutilis eſt diuiſa, & quantum in nobis fuit per hæreſes, & ſchiſmata violata. Decepit nos cauſæ meritum, & color negotij perturbauit, qnia dum in facto Eccleſiæ potiùs virtutem potentiæ, quàm rationem iuſtitiæ voluimus exercere, conſtat nos in errorem merità deueniſſe. Iuſtitia enim fortitudinem reſpuit, æquitas violentiam non admittit, ſicque factum eſt, qnòd ille, qui humilia reſpuit, & alta à longè cognoſcit, potentiam noſtram, & aduerſæ partis humilitatem conſiderans, more ſuo potentes de ſede depoſuit, & humiles exaltauit, ſed qnia diuina Clementia nos ad correctionem noſtram ad tempus errare voluit, ſed deuiare in perpetuum non permiſit, vniuerſa hæc fidelium turba cognoſcat, quòd nos de cætero, errore totius falſitatis abiecto, ad veritatem conuertimur, de ſchiſmate ad vnitatem redimus, & ad gremium matris noſtrę ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ gratanter accedimns, Dominum Alexandrum, qui eſt in præſentiarum, & ſucceſſores eius in Catholicum Papam recipimus, & ipſi tanquam Patri debitam reuerentiam exhibere proponimus.] Hæc Fridericus de rebus à ſe contrà Alexandrum geſtis. Quare ſi Anonymus Friderici peccatum contrà Apoſtolicam ſedem ſtare putar, nos pro ea pœnitentiam, quæ omnium ſcriptorum calamis, omnium pictorum penicillis detrita eſt: improbi verò eſt, peccantem ſequi malle, quàm pœnitentem.

Ne inter iura Pontificum quidqnam omninò ſit, in quod Anonymus non egerat virus ſuum, conuersùs ad ius eligendi, & confirmandi Cæſarem, in hoc etiam calamum

ſtringit, quemadmodum ſuggerit ei Caluiniſta Goldaſtus ex Leopoldo Bambergenſi, libro de Zelo veterum Principum Germaniæ.

Duo obijcit Leopoldus (ſi ingenuè verba eius refert Anonymus) contrà hoc ius. Primum, quòd in hiſtorijs Germanis geſta Regum, ſiue Imperatorum continentibus non reperiatur expreſſum ius, & poteſtatem eligendi Regem Romanorum ab Eccleſia Romana ad certos Germaniæ principes perueniſſe.

Nos verò, etſi putamus non ea tantùm vera eſſe, quæ ab hiſtoricis Germanis ſcrptis mandata ſunt; reſpondemus tamen non deeſſe Apoſtolicæ Sedi etiam ex Germania teſtes. Multis retrò annis Illuſtriſs. Dominus Cardinalis Bellarminus de translat. Imperij l. 3. c. 3. ex Illyrico ipſo produxit Iordanem quemdam dicentem. [Factum eſt, quòd ſanctus Carolus Magnus Imp. de conſenſu, & mandato Romani Pontificis ordinationem ſibi diuinitùs inſpiratam instituit, & præcepit, vt Imperium Romanum apud electionem Canonicam principum Germanorum in perpetuum remaneret.] Adiecit Iacobum Wimphelingum, Albertum Grantzium, Ioannem Nauclerum, Ioannem Carionem, Ioannem Cuſpinianum, & demùm Illyricum ipſum cum centuriatoribus. Confirmauit hoc ipſum decreto Concilij generalis Viennenſis, tandem publico Inſtrumento principum Germanorum, quod ex ipſo autographo deſcriptum ibidem ſubiecit. Baronius verò non ad annum *996.* non profert electorum literas tantùm, ſed ipſam quoque confeſſionem, & recognitionem Alberti Primi, quibus ius eligendi Cæſarem Sedi Apoſtolicæ Germania diſertiſſimis verbis acceptum refert. Additque Cardinalis: Quòd de his quis dubitet, oſtendi locum, vbi aſſeruantur autographa, petant ipſa, & ego curabo, quò benè conſultum ſit veritati, vt liberaliter oſtendantur. Mitto aliarum Nationum innumeros teſtes, & permulta neruoſiſſima argumenta, tum quòd ab Illuſtriſs. Domino Cardinal. Bellarmino contrà Illyricum cumulatiſſimè pertractata ſunt, tum quod indignum puto propter vnum Anonymum In re notiſſima fatigare lectorem.

[Quod ſecundo loco obijcit Leopoldus apud Anonymum eſt, quòd etſi nonnulli electores agnouerunt ius confirmandi Cæſarem ad Pontificem pertinere, res tamen ante Innocentium III. ſuit inaudita, neque Imperatorum ſingularia facta maieſtari Imperatori præiudicant. Et ideò Electores ſequentes melius informati prędeceſſorum Conſtitntiones, decreta, edicta, reſponſa caſſauerunt, irrita fecerunt, & annullarunt, nulliuſque penitùs momenti, atque valori eſſe voluerunt. Ita nimirùm ſcribunt Electores Imperij ad Benedictum Papam ex Comitijs Rhenenſibus. §. 2. Cum alijs omnibus.

Reſp. Quòd ante Innocentium Tertium, ius confirmandi Cæſarem fuerit res inaudita, vt alia taceam, falſum oſtendit illud ipſum cap. venerabilem de elect. quod tibi Leopoldus impugnat. In eo nimirùm Innocentius Tertius affert exemplum Innocentij II. à quo Lotharius Saxoniæ Dux ad Imperium electus confirmationem obtinuit contrà Conradum Henrici IV. nepotem, qui Rex à nonnullis Germaniæ principibus, ſalutatus, Romam capeſcendum Imperium per arma peregebat: Quæ dicit Otho Friſingenſis ſcriptor Germanus lib. 7. cap. 17. & 16. huic capiti non parum luminis afferunt.

Epiſtolam datam ab Electoribus, ex Comitijs Rhenenſibus ad Pontificem Benedictum XII. ægrè inducor, vt credam Germanam eſſe, & non potiùs imperiti alicuius figmentum. Anno ſcilicet 1338. quo ſcripta ſupponitur Marchio Brandeburgenſis, erat Ludouicus Ludouici Bauari filius, quem anno 1319. Waldemaro Marchioni Brandeburgico defuncto pater ſuffecerat. Albertum Argentinenſem, & Henricum Rebdorfium eius temporis, earumque rerum oculatos ſcriptores teſtes adhibeo. Non potuit ideò Comitijs Rhenenſibus anno 1338. intereſſe elector Waldemarus, quòd iam ante annos vndeuiginti è viuis exceſſiſſet. Id tamen ignorans auctor illius epiſtolæ induxit in ea Waldemarum cum cæteris Electoribus an. 1336. in Comitijs Rhenenſibus conſultantem, iurantem, ſcribentem, & omnia agentem quæ cæteri. Si tibi, Anonyme, falſi hoc argumentum non eſt, mihi certè, & cuique ſano. Sed fac epiſtolam eſſe veram, Ludouicum in Waldemarum audacia, & inſcitia, neſcio cuius, mutatum fuiſſe, quid tum? Renocarunt, dicis, Comitia hæc, quæ priora firmarant. Reuocaſſe fatebor; Extat enim conſtitutio, licèt, apud Albericum de Roſate in cap. 3. de quadrien. præſcript. & apud Hieron. Balbum Epiſcopum Gurcenſem lib. de Coronat. ad Carolum V. in qua id apertè ſatis decernitur. Cæterum ignoras tu conſtitutionem illam (ſi tamen conſtitutionem appellare ſas eſt) & ſancitam, & promulgatam eſſe auſpicijs Ludouici Bauari, qui tum capitales inimicitias gerebat cum Rom. Sede, quod vt aſſerebat, ad Imperium electus, à duobus Pontificibus Ioanne XXII. & Benedicto XII. pluries confirmationem precatus, ſemper repulſam tuliſſet? Quare ex eius ſententia, ſi ſpes confirmationis affulgebat, totum Imperium à Papæ confirmatione pendebat, ea deſperata, nó ampliùs. Cur hoc decreto, non potiorem ducas totius Germaniæ ſenſum, quæ quando primùm ad Pontificem Ioannem Ludouicus, & Fridericus competitores pro confirmatione miſerè, ita habebat, (inquit Mucius, & ipſe ſcriptor Germanus) vt nulli dubium eſſet, fore Imperatorem, quem approbaturus eſſet Pontifex Romanus? Vnde nec Carolus Quartus, qui anno 1346. iuſſu Apoſtolicæ Sedis contrà edictum Rhenenſe, & contrà Ludouicum ad Imperium electus eſt. Imperatoris titulum vnquam aſſumpſit, niſi poſtquam anno 1355. à Cardinali Hoſtienſi iuſſu Innocentij VI. in vrbe Imperator coronatus eſt. Eumque ſucceſſores imitati ſunt, vt omnes hiſtoriæ teſtantur.

Monet poſtremò Anonymus Lectorem, vt videat Bullam ad auream huius Imperatoris, ſed quorſum tendat, ignoro, cum ex ea ne per ſuſpicionem quidem colligi poſſit, quòd ius eligendi Cæſarem à Pontifice Germanis conceſſum non ſit, de quo vno, nunc homo iſte nobiſcum conflictatur.

C A-

CAPVT XI.

Enodantur argumenta capitis quinti, in quo ex auctoritate Conciliorum impugnatur Primatus Papæ.

CApite quinto Anonymus auctoritatibus Conciliorum agit nobiſcum, idque facturum ſe pollicetur hoc titulo, [In quibus Concilijs diſpoſitum fuerit, Papam non habere præeminentiam ſuper cæteros Patriarchas.] Objicit primò Canonem ſextum Nicænum cum Epitome Ruffini (quam etiam deprauat) quibus cumulatè ſatisfactum eſt. Mox Canonem ſecundum primi Concilij Conſtantinopolitani, in quo cauetur, [vt vnuſquiſque Epiſcopus ſuam Diœceſim curet, nec extra ingerat ſe, ſed ſecundùm Canones Alexandriæ quidem Epiſcopus ea, quæ in Ægypto ſunt, tantùm gubernet, Orientis verò Epiſcopi ſolum Orientem adminiſtrent, conſerueturque ſuæ Eccleſiæ dignitas, quæ in Nicæna Synodo declarata eſt. Et Epiſcopi Aſiæ Diœceſis ſiue Præfecturæ, ea tantùm, quæ in Aſia ſunt, gubernent. Qui in Ponto ſunt, ea, quæ in Ponto tantùm, Thracij verò ea, quæ in Thracia. Epiſcopi autem niſi aduocati, ne in alienam Diœceſim, & Præfecturam, ſe inferant ſiue ad ſuffragia, ſiue ad alias vllas adminiſtrationes Eccleſiaſticas &c.] Multa quidem de hoc canone à nobis dicta ſunt in prima periodo, ſuperſunt tamen adhuc nonnulla, ex quibus magis intelligas, quàm conſtanter Anonymus ineptiat.

Valentinianus ſenior poſtquam ad Imperium aſſumptus eſt, Valentem fratrem elegit Imperij conſortem, eique conceſſit illum terrarum tractum, qui PP. Orientis parere ſolebat. Conſtabat hic quinque Diœceſibus, ſicut Notitia monet, id eſt Orientis, Ægypti, Aſiæ, Ponti, & Thraciæ. Arianus fuit, & acerrimus perſecutor Catholicorum, in quos nullum ſæuitiæ genus non exercuit. Quamdiù hæc perſequutio durauit, Epiſcopos Catholicos Fidei conſulentes, vbicumque ſe offerret occaſio, exercuiſſe munera Epiſcopalia nulla habita ratione diſtinctionis, vel Prouinciarum, vel Diœceſium (quod etiam ante Conſtantiniana tempora factum fuerat) Græci ſcriptores conſentiunt. At poſtquam perſequutor interijt, & Imperium eius à Gratiano Theodoſio ſeniori donatum eſt, Principi verè optimo & ſanctiſſimo centum, & quinquaginta Epiſcopi Catholici illarum Diœceſeon Conſtantinopoli conuocati, vagum illud Epiſcoporum miniſterium tollendum eſſe cenſuerunt, quod & factum ab eis hoc Canone tradunt ijdem auctores. Quid verò tale decretum ad poteſtatem Pontificis Romani? Conſtituat parlamentum ſiue Conciliabulum aliquod Anglicanum, vt miniſtri Hiberniæ Hiberniam, Angliæ Angliam, Scotiæ Scotiam gubernent, an ideò colliges hos omnes poteſtati Regis non eſſe ſubiectos? Caue ne tale quid in Anglia excidat tibi. Sentis ergò, ſi viuis, canonem hunc, ſiue verba ſpectes, ſiue mentem Legislatorum, ſupremæ poteſtati Pontificis nihil officere, ſed audi præclariora.

Duo ſunt Patriarchæ, quibus tu ineptiſſimè aſſentaris, & quos ſatagis nunc æquare, nunc præferre Romano. Conſtantinopolitanus ſcilicet, & Hieroſolymitanus. Quàm appoſitè id facias, videamus. Vtrumque canone iſto comprehenſum eſſe, negare non potes, quòd huius Sedes eſſet in Diœceſi Orientis, illius in Thraciæ, at non ita Romanum, qui in nulla illarum quinque Diœceſeon, de quibus Canon ſancitur, ſedem habet.

Tam hoc loco, quàm capite ſeptimo diffuſiſſimè probas, fines Diœceſeon, & Epiſcopatuum eſſe ita imperſcriptibiles, vt neque tempus immemorabile, neque bona fides, neque ſcientia, & patientia illorum, quibus præiudicatur, eorum præſcriptionem inducant. Quare in eodem ſtatu nunc vis eſſe Romanum, & cæteros, quo erant tempore Nicæni Concilij, concludiſque, quòd poſſeſſio occupata potiùs arrogantiam, quàm ius certum conſtituit.] Sit ita, Anonyme, & inquiramus, quonam loco tunc eſſent duo iſti poſthumi Patriarchæ, vt ſcias, quam mercedem tibi debeant pro tutela.

Hieroſolymitanum tempore Concilij Nicæni ſubiectum fuiſſe Epiſcopo Cæſareæ tanquam Metropolitano, & Antiocheno tanquam Patriarchæ, ignorare non potes, ſi vnquam legiſti Canonem ſeptimum Nicænum. Conſtantinopolitanum, vſque ad ſecundam Synodum generalem ſubiectum fuiſſe Epiſcopo Heracleæ tanquam Metropolitano Thraciæ lippis, & tonſoribus notum eſt. Quare Hieronymus in Ioannē Epiſcopum Hieroſolymitanum, [Tu (dicebat) qui regulas quæris Eccleſiaſticas, & Nicæni Concilij canonibus veteris, & alienos Clericos, & cum ſuis Epiſcopis commorantes tibi niteris vſurpare, reſponde mihi, ad Alexandrinum Epiſcopum Palæſtina quid pertinet? ni fallor hoc ibi decernitur, vt Palæſtinæ Metropolis Cæſarea ſit, totius Orientis Antiochia, & S.Gelaſius in Acatium Epiſcopum Conſtantinopolis. An Sedem Apoſtolicam congruebat, Parœciæ Heracleenſes Eccleſiæ, id eſt Conſtantinopolitani Pontificis, vel quorumlibet aliorum, qui cum eo fuerunt congregati iudicium præſtolari? Et infrà: Dicant, qua Synodo hæc ille præſumpſit, quod ne ſic quidem abſque Apoſtolica Sede fas haberet efficere cuius ſedis Epiſcopus? Cuius Metropolitanæ Ciuitatis antiſtes? nonne parœciæ Heracleenſis Eccleſiæ?]

Certè Conſtantinopolitani ipſi, neque in Concilio Chalcedonenſi, vbi hæc controuerſia primùm agitata, neque alibi vnquam in alium auctorem retulerunt originem dignitatis, & poteſtatis ſuæ, quàm in Concilium iſtud Conſtantinopolitanum, à quo Patriarchæ primùm dicti ſunt. Non tamen plurium Diœceſeon, ſed Thraciæ ſolius, quod & apertè aſſerunt Socrates, & Nicephorus, neque aliter interpretari poteſt Canon ab aduerſario citatus. [Diſpartitis prouincijs, Patriarchas conſtituunt, inquit Socrates, deciduntque, vt nullus Epiſcopus relicta ſua diœceſi ad externas Eccleſias demigraret, nam antea propter perſecutionum tempeſtates iſtud facere cuique liberum erat. Nectario igitur ampla illa ciuitas Conſtantinopolis, & tota Thracia ſorte obuenit. Et Nicephorus: Prouincijs diuiſis, Patriarchas conſtituerunt, ſanxerunt quoque iuxta veteres Canones, vt

Epi-

Digitized by Google

Epiſcopi in Eccleſijs ſuis manentes non temerè in aliarum dioeceſium fines tranſirent, neue ſe illegitimis conſecrationibus non vocati ingererent id, quod antea, cum vniuerſalis Eccleſiæ perſecutionibus, exagitaretur, factum fuerat &c. Nectarius quidem Thraciam ſortitus eſt,& Megalopolim.] Quemadmodum verò è viſceribus ſuis Thracia ſuum Patriarcham accepit, ſic etiam è ſuis Pontus, & Aſia, ſi his auctoribus fides eſt adhibenda. At ſicut in Dioceſi Ægypti, ſic & in Dioceſi Orientis nihil ab hac Synodo immutatum. Quare ſecundus Canon, qui neſcio vndè erutus, corruptè citatur ab Anonymo, integer, inquit, [Orientis autem Epiſcopi ſolius Orientis curam gerant, ſeruatis honoribus primatus Eccleſiæ Antiochenæ, qui in regulis Nicœnæ Synodi continentur.] Vides iam Anonyme violatos Canones Nicenos in gratiam Conſtantinopolitani, cui tota (ſola tamen) Thracia committitur cum nouo titulo Patriarchæ, cœterùm ea lege, vt iſtius Dioceſis fines non tranſiliat. At Hieroſolymitanus nihil hucuſque præter legem tentarat. Tentauit tamen etiam hic, poſt in Concilio Epheſino, quod ille in Conſtantinopolitano, ſed non eadem fęlicitate; qua de re Leo Magnus ad Maximum Antiochenum. [Subrependi occaſiones non prætermittit ambitio, & quoties ob incurrentes cauſas generalis Congregatio facta fuerit ſacerdotum, difficilè eſt, vt cupiditas improborum non aliquid ſupra menſuram ſuam moliatur, appetere, ſicut etiam in Epheſina Synodo, quæ impium Neſtorium cum ſuo dogmate perculit. Iuuenalis Epiſcopus ad obtinendum Palæſtinæ prouinciæ principatum, credidit ſe poſſe ſufficere, & inſolentes auſus per commentitia ſcripta firmare. Quod ſanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus meritò perhorreſcens, ſcriptis ſuis mihi, quid prædicta cupiditas auſa ſit, indicauit, & ſolicita prece multum popoſcit,vt nulla illicitis conatibus præberetur aſſenſio.]

Immò nouitates contra Nicœnos Canones, & contra antiquas Eccleſiæ conſuetudines adeò deteſtata eſt Synodus Epheſina, vt terminata controuerſia de iuribus Epiſcopi Antiocheni in Eccleſias Cypri, hanc regulam promulgaret: [Iſtud autem etiam in alijs dioeceſibus, & in omnibus prouincijs ſeruetur, & nullus pientiſſimorum Epiſcoporum aliam prouinciam, quę non antea, & ab initio fuit ſua, ſub ſuam, vel ſaltem eorum, qui pręſunt, manum trahat: ſed ſi quis apprehenderit, & ſuam fecerit, eam reſtituat, vt neque Patrum canones prætereant, neque ſub prætextu ſacerdotij mundanæ poteſtatis faſtum ſubintroducant, ne paulatim, & clam libertas amittatur, quam nobis donauit Dominus noſter Ieſus Chriſtus omnium hominum liberator: Viſum igitur eſt ſanctæ, & vniuerſali Synodo ſeruare vnamquamque prouinciam puram, & nullam tyrannidem paſſum ius vetus, ac conſuetudinem veterem, opus habente vnoquoque Metropolitano, vt ad ſuam ſecuritatem exemplaria actorum excipiat. Et ſi quis his, quæ nunc decreta ſunt, pugnantes literas attulerit, irritas eſſe decreuit ſancta, & vniuerſalis Synodus.]

Hoc tanti Concilij decreto repreſſa videbatur ambitio Conſtantinopolitani,& Hieroſolymitani, ſed Conſtantinopolitani præſertim, qui hac conſtitutione reijciebatur denuò ad antiqua ſubſellia Heracleenſis. At oleum igni fuit vtriuſque imperandi cupiditati iſtud decretum; nam Conſtantinopolitanus non ſolùm intra fines Thraciæ, quos ei præſcripſerat Concilium Conſtantinopolitanum, non continuit ſe, ſed Concilia omnia floccipendens Aſiæ, & Ponti Eccleſias inuaſit. Hieroſolymitanus verò, non vnicam Palæſtinam, ſed tres, & præterea Arabiam, duaſque Phænicas. Quare in Concilio Chalcedonenſi actione 7. Iuuenalis Hieroſolymitanus Maximum Antiochenum ad eam tranſactionem adegit. Vt Antiochenus haberet ſibi Arabiam, & duas Phænicas: Hieroſolymitanus verò tres Palęſtinas, hoc eſt, præter eam, quam primùm exambierat Palęſtinam ſecundam, & Palæſtinam ſalutarem, & eiuſdem Concilij actione vltima Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolitanus per teſtes probat, præceſſores ſuos iuriſdictionem exercuiſſe, & nonnullas ordinationes habuiſſe in Ponto, & Aſia.

Quod idem erat, ac ſi probaſſet Conſtantinopolitanos contra decreta trium Conciliorum Generalium Nicœni, Conſtantinopolitani, Epheſini, & contra antiquam, & Apoſtolicam Eccleſiæ inſtitutionem, inuaſiſſe aliena iura: Quid poſt Concilium Chalcedonenſe ſecutum ſit, audiſti in prima periodo. Neque tamen Conſtantinopolitanus intra hęc littora coercuit tumentes fluctus ſuos,ſed arreptis nunc ſchiſmatum, nunc tyrannorum varijs occaſionibus, Illyricum primò, Siciliam poſt, & tandem Calabriam occupauit. Hæc fuit Anonyme origo, hic progreſſus illorum Patriarcharum, quos Romano,& componis, & præponis.

Repete modò argumentum tuum, & dic, [Eccleſiarum fines præſcribi non poſſunt,ſed omnes eo loco,& gradu eſſe debent,quo erant tempore Concilij Nicœni, & poſſeſſio occupata, potiùs arrogantiam, quàm ius certum conſtituit.] Adde hanc minorem demonſtratam. At eo tempore Hieroſolymitanus ſubiectus erat Epiſcopo Cœſareenſi, & Conſtantinopolitanus Heracleenſi, & quæ poſtea ambo adepti ſunt, fuerunt intra antiquos aliarum Eccleſiarum fines. Atque ita colliges, quantum à te honorentur,& quas gratias tibi debeant pro huiuſmodi nugis, & ineptijs, hi Patriarchæ nihil futuri, ſi hic Romano, & ille Antiocheno reſtituant, quæ vſurparunt. Quàm verè Parœmi aſtes [Via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant.]

Obijcit tertiò Anonymus partèm illius decreti Epheſini, quo vno euerti vidiſti duos Patriarchas, quos tuetur; indè Canonem 28. Chalcedonenſem, quem ante diſcuſſimus, & 36. Pſeudo-ſynodi Quini ſextæ, quam non totus Occidens tantùm, ſed magna etiam Orientalium pars aliquando anathematizauit, de renouatis priuilegijs ſedis Conſtantinopolitanæ, ſed Lector, audi, & miſereare ſummam hominis ignorantiam. [Poſtquam reprahendit Gratianum, quòd Canonem hunc malè retulerit, ſubdit hæc verba; ſed hæc lectura eſt vera, quia Iuſtinianus Imperator in authentica de priuilegijs Archiepiſcopi

Iuſtinianæ primæ ita ſcribit. Multis, ac varijs modis patriam noſtram augere cupientes, in qua Deus pręſtitit nobis ad hunc mundum venire, iubemus, vt eius ſacroſanctus Antiſtes non ſolùm Metropolitanus, ſed etiam Archiepiſcopus fiat, & certa prouincia ſub eius auctoritate, id eſt, Dacia Mediterranea, Dacia Ripenſis, Myſia ſuperior, & in fine dicit &c. Archiepiſcopum eius à Venerabili Concilio Metropolitanorum ordinari ſancimus. Verba Canonis ſunt: [Renouantes, quæ à ſanctis 150. Patribus in hac Dei obſeruatrice, & regia vrbe conuenerunt, & ſexcentorum triginta, qui Chalcedonem conuenere conſtituta ſunt, decernimus &c. thronus Conſtantinopolitanus æquaiia priuilegia cum antiquæ Romæ throno obtineat, & in Eccleſiaſticis, vt illa magni fiat.]

Atque ita homo ingenioſns, & doctus arbitratns eſt, primam Iuſtinianam eſſe Conſtantinopolim. Aſt, audiat Procopium grauiſſimum ſcriptorem illorum temporum, qui de ædificijs Imperatoris Iuſtiniani lib. 4. hæc habet: [Apud Dardanos Europæ, qui iam poſt Epidamiorum terminos habitant, eſt locus Taureſia dictus, hinc Iuſtinianus Rex Orbis reparator oriundus erat, hunc locum muro circumdans quadrangula figura ſingulis angulis turrim impuſuit, effecitque, vt eſſet, & diceretur quadriturrita. Iuxta hunc locum vrbem nobiliſſimam condidit quam Iuſtinianam latina voce appellauit, atque hoc modo nutricationis officium altrici patriæ rependit. Et infrà: Magna planè vrbs eſt, & totius regionis Metropolis, Illyriciorum Archiepiſcopum ſortitæ alijs vibibus ipſi tanquam magnitudine præſtanti cedentibus.] Hęc priuilegia, quæ in rebus Eccleſiaſticis prima Iuſtiniana ſortita eſt, ei à Vigilio Pontifice Romano impetrauit Iuſtinianus, vt ipſemet teſtatur Nouella 131. [Per tempus autem Beatiſſimum primæ Iuſtinianę noſtræ patriæ Archiepiſcopum habere ſempet ſub ſua iuriſdictione Epiſcopos prouinciarum &c. Ipſum verò à proprio ordinari Concilio, & in ſubiectis ſibi prouincijs locum obtinere eum Sedis Apoſtolicæ antiquę Romæ ſecundùm ea, quæ diffinita ſunt à ſanctiſſimo Papa Vigilio.] Si Metropolitanus Illyrici maximi beneficij loco ducit in prouincias ſibi ſubiectas gerere vices Papæ, quomodo Papa in alienis diœceſibus ius nullum habebat? Et rurſum, ſi Iuſtiuianus hæc priuilegia primæ Iuſtinianæ diffinitioni Vigilij accepta refert, quomodo ad ſolas ſuburbicarias tunc temporis contrahebatur omnis poteſtas Papæ; aut ſuburbicariæ intra centeſimum ab vrbe milliarium? vapulet etiam Anonymus, quòd primam Iuſtinianam crediderit eſſe Conſtantinopolim, cum Conſtantinopolis in Thracia, prima Iuſtiniana in Dardania ſit, illa à Conſtantino ædificata, hæc à Iuſtiniano, illa in præfectura Orientis, iſta in Illyrici, etſi Anonymus eſt merus leguleius, neque aut Zozimum, aut Procopium, aut alios bonos auctores vnquam vidit, vidiſſe poterat ſaltem notitiam Imperij, atque indè didiciſſet, qua in præfectura eſſent illæ prouinciæ, quarum Metropolim Iuſtinianam primam fecit Iuſtinianus.

Audi rurſùm nouum acumen hominis, & ſolertiam, & indè quàm graues inimicitias gerat cum mente, & cum veritate. Vbi retuliſſet? ſancimus ex Nouella 131. quem modò explicabamus, in quo adhærens Conciiijs Conſtantinopolitano, & Chalcedonenſi, Epiſcopo Conſtantinopolitano ea priuilegia ſeruari Iuſtinianus vult, quæ ab hiſce Concilijs Sedi Conſtantinopolitanæ conceſſa arbitrabatur, Anonymus ſubiungit hæc verba. [De poteſtate Imperatoris ita diſponentis dubitari non oporret; nam eidem Papam ſuppoſitum eſſe, atque cęteros etiam Epiſcopos inueſtiri ab illo debere, inferiùs oſtendetur.] Quamobrem ſi definitum eſt, parem in omnibus dignitatem habere: ergò primatum ſuper Conſtantinopolitanum, neque de iure, neque de facto prætendere poteſt.

Probat verò cap. 8. pag. 118. & 119. quod hic inferiùs ſe probaturum pollicetur hac ratione, quòd anno Domini 774. omne ius confirmandæ pontificię electionis ad Cęſarem, [Regemque pertinere declaratum fuerit cap. Hadrianus diſt. 63. & quamuis huic priuilegio renuntiauerit Ludouicus Caroli filius capitulo ego Ludouicus, eadem diſt. nihilominùs Leo Octauus huic renuntiationi iterùm renunciauit an. 963. eodem priuilegio iterùm collato Othoni Primo Imperatori.

Anonyme, ſi Iuſtinianus imperat in ſexto ſæculo, Carolus ab Hadriano per te priuilegium impetrat, an. 774. Otho à Leone an. 963. quomodo Iuſtinianus ex priuilegio Caroli, & Othonis rebus Eccleſiaſticis legitimè ſe ſe immiſcebat? Rursùm nil iuris habere ius in Oriente Epiſcopum Romanum, vis tamen, ex iure à Papa Imperatori conceſſo Conſtantinopolis Epiſcopum alijs Patriarchis legitimè præferri, Romano æquari, Archiepiſcopum primę Iuſtinianæ ea priuilegia adipiſci, quæ recenſentur. Anonyme ſi me conſuluiſſes, hanc ne in arenam deſcenderes, &

I, bibe dixiſſem, purgantes pectora ſuccos,
Quicquid, & in tota naſcitur Antycira.

Interim ex rebus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, quæ ſupra à nobis commemoratæ ſunt, intelligere pores, quòd Epiſcopi Conſtantinopolis etiam poſt Concilia Conſtantinopolitanum, & Chalcedonenſe, & poſt hanc ipſam conſtitutionem Iuſtiniani nunquam (dum catholicè vixerunt) crediderunt per hæc priuilegia, ſe ſubtractos eſſe à poteſtate Papæ, ſed tantùm ius primatum trium Diœceſeon ſe aſſecutos cum honore poſt Romanum primo. Ex ea verò regula iuris, quam probaſti, facta immediatè ſubſequentia præcedentibus præſtant euidentiſſimum intellectum. Pergis:

In ſexta Synodo Carthaginenſi, cui ſanctus Auguſtinus præfuit in cap. 105. aduerſùs Papam ſancitum eſt, ne ex tranſmarinis Eccleſijs ad ipſius Sedem prouocaretur. [Si quis autem prouocare auderet, anathema ſit.]

Gratianus compilator decreti, dicit, idem in Concilio Mileuitano cap. 22. diſpoſitum eſſe, cuius verba refert in cap. placuit, quod eſt 35. in cap. 2. quęſt. 6. [Placuit, vt Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici in cauſis, quas habuerint, ſi de iudicijs

cijs

Digitized by Google

cijs Epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini Epiſcopi eos audiant, & inter eos quicquid eſt, finiant, adhibiti ab eis ex conſenſu Epiſcoporum ſuorum. Quòd ſi & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent, niſi ad Africana Concilia, vel ad primates prouinciarum ſuarum. Ad tranſmarina autem, qui putauerit appellandum; à nullo intra Africam in communione ſuſcipiatur.]

Antequam explicem duos iſtos ab hæreticis decantatos canones, quibus ego Romanum Primatum mirificè illuſtrari, confirmarique puto, vera primùm à falſis ſunt ſecernenda; nonnulla poſt illuſtranda, quæ inobſeruata fecerunt, vt res nihili, diu multùmque torſerit multos viros doctos, & eruditos.

Primò falſum eſt, quod Anonymus dicit, in ſexto Concilio Carthaginenſi appellationes ex tranſmarinis ad Sedem Apoſtolicam vniuerſim interdictas fuiſſe, cum Carthaginenſis, & Mileuitani verba eadem omninò ſint, quibus non Epiſcoporum, non Primatum, ſed Presbyterorum tantùm, & aliorum ordinum inferiorum appellationes prohiberi, nemo non videt. Dum verò Africa inferiores appellare ſic vetat, & non vetat Superiores, colligere eam Pontificis Primatum repuliſſe, nonniſi vel nequiſſimus, vel ignorantiſſimus poteſt.

Secundò falſum eſt, quod in Concilio Mileuitanò id conſtitutum ſit, ſed in ſolo Carthaginenſi ea de re actum, quod quanti animaduertiſſe referat, tunc apparebit, quando non aduersùs Papam, quod eſt tertium Anonymi mendacium, ſed ex præſcripto Papæ ibi omnia geſta fuiſſe demonſtrauero.

Canones, qui à Collectoribus Concilio Mileuitano ſecundo tribuuntur, eius reuera non eſſe, multa concludunt. In Præfatione habitum ſcribitur 6. Kal. Decemb. Arcadio, & Honorio Coſſ. In eo tamen articulatim damnatur hæreſis Pelagiana, quæ vt ſcribit Proſper in Chronico, pullulare non cæpit, niſi in Conſulatu Luciani, qui tantum diſtat à quincto, & poſtremo vtriuſque Principis Conſulatu, quantum annus Chriſti 413. ab anno eiuſdem 402. Hùc accedit, quòd damnatio hæreſis Pelagianæ incidit in annum penultimum Innocentij, hoc Concilium in primum: iſtud Antiſtitem habuit Aurelium, illud Siluanum, illius, & iſtius Epiſcopi diuerſi ſunt, & alia per multa, quæ prætereo, quando enim cætera omnia deeſſent, illud vnum, vt puto, ſatis eſſet, quòd omnes illi Concilio tributæ partes, alios habuerunt auctores, vt ſigillatim demonſtro.

Præfatio, & Caput 13. ſunt Concilij Mileuitani habiti Arcadio, & Honorio V. Coſſ. Apparet hoc ex Concilio Africano loco 52. & 53. in quo referuntur varia Concilia habita tempore Aurelij Epiſcopi Carthaginenſis, & hoc inter cætera.

Octo priores Canones contra Pelagium ſunt concilij Africani ſub Zoſimo habiti Carthagine Honorio XII. & Theodoſio VIII. Coſſ. Kal. Maij. Et ad teſtimonium Concilij Africani in Tomis Conciliorum accedit Proſper in Chronico ad hunc annum.

In eodem reperiuntur canones 15. 21. 22. 24. 25. 26. 27. Nonus, 12. 14. 16. 17. 18. 19. 20. ſunt Concilij Carthaginenſis Honorio VII. & Theodoſio II. Coſſ. Decimus tandem & Vndecimus ſunt Concilij Carthaginenſis Vincentio, & Flauita Coſſ. Quare ſi ad ſuos auctores hi Canones referantur, Concilium Mileuitanum ſecundum, vt vocant, præter conſtitutionem de Epiſcoporum præcedentia, quæ habetur cap. 13. nullos edidit canones. Cuius ergo ſit canon 22. de Appellationibus ad tranſmarina, inueſtigemus.

Duo ſunt Concilia Carthaginenſia, quibus tribuitur, vnum, quod habitum eſt Honorio XII., & Theodoſio VIII. Coſſ. alterum anni ſequentis. Priori tribuitur in collectione vulgata; poſteriori in epitome canonum, quam Hadrianus Primus dedit Carolo Magno. Hanc vnam veram eſſe, rerum geſtarum ſeries mihi parſuadet, quæ ita ſe habet.

Conſulatu Honorij XII. & Theodoſij VIII. conuocata in Concilium Africa vniuerſa legibus ſancitura, quæ incolumitati Fidei & Eccleſiaſtico regimini neceſſaria tunc videbantur, Zoſimus R. P. cui non tantùm iure Primatus ſupremi, ſed etiam iure Patriarchali ſubiecta erat, eò legauit Fauſtinum Epiſcopum Potentinum cum duobus Presbyteris, vt nomine ſuo Concilio intereſſent. Multa eis in mandatis dedit, & hæc inter cætera. [Nicænos canones, & antiquas Eccleſiæ conſuetudines conſeruati. Epiſcopos à vicinis Epiſcopis condemnatos ſemel, & iterum appellare poſſe Romanam Sedem. Eoſdem importunè ad comitatum non nauigare. Presbyteros, & alios inferiores Clericos excommunicatos ab Epiſcopis ſuis, antequam ad concilia prouinciæ prouocarent, à vicinis Epiſcopis audiri poſſe. Vrbanum Epiſcopum Siccenſem, ſi non corrigeret emendanda, aut excommunicari, aut Romam mitti.] Quæ de Concilio Nicæno, & conſuetudinibus à Legatis relata ſunt, libenter audita fuerunt à Patribus, quæ verò de appellationibus, non ita. Quare, à ſe ea ſeruata iri eòuſque tantùm, Zoſimo pollicici ſunt, quouſque Nicæni Canones, quos ſeruari iubebat, & tunc ipſi præ manibus non habebant, reperirentur. Ita ſcripſerunt ipſi anno ſequenti ad Bonifacium Zoſimi ſucceſſorem. [Quorum omnium, de primo, & tertio, ideſt vt Romam liceat Epiſcopis prouocare, & vt Clericorum cauſæ apud Prouinciarum ſuarum Epiſcopos finiantur, iam priore anno etiam literis noſtris ad eundem Venerabilis memoriæ Zoſimum Epiſcopum inſinuare curauimus, vt ea ſeruare ſine vlla eius iniuria pauliſper fineremus; vſque ad inquiſitionem concilij Nicæni.] Hinc colligo, canonem de Appellationibus Presbyterorum decretum non fuiſſe in eo Concilio, indè enim disertè Patres ad Pontificem ſcribunt, id ſe non paſſuros, niſi vſquequo exemplaria Nicæna reperiantur. Hæc dum requiruntur, Zoſimus migrat è vita, & in locum eius ſufficitur Bonifacius. Poſtquam verò Canones, quos Cæcilianus vnus ex Patribus 312. attulerat Nicæa Carthaginem, reperti ſunt, anno ſequenti, Chriſti ſcilicet 419. iterum Carthagine coeunt Legati cum Patribus Africanis. Sed con-

controuerſia exorta de fide canonum Nicænorum, quòd canones à Zoſimo in Commonitorio citati tanquam Niceni non reperirentur in exemplari Africano, communi conſenſu decernitur, vt peculiari legatione Canones Nicæni petantur ex Archiuijs Aleſtandriæ, Antiochiæ, & Conſtantinopolis. Interea tamen ſeruarentur mandata Zoſimi, de omnibus certior fieret Boniſacius, ab eoque geſtorum approbatio peteretur, quod faciunt his verbis. [Et nunc de tua poſcimus Sanctitate, quemadmodum ea apud Nicæam (ob reuerentiam Papæ Sardicenſes canones Nicænos appellabant) à Patribus acta, vel conſtituta ſunt, ſic ea à nobis facias cuſtodiri, ideſt, &c.] Rogant Pontificem, vt quæ Zoſimus iuſſerat, ſeruari faciat in Africa, nihilominùs hæretici dicunt, Patres illos tunc excuſſiſſe iugum poteſtatis Pontificiæ, quàm impudenter? Taudem Aurelij Epiſcopi Carthaginenſis rogatio ſequuta eſt, vt legerentur Canones Nicæni, [& quæ hìc ſalubriter, inquit, à noſtris deceſſoribus, ſecundùm eiuſdem Concilij normam, vel qua nunc à nobis ordinata ſunt.] Placuit hoc Patribus, lectumque eſt ſymbolum Nicænum. Habentur hæc in Concilio Charthaginenſi ſexto, ſed cætera, quæ ſequuta ſunt, deſiderantur. Canones tamen, qui in ea Synodo lecti, & conſtituti fuere, habentur in epitome Hadriani Papæ ad Carolum Mag. cum hac Præfatione. [Poſt Conſulatum Honorij, & Theodoſij Aug. 8. Kal. Iunias in ſecretario Baſilicę Fauſti, cum Aurelius Papa, vnà cum Legatis Romanæ Eccleſiæ Fauſtino Epiſcopo Eccleſiæ Potentinæ Prouinciæ Italiæ Picenæ, & Philippo, & Aſſello Presbyteris, necnon Auguſtinus Epiſcopus Hipponenſis, & reliqui 217. Epiſcopi conſediſſent, primùm recitato commonitorio, quod Zoſimus Papa ad Prædictos Legatos direxit, deinde etiam 20. capitulis. Nicæni Concilij recitatis, vt ſuperius deſcripta inueniuntur, communi decreto ſtatuerunt capita 37. quæ ſubſequuntur.] Inter quæ duodetrigeſimum eſt capitulum de appellationibus. Subſcripſerunt inter cæteros Presbyteri Legati hunc in modum. [Philippus, & Aſellus Presbyteri R. E. Legati his geſtis ſubſcripſimus, per nos relictis, & directis.] Colligas hinc, Lector, Canones iſtos per legatos à Papa ad Concilium miſſos, ibique eorum manu obſignatos relictos fuiſſe. Non ergo canon à Patribus Africanis contra pontificem, ſed potiùs pontificis iuſſu Patribus vtcumque reluctantibus decretus eſt. Quòd ſi ita eſt, quis ſibi perſuadeat, hunc canonem aduerſari pontificis primatui? Ipſe ſcilicet Pontifex tabulis obſignatis euerſum ierit dignitatem ſuam? Legati Romani Africam etiam reluctantem, & inuitam à Romanæ Sedis regimine ad libertatem compulerint? Sunt Paradoxa prorsùs incredibilia. Iam ergò mendacijs hæreticorum detectis intelligentiam canonis ex occaſione, & circumſtantijs eius inquiramus.

Poſtquam Patres Nicœni can. 4. conceſſerunt Metropolitanis confirmationes ſuffraganeorum, & can. 5. Synodicis prouincialibus ius cognoſcendi de iudicijs Epiſcoporum comprouincialium, ſi clericos, vel laicos excommunicaſſent, canone ſexto declararunt, vt diximus ante, ſe ideò non derogaſſe Patriarcharum iuribus, qui ex antiqua conſuetudine Romani inſtar horum omnium poteſtatem habebant, quam ſartam tectam conſeruari iuſſerunt. Idcircò ex Concilio Nicœno liberum erat excommunicatis ab Epiſcopis ſimplicibus, prouocare immediatè, vel ad Concilia prouincialia, vel ad patriarchas. Romani pontifices, in quorum Diœceſi Africa erat, iure vtentes ſuo, quoties indè ab excommunicatis presbyteris, & clericis appellabatur, eos audiebant, etiam antequam de iudicijs Epiſcoporum à Concilijs prouincialibus cognoſceretur. Multa abſurda ob locorum diſtantiam ſequebantur has appellationes, & tunc maximè vſu venerat, vt Appiarius presbyter Siccenſis, cui tanquam innocenti Zoſimus communionem reſtituerat, iudicio coram legatis in Africa, repetito, ore proprio ſe reum fateretur omnium delictorũ, de quibus ab Epiſcopo Siccenſi damnatus, Romæ abſolutus fuerat; tanquam innocens. Quare ne amplius ſimilia contingerent, Zoſimus conſtitui iuſſit, ne presbyteri, & clerici inferiores excommunicati à ſuis ordinarijs ab eorum iudicijs appellarent Apoſtolicam Sedem, ſed adirent vicinos Epiſcopos primùm, ſi vellent, dein Concilia prouincialia, & Metropolitanos, vt vel cauſæ hac iudiciorum ſeriè diſcuſſæ in prouincijs proprijs finirentur, vel ſaltem fraudibus reorum, & dolis, antequam Romam venirent, via præcluderetur. Hoc illud eſt, quod canone illo cauetur, addito, quòd ſi quiſpiam ita excommunicatus à iudicijs, non Conciliorum, aut primatum, ſed ordinariorum tantùm appellaret Apoſtolicam Sedem, appellatio ei non ſuffragaretur, quominùs ea pendente in Africa haberetur tanquam excommunicatus. Quid hìc, quæſo, eſt contra primatum Papæ? Non tolluntur hoc canone appellationes à primatibus, & à Concilijs Africę ad pontificem, quis enim in Patriarchatu Romano id negaret Papæ, quod in propria cuiuſque Diœceſi omnibus Patriarchis iure debetur? Solæ, Solæ immediatæ appellationes ab Epiſcopis ſimplicibus Africæ ad Romanam Sedem interdicuntur, & hoc obſtat Primatui? Si ita eſſet, nullus princeps ſupremus eſſet ſuæ Reip. caput, quia nonniſi per intermedios Magiſtratus ad eorum iudicia ſubditorum cauſæ deuoluuntur. Immò cauſas humiliores non ſolent audire ipſi, ſed permittere eas Magiſtratibus ſuis, à quibus interdùm etiam appellari ſe non patiuntur. Quò ſpectaſſe videntur Africani ad Cæleſtinum ſcribentes. [Presbyterorum, & aliorum ordinum inferiorum improba refugia, ſicut te dignum eſt, repellat Sanctitas T.] Quaſi dignæ non eſſent huiuſmodi cauſæ, in quibus occuparetur Romana Maieſtas. Quòd ſi quiſquam hinc colligat, Africam repuliſſe iugum Romanę Sedis, multò faciliùs alius quiſpiam collegerit Imperatori Præfectos Prætorio non fuiſſe ſubiectos, [quorum auctoritas in tantum meruit augeri, vt appellari à præf. præt. omninò non poſſet.] Tentarunt etiam Patres Africani, quod de presbyteris, & inferioribus Clericis decretum fuerat à Zoſimo, hoc ipſum impetrare à ſucceſſoribus de cauſis Epiſcoporum; ſed fruſtra, quia cauſas grauiores, & Epiſcoporum

Iudicia ſemper reſeruauit ſibi Apoſtolica Sedes. Certè poſtquam anno 422. acceperunt ex oriente exemplaria Nicæna ad Cæleſtinum Bonifacij ſucceſſorem ſcribentes dixerunt. [Præfato itaque debita ſalutationis officio, impendio deprecamur, vt deinceps ad veſtras aures hinc venientes non faciliùs admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem vltrò velitis excipere, quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum, facilè aduertet, Ven. T. Nam etſi de inferioribus Clericis, vel Laicis videtur ibi præcaueri, quantò magis hoc de Epiſcopis voluit obſeruari? ne in ſua Prouincia communione ſuſpenſi, à tua Sanctitate, vel feſtinato, vel præproperè, vel indebitè videantur communioni reſtitui.] Non dicunt Cæleſtino ne admittat, ſed addunt, faciliùs, non dicunt, excommunicatos in Africa non poſſe reſtitui Romæ, ſiue Clerici ſint, ſiue laici, ſed ſe rogare tantùm, ne reſtituerentur feſtinatò, præproperè, indebitè, vt Appiarius à Zoſimo, quia præuenerat iudicia Metropolitani, & Synodi Prouincialis. Dum verò rogant Pontificem, ne reſtituat feſtinatò, præproperè, indebitè, quis non videt laudare eos, rogare, petere, vt conſideratè tantùm, & iuſtè reſtituat? Siccine verò impugnatur primatus? Quanti Africa fecerit iudicia Papæ, ſi à concilijs ad eum prouocaretur, docebit te Auguſtinus epiſt. 162. ſcriptorum omnium calamis celebrata.

CAPVT XII.

Refelluntur obiectiones Anonymi contra Concilia Lateranenſe quartum ſub Innocentio Tertio, & Florentinum ſub Eugenio Quarto.

CApite Sexto ſui Papatus ſolita ſua modeſtia, eruditione, & ſolertia Anonymus verſat ſe circa duo concilia Generalia, Lateranenſe quartum, & Florentino. Eius nugas, & mendacia ſigillatim nec refero, nec refello, quia (ita me Deus amet) pudet iam puditiſſimis hiſce rebus immorari. Concilium Lateranenſe frequentiſſimum, & celeberrimum agnoſcit, & ex Æmilij lib. 6. refert hæc verba: [Porrò hoc concilium duodecimum generale cenſetur, quòd omnium, quæ vnquam fuerunt in vniuerſa Eccleſia, celeberrimum extitit. Præter Rom. Pontificem, qui Concilio præfuit, ex quatuor orbis terrarum nobiliſſimis Patriarchis duo interfuere, Bizantinorum ſcilicet, & Hieroſolymitanorum. Antiochenſis excuſatione morbi vſus, Sacerdotes Legatos ſanctos viros miſit, Alexandrinus ab Ægyptij vetitus eſt proficiſci, ſed è ſuis Oratores miſſi ſunt.] Adijcere potuiſſet Anonymus Abbatem Vrſpergenſem, & Matthæum Pariſium eorum temporum ſcriptores, quorum iſta vtriuſque ferè verba ſubijcio.] Eodem anno, id eſt Dominicæ Incarnationis 1215. celebrata eſt Romæ ſancta, & vniuerſalis ſynodus in Eccleſia S. Saluatoris, quæ Conſtantini ana appallatur, menſe Nouembri præſidente Papa D. Innocentio iij. Pontificatus eius anno xviij. In quo fuerunt Epiſcopi 412. inter quos fuerunt de præcipuis Patriarchæ duo, Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus. Antiochenus verò graui languore detentus, venire non potuit, ſed miſit pro ſe Vicarium ſuum Antididenſem Epiſcopum. Alexandrinus verò ſub Saracenorum dominio conſtitutus fecit, quod potuit, mittens pro ſe Germanum ſuum. Primates verò, & Metropolitani 77. Abbates & Priores vltra 800. Procuratores quoque Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, Priorum, Capitulorum abſentium tantus non fuit numerus. Legatorum verò Imperatoris Conſtantinopolitani, Regis Siciliæ in Romanorum Imperatorem electi, Regis Franciæ, Regis Angliæ, Hungariæ, Hieroſolymitani, Cypri, Aragonum, nec non aliorum principum, & magnarum Ciuitatum, & aliorum locorum ingens adfuit multitudo.]

In hoc concilio Capite quinto ita decretum eſt. [Antiqua Patriarchalium ſedium priuilegia renouantes ſacra vniuerſali Synodo approbante ſancimus, vt poſt Romanam Eccleſiam, quæ diſponente Domino ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, vtpotè mater Vniuerſorum Chriſti fidelium, & magiſtra, Conſtantinopolitana primum, Alexandrina, ſecundum, Antiochena tertium, Hieroſolymitana quartum locum obtineant, ſeruata cuilibet propria dignitate, ita quòd poſtquam eorum Antiſtites à Rom. Pontifice receperint pallium, quod eſt plenitudinis officij Pontificalis inſigne, præſtito ſibi fidelitatis, & obedientiæ iuramento, licenter & ipſi ſuis ſuffraganeis pallium largiantur, recipientes pro ſe profeſſionem canonicam, & pro Romana Eccleſia ſponſionem obedientiæ ab eiſdem.

Dominicæ verò Crucis vexillum ante ſe faciant vbique deferri, niſi in vrbe Roma, & vbicumque ſummus Pontifex præſens extiterit, vel eius Legatus veus inſignijs Apoſtolicæ dignitatis.

In omnibus autem Prouincijs eorum iuriſdictioni ſubiectis ad eos, cum neceſſe fuerit, prouocetur, ſaluis appellationibus ad Sedem Apoſtolicam interpoſitis, quibus eſt ab omnibus humiliter deferendum.] Hactènus Concilium.

Huic decreto oblatrat Anonymus, ipſumque falſitatis accuſat, & impoſturæ maximus ipſe falſarius, & impoſtor falſum eſſe dicit, quia neque Antoninus eius mentionem fecit in hiſtoria, neque Innocentius IV. commentarijs ipſū illuſtrauit. Neque eum pudet aſſerere, quòd Antoninus omnia acta eius Concilij ſcripſerit; & Innocentius omnes Decretales Greg. IX. interpretatus ſit. Quaſi nemo, aut Innocentij Commentarios, aut Antonini hiſtorias habere poſſit, vnde mendaciſſimam eius impudentiam arguere queat. Obiecta mox alia. Primum quòd Innocentius finxerit, orta eſſe controuerſiam de præcedentia inter Patriarchas, Alexandrinum & Conſtantinopolitanum, vt hac occaſione ſe ceteris Patriarchis ſuperiorem faceret. Secundum, quòd Patriarcha Alexandrinus huic Concilio non interfuit, & non conſtat de mandato oratorum miſſorum ad tractandum de hac cauſa. Tertium, quòd hæc aſſerta ci-

diſcordia iam definita fuerat in Concilio Conſtantinopolitano, cuius ſententiæ vigore Patriarcha Conſtantinopolitanus à Iuſtiniano confirmationem, ſpeciale priuilegium, atque poſſeſſionem obtinuit.

Cur igitur ea, quæ ſemel ſancita fuerunt, & diuturno tempore obſeruata, iterum in dubium reuocari oportuit? Pontifex Romanus cæteris Patriarchis ſuperior non eſt, ſed per dictum Canonem ſe ſuperiorem conſtituit, vt obedientiam, ac fidelitatem contra expreſſa Concilia illi iurent, ideò ſententia lata contra Concilia non valet. Quartum, quòd tranſlata poteſtate Papæ in Imperatorem an. 963. de anno 1215. Innocentius non poterat iudicare. neque ad Rom. Pontificem, ſed ad Imperatorem ipſum pertinebat. Ergo aſſerta Innocentij ſententia tanquam à priuato lata remanet, & nullius valoris eſt, de quo poteſtatis defectum omni perpetuo tempore, & à quocunque opponi poteſt. Quintum, quòd hæc ſententia nunquam in Patriarchatu Conſtantinopolitano recepta eſt, & hæc omnia epilogo ſtringes, ſic tandem concludis. Quare cum Patriarcha Alexandrinus Romam non venerit, eiuſque miſſi legati ad hoc mandatum non habuerint, & Pontifex Romanus in alienam meſſem poteſtate carens falcem immiſerit, ſeque ſuperiorem fecerit contra decreta Conciliorum, quæ tanquam Euangelica obſeruanda ſunt, neque ipſa diſpoſitio vſu recepta fuerit, quis vnquam ſani iudicij vir, hunc aſſertum Canonem impoſturam eſſe non affirmabit?

Nos verò breuiſſimè reſpondemus ad primum, mentiri Anonymum, qui ſine vllo teſte hanc cauſam finiiſſe Innocentium affirmat, & hominem in apertiſſimis mendacijs toties deprehenſum iure mendacem pręſumimus ex regula; [Semel malus ſemper præſumitur malus.] Eius decreti cauſa fuit hæc quamquam Vigilius Papa, & eius ſucceſſores Conſtantinopolitanum Patriarchis annumerari permiſerint, nunquam tamen, niſi in hoc Concilio ei detulerunt ſecundum à Romano locum, quare vtcumque auctoritate Principum, & patientia partium, quæ Principibus reſiſtere non poterant, Conſtantinopolitani Epiſcopi Alexandrinis præſiderent, vt conſtat ex ſexta, & ſeptima Synodo, & alijs omnibus, non tamen legitimè, quamdiu defuit Pontificis aſſenſus. Hinc Nicolaus I. 400. annis poſt Concilium Chalcedonenſe ad conſulta Bulgarorum reſpondens cap. 95. Inquit: [Porrò quis Patriarcharum ſecundus ſit à Romano conſulitis, ſed iuxta quod ſancta Romana tenet Eccleſia, & Nicæni Canones innuunt, & ſancti Præſules Romanorum defendunt, & ipſa ratio docet, Alexandrinus Patriarcharum à Romano ſecundus eſt.] Et poſt Nicolaum annis ducentis Leo IX. ep. 1. ad Michaelem Conſtantinop. [Cùm nullo diuino, vel humano priuilegio honorabilior, ſeu clarior alijs Eccleſijs Conſtantinopolitana exiſtat Eccleſia, & Antiochena, atque Alexandrina ob reuerentiam Principis Apoſtolorum inter alias retentent dignitatis iura, tamen pia mater Romana, ſcilicet Eccleſia, nolens dilectam filiam dote honorificentiæ ex toto carere, per beatos prædeceſſores noſtros in aliquot ſynodis curauit decernere, vt ſalua principalium, & Apoſtolicarum ſedium antiqua dignitate, Conſtantinopolitanus Antiſtes honoraretur ſicut Regiæ Ciuitatis Epiſcopus, quamuis Iuſtinianus Religioſus Auguſtus, legibus humanis voluiſſet adſtruere, vt poſt Papam Romanum ſedeat Conſtantinopolitanæ Præſul Eccleſiæ.] Talis igitur ſtatus erat priuilegiorum Conſtantinopolitani Patriarchatus ante Innocentium. At vbi per Romanum Pontificem in hoc Concilio roborata ſunt, tunc demùm legitima eſſe cępere, neque vltra de præcedentia Conſtantinopolitani dubitatum eſt.

Ad ſecundum de mandato oratorum reſpondemus, quòd aſſenſum iam pręſtiterant priuilegijs Conſtantinopolitanis tam Alexandrinus, quàm Antiochenus. Quare, vt legitima, & canonica cenſerentur, ſola approbatio Pontificis deerat, quam adiecit in hoc Concilio. Hanc verò, vt poſſet præſtare Pontifex, non opus erat mandato Patriarchæ Alexandrini.

Ad tertium reſpondemus, fortiùs militare hanc obiectionem contra Concilium Conſtantinopolitanum, contra Chalcedonenſe, contra Synodum Quini ſextam, & contra conſtitutionem Iuſtiniani, quibus innititur primatus Conſtantinopolis, quàm contra hunc canonem Lateranenſem. Iiſdem ſcilicet verbis contra Conſtantinopolitanum dicam ego. Cur ea, quæ ſemel ſancita fuerant, & 400. propemodum annis obſeruata, iterùm in dubium reuocari oportuit? Imò hoc ipſo argumento vſus eſt contra Anatolium in Concilio Chalcedonenſi Lucentius Romanus Legatus. [Si his temporibus hoc beneficio vſi ſunt, quare requirunt?] Requiſierunt verò à Pontifice conſenſum in hoc Concilio Conſtantinopolitani, quia ſicut nunquam fuerunt legitimi Patriarchæ, niſi poſtquam Conciliorum decretis calculum ſuum adiecere Pontifices, ita ſciebant, ſe eſſe malæ fidei poſſeſſores, quamdiu ſecundum inter Patriarchas locum tenerent, repugnante Romana Sede. Neque diuturnitas temporis eis ſuffragabatur, ſi vera à te ſcribuntur, c. 7. [Quando enim conſtat de titulo inualido, inquis, tunc ceſſat bona fides, & clarè apparet mala, quæ impedit præſcriptionem etiam mille annorum] cap. fin. de præſcript. Quare cùm præcedentiam ſuam Conſtantinopolitani referrent ad Canonem Conſtantinopolitanum, qui in Synodicis non habebatur, & ad Chalcedonenſem ſubreptitium, quem reprobauerat Pontifex, quo repugnante Canones Eccleſiaſtici nulli ſunt, eaque infantili ratione, quòd Conſtantinopolis eſſet noua Roma, ornataque Imperio, & Senatu, titulum inualidum, & nullum prætexebant, & conſequenter præcedentiam illam nunquam pręſcripſiſſent. Hæc illa cauſa eſt, propter quam tamdiu poſt Concilium Chalcedonenſe Conſtantinopolitani hoc decretum à Romano Pontifice Innocentio popoſcerunt, & impetrarunt, qui ideò hanc controuerſiam non renouauit, vt garris, ſed terminauit.

Quod addis, ex Conciliorum ſententia Papam cæteris Patriarchis ſuperiorem non eſſe, quale mendacium ſit, iam ſupra oſtendi, ſoleréque Patriarchas Conſtantinopolis ſtatim, ac electi fuiſſent, dare Synodicas ad Ro-

Romanum Pontificem, fidem, & obedientiam profitentes, ſexcentis teſtimonijs demonſtratum eſt.

Ad quartum, tranſtuliſſe Papam poteſtatem ſuam in Imperatorem, falſiſſimum eſt, neque vnquam id probaſti, vel tu, vel Caluiniſta Golſtadus, à quo omnes tuas nugas mutuaris. Eſto tamen tranſtulerit: Huic Concilio interfuerunt, qui Imperatorum tam Orientis, quàm Occidentis, & omnium Principum Chriſtianorum vices gererent; quare decretum ob defectum poteſtatis illegitimum eſſe non poteſt.

Ad quintum, ſi decreta Conciliorum non obligant, niſi vſu recipiantur, neque Ariani peccabunt contra Nicænum, neque Macedoniani contra Conſtantinopolitanum, neque Armeni contra Epheſinum, & denique vnuſquiſque in ſua fide ſaluus erit. Addimus verò, iſtud decretum poſt hominum memoriam in vſu fuiſſe in Eccleſia Orientis, quando Græci Catholici fuerunt, vt in prima, & ſecunda periodo probatum eſt. Explicatus à Concilio Lateranenſi conuertit ſe Anonymus ad Florentinum, ipſumque hiſce obiectionibus arietat.

1. Obiectio. Concilio Conſtantinopolitano nullo modo repugnat Florentinum, quod nunquam in Eccleſia Græca vſu receptum fuit.

Reſp. Diſtinguimus Eccleſiam Grecam, Catholicam ab hæretica; hæreticam concedimus, Catholicam negamus non recepiſſe Concilium, ipſoque Patriarchas Græcos pro noſtra negatiua paulò poſt teſtes producemus. Adde, quòd nos quoque fatemur Florentinum non repugnare Conſtantinopolitano, ſiquidem decernit, Romanum Pontificem eſſe caput Eccleſiæ, quod Conſtantinopolitanum negauit nunquam, imò confeſſum eſt, dum Conſtantinopolitanum ſecundum à Romano eſſe decreuit.

2. Obiectio. Quomodo recipi potuit, quod ab Eugenio Romano iam depoſito in ipſo Concilio Florentino nulla auctoritate congregato, definitum fuit?

Reſp. Depoſitum fuiſſe à Conciliabulo Baſileenſi Eugenium, confitemur; at eadem prorſus ratione, qua in ſecundo Epheſino prædatorio S. Leo, excommunicatus eſt. Quare qui eum Baſileæ deiecerunt, eodem quo Dioſcorus crimine obſtricti, iure eadem cum Dioſcoro pœna mulctandi erat, [quòd contra eum ſuam extendiſsent inſaniam, cui vineæ cuſtodia à Domino commiſſa fuerat.] De auctoritate vtriuſque Concilij mox videbimus.

3. Obiectio. Quomodo recipi, quod ab Imperatore Orientis Ioanne Palæologo, à Turcis de ſede ſua expulſo, atque profugo facto, in Italiam pro auxilio habendo (vti omnes illius temporis ſcriptores atteſtantur) impetratum eſt?

Reſp. Imperatorum auctoritatem, vel irritare, vel validare acta Conciliorum generalium nemo Catholicus credit; & exempla Conciliorum, Ariminenſium, Mediolanenſis, Conſtantinopolitani pſeudoſeptimi, Epheſini prædatorii, & aliorum obuia ſunt in prima, & ſecunda periodo, eſto tamen confirment; Palæologum Turcarum armis tunc pulſum à ſede ſua, eſt vna è ſolitis Anonymi veritatibus. Nam Græcorum Imperatorum ſedem fuiſſe Conſtantinopolim, quis ignorat? Hæc autem omnium ſcriptorum conſenſu à Turcis capta non eſt, niſi anno Domini 1453. Concilium verò Florentinum abſolutum eſſe anno Domini 1442. acta ipſa teſtantur.

4. Obiectio. Quomodo recipi, quod in Conciliabulo Florentino tribus tantùm Epiſcopis Græcis Nicæno, Epheſino, & Ruſſio interuenientibus attentatum fuit.

Reſp. Concilia generalia à Conciliabulis ideò diſtinguuntur, ſi recordaris, quæ ſupra ex antiquitate Eccleſiaſtica relata ſunt, quòd Conciliorum, & conuocationi, & progreſſui aſſiſtat, & aſſentiat Papa, vel immediatè, ſicut in quinta ſynodo, vel mediatè ſicut in reliquis ſeptem ex primis octo. Si vel non aſſiſtat, vel non aſſentiatur, aut alteri, aut vtrique, non Concilia, ſed Conciliabula cenſentur. Conuocationi ſecundi Epheſini aſſenſit Papa, & eius initijs interfuerunt Legati Leonis, at progreſſui, & fini nequaquaquam. Quare Conciliabulum ſemper iudicatum eſt. Concilij Ariminenſis diffinitionibus Papa non præſtitit conſenſum, abolitum ideò, & inter Conciliabula reiectum. Concilium pſeudoſeptimum generale Patres ſeptimæ Synodi ideò ex albo generalium expunxerunt, quod ſine Papa celebratum fuerit. Longè vero deterrima habita ſunt, in quibus neque Papa, neque alij Patriarchæ interfuerunt, quod ſpeciatim pſeudoſeptimo à vero ſeptimo obiectatum eſt. Florentiæ erat Papa cum omnibus alijs Patriarchis, Baſileæ nullus; ergo vtcumque Baſileenſe cœperit, in progreſſu, Florentinum erat verum Concilium, Baſileenſe (quod ſacroſanctum appellas,) Epheſini inſtar merum Conciliabulum. Adde, quòd Baſileæ Orientalium nullus, omnes erant Florentiæ, non ergo illud, ſed iſtud ex vniuerſa Eccleſia conuocatum.

Quod dicis, eos tantùm Epiſcopos Græcos, quos nominas, interfuiſſe Concilio Florentino, more tuo agis. Lege ſubſcriptiones Patrum, quæ in manibus, & oculis omnium verſantur, & videbis vltra tres Patriarchas, & alios Patres Græcos ſexdecim Metropolitanos ſubſcripſiſſe. Quòd ſi in Occidente maiorem numerum Orientalium neceſſarium putas ad Concilium generale conſtituendum, iam delebis è numero generalium omnia prima octo Orientalia, in quibus nunquam tantum Occidentalium numerum reperias, atque ita in bullas ibunt priuilegia Conſtantinopolitana, quæ adeò inſolentèr tu iactas. Illud tamen mirandum, quòd Baſileenſe appellas Oecumenicum, & ſacroſanctum, cui nullus Græcorum interfuit; Florentinum Conciliabulum eſſe vis, quòd pauci in eo Græci. Quare pauci Græci Conciliabulum conſtituunt, nulli Oecumenicum? Nollent, opinor, Græci talem patronum.

5. Obiectio. Quomodo recipi, ſi Epiſcopus Epheſinus, qui concluſionem ſuſtinuit cum Latinis, inſatisfactum indè diſcedens, per totam Greciam contrarium prędicare incepit?

Reſp. Etiam Ariani, Macedoniani, Neſtoriani, & Eutychiani (vt tuis verbis, licèt cum nauſea, vtar) concluſionem ſuſtinuerunt

in

in Nicæno, in Conſtantinopolitano, in Epheſino, in Chalcedonenſi, & inſatisfacti iude diſcedentes contrarium vbique prædicare cęperunt, attamen tu ipſe fateris, iſta quatuor Concilia ſacrorum Euangeliorum inſtar habenda eſſe.

6. Obiectio. Et quod Epiſcopus Nicænus Beſſarion nuncuparus, & Archiepiſcopus Ruſſius Iſidorus Monachus Sancti Baſilij propter Cardinalatum ab Eugenio obtentum ſuffragia præſtiterunt, illiuſque poteſtati colla ſubiecerunt.

Beſſarionem, & Iſidorum Cardinales fuiſſe, non eſt, qui ignoret; at creatos Cardinales, vt ſuffragarentur vnioni, falſum eſt, cum vnio promulgata fuerit anno 1439. pridie nonas Iulij. Cardinales creati 25. Nouembris, vt Platina in Eugenio IV. teſtis eſt. Et æquum erat, etiam Eccleſiam Orientalem nos conſortem habere ampliſſimæ dignitatis, qua Græcis pateret aditus ad ſummum Pontificatum, ne Eccleſia Romana communis parens fidelium, Græciæ ſoli nouerca videretur. [Numquid verò ego malus ſum, inquit Redemptor, quia oculus tuus nequam eſt?]

7. Obiectio. Denique quomodo recipi potuit, ſi Ioſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui cum ipſo Imperatore Palæologo profugi in Italiam venerant, infrà paucos dies in eodem Conciliabulo mortuus eſt?

Reſp. Non à Patriarchæ Conſtantinopolis aſſenſu pendere debet Oriens, alioquin in Concilio Epheſino primo ſequi oportuiſſet Neſtorium, Monotheliſmoque, & Iconomachiſmo inualeſcentibus, portenta illa, quæ Conſtantinopolitanam Sedem tenuerunt. Si tamen ſequendus vnus fuiſſet Orientalibus Ioſephus, ſciat Anonymus illum obijſſe non intra paucos dies, ſed poſtquam cum Latinis Græci conuenerant de præcipuo capite controuerſiæ, quanquam vnionis literæ nondum eſſent expeditæ, vt videre eſt in vltima eiuſdem Concilij ſeſſione, cuius tempore obijt; Imò qua ratione obierit Ioſephus, Gręci ipſi in Concilio ità narrant:

[Dum autem hæc agerentur, inclinante iam die increbuit, Patriarcham noſtrum mortem ſubitam obijſſe. Accurrimus, ac ipſum mortuum vidimus. Et nobis cauſam tam ſubitæ mortis quærentibus, eius famuli reſponderunt, ipſum poſtquam cœnaſſet, in penetrale domus ſcribendi cauſa (vt ſui moris erat) intraſſe, dum verò ſcriberet, tremore, ac animi languore affectum ſtatim occubuiſſe. Cupientes autem videre, quidnam tum literis mandaret, has literas iam iam ſcriptas offendimus.]

Ioſeph miſeratione diuina Conſtantinopolis nouæ Romæ
Archiepiſcopus, ac Oecumenicus Patriarcha.

[Quoniam ad extremum vitæ meæ perueni, idcircò pro meo munere dilectis filijs benignitate Dei meam ſententiam his literis palàm facio. Nam quæ Domini Ieſu Chriſti Catholica, & Apoſtolica Eccleſia Romæ veteris ſentiat, ac celebret, omnia me quoque ſentire, credereque profiteor, ac ipſis plurimùm acquieſco. Beatiſſimum autem Patrem, & ſummum Pontificem Romæ veteris Papam Domini Noſtri Ieſu Chriſti Vicarium eſſe concedere, atque animarum purgatorium eſſe non inficior. Datum Florentiæ die octauo menſis Iunij 1439.] Eiuſque ſententiam ad amuſſim ſequuti ſunt Patres Gręci. Iam ergò omnia diuerticula perfidiæ Anonyme præcluſa vides, quando Patriarcha Ioſephus, dum ante Dei Tribunal iam iam ſiſtendus eſſet, liber proindè ab omnibus illis curis, quæ humanam mentem obnubilare poſſunt, Primatus controuerſiam hac ſuprema ſententia, quaſi Cygnæ à voce diremit.

Probare mox pergit Anonymus, Concilium Florentinum in Græcia non fuiſſe receptum, quod vtinam bono illius glorioſſimæ gentis, ſicut pleraque omnia mentiretur, ſed audiat illum ipſum Gennadium, quem hic falsò aſſerit ſucceſiſſe Ioſepho in Patriarchatu, cùm Panuinij, & aliorum omnium teſtimonio ſucceſſerit Gregorio Protoſyngelo. Gennadius itaque poſt euerſum Imperium Orientis aduersùs defectionem Græcorum grauiſſimè ſcribens, inter cætera inquit: [Quid euenit nunc noſtra memoria ſub Nicolao Quinto Pontifice Maximo? Cùm Legati à Conſtantino Imperatore, qui vocabatur Dragaſes, ad eum miſſi adhuc ſuperſint, quibus literas dedit plenas timoris, & horroris, vbi apertè cum execratione propherizat excidium, & internecionem extremam infęlicium Græcorum, in quibus poſt alia multa (cum conuitia, & probra reſciſſet, quæ quotidiè à Græcis impudentiſſimè iactabantur) mirè, & hoc dicit. Omnes gentes decretum, quod ſancitum eſt, receperunt: Græci verò neque receperunt, neque ſpes eſt eos vnquam recepturos, quæ ſuper concordia, & vnione decreta ſunt. Procraſtinationes enim procraſtinationibus ab eis ſemper prætexuntur excuſationes, & reſponſiones in ſingulis. Neque verò Græci arbitrentur Romanum Pontificem irà eſſe mente deſtitutum, omnemque Occidentalem Eccleſiam, vt non intelligat, quæ in ſingulis dilationibus reſpondendo nugantur. Optimè cuncta nouimus, ſed toleramus in Ieſum reſpicientes ſempiternum ſacerdotem, & dominum, qui ſterilem illam ficum, vſque ad annum tertium iuſſit aſſeruari. Agricola iam ad excindendam arborem ſe accingente, quia nullum ferebat fructum! O magnam calamitatem, anno 1451. hanc conſcripſit epiſtolam, & 1453. capta eſt Conſtantinopolis. Num poteſtis dicere hæc vera non eſſe? minimè gentium, cùm id ſit manifeſtum, & res ipſa apertè loquatur. Tres inquit annos expectabimus, ſi vos fortè à ſchiſmate, & ſeparatione conuerteritis, & vos verè decreto adiunxeritis ſecundùm Saluatoris de ficu pręceptum. Si verò non, excindemini, ne terram orioſam, & inutilem reddatis, Hoc miraculorum miraculum maximum, quod in epiſtola ipſa inquit Nicolaus Papa, Græcorum gens illa magna, & formidabilis, ſapiens, clara, fortis, terrarum domina ob diuinam vltionem ita in Barbarorum ſeruitutem abducta ſit.] Hæc Gennadius, qui vbi miſerabiliſſimè gentis ſuæ excidium deploraſſet, varijſque argumentis in hanc ſolam defectionem cauſam tantarum cladium retuliſſet, commemoratis peccatis, propter quæ potiſſimùm Hebræorum

rum

Digitized by Google

rum natio euerſa, & diſperſa eſt, ſubdit hæc verba: [Noſtra verò natio (proh infortunium, proh dolor) neque idolis ſeruiuit vnquam, neque Dei filium crucifixit, qua de cauſa tam acerbè vexatur? ſed non ſolùm eadem, verùm etiam multò peiora, quàm impij Iudæi perpetitur. Ij namque in ſeruitutem abducti omnium gentium facti ſunt ſerui, vt omnibus inuiſi, & Dei hoſtes; nos verò non ſolùm gentium facti ſumus ſerui, ſed etiam Iudæis ipſis, qui ſunt ſerui omnium gentium. O meam calamitatem! Nonne reliquum eſt plorare, & lamentari, ac diſquirere cauſam, & videre propter quæ patimur hæc. Ego verò aliam non poſſum inuenire (neque enim virtute noſtra natio cæteris gentibus peior eſt, imò verò melior, nam dictum eſt, verèque dictum nationem noſtram omnes nationes virtute, & moribus antecellere) niſi ſchiſma, & quòd ſe ſubtraxerit ab obedientia, & ſubiectione Eccleſiæ Romanæ,eam, & ſolam decerno cauſam interitus noſtræ gentis, quia poſtquam ab ea diuiſi ſumus, maledictionem accepimus, & patimur, quæ nos patimur: Nec ideò pœnitet nos, ſed deteriores euadimus, & maledictis impetimus ipſam Eccleſiam, dicenda, & tacenda aduersùs eam impudenter euomimus.] Hactenus Patriarcha Conſtantinopolis, qui alijs permultis neruoſiſſimis argumentis, & grauiſſimis auctoritatibus decretum Florentinum de Primatu Romani Pontificis confirmat, è quibus vnam, aut alteram Anonymum græcizantem audire volo, ſeſs.8. cap. 4. ex actis ſancti Martyris Maximi cum Theodoſio Epiſcopo,Cæſareæ Monothelita, Maximum ita loquentem inducit: [Domine non audeo hac de re à vobis capere aſſentionem, cũ ſim ſimplex monachus, ſed quoniam pupugit vos Deus, vt exciperetis Sanctorum Patrum voces, vt Canon docet, Romam de hac re ſcribite, vel Imperator, vel Patriarcha, vel Synodus,quæ ibi eſt, & poſt alia: Neque vitabit Imperator, vel Patriarcha imitari Dei humilitatem inter ſe ſeq; concorditer conſtituere, ſynodali petitione ad Romanum Pontificem tranſmiſſa ſeſs.12. ex Theſauris S.Cyr. Alexandrini. Oportet nos tanquam membra caput ſequi Romanum Pontificem, & Apoſt. Sedem,à qua debemus petere quid credere, & ſentire debemus, ac tenere: quia ipſius tantum eſt confutare, redarguere,confirmare, ordinare, ſoluere, & ligare, ſeſſ. 16. ex Theodoro Studite epiſtol. ad Paſchalem Papam. Audi Apoſtol. cap.à Deo electe paſtor Ouium Chriſti, clauiger Regni Cœlorum Petra fidei, per quam ædificata eſt Catholica Eccleſia. Nam tu es Petrus Petri Sedem exornans, & gubernans, [& poſt quædam: Huc ades ab Occidente, exurge, & ne repellas in finem, tibi namque dixit Chriſtus Deus noſter, & tu quandoque conuerſus, confirma fratres tuos. Et infrà: Vos igitur verè illimis fons, ac ſincerus iam indè à principio veræ fidei, vos ab omni hæreticorum proceſſu longè poſiti, ſecurus totius Eccleſiæ portus. Vos electa à Deo Ciuitas ad ſalutis refugium.] Et demùm ſeſs. 17. ex Theodoro Studite ex perſona omnium Præpoſitorum ad Michaelem Imperatorem: [Nos diluimus omnes dubitationes veſtras. Si verò aliquid dubitare, vel non credere videtur veſtra diuina magnificentia, eius rei explicatio à Pontifice piè eſt poſtulanda, magna,& à Deo firmata manus veſtra, vt publicè cupida vtilitatis, iubeat à veteri Roma capere declarationem, vt à principio à patribus noſtris eſt traditum. Ea ò Chriſti imitator Imperator inter omnes Eccleſias Dei ſummum, & ſupremum obtinet locum, cuius Petrus tenuit primam Sedem, & ad Nauratium: Non implebitur auris mea à vocibus auditionis, teſtor nunc coram Deo,& hominibus, diuiſi ſunt à corpore Chriſti, & à ſuprema Sede, apud quam Chriſtus depoſuit claues fidei, aduersùs quam portæ inferi à ſæculo non præualuerunt, nec præualebunt, vſque ad conſummationem eius, hæreticorum videlicet effrenata ora,ſecundum promiſſionem veracis Domini.] Hæc pro Concilio Florentino Græcus Patriarcha Catholicus ex antiquis Græcis Catholicis; quare ſine piaculo non poteſt Anonymus defectionis notam inurere Græciæ vniuerſę. Græcos, ſed hæreticos, ſed Arianos, ſed Neſtorianos, ſed Monothelitas, Iconomachos, & alios ſui ſimiles, dicat Primatui repugnaſſe, & obſtitiſſe, & aſſentio.

Probationes ſuas proſequitur Anonymus, & inquit: [Nunc ſupereſt nullitatem deſcribere, atque in primis quantum ad præfatum Patriarchatum relationem habet, non potuit Ioſephus illi præſtare conſenſum, quoniam Prælatum ſuæ Eccleſiæ nullo modo præiudicium facere poſſe ſuppoſitum eſt. Abbas, &c. Imò ſi per præiudicium factum reditus ad Ius commune fieret, putà quod Prælatus contra priuilegium Eccleſiæ ſuæ conceſſum ageret, abſque totius ſui capituli conſenſu hoc facere non poſſe,firmatum fuit in deciſ. &c.Sed quale maius præiudicium eſſe poteſt, quàm totam Patriarchatus Conſtantinopolitani pręeminentiam Papatui Romano ſubijcere? Non potuiſſet ſolus Leo Octauus Othoni Primo Imperatori totam Papatus electionem, atque confirmationem transferre, aliaque priuilegia ſuper Eccleſiam Romanam concedere,niſi in Concilio Romæ ad hoc conuocato actum eſſet, atque ab omnibus inibi approbatum fuiſſet, vt in ſequenti cap. demonſtrabitur, cur dicendũm eſt, ſolum Patriarcham abſque generali conuentu omnium Epiſcoporum, quorum omnium intererat,Conciliabulo conſenſum præſtare potuiſſe?

Reſpon. Non conceſſiſſe Ioſephum quicquam Eccleſiæ Romanę, ſed illam ei obedientiam præſtitiſſe, quam Chriſtus præcepit, Catholica fide tenemus, neque neceſſarium putamus conſenſum cuiuſquam hominis ad ea peragenda, quæ imperantur à Chriſto. Si autem doctrina Anonymi vera eſſet, de neceſſitate Concilij Epiſcoporum ſubiectorum ad præſtandum conſenſum, quoties agitur de præiudicio Metropolitanæ, quomodo potuiſſet ſubtrahi (vt ipſe putat) in quocumque Concilio Orientali Eccleſia Conſtantinopolis ab Eccleſia Romana, & ille Patriarcha huic æquiparari, cum talia Occidentalium Epiſcoporum Concilia ad eum finem nunquam celebrata fuerint, & apertè conſtet de repugnantia perpetua Papæ, & Legatorum eius? Alias ſimiles nugas profundit Anonymus indignas, quibus reſpondeamus, quaſi, vt inquit Hieronymus, [non etiam Cirratorum

tur-

curba Mileſiorum iu ſcholis figmenta decantet, & reſtamentum ſuis Beſſorum cachinno membra concutiat, atque inter ſcurrarum epulas nugæ iſtiuſmodi frequententur.

CAPVT XIII.

Satisfit obiectionibus capitis ſeptimi.

CApite ſeptimo, ſuppoſito quòd Papa poreſtarem habeat limitatam ad ſuam Diœceſim peculiarem, Anonymus colligit, non potuiſſe prçſcribere præeminentiam ſuper alios Patriarchas, quia Iuriſdictio Epiſcopalis præſcribi nullo modo poreſt. Nos verò per regulam de oppoſitis, quia iura Epiſcopalia præſcribi non poſſunt, colligimus, Epiſcopos Orientis non potuiſſe præſcribere libertatem à Romana Sede, cum iure tam diuino, quàm humano Romanus Pontifex ſit caput vniuerſale Eccleſiæ Chriſti.

Adde, quòd ſi argumentum concluderet, cum demonſtratum ſit, ab initio Epiſcopum Conſtantinopolis fuiſſe in ſpeciali Diœceſi Patriarchatus Romani ſubiectum Metropolitano Heracleenſi, iam renunciare deberet illi Patriarchatui, pro quo aſſerendo canones toties violati ſunt, toties Eccleſia diuiſa. Vtinam nunquam temeratus eſſet ſexrus Canon Nicænus, & ſeruata fuiſſent omnibus Eccleſijs antiqua priuilegia; non enim fortè nunc parerent ſucceſſoribus Mahometis, qui recuſarunt olim parere ſucceſſoribus S. Perri ſuis legitimis, & Pontiacibus, & Pattiarchis.

CAPVT XIV.

Refelluntur commentitia priuilegia Caroli Magni, Othonis Primi Imperatorum, in quibus aſſerendis verſatur Anonymus cap. octauo.

ANonymus capiti octauo Marſilianum hunc ritulum præfigit: [Papam ex diſpoſitione Concilij generalis eſſe ſubditum Imperatori, & ab eo inueſtituram petere oportere.] In eo verò poſt nugas, conuitia, & mendacia contrà Cardinalem Baronium in arenam deſcendit de duobus capitulis diſt. 63. Hadrianus, & in ſxnodo, quorum vtrumque falſi arguit Cardinalis. Mutuatuſque à Guldinaſto ſuo varias obiectiunculas, ſus Mineruam non docere tantùm, ſed etiam caſtigare præſumit. In cap. Hadrianus, quod ex hiſtoria Sigeberti à Gratiano compilatum eſt, narratur, quòd poſtquam Carolus Magnus, obſeſſa Papia, in deditionem accepit Deſiderium Longobardorum Regem, Romam reuerſus eſt, & ibi cum Pontifice Adriano celebrauit Synodum 153. Epiſcoporum, in qua Carolo tria conceſſa ſunt 1. Poteſtas eligendi Pontificem, & ordinandi Sedem Apoſtolicam 2. Dignitas Patriciatus. 3. Inueſtituræ omnium Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum. Huius capitis falſiratem, & impoſturam quinque rationibus Baronius probat ad annum Chriſti 774.

Primò, quia Sigebertus ſcripſit poſt captum à Carolo Deſiderium annis 333. homo ſchiſmaticus, acerrimus defenſor Henrci IV. qui inueſtituras Eccleſiæ ſibi vendicabat; & ideò in eius gratiam Sigebertus ſcripſit, quod ille prætendebat. At ex ſcriptoribus rerum Francorum, qui Sigebertum tempore præceſſerunt, nullus penitùs repetitur, qui de Carolo id aſſeruerit, cum tamen qui vitam eius ſcripſerunt, nec non per ſingulos annos res ab eo geſtas, quàm diligentiſſimè digeſſerunt, de his nihil penitùs, cum tamen alioqui ijdem ſcriptores, nec minimum prætermiſerint conuentum publicè habitum, quem ſcriptis non reddiderint ſuo quolibet anno. Quonam igitur tantum mendacium introducit auctore?

Reſpondet Anonymus, tribus annis ante Sigebertum illud ipſum ſcripſiſſe. Waltramum Nauburgenſem in l. de Epiſc. inueſt. cum Sigebertus ſcripſerit ad annum 1112. Waltramus 1109. conſcio ergo, & auctore Waltramo Sigebertus id ſcripſit.

Quis fuerit Waltramus iſte, & cuius farinæ homo indè conijcias, quòd S. Anſelmus Cantuarienſis ad eum ſcribens tempore ſchiſmatis Henrici Tertij hoc vtitur exordio. [Anſelmus ſeruus Eccleſiæ Cantuarienſis Waltramo Naumburgenſi Epiſcopo. Scienti breuiter loquor. Si certus eſſem, prudentiam veſtram non fauere ſucceſſori Iulij Cæſaris, & Neronis, & Iuliani Apoſtatæ contra ſucceſſorem, & Vicarium Petri Apoſtoli, libentiſſimè vos, vt amiciſſimum, & reuerendum Epiſcopum ſalutarem.] Imò opinio eſt, ſcripſiſſe Waltramum poſt Henrici mortem illam ſacrilegam, Apologiam contrà Gregorium Septimum, quam Hulricus Huttenus publicauit an. 1600. Neque miror, quòd waltramus ſcripſerit pro Henrico, & inueſtituris, nunquam enim fuiſſet Epiſcopus, niſi violata Eccleſiæ libertare per ſimoniam ab Henrico Epiſcopatum ſibi comparaſſet. Paulus Langius, qui ſcripſit accuratiſſimum chronicon Eccleſiæ Citizenſis, (quæ & Nauburgenſis nuncupatur) narrata Guntheri Epiſcopi morte, & legitima electione Friderici, ait, hunc Veronæ adiiſſe Henricum pro inueſtitura. [Qui cauſam itineris audiens, ægrè cçpit ferre eius, quòd ſine permiſſione electus fuit. Illo quippè tempore ſub regia poteſtate Eccleſiæ libertas periclitabatur. Epiſcopos, & Abbates non virtutum merita, ſed commendabat pecunia. Cui erat minor numeros, ad regimen animarum minus erat idoneus. Itaque Citzenſis Eccleſiç pro electo ſuo interpellantibus durius reſpondetur. Sed nec Rex per inueſtituram electionem confirmare voluit, ſed abiectum Archiabbatiæ Heroueldenſi præpoſuit, & eius loco Walrabonum, qui ſequitur, creauit Epiſcopum Waltramus, qui & Walrabonus appelatur, &c.] Apud Dodechinum ad annum 1090. Extat eiuſdem Waltrami epiſtola ad Comitem Ludouicum, ex qua conijcias tanquam ex vngue Leonem, quæ eſſet hominis pietas, & religio, ſed eum ſuis coloribus delineatum videas alia epiſtola, quam ei Ludouici nomine reſpondit Stephanus Epiſcopus Haluerſtatenſis in qua, vt inquit Dodechinus, primum præſcriptum Waltramum Hæreticum Simoniacum redarguit. Quare mirum non eſt, ſi ei aue dicere noluit Sanctus Anſelmus. Huius ergo auctoris libellus, quem citat Anonymus, totis quadringentis, quinquaginta annis in tenebris iacuit orbi prorsùs

igno-

ignotus. E primus, qui in conſpectum hominum illum produxit, fuit Illyricus, cuius fidei, & integritatis homo, nouit Eccleſia. An verò honeſtum erat huiuſmodi quiſquilijs Baronium conſpurcare anuales ſuos? & fętus, quibus ſolus obſtetricatur Illyricus, inter antiquos auctores referre. Sed eſto, voluerit. Quis ei reuelauerat, quòd Sigebertus libellum iſtum vidiſſet, vt Waltramo auctort Chronographiæ ſuę inſereret hoc mendacium? Vidiſtine tu Anonyme libros omnes, quos tulit hæc ætas? Etſi verò Sigebertus Chronographiam ſuam produxit ad annum 1112.& Waltramus ſcripſit libellum iſtum anno 1109.non tamen ideò ſequitur, vt Waltramus ante Sigebertum ſcripſerit iſtud mendacium. Enim verò Chronographia Sigeberti non eſt opus vnius, aut duorum anuorum, ſed plurium, at Waltrami libellus eſt opus quatuor dierum. Iſte eodem auno, quo cœptus eſt, eodem finem accepit; ille non ita. Ab anno 774. quo Carolus Ticinum recepit, ad annum 1112. quo perijt Sigebertus, interceſſerunt anni 338. Quæ verò hoc temporis ſpatio in vniuerſo orbe geſta ſunt, ea colligere, & enucleare adeò accuratè, vt Sigebertus fecit, homo in alijs, & agendis, & ſcribendis occupatus, quis neſcit, rem eſſe diuturni laboris? ſed vter prius, poſteriuſue id ſcripſerit, parui refert; neque enim à Waltramo, ſed à Sigeberto Gratianus accepit capitulum Hadrianus, quare non Waltramum, ſed Sigebertum mendacij arguit Cardinalis, & quærit quonam auctore tantum inuexit mendacium? Reſpondet Anonymus cum Goldaſto, Auctore Waltramo Nauburgenſi; lepidum ſanè reſponſum, & ſuo auctore dignum. Non quærit, Auonyme, Cardinalis, an in mendacio ſocios habuerit Sigebertus, ſed ideò mendacij arguit illum, quòd aſſerat tale Concilium præſente Carolo celebratum, quod nullum ab antiquioribus ſcriptoribus habeat teſtimonium; cum tamen ij, qui ſcripſerunt res geſtas Caroli eo ipſo tempore, quo geſtæ ſunt, ne minimum quidem prætermiſerint Conuentum publicè habitum, quem ſcriptis non reddiderint ſuo quolibet auno. Vidit Goldaſtus vanitatem ſuam quare ad antiquiores auctores prouocat Cardinalem, & inquit.

Eutropius Longobardus, qui fuit ante Othonem primum, & ſic annis circiter ducentis ante Sigebertum, in libro de ſtatu Romanorum ſub Græcis, & Francis dictæ conuentionis ita meminit. Accipiente autem Carolo hoc regnum, profectus eſt Romam, deditque ibi donaria multa, quæ vſque hodie Romanum tenet dominium de regni huius confinibus, fecitque pactum cum Romanis, eorumque Pontifice, & de adoratione Pontificis, vt intereſſet quis legatus, & vt contentioſa lites ipſe deliberaret.

Eutropius libellum iſtum ſcripſit nũquam, quòd nõ tantùm docere te potuit Trithemius, qui omnia ſcripta eius accuratiſſimè inueſtigauit, ſed vel Illyricus ipſe, qui primus cum ſuo Catalogo teſtium veritatis illũ euulgauit.

Aſſerit enim, eſſe appendicem ad volumen Eutropij ſcriptam à quodam non admodum literato. Is tamen quiſquis eſt, quem anteriorem Sigeberto nemo probauerit, non vindicat Sigebertum à mendacio. Tria enim aſſeruntur Carolo in capitulo Hadrianus. Ordinatio Apoſtolicæ Sedis, Patriciatus, Inueſtituræ, & omnia hæc in ſynodo. At citatis verbis nil horum memoratur; quid ergo facit illiteratus iſte ad Capitulum Hadrianus. Inſuſurrat, video, neſcio quid tenebricoſi de adoratione Pontificis, de legato, de litibus dirimendis; verùm etiamſi hæc aſſuta non eſſent ab Illyrico, ſed ſcripta ab iſto ipſo illiterato auctore appendicis, non iuſtificant capitulum Hadrianus, quod verificari non poteſt ſine Inueſtitura, Patriciatu, Ordinatione, Concilio.' Pergit Anonymus cum Goldaſto.

Item Paulus Diaconus ipſius rebus geſtis interfuit, & à Carolo captiuus abductus eſt, qui in libro de Epiſcopis Metenſis Eccleſiæ ita ſcripſit. [Denique inter plura admiranda quæ geſſit, Longobardorum gentem bis ita à patre deuictam, altero eorum Rege, cui Deſiderius nomen erat, capto, &c. vniuerſam ſine graui prelio ſuæ ſubdidit ditioni, &, quod rarò fieri aſſolet, clementi moderatione victoriam temperauit. Romanos præterea, ipſamque vrbem Romuleam iam pridem pręſentiam eius deſiderantem, quæ aliquando mundi totius domina fuerat, & tunc à Longobardis depreſſa gemebat, duris anguſtijs eximens ſuis addidit ſceptris, cunctaque nihilominùs Italia miti dominatione potitus eſt.

Confutatio. Quòd Paulus Diaconus ſcripſerit librum de Epiſcopis Metenſibus non deſunt grauiſſima teſtimonia; verùm non permiſit Deus eum incidere in manus Catholicorum, vt ſine fraudibus, & impoſturis poſſet in lucem prodire. Poſtquàm delituit aliquandiù apud Melchiorem Goldaſtum, an. 1613. editus eſt à Marquardo Frehero typis Wechelianis. Quàm pura ad nos peruenerit diaconi lectio per tales aquæ ductus, iudicet cordatus lector. Eſto tamen hæc ſcripſerit Paulus, quæ publicauit Goldaſtus, vbi Concilium? vbi Patriciatus? vbi ordinatio Apoſtolicæ Sedis? vbi Inueſtituræ Epiſcoporum, pro quibus mendacij, & impoſturæ reus agitur Sigebertus? Non hoc auno, qui fuit 774. ſed anno primo Conſtantini, & Irænes, ſeptingenteſimo ſcilicet octuageſimo primo, vt aſſerit Otho Friſingenſis, Patriciatus Romanus Carolo delatus eſt. Stat ergo primum argumentum Cardinalis, qui Sigebertum ita redarguere pergit.

2. Arg. Baronij. Omues affirmant, quòd poſt captum Ticinum, non Romam venerit iterum Carolus, ſed quàm celeriter in Galliam redierit, vt aduersùs rebellantes Saxones expeditionem pararet. Illo igitur periculoſo Saxonum bello vrgente, locus induciarum eſſe non poterat, & longiſſimæ moræ celebrandi adeò numeroſi Concilij, videlicet eundi Ticinum, redeundi Romam, conuocandi, & expectandi centum, & quinquaginta Epiſcopos etiam longè euocatos.

Reſpondet Anonymus, merum mendacium eſſe, omnes affirmare, poſt captum Ticinum Carolum non Romam rediſſe, ſed Galliam, & obijcit Andream quendam Presbyterũ in hiſtoria Longobardorum Remingum Præpoſitum S. Galli, Marianum Scotum, Hermannum Contractum: Verùm Hermannus Contractus diſertis verbis fauet Card. reliquos ex vno intelliges omnes.

Poſt-

Digitized by Google

Poſtquàm Carolus fugatis Longobardis, & Italia recepta, Deſiderium obſedit Papiæ, relicto ad obſidionem exercitu an. 773. Romam iuiſſe, ibique cum Hadriano Pontifice Paſcha celebraſſe, & poſt Paſcha ad obſidionem rediſſe, tradunt Annales Francorum Fludenſes, Annales alij rerum à Carolo, & Ludouico geſtarum, Paulus Diaconus de geſt. Longobard. l.6. Regino, Sigebertus, Otho Friſingenſis, Hermannus Contractus, Anaſtaſius Bibliothecarius, & omnes. Quare Annales Caroli, & Ludouici, qui à Paſchate annorum initium ſumunt, referunt obſidionem Ticini ad an. 773. deditionem ad an. 774. Attamen Marianus Scotus lib. 3. æta. 6. ad an. 774. inquit. [Rogatu Hadriani Papæ in Italiam perrexit, ibi Deſiderium Longobardorum Regem longa obſidione fatigans in deditionem ſuam ſuſcepit, filiumque eius Aldegiſum, in quo omnes ſpem inclinabant ab Italia compulit, atque Italiam totam ſubegit, & omnia à Longobardorum Regibus erepta, tam Romanis, quàm Hadriano Papæ reſtituit, & tunc primùm Romam venit.

Cùm igitur conſentiant omnes, Ticinum receptum eſſe poſt Paſcha, niſi velimus Marianum mentiri, dicendum eſt, Marianum referre quidem res omnes eo anno à Carolo geſtas, non tamen ſecundùm eundem ordinem temporis, quo geſtæ ſunt. Et eorum verborum (tunc primùm Romam peruenit ſabbato Sancto Paſchæ) ſenſum eſſe hunc: Eo anno prima vice Romam venit, ſabbato ſancto Paſchæ. Quæ tranſpoſitio non in Mariano tantùm, ſed in omnibus Chronographis paſſim occurrit; & ità reliqui etiam interpretandi ſunt.

Ad argumentum de temporis anguſtia propter bellum Saxonicum, quod ingruebat, reſpondet Anonymus cum Goldaſto, habuiſſe Carolum in exercitu ſuo omnes principes tam laicos, quàm Eccleſiaſticos regni ſui; Eccleſiaſticos verò Romam ſecum duxiſſe, vbi eos reliquit. Et adducit tres teſtes, Anaſtaſium Bibliothecarium, Notherum Balbulum, Marſilium Patauinum, quare cum illis Epiſcopis commodè potuit Hadrianus Romę celebrare Concilium generale.

Verùm Anaſtaſius nil tale dicit, nihil Balbulus, ſed ſolus Marſilius Patauinus Romanæ Eccleſiæ hoſtis longè infenſior, quàm Sigebertus, à Sigeberto tanquam aſpis à vipera venenum mutuatus. Cæterùm ſi poſt Paſcha Carolus Papiam aliquandiù obſedit (obſidio enim, Diacono teſte, durauit ſeptem menſes) antequam dederetur; ſi poſt deditionem Italiæ res ordinauit; ſi in Franciam reuerſus eſt, & indè in Saxoniam tres exercitus duxit; ſi varijs prælijs Saxones repreſſit; & demùm in Francia eodem anno hyberna conſtituit, quis non videt conficto Concilio tempus non remanere? Vrget tertiò Baronius Sigebertum, & inquit:

3. Argumentum Baronij. Sed quid in his immoramur, cùm Eginhartus, qui Caroli Magni lateri inhærebat, & vitam eius ſcripſit, omnem de his auferat dubitationem, dum expreſsè affirmat, ipſum Carolum non niſi quater Romam ſe contuliſſe? quod ſi verùm eſſet, quod turpiter nimis Sigebertus mentitur, non quater, ſed quinquies Romam veniſſe Carolum dicendum eſſet, contra Eginhartum, & omnes, qui res geſtas Caroli perſecuti ſunt. Primus enim eius aduentus fuit iſte contra Longobardos. Secundus, fuit voti ſoluendi cauſa an. 780. Tertius, aduersùs Ducem Beneuentanum an. 786. Quartus ad reſtituendum Leonem Papam in locum ſuum an. 800. quando & Imperator creatus eſt. Vbi ergò quinctus à Sigeberto confictus, nuſquam aſſertus ab alio aliquo, vel excogitatus Caroli Magni in vrbem aduentus? Vt alterum de duobus neceſſe ſit dicere, vel Eginhartum, & alios omnes temporis huius auctores, & cæteros omnes quotquot fuerunt, eſſe mentitos, vel his omnibus aduerſantem Sigebertum poſt trecentos, & amplius annos iſta ſcribentem, & contraria profitentem, & impoſſibilia aſſerentem.

Reſpondent Anonymus, & Goldaſtus. Quòd Eginhardus aſſerit Carolum quatuor vicibus Romam veniſſe, Romam pro Italia ſumendam eſſe conſtat. Nam primus aduentus contra Longobardos, & tertius contra Ducem Beneuentanum declarant. Iſti enim Romæ non erant, nec inibi bellum gerendum erat, ſed Papiæ, & Beneuenti. Quamobrem Romam rediſſe non dicitur, id eſt, Italiam, vndè diſceſſiſſe non videtur.

Confutatio. Nouum hoc, & nunquam auditum loquendi genus, quod introducit Goldaſtus, vt Roma Italiam ſignificet, & falsè, & neruosè ab alijs refutatum eſt. Ego ipſa Eginhardi verba tibi reddo, vt videas, quanta cum impudentia contra veritatem hæretici faciem obfirmare ſoleant. [Nec ille, inquit, toto regni ſui tempore quicquam duxit antiquius, quàm vt vrbs Roma ſua opera, ſuoque labore veteri polleret auctoritate, & Eccleſia S. Petri non ſolùm per illum tuta, ac defenſa, ſed etiam ſuis opibus præ omnibus Eccleſijs eſſet ornata, ac ditata. Quam cùm tanti penderet, tamen intra 47. annorum, quibus regnauerat, ſpatium, quater tantùm illo votorum ſoluendorum, ac ſupplicandi cauſa profectus eſt.] Vide tu lector, ſi Roma hìc pro Romana Vrbe, an pro Italia vniuerſa vſurpatur. Vtique non Romæ, ſed Papiæ, & Beneuenti bellum gerendum erat an. 774. & 786. verùm vtraque occaſione Carolum Romam veniſſe Religionis ergo, cum Eginhardo, & annales prodidere, & omnes affirmant. Stringit adhuc Sigebertum Baronius, & ait:

4. Arg. Baronij. Tantùm abeſt, vt Carolus ſibi arrogare voluit (quod aſſeritur) electiones Epiſcoporum, vt potius ſuo promulgato decreto eas ſtatuerit eſſe liberas, atque ex ſacrorum Canonum præſcripto decerni. Accipe, quæ à ſe ſtatuta in ſuis Capitularibus ipſe collegit. [Sacrorum Canonum non ignari, vt in Dei nomine ſancta Eccleſia ſuo liberius potiatur honore, aſſenſum ordini Eccleſiaſtico præbuimus, vt ſcilicet, Epiſcopi per electionem Clericorum, & populi ſecundum ſtatuta Canonum de propria Diœceſi remota perſonarum, & munerum acceptione ob vitæ meritum, & ſapientiæ donum eligantur, vt exemplo, & verbo ſibi ſubiectis vſquequaque prodeſſe valeant.] Quòd ſi hæc facta eſſent à Carolo, vt renuntiaret, vt dicunt, priuilegio ab Hadriano collato, vtique aliqua fal-

ſaltem, vel leuis mentio de eo habita ibidem eſſet.

Reſpondet Anonymus electionem, & confirmationem eſſe inter ſe diuerſa, præſertim, quia competunt diuerſis perſonis; nam ſuperior eſt, qui electum confirmare debet cap. fin. de elect. l. 6. Ideòque ſi Carolus electionis ius liberum eſſe iuſſit, non ideò à ſe confirmandi ius abdicat, atque inueſtituram faciendi, quæ in eo ab Hadriano, & Synodo translata fuerant.

Refutatio. Quid circa electionem, & ordinationem Pontificum Imperatores arrogauerint ſibi, & quo titulo, melius certè ſcierint ipſi, & eorum Miniſtri, quàm Anonymus. Hac verò de re Aduocatus Regius contra Alexan. 2. pro Henrico 3. apud Petrum Damianum ita diſputat. [Per te liquidò nouimus, quia illi debent Pontificem; cum ordinatur, eligere, quos ſibi poſtquam ordinatus fuerit, canonica decreuit auctoritas obedire. Papæ verò quia vniuerſalis eſt Pontifex, non modò Romanus populus, ſed Romanus Imperator, qui caput eſt populi, obedientiam debet. Cenſendumne ergo eſt, vt Papam ſine capite ſuo populus eligat, & ei, quem non elegit, Imperator obediat?] De cæteris Epiſcopis nondum elapſis octoginta annis à morte Caroli Magni; ità Hincmarus Epiſcopus Remenſis ad Ludouicum III. Francorum Regem, qui primus hanc controuerſiam excitauit. [Si quod à quibuſdam dicitur, vt audiui, quando petitam apud vos electionem conceditis, illum debent Epiſcopi, & Clerus, ac plebs eligere, quem vos vultis, & quem iubetis (quæ non eſt diuinæ legis electio, ſed humanæ poteſtatis extorſio) ſi ità eſt, vt dici à quibuſdam audiui, ille malignus ſpiritus, qui per ſerpentem primos parentes noſtros in paradiſo decepit, & inde illos eiecit, per tales adulatores in aures veſtras hæc ſibilat. Quia in ſcripturis tam veteris, quàm noui teſtamenti non continetur, neque in catholicorum dictis, vel ſacris canonibus, nec etiam in legibus à Chriſtianis Imperatoribus, & Regibus promulgatis hoc ſcriptum, vel decretum inuenitur, ſed talia dicta euomuit infernus &c. Sic enim Atauus veſter, Carolus, & Abauus Ludouicus Imperatores intellexerunt, & ideò in primo libro capitulorum ſuorum promulgauerunt dicentes: Sacrorum Canonum non ignari &c.] quæ etiam Baronius. Tandemque concludit: [In electione Epiſcopi aſſenſio Regis ſit, non electio. In Epiſcoporum verò executione ſit electio, ſicut & ordinatio.] Quare totalis erat de electionibus Pontificum, & Epiſcoporum, quas principes aſſerebant, ad ſe ipſos ſpectare, non quia eſſent ſuperiores electis, vt Anonymus comminiſcitur, ſed quia eis ſubditi, præpoſiti verò populo, plebique, cuius tunc ex antiquo Eccleſiaſtico iure in electionibus ratio aliqua habebatur. Audiſti verò illo eodem ſæculo, quo Carolus vixit, Hinc malum hominem coronæ Regum Galliæ addictiſſimum aſſerentem, Regis partes eſſe, aſſentire tantùm, vt Epiſcoporum electio celebretur, Epiſcoporum ius, Epiſcopos, & eligere, & ordinare, adde, & confirmare, quod probarat eadem epiſtola capite præcedenti ex quincto canone Niceno. [Firmitas eorum, quæ per vnamquamque prouinciam geruntur, Metropolitano tribuatur Epiſcopo.] Et Canone Sexto: [Illud generaliter clarum eſt, quòd ſi quis præter ſententiam Metropolitani fuerit factus Epiſcopus, hunc magna Synodus definiuit, Epiſcopum eſſe non poſſe.] An autem ſimile vero eſt, quòd priuilegium Caroli à principibus, & Epiſcopis Galliæ ignorarentur ante 80. annos ab eius exceſſu, cuius poſt tria ſæcula notitiam adeò exactam habuerit Sigebertus Monachus Alemannus?

Cur verò Anonyme non reſpondes argumento Baronij? ſi Carolus renuntiaſſet priuilegio eligendi pontificem, & inueſtituræ Epiſcoporum, ſaltem leuem aliquam eius priuilegij mentionem feciſſet. At non meminit, quia ratio habenda non erat rei, quæ nuſquam extitiſſet. Quòd Carolum pontifici ſuperiorem fuiſſe dicis, mendacij arguet te Carolus ipſe. Nauclerus vol. 2. gener. 28. narrat inter viginti tria legum capitula, quæ Carolus Magnus miſit ad omnes prouincias ſuas, illud etiam fuiſſe, quod refertur à Gratiano diſtin. 19. cap. 3. [In memoriam B. Petri honoremus ſanctam Romanam, & Apoſtolicam Sedem, vt quæ nobis ſacerdotalis eſt mater dignitatis, Eccleſiaſticæ eſſe debeat magiſtra rationis. Quare ſeruanda eſt cum manſuetudine humilitas, vt licèt vix ferendum ab illa ſancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione celebremus.] Anonyme conſcientiam tuam conuenio, ſunt ne verba iſta ſuperioris de ſubdito, an ſubditi de ſuperiori? Si verò confirmare electiones non niſi ſuperior poteſt, vt tu contendis, confirmare electiones pontificum non poterat Carolus, qui ſuam erga eos ſubiectionem liberè adeò, & ingenuè profitebatur. Mitto deteritas illas Bambemburgij, & Molinæi fabulas, & nugas, quas tu ſubijcis, quod pudeat, in earum refutatione vltrò verſari, & redeo ad Baronium, qui poſtremò ſic diſſerit.

V. Arg. Baronij. Quid eſt, quod dicitur, Carolo fuiſſe ab Hadriano inueſtituras conceſſas, cùm nec ipſum quidem nomen inueſtituræ temporibus Caroli eſſent in vſu? Legant, & ſcrutentur auctores omnes, qui Caroli temporibus aliquid ſcripſerunt; ſi alicubi penès eorum aliquem inuenerint nomen inueſtituræ, vel vſum eius per anuli (vt tradunt) & baculi collationem.

Reſpondet Anonymus cum Goldaſto inueſtituras etiam Caroli Magni tempore fieri conſueuiſſe, & probat ex Luithfredi, Hiringi, & Huinedei cartis quibuſdam: [Trado vobis ſeruum meum nomine Nhideg, & vxorem eius Bruma, & cum Oba ſua, & cum omnia, quæ veſtiti ſunt, & alium ſeruum meum nomine Wolpharium cum vxore ſua Athane, cum Oba ſua, & cum omnia, quæ veſtitus eſt.] Hæc ex Luithfrede. In Hiringo reperit manu veſtire, in Huinedeo reueſtire.

Confutatio. Quid verò omnia hæc ad argumentum Baronij? Baronius negat, tempore Caroli Magni in vſu fuiſſe, vel rem (per baculum, & anulum) vel nomen inueſtituræ, vos reperitis veſtire, manu veſtire, reueſtire, ſed non inueſtituram, vel inueſtire; non baculum, non anulum. Quare velitis nolitis de huius capitis impoſtura Baronio concedatis neceſſe eſt. Omiſſis alijs argumentis Baronij,

nij, rem ſic concludit Anonymus.

[Denique cum appareat de renuntiatione Ludouici Pij, & ità diuturna Romanorum Pontificum obſeruantia intellexit, ampliùs in controuerſia poni non debet.]

Quando putet Ludouicum Pium renuntiaſſe huic priuilegio, audi ipſum hoc eodem cap. pag.123.

[Et licet Ludouicus Pius filius, ac ſucceſſor Caroli Magni huiuſmodi translationem eiſdem Romanis in perſona Paſchalis Papæ remiſerit, quibus conceſſit, vt poſt mortem Romani Pontificis ſtatim ad electionem, & conſecrationem peruenire poſſent, vt habetur in cap. ego Ludouicus diſt.63. cuius hiſtoriam ſcribunt Antoninus in par.1.2. c.1. §.2.tit.16.& Volaterranus lib.3. Anſelmus lib.4. cap.5. Iuo par.5. cap. 51. Ità vt video etiam Romani pontifices poſt paſchalem reſcripſerunt cap. inter nos, & vos, cap. conſtitutio, cap. ſacrorum Canonum dicta diſt. 63. Et in §. ex conſtitutionibus, qui immediatè ſequitnr poſt dictum cap. ſacrorum, expreſsè habetur] [Ex conſtitutionibus his, & pacto Ludouici Imperatoris deprehenditur Imperatores illis renuntiaſſe priuilegijs, quæ de electione Summ. Pont. Hadrianus Papa Carolo Imperatori, & ad eius imitationem Leo Papa Othoni Primo Theutonicorum Regi fecerat &c.] Tandem Ludouicus fuit tempore paſchalis circa annum Domini 817. vt in Platina, & in Chronologia Eccleſiaſtica &c. Sed Leo Octauus fuit pontifex an.963. Ipſe autem Leo in Synodo Lateranenſi ad inſtar Hadriani Papæ, qui Carolo Magno illud ius in Synodo Generali tranſmiſerat,& ipſe Othoni Primo Imperatori huiuſmodi remiſſioni, atque conceſſioni Ludouici iterum renuntiauit, vt expreſsè legitur in cap. in Synodo diſt. 63. Moroſèque contra Gratianum contendit illud cap. ego Ludouicus, verum eſſe, & hanc diſtinctionem temporum eſſe faciendam.

Vidiſti Lector ſupra cap.4. quàm impudenter Anonymus falſi accuſarit donationem Ludouici Pij, quæ eſt cap. Ego Ludouicus diſtin. 63. vidiſti quanto apparatu cum Molinæo ſuo eius demolitionem aggreſſus ſit, attamen nunc bonus vir vela vertit, & ſolita ſua conſtantia aſſerit illud ipſum capitulum verum eſſe. Ingenium hæreticorum tale eſt, Mentior, inquit Tertullianus, [ſi non etiam à ſuis regulis diſſident.] Nos verò, & admittimus cap. ego Ludouicus, & negamus in eo renuntiari vlli priuilegio, quod Carolo ab Hadriano conceſſum ſit. Quomodo enim quis renuntians non exprimat, quia renuntiat? quid renuntiat? an fortè per paragraphos Anonymi in renuntiatione renuntiationis mentio neceſſaria non eſt? Verba Ludouici ſunt hæc [Et quando diuina vocatione huius ſacratiſſimæ Sedis Pontifex de hoc mundo migrauerit, nullus de regno noſtro, aut Francus, aut Longobardus, aut de qualibet gente homo ſub poteſtate noſtra conſtitutus licentiam habeat contra Romanos, aut publicè, aut priuatè veniendi, aut electionem faciendi; nulluſque in ciuitatibus, vel territorijs ad Eccleſiam B.Petri pertinentibus aliquod malum propter hoc facere præſumat, ſed liceat Romanis cum omni veneratione,& ſine aliqua perturbatione honorificam pontifici ſuo exhibere ſepulturam, & eum, quem diuina inſpiratione, & B. Petri interceſſione omnes Romani vno conſilio, & vna concordia ſine aliqua promiſſione ad pontificatus ordinem elegerint, ſine aliqua ambiguitate, & contradictione, more canonico conſecrari.]

Expende Anonyme, vt lubet, hoc inſtrumentum, nunquam excuties verbum vllum, apicem vllum, qui vel minimum redoleat renuntiationem priuilegij antiquioris. Imò ſi in memoriam reuoces, quæ ſupra cap.4. dicta ſunt, intelliges eandem conuentionem præceſſiſſe inter Carolum, & Hadrianum, quæ nunc inter Paſchalem, & Ludouicum ſecuta eſt. Referebant Annales ad an. 817. [quòd Paſchalis pactum, quod præceſſoribus ſuis factum erat, etiam ſecum fieri, & firmari rogauit. Hanc legationem Theodorus Nomenclator, & detulit, & ea, quæ petierat, impetrauit.] Hoc ipſum dixerant Leo Hoſtienſis, Chron. Caſſin. lib.1. cap. 18. & Bibliothecarius in Paſchali. Quare ſi congruenter ratiocinari velimus, nil aliud colligere poſſumus, niſi quòd inter Hadrianum, & Carolum ita conuentum fuerit an.777. ſicut an. 817. inter Paſchalem, & Ludouicum, & conſequenter falſum eſſe, quòd Ludouicus renuntiauerit priuilegijs Carolo ab Hadriano conceſſis. Mitto Anonyme tua in Baronium conuitia, & maledicta, quibus non magis tangitur ſanctiſſimi, & doctiſſimi eius viri dignitas, & exiſtimatio, quàm cœlum iaculis amentium, & puerorum. Ridere coactus ſum, vbi tuam pro Gratiani auctoritate religionem vidi: Tu ne, qui dixiſti, non eſſe credendum Gratiano tanquam adulatori Paparum, qui eum appellaſti corruptorem omnium bonarum ſcripturarum, qui trecenta eius capitula falſi accuſauiſti: qui nunc erroris in hiſtoria eum redarguiſti, tu inquam audes quaſi de ſacrilegio arguere Baronium (ecquem virum?) quod Gratiani auctoritate detrahere auſus ſit? Siccine vos Prothei, vos Vertumni in rebus Religionis, luditis, & illuditis? Gratianus Monachus modeſtiſſimus in re hiſtorica, ſi viueret, Baronium magiſtrum non dedignaretur; at non ita æquo animo ferret, ſi aliquis Leguleius triobolaris tui ſimilis in eum inſurgeret, & tanta cum petulantia ipſum laceſſere non vereretur. Nemo certè hactenùs reprehendere auſus eſt Antonium Auguſtinum virum eruditiſſimum, qui in opuſculo de emendatione Gratiani aſſerit [Gratianum neque Concilia vidiſſe, neque regiſtra pontificum, neque alia ſanctorum Patrum ſcripta, ſed quæ in varijs collectionibus reperta ab eo ſunt, ea in medium protuliſſe.] Quantò minùs, apud viros doctos hoc nomine Baronius vnquam malè auditurus eſt?

Extat, vt dicebamus, apud Gratianum eadem diſtin.63. cap. in Synodo, in quo Leo Octauus conuocato Concilio in Eccleſia Lateranenſi concedit Othoni Primo Regi Theutonicorum dignitatem Patritiatus, electionem, & ordinationes pontificis Romani, inueſtituras omnium Epiſcoporum, & facultatem inſtituendi Patritios Romanæ Vrbis.

Contra hoc capitulum Baronius ad annũ 964. duo dicit, 1. eſſe falſum, & impoſturam, 2. etiam ſi verum eſſet, nullum eſſe, quòd ea geſta fuiſſent à Pſeudo-ſynodo, & à

& à Pſeudopontifice, alijſqne nominibus.

Impoſturam probat Papa, quia Otho à Ioanne Papa conſecratus fuit Imperator, ve omnes atteſtantur. Ergò nihil opus erat, vt à Leone VIII. Pattitius fieret.

{ Reſpondet Anonymns, non omnes atteſtari, Othonem à Ioanne Imperarorem conſecratum fuiſſe, & ex Platinæ teſtimonio in Io.XIII. adducit, ueſcio quos Richardum, & Cuſentinum cum Gratiano confligentes de Leone, de Ioanne, de Othonis Regno, & Imperio.]

At quaudo Batonius dixit, omnes, intellexit omnes illius tempotis, & granes ſcriptores, qui enim obſcnriores ſunt, vel remoti nimis, hi nullo habentur loco. Quanta peccauerit Platina in iſto, & proximis pontificibus, quòd non viderit ſcriptores eius temporis, nimis conſpicuum eſt. Gratianus quàm verſatus eſſet in hiſtorijs, indè coniecturam capias, quòd arbitratus eſt, Ludouicum Pium renuntiaſſe priuilegio conceſſo Othoni Primo. Hunc verò Othonem à Ioanne, non à Leone Imperatotem conoratum fuiſſe ſcripſerunt Luithprandus Ticinenſis lib. 6. cap. 6. qui tunc coronarioni Imperatoris, & anno ſequenti depoſitioni pontificis, vel interſuit, vel intereſſe potuit: Roſueida in Panegyrico Othonis ipſius, quem ſcripſit in gratiam filij eius, Rhegino (ſi non alterius eſt poſtrema eius Chronici pars) qui tunc ad extremam ſenectutem deuenerat. Temporis proximi, Hermannus Conrractus, Lambertus Schafnaburgenſis, Marianus Scotus, Abbas Wrſpergenſis, Sigebertus, Otho Friſingenſis, & demùm, quis non, ſi claſſicos exquiras? iure ergo Batonius potuit dicere, omnes. Hos enim omnes graues auctores ſecuti ſunt.

Secundò, impoſturam arguit Baronius, quia in fine eius capituli habetut: { Si quis contra hanc regulam, & Apoſtolicam auctoritatem aliqnid molietur, hunc excommunicationi ſubiacere decernimus, & niſi reſipuerit, irreuocabili exilio puniri, vel vltimis ſupplicijs affici.] Hoc autem abhorret à Romanorum pontificum conſtitutionibus, nimirùm, vt violaroribus etiam pœna mortis irrogetur, vt ex his plaué impoſtura noſcatur, ſed ab iuſipiente ſcriptore cnmpoſita.

Obijcit Baronio Anonymus, quòd ſępè ſæpius ius Canonicum mortis pœnam impoſuit, vt cap. 1. de homicid. { ſi quis per inſidias occiderit fratrem ſuum, ab altari euelles meo, vt moriatur &c.] 1. de furtis. [Qui hominem furatus fuerit, & vendiderit, morte moriatur.]

Cæterum non eſt Pontifex, qui eam pęnam impoſuit, ſed Deus ipſe, cuius verba referuntur vtroque cap. ex Exod. cap. 21. Baronius negat, Pontificem in Conſtitutionibus ſuis imponere immorigeris pœnam capitis. Anonymns probat, quia Deus in Exodo imponit hanc pœnam furi, & homicidæ. Atque ita vt perſtet priuileginm fictum Othoni I. Anonymus venditat nobis Deum tanquam Pontificem, & librum Exodi tanquam conſtitutionem aliculus Romani Pontificis.

Subijcit, Canoniſtas firmare, quòd Eccleſia directè hanc mortis pœnam non infligit, ſed indirectè, videlicet degradando, & tradendo, ſiue relinquendo brachio ſæculari,

Id qnidem verum eſt, ſed in cap. in ſynodo, Pontifex imponit hanc pœnam directè, neque aut degradari inbet, aut tradi brachio ſæculari, ſed affici vltimo ſupplicio. Quare doctrina Canoniſtarum refragatur Anonymo, ſuffragatur Baronio.

Poſtquam alijs etiam argumentis, quæ Anonymus reticet, huius capitis impoſturam retexit Baronius, ad Pontificem, & ſynodum conuerſus vtriuſque, & eorum, quæ ab eis factitata ſunt nullitatem grauiſſimè probar. Verùm antequam ad hæc deſcendamus, per pauca ſubijcio, ex quibus palpes magis lector, vtriuſque hactenùs diſcuſſi capitis falſitatem.

Mortuo Nicolao II. à Cardinalibus Romæ electus eſt Alexander II. Baſileæ verò à Curialibus Henrici III. Germanorum Regis, & à duobus Epiſcopis Italis Cadalous, ſiue Cadalus, vel Cadolus Epiſcopus Parmenſis, & indè Eccleſia duas in partes diuiſa: Hac occaſione acerrimè diſceptatum eſt de iuribus Imperatorum in electione Pontificum, quod Curiales aſſererent, ſine conſenſu Henrici non potuiſſe Pontificem ordinari. Produxit Cadaloi pars quicquid excogitare potuit contra Alexandrum, nemo tamen inuentus eſt, qui objiceret priuilegia vel Caroli Magni, vel Othonis I. ſed eotum arma fuere aliquot electionum exempla, & vnicum priuilegium, quod Nicolaus II. non ità pridem conceſſerat Henrico II. quamquam hac ex parte à Curialibus dolo malo falſatum. {Impudenter enim aſſerebant, iuquit Cardinalis Aragonius, quod Nicolaus Papa ſtatuerat decreris ſuis, quòd nullus deinceps haberetur Romanus Epiſcopus, niſi priùs à Cardinalibus eligeretur, cui poſtea accederet conſenſus Regis.] Hæc Curialium fraus poſtea detecta à Parribus eſt ante Concilium Mantuanum. Cùm enim ſanctus Anno Epiſcnpus Colonienſis Agneris, & Henrici legatus Alexandrum interrogaſſet, qua ratione recepiſſet Papatum abſque conſenſu Henrici. { Archidiaconus Hildebrandus cum Epiſcopis Cardinalibus eidem Colonienſi ſic reſponderunt. Firmiſſimè tene, & nullateuùs dubites, quòd in electione Romanotum Pontificum iuxtà ſanctorum Patrum Canonicas ſanctiones Regibus penitùs nihil eſt conceſſum, ſiue permiſſum; & deductis in medium pluribus Sanctorum Patrum decretis, & præcipuè illo capitulo Nicolai, in quo centum, & tredecim Epiſcopi ſubſcripſerunt, poſt multas, & varias altercationes, ita irreuocabilitèr, & ſufficieutèr eidem Colonieuſi ſatisfecerunt, quòd ex tunc rationabilitèr reſiſtendi nullam haberet occaſionem.] Hac de cauſa ſtetit Alexander, Cadalous cecidit. Ad annum ergo 1064. priuilegia tam Caroli, quàm Othonis non modò nota non erant, ſed neque nata.

De inueſtituris per anulum, & baculum diſceptatum eſt ſub Henrico IV. huius Henrici filio, ſub qno à Sigeberto primùm excogitatæ, & monumentis conſignatæ ſunt fabulæ iſtæ vtriuſque capitis controuerſi. Cùm enim Henricus à Paſchali II. contra præſtitum iuſiurandum armatis precibus extorſiſſet priuilegium de inueſtituris, magna in Eccleſia contentio orta eſt, an ideo Paſchalis cenſendus eſſet hæreticus? Aſſerebat Bruno Epiſcopus Signinus, negabat Iuo Epiſcopus

Car-

Digitized by Google

Carnotenſis, neque deerant vtrique ſectatores. Etſi verò hæreſim negabat Iuo, fatebatur tamen inueſtituram eſſe [priuationem alieni iuris, ſacrilegam, & funditus abſcindendam.] Nemo tamen vnquam pro Paſchali adduxit exemplum, vel Leonis, vel Hadriani, ſed ab Iuone, & ſuis excuſabatur Paſchalis violentia, & metu malorum Eccleſiæ imminentium. Quis verò ſibi perſuadeat viros doctiſſimos feruore contentionis æſtuantes, in re tanti momenti præterituros factum Hadriani, ſi extaſſet, cùm eo vno vindicari poſſet ab hæreſi Paſchalis?

Anno ſequenti in Laterano Concilium conuocatum eſt, in quo reuocarunt, & annullarunt Patres priuilegium, quod Henricus extorſerat; hac cenſura adiecta, quod [eſſet contra Spiritum ſanctum, & contra canonicam inſtitutionem.] Anathematizatus eſt hoc eodem anno Henricus cum priuilegio, & inueſtituris in ſeptem Concilijs, in Germania, Græcia, Hungaria, Saxonia, Lotharingia, Francia. Cùm verò priuilegium illud omnes Eccleſiæ vnanimes damnarent, & vnà cum eo inueſtituras tanquam ſacrilegas, & interdum etiam grauiori cenſura, nemo vſquam repertus eſt, qui recordaretur Hadriani, vel Leonis, Caroli, vel Othonis. Vndè ergo vnus Sigebertus didicit, quod quatuor annis poſt eius mortem orbis vniuerſus ignorabat?

Excommunicatus demùm à Calixto ſecundo Henricus, coactus eſt reddere Eccleſiæ ius ſuum, & renuntiare inueſtituris, quod & fecit anno 1123. in Conuentu Generali Wormatiæ, Arrodit hanc renuntiationem Anonymus, quomodo, audi.

Poſtquam inueſtituras reſignauit Henricus, nonnulli aſſerunt, conceſſum illi fuiſſe à Legato Pontificis, quòd antequam Epiſcopi, & Abbates ordinarentur, ille eos per ſceptrum de regalibus inueſtiret. Otho Friſingenſis lib. 7. cap. 16. Gotfridus Viterbienſis (quem ex Italo Saxonem, ex Viterbienſi Wittembergenſem facit Anonymus) in Panth. par. 17. Gulielmus Tyrius de bello ſacro lib. 1. cap. 13. adijciunt, [quòd hoc priuilegium, pro bono pacis ſibi ſoli, & non alij datum dicunt Romani.] Anonymus verò ſublatis è medio, quæ hi auctores dicunt de Regalibus, iſta eorum verba coniungit cum inueſtituris, & ita eos inducit dicentes, quòd Imperator pro bono pacis inueſtituras renuntiauit vni Calixto, non ſucceſſoribus; & hominem Chriſtianum non pudet tali fraude talem cauſam tractare?

Mox huic impoſturæ diffidens acceſſit ſibi Leopoldum Bambergenſem de zelo veterum Principum Germaniæ, qui eodem ſpiritu, quo Anonymus, conſiderans renunciationem Henrici, ait primò, [Adſcribendum eſſe deuotioni, quam habebat erga Eccleſiam Romanam.] Verùm qui legit Henrici res geſtas, optimè nouit, quàm verax ſit Leopoldus, & qua deuotione proſequutus ſit Eccleſiam Romanam Henricus. Tu ipſe Anonyme paulò antè probaſti teſtimonium Othonis Friſingenſis, qui renunciationis veram cauſam referens ait: [Imperator propter anathema deficere à ſe regnum videns, Patriſque Henrici metuens exemplum, congregato iuxtà Wormatiam maximo Principum conuentu, inueſtituram Epiſcoporum Legato ſedis Apoſtolicæ Lamperto reſignauit.]

Ait Bambergenſis ſecundo, quòd Henricus Imperio præiudicium facere non potuit, præſertim quia omnes prædeceſſores ſui Reges, & Imperatores non tam virtute priuilegij Imperatoribus à Leone VIII. conceſſi, quàm ex hoc, quòd vt plurimùm erant patroui, ſeu dotatores Eccleſiarum, inueſtituras vſque ad tempora Henrici facere conſueuerunt. Neque in Germania tantùm, ſed alibi etiam inueſtituras ad ea vſque tempora plerumque factas probat varijs exemplis.

Nos vero ſicut non negamus ante Gregorium VII. pleriſque in locis inueſtituras permiſſas, ita quòd factę ſint ab omnibus Imperatoribus, & Regibus, qui Henricum præceſſerunt, merum mendacium eſſe, non dubitamus. Permiſſas diximus, qui enim tecum eas Principibus iure debitas aſſerat, hunc nos hęreticū eſſe cenſemus, quando damnatæ ſint per tot Pontifices, & Concilia, poſtquam earum cauſa agitari cœpta eſt, vt homini Chriſtiano de earum honeſtate dubitare vltra non liceat. [Licèt exteriores inueſtituras per laicos factas non ſatis propriè hæreſis nomine cenſeamus, ſentire tamen, ac defendere, fieri debere indubitata hæreſis eſt, inquit Ioannes Epiſcopus Lugdunenſis. Et hoc ſenſu Concilium Viennenſe celebratum anno 1612. dixit, Inueſtituram Epiſcopatuum, & Abbatiarum, & omnium Eccleſiaſticarum rerum de manu laica, S. R. E. auctoritatem ſequentes hæreſim eſſe iudicamus.]

Primus Principum, qui cogitare cœpit de inueſtituris, & iurepatronatus in Eccleſia, fuit Ludouicus III. Galliæ Rex, cui viriliter oppoſuit ſe Hincmarus Epiſcopus Remenſis. Quo autem iure niteretur fictum illud ius patronatus, ad quod Rex anhelabat, intelliges tum ab iis, quæ ipſe ad Hincmarum ſcripſit, tum ex ijs, quæ illi Hincmarus reſpondit: hæc verò & illa habes ab Hincmaro ipſo in epiſtola ad eumdem Regem: [Sunt qui dicunt, vt audiui, quia res Eccleſiaſticæ Epiſcoporum in veſtra ſunt poteſtate, vt cuicumque volueritis, ea donetis, quod ſi ita eſt, ille malignus ſpiritus, qui (vt ſuperius præmiſſum eſt) primos parentes noſtros perdidit, perditionem veſtram in aures veſtras ſuſurrat.] Fuiſſe noua hæc, & nemini Principum eo vſque tentata, audi eumdem. [Per quem (Chriſtum) vos obſecro, Epiſcopali miniſterio talia veſtro tempore in ſanctam Eccleſiam introducere non tentetis, qualia magni Imperatores anteceſſores veſtri ſuis temporibus introducere non præſumpſerunt.] Quantum fideret iuribus ſuis Ludouicus, ipſum audi. [De eo, inquit Hincmarus, quod in literis veſtris, quas pridiè nonas tranſacti menſis Maij, deferente clerico nomine Teutberto, relegi, voluntariè vos ſubijcere velle exiguitatis meæ conſilijs, & ſecundùm quod hortatus fuero, agere, & diſponere in Eccleſiaſticis, & ſæcularibus negotijs, & meæ fiduciæ voſmetipſos ſubijcere velle, & ſecundùm datum à me conſilium regni veſtri iura componere, veſtræ Dominationi reſcribo &c. & rurſum. De eo, quod ſcripſiſtis, quod ſi veſtræ voluntati (Eccleſiaſticis videlicet regulis contrariæ) obſequutus fuero, eos, quos mihi cario-

rinres, & ſamiliariores cognnueritis, hnnorare in omnibus curabitis, modò vt in hac petitione veſtra vobis conſentiam. Quare quod Bambergenſis dixit, omnes Principes anteceſſores Henriei inueſtituras feciſſe, & feciſſe ex iurepatronatus,] id eius ſcriptoris geminatum mendacium eſt. Neque Henricus, dum inueſtituras reſtituit, præiudicium vllum fecir Imperio, ſed vnà ſecum Impetium à ſacrilegio liberauit. Neque minùs, quàm Bambergeuſis mendax eſt Gemblacenſis, cùm ſexaginta ſex annis vix elapſis à morte Caroli Magni, inueſtituræ origo nnn referretur ad Carolum, non ad Ludnuicum Pium, ſed ad Ludouicum Pij Pronepotem, non ad priuilegia Hadriani, non ad leges Eccleſiaſticas, vel ciuiles, ſed ad ſolas portas inferni, qui talia, Hincmaro teſte, tunc primùm euomuit. Sed redeamus iam ad Baronium, qui relatis actis, quibus ab Othoue I. in ſynodo Romana Pontificatu deiectus dicitur Ioannes XIV. eique ſuffectus Leo VIII. contra Leonem Pſeudo-pontificem, & eius ſynodum pro Inanne ſic diſputat.

Ex quo ab eis (Epiſcopis) habitus eſt Ioannes verè ſummus Pontifex, quod etiam ſuis literis ſunt profeſſi, vndè ipſis cogendi Concilij facultas contra Pontificem abſque ipſius conſenſu? Id quidem conteſtati ſunt omnes Epiſcopi in Romano Concilio ſub Symmacho Papa, cùm ipſe Pontifex aduerſariorum accuſationibus obrueretur [non licere, dicentes, ab alio aliquo, niſi ab ipſo Synodum conuocari in cauſa ſua,] cum Theodoricus Rex hoc nnn negans, excuſauit tamen ſe dicens de cogenda ea ſynodo literas ab ipſo Symmacho accepiſſe, Annnymus ad hanc obiectionem nihil reſpondet.

In ſuper vbi ſufficiens teſtium numerus? quem ſeptuaginta duotum eſſe debere conteſtati ſunt ſancti illi Patres, qui ad iudicandum Marcellinum Papam ſunt conuocati.

Nunc Baronius Leonem Pontificem legitimum eſſe negat, & ſub anno *996.* §. 41. legitimum probauit, ſed quantum ad prnbationes ab eo indnctas pertinet, reſpondetur ad primam. Inter omnes Cannniſtas duos dumtaxat teſtes contta Papam ſufficere receptum eſt. Gloſſa ſing. ab omnibus æſtimata in cap. Præſul. 2. q. 5. & communiter ab omnibus approbata. Abb. in cap. per tuas de maiorit. & obed. &c.

Quod primn ais, Annnyme, putidè, vt ſoles, mentiris, neque enim ibi aſſetit Baronius, Leonem Octaunm fuiſſe legitimum Pontificem, ſicuti neque negat, quonlam id tunc diſcutiendum non erat, ſed cum omni genere teſtium probare vellet, ius eligendi Cæſarem ab Apoſtolica ſede conceſſum fuiſſe Germanis, inter cæteros adducit etiam Centuriatores aſſerentes Leonem viij. conceſſiſſe Othoni Primo ius eligendi ſibi ſucceſſorem in Regno, qui mox promnueretut ad Imperium.

Qund ſecundo dicis de duobus teſtibus ex ſententia Gloſſa in cap. Præſul. 2. q. 5. hnc nimis ſtupidum eſt, & non diluit obiectionem Baronij. Nam anre Gloſſam nemo vnquam id aſſerere auſus eſt. Auctnr verò Gloſſarum narus non eſt niſi 300. propemodum annis poſt hoc Conciliabulum. Quare Epiſcopi illi, ſi Canonicè iudicare volebant, ſequi non poterant Gloſſam, ſed vel Concilium Sinueſſanum, quod proponit Baronius, vel textum cap. Præſul. qui eſt contrarius Gloſsæ, in eo quippè S. Silueſter in Concilio Romano ita decernit. [Præſul non damnabitut niſi cum LXXII. teſtibus, nec Præſul ſummus à quoquam iudicabitur, quoniam ſcriptum eſt, non eſt diſcipulus ſupta magiſtrum.] Quem Canonem ſumma veneratinne proſequuti ſunt Concilium Romanum in cauſa Symmachi, Gratianus Imperatot in cauſa Damaſi, & ſynodus Romæ habita, præſente Carolo Magno, in cauſa Leonis III. Quare Felinus in cap. per tuas de mainr & obed. iure ſuccenſet Cannniſtis, & ſubſcribit Auguſtinn de Ancona glnſſam reprobanti; cuius verba, inquit, mihi placent, ſed fuerunt incognita Dominis meis Canoniſtis exclamantibus vbique de dicta Gloſſa.

Rurſus in quanam ſynodo licèt contra aliquem Hæreſiarcham conuocata, non præceſſit citatin trina, antequam in eum lata eſſet ſententia? At Ioannem Papam bis vocatum dumtaxat, ſynodalia ipſa acta declarant. Negatur, trinam citationem non intetueniſſe, quoniam hiſtoriographi ita ſcripſerunt, quibus in antiquiſſimis credendum eſt, præſertim vſu receptis, & affertut teſtimnnium Sigebetti id aſſerentis.

Quis verò Anonyme, adeò delirus ſit, vt de rebus in eo Concilio geſtis minotem fidem adhibeat ipſis actis Concilij, quàm Sigeberto, qui poſt annos centum & quinquaginta res illas ſctibebat?

Sed eſto, quòd bina tantùm citatio præceſſerit, vt ex Barnnio in §. 24. anni *963.* probatur, nnnne vnica tantùm & peremptoria ſufficit, l. Peremptotiam ff. de iud. l. contumacia, ff. de iud. l. conſentaneum. Quomodo & quando iudex.

In toto titulo de iudicijs non reperitur l. Peremptoriam, ſed lex ad peremptotium, cuius verba ſunt Vlpiani lib. 12. diſputationum, qui inquit. Ad petemptorium edictum hnc ordine venitur, vt primò quis petat poſt abſentiam aduetſarij edictum primum, mnx alterum. Nihil Anonyme hic contta trinam citatinnem pro peremptotia. Sequitur Vlpianus ll. *69.* & *70.* pet intetuallum non minùs decem dierum, & tertinm, quibus propoſitis, tunc peremptnrium impetret, Si ordinem iſtarum legum ſeruaſſet ſynodus illa, benè nos ad has leges prouocaſſes, verùm, vt videò, Thenlogia & Iuris prudentia tua de paritate certant.

Rectiùs citaſſes verba Vlpiani lib. 72. eiuſdem tituli: [Nonnunquam autem hoc edictum poſt tot numero edicta, quæ præceſſerunt, datur, nonnunquam poſt vnum, vel alterum, nonnunquam ſtatim, quòd appellatur vnum pro omnibus. Facit quidem aliquid ad rem, cum l. cnnſentaneum, lex contumacia, verbis illis: Contumax eſt, qui tribus edictis propoſitis, vel vno pro tribus (quod vulgo peremptotium appellatur) literis euocatus præſentiam ſui facere cntemnit. At lugulat te Hermogenianus; cuius ea lex eſt, qui inquit: Cnntumaces nnn videntur, niſi, qui cum obedire deberent, non obſequuntur, id eſt, qui ad iuriſdictionem eius,

cui negant obſequi, pertinent.] Cum enim ad iuriſdictionem vel Othonis, vel eorum Epiſcoporom Ioannes ſummus Pontifex non pertineret, contumax cenſeri non niſi iniquiſſimè potuit.

Fiogamus tameo, caput pedibus fuiſſe ſubiectum, & pertinuiſſe Pootificem ad iuriſdictionem illius ſynodi, ſupponamus vnicam citationem peremptoriam io cauſa tantæ molis ſufficere potuiſſe, negamus adhuc, citationem vllam eius ſynodi fuiſſe peremptoriam. Quod tu quoque negabis, vbi epiſtolam Coocilij ad Ioannem, in qua nullum tempus præſcribitur, contuleris cum his, quę de citatione peremptoria, & eius forma traduot Doctores poſt Gloſ.in cap. conſtitutionem de ſent. excom. in 6. in clem. 1. de vita & hooeſt. Cler. & alibi paſſim. Pergit.

Sed & cui reorum quàmuis viliſſimo homuncioni non ante ſenteotiam aliqoa data à iure perendina dilatio? ſed nulla Ioanni.

Anonymus nihil reſpondet.

Andi monſtruoſiora. In quanam ſynodo petitum eſt ab Epiſcoporum conſeſſu Imperatorem condemnare Epiſcopum, vel Clericum aliquem, & non potiùs ab Imperatore poſtulatum eſt, vt ſancta ſynodua hominem Eccleſiaſticum damnet? At ſecus in hoc conuenticulo ſactum videmus. Nam vniuerſa ſynodus rogaſſe dicitur Imperatorem, Ioannem expelli, & alium in locum eius ſobrogari.

Immò ſi Baronius, & ſui verum fateri velint, contrarium promptè oſtenditur. Otho 3. anuo Domini 984. poſtquam intellexit Gregorium V., quem ipſe Pontificem conſtituerat, à Romanis dignitate pulſum eſſe, acque Placentioum ſuffectum fuiſſe, Romam pertendens ſimoniacum Papam vi cœpit, & conuocato à ſe Concilio, cauſa cognita, oculos erui iuſſit, Gregoriumque ſedi ſuæ reſtituit. Item Henricus II. Imperator anno Domini 1045. Benedictum Nonum, Silueſtrum 3. & Gregorium 6. ſynodaliter depoſuit, vt eſt io Platina in Gregorio ſexto.

Coofotatio concilium conuocatũ fuiſſe ab Othooe 3. contra Epiſcopum Placentinum ionaſorem Apoſtolicæ ſedis, merum mendacium eſt, ſine vllo teſte à ſolo Melchiore Goldaſto excogitatũ. Expulerat Placeotioos ſede ſua Gregorium legitimum Pontificem; deiecit illum Otho, & reſtituto Gregorio, iouaſori ſacrilego oculos eruit, manus & oates abſcidit. Quid verò hoc Anonyme ad argumentum? Non magis erat Pootifex Placentinus, quàm tu Catholicus. Quare de iuribus eius io concilio diſceptandum non erat; ſed ei tantùm tanquam latroni, & furi manifeſto pœnæ debitæ infligendæ, quod ab Imperatore factum eſt, non tamen ſine conſenſu Pontificis, vt te docebit Baronius teſtimonio auctorum illius temporis.

Quòd Henricus ſecundus depoſuerit ſynodaliter Gregorium ſextum, aſſerit quidem Platina, at quòd Benedictum, & Silueſtrum depoſuerit, neque Platioa aſſerit, neque ſi aſſereret, verum eſſe poſſet. Henricum enim veniſſe in Italiam anno 1046. omnes conſentiunt. Cæterum erat hic annus tertius Gregorij ſexti, cuius prudeotia, cum adhuc priuatus eſset, tres Pontifices ſchiſmatici. Benedictus ix. Silueſter 3. & Ioannes ſine numero abdicauerant; quemadmodum ſcripſere Leo Hoſtienſis, & Otho Frioſingenſis. Qua igitur ratione id factum ab Henrico dicas, anno 1045. prorsùs ignoro. Verùm leuiora ſunt hæc, quàm vt eorum ratio habeatur io ſcriptione, quæ tota ſit vlcus. Inſimulabatur verò à maleuolis Gregorius ſymoniæ; propterea vir bonus, Henrico ſuadente, paci proſpiciens, conuocato Sutrij Epiſcoporum Coocilio, Pontificatui ceſſit. Audi Friſingenſem. Quem Gregoriom VI. Rex primò, vt decuit, hooorificè ſuſcepit. Poſtmodum autem collecto Epiſcoporum conuentu à Pontificatu pro nota ſimooiæ cedere perſuaſit.] Quod ergo Platina dixit, ſyoodaliter depoſuit, vel humaniùs errauit, vel non decreto, & iudicijs, ſed hortatu, & perſuaſiooe interpretandus eſt, niſi res eius temporis notiores fuiſse putes Platinæ, quam Othoni.

At quis aliquando accuſatus hæreſiarcha, vel infamiſſima quæque perſona conuicta in ſynodo, abſque ſententia lata, omoiumque ſubſcriptione firmata, publicèque recitata legitur è throno depoſita, in ordinem redacta, & alia in eius locum ſuffecta? At hic vna, breuique interlocutione Imperatoris, immò nec interlocutoria ſeotentia. Sed rogatione ipſius Imperatoris ſucceſſor eſt datus Ioanni, nulla in eum prorsùs ſententia lata. Nam rogante ſynodo Imperatorem (vt habeot acta verbatim, quæ fideliter ab eodem auctore conſcripta) ob immaoia flagitia Ioannem pelli, & alium aliquem virum frugi ſubrogari, hæc ad eos Imperator. Placet quod dicitis, oihil quæ gratiùs nobis, quàm vt talis, qui huic ſanctæ, & vniuerſali ſedi præponatur, iouenitri poſſit. His dictis, omnes vna voce dixerunt: Leonem venerabilem in paſtorem eligimus, &c.

Vidiſti monſtrum, ſuffectum caput, priori capite nulla præelſo ſententia? Attendiſti prodigium, executionem abſque ſenteutia, cum omnis executio ſententiæ dicatur executio? relatiue enim ſe habet ipſa executio ad ſententiam. Sed vbi iſta? nuſquàm oec prolata verbis, nec ſcriptis edita repetitur.

Aooaymus quaſi initiatus Pythagoræ myſterijs, nihil omniaò reſpondet.

Baronius. Sed etſi omnia ritè, rectoque ordine iudiciario peracta fuiſſent, nonne ſua ſponte omnia ſtatim corruunt, cum ab excommunicatis ab ipſo Pontifice omnia conſtet eſſe peracta?

Anon. Si propter excommunicationem Cardinalium electorom, ipſæ electiones Papatum eſſent inualidę, nullus Papa hoc vſq; verè electus dici poſſet, cum notorium ſit, omnes Cardinales electores contra formam iuris Canonici, & conſtitutionum Papalium palàm agere, atque cenſuras incurrere.

Confut. Non magis notorium eſt, Anon. Cardioales violare ius Canonicum, & cenſuras incurrere in electiooe Pontificum, quàm te, qui in rebus notiſſimis toties mentitus es, eſſe hominem, & probum, & veracem. Sed quamdiu perſonatus es, & bacchari, & mentiri, & conuitiari potes, vt iubet; verùm [reuelabitur tandem ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum, vltionem capiam,

&

Digitized by Google

& oon reſiſtet mihi homo,] inquit Deus. Si tamen Cardinalium quiſquam pro humana fragilitate quicqnam delinqueret, os tibi obſtruit Pius 4. conſtit. 63. in eligeodis §. 29. cuius verba ſunt hæc: [Et ne diſſenſioois occaſio, aut ſchiſmatis oriatur, volumus Cenſurarum, & excommunicationum præfatarum, & aliarum quarumcunque prætextu; Cardinales à Pontificis electione actiuè, vel paſſiuè excludi nullo modo poſſe. Quas quidem excommunicatiooes, & cenſuras ad electionis effectum tantùm, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſuſpendimus, & ſuſpenſas eſſe voluoms, & declaramus.] Pergis & ais.

Neque ipſe aſſertus Papa Ioannes 12. poterat ad Cardinales ſcribere, vt ſub excommunicationis pœna ad alterius electiooem non procederent, tum quia ipſe Ioannes in Papatu iotruſus erat, vt etiam Baronio probatur anno Domini 963. §. 14. & iotruſus in Papatu excommunicatus eſt. Sed excommunicatus alterum excommunicare ooo poteſt, cap. audinimus, 24. quæſt. 1. &c. Tum quia à Concilio vocatus ſpecialiter de ordine Imperatoris convocato, qui perfidus, pacifragus, maleficus, adulter, ſodomita, ſacrilegus, & hæreticus accoſabatur; & ideò cum eius nomen inter reos receptum fuiſſet, quolibet Catholico minor erat.

Ergò in Concilio contra ipſum congregatos excommunicare non poterat.

Qua ratione intruſum Baronius appellet Ioannem, habet ad initium anoi 955. his ipſis verbis: [ipſe, qoem diximus, anno ſuperioti, Octauianus, Alberici filius, vrbis Princeps Apoſtolicam ſedem inuadit, cui etſi omnia, quæ conueniunt ad legitimam electionem, ſuppetijſſent, ex ætate tamen longè diſpari, vt legitimè ordinari potuiſſet Epiſcopus, redarguitur illegitimè electus. Et poſt multa: Attamen accedens conſenſus, hunc tolerandum vtcumque perditiſſima illa tempora ſuaſerunt magis, quàm Eccleſiam ſchiſmate ſcindere, cuius vitandi cauſa, vtpotè mali omniom peſſimi vniuerſa Eccleſia Catholica eum eſt venerata Pontificem, minoris ſciens eſſe mali monſtruoſum quantumlibet caput ferre, quàm doobus capitibus infamari, & ſecari corpus vnum in duo.

Intruſus verò in Pontificatom, quem iura excommunicant, eſt, qui à duabus partibus Cardinaliom oou electus, Pontificiam ſedem inuadit, vt communiter docent Canoniſtæ in cap. licet. de elect. Non inuadit autem propriè, qui ſine violentia throoum obtinet, licèt aliqua ex conditionibus lege cooſtitutis in eo deſideretur, quemadmodum obſeruauit Iacobatius. Et defectibus iuris humani, & poſitiui ſupplere receptionem, coronationem, & obedientiam Eccleſiæ, conſentiunt omnes. Quod ex vna accuſatione (cui tu falsò inſeris hæreſim) colligis, Ioannem minorem fuiſſe quolibet Catholico. Miror extremam, vel oequitiam, vel ignorantiam ſuam. Alia, & longè alia eſt Catholicorum, & doctorum virorum ſententia, oimirum Papam indubitatum adeò ſuperiorem eſſe omnibus Chriſtianis, vt ſubijcere ſe ſententiæ coactiuæ cuiuſquam non poſſit, etiamſi velit. Ita docent Sanctus Thomas, Saoctus Bonauentura, Albertus Magnus, Ricardus, Palodanus, & alij Scholaſtici communiter. Ita ſanctus Antoninus, Turrecremata, Aluarrus Pelagius, Iacobatius, Caietanus, Pighius, Ferrarienſis, Auguſtious de Ancona, Franciſcus Turrianus, Petrus de Monte, Ioannes Antouius Delphinus, Thomas Campegius, Nicolaus Sanderus, & demùm Canoniſtæ ferè omnes in cap. ſignificaſti de elect. & cap. ſi Papa, diſt. 40. Alijs etiam argumentis hoc conciliabulum refellere pergit Baronius; verùm quia deſertus à Guidinaſto Anonymus ea attingere auſus non eſt, neque ego præterea pro hac cauſa lectorem fatigo.

CAPVT XV.

Occuritur reliquis Obiectionibus libri.

Capite 9. Anonymus oſtendere ſe profitetur, [Pontificem Romanum nullo modo in Reges, & Pricipes, eorumque ſubditos animaduertere poſſe.] Rationes, quibus id probat, ridiculæ potiùs ſunt, qoàm apparentes; quia tamen eas omnes mutuatus eſt à Rege Britanniæ, & ab alijs, quorum errores, cum plerique alij, tum maximè Illuſtriſ. D. Cardinalis Bellarminus iuſtis voluminibus profligauit, noſque eadem in Opuſculo de Iure Religionis in Politia accurrate proſequuti ſumus, uunc de eis nihil dicam.

Capite 10. & poſtremo poſt plauſtra mendaciorum, & conuiciorum, quę meo more prętereo (vt probet, opinor, etiam ſuperioribus ſæculis non defuiſſe homines ſui ſimiles) producit duas epiſtolas. Primæ præpoſuit hunc titulum; [Epiſcoporum Galliæ, & Germaniæ epiſtola ad Anaſtaſium ſecundum Pontificem ex Concilio, qua Papam, & Italicos monent, vt ſe ſe miſſos faciant, nec deinceps ſuper eos tyrannidem exercere pergant.]

At hanc eſſe meram impoſturam, parumque hæreticorum figmentum, tam exploratum eſt, quàm deplorata eſt Anonymi fides, & modeſtia. Anaſtaſius ſecundus Pontificatum iuijt an. Chriſti 490. ſioonymo eius Anaſtaſio Græcis imperaute, & Italiæ Theodorico Rege Gothorum. Pontificatum tenuit annos duos minus diebus ſeptem. Pacem Eccleſiæ depaſcebatur tunc Acatiarum ſchiſma, diuiſo Oriente ab Occidente, vt dictum eſt ad initium noſtræ ſecundæ periodi. At vllas turbas, contentiones vllas inter Eccleſias Italiæ, & Galliarum tunc temporis interceſſiſſe, nemo omnium meminit. Imò S. Remigius Epiſcopus Rhemenſis, Apoſtolus Galliarum Romanæ Sedi addictiſſimus, & obſequentiſſimus, ob idque poſtea ab Hormiſda Rom. Pont. in Gallia Vicarius Pontificius conſtitutus pacatiſſimæ Catholicorum res moderabatur aduersùs Arianos tantum, & Idololatras decertans. Vndè igitur nata eſt iſthęc Anonymi epiſtola? quibus de cauſis? quibus Authoribus? Epiſcopis, inquit Anonymus, Germaniæ, & Galliarum. Sed proferat iſtorum Epiſcoporum, & nomina, & ſedes, dicat quo ex Concilio Epiſtola ſcripta ſit, vbi conuocati Galli, Germanique in hanc rebellionem conſpirauerint. Quæ ſi noo poſſunt, niſi mendaciſsimè fingi, agooſcat, & confiteatur impoſturam.

At

Digitized by Google

At inquit de ambarum epiſtolarum veritate conſule Goldaſtum in conſtitutionum imperialium rationali part. 1. fol. 48. & fol. 50.

Morem geſſi, Goldaſtum Caluinicolam conſului, qui meliùs conſuliſſet animæ, & famæ ſuę, ſi bonas horas non ita malè locaſſet. Quo Authore huius epiſtolę veritatem probet Goldaſtus, ipſummet audi. Eius, inquit, id repertum fragmentum in ſchedis Ioannis Auentini. Itaque primus, qui poſt mille, & ampliùs annos à deceſſu Anaſtaſij hanc epiſtolam, aut finxit, aut reperit, fuit Auentinus Hęreticus, neque Hęreticus obſcuri nominis, ſed primę claſſis. Non tamen auſus eſt, eam in lucem proferre, metuens fortè, ne fraus detegeretur. Tantùm poſt eius mortem, inter ſchedas repertam, (& inter eas fortè quas minùs honeſtis vſibus reſeruabat Ioannes) protulit eam Caluiniſta Goldaſtus, qui ex ſimilibus monumentis, conſarcinauit illum centonem ſuum. Et talis officinę teſtimonio, cui nulla antiqua memoria ſuffragatur, cuius apud nullum auctorem vllum apparet iudicium, veſtigium vllum, quiſquam adhibuerit fidem? Mitto mille ineptias, quibus epiſtola hęc referta eſt, & vnico argumento eam falſi conuinco. Circa medium habet, [Epiſcopos Italię Epiſcopis Galliarum prętendere inſidias regij iudicij, quaſi per zelum nimię iuſtitię. Ac ſi Clodouęus, ſub quo ſcripta fingitur, ad annum Chriſti 497. eſſet Chriſtianus, ad quem ideo res Eccleſię Gallicanę ex vrbe deferret Anaſtaſius; cum tamen Anaſtaſij obitus communiter ponatur in an. Chriſti 498. pręter propter, Clodouęus verò, Sigeberti, Hermanni Contracti, Reginonis, & aliorum ſcriptorum teſtimonio, non niſi poſt dederit nomen Chriſto.

Sed vellem, vt Caluinus, & Centuriatores poſſent tantiſper ab inferis euocari, quo eorum de hac epiſtola iudicium audire poſſet Goldaſtus fidus eorum ſectator. Eorum conſtans ſententia eſt, Decretales Pontificum ad an. Chriſti trecenteſimum falſas, & fictas eſſe, nullamque earum mentionem extare ante tempora Caroli Magni. Quare cum epiſtola hæc inducat teſtimonia ex Anacleti Tertij ex prima Sixti, & vnica Theleſphori; reliquum eſt, vt Goldaſtus, vel mendacij damnet Caluinum, & Centuriatores, vel fraudis, & impoſturæ Auentinum, aut quiſquis eſt (ſi tamen alius prǣter eum eſt) auctor huius epiſtolæ. Vtrum concesserit, ego libenter admittam.

Sequitur altera epiſtola, cui Anonymus ex Glodaſto hunc titulum præfigit.

Epiſcoporum Germaniæ, & Belgij Epiſtola ad Nicolaum Primum Pontificem Romanum ex Synodo Colonienſi ſub Ludouico iuniore Imperatore.

AT hunc titulum falſi arguit nedum geſtæ rei ſeries, quam produnt Annales Francorum, & Anaſtaſius eius ætatis ſcriptores, Regino paulò poſterior, & alij, ſed vel tota epiſt. imò prima frons eius, cuius ignorantiam neque Goldaſtus, neque Anonymus vlla ratione obtendere poſſunt. Eam enim (vt bonos prætercam) ſic prodit Illyricus, ex Illyrico Goldaſtus, & ex Goldaſto Anonymus.

Nicolao Pontifici Guntherus, & Theodoguto. Patres Epiſcopi, & fratres Coepiſcopi noſtri nos ad te miſere &c.

QVare ſi titulus non mentitur, hanc epiſtolam nulli alij Epiſcopi ſcripſerunt præter Guntherum, & Theodogutum, alterum Coloniæ Agrippinæ, alterum Treuirorum Epiſcopos. Itaque mala fide agunt Goldaſtus, & Anonymus, qui vt ſimplices fallant, eam adſcribunt Epiſcopis Belgij, & Germaniæ. Adde, quod nulla in ea fit mentio Synodi, nulla Coloniæ, eam tamen Goldaſtus non veretur appellare Synodalem, & tribuere Concilio Colonienſi. At illa nimiùm inſignis, & ſupina ſtupiditas, [Patres, inquiunt, Epiſcopi, Fratres, & Coepiſcopi noſtri nos ad te miſerè.] Rogo, Goldaſte, totumne Concilium ad Pontificem miſſum eſt? & ſi miſſum, qui nam ſunt Patres, & fratres Epiſcopi, qui ipſum miſerunt? an fortè omnes, & miſſi ſunt, & mittentes?

Sequuntur: [Ipſi quoque ſpontè Romam venimus.] Quare qui ſcribunt epiſtolam hanc, ſunt illi ipſi, qui ad Pontificem miſſi Romam venere. Ergo ne diutius te morer, audi, qui fuerint, cur, & à quibus miſſi.

Lotharius eius Lotharij filius, à quo Regnum, quo potiebatur, Lotharingiæ nomen ſortitum eſt, inſano pellicis Waldradæ amore demens Theutbergam legitimam vxorem repudiare conſtituit, vt quam deperibat, hanc regni conſortem haberet. Id vt iuſtè, & legitimè fieri videretur, Concilium Metis conuocari depoſcit, cui interſint etiam Legati Pontificis Nicolai.

Conuocatur Concilium, & Legatis non expectatis, Regina per ſummum nefas inceſti rea agitur, & damnatur; Matrimonium diſſoluitur; Waldradæ per ſpeciem matrimonij Theutbergæ torum, & diadema defertur, auctoribus iudicij, & principibus Theutgaudo Treuirenſi, & Gunthario Colonienſi Epiſcopis. Rebus ſic expeditis, Legati ſuperuenerunt, qui non modò ijs, quæ perperam geſta fuerunt, non interceſſere, ſed pecunia corrupti Regem hortati ſunt, vt Treuirenſem, & Colonienſem tanquam Concilij Principes Romam legaret ſynodi nomine, qui ſcripto, & voce acta Metenſis Concilij tuerentur. Hanc prouinciam audacter ſubiere Theutgaudus, & Guntharius, [ſtultitiæ quidem elogio denotandi, inquit Regino, qui illam Petri Sedem fallere poſſe arbitrati ſunt, quæ nec ſe fefellit, nec ab aliqua hæreſi vnquam falli potuit.]

Romam profecti, & oretenus, & per ſcripta auditi ſunt, reque diſcuſſa, à Concilio iſtius cauſæ gratia conuocato, Synodus Metenſis anathematizata eſt, acta omnia abrogata, Theutgaudus, & Guntharius Epiſcopali dignitate priuati, & à communione fidelium ſeparati ſunt.

Quarè indignabundi Roma Beneuentum proficiſcentes eam epiſtolam ſcripſerunt, & inuulgarunt, quam nunc examinamus. Rem ita tradunt Anaſtaſius in Nicolao, Annales

Francorum editi à Frehero ad an. 863. & Regino lib. 2. ad an. 865.

Qualis autem ea epiſtola ſit, audi cenſuram Baronij ad an. 893. [Sanè quidem etſi complures inſurrexere in Eccleſiam Dei gentiles, Iudæi, hæretici, & rabido ore proſciderunt Romanæ Sedis Antiſtites, uullorum tamen, quod recorder, literæ extant in Romanum Pontificem ita refractariæ, contumelioſæ blaſpheme, mendaces, & arrogantes. Iſta euomuit furòr, iſta vibràuit iacula iracundia, & ſuperbiæ tumor in tantam erupit ſaniem Deo, hominibuſque graueolentem.] Hæc Baronius. Et certè (vt alias notas omittam) à mendacio excuſari non poteſt, quod aiunt, [contra fas, contra decreta, moremque maiorum ſine cœtu Eccleſiaſtico, cum circumſtetiſſet, nemo Archiepiſcoporum, nemo Pontificum, & Dynaſtarum acceſſit &c. Sententiam contra nos iniuſtam, temerariam, & nefariam, & Chriſtianæ Religioni repugnantem de cartula effudiſti.] Annales tamen habent, quòd Nicolaus [conuocato Romanæ Sedis Epiſcoporum Concilio, & Metenſem anathematizauit Synodum, & ad ſe miſſos Epiſcopos depoſuit, & communione priuauit: & Anaſtaſius inquit. Denique conuocata Synodo in Lateranenſi poſt hæc palatio ſub Apoſtolis, inuenti ſunt ijdem Archiepiſcopi, vndè damnationis notam incurrerent: & Regino: Paucis interpoſitis diebus ad Synodum, quam Papa congregauerat, ſunt accerſiti vbi eorum damnata, & anathematizata ſunt ſcripta, & ipſi omnibus adiudicantibus Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis, ſunt omni Eccleſiaſtica dignitate priuati.] At ſolemne hæreticis ſemper fuit, mendacijs tantùm, & impoſturis impetere magiſtram veritatis. Sed non multò poſt, ſceleris conſcientia ſtimulati, & culpam confeſſi ſunt, & pœnam deprecati, reſtitutionem communionis, & dignitatis à Pontifice humillimè poſtulantes. Verùm quò ad dignitatem [ſpes eorum fruſtrà eſt, inquit Regino, quamuis Imperator, omnibus votis illis opitulari voluiſſet. Reuertuntur igitur in Franciam, debita confeſſione repulſi, & dum iterum, ac tertio Sedem Apoſtolicam reparationis, & reſtitutionis gratia adiſſent, nouiſſimè in Italia infirmitate præuenti, peregrini, & exules moriuntur, communione laicali ſibi tantùm conceſſa.] Hæc Regino. Tu Anonyme, ſi ſapis, qui ſequutus es peccantes, ſequere pœnitentes, neque expectes horrendum Dei iudicium, quale in iſtos exercuiſſe memorat Ioannes Diaconus eius temporis ſcriptor in vita ſancti Gregorij lib. 4. cap. 94. Interim corrigite, tu, & Goldaſtus tuus veſtrum illum mendacem titulum iſtius epiſtolę, neque Synodo Epiſcoporum Germaniæ, & Belgij vltra tribuite, quod à duobus tantùm degradatis, & excommunicatis actum eſt. Neue iſtorum epiſtolam, quam illi ipſi tanquam ſcelus deteſtabile, & execrandum, pœnitentes, & complorantes ſollicitè, & anxiè luere conati ſunt, hanc impudentiæ, & impietati veſtræ ſuffragari putate.

Non diſputo, an verius ſit exemplar Illyrici, an Annalium Fuldenſium longè à Flauiano, & Goldaſtino diuerſum, nam, & in hoc (in alijs etiam, opinor) ſcepticum agit Goldaſtus, & noſtra nihil refert, vtrum hoc, an illud integrius, ac purius ſit.

Ab ijs mendacijs, & impoſturis Anonymus ad fœdiora, & grauiora delabitur. Defeciſſe Papatum contendit iam indè à Iulio II. omniumque nugarum eius ſumma hæc eſt. Iulius Secundus conſtituit, electionem Papæ ſimoniacam nullam eſſe. At Iulius ipſe ſimoniacè ad Pontificatum electus eſt. Ab eius ergo tempore Papatus defecit.

Sed mortalium ſtupidiſſimè, qui fieri poteſt, vt Iulius Secundus Pontifex non fuerit ex lege, quam futuro proſpiciens non tulit, niſi duobus annis, poſtquam Pontifex fuit? Miſeret me, Anonyme, pudetque tantę dementiæ, & ſtoliditatis hominem reperiri. Multò magis tantę impudentiæ, qua in rebus tanti ponderis totus ex fraude, & mendacio compoſitus ſtare in conſpectu hominum non vereris. Iulium ſimoniacè electum probas hunc in modum.

Iulius Papa Secundus, qui per ſimoniam regiminis culmen rapuerat, erroris ſui pœnitens ſuper ſimoniaca Papæ electione nouam legem ſanciuit, quam poſtea Andreas Gambarus illius familiaris interpretatus eſt, & ille Pontifex commentariorum dedicationem his verbis factam patienter ſuſtulit: [Lætor Pater ſancte, ſimoniam, quam in tui electione commiſiſti, cum tanto horrore prohibere.]

Reſp. Mortuum eſſe Iulium, quando illa Commentaria Gambarus ſcripſit, ſatis indicat in ipſo limine repetionis, dum inquit: [Conſtitutionis huius cauſa variè traditur, quamquam factum ſit adeò recens, vt pauci admodùm aulici ſint, qui non viderint eam promulgari. Et ad verbum Iulius: Iulius, qui fuit huius nominis ſecundus, ante vocabatur Iulianus.]

De viuente Pontifice, hominem eruditum dicturum eſſe, qui fuit, & compellaturum memoriam aulicorum pro rebus ab eo geſtis, nemo ſanus tibi perſuaſerit. Iulio Commentaria illa inſcripta, tam longè à vero abeſt, quàm proximè ad mendacium ſemper accedit Anonymus. Gambarus non magis ea verba dixit Iulio Secundo, quàm eam conſtitutionem ediderit Iulius Primus. Referens ſcilicet Gambarus varias cauſas, quæ ferebantur de occaſione legis, vt nihil reticeret, poſtremo loco dicit: [Non deſunt, qui dicant, eum inuidiſſe poſteris artes proprias; adeò prona ſunt hominum ſtudia ad maledicētiam, interpretandaq; in deteriorem partem omnia.] Auctorem huiuſce petulantis dicterij fuiſſe, ait, Florianum Dulphum Bononienſem, hominem eruditum quidem, ſed ſcurrili ingenio, [quo familiariter vtebatur Iulius dum eſſet Cardinalis, delectabaturque plurimùm iocis illius, quòd liber in dicendo eſſet, ſcommatibuſque, ac ſalibus abundaret, patiebaturque hominem in ſe, ac in cęteros iocari.] Patienter tuliſſe Iulium ſcomma Floriani; falſum eſt, illi enim reſpondens, ei, inquit Gambarus, ad diplomatis initium reddebat vices, inquiens: Non eſſe mirum, ſi maledictis, ſententijſque à communi hominum iudicio alienis abundaret homo, qui claudus, varus, gibbus, luſcus, habebat animam vitijs illis obnoxiam.] Vide lector, quanta in quatuor Anonymi lineis ſunt mendacia.

Fuiſſe verò à communi hominum iudi-

cio verè alienum, quòd Iulius per ſimoniam electus eſſet, grauiſſima teſtimonia ſunt, quæ ſupremis annis Pontificatus ſui illi contigere. Inſtigantibus ſcilicèt Maximiliano Cæſare, & Ludouico Duodecimo Galliarum Rege, nonnulli Cardinales à Iulio defecerunt, indictoque Piſis Concilio Generali, Pontificem, quem variorum criminuum reum agebant, citarunt ad cauſam dicendam. Damnati ſunt ideò à Iulio tanquam ſchiſmatici, & priuati dignitare Cardinalatus, alijque in eorum locum ſuffecti. Mortuo Iulio, dum de eligendo ſucceſſore tractaretur, grauirèr diſceptatum eſt; an Cardinales à Iulio priuati admittendi eſſent ad Conclaue. Qua occaſione pro ſchiſmaticis contra Iulium, & dictum, & ſcriptum eſt, quicquid in hominem mortuum hoſtibus atrociſſimis, & potentiſſimis (cùm multis nominibus, tum præſertim gratia fautorum) ſuggerere potuit, odium, & neceſſitas in tali cauſa. Obiecta ſunt ei periurium, negligentia, contumelia, ſæuities, tyrannis. At ſimoniam nemo vnquam commemorauit. Scripſit de tota hac cauſa tractatum locupletiſſimum Dominicus Cardinalis Iacobatius de Concil. lib. 7. & ſparſę ſunt pleriſque in locis Concilij Generalis Lateranenſis, quod hanc ob cauſam ab eo conuocatum eſt, querelæ ſchiſmaticorum in Pontificem. Imò an. 1612. Pariſijs edita ſunt acta illius Conciliabuli cum omnibus literis, apologijs, conſilijs, ſententijs in Iulium, nuſquam tamen ſimoniæ veſtigium vllum apparet. Si verò ſimonia Iulio verè obijci potuiſſet, qui eam ſilentio tunc præteritam iri credat?

Exhauſta in Iulio Secundo verecundia, cum præſidio alterius libelli Anonymi, cui titulus, Nouus Homo, quem an. 1613. edidit impietatis officina Londinum, ſine vllo pudore tranſit ad Sixtum Quintum, cuius Pontificatum eadem machina pulſat. Verùm quia loquitur de rebus non mille annorum, ſed noſtri ſæculi, noſtræ ætatis, quæ non ab hominibus obſcuris in tenebris, ſed à duobus Maximis Principibus, in oculis omnium, in medio orbe terrarum geſtæ ſunt, neque quiſquam in orbe eſt rerum Romanarum non ignarus, qui neſciat, quæ dicit, omnia eſſe mendacia impudentiſſima, ego optimum Pontificem totius orbis teſtimonio munitum ab hac calumnia non vindico.

Sicut verò Anonymus in vtroque facto mentitur, ita in iure præſefert ignorantiam adeò ſupinam primorum principiorum, & axiomatum iuriſprudentiæ, vt ſine manifeſta temporis iactura refelli non poſſit.

Mirare verò tu lector pie ſingularem Dei prouidentiam erga res ſuas. Dum enim hæretici in viſceribus Europæ contra æternam Petri Cathedram has turbas miſcent: Ecce ab Eccleſijs Ægypti, Æthiopiæ, & Ruſsiæ ad Clementem Octauum duæ præclariſſimæ legationes profitentes illum eſſe ſucceſſorem Beati Petri; Caput Eccleſiæ vniuerſalis, cuius virgæ totum ouile Chriſti ſubiectum ſit. Ecce ab extremis Libyæ finibus ex Perſide, ex Iaponia, ab ipſis inacceſſis regnis Sinarum aliæ legationes ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Paulum Quintum ipſum, vt omnium Chriſtianorum Paſtorem, & Patrem venerantes. Quaſi totius orbis conſpiratione, & conſenſu coarguere velit Deus temeritatem, inconſiderantiam, & dementiam Nouatorum. Cum ergo rationibus, auctoritatibuſque deſtituti, mendacijs, cauillis, & impoſturis tantùm Romani Pontificis primatum impugnent hæretici, Anonyme mentis te, & conſilij adeò inopem futurum non credo, vt agnita veritate non pudeat, pœniteatque harum mutuatitiarum nugarum prætextu deſeruiſſe Ciuitatem Dei, in qua natus, & educatus es, & ad Babyloniorum caſtra transfugiſſe. Eoque maximè, quod dictum à Spiritu ſancto non ignoras, [quod qui affligit Patrem, & fugit Matrem, ignominioſus eſt, & infęlix.] Quorum vtrumque apoſtaſia, & ſcriptione feciſti. [Redi ergo, Anonyme, redi ad abiuratam fidem. Pio te ſinu, ſicut hactenùs habuit, Mater Eccleſia accipiet. Nunquam eſt ſera correctio. Scit diù expectare immodico labore quæſitos. Neſcit pro vilibus deſpicere magno pretio comparatos: multis gradibus recurſus ad ſalutem Præter deſperantem nullus excluditur. Fructus veniæ proximus eſt coronæ.] Si verò tu pertinax (quod Deus auertat,) rebellis eſſe perrexeris, ſcito, quòd inconcuſſa, & immobilis ſtat hæc petra, quam Chriſtus iecit Eccleſiæ fundamentum, frementque licet, vrgeant, minentur vndique tumentes hæreſum fluctus, denique ad hanc cautem illiſos, frangi neceſſe eſt, & in tenuiſſimæ ſpumæ atomos diſſipari.

EIVSDEM AVCTORIS.

ADVERSVS PRAETENSVM PRIMATVM Eccleſiaſticum Regis Angliæ.

L I B E R

In quo Iacobi Regis, & eius Eleemoſynarij confutantur Scripta

De { *Captioſo Iuramento Propoſito Anglis Catholicis.*
Vſurpata Poteſtate Spirituali eiuſdem Regis.
Exaggerata, & Impoſſibili Hominum, & Redditaum ſacrorum copia in vniuerſa Republica Chriſtiana.

Loquebar de Teſtimonijs tuis in conſpectu Regum, & non confundebar. *Pſal.* 118.

Leges in Anglia promulgata aduersùs Catholicos Iacobo Sexto Rege.

I. SAneitur, vt quicumque conuictus fuerit, quòd rei ſacrę intereſſe pertinaeitèr reeuſarit; poſt autem conformem ſe reddiderit; ei vt non ſatis fit, ſi templa adeat, niſi & intra annum ſacra etiam Euchariſtia communicet; atque ita deinceps, ſemel ſaltem quotannis. Qui ſeeus ſaxit, peeuniaria mulcta luat, anno primo, 20. anno ſecundo, 40. tertio, 60. librarum noſtratium. Sin vbi ſemel communieauit; poſt detrectet iterum. quotannis 60.

II. Quotannis ſemel deſetantur ad Iudices eorum nomina, qui de menſtrua abſentia notati ſunt, etiam ſi quos habeant liberos nouennes, vel ſuprà, qui apud parentes agant; tum ſeruorum etiam nomina. Ni deferantur, decem florenis mulctantur, quorum id ex lege munus eſt.

III. Poteſtas Iudieibus fit, vt ſtatis temporibus, quibus ius dici ſoler, bis, quaterue in anno, audiant offeuſas eiuſmodi, atque ſtatuant in reos, ex Legis ſententia. Quòd ſi tum ſubducant ſe, qui rei ſunt; præconio publico ſiſtendi ſunt, in terminum proximum iuridieum; quo tempore, ni ſe ſtiterint, pro conuictis habeantur.

IV. Edicitur. vt qui pertinacitèr abſentiæ à ſaeris legitimè conuictus fuerit (vi legis, quæ iam dudum ea de rogata fuerat) Paſehæ termino, vel Michaelis, qui proximè tum ſubſequetur, poſtquam ita eonuictus fuerit; ſoluat Fiſeo Regio mulctæ nomine libras noſtrates 20. pro ratione menſium, qui tabulis aceuſatorijs compræhenſi ſunt: atque vt eiuſdem deineeps mulctæ in menſes poſt ſingulos teneatur, citrà nouam vllam in iudicio poſtulationem; præterquam ſi duæ tertiæ terrarum in manu regia ſint. Hoc autem quoadusque reus legi pareat de ſacris adeundis.

V. De ratione cauetur, quà certiores reddantur, qui fiſco præſunt, quod à quoque, & quo tempore perſolui debeat: Tum ſi ceſſatum ſit à quoquam in perſoluendo, qua ratione mulcta leuati poſſit.

VI. Cùm de mulcta illa 20. librarum compertum ſit, magis oneroſam eſſe eam, ijs, qui tenuiore fortuna ſunt, quàm qui ampla; quodque ditiores hi, dum terris ſuis ſibi frui detur, 20. libras malunt pendere, vndè illis etiam mulcta ſoluta copioſè ſupereſt, quod verò ita ſupereſt, in Ieſuitas iuſumunt, alioſque, qui regno huie, Reipublicæque infeſti ſunt: Edicitur, vt fiſco regio optio fiat, vtrùm 20. libras menſtruatim accipere, an vero illarum nomine, malit duas tertias adire

ter-

Digitized by Google

tetrarum, relicta refractarijs tertia ſua. Ità tamen, 1. vt cuique bonæ fidei creditori ſaluum maneat ius ſuum debiti ſui exigendi: 2. vt in duabus illis tertijs (quas fiſcus adeat) fundus ipſe primarius, vel ædes, comprehendi non debeant, in quibus commorari ſolent: 3. vt alteri, qui & reſtactarius ipſe ſit, duas illas tertias dimittere non liceat: 4. vt ſi cuiquam locentur duæ illæ tertiæ, de ſartis tectis præſtandis idonea ſit cautio.

VII. Quo exploratum ſit, quò ad fidem in Regem, quo animo ſint ſubditi; poteſtas ſit Epiſcopo cuiuis in Diœceſi ſua, vel Eirenarchis duobus (quorum tamen de præſidentibus vnus ſit) cuicumque, qui de nobilium numero non ſit, quique decimumoctanum annum agat, maiorue natu ſit; qui quidem poſtulatus iam antea in iudicio pertinacis à ſacris abſentiæ; ſiue qui intra annum tum elapſum ſacramenta bis non communicauerit; ſiue etiam, qui ignotus oberrauerit, dum, vt fit; aliquò ſe iter habere fingit (cum ſe tamen de eo rogatus non diſſiteatur, ſacris intereſſe nolle, vel ſuperiore anno bis ſacramento non communicaſſe) Iuramentum quod nono poſt articulo ſequitur, deferendi.

VIII. Statuitur. Si quis iuramentum delatum reſpuat, nec de numero nobilium ſit, vt in carcerem communem amandetur ad proximum vſque conuentum iuridicum. Quod ſi conuentu tum illo publicè in ipſo Iudicum conſeſſu delatum ei denuò, denuò reſpuat; pœnam eam incurrat, quæ eſt amiſſionis bonorum, & carceris perpetui. Mulieres tamen coniuges ibi excipiantur, quibus nulla eſt pœna, niſi ſolius carceris; nec eius, niſi tantiſper, dum iuramentum ita delatum ſubeant.

Formula Iuramenti, ad detegendos Papiſtas.

IX. EGo A. B. verè, & ſincerè agnoſco, profiteor, reſtificor, & declaro [Hìc non refertur, legitur enim integra infrà, in primo Breui Pontificis.]

X. Cauetur, Ne ad actionem intentatam, ſiue de re diuina neglecta, ſiue de non ſumpta Euchariſtia, vlli liceat diuerticula Iuris quærere ex, ſiue apicum defectu, ſiue aliquo quouis formulario, ſed vt rectam rem petat, & de facto ſuo, vel affirmet, vel neget; interfuiſſe nimirùm rei diuinæ; ſacramenti participem fuiſſe. Quòd ſi tamen quiſpiam in iudicio poſtulatus, de obedientia ſua in futurum reſpondeat, quocumque id tempore faciat; ſtatim vt actionem inſtitutam, ac proceſſum iuris omnem irritum facere liceat, nec edicto obnoxius ſit.

XI. Cùm, & illud habeatur pro exploratо, qui vltrò peregrè in militiam profecti ſunt exterorum Principum, plerumque ab officio ſuo, qua in Deum, qua in Regem, abduci per transfugas quoſdam noſtros, & Ieſuitas. Cauetur, Ne quis Regno exeat militaturus vſpiam; neue ex alia cauſa egreſſus militet Principi cuiquam extero, ſeu poteſtati, niſi ſuſcepto priùs iuramento hoc, in lege poſito. Qui ſecùs faxit, vt pro felone habeatur. Paritèr & ij, qui equeſtris ordinis ſunt, vel ſuperioris vllius, aut qui functi aliquo caſtrenſi munere, vt ne exeant regno in militiam, neue cuiquam militent; niſi ſyngrapham priùs dent, & cum fideiuſſore gemino ſe obſtringant (ſumma autem ſit 20. librarum, cautionis nomine) ne Papæ reconcilientur; vel in coniuratione vlla ſint contra Regem, actu, vel conſenſu; aut celent vllam, quacumque tandem ratione ſibi cognitam.

XII. Si quis de ſubditis regijs quemquam trans mare; vel in ipſo maris tranſitu, ſeu alio quocumque loco intra ditiones regias, vel abſoluere tentent, vel abducere à naturali ſua obedientia Regi debita, aut Papæ reconciliet, Sediue Romanæ, vel eò adducat, vt obedientiam ſuam ſpondeat, cuicumque auctoritati prætenſæ, ſeu Sedis Romanæ, ſeu exteri, vel Principis, vel poteſtatis cuiuſcumque. Qui fecerit, quiue inſtigator, conſultor, aut patrocinator, conſciuſue facti fuerit, Læſæ Maieſtatis crimine teneatur. Eademque vt pęna plectatur, cui perſuaſum eſt, quiue abductus à fidelitate, vel reconciliatus, vel eiuſmodi auctoritati prætenſæ fidem ſpoponderit. Qui tamen ità reconciliati, ſi intra ſextum à reditu ſuo diem, Regiæ ſe Maieſtati, illiuſque legibus parituros fidem dederint, ſuſcepto eo, quod hac lege propoſitum eſt, atque altero illo (quod Elizabethæ primo conceptum olim) Primatus iuramento, eis vt, hoc nomine, lex iſta capitalis ne fiet. Qui inferioris ordinis ſunt, vt peragantur rei, coram rerum capitalium quæſitoribus, aut qui de ſubſollio Regio Iudices ſunt, ex lege Maieſtatis læſæ; idque quaſi ea ipſa in Prouincia peccaſſent, qua primùm eis manus iniecta eſt. Qui verò de ordine ſunt procerum, vt in eos ſtatuatur per pares ſuos, iudices honorarios.

XIII. Si quis à re Diuina abſit diebus Dominicis (ex lege primò Elizabethæ lata) mulcta ei ſit, ſemi floreni, in ſtipem, & eleemoſynam erogandam eis, qui in Parœtia illa ſunt pauperes. Qui verò huius edicti mulctam ſoluerit, is alteri illi in edicto priore obnoxius non erit.

XIV. Si quis ſeruum alat, aut aduenam contubernio excipiat, qui rei ſacræ recuſet intereſſe, niſi legitima cauſa impeditus: id ſi ſciens prudens fecerit, mulcta ei in menſem dicitur (quamdiu ità penès ſe in familia retinuerit) decem librarum: At id ſimul ſancitur, vt ſi parentum alter, cui res, vel ædes de ſuis non ſunt, vel ſi pupillus, ſi cuſtodiæ alicuius ex auctoritate vlla publica mandatus; liceat apud ſe habere, atque alere, quantumuis ſacra adire recuſantem.

XV. Si, Decreto Iudicis ad Prouinciæ Præfectum tranſmiſſo, aut alium quempiam, cui id exequendi ius eſt, de refractarij alicuius Papiſtæ præhenſione, qui ex eo, quòd refractarius ſit ſub excommunicationis cenſura maneat: Sancitur, vt fas ſit præfecto (ſi aliter nequit) ædes eius intrare, per vim. Quòd ſi reſiſtat, etiam vicinæ opem aduocare, vt educat indè, & in cuſtodiam det.

XVI. In admiſſa omnia contra edictum hoc inquiri poterit, atque animaduerti per Regij ſubſellij Iudices, vel eos, qui in Prouincias peragrant, vt ius dicant: ſiue quæſitores rerum capitalium. Quæ verò, citrà læſam Maieſtatem conſiſtunt, ab Eirenarchis Prouinciarũ, quo tempore trimeſtres conuentus agunt.

XVII. Sta-

XVII. Statuitur. Quicumque demùm feloniæ reus peractus fuerit, ex edicto hoc violato; vt (quod in reatu illo apud nos ferè fit) dos vxori ne pereat, neue hæredes infamiæ iuris obnoxij ſint, aut hæreditate excluſi: ſed vt prærogatiua ſanguinis fruantur, & liberè hæreditatem adeant.

XVIII. Si quis, ex eo capite, actionem in quemquam inſtituat, quod fecerit, iuſſeritue quæ ad edicti huius executionem ſpectent; reo fas ſit, in Genere, hunc ſibi cauſæ ſtatum conſtituendi, & per idoneas rationes probandi; quæ ita fecit, ea ſe ex mente legis feciſſe.

XIX. Cauetur. Ne, per edictum hoc, fraus vlla fiat iuriſdictioni Eccleſiæ, ſed vt liberè etiam maneant cenſuræ eius omnes in refractarios, quibus vti fas fuit antè legem hanc rogatam.

XX. Sancitur. Ne vxoris non communicantis pertinacia, redundet in maritum; aut is mulctæ cuiuſquam reus ſit propter vxoris delictum: neue mulier ipſa iam vidua, & ſui iuris facta, mulctam eius luat, quòd nupta peccauit.

XXI. Quibus in cauſis Epiſcopo ius eſt, vel Eirenarchis iuramentum (de quo iam antè mentio) cuiuis, qui de inferiore ordine ſit, deferendi: in iiſdem ipſis idem ius ſit quibuſdam de ſanctiore Regis Conſilio Dominis, ab ijs, qui de Nobilium numero apud nos ſunt, & decimum octauum annum exceſſerint, illud ipſum iuramentum exigendi. Quod ſi præſtare renuant (dum ne mulieres ſint nuptæ) vna eſt, eademque pœna, bonorum publicationis, & carceris perpetui.

XXII. Quòd ſi quis peregrè in militiam profecturus nauem ſoluat, ex vllo quinque Portuum Nobiliorum; vlloue, qui eis ſubſunt alio, Illuſtri Portuum illorum Limenarchæ poteſtas datur, eiue, qui vices illius obtinet, ſacramenti huius illis deferendi.

[Hæ ſunt leges ab aduerſarijs Eccleſiæ, aduerſus Catholicam Fidem promulgatæ; quibus adijcimus etiam Iuramentum illud primatus Eccleſiaſtici, de quo ſæpe mentionem facere cogemus, cum ſuper ipſo totius controuerſiæ cardo vertatur. Ita ergo habetur apud Regem, in Apologia, pro Iuramento fidelitatis.]

Iuramentum Primatus.

EGO A.B. palam teſtor, & ex conſcientia mea declaro. Quòd Maieſtas Regia, vnicus eſt, ſupremus Gubernator huius Regni, omniumque aliorũ ſuæ Maieſtatis Dominiorum, ac Territoriorum; tam in omnibus ſpiritualibus, ſiue Eccleſiaſticis rebus, aut cauſis; quàm in temporalibus; & quòd nullus extraneus princeps, perſona, Prælatus, ſtatus, aut Potentatus habet, aut habere debet vllam Iuriſdictionem, poteſtatem, ſuperioritatem, præeminentiam, vel auctoritatem Eccleſiaſticam, ſiue ſpiritualem infrà hoc Regnum. Et proindè renuncio penitùs, & reijcio omnes extraneas Iuriſdictiones, Poteſtates, ſuperioritates, & auctoritates: Et promitto, me deinceps fidem, & veram obedientiam Regię Maieſtati, eiuſque hæredibus, ac legitimis ſucceſſoribus præſtituram: & pro virili mea adiututum, ac propugnaturum omnes iuriſdictiones, priuilegia, præeminentias, & auctoritates Regiæ Maieſtati, hæredibus ſuis, ac ſucceſſoribus conceſſas, vel debitas, ſiue Imperiali huius Regni Coronæ annexas. Ita me Deus adiuuet, & per huius libri contenta.

PRIMVM BREVE PONTIFICIS

Catholicis Anglis.

PAVLVS PAPA V.

DIlecti filij ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Magno animi mœrore nos ſemper affecerunt tribulationes, & calamitates, quas pro retinenda Catholica fide iugiter ſuſtinuiſtis, ſed cum intelligamus, omnia hæc magis exacerbari, afflictio noſtra mirum in modum aucta eſt. Accepimus namque compelli Vos, grauiſſimis pœnis propoſitis, templa hæreticorum adire, cœtus eorum frequentare, concionibus illorum intereſſe. Profectò credimus proculdubio eos, qui tanta conſtantia, atque fortitudine atrociſſimas perſecutiones; infinitas propemodum miſerias hactenùs perpeſſi ſunt, vt immaculatè ambularent in lege Domini, nunquam commiſſuros eſſe, vt coinquinentur communione deſertorum Diuinæ Legis. Nihilominus zelo Paſtoralis officij noſtri impulſi, & pro paterna ſollicitudine, qua de ſalute animarum veſtrarum aſſiduè laboramus: cogimur monere vos, atque obteſtari, vt nullo pacto ad hæreticorum templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipſis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis. Non enim licet vobis hæc facere, ſine detrimento diuini cultus, ac veſtræ ſalutis. Quemadmodum etiam non poteſtis, abſque euidentiſſima, grauiſſimaque diuini honoris iniuria, obligare vos Iuramento, quod ſimiliter maximo cum cordis noſtri dolore, audiuimus propoſitum vobis fuiſſe præſtandum infraſcripti tenoris, Videlicet.

[Ego A. B. verè, & ſyncerè agnoſco, profiteor, teſtificor, & declaro in conſcientia mea, coràm Deo, & mundo. Quod ſupremus Dominus noſter rex Iacobus eſt legitimus, & verum rex huius Regni, & omnium aliorum Maieſtatis ſuæ Dominiorum, & terrarum; & quòd Papa, nec per ſe ipſum, nec per vllam aliam auctoritatem Eccleſiæ, vel Sedis Romanæ, vel per vlla media cum quibuſcumque alijs, aliquam poteſtatem, nec auctoritatem habeat Regem deponendi, vel aliquorum Maieſtatis ſuæ Dominiorum, vel Regnorum diſponendi, vel alicui principi extraneo ipſum damnificare, aut terras ſuas inuadere auctoritatem concedendi, vel vllos ſubditorum ſuorum ab eorum ſuæ Maieſtatis Obedientia, & ſubiectione exonerandi: aut vllis eorum licentiam dare arma contra ipſum gerendi, tumultus ſeminandi, aut aliquam violentiam, aut damnum Maieſtatis ſuæ perſonæ, Statuit, vel Regimini, vel aliquibus ſuis ſubditis, infra ſua Dominia, offerendi.

pre-

Item iuro ex corde, quod non obſtante aliqua declaratione, vel ſententia excommunicatinnis, aut depriuationis ſacta, vel conceſſa; aut facienda, vel concedenda per Papam, vel ſucceſſores ſuns, vel per quamcumque auctoritatem derinatam, aut deriuari pratenſam ab illo, ſeù à ſua Sede contra dictum Regem, hæredes, aut ſucceſſores ſnos; vel quacumque abſolutione dictorum ſubditorum ab eorum obedientia; Fidelitatem tamen, & veram obedientiam ſuæ Maieſtati, hæredibus, & ſucceſſoribus ſnis præſtabo, ipſumqne, & ipſos totis meis viribus contra omnes conſpirationes, & attentata quæcumque, quæ contra perſonam illins, vel illorum, eorumque Coronam, & Dignitatem ratione, vel colore alicuius ſententiæ, vel declarationis, aut aliàs facta fuerit, defendam. Omnemque operam impendam reuelare, & Maleſtati ſuæ, hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis manifeſtum facere omnes proditiones, & proditorias conſpirationes, quæ contra illnm, aut aliquns illorum ad notitiam, vsl auditum meum peruenerint.

Præterea Iuro. Quod ex corde abhorreo, deteſtor, & abiuro, tanquam impiam, & hæreticam hanc doctrinam, & propoſitionem. Quòd principes per Papam excommunicari, vel depriuari, poſſint per ſuos ſubditos, vel alios quoſcumque deponi, & occidi.

Et vlterins credo, & in conſcientia mea reſoluor. Quòd nec Papa, nec alius quicumque poteſtarem habet, me ab boe Iuramento, aut aliqua eius parre abſoluendi. Quod Inramenrum agnoſco recta, ac plena auctoritate eſſe mihi legirimè miniſtrarum, omnibuſque indulgenrijs, ac diſpenſationibus in contrarium renuutio. Hæcque omnia planè, & ſyneerè agnoſco, & Iuro, iuxta expreſſa verba per me hic prolara, & iuxta planum, ac cnmmunem ſenſum, & intellectum eorumdem verbnrum, abſque vlla æquiuocatione, aut mentali euaſione, vel ſecreta reſeruatinne quacumque. Haneque recognitionem, & agnitionem ſacio cordialiter, voluntariè, & verè, & in vera fide Chriſtiani viri, ſic me Drns adiuurt.]

Quæ cum ita ſint, vobls ex verbis ipſis perſpicuum eſſe debet, quòd huinſmodi Iuramentum, ſalua fide Carholica, & ſalnte animarum veſtrarum præſtari non poteſt, cum mnlta continrat, quæ Fidei, & ſaluti apertè aduerſantur. Propterea admonemus vos, vt ab hoc, atque ſimilibus Iuramentis præſtandls omninò caueatis; quod quidem eò acriùs exigimus à vobis, quia experti veſtræ fidei conſtantiam (quæ tauquam aurum in fornace perpetuæ tribnlationis igne probata eſt) pro comperto habemus, vos alacri animo ſnbituros eſſe quæcumque atrociora tormenta, ac mortem denlque ipſam conſtanter oppetituros potiùs, quàm Dei Maieſtatem vlla in re lædatis. Et fiducia noſtra confirmatur ex his, quæ quotidie Nobis afferuntur de egregia virtute, atque fortirudine, quæ non ſecùs ac in Eccleſiæ primordijs, reſplendet noniſſimls hiſce temporibus in martyribus veſtris.

State ergn, Succincti lumbos veſtros in veritate, & induti loticam iuſtitiæ, ſumentes ſcutum Fidei; confortamini in Dominn, & in potentia virtutis eius; nec quicquam vos detineat. Ipſe autem qui coronaturus vos certamina in Cœlo intuetur, bonum opus, quod in vobis cœpit, perficiet: Noſtris quod diſcipulis ſuis pollicitus eſt ſe nunqnam relicturum eſſe eos orphanns. Fidelis enim eſt, qui repromiſit. Retiuete igitur diſciplinam eius, hoc eſt radicati, & ſundati in charitate, quicquid agiris, quicqnid conamini, in ſimplicitate cordis, & vnitate ſpiritus ſine murmuratione, aut hæſitatione vnanimes facite. Si quidem, In hoc cognoſcunt omnes, quòd diſcipuli Chriſti ſumus, ſi dilectionem ad inuicem habnerimus. Quæ quidem charitas cum ſit omnibus Chriſti fidelibus maximè appetenda, vobis certè, dilectiſſimi filij, prorsùs neceſſaria eſt. Hac enim veſtra charitare diaboli potentia infringitur, qui nunc aduersùs vos tantopere inſurgit, cum ipſa contentionibus, atque diſſidijs noſtrorum filiorum præcipuè nitatur.

Horramur itaque vos per viſcera D. Ieſu Chriſti, cuius charitate à ſaucibus æternæ mortis erepti ſumus, vt aute omnia mutuam inter vos charitatem habeatis. Præſcripſit ſanè vobis præcepea maximè vtilia, de fraterna charitate viciſſim exercrnda, fælicis record. Clemens Papa VIII. ſuis literis in forma Breuis ad dilectum filium Magiſtrũ Georgium Archipresbyterum Regni Angliæ, datis die quinta menſis Octobris 1603. Ea igitur diligenre, exequimini. Er ne vlla difficultate, aut ambiguitare remoreminl; præcipimus vobis; vt illarum litrrarum verba ad amuſſim ſeruetis, & ſimpliciter prout ſonant, & iacent accipiatis, & intelligatis, ſublata omni facultate alirer illa interpretandi. Interim nos nunquam ceſſabimus Deum Patrem miſericordiarum precari, vt afflictiones, labores veſtros clementer reſpiciat, ac Vos continua protectione cuſtodiat, arque drfendat. Quos Apoſtolica Benedictione noſtra clementer impertimur. Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris, x. Kal. Octobris MDCVI. Pontificatus noſtri anno Secundo.

SECVNDVM BREVE PONTIFICIS.

Dilectis filijs Anglis Catholicis.

PAVLVS PAPA V.

Dilecti filij ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Rrnuntiatum eſt nobis reperiri nonnullos apud vos, qui (cum ſatis declarauerimus per lireras noſtras anno ſuperiore x. Kalendas Octobris in forma Breuis datas, Vos tuta conſcientia præſtare non poſſe Iuramentum, quod à vobis tunc exigebatur, & præterea ſtrictè præcepetimus ne vllo modn illud præſtaretis: nunc dicere audent huiuſmodi literas de prohibitione Iuramenri, non ex animi noſtri ſententia, noſtraque propria voluntare ſcriptas fuiſſe, ſed potiùs aliorum intuitu, atque induſtria, eaque de cauſa ijdem perſuadere nituntur,

tur, mandata noſtra dictis literis non eſſe attendenda. Perturbauit ſanè Nos hic Nuntius, eoque magis, quia experti obedientiam veſtram (filij noſtri vnicè dilecti) qui vt huic ſanctæ Sedi obediretis, opes, facultates, dignitatem, libertatem, vitam denique ipſam piè, ac generoſè nihili feciſtis; nunquam ſuſpicati eſſemus, potuiſſe vocari apud vos in dubium fidem literarum noſtrarum Apoſtolicarum, vt hoc prætextu vos ex mandatis noſtris eximeretis. Verùm agnoſcimus verſutiem, atque fraudem aduerſarij humanæ ſalutis, eique potiùs, quàm veſtræ voluntati tribuimus hanc renitentiam. Eapropter iterum ad vos ſcribere decreuimus, ac denuò vobis ſignificare, literas noſtras Apoſtolicas, anno preterito x. Kalendas Octobris datas, De prohibitione Iuramenti, non ſolùm Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia; verùm & poſt longam, & grauem deliberationem de omnibus, quæ in illis continentur adhibitam fuiſſe ſcriptas; & ob id teneri vos illas omninò obſeruare, omni interpretatione ſecùs ſuadente reiecta. Hæc autem eſt mera, pura, integraque voluntas noſtra, qui de veſtra ſalute ſolliciti ſemper cogitamus ea, quæ magis vobis expediunt, & vt cogitationes, & conſilia noſtra illuminet is, à quo Chriſtiano gregi cuſtodiendo noſtra fuit præpoſita humilitas, indeſinenter oramus. Quem iugiter precamur, vt in vobis, filijs noſtris ſummopere dilectis, fidem, conſtantiam, mutuamque inter vos charitatem, & pacem augeat. Quibus omnibus cum omni charitatis affectu peramanter benedicimus. Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris x. Kalendas Octobris MDCVII. Pontificatus noſtri anno Tertio.

EPISTOLA
CARDINALIS BELLARMINI

Ad Archipresbyterum Angliæ.

VEnerabilis in Chriſto Domine Frater. Anni ſunt ferè quadraginta, quòd inuicem non viderimus. Sed ego tamen veteris noſtræ conſuetudinis nunquam oblitus ſum; teque in vinea Domini ſtrenuè laborantem, quando aliter non potui, orationibus Deo commendare non deſtiti. Me quoque in tua memoria totò hoc tempore vixiſſe, & in tuis orationibus ad altare Domini locum aliquem habuiſſe non dubito. Ità igitur ad hoc vſque tempus; non verbis, aut literis, ſed opere, & veritate (vt ſanctus Ioannes loquitur) alter in alterius dilectione permanſimus. Sed hoc ſilentium rumpere coegit nuntius, qui diebus iſtis de tuis vinculis, & carcere ad nos venit: qui quidem nuntius, etſi triſtis videri poterat, ob iacturam paſtoralis tuæ ſollicitudinis, quam Eccleſia iſta fecit: tamen lætus quoque videbatur, quoniam ad martyrij gloriam, quo dono Dei nullum eſt fœlicius, propinquabas, vt qui tot annis gregem tuum verbis, & doctrina pauiſſes, nunc exemplo patientiæ glorioſius paſceres. Verùm hanc lætitiam non mediocriter interturbauit, ac ferè corrupit triſtis alius nuntius, qui de conſtantia tua in recuſando illicito Iuramento, ab aduerſarijs tentata, fortè etiam labefactata, & proſtrata ſucceſſit. Neque enim (frater chariſſimè) Iuramentum illud ideò licitum eſſe potuit, quod aliquo modo temperatum, & modificatum offerebatur. Scis enim huiuſmodi modificationes nihil eſſe aliud, quàm Sathanæ dolos, atque verſutias, vt fides Catholica de primatu Sedis Apoſtolicæ, vel apertè, vel obſcurè petatur, pro qua fide tot inclyti Martyres in iſta ipſa Anglia, ad ſanguinem vſque, pugnarunt. Certè enim quibuſcumque verbis iuramentum ab aduerſarijs fidei conſpiciatur in Regno iſto, eò tendit, vt auctoritas capitis Eccleſiæ à ſucceſſore ſancti Petri, ad ſucceſſorem Henrici VIII. in Anglia transferatur. Quod enim obtenditur de periculo vitæ Regis, ſi Summus Pontifex eam in Anglia poteſtatem habeat, quam in omnibus alijs Chriſtianis Regnis habet, inane prorsùs eſſe, omnes, qui ſunt aliqua prudentia præditi, facilè vident. Neque enim auditum eſt vnquam ab initio naſcentis Eccleſiæ, vſque ad hæc noſtra tempora, quòd vllus pontifex Maximus principem vllũ, quamuis hæreticum, quamuis ethnicum, quamuis perſecutorem, cædi mandauerit, aut cædem fortè ab aliquo patratam probauerit. Et cur quæſo vnus Rex Angliæ timet, quod ex tot Chriſtianis principibus nullus timet, nullus timuit? ſed (vt dixi) vani iſti prætextus decipulæ ſunt, & ſtratagemata Sathanæ, qualia non pauca in hyſtorijs veterum temporum inueniuntur; quæ facilè referre poſſem, ſi, non epiſtolam, ſed librum integrum ſcribendum ſuſcepiſſem. Vnum tantùm exempli gratia, ad memoriam tibi reuocabo. Scribit ſanctus Gregorius Nazianzenus in prima oratione in Iulianum Imperatorem. Illum, vt ſimplicibus Chriſtianis imponeret, in Imaginibus Imperatorijs, quas Romani ciuili quodam genere honoris, pro more adorabant, imagines Deorum falſorum admiſcuiſſe, vt nemo poſſet Imperatoris imaginem adorare, quin ſimul Deorum ſimulachris, cultum adhiberetur; hinc nimirùm fiebat, vt plurimi deciperentur: etſi qui fortè fraudem ſubodorati Imperatoris imaginem venerari recuſarent, ij grauiſſimè punirentur, vt qui Cœſarem in ſua imagine contempſiſſent; tale aliquid in Iuramento vobis oblato, mihi videre videor, quòd ea fraude compoſitum eſt, vt nemo poſſit proditionem in Regem deteſtari, ciuilemque ſubiectionem profiteri, quin primatum Sedis Apoſtolicæ perfidè abnegare cogatur. Sed Chriſti ſerui, ac præſertim primarij Domini Sacerdotes, vbi periculum fidei ſubeſſe poſſit, tantùm abeſſe debent à ſuſceptione illiciti iuramenti, vt ab omni etiam ſuſpicione ſimulationis præſtiti iuramenti cauere debeant; ne fidelibus populis vllum præuaricationis exemplũ reliquiſſe videantur. Quod egregiè præſtitit inſignis ille Eleazarus, qui neque porcinas carnes comedere, neque ſimulare comediſſe voluit, quamuis grauiſſima tormenta, ſibi cerneret imminere; ne (vt ipſe ait in 2. libro Machabæorum) multi iuuenum per eam ſimulationem, ad legis præuaricationem animarentur. Neque minùs fortiter Magnus Baſilius, & exemplo ad res noſtras magis accommodato, cum Valente Impera-

tore

tore ſe geſſit; nam (vt in hyſtoria ſcribit Theodoretus) cùm Præfectus Imperatoris hæretici hortaretur ſanctum Baſilium, vt non velet propter paruam dogmatum ſubtilitatém Imperatori reſiſtere: reſpondit vir ille ſanctiſſimus, & prudentiſſimus. Non eſſe ferendum, vt de diuinis dogmatibus, vel vna ſyllaba corrumpatur, ſed potiùs pro eorum defenſione, omne genus ſupplicij amplectendum. Equidem arbitror non deeſſe apud vos, qui dogmatum ſubtilitatem eſſe dicant, quæ in Iuramento Catholicis hominibus propoſito continentur, & non eſſe, propter rem tam paruam, Regis Imperio reluctandum. Sed non deerunt etiam viri ſancti, ac Magno Baſilio ſimiles, qui palàm affirmabunt; Non eſſe de diuinis dogmatibus, vel minimam aliquam ſyllabam corrumpendam, etiam ſi tormenta, & mors ipſa toleranda proponantur. Inter hos vnum, vel potiùs horum principem, atque anteſignanum te eſſe par eſt. Et quamuis, vel inopinata comprehenſio, vel acerbitas perſecutionis, vel ſenectutis imbecillitas, vel quid aliud in cauſa fuerit, vt conſtantia titubauerit; confidimus tamen de Domini pietate, & de diuturna tua virtute, fore, vt qui ſancti Petri, & ſancti Marcellini caſum aliqua ex parte imitatus videris, eorumdem fortitudinem in reparandis viribus, & veritate aſſerenda, feliciter imiteris. Nam ſi rem totam diligenter apud te cogitare volueris, videbis profectò non eſſe rem paruam, quæ ob Iuramentum iſtud in diſcrimen adducitur, ſed vnum ex præcipuis fidei noſtræ capitibus, ac Religionis Catholicæ fundamentis. Audi enim quid Apoſtolus veſter Magnus Gregorius, in Epiſtola ſecunda libro 11. ſcribat: Apoſtolicæ Sedis reuerentia nullius præſumptione turbetur; tunc enim ſtatus membrorum integer perſeuerat, ſi caput fidei nulla pulſetur iniuria. Itaque (ſancto Gregorio teſte) cùm de primatu Sedis Apoſtolicæ, vel turbando, vel minuendo, vel tollendo ſatagitur, de ipſo capite fidei amputando, ac de totius corporis, omniumque membrorum ſtatu diſſipando ſatagitur. Quod idem ſanctus Leo confirmat, ſermone 3. de aſſumptione ſua ad Pontificatum, cum ait: Specialis cura Petri à Domino ſuſcipitur, & pro fide Petri propriè ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens principis victa non fuerit. Ex quo idem ipſe, in Epiſtola ad Epiſcopos Vienuenſis Prouinciæ, affirmare non dubitat. Neceſſe eſſe exortem illum myſterij eſſe diuini, qui auſus fuerit à Petri ſoliditate recedere, qui rurſùm ait: Quiſquis huic Sedi principatum exiſtimat eſſe denegandum, illius quidem nullo modo poteſt minuere dignitatem, ſed inflatus ſpiritu ſuperbiæ ſuæ, ſemetipſum in inferna demergit. Atque hæc quidem, & alia eiuſdem generis multa, tibi notiſſima eſſe certo ſcio; qui præter cæteros libros, Viſibilem Monarchiam Sanderi tui, ſcriptoris diligentiſſimi, & de Eccleſia Anglicana optimè meriti ſæpè legiſti; quique ignorare non potes ſanctiſſimos Viros, eoſdemque doctiſſimos Ioannem Roffenſem, & Thomam Morum, pro hoc vno grauiſſimo dogmate duces ad martyrium plurimis alijs, cum ingenti Anglicanæ Nationis gloria, noſtra memoria, fuiſſe. Sed in memoriam tibi reuocare volui, vt colligas te, & magnitudinem rei conſiderans, non tuo iudicio nimiùm fidas, neque plùs ſapias, quàm oportet ſapere, etſi forte lapſus tuus non ex inconſideratione, ſed ex infirmitate humana, ex metu carceris, & ſuppliciorum profectus eſt; non anteponas libertatem temporalem, libertati gloriæ filiorum Dei; neque ob momentaneam, & leuem tribulationem fugiendam, amittere velis æternum gloriæ pondus, quod ipſa tribulatio operatur in te. Bonum certamen diù certaſti, curſum fermè conſumaſti, fidem tot annis ſeruaſti. Noli igitur tantorum laborum præmia tam facilè perdere; noli corona iuſtitiæ, quæ tibi iamdudùm paratur, te ipſe priuare, noli tot fratrum, & filiorum tuorum vultus confundere. In te ſunt hoc tempore coniecti oculi totius Eccleſiæ, quin etiam ſpectaculum factus es mundo, Angelis, & hominibus; noli in extremo actu ita te gerere, vt & tuis luctum, & gaudium hoſtibus relinquas. Sed contra potiùs, quod omninò ſperamus, & pro quo ad Deum noſtrum aſſiduè preces fundimus, vexillum fidei glorioſè erigas, & quam contriſtaueras, lætam facias Eccleſiam: nec iam ſolùm veniam merearis à Domino, ſed coronam. Vale, viriliter age, & confortetur cor tuum. Romæ die 28. Septembr. MDCVII.

[Aduersùs hanc epiſtolam, & duo breuia ſcripſit Rex Apologiam pro Iuramento fidelitatis. Et contra ipſam Regia Apologiam reſcripſit Cardinalis librum, quem reſponſionem ad illam vocauit. Rurſus contra hunc Rex præfationem monitoriam, & eius eleemoſynarius Torturam edidere. Regis præfationem Cardinalis confutauit, edita Apologia.]

ANGLICANORVM SCRIPTORVM

PARTITIO,

Et agen dorum ſeries.

QVamuis ſigillatim ſingulas partes Anglicanorum ſcriptorum Cardinalis confutarit doctiſſimè, in iiſdem tamen ego verſaturus deſperare non debeo, quin Pater Booz poſt meſſem, ſpicas paupérculæ Ruth Moabitidi reliquerit, quas colligat. Vt verò ipſo in limine libri quiſque intelligat de quibus agam, & quæ prætermittam; diſtribuam in hæc capita omnia, quæ ſcripſerunt Rex, & L. eius eleemoſynarius, L. virum hunc ſemper appellabo; tùm quòd ipſe hac nota nomen ſuum ſignificanerit, tùm quod verùm eius nomen omninò ignotem.

I. Contumelijs, conuicijſque, & maledictis innumeris onerant pontificem, Curiam Romanam, omnem Eccleſiam Catholicam. Ad hæc nemo fortè catholicorum reſpondebit; ſciunt enim Chriſtianæ perfectionis eſſe, pacificum eſſe etiam cum pacis inimicis, ſpè correctionis, non conſenſu malignitatis; vt ſi nec exemplum, nec cohortationem diſcretionem ſeqnantur, cauſas tamen non habeant, quibus odiſſe nos debeant. Neque enim ſingulum quemque clauum ſuo clauo trudimus. Siquidem, vt comicus ille ait. [Bacchæ bacchanti ſi velis aduerſarier,

Ex inſana inſaniorem facies; feriet ſæpius.] Sed verus eſt Catholicorum vox, [Maledicimur, & benedicimus; perſecutionem patimur, & ſuſtinemus; blaſphemamur, & obſecramus.]

II. Præterea magna pars ſcriptorum inſumitur, in probando, Ieſuitas conſcios fuiſſe, & magiſtros cuiuſdam conſpirationis, qua nonnulli moliti dicunt necem Regi, & ordinibus eius, & ideò morti fuiſſe iuſtè adiudicatos. Italus ego Angliam nunquam vidi, & rerum illarum ignarus, nullo homine gentis illius vnquam familiariter ſum vſus. Ergò rerum illarum neſcius ego integram hanc prouinciam relinquo ijs, qui vel rem viderunt, vel teſtes habent conuincendis aduerſarijs fide dignos. Multa magni momenti hac in parte ſcripſit Illuſtriſs. Card. Bellarminus deindè edita plurima ab homine pio, & erudito eiuſdem ſocietatis.

III. Pertinent alia ad ſolum Cardinalem, qui cùm in controuerſijs, tùm in poſtremis hiſce ſcriptis Anglicanis, inſimulatur errorum multorum. Audax eſſem certè, ſi poſt Illuſtriſs. Virum, hæc attingerem eius propria, qui probè ſuam cauſam egit. Et quiſquis poſtremam eius Apologiam legit, apertè cognoſcit, malè Daretem Entello ſe componere, & vt aiunt, bouem laſſum fortius pedem figere.

IV. Protritam inſuper, exploſam, & omninò indignam viro in ſcripturis mediocriter erudito quæſtionem illam de Antechriſto pertractant. In hac nihil noui, nihil non millies profligatum, nihil quod non ſit lutum platearum, nihil denique, quod cuiuſpiam animum, vel mediocriter poſſit mouere; abſurda omnia, inepta. Talia hæc ſunt, vt Rex ipſe ſolas conſecturas illas appellet; Et alibi dicat apertè. [Sanè, quòd ad definitionem Antichriſti, nolo rem tàm obſcuram, & inuolutam, tanquam omnibus chriſtianis ad credendum neceſſariam vrgere.] His ergo omiſſis, quæ nec auctor certè credit; nec alios credere velut, imò fatetur eſſe [Contraria expoſitionibus Sanctorum Patrum; ſed illos erraſſe, propterea quòd liber ille eorum temporibus adhuc obſignatus fuit.] Illa aggrediór, quæ & Rex ſe credere dicit, alijſque credenda proponit, & aſſerit muniri teſtimonijs ſcripturæ, Conciliorum, Patrum; hæc autem ſunt, quæ ſequuntur.

Primò. [Iuramentum à Rege Anglis propoſitū, à Catholicis potuiſſe præſtari, ſine culpa.]

Secundò. [Supremam poteſtatem rerum Eccleſiaſticarū pęnes principes ſeculi reſidere.]

Tertiò. [Papam eſſe ſimplicem, vel Epiſcopum Vrbis Romæ, vel Patriarcham Occidentis; Eccleſiæ verò vniuerſalis curam ad ipſum, vt ad caput omnium Eccleſiaſticorum, minimè pertinere.]

Quartò. [Reges hæreticos non poſſe ab Eccleſia Regnis priuari, non eorum ſubditos abſolui à Iuramento fidelitatis.]

Inſeruntur hiſce ſcriptis plurimæ hæreſes, de Euchariſtia, de Reliquiarum, & imaginum cultu, de Miſſa, de interceſſione, & adoratione Sanctorum, de Purgatorio, aliæque innumeræ, quæ vt plurimùm nullis argumentis confirmantur; ſi tamen, & in his afferant, quod negotium faceſſere videatur, indiſcuſſum non relinquetur. Quæ in hoc libro tractanda ſuſcipio, duo tantùm ſunt; priùs de Iuramento fidelitatis; poſteriùs de Primatu Eccleſiaſtico Regis Angliæ. Abſoluiſſem, & cætera quàm libentiſſimè, verùm per valetudinem non licuit. At dum hæc leges pie Chriſtiane reliqua Deo auſpice, expecta.

CON-

CONTROVERSIA PRIMA.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur controuerſia, & fundamentum Regis pro ſuo Iuramento Fidelitatis.

PRIMA controuerſia tota verſatur in Iuramento fidelitatis Regiæ: An ſcilicet abſque peccato, & ſalua fide Catholica, Angli Catholici illud iurare potuerint. Negat Pontifex, aſſerit Rex; immò hanc ſolam ob cauſam, ſe calamum ſtrinxiſſe, & in arenam deſcendiſſe profitetur. Ratio autem, qua probat, Iuſiurandum illud potuiſſe, poſſeque ſuſcipi, eſt hæc.

Obedientia merè ciuilis à Subditis, Diuino iure debetur Principibus ſuis, nec vllo pacto repugnat fidei Catholicæ, & ſaluti animarum.

At in iuramento fidelitatis requiritur ſola, & mera ciuilis obedientia.

Ergo Iuramentum fidelitatis præſtari poteſt, ſalua fide catholica, & animarum ſalute.

Maiorem quidem propoſitionem huius ſyllogiſmi fusè probat, collectis hinc indè teſtimonijs Scripturæ, & Patrum. Minorem verò, vt probet, partitur Iuramentum illud ſuum in quatuordecim articulos, aſſeritque nullum ipſorum pertinere ad Primatum ſpiritualem Pontificis, contrariumue eſſe fidei catholicæ. Audiamus ab ore, à calamo Regis argumentũ, non dialectico, ſed oratorio more fusè explicatum. [Viſum itaque è re eſſe, vt huius Iuſiurandi Apologiam ederem, in qua ſuſcipiebam probandum, nihil in eo contineri, quod ad obedientiam merè ciuilem, ac temporalem ſpectat, qualis ſummis Principibus à ſubditis debetur. Huic autem æquiſſimæ legi controuerſiã non aliundè eſſe motam, quàm ab ambitioſa Pontificum Tyrannide, quam illi contra auctoritatem ſcripturarum, contra Conciliorum, antiquorumque Patrum mentem, ſibi in temporalia Regum iura, & auctoritatem iniuſtè vſurparunt. In qua quidem Regum auctoritate aſſerenda totam meam Apologiam impendi. Et infrà pag. 20. Quippe à tantùm duo ſunt capita, de quibus in Apologia diſſerui, vt ſuprà monui; Priùs, vt probarem in Fidelitatis ſacramento nihil aliud, quàm obedientiam merè ciuilem, & ſæcularem ſummis Principibus à ſubditis debitam, contineri. Alterum, vt oſtenderem, hanc in Regem Poteſtatem, à Pontificibus iniquę vſurpatam, cum ſcripturis, Concilijs, & Patribus pugnare.

Hinc in Apologia à pag. 22. per plures ſequentium, nititur probare, obedientiam ciuilem deberi Principibus temporalibus Iure diuino, ſæpeque deridet Pontificem, quaſi crediderit obedientiam Ciuilem ſaluti animæ repugnare, ideòque Iuramentum illud Anglis catholicis interdixerit. [Nam quomodo, inquit, profeſſio fidelitatis erga Principem in ſubditis poſſit Religioni, & ſaluti animarum aduerſari, ita meam excedit Theologiam (quantulacumque illa eſt) vt protsùs nouam, & exoticam planè aſſertionem non poſſim non exiſtimare, nec ex eius ore proferendam, qui ſe vniuerſalem Epiſcopum, & omnium Chriſtianarum animarum œcumenicum Paſtorem ſatis inſulsè venditat. Et pag. 27. quòd autem ciuilis obedientia, Fidei, & ſaluti animarum aduerſetur, prout in hoc breui aſſeritur; peregrinum, & ante hac inauditum eſt dogma in Eccleſia Chriſtiana.] Id verò ſæpe, ac ſępius repetit, & inculcat.

Ex aduerſo aſſerit Pontifex in primo Breui. [Quòd huiuſmodi Iuramentum, ſalua fide Catholica, & ſalute animarum, præſtari non poteſt.] Quoniam verò eius ibi non erat diſputare, remue monſtrare, experiamur nos an probare poſſimus Pontificem, Spiritu ſancto afflatum, Anglis Catholicis Iuramentum interdixiſſe.

CAP. II.

Diluitur ratio Regis, & probatur Iuramentum ab Anglis præſtari non potuiſſe.

CIuilem obedientiam deberi Principibus temporalibus, qui verè Principes ſunt (nam de hæreticis quid ſentiamus in ſecundo libro aperiam) & Pontifex Paulus V. ſatetur, & veluti hæreticos deteſtatur, qui ſecus ſentiunt. Fruſtrà ergo laborat Rex aduersùs Pontificem in probando, obedientiam ciuilem, Diuino Iure, deberi Principibus temporalibus. Vtinam ita affectus eſſet Rex, & cum ſuo Rege, quotquot Libertatem, vel potiùs licentiam illam conſcientiæ adeò probant; nec enim modò queri poſſet Rex de Puritanis ſuis, quòd illum antequam naſceretur, interficere conati ſunt. At iſti ſunt fructus illius, quàm Rex prædicat, Libertatis Chriſtianæ. Difficultas ergo inter Pontificem, & Regem, non eſt in maiori propoſitione illius ſyllogiſmi; hanc enim vt de fide æquè probant. Sed tota eſt in minori; An ſcilicet per illud Iuramentum, ſola Ciuilis obedientia requiratur. Hanc negamus nos, hanc nunquam probauit Rex. Iam verò probabimus nos præter obedientiam ciuilem, maiora poſtulari. Enimuerò alij apud Regem, alij apud Pontificem, vt alij apud hæreſim, alij apud Eccleſiam ſunt termini Obedien-

dientiæ Ciuilis; in his, vbi conſenſerit Rex cum Catholicis, & vbi eam ſolam Obedientiam requiret à ſubditis ſuis, quam Catholici Principes verè Ciuilem credunt, & à ſuis ſubditis poſtulant, quamque Catholica Eccleſia probat, ſoluta erit quæſtio, lis deciſa. Quare dum obedientiam Ciuilem ſibi iurari vult, eamque ſine æquiuocatione, iſtiuſmodi Obedientia eius Ciuilis, eſt obedientia maximè inciuilis, quippè quæ apertè repugnet catholicæ fidei, non poſſunt certè iurare catholici, ſalua fide, & animarum ſalute.

Meum modò eſt oſtendere, obedientiam, quam Rex à ſuis requirit per Iuramentum illud, excedere Catholicociuilis obedientiæ terminos, inuadere poteſtatem ſpiritualem Eccleſiæ, & apertè aduerſari catholicæ fidei. Id vbi demonſtrauero, fateri debebunt Miniſtri Regis, & Pontificem rectè interdixiſſe Iuramentum, & Anglos catholicos rectè illud recuſaſſe. Ad rem ergo. Ratiocinemur.

[I. Omnis qui in feloniæ, & Læſæ Maieſtatis crimen incidit, cadit à fidelitate Regi debita, & Iuramento fidelitatis.

At qui reconciliari vult Pontifici, qui vult parere cuicunque auctoritati, quam Romana Sedes prætendit, qui denique recuſat Iuramentum primatus Eccleſiæ ab Elizabetha conceptum olim, is feloniæ, & læſæ Maieſtatis reus habetur.

Ergo qui non vult eſſe hoſtis perpetuus Pontificis, qui quamcumque eius auctoritatem recognoſcit, qui recuſat impium illud Iuramentum primatus, is cadit à fidelitate regi debita, ex iuramento fidelitatatis.]

L, qui Logicam glorioſè iactat, litem de forma argumenti, non mouebit, opinor; eſt enim in primo modo primæ figuræ, quem maximè demonſtratiuum appellat Ariſtoteles. Circa materiam, ſi negaret maiorem propoſitionem, rem ſe indignam faceret. Quare ad ſolam minorem propoſitionem, tota redigitur difficultas. Hanc verò non ego, ſed rex ipſe probat, legibus illis ſuis, articulo 11. & 12. (legantur, ideò enim ſcriptæ ſunt initio, ne cum opus foret, illas repetere cogeremur) in 11. quidem vult [ne ſubditi ſui exeant regno in militiam, niſi per ſyngrapham, & geminum fideiuſſorem ſe aſtringat, ne Papæ reconcilientur. Qui ſecùs faxit, & pro ſelone habeatur. In 12. verò, læſæ Maieſtatis crimine reus habetur, qui fecerit, conſuluerit, aut parrocinabitur, conſciuſue fuerit, vt quis reconcilietur Pontifici, Sediue Romanæ, vel eò adduxerit, vt obedientiam ſuam ſpondeat cuicumque auctoritati Romani Pontificis.] Hus verò venia dignos non vult, ni priùs ſuſceperint duo iuramenta, alterum primatus, alterum hoc fidelitatis. Manet ergo à rege ipſo, per legem, probata minor propoſitio, ſcilicet. Felonem eſſe, & crimen læſæ maieſtatis incidere, qui non iurat perpetuas inimicitias cum Pontifice, qui ipſi quouis modo obedire vult, qui recuſat iuramentum illud primatus. Quomodo ergo iurare poſſunt Catholici, ſalua, quam credunt, catholica fide? Si illo iuramento amicitia omnis, obedientia omnis, omnis poteſtas Pontificis abiuratur, quomodo iurare poſſunt ſine animæ detrimento? Iam ergo patet, vt credo, falſum eſſe, quòd illo iuramento requiratur ab Anglis ſola, & mera Ciuilis obedientia, nec ſpiritualis poteſtas Pontificis, fideſue catholica vllo modo attingatur, & verè à torto dictum, [quòd per illud abiuratur fides catholica, & omnis poteſtas Pontificis, non minùs quàm per iuramentum primatus.

II. Præterea legatur Apologia pagina 26. & 27. & videbit vnuſquiſque Regem adducere approbationem, confirmationem, conuocationem conciliorum, vt probet ciuilem obedientiam Regibus deberi. Ergo, ſecundum regem, ciuilis obedientia complectitur iſta, quæ certè catholicorum nullus credit ciuilia eſſe, ad ciuilemue obedientiam pertinere; quare negare non poteſt Rex, ſe à ſubditis ſuis catholicis plura poſtulare, ſub nomine obedientiæ ciuilis, quæ catholicociuilem obedientiam excedunt.

Nec dicere poteſt diſtinctos eſſe, in rege, Primatum ſpiritualem, & temporalem; hæc verò ſe adduxiſſe non pro primatu temporali, ſed pro ſpirituali; hoc enim manifeſtè repugnat ſuis dictis, qui eadem vult ad ſolam Ciuilem obedientiam pertinere. Dixerat Cardinalis in Torto, [Regem in Apologia voluiſſe Primatum ſpiritualem ſuum confirmare;] negat id Rex, & plurimùm Cardinali ſuccenſet, vt videre eſt præfat. pag. 25. omniaque ſua argumenta ſolam ciuilem obedientiam, ait, confirmare. Audiamus ipſum, vt de ore ſuo iudicetur. [Ac vt vobis in perſpicuo magis ſit, non alium mihi ſcopum in hoc negotio extitiſſe, quàm vt de ciuili, & temporali obedientia, quæ mihi à ſubditis debetur, agerem, &c. Et pag. 20. Duo tantùm ſunt capita, de quibus in Apologia diſſerui, vt ſuprà monui. Priùs vt probarem, in Fidelitatis Sacramento nihil aliud, quàm obedientiam merè ciuilem, & ſæcularem ſummis principibus à ſubditis debitam contineri. Alterum, vt oſtenderem hanc in Regem poteſtatem, a Pontificibus iniquè vſurpatam, cum ſcripturis, Concilijs, & patribus pugnare.

Et denique in Apologia pag. 27. cum adduxiſſet ſupradicta argumenta à Concilijs deſumpta, pro fidelitatis iuramento, inquit, [Et hoc in Theologia ſemper certum, & exploratum habui; ciuilem obedientiam, ciuili Magiſtratui præſtitam, nec fidei Chriſtianæ, nec ſaluti animarum quicquam repugnare.] Qui ergo tam clarè aſſerit, confirmationem, approbationem, conuocationem Conciliorum ad ſolam ciuilem obedientiam redigi, ſub hac contineri, miror, quo modo catholicè catholicis ſuadere ſe poſſe arbitretur, ciuilem ſuam obedientiam non repugnare primatui Pontificis, & fidei catholicæ, nihilque ſe ab illis petere ſuprà id, quod ſummis Principibus à ſubditis quibuſque debetur. Hæc catholici credunt catholica fide ad Eccleſiaſticam obedientiam pertinere, hæc Primatum ſpiritualem Pontificis attingere, hæc terminos ciuilis obedientiæ, excedere. Malè proindè Iuramentum quæſitum, rectè interdictum.

III. Ex principijs Regis probatur etiam, Catholicos non potuiſſe iurare, ſalua fide catholica. Sanè hæreticus Regi eſt, qui quicquam,

Google

quàm, vt de fide tenet, ſuprà tria fidei Symbola, Apoſtolicum, Nicænum, & illud Athanaſij, aliaue ſymbola, quæ vel à concilio aliquo publicè, vel priuatim ab antiquis patribus, in hæreticos conſcripta ſunt. Rex inſuper veneratur quatuor prima Generalia concilia, Patres admittit, aut certè repræhendere non audet, in his, quæ quadringentis poſt Chriſtum annis, vnanimi conſenſu, ad æternam ſalutem eſſe neceſſaria ſtatuerunt.

At in iuramento iſto ſuo abiurare, deteſtari, abhorrere facit tanquam ipſam, & hæreticam hanc damnabilem propoſitionem, & doctrinam. [Quòd principes per Papam excommunicati, vel depriuati, poſſint per ſuos ſubditos, vel aliquos alios quoſcumque deponi. Vult inſuper, quòd ſubditi credant. Quòd nec Papa, nec alius quicumque poteſtatem habet abſoluendi Anglos ab iſto ſuo iuramento.] Si ergo iſtæ propoſitiones hæreticæ ſunt, oppoſitæ illarum neceſtario ſunt de fide. Voluat autem Rex, reuoluat tria illa ſymbola, quantum velit; conciliorum illorum geſta diligenter legat, & perlegat, in his, quæ per quadringentos annos poſt Chriſtum Patres docuerunt vnanimi conſenſu, vt neceſſaria ad ſalutem, verſetur diu, noctuque; nunquam Rex Angliæ reperiet duos iſtos articulos ſui iuramenti; Quare ſine labe hæreſis, Angli ſuſcipere illud non poſſunt.

IV. Ex principijs etiam idem probatur; nam pag. 379. inquit. [Tunc demùm enim Rex iſtius debiti capax eſt, cum eſt in Eccleſia, vt Ioſias, non cum extra, vt Ieroboam.] Addo ego; at Rex Iacobus extrà Eccleſiam Catholicam & eſt, & eſſe profitetur, & proteſtatur; catholiciſque eſt Ieroboam, non Ioſias; quare requirit à ſubditis debitum, cuius capax non eſt; quomodo ergo illud ei præſtare poſſunt Angli, ſine animarum detrimento? Nec eſt, quod Rex aſſerat, ſe eſſe in Eccleſia, nos extrà; nam Catholica fide oppoſitum creditur. Et ſi aſſerenti de ſe ipſo eſſet credendum, Ieroboamo etiam credendum fuiſſet; is verò quam dixiſſet veram ſynagogam? Iudæne, in qua Roboam? An potiùs Iſraelis, in qua ipſe?

Plurima in hanc quæſtionem attulit Illuſtriſ. Cardinalis, quę apertiſſimè Regem conuincant erroris; ab his verò ſuperſedeo, ne earumdem rerũ repetitione lectori ſim faſtidio, mihi labori ſuperuacaneo. His viſis confido, Regem confeſſurum, ſe iniuria diſputationem orſum eſſe illis. [Id ſolum negotij incumbit, vt Orbi proloquar iniurias, & iniuſtitiam Pontificis interdicentis ſubditis meis, ne obedientiam ſuam extrà me profiteantur.]

V. Quod ſi ſubditi ipſi ad Regem conuerſi dicerent. Rex Sereniſſimè, in Præfatione Monitoria pag. 139. Maieſtas veſtra hortatur omnes ad peruolutandas ſcripturas, ad petendum ex his normam credendi, ad collocandum fidei ſuæ fundamenta non ſuper aliorum incertis opinionibus, ſed ſuper ſui ipſorum certa ſcientia; quandoquidem [Iuſtus ſua fide viuit, & vnuſquiſque ſit fide propria ſaluus.] Nos verò, vt veſtræ Maieſtati obſequeremur, & ſcripturas peruoluimus, & ex his credendi formam petiuimus, & non aliorum incertis opinionibus, ſed ſuper noſtra ipſorum certa ſcientia Fidei noſtræ fundamenta collocauimus. Non poſſumus autem noſtra Fide aſſentire fidei illi, quam Maieſtas Veſtra in iuramento iſto nobis proponit; quare ne Chriſtianam libertatem lædat, quam omnibus prædicat, obnixè rogamus, ne nos contra noſtram propriam fidem ſentire cogat; idque maximè ex eo, [Quòd ſi homo non ſaluatur, niſi fide propria,] actum iam erit de animabus noſtris, ſi propriam relinquentes fidem, veſtræ adhæreamus. Ego certè non video, qua conſcientia Rex ſubditorum ſuorum ſupplicationem poſſet reijcere; vel enim erunt ſuæ fidei fundamenta reijcienda, vel ſubditorum preces approbandæ. Vtrum faciat; vtrũque benè; faxit Deus vt vtrumque. L, in hac controuerſia ſupra Regem nihil, niſi verba.

CON-

CONTROVERSIA SECVNDA.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur ſtatus controuerſiæ, & ordo ſeruandus.

OPinantur Rex, & L. (quæ eſt vetus hęreſis Auglicana) ſupremam rerum Eccleſiaſticarum curam, & poreſtatem commiſſam eſſe à Deo Priucipibus ſæculi; his verò Eccleſiaſticos adiunctos fuiſſe, quaſi miniſtros, & executores; vndè non modò in temporalibus, ſed in omnibus Spiritualibus Eccleſiam ſubijciune Principum poteſtati. Ve cæteia teſtimonia omittam, legatur iuramentum primatus.

Ex aduerſo Catholici credunt, fide Catholica, ſupremam poteſtatem ſpiritualium omnium, pænes Eccleſiaſticos reſidere, nefaſque eſſe principibus ſæculi, rebus, negotijſque ſacris, vt ſuperiores ſeſe immiſcere.

Ab hiſce locis Aduerſarij argumenta deſumunt: Ab auctoritatibus ſcripturæ, & ſanctorum Patrum: Ab approbatione, confirmatione, conuocatione Conciliotum. Nos etiam ijſdem è ſedibus argumenta primùm adducemus contrà illos; deindè eodem ordine ab ipſis allata diluemus. Et quoniam Cardinali, in Torto, hauc diſputationem habuit; primo loco proferam nonnulla, quæ illum prætetijſſe cognouero; poſtea quæ ab ipſo allata ſunt, ab Aduerſariorum obiectionibus vindicabo.

CAP. II.

Ciuili Hebræorum Reip. nullam omninò Poteſtatem fuiſſe ſuper Leuitarum Perſonis; quæ ſoli Pontifici ſubiectæ, ab illa omninò exempta, ſegregata, & immunes fuere.

PRimò loco conuenit inter Catholicos, quòd ſi Diuino Iure Leuitæ Hebræi fuerunt exempti à ciuili Hebræorum Rep. multò magis eodem iure exempti ſint Eccleſiaſtici à poteſtate principum laicorum. Nam Sacerdotium Euangelij longè præſtantiùs, perfectiùs, & maius eſt Sacerdotio legis, vt multis argumentis probat ſanctus Paulus Apoſtolus, epiſtola ad Hebræos, à capite 7. ad 10. Quatuor enim potiſſimùm ſunt, ex quibus Sacerdotij dignitas examinari debet; vt palàm fiat, vtra ex hiſce duabus, quæ Leuitarum, & quæ Eccleſiaſticorum ſuperexcellat. Lex, cuius eſt proprium Sacerdotium. Pontifex, à quo initium capit. Sacrificium quod offert. Finis, quem ſortitur.

Quò ad legem: illnd Sacerdotium fuit veteris, imperfecti, & antiqui Teſtamenti; iſtud noui, perfecti, & æterni. Quò ad Pontifices, illud ſortitum eſt primos Pontifices, homines mortales, Moyſem, & Aaron; iſtud Chriſtum Ieſum, qui ſemper viuit, ad interpellandum pro nobis; illud peccatores; iſtud ſanctum, Innocentem, impollutum, ſegregatum à peccatoribus, & cœlis excelſiorem factum; Illud tales, qui quotidie, non tantùm pro alienis, ſed & pro ſuis peccatis offerre hoſtias deberent; iſtud Filium Dei in æternum perfectum, ab hoc onere immunem. Sacrificia, quæ Sacerdotes illi offerebant, fuere Vituli, Agni, & Arietes; ſacrificium, quod noſtri offerunt, eſt ipſamet Caro, ipſemet Sanguis Vnigeniti Filij Dei. Quò ad finem: Per illorum Sacerdotum miniſteria ad æternam, & immortalem vitam mortales perduci non poterant; qua tamen potiuntur per miniſteria noſtrorum. Rectè proindè ab Apoſtolo illnd Sacerdotium, ad iſtud comparatum, Corporis vmbra vocatur. Cùm itaque inter vtrumque Sacerdotium reperiantur hæc, aliaque plura diſcrimina, quæ ibi ab Apoſtolo referuntur; ideò optimo Iure concludunt Theologi; quòd ex Dei lege, & eaſdem, & longè maiores prærogatiuas debeut Eccleſiaſticis mortales omnes, quàm olim Leuitis Hebræi.

Conueuit ſecundò inter catholicos. Quòd, etiam ſi illi non fuiſſent exempti, non tamen colligi poſſet efficaciter, noſtros non debere eſſe immunes; argumentum enim eſt negatiuum à minori, quod non concludit. Quis enim ſanus, & non impius, æquiparare audeat ea; inter quæ tantum chaos firmauit Deus? Pari ne paſſu incedent Chriſtus, & Aaron? lex, & Euangelium? Equaliue loco erunt perfectum, & imperfectum? vmbra, & corpus? corruptibile, & æternum? ſanguis Vitulorum, & Sanguis Chriſti? [Ego planè fidenter affirmo (liceat regijs verbis regios alloqui,) quod tantùm abeſt, vt id credam; vt contrà, iſto tam erudito ſæculo, hoc, qui credat (Deum teſtor) non modò pro magni nominis Theologo, ſed ne pro Chriſtiano quidem habebam.] Hinc D. Bonauentura, & quoquot opinati ſunt (qui tamen pauci ſunt) Regno ſubiectum fuiſſe Sacerdotium in lege, mordicùs ſuſtinent; in Euangelio vices mutatas, & Sacerdotio ſubiectum Regnum ipſum.

Aduerſarij tamen immemores, ne dicam hoſtes, dignitatis Euangelij, & Chriſti, quaſi inter Sacerdotium teſtamenti antiquati, & Teſtamenti æterni; inter corpus, & vmbram; inter agnos, arietes, & Chriſtum; inter ſinum Abrahæ, & Paradiſum, nullum eſſet diſcrimen, opinantur, exclamant: quoquo modo res ſeſe habuerit in teſtamento veteri, eodem penitùs modò eſſe debere in Teſtamento Nouo.

Imò

Imò ſuper vno iſto; Anne ſolidiſſimo? fundamento totam Anglicani primatus molem conſtruxerunt? Hoc illis primum principium eſt; hæc baſis Anglicanæ fidei, quæ pondere ſuo corruit, ſita in inſtabili.

Indigna eſt res hæc, quę nos detineat, indigna, vt in eius conſideratione verſemur, ſatis ipſa per ſeſe conſpicua eſt, ſatis per ſe loquitur, & fautorum ſuorum impietatem prodit. Ideò ad ſecundum articulum fidei Anglicanæ, ſi tamen fides eſt, diſcutiendum pergo.

Opinantur Aduerſarij ſecundo loco: Sacerdotes cum Sacerdotio fuiſſe ſubiectos Regibus Hebręis; Atque ex hoc inferunt: Eccleſiaſticos quoque, & Eccleſiam ipſam ſubiectam eſſe debere Regibus Chriſtianis; & ab hoc potiſſimùm Articulo ortum eſt Iuramentum primatus. Cum verò ſpurà vanitas conſequentiæ iſtius ſatis perſpicuè paucis ſe prodiderit; de ſolo antecedente ſupereſt diſputandum; atque ita nunc totam immunitatis materiam hiſce lineis claudimus, vt de exemptione ſola Leuitarum in veteri Teſtamento congrediamur; oſtenſuri plenam, & abſolutam libertatem ſacerdotij à poteſtate laica, in Republica Hebræorum. Id vbi præſtiterimus, quale effugium ampliùs ſupererit aduerſario? Sacerdotium Leuiticum conferendum non eſt cum Sacerdotio Euangelico, niſi vt vmbra, cum corpore, &c. Cęterum, etiam ſi daretur conſequentia ab vno ad alterum; poſtquam demonſtratum eſt Leuiticum immune fuiſſe à poteſtate laica; non ideò ſtare poterit Anglicanus primatus, ſed vndique ſibi incoſtans corruit præceps. Age dum veritatem rei propoſitæ inueſtigemus.

Exodi 13. habemus. [Locutuſque eſt Dominus ad Moyſem dicens. Sanctifica mihi omne Primonegitum, quod aperit vuluam in filijs Iſrael, tam de hominibus, quàm de iumentis; Mea ſunt enim omnia, & cap. 22. Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi, de bobus quoque, & ouibus ſimiliter facies, & cap. 34. Omne, quod aperit vuluam generis maſculini, meum erit. Poſtquam verò hæc ſeparatio toties iuſſa eſt; poſtquam Deus Primogenitos Iſrael ſuos eſſe, iterum, atque iterum declarauit, quid fecerit, audiamus.

Numeri cap. 3. [Ego tuli Leuitas à filijs Iſrael pro omni primogenito, qui aperit vuluam in filijs Iſrael, eruntque Leuitæ Mei; meum eſt enim omne primogenitum; ex quo percuſſi primogenito in Terra Ægypti, ſanctificaui mihi quicquid primum naſcitur in Iſrael ab homine, vſque ad pecus:] Mei ſunt, ego Dominus. Superiùs verò eodem capite. [Applica Tribum Leui, & fac ſtare in conſpectu Aaron Sacerdotis, vt miniſtrent ei, & excubent, & obſeruent quicquid ad cultum pertinet multitudinis, çoram Tabernaculo Teſtimonij, & cuſtodiant vaſa Tabernaculi, ſeruientes in miniſterio ei. Dabiſque dono Leuitas Aaron, & filijs eius. Infrà verò. Ait Dominus ad Moyſem. Numera primogenitos ſexus maſculini, ab vno menſe, & ſuprà; & habebis ſummam eorum. Tolleſque Leuitas mihi pro omni primogenito filiorum Iſrael: Ego ſum Dominus, & pecora eorum pro vniuerſis primogenitis pecorum filiorum Iſrael.] Cum verò reperti fuiſſent primogeniti ſuprà Leuitas num. 273. [Locutus eſt Dominus ad Moyſem dicens. Tolle Leuitas à primogenitis filiorum Iſrael, & pecora Leuitarum pro pecoribus eorum. Eruntque Leuitæ Mei, ego ſum Dominus. In pretio autem 273. Qui excedunt numerum Leuitarum de primogenitis filiorum Iſrael, accipies quinque ſiclos, per ſingula capita, ad menſuram ſanctuarij. Dabiſque pecuniam Aaron, & filijs eius, qui ſuprà ſunt. Tulit ergo Moyſes pecuniam eorum, qui fuerant ampliùs, & quos redemerat à Leuitis pro primogenitis filiorum Iſrael 1365. ſiclorum, iuxtà pondus ſanctuarij, & dedit eam Aaron, & filijs eius iuxtà verbum, quod præceperat ſibi Dominus, & c. 8. Statueſque Leuitas in conſpectu Aaron, & filiorum eius, & conſecrabis oblatos Domino, ac ſeparabis de medio filiorum Iſrael, Vt ſint Mei, & poſtea ingrediantur Tabernaculum fęderis, vt ſeruiant mihi. Sicque purificabis, & conſecrabis eos in oblationem Domini, quoniam dono dati ſunt mihi à filijs Iſrael; pro primogenitis, quæ aperiunt omnem vuluam in Iſrael, accepit eos. Mea ſunt enim omnia primogenita filiorum Iſrael, tam ex hominibus, quàm ex iumentis. Ex die, qua percuſſi omne primogenitum in Terra Ægypti, ſanctificaui eos mihi, & tuli Leuitas pro cunctis primogenitis filiorum Iſrael, tradidique eos dono Aaron, & filijs eius, de medio populi.

Modò perpendamus rem hanc, reique totius progreſſum. Deus primo loco vult, Synagogam ſibi dono dare omnes primogenitos ſuos; hos vero ità vult eam ſibi cedere, vt, tranſlato per donationem, Dominio Synagogæ proprio, à Synagoga in Deum; noua, & peculiari ratione inciperet dicere Deus: [Primogeniti mei ſunt, ego Dominus à die, qua percuſſi omne primogenitum in Terra Ægypti. [Hoc autem Dominum, quod per Synagogæ donationem Deus acquiſiuit, non eſſe Dominium illud vniuerſale quo [Domini eſt Terra, & plenitudo eius,] facilè conuincitur. Primùm, quia Dominio illo vniuerſali fuit ab æterno, rerum omnium Dominus; hoc autem dominio ſua eſſe cœperunt primogenita Iſrael, à die, qua percuſſit Ægypti primogenitos. Deinde, dominium illud vniuerſale in merum hominem transferri non poteſt; hoc vero à Deo in Aaronem, & filios tranſlatum fuit. Demùm, illud vniuerſale ab hominibus Deo, nec dari poteſt, nec auferri; iſtud verò dari ab hominibus potuit.

Separatis exindè omnibus primogenitis Iſrael, tanquam Deo debitis, diuinique Iuris effectis, tranſlatoque, per donationem, dominio Synagogæ, in Deum; inquit Deus. [Nolo ampliùs primogenitos, ſed primogenitorum loco, donentur mihi omnes Leuitæ.

Hoc præſtito, rursùm ait Deus: [Dono omnes Leuitas Aaroni Summo Pontifici, & filijs eius; & ità meum Ius in Aaronem, & filios transfero; vt cum primogeniti excedant numero Leuitas, qui ſuprà ſunt, non deſinant eſſe mei, niſi pretio comparentur ab Aarone, & filijs, in quorum commodum illud pretíum cedat; cum iſtud omne meum dominium in illos ſit deuolutum.] Atque ità factum eſt.

His ità conſtitutis, quæ ex verbo Dei manifeſtiſſima ſunt, negari non poteſt, ſupremam poteſtatem in Leuitas pęnes Sacerdotes

fuiſſe,

Digitized by Google

fuiſſe, non penès ſeculi principes. Namque Synagoga omne ſuum dominium in primogenitos, tranſtulit in Deum; vt noua ratione Deus diceret: [Leuitæ ſunt Mei, ego Dominus à die, qua percuſſi, &c.] Deus verò tranſtulit dominium iſtud ſuum in Aaronem, & filios; ergo Synagogæ poteſtas in Leuitas nulla eſt vlterius, & ſolus Pontifex cum filijs, ſupremus Leuitarum ſit Dominus. Domina olim Synagoga Leuitarum, transfert dominium ſuum in Deum, Deus verò in Aaronem; ſolus ergo Aaron, poſt Deum, Leuitarum Dominus ſupremus, & Synagogæ in hos Ius non ampliùs vllum; ceſſit quippè Deo per donationem omne, quod in Leuitas ſibi competebat dominium. Poterat itàque dicere Aaron.

[Synagoga donauit Leuitas Deo. Deus acceptauit, & dixit, Ego ſum Dominus, & Leuitæ ſunt mei; Mihi demùm Deus ipſe eoſdem pleno iure donauit.]

[Ergo dicere poſſum; Ego ſum Dominus, & Leuitæ ſunt mei.

Neque vllus eſt ſubterſugio locus, vt non per iſtam Synagogę donationem, dominium Synagogæ translatum fuerit in Deum; nam Deus apertè nimis dicit. [Ego ſum Dominus, & Leuitæ ſunt mei à die, &c.] Neque aliud dominium, quàm politicum ceſſum Deo excogitari poteſt; nam Synagoga ceſſit dominium, quod habebat: iſtud verò politicum erat; Quare Leuitarum Primatus à Synagoga in Pontificem migrarat, Deo mediante.

Hinc factum eſt, vt Leuitæ à Republica Ciuili, tanquam ſeparati in omnibus haberentur, & nomine filiorum Iſrael non venirent. Nam numeri primo, Deus ad Moyſem dicit. [Tollite ſummam vniuerſæ congregationis Filiorum Iſrael, per cognationes, & domos ſuas; & nomina ſingulorum; quicquid ſexus eſt maſculini à 20. anno, & ſuprà Peracta verò numeratione. Fueruntque omnis numerus filiorum Iſrael, per domos, & familias ſuas, à 20. anno, & ſuprà, qui poterant ad bella procedere, ſexcenta tria millia virorum quingentiquinquaginta.]

Iubet tolli ſummam vniuerſæ Congregationis filiorum Iſrael, iubet numerari; quicquid ſexus eſt maſculini: obedltum Deo. Indè dicitur. [Fueruntque omnis numerus filiorum Iſrael, &c.] Si ergo Leuitæ nomine filiorum Iſrael veniant, ſi compræhendantur in vniuerſa congregatione filiorum Iſrael; ipſi quoque in omni numero filiorum Iſrael, numerari debent, & niſi numerentur, indicium eſt, illos nomine filiorum Iſrael non venire. Vis ſcire quid factum? Audi. [Leuitæ autem non ſunt numerati cum eis.] Leuitæ ergo non veniunt nomine ciuilis Reipublicæ. Id verò caſu? minimè, ſed iubente Deo. [Locutus eſt Dominus ad Moyſem dicens, Tribum Leui noli numerare, neque pones ſummam eorum cum filijs Iſrael.]

Hinc excluduntur à Deo ab hæreditate promiſſa Iſraeli, & ſemini eius, Deuter. 18. [Non habebunt Sacerdotes, & Leuitæ, & omnes, qui de eadem tribu ſunt, partem, & hęreditatem cum reliquo Iſrael.]

Quæ Deus Leuitis conceſſit, ea priùs à Synagoga ſibi dono dari voluit; deindè, tanquam diuinum quid, ea Leuitis tradidit Deuteron. 10. [Quamobrem non habuit Leui partem, neque poſſeſſionem cum fratribus ſuis: quia ipſe Dominus poſſeſſio eius eſt, ſicut promiſit ei Dominus Deus tuus. Et inferiùs 18. Non habebunt Sacerdotes, & Leuitæ, & omnes, qui de eadem tribu ſunt, partem, & hæreditatem cum reliquo Iſrael; quia ſacrificia Domini, & oblationes eius comedent, & nihil aliud accipient de poſſeſſione fratrum ſuorum; Dominus enim ipſe eſt hæreditas eorum: & Leuit. 18. Dixitque Dominus ad Aaron. In terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos; ego pars, & hæreditas tua, in medio filiorum Iſrael.]

Idcircò Leuitarum bona ſtabilia ijſdem legibus non ſubijciebantur, quibus bona ciuilis Reipublicæ, cætera enim in perpetuum alienari poterant, at bona Leuitarum, non ita. [Qui vendiderit Domum intra Vrbis muros, habebit licentiam redimendi, donec vnus impleatur annus; ſi non redemerit, & anni circulus fuerit deuolutus; emptor poſſidebit eam, & poſteri eius in perpetuum, & redimi non poterit, etiam in Iubilæo. Infrà verò. Ædes Leuitarum, quæ in Vrbibus ſunt, ſemper poſſunt redimi, ſi redemptæ non fuerint, in Iubilæo reuertentur ad Dominos; quia Domus Vrbium Leuitarum pro poſſeſſionibus ſunt, inter filios Iſrael; ſuburbana autem eorum non veneant, quia poſſeſſio ſempiterna eſt.]

Sacerdotibus verò, quaſi ſegregatis à populari Republica pręcipiebat Deus, Leu. 21. [Non contaminetur Sacerdos in mortibus Ciuium ſuorum, niſi tantùm in conſanguineis, ac propinquis, ideſt ſuper Patrem, & Matrem, & Filium, & Filiam, Fratrem quoque, & Sororem Virginem, quæ non eſt nupta Viro, ſed nec in Principe populi ſui contaminabitur.]

Quare non ſine cauſa Deus dixerat, Num. 3. [Ego tuli Leuitas à filiis Iſrael: & rursùs 8. Separabis (ſcilicet Leuitas) de medio filiorum Iſrael, vt ſint Mei.]

Mea igitur ſententia, ſatis probatum eſt, diuino Iure in lege Moyſis, Leuitas exemptos fuiſſe à Republica ciuili, ſupremamque in illos poteſtatem, non penès laicos Principes, ſed penès Summum Pontificem extitiſſe: cæterum alia ſuperſunt, quibus id confirmemus.

CAPVT III.

Leuitarum exemptio exemplis confirmatur.

TRanslaturus Deus Regnum Iſrael à domo Dauidis in Ieroboamum, propter ſcelera Salomonis, vſus opera Ahiæ Prophetæ; quid Propheta præceperit, quidque Propheta fecerit, audiamus. [Appræhendenſque Ahias pallium ſuum nouum, quo coopertus erat, ſcidit in duodecim partes, & ait ad Ieroboam. Tolle tibi decem ſciſſuras, hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael. Ecce ego ſcindam Regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem Tribus. Porrò vna Tribus remanebit ei: & infrà. Auferam autem Regnum de manu filijs eius, & dabo tibi decem Tribus, filio autem eius dabo Tribum vnam. Quod & factum eſt, nam cap. 12. Et abijt Iſrael

rael in tabernacula ſua; ſuper filios aurem Iſrael, quicnmque habitabant in ciuitatibus Iuda. regnauit Roboam. & eodem cap. n. 20. Receſſitque Iſrael à Domo Dauid, vſque in præſentem diem. Factum eſt autem, cum audiſſet omnis Iſrael, quòd reuerſus eſſet Ieroboam: miſerunt, & vocauerunt eum, congregato cœtu, & conſtituerunt eum Regem ſuper omnem Iſrael, nec ſecutus eſt quiſpiam Domum Dauid, præter Tribum Iuda ſolam.]

Atqui, præter Tribum Iuda, Beniamin quoque ſecutus eſt Roboamum, vt eodem cap. videre eſt. [Venit autem Roboam Hieruſalem, & congregauit vniuerſam Domum Iuda, & Tribum Beniamin centumoctuaginta millia electorum virorum: & infrà. Loquere ad Roboam filium Salomonis Regem Iuda, & ad omnem Tribum Iuda, & Beniamin.] Si ergo Beniamin, & Iuda ſequuntur Roboamum, quomodo non ſecutus eſt quiſpiam Roboamum [præter Tribum Iuda ſolam?] Quomodo vna tantùm Tribus à Deo illi datur? Reſpondeo, in libro Iudicum cap. 20. Tribus Beniamin delata penè fuit à reliquis Tribubus, ob necem illatam Vxori cuiuſdam Leuitæ, interfectiſque omnibus viuentibus, igne, ferroque vaſtatis cunctis eius Vrbibus, ſoli ſexcenti viri ſuperfuerunt ex ea: Ideòque perindè, ac ſi non eſſet Tribus, cum non eſſet perfecta, ſed dumtaxat reſiduum Tribus, prætermittitur. Habuit ergo Roboamus ſolam ex Tribubus Iſrael Tribum Iuda, & cum ea paucas illas reliquias Tribus Beniamin.

Inſuper notum eſt, quòd quamuis duodecim eſſent Patriarchæ, tamen treſdecim fuerunt Tribus Iſrael: nam Tribus Ioſeph in duas diuiſa fuit, ſcilicet Ephraim, & Manaſſe.

Fiunt verò à Propheta duodecim partes pallij, non treſdecim, dum diuiditur Imperium Hebræorum; dantur ex ijs decem Ieroboamo, vnica tantùm Salomoni, cum reſiduo duodecimæ, tertiadecima neutri datur, neutri ſubijcitur. In facto res ſequitur: nam decem ſequuntur Ieroboamum, vna Roboamum cum reliquijs alterius: tertiadecima neutri adhærere legitur.

Hanc Leuiticam fuiſſe, ſatis probatur ex eo, quòd poſt lapſum Ieroboami habetur Paralipomenon ſecundo cap. 11. [Sacerdotes autem, & Leuitæ, qui erant in vniuerſo Iſrael, venerunt ad eum, Roboamum, de cunctis ſedibus ſuis, relinquentes ſuburbana, & poſſeſſiones ſuas, & tranſeuntes ad Iudam, & Hieruſalem, eò quòd abiecciſſet eos Ieroboam, & poſteri eius; ne Sacerdotio Domini fungerentur.]

Si ergo Leuitæ Regibus fuiſſent ſubiecti, cum iam tota Tribus Leui eſſet in Vrbibus Iuda, duas integras Tribus habuiſſet Roboamus: Quare cum illi vnam Tribum Iuda, & prætérea reliquias Beniamin ſubiectas fuiſſe legamus, nec duas, ſed vnam pallij partem eidem tradiderit Deus; ſequitur, quòd nullam ſuper Tribum Leui poteſtatem habuerit.

Si verò Leuitæ ſubditi fuiſſent Ieroboamo; homo Regni adeò amans, vt Deum, Deique religionem contempſerit, & idololatriam amplexatus ſit, certè non permiſiſſet ſubditos eius æmulo Roboamo adhærere, totque ſubditorum millia, tot onuſtos diuitijs, ſingulari nobilitate præſtantes, ad inimicum Regem migrare pacificos.

Dixi tot ſubditorum millia; nam cum, Ioſue 21. Iſraelitæ tradidiſſent Leuitis 18. Vrbes ad habitandum; ex his, quinque ad ſummum erant in Iuda, & quatuor in Beniamin, reliquæ trigintanouem in Iſrael. Abeuntes ergo Leuitæ de Iſrael, deſertas reliquerunt 39. Vrbes.

Dixi tot onuſtos diuitijs, nam ditiſſimi omnium Hebræorum Leuitæ erant; quia cum non eſſent tertiadecima pars Iſrael, poſſidebant in bonis quadragintaocto ciuitates, & quadragintaocto millia ſuburbanorũ, exigebant decimas, & primitias; ſacrificia inſuper, oblationes, & alia innumera, in eorum commodum cedebant, vt verè bonorum omnium totius Synagogæ, niſi dimidium, tertia ſaltem pars ipſorum eſſet. Quare Philo Iudæus in libro de Sacerdotum honoribus, rectè ait. [Neminem Sacerdotem tam pauperem fuiſſe, quin diues videretur.]

Dixi, ſingulari nobilitate præſtantes; nam inquit Ioſephus in vita propria. [Et ſanè quemadmodum apud alios, aliæ nobilitatis rationes cenſentur, ita apud noſtrates, ius Sacrorum habere, argumentum eſt illuſtris originis.] Hi tamen omnes nobiles, potentes, diuites, tranſierunt ab Iſraele, ad Iudam, ne muſſitante quidem Ioroboamo: Roboamus verò de illis nec pœnas ſumpſit, vt de rebellibus, neque conqueſtus eſt, quòd ab iſto ad hoſtem defeciſſent. Neutri ergo ſubijciebantur, quibus fas erat, iſtius, vel illius Regis Vrbes pro arbitrio colere, & deſerere.

Apparent inſuper, & ante hæc tempora, ſub Rege admodum malo, immunitatis Leuitarum clariſſima monumenta. 1. Reg. c. 12. Dum Saulus proſequeretur Dauidem fugientem, vt rebellem; ipſe receptus hoſpitio ab Achimelecho Sacerdote, occaſionem præbuit Saulo, vt in Achimelechum animaduerteret, tanquam Læſæ Maieſtatis reum. Conuerſus itaque ad miniſtros ſuos, qui circumſtabant, dixit. [Conuertimini, & interficite Sacerdotes, nam manus eorum cum Dauid eſt, ſcientes quòd fugiſſet, & non indicauerunt mihi.] Quis audito Regis præcepto magnum intonantis, & maximè iraſcentis, non crederet, ſeruos Regis illicò detruncaturos Sacerdotes illos? Attamen audi. [Noluerunt autem ſerui Regis extendere manus ſuas in Sacerdotes Domini.] Quòd ſi Miniſtri Regis non cognouiſſent Regis mandatum excedere poteſtatem à Deo ſibi commiſſam, ſi per Dei legem Regi id licere credidiſſent, cur non paruiſſent? quomodo rex furijs agitatus, ijſdem non ſuccenſuiſſet, quòd eius contemnerent iuſſa, niſi manifeſtiſſimum fuiſſet, ipſos id rectè facere? nec tamen ſuccenſuit rex, ſed alienigenam Idumæum quæſiuit, qui ſuis obtemperaret præceptis, & Diuini neſcius iuris, in Sacerdotes Domini gladium ſtringeret. [Et ait rex ad Doeg: Conuertere tu, & irrue in Sacerdotes. Conuerſuſque Doeg Idumæus irruit in Sacerdotes, & trucidauit in illa die 85. viros veſtitos Ephod lineo.] Primatum ergo Regis nullum fuiſſe in lege Moyſi ſuper Leuitarum perſonis, hinc liquido patet.

CAPVT IV.

Supremam Poteſtatem in cauſis ſpiritualibus, & pertinentibus ad diuinam legem, in teſtamento Veteri non Principum Populi, ſed Principis Sacerdotum extitiſſe.

EXcluſimus, Diuino iure, à poteſtate Reip. Hebræorum vniuerſam Tribum Leuitarum. Reliquum eſt aliud membrum demonſtrandum circa cauſas, & controuerſias ſpirituales, & quæ ad diuinam legem pertinerent. In hac verò nullus labor, tum quòd res peruulgata eſt, tum quòd aduerſarij ipſi impetum belli ſuſtinere non valentes, receptui canere cœperunt, ſuper hac controuerſia, vt ſæpè infrà in L, videbimus. Perpauca tamen in hac controuerſia lubet proferre, quia Aduerſarij non ſat ſibi conſtant, & Parthorum more fugientes pugnant.

Legem diuinam ita annexam fuiſſe Sacerdotio, vt ipſi omninò hæreret, velut vmbra corpori, vel vt veriùs dicam, vti legi viuę lex mortua, teſtatur Paulus Apoſtolus ad Hebræos capit. 7. à translatione Sacerdotij translationem legis ex neceſſitate concludens. [Translato enim Sacerdotio, inquit, neceſſe eſt, vt & legis translatio fiat.]

Pondera verbum, Neceſſe, & dicito: Translato Regno, non transfertur lex; mutata forma ciuilis Reip. lex manet, nam vſque ad Saulum, Regis nomen à Rep. illa exulauit. Indè verò, per multum temporis, Monarchię ſubiecta, denuò regiminis formam mutauit: nunquam verò translata, mutata, alterata lex diuina. Vbi autem Sacerdotium mutatur, ſtatim auditur, [Neceſſe eſt, vt & legis translatio fiat.] Ergo circa diuinam legem Sacerdotij partes ſunt potiores, quàm Regni. Imò Regi ius nullum, nam nec ablato Regno, aufertur lex, nec mutato mutatur, nec alterato alteratur.

Moyſes, antequam moreretur, benedixit ſingulis Tribubus Iſrael; Leuiticam verò ità affatus eſt. [Hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt. Iudicia tua, ò Iacob, & legem tuam ò Iſrael,] Iudam facit bellatorem, & ducem exercitus, Leui verò iudicia, & legem Iſrael appellat, quare iudicia legis ad Leuitas, non ad Reges pertinebant.

Neque diſſimilia ſunt, quæ habentur in Eccleſiaſtico, cap. 45. de laudibus Aaron. [Et dedit illi in præceptis ſuis poteſtatem, in teſtamentis iudiciorum, docere Iacob teſtimonia, & in lege ſua lucem dare Iſrael.]

Alloquens Dominus Sacerdotes in Malachia, cap. 2. inquit. [Et ſcietis, quia miſi ad vos mandatum iſtud, vt eſſet pactum meum cum Leui, dicit Dominus exercituum. Pactum meum fuit cum eo vitæ, & pacis.] De lege diuina loquitur, quam appellat mandatum, pactum ſuum, pactum vitæ, & pacis; hanc verò ſingulariter traditam fuiſſe Leui apertè bis affirmat. Leui apud quem Sacerdotium, non Iudæ apud quem Regnum. Hinc etiam non à Iuda, ſed à Leui, non à Rege, ſed à Sacerdotibus requirenda, ipſiuſmet loci teſtimonio probatur. [Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.]

Deuteronomij 24. inquit Deus. [Obſerua diligenter, ne incurras plagam lepræ, ſed facias quæcumque docuerunt te Sacerdotes Leuitici generis, iuxta id, quod præcepi eis, & implè ſollicite.] Diuina ergo præcepta à Deo ad populum tranſeunt mediantibus Sacerdotibus, non mediantibus Regibus.

Hinc cum Ioſaphat, Rex Iuda, reſtituere vellet Dei cultum, priorum Regum Idololatria collapſum (quod animaduertit Cardinalis) cauſas, quæ Dei legem tangerent, non ad miniſtros ſuos, non ad ſe deferri voluit, ſed ad Domini Sacerdotes, & ad ipſorum Pontificem Amariam. [Omnem cauſam, quæ venerit ad vos (Sacerdotes alloquitur) fratrum veſtrorum, qui habitant in Vrbibus ſuis, inter cognationem, & cognationem, vbicumque quæſtio eſt de lege, de mandato, de cœremonijs, de iuſtificationibus, oſtendite eis, vt non peccent in Dominum, & ne veniat ita Domini ſuper vos, & ſuper fratres veſtros; ſic ergo agentes non peccabitis. Amatias autem Sacerdos, & Pontifex veſter in his, quæ ad Deum pertinent præſidebit.] Alia plura alij plures hac in cauſa adduxerunt, quæ paſſim legi poſſunt in Sandero, Pighio, Turrecremata, Bellarmino. Hæc ergo, quæ apertiſſimè veritatem demonſtrant, licèt pauca, ſufficiant. Modò commonſtremus, ſupremam poteſtatem Reip. Ciuilis, etiam in politicis, Diuino Iure fuiſſe ſubiectam Sacerdotibus.

CAP. V.

Supremam poteſtatem Ciuilis Reip. Hebræorum fuiſſe ſubiectam Sacerdotio, Diuino Iure, ab ipſoque ſemper debuiſſe pendere.

QVæ ad Dei legem, & ad Leuitas diuinæ legis miniſtros attinebant, vidimus iam ad ſolos Sacerdotes pertinuiſſe, nullumque alium ſupremum habuiſſe Iudicem, quàm ſummum Sacerdotem; tantùm verò abeſt, vt in his Ius aliquod principibus ſæculi competeret, vt potiùs voluerit Deus in politicis ipſis ſummum Ius, ſupremamque poteſtatem à Sacerdotio pendere.

Afferatur priùs locus ille Deuteronomij cap. 17. qui conſpicuus eſt, & qui aduerſarios inſolubili nodo præſtringit, adeòque, vt eius efficaciam effugiant, ſe mille modis torquent, & retorquent, ſed fruſtrà. Deus iudiciorum ordinem conſtituens in Rep. Hebræorum, voluit eſſe (quod in omni Politica neceſſarium eſt) vnum ſupremum, & inappellabile Tribunal, ad quod cauſæ omnes magni momenti deferrentur, & cuius iudicio nefas eſſet reſiſtere. Hoc autem non Regem aliquem, aut Iudicem declarauit, ſed ſummum Hebræorum pontificem. Verba legis ſunt iſta.

[Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam, & cauſam, lepram, &

non lepram, iudicumque inter portas tuas verba videris variari; ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qni indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, ſequeriſque ſententiam eorum, nec decliuabis ad dextram, vel ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo; ex decreto Iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael, cunctuſque populus audiens timebit, vt uullus deinceps intumeſcat ſuperbia.]

Hìc animaduertendum eſt. Primò, quòd textus ante nominat Sacerdotem, ſubindè Iudicem, id verò quid ſignificet, dicant Aduerſaij. Secundò, præterea, dicit textus aſſertiuè, quòd Sacerdotes indicabunt iudicij veritatem. Tertiò. Non conſulit, ſed imperat Sacerdos; Qui noluerit obedire Sacerdotis Imperio. Quartò. Quod in omnibus ſupremis Tribunalibus fit, hoc in iudicio pontificis, Qui noluerint obedire Saeerdoris Imperio, morietur. Quintò. Sacerdos tamen nou decernet de ſuperbi morte, ſed Iudex ſæcularis, tanquam Sacerdotis Miniſter. Potiſſimæ itaque partes in Rep. adminiſtranda, Sacerdotum erant, non iudicum, illorumque, non iſtorum ſuprema poteſtas.

Adduxerat loci huius particulam Cardinalis in Apologia. Reſpondit verò L, ad ipſum hiſce verbis. [Satis ibi apertè legitur, ſed non ſatis integrè citatur, quid enim? An imperio Sacerdotis vtcumque? qualicumque? An Aarouis imperio vitulum adorare iubentis? An Abiatharri imperio contra Salomonem cum Adonia conſpirautis? Au Caiphæ imperio Chriſtum morte dignum pronuntiantis? Non opinor. Eſt ibi præter ea, quæ Torto citate viſum, vel ſuprà paulò, vel infrà, quod doceat nos, quali Sacerdotis imperio, id Tortus nou boua fide celauit. Ita præcedentia verba habent (imperio Sacerdotis iuxta legem Dei docentis) tum ſequeris ſententiam eius, tum ſi ſuperbierit nolens obedire, currit lex iſta contra te. Iam verò noua lis; an docuerit nos Paulus V. breui ſuo iuxta legem Dei, immò lis nulla &c.] Hæc L.

Errat 1. L. dum exemplum Aaaronis ponit ſimpliciter, pro exemplo poutificis, nam Aarou pontifex tum non erat, cum vitulum fecit; ſed diù poſtea pontifex ordinatus fuit. In Exodo cap. 22. Peccat. In Leuitico cap. 8. Pontifex ordinatur. Videat igitur L. an viro in ſcripturis verſato error iſte, ſine graui culpa, contingere potuerit.

Errat 2. in Abiatharro, nihil enim vnquam Abiatharrus præcepit, tanquam Index in cauſa Adoniæ, & Salomonis, Textus habet tantum. [Et ſermo eius (Adoniæ) cum Ioab filio Saruiæ, & cum Abiathar Sacerdote, qui adiuuabant partes Adoniæ.] Pontificis iudiciale præceptum, nunquam hìc reperire poterit Aduerſarius.

Errat 3. in Caipha; nam Caiphas verus pontifex non erat; tunc enim ceſſauerat Sacerdotium Moſaicum, &, vt probat Paulus ad hebræos per plura capita, Chriſtus verus pontifex erat. Hinc Cyprianus epiſt. 65. in illud. [Sic reſpondes Pontifici?] Docuit Sacerdotes veros legitimè honorari, dum circa falſos Sacerdotes ipſe talis exiſtit, & epiſt. 55. in act. 23. cum Paulus dixiſſet. [Neſciebam, quia pontiſex eſt. Quamuis, inquit, Domino iam crucifixo, ſacrilegi, & impij, & cruenti illi eſſe cœpiſſent, nec iam quidquam de Sacerdotali honore, & auctoritate retinerent, tamen ipſum inane nomen, & vmbram quandam Sacerdotis cogitans Paulus. Neſciebam, inquit, fratres, qnia pontiſex eſt.] Duos ergo, qui pontifices non ſunt, & tertium, qui nihil præcipit, adducit L, vt probet, pontifici imperanti inobedientiam licere. Egregiam verò laudem promeretur.

Erat denique in reliquis omnibus. Nam omnibus præceptis iudiciarijs pontificum, Deus ibi vult obediri, nec euaſio illa vetus quicquam valet. Si enim ſubditi iudicare poterant, an iudicium poutificis eſſet, vel ſecundùm, vel contra legem Dei, ſi habebant ſequi ſententiam propriam, non pontificis, quid ergo iubentur adire Tribunal illud ſacrum, atque ſupremum? Immò fruſtra Tribunal ſupremum totius Iſrael collocatur in Hieruſalem apud pontificem, & conſilium 72. ſi facta ſententia, in arbitrio cuiuslibet eſt, an velit parere. Duo ſint, qui litigent, alter cadit cauſa, alter vincit; qui cadit (quod ſolent omnes) queritur ſententiam contra legem eſſe, & iniquam. Quid aliud; inquit Auguſtinus pro collat. contra Donat. cap. 1. [victi omnes facere conſueuerunt, qui veritati conſentire nolunt, niſi vt de Iudicis iniquitate mentiantur?] Alter verò iuſtam, & iuxta legem Dei eandem prædicat. Quid tum? lis indeciſa maneat ex te, & controuerſiarum nullus vnqnam ſit finis? Sanè tibi dico, ſapientem legislatorem fac ls Deum. Illud ergo [Facies, quæcumque dixerint, qui præſunt, & docuerint iuxta legem Dei] aſſertiuum eſt, non conditionale; quod ſatis indicant illa antecedentia. [Quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & illa: Sequeris ſententiam illorum, & illa: Neque declinabis ad dextram, vel ad ſiniſtram, & illa: Qui noluerint obedire Sacerdotis imperio, morietur, & illa: Auferes malum de Iſrael, & illa: Ne quis deinceps intumeſcat ſuperbia.] Ità illam exponunt, Conc. Pariſien. ſub Lud. & Loth. in præfat. [Sacerdotis eſt ſcire legem, & ad interrogationem reſpondere de lege, quod quidem, & in Deuteron. legimus, vt ſicubi in vrbibus Iſrael quæſtio fuerit nata inter ſanguinem, & ſanguinem, iudicium, & iudicium, lepram, & non lepram, contradictionem, & non contradictionem, eant ad Sacerdotes, & Leuitas, & ad pontificem, qui in diebus illis fuerit, & querant ab eo legem Domini, quibus reſpondentibus, faciant, quod iubetur.] Cyprianus epiſt. 55. [Sacerdotibus honor tantus Dei dignatione conceditur, vt quiſquis Sacerdoti eius, & ad tempus hìc iudicanti non obtemperauit, ſtatim necetur. In Deuteron. loquitur Dominus &c.] Cyrill. Alex. lib. 13. de adorat. in ſp. & verit. poſt allata verba Deuteron. inquit. [Vides legem apertè imperare ijs, qui quocumque nomine aliquem accuſare veliut, vt Iudicem, atque cogni-

cognitorem faciant Sacerdotem: Sed obſeruabis valdè, vt facias iuxta omnia, quæ conſtituerunt tibi; labia namque Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent de ore eius, vt Propheta loquitur, neque enim ille leges conſtituit, ſed potiùs, quod legiſlator docuerit incorruptè interpretando, ad rectam viam perducit, cumque iuſtitiæ ſit optimus arbiter de vnaquaque re iudicium ſubtiliſſimè ponderat, ob eamque cauſam immanitatis, & ſuperbiæ crimen illis adiunctum eſt, qui ei obtemperare contempſerint.] Doctores noſtri hanc ſuam reſponſionem millies exterminarunt. Sed dicat, adducat quotquot exceptiones vult L. hoc ſaltem effugere non poterit; illo loco ſupremam poteſtatem in Rep. adminiſtranda Pontificibus eſſe conceſſam, non Iudicibus Politicis, cum iſti dentur Sacerdotibus, quaſi Miniſtri. An verò æquum ſit, vt ſubditus præferat iudicium ſuum iudicio ſupremi Reip. Principis, dicat ipſe L. & iudicet Rex Iacobus.

Confirmatur denique ſuprema Politica poteſtas apud Pontifices, teſtimonio Ioſephi ad hunc locum alludentis, Antiquitatum lib.4. cap.8. [Quòd ſi iudices, inquit, neſciant de negotio ante ſe delato pronuntiare (ſicut interdum accidit) in ſanctam Vrbem integram cauſam relegent. Tùm verò Pontifex, & Propheta, vna cum Senatu, quod viſum fuerit, decernant.]

Hinc cum Deus Ioſue filium Num in Politico regimine declaraſſet Moyſis ſucceſſorem, præcepit, vt æternum penderet in omnibus à nutu Eleazari pontificis. [Pro hoc ſi quid agendum erit, Eleazar Sacerdos conſulet Dominum, & ad verbum eius ingredietur, & egredietur ipſe, & vniuerſa populi multitudo.] Ideòque in diuiſione Terræ promiſſionis, Ioſue 19. (quæ certè fuit actio politica, & temporalis) primæ partes ſunt Eleazari, ſecundæ Ioſue. [Hæ ſunt poſſeſſiones, quas ſortè diuiſerunt, Eleazar Sacerdos, & Ioſue filius Num, & principes familiarum, ac tribuum filiorum Iſrael, in Silo coràm Domino ad oſtium Tabernaculi teſtimonij, partitique ſunt terram] & eodem lib. cap. 17. filię Salphaad ad hæreditatem petendam, [Venerunt in conſpectu Eleazari Sacerdotis, & Ioſue filij Num, & principum.] Vtrobique primo loco nominatur Sacerdos, poſtea Iudex, demùm Senatus. Quis ergo ambigat amplius de primatu Pontificis in hebræorum Republica? Nonne Samuel Regem conſtituit Saulum, & pro ſuis præceptis neglectis, regno eundem priuauit? an non Dauid ad Regnum ab eodem euectus eſt, & Roboam eius nepos magna parte Regni ab Ahia Propheta priuatus? An non Athalia Ioiadæ pontificis iuſſu occiditur, & eius loco Ioas ad Regnum Iuda euehitur? An non Achabi tota ſtirpes deletur, & eius loco Iehu ab Eliſæo iungitur?

Reſp. Hebræorum olim quidem Ariſtocratica fuit, poſtea verò Monarchas agnouit; Ariſtocratia Deo ſemper gratiſſima extitit, ità enim ab ipſo Reſp. illa fuerat ordinata; Ideòque cum elapſis penè 400. annis à morte Moyſis, hebræi peterent Regem, id plurimùm diſplicuit Samueli, & Deo. Quare Deus ad Samuelem dixit. [Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.] Et populus ipſe, poſtea ſuam profeſſus eſt culpam, ad Samuelem dicens. [Ora pro ſeruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur; addidimus enim vniuerſis peccatis noſtris malum, vt peteremus nobis Regem.] Regum ergo inuectum eſt in Remp. non approbante, ſed permittente Deo. Vniuerſo illo tempore, quo Reip. Ariſtocratica fuit, primas in Rep. fuiſſe Sacerdotum, dubium non eſt. Regum verò tempore idem fieri debuiſſe, perſpicuum. Nam eodem c. 17. Deuteronomij iubet Deus Regibus aliquando futuris, vt vnuſquiſque ipſorum legem illam ſeruaret. [Deſcribet ſibi Deuteronomiam legis huius, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ.] Et Ioſephus hoc idem affirmat factum fuiſſe, Antiq. lib.4. cap.8. Legem Regni deſcribens. [Is quiſquis fuerit plùs legibus, & Deo, quàm ſuæ ſapientiæ tribuat, nihilque præter Pontificis, ac Senatus ſententiam faciat.]

Cæterorum mutata Reip. forma ab ea, quam diuino iuſſu acceperat, & Monarchia introducta; negari non poteſt, plurimos Reges rebus ſacris ſeſe immiſcuiſſe, perſonas ſacras iudicijs ſubieciſſe ſuis, & iudicia ſua Sacerdotum prætuliſſe ſententijs. At non diſputamus, quid Reges fecerint, ſed quid ſecundùm Dei legem fecere poſſent; non querimus, quid aliena poteſtate, & vt Prophetæ aliquando egerint, ſed quid vt Regibus, & propria poteſtate illis liceret; atque ita apparet fruſtrà eos laborare, qui argumentum efficax credunt deſumi poſſe à quibuſdam factis Regum Iſrael, ad Poteſtatem Regum Chriſtianorum. Nunquid licèt Regibus Chriſtianis, ſacras ſcripturas componere, quia Dauidi, & Salomoni id licuit? Nunquid ducere poſſunt vxores plurimas; quia Reges Iſrael plurimas duxerunt? Priùs licuit illis, & non iſtis; poſterius, nec illis, nec iſtis, interdictum eſt enim, Deuteron. 17. An alienigenis vxoribus matrimonio iungi poſſunt noſtri Reges; Quia Salomon, & alij Reges Iſrael id fecerunt? non poſſunt certè, quia nec illi. Deuteron. 17. Immò Eſdrę 3. cap. 8. & 9. innumeræ Vxores alienigenæ expelluntur, diſſolutis connubijs, tum ex hac lege, tum etiam ex lege Exodi 34.

Qui ergo probare volunt, ex factis Regum illorum, quidquam Regibus noſtris licere, oportet ante omnia, vt probent illorum facta 1. Eſſe Regum, vt Regum, non vt Prophetarum 2. Eſſe propria, non aliena poteſtate 3. Eſſe ſecundùm, non contra legem Dei; Hæc niſi præſtiterint, vanus omnis eorum labor; niſi fortè dixerint, Reges iſtos ſuos eſſe ſimul Reges, & Prophetas, habere omnem poteſtatem à Deo, etiam quæ Regum propria non eſt, & deinque poſſe pro arbitrio in diuinam legem peccare. Singula tamen, quæ ab ipſis afferuntur exempla, ſuo perpendemus loco.

Hactenùs ex lege Moyſis tria hæc probauimus 1. leuitas exemptos fuiſſe à rep. ciuili, & principibus nullam adfuiſſe poteſtatem in ipſos 2. ius ſacrorum omnium penès Sacerdotes, & ſupremum ius penès ſummum Pontificem, non penès Principes ſæculi reſidere 3. Pontificem, non laicum Principem, ſuiſ-

fuiſſe ſupremum caput reip. ciuilis, etiam in politicis. Quare cum aduerſarij conſenciant, vt à Sacerdotio Moſaico ad noſtrum, & à poteſtate illorum Principum, ad poteſtatem noſtrorum, liceat argumentari, immò ſuper hac vna re ſui primatus fundamenta iaciant; ſupereſt vt in cauſa primatus victi cadant. Sed ſatis morati in Moyſe; ad Chriſtum, & eius legem tranſeamus.

CAPVT VI.

Ex lege Chriſti Principi laico Ius nullum in rebus ſacris; perſonaque Clericorum immunes à poteſtate Ciuili.

I. QVod attinet ad legem Chriſti, luce meridiana clariùs apparet, Regibus non modò non ſupremam, ſed ne vllam quidem competere poteſtatem in rebus Eccleſiaſticis, & ſacris. Primum verò liber in aduerſarios propria illorum arma retorquere, vt Catholici olim dum de hac voce (homouſion) cum Arianis contenderent. Non admittebant id verbi hæretici, quia in Scripturis non erat expreſſum; De fide verò volebant, quòd Pater eſſet ingenitus, cui tribuebant & alia, quæ verbis expreſſis non habentur in Scriptura. Quare Auguſtinus ita illos perſtringit. [Quid eſt, quòd calumniantur de homouſion verbo græco, quia ſcriptum in lege minimè inueniatur? cur non vident culpam ſuam? cur ſibi non diſplicent, cum ponunt in ſymbolo verba, vel nomina, quæ non ſunt vlla ſcriptura digeſta? Qui diſponit arguere, non faciat, vndè aliam vitietur accuſare.] Dicamus ergo nos quoque in Aduerſarios. Nihil eſſe vultis de fide, niſi quod habetur expreſſum in ſacra ſcriptura; atqui nullum expreſſum locum habemus in Scriptura, quòd Rex ſit caput, & ſupremus Gubernator omnium Spiritualium, & ſacrorum. Quare hìc Regis primatus credi, & iurari non poteſt, ſalua Fide.

II. Et ſanè mirum eſſet, quòd Deus, ſi voluiſſet Eccleſiam ſuam à Regibus regi, cum poſſet tam in promulgatione legis Moſaicæ, quàm Euangelicæ, vti Populo Hebræo, ita Chriſtiano, Reges eiuſdem Fidei, eiuſdemque Religionis præponere, noluerit tamen. Quare dum fundamenta Eccleſiæ, & Synagogæ iecit, non ſub regimine Regis alicuius, ſed ſub Poteſtate Pontificum, immò in Moyſe Reges ſibi diſplicere apertè commonſtrauit; quid aliud hoc fuit, quàm ab Eccleſiæ regimine eoſdem arcere? Synagoga dum inſtituitur, pendet à Sacerdotum Imperio, Eccleſia dum ædificatur, fundatur in Apoſtolis, & prophetis, & præcipuè ſuper Apoſtolorum principe Petro; contra verò, de Regibus, & Principibus ſæculi nulla habetur ratio. Quin ita contemnuntur à Deo, vt nunc temporis nullum ad Chriſti fidem conuerterit, quam ſuperædificauit fundamentis Apoſtolorum, & Prophetarum, atque adeò Sacerdotum, & non principum Temporalium, & hi, qui negliguntur, qui reſpuuntur, erunt Eccleſiæ Principes, Eccleſiæ capita, Eccleſiæ regent habenas? Sacerdotes verò, quibus ſolis Eccleſia committitur, ſuper quibus fundatur, quibus ſolis paſtoralis virga porrigitur, ab illis pendebunt? illis tanquam oues paſtoribus, tanquam pedes capiti ſubijcientur? equuſque ſeſſorem rapiat ſolutis habenis, quo ferat libido, non ſeſſor equum freuet, ac regat ad viam ſalutis?

III. Eſſentialis ſanè pars Eccleſiæ eſt Sacerdotium, accidentalis regnum, regno enim carere potuit, & caruit; at non Sacerdotio; Tranſlato enim Sacerdotio, neceſſe eſt, vt & legis tranſlatio fiat, & eſſentiale ſubijcies accidentali? Auferas ab Eccleſia Regnum, Eccleſia adhuc eſt; auferas ab eadem Sacerdotium, Eccleſia eſſe deſinit, & Regnum præpones Sacerdotio?

IV. Paulus dixit: [Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.] Audin? non poſuit Reges, non Principes ſæculi, ſed Epiſcopos regere Eccleſiam Dei; tu verò contra Spiritum Sanctum Epiſcopis deiectis, & proſtitutis, Reges ſuper Eccleſiam ponis?

V. Audi eundem. [Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alias verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſumationem Sanctorum in opus Miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti.] Quære hìc Reges, adhibe etiam Diogenis lucernam, & oſtende, ſi potes.

VI. Facito Regem ſuper Eccleſiam eſſe; Eccleſia vno modo decernit; contra ipſius iudicium Rex deliberat. Quem hìc audies? Regem? an Eccleſiam? ſi Eccleſiam, cur ſupremæ poteſtati, quæ penès te Regia eſt, inferiorem præfers, contra Dei legem, & ordinem? ſi Regem, quomodo. [Qui Eccleſiam non audierit, erit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus?]

Hiſce verbis, Matth. 18. ſupremam poteſtatem in iudicijs conceſſam eſſe Eccleſiæ aduerſarij omnes fatentur: quomodo autem, Dei iuſſu, ab Eccleſia in Regem migrauerit, ipſorum eſt demonſtrare; ego certè nullum hac de re in Sacra Scriptura locum reperire vnquam potui. Nam quæ in Euangelio habentur de Cæſare, quæ in Apoſtolis de Regibus, & Principibus ſæculi, ea pertinent ad ſolam obedientiam Ciuilem, vt Aduerſarij ore rotundo fatentur; qui nec Regem volunt primatus Eccleſiaſtici capacem eſſe, niſi cum in Eccleſia fuerit. Alia teſtimonia Euangelij, & Apoſtolorum, vbi aduerſarij adinuenerint, quæ euincant, quod prætendunt, dicam cum Paſcentio, [Et ſi conuicerint, nec homouſion iniuſtè ab ipſis poſitum, etiam ego iam publicè conclamabo, ſtatimque eorum communioni ſocius fio.] Quæ verò proferant, audiemus infrà in ſolutione argumentorum.

VII. Claues Regni Cœlorum traditæ ſunt à Chriſto D. N. eius Apoſtolo Petro; nec enim pollicitus eſſet Chriſtus ſe daturum illas, ni voluiſſet dare. Hoc eſt certum, & indubitatum inter nos, & aduerſarios; diſcrimen verò in eo ſolùm; An Petro, cum ſingulari prærogatiua, an æquè Apoſtolis omnibus; ſed hoc ad rem præſentem nihil. Clauium nomine in ſacra Scriptura ſignificari poteſtatem obſolutam regendi, nemo ibit inficias. Ita Chriſtus in Apocalypſi. Habeo

Cla-

Digitized by Google

Claues Mortis, & inſerni, hoc eſt, inquit Andreas in Coment. Abſolutam in animæ, & corporis mortem, poteſtatem habeo. Et Eſaię 22. dabo clauem Dauid ſuper humerum eius. Quòd Chaldaica paraphraſis vertit; Dominium domus Dauid in manus eius. Et Clanium ſymbolo dominium ſignificari, ex eo conuincitur, quòd, dum ciuitates deduntur, Claues offerunt; hoc enim ſigno abſolutam ſubiectionem proteſtantur. Dum ergo Chriſtus tradidit claues Regni Cœlorum Apoſtolo Petro, eidem Regnum Cœlorum ſubiecit.

Nomine Regni Cœlorum non modò Paradiſum, ſed etiam Eccleſiam militantem intellexiſſe Chriſtum, facilè probari poteſt. Nam illius Regni Cœlorum Claues accepit Petrus, in quo illis vtebatur ligando, & ſoluendo; ligabat verò, & ſoluebat exiſtentes in Eccleſia militani; iſtius ergo etiam claues iam acceperat; & vt docent Greg. hom. 12. in Euangel. & Auguſt. de virgin. cap. 24. familiare eſt Sacræ Scripturæ nomine Regni cœlorum, Eccleſiam præſentis temporis ſignificare. Nec enim alio modo interpretari poſſumus illa. [Mittet angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala;] Et eidem regno cœlorum accommodantur parabolæ de Virginibus prudentibus, & fatuis; de ſagena miſſa in mari congregante ex omni genere piſcium; de area; in qua frumentum, & paleæ; de agro, in quo cum frumento zizania. Quare dum Chriſtus dedit Petro claues regni Cœlorum, eidem conceſſit ſummam poteſtatem ſuper Eccleſia militanti.

Apoſtolo Petro ſuccedunt non reges, ſed Epiſcopi (etiam id fatentur Aduerſarij) Ergo non reges, qui ſuccedunt Auguſto, ſed Epiſcopi, qui Petro ſuccedunt, diuino Iure ſupremam Eccleſiæ poteſtatem habent.

Huc referri poſſunt omnia illa, quæ adducemus ad probandum Pontificis primatum ſuper vniuerſa Eccleſia Catholica; quæ dum Papam Eccleſiæ caput conſtituunt regem à primatu iſto excludunt. Hæc ſufficiant ex Sacra Scriptura contrà primatum regis in Spiritualibus, & Eccleſiaſticis.

De perſonarum Eccleſiaſticarum in politicis exemptione modò non diſputo, quia Rex, & L. non tractant quæſtionem iſtam, ex profeſſo, ſed leuiter tantùm attingunt; ideò hoc vnum Argumentum proferam aduersùs regem Iacobum, & eius L.

[Longè præſtantius, nobilius, maius, perfectius, amplius eſt Sacerdotium noſtrum Sacerdotio Leuitico. At diuino Iure Sacerdotes, & Leuitæ omninò immunes erant à poteſtate Ciuili, & poteſtas Ciuilis erat illis ſubiecta. Ergo multò magis eodem Iure Sacerdotes noſtri exempti ſunt ab eadem poteſtate.] Maior quidem propoſitio eſt Diui Pauli, qui ipſam ad Hebræos probat per plura capita. Minor vero à nobis fuſè iam eſt probata Teſtimonijs Sacræ Scripturæ.

Et ſanè ratio naturalis dictat hanc exemptionem; nam cum Sacerdotes præfecti ſint à Deo diuinæ legi, vt Iudices, & Miniſtri; Principes verò Iudices ſint, & Miniſtri Iuris Ciuilis; eam proportionem ad inuicem habere debent Iudices, quam mutuò habent leges; Iudex enim eſt lex viua. Quis verò adeò impius, vt Ius ciuile Diuino ſuperponat? Quis negare auſit ciuile Ius, Diuino eſse ſubiectum? Hæc mea eſt ſententia, quicquid aliàs opinatus fuerim. A ſcriptura modò ad Patres pergamus.

CAPVT V II.

Patrum teſtimonijs refellitur Anglicanus Primatus.

NON multùm in hac parte morabor, plurima enim huius generis teſtimonia allata ſunt ab Illuſtriſs. Cardinali; aliquot tamen adducam, ne cauſæ tam iuſtæ, tam ſanctæ, teſtium copia deeſſe videatur.

Sanctus Ignatius Martyr Patriarcha Antiochiæ, contemporaneus Apoſtolorum, epiſtola ad Smyrnenſes. [Honora, inquit, fili Deum, & Regem; Ego verò dico. Honora Deum, vt omnium auctorem, & Dominum: Epiſcopum verò, vt Principem Sacerdotum, imaginem Dei referentem; Dei quidem propter Principatum; Chriſti verò propter Sacerdotium. Honorare oportet, & Regem.] Siſte, & conſidera ordinem, quo ſanctus Pater iubet honorari illos, quibus honor debetur. Vult primò honorari Deum, Epiſcopum deindè, & Regem denique. Non Deum, Regem, & Epiſcopum, quod opus erat, ſi Regem ſuprà Epiſcopum collocare voluiſſet. Huius ordinis rationem reddit.

[Nec enim quiſquam Deo præſtantior eſt, aut ſimilis ei in omnibus rebus creatis. Nec Epiſcopo, qui Deo conſecratus eſt, pro totius mundi ſalute, quicquam maius in Eccleſia. Nec inter Principes quiſquam ſimilis Regi, pacem, & ęquitatem ſubditis procuranti.] Si in Eccleſia nihil maius Epiſcopo; quomodo maior Epiſcopis, & ſuprà Epiſcopos erit ſtatuendus Rex Angliæ? Pergit ſanctus Pater.

[Qui honorat Epiſcopum, à Deo honorabitur, ſicut, qui ignominia afficit illum, à Deo punietur. Si enim iure cenſebitur pœna dignus, qui aduersùs Reges inſurgit, vt qui violet bonas legum Conſtitutiones, quantò putatis grauiori ſupplicio ſubiacebit, qui ſine Epiſcopo quid volet agere, concordiam rumpens, & decentem rerum ordinem confundens?] Argumentum hoc ſancti Patris eſt à minori; quare vult maiorem poteſtatem Epiſcopi eſſe, quàm Regis; proindè ac ſi quis dicat. Si graui pœna puniendus eſt, qui ſpernit Prętorem, quantò maiori pęna puniendus, qui contemnit Imperatorem? maioris enim poteſtatis contemptori maior pœna debetur. Quanta verò ſit Sacerdotij dignitas, & quantum excedat Regiam, indè aperit.

[Sacerdotium enim eſt omnium bonorum, quæ in hominibus ſunt, apex; qui aduersùs illud furit, non hominem ignominia afficit, ſed Deum, & Chriſtum Ieſum Primogenitum, qui natura ſolus, & ſummus eſt Sacerdos Patris.] Ex hoc capite maiori pœna puniendum probat Sacerdotis contemptum, & maiori, quàm Regis, quia Sacerdotium eſt Apex omnium bonorum, quæ homo poſſidet; Quare ſi Sacerdotium eſt apex; quomodo Regnum ſupra Sacerdotium? His præ-

iactis

iactis fundamentis, aperit ordinem Eccleſiaſticæ Politiæ, & inquit.

[Omnia igitur veſtra decenti ordine perficiantur in Chriſto. Laici Diaconis ſubijciantur, Diaconi Presbiteris, Presbyteri Epiſcopo; Epiſcopus Chriſto, vt Chriſtus Patri.] Excluditur Rex à primatu Eccleſiaſtico hic duplici ex capite; primò, quia laicus eſt; laici verò omnes ſub Diacono collocantur. Deindè, quia Epiſcopus ſolum Chriſtum ſuperiorem habet, quod ſignificant verba illa; Epiſcopus Chriſto, vt Chriſtus Patri. Quare, qui ſuprà Epiſcopos Rex ſeſe attollit, hic Chriſti locum inuadit, & Chriſtum è ſede deijcit.

Sanctus Ioannes Chryſoſtomus hom. 4. de verbis Eſaiæ. [Alij ſunt termini regni, alij termini Sacerdotij. Hoc regnum illo maius eſt; Neque enim ex his, quæ videntur hic, declaratur Rex, neque è gemmis illi affixis, neque ex auro, quo amictus eſt, debet æſtimari Rex. Ille quidem ea, quæ ſunt in terris, ſortitus eſt adminiſtranda; cæterum Sacerdotij Ius è ſupernis deſcendit. (Quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata, & in Cœlo.) Regi ea, quæ hìc ſunt, commiſſa ſunt, mihi cęleſtia; Mihi, cum dico, Sacerdotem intelligo.]

Sacerdotium Regno tantò maius facit, quantò cęlum terram excedit præſtantia, & Regi Terreſtria, Sacerdoti verò cęleſtia commiſſa eſſe affirmat. Hæc perpendat Rex ille, qui nulla ex parte Pontifici inferiorem ſe credit; quique ſupremum Gubernatorem, & Iudicem omnium ſpiritualium ſe conſtituit.

Illa particula [Sacerdotij Ius è ſupernis deſcendit,] quomodo ſtare poteſt cum illa clauſula Patentum Epiſcopalium in Anglia [Ad ordinandum quoſcunque intra Dięceſim tuam, & ad omnes etiam ſacros, & presbyteratus ordines promouendum, per pręſentes ad noſtrum beneplacitum duraturas, tibi damus poteſtatem?]

Sanctus Ioannes Damaſcenus. [Regum partes non ſunt, vt Eccleſiæ leges pręſcribant. Conſidera enim quid D. Apoſtolus dicat, & quoſdam quidem in Eccleſia poſuit, primùm Apoſtolos, deindè Prophetas, tum Paſtores, & Doctores ad Eccleſiæ conſtitutionem; non adhibuit Reges. Et rursùm (obedite, inquit, præpoſitis veſtris, &c.) Regum eſt ciuilis adminiſtratio, eccleſiaſtica verò conſtitutio paſtorum, & Doctorum.

Poterat clariùs ſanctus iſte Pater reprobare Anglicanum primatum? Dicit ille. [Regum partes non ſunt, vt Eccleſiæ leges pręſcribant. Vos contra; Regnum partes ſunt, vt Eccleſiæ leges præſcribant. Ille. Regum eſt ciuilis adminiſtratio; Eccleſiaſtica verò conſtitutio Paſtorum, atque Doctorum. Vos. Regum eſt non modò ciuilis adminiſtratio, ſed etiam Eccleſiaſtica conſtitutio;] Et quiſquam Damaſceno vos præferat?

Lucifer Calaritanus. [Proba, te ſuper nos ſactum Iudicem; proba, te ad hoc factum Imperatorem, vt nos armis tuis, ad omnem implendam voluntatem amici tui diaboli perduceres; cum probare non poſſis, quia pręceptum ſit tibi, non ſolùm non dominari Epiſcopis, ſed & ita eorum obedire ſtatutis, vt ſi ſubuertere eorum decreta tentaueris, ſi fueris in ſuperbia comprehenſus, morte mori iuſſus ſis.]

Sanctus Hilarius. [Prouideat, & decernat clementia tua, vt omnes ſe vbique Iudices, quibus Prouinciarum adminiſtrationes ſunt creditæ, ad quos ſola cura, & ſollicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, à religioſa ſe obſeruantia abſtineant; neque poſthac præſumant, atque vſurpent, & putent, ſe cauſas cognoſcere Clericorum.]

Ad illorum Teſtimonia modò accedamus, quæ à Cardinali adducta, & ab L, reiecta ſunt.

CAP. VIII.

Locus Athanaſij contra Primatum defenditur ab obiectionibus Aduerſarij.

PRimo loco Cardinalis Athanaſium induxit, cuius Teſtimonio apertè Regius primatus confutatur; huic, & cæteris reſpondit L; quàm benè, ſigillatim videbimus. Verba Cardinalis præferent in margine notam. Card. Aduerſarij L. mea verò M. A.

Card. [S. Athanaſius Patriarcha Alexandrinus in epiſtola ad ſolitariam vitam agentes: (Quando, ait, à condito æuo auditum eſt, quòd iudicium Eccleſiæ, ſuam auctoritatem ab Imperatore accepit? aut quando hoc pro iudicio agnitum eſt?]

L. [Quando? Nunquam certè. Iudicium Eccleſiæ à verbo ipſo, à veritate ipſa auctoritatem ſemper accepit, non ab Imperatore, non à Mortali quoquam, nec ſecùs Rex quiſquam pius, vel Imperator dixerit; Sed hoc tum demùm locum habet, ſi de auctoritate intrinſeca dicas. De externa enim ſi ſenſus ſit, vt nempè Canon Eccleſiæ vim legis habeat, haud quiſquam ſanę mentis negabit, ab Imperatore auctoritatem, accepiſſe Eccleſiæ iudicia. Ei rei fidem faciunt, quæ de Concilorum decretis ſuprà iam à nobis, etiam à Torto ipſo allata ſunt.]

M. A. De intrinſeca illa auctoritate, nec nos diſputamus, nec S. Pater loquitur, ſed de externa, quam res Eccleſiæ ſortiuntur à iudicio Eccleſiæ, & hanc Imperatoribus, & principibus Athanaſius ità apertè adimit, vt illum dum aliò detorques, facilè perſuadeas, frontem perijſſe de rebus. Ità igitur Athanaſius, quem quæſo diligenter perpende. [Nam ſi iſtud eſt iudicium Epiſcoporum.] Viden de qua auctoritate loquitur? an non de illa, quam res Eccleſiæ ſortiuntur, non à verbo ſolo, non à veritate ſola, ſed ab Epiſcoporum iudicio? [Quid cum eo habet commune Imperator? Sin contrà iſta minis Cæſaris conflantur, quid opus eſt hominibus, titulo Epiſcopis? quando à condito æuo auditum eſt, quòd iudicium Eccleſiæ auctoritatem ſuam ab Imperatore accepit? aut quando vnquam hoc pro iudicio agnitum eſt?] Hæc non leui pede pertranſeas; ſiſte paulisper, & conſidera, quòd à condito æuo in Eccleſiaſticis nunquam agnitum eſt pro iudicio Imperatoris iudicium in eccleſiaſticis. Sequitur Athanaſius. [Plurimæ ante hac ſynodi fuere, multa iudicia Eccleſiæ habita ſunt, ſed neque Patres huiuſmodi res principi perſuadere conati ſunt.]

Digitized by Google

ſunt.] Vide ad hæc vſque tempora, quanti fecerint Patres noſtri iudicium tui ſupremi Gubernatoris rerum omnium Eccleſiaſticarum, vt neque res iſtas illi perſuadere conati ſint? [Neque princeps ſe in rebus Eccleſiæ coriosum præbuit. Paulus habebat amicos in Cæſaris ſamilia, & per eos in literis ſalutabat Philippenſes; non tamen eos in iudicio ſocios aſſumpſit. Nunc autem nouum ſpectaculum ab Ariana editur hæreſi. Conuenerunt enim in vnum hæretici, & Imperator Conſtantius, vt ille quidem ſub prętextu Epiſcoporum ſua poteſtate aduersùs eos, quos velit vtatur, & tamen in perſecutione mouenda, perſecutor non appelletur; illi verò ſuccincti principis poteſtate inſidias faciant, quibus volunt.] Ingenuè veritatem fateare; hæc actane ſunt, & aguntur in Anglia? cætera Athanaſij audias eodem in loco. [Quis videns eum in decernendo Principem ſe facere Epiſcoporum, & præſidere iudicijs Eccleſiaſticis, non meritò dicat illum, eam ipſam abominationem deſolationis eſſe, quæ à Daniele prædicta eſt?] Facit ne id Iacobus? Quis ergo Aotichriſtus?

Ad ea, quæ de concilijs innuis; audiſti quid reſponderit S. Athanaſius, nempè à condito æuo inauditum; audies etiam ſuo loco, quid oos quoque cum Athanaſio, & poſt Athanaſiom dicamus. Voluiſti, ſcio, nouum bellum indicare Athanaſio, dum dixiſti, [quod nemo ſanæ mentis negabit, quod Athanaſius negat apertè;] At indignus tu, qui tali dextra cadas, indignus cui tantus vir ſe componat. Sed age, patere, quæſo, vt homines credant potiùs te, quàm Athanaſium ſanæ mentis non eſſe, qui talem notam inutis tanto Patri, patere non habeant te meliorem Athanaſio teſtem rerum, quæ ante illum geſtæ fuerunt; & denique credant, te potiùs, quàm illum errare. Malum omen ò L, Cantherius in porta.

CAPVT IX.

Oſij Cordubenſis locus aduerſus Regis Primatum propugnatur.

CArd. Oſius Cordubæ Epiſcopus, referente Athanaſio, in eadem epiſtola. (Ne præcipe, inquit, nobis Imperator, in hoc genere; ſed ea potius à nobis diſce. Tibi enim Deus Imperium commiſit; nobis autem, quæ ſunt Eccleſiæ concredidit.)

L. Multùm autem intereſt quis, cui loquatur. Cui hæc loquitur Oſius? Conſtantio ſcilicet Imperatori. Conſtantius autem qualis? totus, quantus quantus Arianus, & pro Arianis; tam verò ſine iudicio, vt nouies mutauit fidem, nouem fidei diuerſas profeſſiones ediderit. Tam arrogans, vt hęc illius vox fuerit: (Quòd Ego Volo pro Canone ſit) tam prophanus, vt ſi quem Epiſcoporum eſſe velit, hoc illi dictum ſit. (Sentias contrà Chriſtum, nec de moribus tuis ſis anxius. Hoc enim ſufficit tibi ad commendationem, & Principis amicitiam.) Huic tali ab Oſio dictum, Ne præcipe. At in quo genere? qua cauſa? Illud enim etiam intereſt: intelligentia dictorum ex cauſis ſumenda dicendi. Quid illud erat, quod voluit Conſtantius, vt ſic illum affari opus eſſet? nimirùm, vt Oſius, Qui Athanaſium in ſynodo, perſpecta ibi cauſa eius, & cognita, abſoluerat; eundem in palatio, nec dicta cauſa, nec vocatum, quin abſentem ſubſcriptione ſua condemnaret. In hoc ſanè genere tam coo-trà Ius omne, & fas, Conſtantius Oſio ne præcipiat, Oſius Conſtantio ne pareat; diſcat potiùs ab Oſio, quomodo, quo iudicij ordine deponi debeant qui deponi merentur Epiſcopi. Non Oſius hoc illi modo; etiam iudex ſæcularis Papinianus diceret. Ne præcipe nobis in hoc genere: Quid hoc ad Primatum? Hæccine tua illa poteſtas ſumma ad damnandum, indicta cauſa Athanaſium, legitimè ante in ſynodo abſolutum?

M. A. Quid hoc ad Primatum? inquis. Immò quid non hoc ad Primatum? quid tua hæc ad rem? ad veritatem? locus integer Oſij præferatur, & tunc te quoque iudice diſcas, quam ſtrenuum patronum ſortitus ſit Regis tui Primatus Ita igitur Oſius. [Quid tale à Conſtante actum eſt? aut quis ibi Epiſcopus relegatus? aut quando iudicijs Eccleſiaſticis interfuit? aut quis ipſius Palatinus vim adhibuit, vt contra aliquem ſubſcriptio fieret? vt indè Valens cum ſuis aliquid colligat.] Vide ergo, quòd nihil omninò intereſt quis, cui loquatur: & quæ de perſona Conſtantij congeſſiſti, omninò extra oleas. Nam Oſius, vt ſuadeat Conſtantio, ne ſe immiſceat Eccleſiaſticis negotijs, adducit illi exemplum fratris Conſtantis; cuius tanta fuit pietas, tanta erga iudicia Eccleſiaſtica reuerentia, vt huic eidem fratri ſuo Conſtantio bellum indixerit, niſi Athanaſium Eccleſiaſtico iudicio abſolutum, in propriam ſedem reſtitueret.

Is pius, & ſapiens Imperator (inquit Oſius) nihil tale vnquam egit, nullum relegauit Epiſcopum, nunquam iudicijs Eccleſiaſticis interfuit, eius Palatinus nullus, nullum Epiſcopum coegit, vt alicuius damnationi ſubſcriberet. Hinc infert, Conſtantio quoque hæc minimè licere. Non licent improbo, quia non licuerunt probo, non impio, quia nec pio. Quare quiſquis ſit Imperator totus Catholicus, vel totus Arianus, Oſij ſententia arcetur ab huiuſmodi rebus. Tuum ergo Regem facias, vel conſtantem, vel Conſtantium, excluditur, per Oſium, a tuo illo Primatu. Sed reliqua Oſij audiamus, vt reliqua tua rideamus. [Deſine, quæſo, inquit, & memineris te mortalem eſſe: reformida diem iudicij, ne te immiſceas Eccleſiaſticis, nec nobis in hoc genere præcipe; ſed ea potiùs a nobis diſce. Viden de quo genere loquitur? Ne te immiſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe,] non loquitur ergo de genere rerum iuriſtarum, ſed Eccleſiaſticarum, & ſequitur. [Tibi Imperium Deus commiſit; nobis, quæ ſunt Eccleſiæ concredidit, & tu contra Deum etiam Eccleſiaſtica Regi commites? Et quemadmodum, qui tuum Imperium malignis carpit oculis, contradicit ordinationi diuinæ, ita & to caue, ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, ſcriptum eſt, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Neque fas eſt nobis in Terris Imperium tenere, neque tu Thymiamatum, & ſacrorum

rum

tum poteſtatem habes, o Imperator. Hæc omnia Oſius.

Quid igitur L, hic de cauſa garris? an oculos, an mentem, an libros nobis deeſſe putaſti? Agitur in illa Synodo duplex canſa, altera Fidei, altera Perſonarum. Pro vtraque interpellatur Oſins ab Imperatore; qui fauebat Valenti, & cæteris Arianis. Negat Oſius ſe poſſe obtemperare Imperatori, cauſam reddit, [Qnia Imperator non poteſt ſe immiſcere Eccleſiaſticis iudicijs; qnia Imperatori Imperinm, Epiſcopis, quæ ſunt Eccleſiæ Deus concredidie. Quia trahens ad ſe negotia Eccleſiæ Imperator fit magno crimini obnoxius. Quia ſacrorum poteſtatem Imperator non hebet.] De iuſtitia Athanaſij mirum ſilentium, de illa ne apex quidem, & te non puduit per hanc vnam omnia reſoluere? Doce, doce omnia hæc, quæ ab Oſio audiſti, Regem tuum; & tunc dicito, quòd [Multum intereſt, quis, cui loquatur;] Regem enim tuum alloquitur Oſius ille magnus (maximus etiam futurus, niſi in ſenio cecidiſſet) quem illo ſæculo tota Chriſti Eccleſia, immò etiam Eccleſiæ Chriſti hoſtes, ſummo proſecuti ſunt honore; quique pro Sede Apoſtolica duobus Concilijs, Nicæno, & Sardicenſi primis interfuit, & præfuit. Hæc vbi perpenderis, tunc repete tuum illud; quid hoc ad primatum?

CAP. X.

Ambroſij locus ab Aduerſariorum obiectionibus vindicatur.

CArd. Sanctus Ambroſius Epiſcopus Mediolauenſis in epiſt. 33. ad ſororem ſcribit, ſe Valentiniano Imperatori dixiſſe. (Noli te grauare Imperator, vt putes, te, in ijs, quæ Domini ſunt, aliquod Imperiale ius habere. Publicorum tibi mœnium ius commiſſum eſt, non ſacrorum) Idem etiam in oratione de tradendis baſilicis, multis docet; Imperatorem in Eccleſia eſſe, & non ſuper Eccleſiam, & iudicia Eccleſiaſtica non ad Imperatores; ſed ad Epiſcopos pertinere.

L. Noli te grauare, &c. Certè nè hoc putet quiſquam. Non eſt in ea, quæ diuina ſunt, Imperiale, ſed neque Pontificale ius vlium. At illa diuina hic quæ tandem? Ædes, templa, baſilicæ.]

M. A. Reſponſio L, ad auctoritatem Ambroſij ſatis longa eſt, ideò in partes diuiſa a me referetur, ita enim fiet, vt comparata membratim cum noſtris, lector ſine labore de veritate ſententiam ferre poſſit. Ad rem ergo. Falleris, L. falletis, vel potiùs fallere conaris. In his, quæ diuina ſunt, Pontificale ius nullum? immò in his, quæ Domini ſunt, ſoli Sacerdotes, ſoli Pontifices ius habent; an non Domini erant Leuitæ? erant; oſtendi. Hi tamen à Deo donati ſunt Aaroni, & filijs eius. An non Domini erant Decimæ, Primitiæ, Oblationes, Sacrificia? erant, vidiſti. Hę tamen omnia Diuino iure, Sacerdotum erant. An non Domini Eccleſia, quam acquiſiuit ſanguine ſuo? Audiſti. Hanc tamen ſubiecit Epiſcopis, illiſque regendam tradidit. Quomodo ergo in his, quæ diuina ſunt Pontificale ius nullum? quòd ſi in his, quæ diuina ſunt, ius nullum Imperiale, quomodo Eccleſiæ, & Eccleſiaſticarum rerum omnium Rex tuus ſupremam poteſtatem habet? Aut ergo dic, Eccleſiam rem Dei non eſſe, aut Regem tuum à ſupremo illo throno Eccleſiaſtico detrahe.

Sed dum ad Templa ſola, ad ſolas ſacras ædes, & baſilicas Ambroſij auctoritatem arctas, nimiùm à veritate, a mente Patris aberras. Dicit Ambroſius duo, alterum vniuerſale, alterum particulare, & ex primo pendet ſecundum. Primum eſt. [Ne putes Imperator, te aliquod ius habere in his, quæ Domini ſunt. Secundum. Publicorum tibi mœnium ius commiſſum eſt, non ſacrorum.

Tu, qui Dialecticam, & Analyticam vndique reſonas, noſſe debebas, hoc argumentum Ambroſij eſſe Enthymema, ex antecedenti ſcilicet conſtans, & conſequenti. Antecedens eſt illud. [Imperiale ius nullum eſt in his, quæ ſunt Domini. Conſequens illud. ius mœnium ſacrorum Imperatori non eſt commiſſum.] Malè ergo coarctas antecedens ad conſequens, cum ex bona Logica, tanquam pars in toto, conſequens in antecedenti contineatur.

L. [Neque verò in his, quæ ita diuina ſunt, Rex noſter vllum ſibi ius vendicat. Neque ſibi ſacrarum Ædium ius commiſſum exiſtimat; vtque non domum priuatam vllius Iure, ſic neque Domum Dei auferre ſas putat, neque qui abſtulerunt, vnquam probauit.

M. A. Quod Rex Iacobus, illos ſuos prædeceſſores damnet (ſi vera ſunt, quæ narras) qui res Eccleſiæ abſtulerint, laudem meretur. At velim, argumentareris à templo manuſacto, ad templum illud [Superædificatum ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.] Nullum in illo ius Regi competit, ſummum in iſto ius Regi competet? In Dominum Domus ius habebit ſupremum, in Domum Domini nullum omninò? Neniæ ſunt iſtæ L. Fatere ergo, fatere, ei; cui nullum ius competit in Templis, & ſacris ædibus, nullum quoque competere in Eccleſia Chriſti, propter quam templa facta, & ordinata ſunt; nec enim ſupra finem poteſtatem habere poſſibile eſt, qui in medijs ad ipſum nullam omninò habeat.

Verùm excuſare te neſcio, dum lego Iuramentum Primatus, quod in articulis 11. 12. Edicti ſui, Rex iurari ſibi vult, ſub pœna læſæ Maieſtatis. Iuramentum enim dicit. [Quòd Maieſtas Regia vnicus eſt ſupremus Gubernator huius Regni, tam in omnibus ſpiritualibus, ſiue Eccleſiaſticis rebus, aut cauſis, quàm in temporalibus.] Si Rex credit, ſe ſupremum eſſe Gubernatorem in Regno ſuo, rerum omnium in omnibus rebus, & cauſis Eccleſiaſticis, ſiue ſpiritualibus, quomodo non exiſtimat, ſacrarum Ædium ius ſibi commiſſum fuiſſe? Hic tua logica opus eſt.

L. [Quam eius mentem heroicam legibus iam ſuis teſtatam voluit, de non alienandis, non elocandis in longum tempus Eccleſiæ rebus. Vtinam, qui per orbem Chriſtianum Principes ſunt, ſciant omnes, vtinam & imitentur.

M.A. Hæc quàm libentiſſimè commendarem & ego, ſi fas eſſet; verùm duo me detinent: alterum, quod non cognoſco materiam legis legiſlatoris Poteſtati ſubiectam; alterum, quòd illi Eccleſiæ bona non ſunt reſtituta, cui pie à fidelibus legata, & dicata fuere.

L. [Sed tu hic ineptè prorsùs, qui, quæ ad poſſeſſiones referuntur, ad alia detorques, vt ſi Regi ſacrilego eſſe non liceat, neque liceat ei, Eccleſiæ aliam rem vllam moderari; quò & illa referri poſſunt. Non eſſe eum ſupra Eccleſiam, vt eam tollendam orthodoxis, Arianis tradendam, vel debeat, vel poſſit decernere.

M. A. Sed tu hic ineptè prorsùs, qui dum lutum luto purgas, pro cæco exoculatus appares. Portò bona temporalia, & terrena, inſtrumenta eſſe bonorum altioris ordinis, docent non modò Theologi, ſed communi conſenſu Philoſophi, & tu, qui Ariſtotelem profireris, id noſſe, & legiſſe debes. Collocantur, proindè in infimo bonorum omnium loco, & gradu. Hinc fit, vt ſi Rex ſacrilegio obnoxius ſit (quod tu fateris) ſi ſuo Iuri ſubiectos velit agros, & parietes Eccleſiæ, quantò magis eiuſdem peccati reus erit, dum ſibi ſubijciat, quæ altiorem locum tenent inter res Deo dicatas? Ergo non Cardinalis, ſed tu ineptus, qui non percepiſti huius rationis vim, & efficacitatem. Negabis Sacerdotes, inter Deo dicata, parietibus ſacris præferendos? audi Paulum Apoſtolum, Ampliorem honorem habet Domus, qui fabricauit illam. Et alibi. Sine vlla contradictione, quod minus eſt, à meliore benedicitur.

Riſum ſanè continere non potui, vbi reliqua illa tua legi [Non eſſe Regem ſuprà Eccleſiam, vt illam tollendam orthodoxis, & Arianis tradendam, vel debeat, vel poſſit decernere.] Credidiſti tu, Ambroſium loqui de templo manufacto, cum dixit, Bonus Imperator non ſuprà Eccleſiam, ſed intra Eccleſiam eſt. Id verò ita ineptum eſt, vt ſequatur. Qui, ex Imperatoribus non ſunt intra parietes Eccleſiæ, mali ſint; boni verò, qui tantùm manent ſub Tegulis. Non loquitur Ambroſius de templo manufacto, loquitur de Eccleſia, quæ eſt conuocatio fidelium; ſuprà hanc non eſt bonus Imperator, ſed intrà. Atque ita ſi Rex tuus bonus eſſe vult, deſinat eſſe ſuprà, & introcedat. Senſus enim Ambroſij eſt illud. Imperator Catholicus filius eſt, non præſul Eccleſiæ.

Non eſſe ſupra, dicis, vt eam tollendam orthodoxis, vel tradendam Arianis debeat, vel poſſit decernere? & non erubeſcis? Abſolutè negat Ambroſius, Imperatori Ius vllum competere ſuper Dei templo. [Ius Cæſaris, inquit, non poteſt eſſe Dei templum. Ad Imperatorem palatia; ad Sacerdotes Eccleſiæ pertinent.] Illud ergo Ius omne, quod Ambroſius negat Imperatori, Sacerdoti concedit.

L. [Nam quod ſubijcit alterum Ambroſij dictum, de iudicijs fuit, Prouocatus ad diſputandum de Fide Chriſti cum Auxentio, ſub iudicibus Ethnicis, Iudæis, Arianis, renuit. Iuſtam certè cauſam habuit, ſi noluit in Palatio coràm Ethnicis, & Iudæis de Chriſti diuinitate tractare cum Auxentio. Ad cauſas fidei apertè ſpectabat hoc; ne quis autem de ſententia eius error ſit, ingeminat ibi. (In cauſa Fidei; In cauſa, inquam, Fidei) Atqui nos, vel Deus ipſe potiùs, non nos, gubernacula Regi mandauit externæ diſciplinæ; ea autem ad cauſas Fidei torquere, nimis violentum eſt. In quibus tamen permitteret, id ſcio, Ambroſius Imperatori, quod cuiuis de populo permiſit, permiſit autem populo, vt audita diſputatione vnuſquiſque eligat, quod ſequatur.]

M. A. Quòd renuit Ambroſius diſputationem cum Auxentio, ſub iudicibus alienæ fidei, verum eſt; at verum non eſt, quod ea quæ ex Ambroſio citas in cauſa Fidei, in cauſa, inquam, Fidei ſint in oratione, quam Cardinalis citauit, & Regi tuo obiecit, ſed leguntur in libello, quem Ambroſius obtulit Imperatori, antequam illam orationem haberet. Verùm, quia ad libellum illum nos prouocas, audias quo fructu.

Aſſeris, externæ diſciplinæ Eccleſiæ curam Regibus eſſe commiſſam; at audi Ambroſium ibi. [Nec quiſquam contumacem me iudicare debet, cum hoc aſſeram, quòd Auguſtæ memoriæ Pater tuus, non ſolum ſermone reſpondit, ſed etiam legibus ſuis ſanxit. In cauſa Fidei, vel Eccleſiaſtici alicuius ordinis (Audin L?) vel Eccleſiaſtici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui, nec munere impar ſit, nec iure diſſimilis. Hæc enim verba reſcripti ſunt; hoc eſt; Sacerdotes de Sacerdotibus voluit iudicare. Quin etiam ſi aliàs quoque argueretur Epiſcopus, & morum eſſet examinanda cauſa, etiam hanc voluit ad Epiſcopale iudicium pertinere.] Hæc Ambroſius ibi. Vide modò, an Ambroſij, & Valentiniani ſententia ſtare poſſit cum tuo Regis Primatu, & Eccleſiaſtica diſciplina.

Mirari verò non deſino, aſſerere te, ſine pudore, [Regem tuum exiſtimare, ad ſe pertinere ſola gubernacula, externæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ; non Fidei.] Si enim Regum eſt confirmare, & infirmare, approbare, & reprobare Concilia, ſi Canones nulli ſunt, & legis vim habere non poſſunt, vt tu aſſeris, niſi muniantur Regum auctoritate; quomodo gubernacula fidei illis non ſunt comiſſa? Si Rex tuus iurari vult ſupremus Gubernator omnium rerum, & cauſarum Spiritualium, & Eccleſiaſticarum, quomodo gubernacula fidei non credit ſibi eſſe concredita; Non ergo torquemus nos gubernacula Regum ad cauſas Fidei, Vos, vos ipſi eſtis, qui torquetis. Id verò, tua ſententia, nimis violentum eſt,

Ad proſtrema illa verba, quibus, quid repræhendas in nobis, optimè intelligo, cum nolim nouam excitare litem, qua vobis nouam peccandi occaſionem ſuggeram; dicam tantùm, quòd Ambroſius reliquit, vt vnuſquiſque eligeret, quod ſequeretur, quia ibi aliud non poterat.

L. [Et hic etiam operæpretium ſcire, Quis, Cui loquatur. Loquitur autem Valentiniano Iuniori, imberbi adhuc, & imperito adoleſcenti, necdum baptizato; omnia ex matris ſuæ Arianæ arbitrio per fas, atque nefas gerenti, dum illud à paraſitis ſuis ſubindè audiret. Imperatori licere omnia. Cer-

tè

tè adhunc talem, quis putet iudicia, quæ dicis, pertinere? At ad Conſtantinum, Theodoſium, Patrem eius, eiuſdem nominis alterum, & pertinuiſſe, & delata eſſe mox doceo.]

M. A. Quis, Cui loquatur hìc nihil intereſt, & perdis operam in deſcribendo Valentinianum. Dixit Ambroſius. Imperator bonus intrà Eccleſiam, non ſuprà Eccleſiam eſt. Sanxit Valentinianus, iſtius Valentiniani pater; legem, quam audiſti Ambroſium probare, tam de fide, quàm de ordinibus, & iudicijs Eccleſiæ. Quare etiam ſi Valentinianus hic fuiſſet Conſtantinus, vel Theodoſius, Vel Valentianus alter, vel alius bonus Imperator, hæc iudicia ad illum nec pertinuiſſent, nec deferri potuiſſent. Locum repete. Ambroſius non in vitijs perſonæ, ſed in defectu Poteſtatis collocat fundamenta ſuæ cauſæ. Quam egregiè præſtes, quo mox te doctutum pollicetis, mox videbimus.

CAP XI.

Sancti Martini auctoritas, in Reges Primatum defenditur contra L.

CAr. Sanctus Martinus Epiſcopus Turonenſis, Maximo Imperatori in faciem dixit. Nouum eſſe, & inauditum nefas, vt cauſam Eccleſiæ iudex ſæculi iudicaret.

L. Maximum verò tuum, Imperatorem negamus. Non enim legitimè, ſed ritu tyrannico, & tumultuante milite initiatum. Neque ergo in Cæſarum albo numeratur, legitimi Imperatoris parricida, inuaſor Imperij, vir ſanguinis, tamquā perduellionis reus, capite tandem cæſus Aquileiæ. Ita verò profanus, vt ſacrificia ſua gentilibus, arā quoque Victoriæ reſtituerit, fautor etiam fuerit Iudæorum. Notaui, vt ſciret Lector, quales tu ibi, hìc Imperatores ſelegeris. Tum, quæ hæc cauſa? De Gnoſticorum Hæreſia Priſcilliano renouata, quam à ſæculi iudice dijudicandam, nemo dixerit. Eſt tamen, Maximi iuſſu, cognitum ab Euodio præfecto, non de cauſa hæreſeos, ſed de obſcœnis Priſcilliani maleficijs. Denique inſtitutum hoc Maximi, vtcumque Martino Turonenſi diſplicuit, ac Leoni Romano (qui vobis Martino maior eſt) placuiſſe teſtatur epiſtola eius ad Turbium 93. Tum Ithacius, qui Maximo Concilij eius auctor fuit, in Synodo Treuirenſi abſolutus.

M. A. Maximum hunc Britannum, Cardinalis vocanit Imperatorem, quia de facto per quinquennium Imperium occidentale tenuit; & tunc temporis etiam à ſanctis Patribus Imperator vocabatur; Quare ſanctus Ambroſius quoque pro Valentiniano iuniore Legatus, ad ipſum bis profectus eſt, & à Sulpitio in hac eadem cauſa non ſine laude nominatur. Maximus Imperator, inquit, aliàs ſanè bonus. Hunc igitur ita allocutus eſt S. Martinus. (Sed tu vbique eadem chorda oberras: cur quæſo rursùs ad perſonam declinas, cum Martinus non de perſona, ſed de Poteſtate loquatur?) Nouum ſanè, & inauditum nefas (inquit Martinus) vt cauſam Eccleſiæ iudex ſæculi iudicaret. Siue ergo ſit Maximus tuus Tyrannus, ſiue Valentinianus, ſiue etiam Theodoſius, modò ſit iudex ſæculi: nouum ſanè, & inauditum nefas, ſi velit cauſam Eccleſiæ iudicare.

His, & alijs effecit Martinus, vt dum apud Treuiros moratus eſt, vbi ſedem Imperij Maximus collocarat, In Sontes Imperator non animaduerteret. Tamen damnati tandem abſente Martino, Priſcillianuſque morti adiudicatus, non ab Euodio, ſed à Maximo ipſo.

Scire verò debebas, aliud eſſe, quod damnatur à Martino his verbis; aliud, quod placet Leoni. Martinus hiſce verbis repræhendit Maximum, quòd appellationes admiſerit, à Concilio ad ſe ipſum, id verò numquam probauit ſanctus Leo. Quod probatur Leoni, hoc eſt, quod Priſcillianus cum aſſeclis, tamquam monſtra humani generis, Principum gladio, è medio ſint ſublati. Vidè hiſtoriam in Sulpitio, & epiſtolam in Leone.

Synodus Treuirenſis, quæ Ithacium abſoluit, fuit ſchiſmaticorum, Ithacianorum conuocatio, quare reprobata à Siricio Pontifice Romano, & à ſancto Ambroſio, vt apparet in Concilio Taurinenſi cap. 5. Manet ergo efficax argumentum ex Martini verbis, & tua figmenta corruunt.

CAP. XII.

Fruſtrà laboraſſe Aduerſarium in Auguſtino, cuius Teſtimonio eius Primatus refellitur.

CArd. [Sanctus Auguſtinus Epiſcopus Hypponenſis, in epiſtola 46.50.& 165. docet quidem, piorum Regum eſſe, Eccleſiam Dei defendere, ſeuerisque pœnis, ac legibus hæreticos ab Eccleſia damnatos coercere; ſed ibidem Donatiſtas grauiter repræhendit, quòd cauſam Eccleſiaſticam ad Regem Terrenum iudicandam, non ad Epiſcopos detuliſſent.

L. De Auguſtino, quod affers, nihil ad rem. Deferri voluit cauſam Cæciliani ad Epiſcopos, non autem ad Cæſarem: Æquum poſtulauit. Id voluit, quod Conciliorum, Conſtantinopolitani ſextus; Antiocheni vndecimus, & duodecimus, Carthaginienſis 107 voluerunt. Non oportere de cauſis Epiſcoporum *Vaſilicas enoclin acoas* Regijs auribus moleſtum eſſe. Sed referri primum ad Epiſcopos, & ab iſs, ſi fieri poſſet, terminari. Sed & Auguſtinus ipſe, & qui cum eo erant Patres in Synodo Carthaginienſi, & *Vaſilicas diatypoſis* in cauſa Primoſi agnouerunt, & vero de rebus Eccleſiaſticis leges ab Imperatore ferri, ab ipſo petendum eſſe, miſſa ad hoc ipſum legatione ſtatuerunt: Canon. 100. 105. Malè id quidem à Donato factum, quod inter Epiſcopos placidè tranſigi potuit, de eo Imperatori moleſtiam exhibere. Sed tamen cum præter ordinem Donatus rem retulit ad Conſtantinum, is Romano primùm Epiſcopo cum alijs tamen collegis; poſt Arelatenſi Synodo delegauit; poſtremo ipſe tota de re cognouit, & ſententiam tulit. Donatiſtas Auguſtinus repræhendit, vt importunos;

Conſtantinum, vt Ius Eccleſiæ inuadentem, non repræhendit. Secùs fecit Donatus, quàm debuit, quòd rem ita moleſte detulit. Conſtantinus nihilo plùs ſibi ſumpſit, quàm iure ſuo potuit; quod delatum iuſtè iudicauit. Diuinitùs enim præcipi Regibus, vt in ſuo Regno bona iubeant; mala prohibeant, non ſolùm quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verùm etiam quæ ad Diuinam Religionem; Auguſtinus ipſe auctor eſt.]

M. A. De Auguſtino, quæ dicis, nihil ad rem; niſi priora illa verba tua. [Deferri voluit cauſam Cæciliani ad Epiſcopos, non autem ad Cæſarem, æquum poſtulauit.] In reliquis omnia torques, peruertis, corrumpis, & mala fide ſemper nobiſcum agis.

Dicis, voluiſſe Auguſtinum, quòd Conciliorum Canones, Conſtantinopolitani 6. Antiocheni 11. & 12. Carthaginienſis 107. voluerunt.

Omnia Concilia Conſtantinopolitana, ſi perlegas, nullum Canonem ſextum reperias, in quo hac de re ſermo habeatur. Illud verò Concilium Carthaginienſe, quod citas, nullum Canonem 107. habet; deſinit in cap. 105. te ergo decepit in his collector tuus.

Verùm, quia dicis, omnes hos Canones idem voluiſſe, donemus adeſſe Canones illos, & videamus, quid voluerint. 11. 12. Antiocheni, quos rectè allegas, vt cognoſcamus, quàm rectè in reliquis te geras.

Canon 11. [Si quis Epiſcopus, aut quilibet regulæ ſubiectus Eccleſiæ, præter Concilium, & literas Epiſcoporum Prouinciæ, & præcipuè Metropolitani, adierit Imperatorem, hunc reprobari, & abijci oportere non ſolùm à communione, verùm & ab honore, cuius particeps videtur exiſtere; quia Venerandi Principis auribus moleſtiam tentauit inferre, contra leges Eccleſiæ. Si igitur adire Principem neceſſaria cauſa depoſcit, hoc agatur cum tractatu, & Concilio Metropolitani, & cæterorum Epiſcoporum, qui in eadem Prouincia commorantur, qui etiam proficiſcentem ſuis proſequantur epiſtolis.]

Canon 12. [Si quis à proprio Epiſcopo, Presbyter, aut Diaconus, aut à Synodo fuerit Epiſcopus fortè damnatus, & Imperatoris auribus moleſtus extiterit, oporteat ad maius Epiſcoporum conuerti Concilium, & quæ putauerint haberi iuſta, plurimis Epiſcopis ſuggerant, eorumque diſcuſſiones, ac iudicia præſtolentur. Si verò hæc paruipendentes, moleſti fuerint Imperatori, hos nulla venia dignos eſſe, nec locum ſatisfactionis habere, nec ſpem futuræ reſtitutionis penitùs oppetiri, dijudicamus.]

Primum lectori imponis, dum vis, Concilia ſtatuiſſe de ſolis Epiſcopis, ac ſi de reliquis Eccleſiaſticis nulla illis cura fuiſſet. Tamen 11. inquit: [Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut quilibet regulæ ſubiectus Eccleſiæ. & 12. Si quis à proprio Epiſcopo, Presbyter, aut Diaconus, aut à Synodo fuerit Epiſcopus fortè damnatus.] Viden hìc, præter Epiſcopos, omnes etiam gradus Clericorum?

Imponis ſecundò lectori, dum de tuo addis verbum illud Primum, ac ſi Concilia vetuiſſent non abſolutè Eccleſiaſticis, ne Imperatorem adirent; ſed ne ipſum adirent, ipſiuſque poſtularent iudicium; niſi poſt latam ſententiam ab Epiſcopis. Concilia verò abſolutè id vetant, tam antè, quàm poſt Epiſcoporum iudicium, & quando etiam adſit cauſa neceſſaria, ſumma ſeueritate puniunt adeuntes, ſine conſenſu, & literis Epiſcoporum: Relegantur Canones.

Vides quo loco habiti ſint Imperatores à Patribus in negotijs Eccleſiæ? [Niſi Epiſcopi velint, niſi Concilia probent; nemo, etiamſi neceſſitate compulſus Imperatorem adeat. Hæc lex eſto.] Quem hìc dixeris caput Eccleſiæ? Imperatorem? an Epiſcopum? Imperator non admittitur, niſi ad ea, quæ placent Epiſcopo; Epiſcopus verò ad omnia, & Epiſcopum Imperatori poſtpones?

Voluit ergo, dicis tu, Auguſtinus, quod allegati Canones: At allegati Canones volunt, Imperatori in negotijs Eccleſiæ ius nullum eſſe, niſi quod concedatur Epiſcoporum conſenſu; quare ſuprema illa tua in Rege poteſtas, ſuprema eſſe deſinit, & è gradu deijcitur, dum circumciditur, Epiſcoporum iudicio.

Quæ de cauſa Primoſi adducis, apertè contra te faciunt. Petierat Primoſus Imperatoris iudicium; renuit Imperator, & Primoſo iubet, vt ante Concilium iudicandus compareat. Agnoſcunt Patres, in Concilio Carthaginienſi, quid Imperator conſtituerit (quod græcè ſcripſiſti) in cauſa iſta; citant Primoſum, Primoſus non comparet, & hoc ad rem? imò contra rem tuam? Ex eo, quòd Imperator recuſat iudicium Primoſi, & iubet, vt adeat Concilium: Ego certè nihil aliud poſſe colligi, credo; niſi quod Imperator crediderit cauſas Epiſcoporum ad ſe minimè pertinere, ſed ad Concilia. Egregia ſcilicèt argumenta, quibus Primatum confirmas; & pro his honoraris? Ne verò quis ambigat de noſtra fide, en verba Concilij de Primoſo [Proteſtatos eſſe præterea Mauros Cæſarienſes conſtat, Primoſum per principales Ciuitatis Tagauenſis conuentum literis eorum fuiſſe, vt ſecundùm principalia ſcita plenario Concilio ſui præſentiam faceret, vt oportuit, requiſitus Primoſus, repertus non eſt, ſicuti Diaconi renuntiauerunt.]

Quod addis [Et de rebus Eccleſiaſticis leges ab Imperatore ferri, ab ipſo petendum eſſe, miſſa ad hoc ipſum legatione ſtatuerunt cap. 100. & 105.] hæc de tuo capite dicis, illis enim capitibus iſta ne ſomniauit quidem Concilium. Nam cap. 100. nihil aliud habetur, niſi concluſio actorum diei primæ Iunij, & indictio Concilij pro die ſecunda. Capite verò 105. nihil aliud inuenies, licèt millies reuoluas, & relegas, niſi epiſtolam Concilij ad Cœleſtinum Romanum Pontificem. Nec vbi verò apicem reperias de legibus Eccleſiæ; de Imperatore; de legatione. Hæccine tua in referendo fides?

Ex eo autem, quòd Conſtantinus bis requiſitus, vt Cæciliani cauſam iudicaret, bis recuſauit, & rem integram reliquit Eccleſiaſticorum ſententiæ, cur non infers. Imperatori non licere de rebus Eccleſiaſticis iudicare? Ex gemino Conſtantini facto nihil colligis, & ex vno tantùm, quod etiam coactus fecit, &, vt ait Auguſt. epiſt. 162. [Veniam petiturus ab Epiſcopis,] totum ius vis pendere? Semel tantùm voluit, bis noluit, & cum

voluit

voluit, exclamauit. [O rabidam furoris audaciam, ſicut in cauſis gentilium appellationes interpoſuerunt,] & tu hoc tanti facies? Quando ergo iudicauit, non id fecit, quod crederet, iſtud iudicium ad ſe pertinere, non quòd arbitraretur, poteſtatem ſe accepiſſe à Deo ſuper Epiſcopis; id enim apertè negauerat iu Concilio Nicæno; & hìc deteſtarus fuerat tanquam rem neſariam, & geutilium ritui ſimilem; qui omnes cauſas, etiam quæ ad Religionem pertinerent, deferebant ad Imperatorem, quia eorum Pontifex erat. Fecit tamen, vt maius malum vitaret in Eccleſia Dei. Cœperat diuidi Eccleſia. Donatiſtæ Catholicos Pontifices omnes, vt hoſtes recuſabant, negabant Eccleſiam eſſe alibi, quàm in parte ipſorum. Vidit prudentiſſimus Imperator, quas minaretur ruinas iguis iſte, niſi citò occurreretur: Senſit Donatiſtas exoptare eius ſenteutiam, tanquam illius, quem credèbant indifferentem, & erga illos haud malè affectum; ideò ad maius malum euitandum, Poteſtatis plus æquo ſibi aſſumendum eſſe credidit, ratus ſi quid delinqueret; ab Epiſcopis venia, dilui poſſe peccatum.

Nun repræhendit (vt dicis tu) Auguſtinus Douatiſtas, quòd prætet ordinem, rem detulerint ad Conſtantinum, ſed abſolutè, quod detulerint. Vide loca citata. Repræhendit Auguſtinus, quod repræhendit etiam Couſtantinus, Conſtantinus verò, non ordinem, non importunitatem, ſed factum reprehendit. Audi. [Petitis à me in ſæculo iudicem, non ego ipſe Chriſti iudicium expectem?] Hæc reſponſio Conſtantini ad priores preces Donatiſtarum. In hac verò non ordinem iudicij, nou importunitarem repræbendit, ſed ſubſtantiam facti; quòd ſcilicèt nolent ſtare iudicio Eccleſiæ. (Quod vocat iudicium Chriſti) cui ipſe Imperator ſtaret. Ad poſteriorem verò appellationem audiſti comparatos fuiſſe Donatiſtas Gentilibus, qui in omnibus cauſis, etiam religionis, & Sacerdorum, confugiebant ad Imperatorem, tanquam ad iudicem ſupremum, quippè qui eorum Pontifex eſſet.

Conſtantinus ergo, dum iudicauit de illo iudicio, cui ipſe ſua confeſſione ſubditus eſſe deberet, & dum fatetur appellationem hanc imitari ritus gentilium, & dum iudicat, veniam petiturus, dubio procul fatetur, feciſſe ſe, quod iure facere non poterat. Cui ergo potiùs credamus tibi? an illi?

Quæ addis ex Auguſtino contra Cres. Vtinam Rex tuus audiret, & intelligeret, nou enim mala iuberet, & bona prohiberet, quæ attinent ad diuinam Religionem. Iubent hæc, & prohibent hæc Catholici Principes, non tanquam capita; ſed tanquam filij Eccleſiæ, cui non præſunt, ſed ſubſunt; legeſque ſuas ſacrorum Canonum miniſtras, nou magiſtras volunt. Hoc Auguſtinus commendat, quod tibi, ſcio, non arridet.

CAPVT XIII.

Gelaſii Teſtimonium confirmatur contra Aduerſarij reſponſa.

CArd. S. Gelaſius Romanus Pontifex, in epiſtola ad Anaſtaſium Imperatorem, [Noſti, inquit, Fili Clementiſſime, quòd licet præſideas humano generi dignitate rerum terrenarum: tamen Præſulibus diuinarum deuotus colla ſubmittis, & paulò poſt: Noſti itaque, ex illorum te pendere iudicio; non illos ad tuam poſſe redigi voluntatem.]

L. De Gelaſio feciſti factum Torto dignum; tortam enim rem refers, & mutilam, & mala fide. De Sacramentis agitur, in quibus non ſummam, quin nullam omninò poteſtatem Reges ſibi vendicant. Apponam verba integra. [Noſti fili Clementiſſime, quòd licèt præſideas humano generi dignitate rerum, tamen Præſulibus diuinarum deuotus colla ſubmittis, atque ab eis cauſas tuæ ſalutis expetis; inque ſumendis Eccleſiaſticis Sacramentis, eiſque, vt competit, diſponendis ſubdi te debere cognoſcis, religionis ordine potiùs quàm præeſſe. Itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Audin in ſumendis, in diſponendis Sacramentis? Audin inter hæc? Quæ verba tu, ne quaſi ſorex tuis indicijs perires, quaſi mus Ponticus prærosa poſuiſti.]

M. A. De Gelaſio feciſti factum Tu, tortore dignum, pro veris enim falſa ſubijcis, & mille modis imponis lectori; Sed adeò imprudenter, vt cui mens non deſit, eam tibi defuiſſe putet.

Dum Sacramenti nomen Gelaſius vſurpat, arbitratus es, illum loqui de Sacramentis Eccleſiæ, quæ ſunt vaſa gratiæ; in his verò Reges nullam omninò poteſtatem ſibi vendicare, aſſeruiſti. Vtrumque malè, vtrumque falsò.

Rex tuus iurari vult ſupremus Gubernator omnium rerum, omniumque cauſarum Eccleſiaſticarum, & ſpiritualium; & in Sacramentis nullam omninò poteſtatem ſibi vendicat? Si Reges non vendicant, & Iacobus vendicat, ergo tua ſententia, vel ipſe non eſt Rex, vel Sacramenta tibi non ſunt res ſacræ Eccleſiaſticæ, & ſpirituales.

Tu, qui vis Reges poſſe, pro arbitrio confirmare, & infirmare, approbare, & reprobare Concilia: Concilia inquam, etiam generalia; in Sacramentis nullam Regibus poteſtatem concedes? De his ſemper in omnibus Concilijs potiſſima geſta.

Sed audi Regem tuum Catholicos alloquentem. [Imò cum Paulo, opto, vos omnes fieri tales, hac vna in re, qualis ego ſum. In primis, vt velitis ſcripturas peruolutare, ex his credendi normam petere; neque ſuper aliorum incertis opinionibus; ſed veſtra ipſorum certa ſcientia fidei fundamenta collocare: Quando iuſtus ſua fide viuit, & vnuſquiſque ſit fide propria ſaluus.] Rex tuus ergo, qui quemlibet vult ſuper fide ſupremam poteſtatem habere, ad ſui exemplar, profectò credet etiam non nullam; ſed eſſe ſupremam po-

teſta-

teſtatem omnibus Regibus ſuper fidei Catholicæ Sacramentis. Nonne ergo tu rem tortam retuliſti, & mala fide, qui id negaſti? Aſſerit ille, negas tu, cui credendum?

Erraſti etiam in intelligentia verbi huius Sacramenti, non enim percepiſti, quo ſenſu Gelaſius illud vſurpauerit. Sacramentum in ſacra Scriptura ſignificat aliquando vaſa illa gratiæ à Chriſto inſtituta pro ſalute fidelium: Significat aliquando etiam idem, quòd myſterium, & quid occultum: ita Thobiæ c. 12. num. 7. Sapientiæ 2. 22. 6. 24. Dan. 2. 18. 30. & 47. Epheſ. 1. 9. & alibi ſæpius. Quomodo autem illud intellexerit Gelaſius; intelligentia dictorum, ex cauſis ſumenda dicendi.

Gelaſius, poſt triennij longanimitatem, qua ſolis citationibus egerat, cum Achacio Patriarcha Conſtantinopolitano hæreſi Eutychiana infecto, ipſum tandem loco mouit. Anaſtaſius Imperator Orientis, qui Acacium fouebat, id ægrè tulit, nec Pontificis ſententiam executioni mandari permittebat, Gelaſium potiſſimùm reprehendens, quòd ſine conuocatione Concilij Achacium depoſuiſſet. Scribit idcircò Pontifex epiſtolam illam ad eumdem Imperatorem, admonetque illum, hac in cauſa ſtare debere Sacerdotum ſententiæ; non eorum decretis ſuum præferre iudicium. Apparet ergo quid Sacramenti nomine Gelaſius intelligat: Nam ſi per cœleſte Sacramentum intelligit etiam ordinem, quo poſſunt deponi Antiſtites Eccleſiaſtici; ſcilicet, an ſolummodo in Concilio, an etiam extrà; dubio procul Sacramentum cœleſte illi eſt, quicquid ad res Religionis, ſpirituales, cœleſtes, & Eccleſiaſticas pertinet: Chriſti enim fides, religio, & Eccleſia, Sacramenta cœleſtia maxima ſunt. Hoc pacto Gelaſij ratio efficax eſt. Nam in his, quæ ad fidem, religionem, & Eccleſiam Chriſti pertinent, Imperator ordine Religionis, ſubeſſe Sacerdotibus debet, in his eiſdem deuotus colla ſubmittere, quare cum Antiſtitum munus ad Eccleſiam, fidem, & religionem pertineat; ſupereſt, vt in iſtis Imperator non poſſit Sacerdotes ad ſuam redigere voluntatem; ſi verò nomine Sacramenti cœleſtis, vaſa illa gratiæ Gelaſius intellexiſſet, videtur ratio eius minimè valida. Nam ex eo, quòd Imperator non poteſt diſponere de Sacramentis Eccleſię, non video quomodo poſſit inferre, vt non poſſet etiam iudicare, quomodo, & quo ordine depoſitio Antiſtitum fieri poſſit: an ſcilicet in Concilio, an extrà. Quid ergo nomine Sacramenti Gelaſius intelligat, videre iam potes. In his ſumendis, in his diſponendis fac, vt Rex tuus Sacerdotibus ſubijciatur, & lis de primatu decisa. Gratias exindè age Cardinali, qui partem illorum retulerat tantùm, quæ probant ſatis, quod ipſe volebat, cætera omittens breuitatis ergo. Nos quoque tibi gratias habemus, qui dum verba omnia Gelaſij retuliſti, iuxtà prouerbium: [Ilienſis cum ſis, tragœdos conduxiſti.]

CAPVT XIV.

Manere in robore, contra diuerticula Aduerſarij, Gregorij Teſtimonium aduersùs Primatum Regis.

CArd. S. Gregorius lib. 5. epiſt. 21. Scimus, inquit, pijſſimos Dominos diſciplinam diligere, ordinem ſeruare, Canones venerari, & ſe Sacerdotalibus negotijs non miſcere.]

L. Gregorij locus, 25. epiſtola, non autem, vt tu poſuiſti, 21. eſt. In eo, nihilo meliore fide, rem geris. Quicquid enim ſcribat Gregorius de pijſſimis Dominis, ſcis ipſe, ſi locum inſpexiſti, ſciat, & lector, ſi vacat inſpicere, iuſſiones Imperatoris in cauſis Eccleſiaſticis (contrà quam tu hìc ponis) ter in ea epiſtola Gregorium agnouiſſe. Audienda erat cauſa Maximi Salonarum Epiſcopi, qui cum Gregorio lis erat. Scribit Maximus (Sereniſſimos Dominos præcepiſſe, vt Salonis cognitio, eſſe deberet.) Quid Gregorius reſpondet? Nullas ſe ea de re iuſſiones accepiſſe; quòd ſi qua ſit iuſſio, eam per obreptionem elicitam ſe credere. At non reſpondet ibi, nullam de ijs iubendi auctoritatem penès Imperatorem eſſe, quippè in cauſa Eccleſiaſtica: ſic autem reſpondere debuit, ſi cauſam tuam agere voluit. Secundò, incurrerat in Cenſuras Maximus; laxare eas ſe ſcribit Gregorius. Laxare; quomodo? ſecundùm iuſſiones Sereniſſimi Domini Imperatoris. Tertiò, ſuſpendit tamen interim Gregorius Maximum à Miſſarum ſolemnibus celebrandis, ſed quouſque? Quoaduſque voluntatem eiuſdem Sereniſſimi Domini cognoſceret. Ità cauſam eo loco cognoſcit, Cenſuram relaxat, ſuſpenſionem ſuſpendit, omnia hæc ex voluntate, & pro iuſſione Imperatoris. Ter in Eccleſiaſtica cauſa iubet Imperator: Ter Pontifex paret iubenti. Potuitne à te locus adduci, vel teſtis, qui magis pro aduerſario tuo, magis contra te faceret? Et hæc iam illa ſunt, propter quæ moratus es lectorem, veteramenta omnia, detrita iam, & reperita millies? Scimus verò hinc interim, pijſſimos Dominos in rebus Eccleſiæ iuſſiones ſuas interpoſuiſſe.]

M. A. Quòd de numero epiſtolæ Typographi errorem correxeris, gratias agimus; in cæteris verò non poſſumus non dolere, quòd tui ſemper ſimilis vbique videare; de more enim & hìc, fallis, erras, vera non narras.

Fallis primò in hyſtoria, dum vis Gregorio litem fuiſſe cum Maximo. Maximus enim (Vide hanc eandem epiſtolam) quòd eſſet ordinatus Symoniacè, accuſatus fuit apud Gregorium; Gregorius eum citauit ad dicendam cauſam. Maximus ſibi metuens, Romam ire non audebat, & diuerticula, quot quot poterat, quærebat; vt iudicium Gregorij ſubterfugeret. Maximo ergo lis non erat cum Gregorio, niſi inter reum, & iudicem, non inter actorem, & reum litem reperias.

Deindè. A temeritatis, & mendacij nota

ta

ea te excuſare neſcio, dum mendacij inſimulas Gregorium, quòd [Quicquid dicat de pijſſimis Dominis, quòd ſe non miſceant Eccleſiaſticis negotijs; contrà tamen ter agnouerit in ea epiſtola, in cauſis Eccleſiaſticis, iuſſiones Imperatoris.] Heccine tua modeſtia, erga tantum, & tam ſanctum Pontificem? Quicquid dicat, veritas ſe habet ſecùs, quàm dicit hæc tua vox, & hæc tua ſententia. At mea, quicquid dicas Tu, tunc verum eſt, cum ſecùs, quàm dicas. Tu fortè id fateberis, re melius perſpecta.

Honoris ergo, epiſtolas Imperatorum antiqui iuſſiones appellarunt, ſiuè præcipiant, ſiuè hortentur, ſiuè conſulant, ſiuè rogent, iuſſa vocantur. Lector inſulat cap. 44. iſtius quæſtionis, in quo agimus de conuocatione Conciliorum, & quamplurimis Teſtimonijs id confirmatum reperiet. Quare ex eo ſolo, quòd vocentur iuſſiones, non poteſt colligi, quòd propriè epiſtolæ Imperatoris præcipiant, imperent; ſed opus eſt ex eorum formula rem dijudicare. Rogare enim poſſunt iuſſiones iſtæ, hortari, conſulere. Exhibe ergo literas Mauritij, oſtendè ibi, quæ opinaris præcepta, & viciſti; Quod ni feceris, vincam ego, qui probabo literas illas nihil iuſſiſſe. Ioquit Gregorius. [Quòd verò indicas Sereniſſimos Dominos, vt illic debeat eſſe cognitio, præcepiſſe; Nos quidem nullas eorum alias de hac re iuſſiones accepimus, niſi vt ad nos venire debeas.] Pulchrum videlicet genus præcepti; Præcepit nobis, vt tu ad nos venire debeas. Præceptum non debeat fieri Gregorio; ſed Maximo, non enim præcipitur iudici, vt reus ipſi iudici parere debeat; ſed reo, vt iudici pareat. Cogeris ergo fateri (ſi tibi ſenſus ſit) iuſſiones illas non fuiſſe propriè iuſſa; ſed ſimplices literas Imperatoris, quibus ſuam voluntatem pontifici ſignificarat. Gratificauit verò pontifex, ter requiſitus, Imperatori; poſtulabant enim tempora, & ſtatus rerum Eccleſiaſticarum, vt Imperator, penès quem ſumma eſſet totius orbis, Catholicis conſentiret, ne ad iracundiam prouocatus, ea inferret mala Eccleſiæ, quæ ſemper huiuſmodi hoſtes intulerunt.

Dicis, quòd Gregorius. [Non negauit ſe accepiſſe iuſſiones Imperatoris; quia nulla de his iubendi auctoritas penès Imperatorem ſit; quippè in cauſa Eccleſiaſtica.] Dixit id Gregorius, quod tu negas, ſed modeſtè dixit, tamen adeò apertè, vt præter te, nemo fortè id negare auſit. Audi Gregorium. [Nobis, & omnibus notum eſt, pijſſimos Dominos diſciplinam diligere, ordines ſeruare, Canones venerari, & ſe in cauſis Eccleſiaſticis non miſcere.] Et tu, vbi hoc audiſti, legiſti, audes dicere, Gregorium [Non reſpondiſſe, nullam de ijs iubendi auctoritatem penès Imperatorem eſſe, quippè in cauſa Eccleſiaſtica?] Poteratne, vel modeſtius, vel liberius proferre Gregorius, quod tu inficiaris? Quonam humiliori, & liberiori modo Imperatorem monere poterat, quòd Eccleſiaſticis negotijs ſe ſe immiſcuiſſet, odiſſet diſciplinam, ordines peruertiſſet, Canones proſtituiſſet? Dixit ergo Gregorius, quod tu eum dixiſſe negas; vtinam tu Iacobo, quod Mauritio Gregorius.

CAP. XV.

Ex Conſtantini ſententia ruere Primatum Regis; cui quæ L. obijcit, confutantur.

CArd. Venio nunc ad principes ſæculi. Conſtantinus Magnus, cum Donatiſtæ non contenti Epiſcopali iudicio, ad ipſum cauſam Eccleſiæ detuliſſent, ità exclamauit. (O rabida furoris audacia, ſicut in cauſis gentilium appellationes interpoſuerunt.) Refert hæc verba Conſtantini Optatus Milleuitanus lib. 1. contrà Parmenianum. De eodem ita ſcribit S. Auguſtinus in epiſt. 167. Conſtantinus non eſt auſus de cauſa Epiſcopi iudicare.

L. [Nec meliora ſunt, nec magis ad rem illa, quæ iam ſequuntur, principum. Conſtantinus ita dixit, cum appellarent ad eum Donatiſtæ. (O rabidam furoris audaciam, &c.) Credimus Optato, Conſtantinus ſic dixit; ſed Conſtantinus quid fecit? Delegauit primò, ſecundò qui audirent, poſt audiuit ipſe, & ſententiam tulit. Quid verba audiam, cum facta videam? Culpa, quæ fuit, in Donato fuit, qui odiosè interpellauit, non in Conſtantino, credo, qui iuſtè rem iudicauit. Alioquin & tu exclama. O rabidam Conſtanſtantini audaciam, qui admiſit ſic appellantes, vt nos exclamemus, O rabidam Torti audaciam, qui Conſtantinum damnat audaciæ, quem Optatus auctor ſuus non auſus damnare. Tum & Auguſtino credimus, non auſum, initio. Sed enim, qui non auſus, initio, de cauſis ijs cognoſcere (quippè, qui necdum aſſuetus ad illas, neſciret fortè quid illarum cognitio poſtularet) prouectior iam factus, & auſus, & fecit. Scis quid ſcripſerit ad Nicomedienſes in cauſa Euſebij, & Theogonij, quos deportari fecerat (ſi quis faueret illorum audaciæ; miniſtri Dei, hoc eſt, mea auctoritate coercebitur) Scis quid ad Synodum Epiſcoporum Tyri (Cuncti quotquot Synodum Tyri compleſtis, ſine mora ad pietatis noſtræ caſtra properetis, ac re ipſa, quàm ſyncerè, & rectè iudicaueritis oſtendatis, idque coram me, quem ſyncerum eſſe Dei miniſtrum, neque vos ſanè negabitis) Imò & in hoc quoque ipſo, quod initio non eſt auſus facere, paulò poſt animus ei non defuit faciendi; fecit enim.]

M. A. Vti iudicio nos tuo de ſuperioribus, Patrum; ita de ijs, quæ iam ſequuntur, Principum Teſtimonijs indulgemus. Ægrotus tu, ex tuo guſtu res iudicas, ſed quàm benè, audi.

Primùm opponis verbis Conſtantini eius facta, & dicis: [Quid verba audiam, cum facta videam] Ineptum ſanè argumentum; Quot peccata verbis damnantur à paſtoribus, quæ factis committuntur? Dicat ergo populus. [Quid verba audiam, cum facta videam] atque ita concludat, paſtores credere, illa non eſſe peccata. Si Chriſto credis, ride, & contemne tuam hanc ratiunculam. [Quæ dicunt, facite, inquit, ſecundùm opera eorum nolite facere.] Vult ergo Chriſtus ſuos verba eorum audire, quorum vult

fa-

facta contemni. Malè itaque primò Conſtantini facta eiuſdem oppoſuiſti verbis.

Idque eò magis, quòd habemus etiam facta Conſtantini eiuſdem verbis conformia. Noſti, iam peruulgatum eſt, quid in Concilio Nicœno fecerit, combuſſit libellos accuſationis Epiſcoporum, renuit cauſas eorum iudicare, ipſiſque dixit. [Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, & ideò nos à vobis rectè iudicamur. Vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari; propter quod Dei ſolius expectare iudicium, & veſtra iurgia, quæcunque illa ſunt, ad illud diuinum reſeruentur examen: Vos enim à Deo nobis dati eſtis Dij, & conueniens non eſt, vt homo iudicet Deos; ſed ille ſolus, de quo ſcriptum eſt; Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diſcernit.] Habemus ergo facta Conſtantini eiuſdem verbis conformia, habemus etiam facta verbis contraria; hinc facta ſola, indè facta, & verba, quæ ſequemur? De facto Conſtantini cauſam facti audiſti; Domino ſuo ſtat, aut cadit. Scio certè optima intentione feciſſe, ſcio etiam iuſtum iudicaſſe; potuit etiam circa poteſtatem, quid interceſſiſſe, quod ignoramus, nec enim inconſultis Sacerdoribus iudicauit. Qua in re quicquid deliquit, denique proteſtatus eſt, de eo ſe veniam petiturum ab Epiſcopis.

Quæ perſequeris, vt probes, Conſtantinum iudicaſſe poſtea de cauſis Epiſcoporum, trahunt me in ſtuporem ingenij tui. Euſebius, & Theogonius Ariani in Concilio Nicœno damnati, & exauctorati, poſtea, Conſtantini iuſſu deportantur Nicomediam. Ad Nicomedienſes verò dat literas Imperator, eodem exemplo, quo refers. Et hoc tu vocabis iudicare de cauſis Epiſcoporum? Fac, vt Rex tuus hoc modo iudicet de cauſis Epiſcoporum, non repugnabunt Catholici, ſed tu fortaſſe.

Quæ ſubijcis de Concilio Tyri, æquè ſunt ad rem. Conciliabulum illud Tyri Arianorum fuit (niſi dicas Dœmonum) conuentus; in hoc Euſebio eodem, & Theogonio ducibus, Athanaſius, ſimul cum Nicœna fide damnatus, Arius verò, & Euzoius reſtituti. Dici non poſſunt fraudes, aſtus, nequitiæ, quibus res omnis geſta eſt; ſuperant certè hominis captum. Lege hyſtoriam, ſi vacat. Athanaſius, cum videret ſe ſimul cum Catholica fide periclitari, cumque aliud remedium præ manibus non haberet, fuga ex hoſtium manibus elapſus, Imperatorem adiuit. Appellationem verò non interpoſuit; ſed tantùm ſupplicauit, vt quæ Tyri geſta erant, denuò retractarentur ante Imperatorem. Audi Imperatorem ipſum eadem epiſtola. [Ille tamen Athanaſius cum, multa libertate, nihil peteret aliud à nobis, quàm vt vos præſto eſſetis; quo, neceſſitate vrgente, in præſentia veſtra, quæ paſſus eſſet, ſatis deplorare poſſet.] Satiſfecit Athanaſio Imperator, vocauit Epiſcopos illos Arianos, & ante ſuum conſpectum rem denuò tractari voluit. Quare tua omnia æquè ſunt ad rem. Vis probare Conſtantinum iudicaſſe poſtea de cauſis Epiſcoporum, & duo eius facta adducis. In primo vetat, ne quis præſto eſſet duobus Epiſcopis hæreticis, & è gradu per Concilium vniuerſale deiectis. In ſecundo iubet Arianis tantùm, vt ſe ipſo præſente cauſam fidei, & ſanctiſſimi Patriarchæ retractarent.

Quod verò his inſeris, Conſtantinum ſcilicet recuſaſſe iudicia iſta, quia tum temporis necdum illis eſſet aſſuetus; hoc repugnat dictis Conſtantini. Dicit enim primò, [Se non iudicare, quia non acceperat à Deo hanc poteſtatem.] Dicit ſecundò [Quod nolebat iudicare, quia Ipſe quoque ſubiectus eſſet Eccleſiæ iudicio.] Dicit tertiò [Quòd has appellationes admittere gentiliſmus erat.] Nunquam verò de illa cogitauit cauſa, quam tu fingis, immò veniam petiturus ab Epiſcopis, Epiſcoporum munere functus eſt. Manet ergo, re innito, in robore teſtimonium Conſtantini contra primatum veſtrum.

CAP. XVI.

Valentinianum ſeniorem refragari, quicquid dicant Aduerſarij, eorum Primatui.

CArd. Valentinianus ſenior Imperator, referente Sozomeno lib. 6. hyſtor. cap. 7. [Mihi, inquit, qui ſum in ſorte plebis, fas non eſt talia negotia, videlicet Eccleſiaſtica, perſcrutari; Sacerdotes, quorum iſta curæ ſunt, inter ſe ipſos, quocunque voluerint loco, conueniant.]

L. [Quod autem de Valentiniano ſeniore refert Sozomenus, & tu ex illo, non ſanè cohærent. Quid enim petebant ab eo Epiſcopi? vt ipſis ad corrigendum dogma conuenire permitteret. Quid autem reſpondit ille? Fas ſibi non eſſe, talia curioſiùs perſcrutari. Quàm malè cohærent hæc? Quid opus negare, quod nemo rogabat? Nam hoc illi non petebant, neque ea de re verbum in legatione vllum; tantùm vt conuenire permitteret; quod ab eo permiſſum illis quocunque loco vellent. Locus ſanè illuſtris pro Synodicis non ſine auctoritate Regia conuocandis, ad rem tuam nihil.]

M. A. Longior præ cœteris reſponſio iſta tua, plurimas quippè defenſiones excogitaſti, nulla forſan earum contentus; ſigillatim ergò eas referam, & diſcutiam. Primam audiuimus, in qua de more te geris. Vt enim rationem eludas, non erubeſcis facere, vel Sozomenum mendacem, qui falſa de Valentiniano retulerit, vel Valentinianum ſtolidum, qui ineptè ad Epiſcoporum preces reſponderit. Vera tamen Sozomenus narrauit, & rectiſſimè Valentinianus reſpondit. Petunt Epiſcopi à Valentiniano, [Vt eis liceat in vnum conuenire locum.] Ad hoc reſpondet Valentinianus: [Quocumque voluerint loco conueniant.] Ad interrogationem rectiùs ne poterat reſpondere? Rationem verò reddit, cur nolit eis locum præfigere. [Mihi, qui ſum in ſorte plebis, fas non eſt, talia negotia curioſius inquirere.]

De loco Concilij, cur ſcilicet hic magis, quàm alibi fieri oporteat, examen fieri debet Hoc examen ad plebem non pertinet, ſed ad Paſtores illos, quos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei. Quare cum Imperator in ſorte plebis ſit, ei fas non eſt, talia negotia curioſiùs perſcrutari. Hæc eſt ratio Valen-

lentiniani, quem idtò imprudentem facere nulla Prudentia poteſt. Maximè ergo cohætent, quæ Cardinalis ex Sozomeno retulit; Et tu velim conſideres, tantum Imperatorem (cui, opinor, Regem tuum comparare non audebis) dicere, Se in ſorte plebis eſſe. Quàm egregius ſit locus iſte pro Synodis non conuocandis ſine auctoritate Regia, paulò pòſt audies. Vidiſti forſan leuitatem iſtius defenſionis, & ideò ad ſecundam confugiſti.

[L. Secundò. Voluiſti fortè de Hiſtoria Tripartita rem referre, nam in ea petunt quidem, vt dignetur intereſſe. Vndè autem id referat caſſiodorus, vix dicas; cum in nulla ſit trium partium, è quibus ſuum illud confecit opus Tripartitum. Sed neque ſic cohærer. Illi enim de præſentia interpellant; Ille reſpondet de ſcrutinio. Poterat autem intereſſe ſcrutinio, nec ipſe tamen perſcrutari.]

M.A. Dicis tu, Voluiſti fortè. Dico ego: Noluit certè Cardinalis de hiſtoria Tripartita rem referre, ex Sozomeno retulit; Fruſtrà ergo in Caſſiodoro laboras. Noli tibi fingere laruas, cum quibus pugnes, vt victor euadas.

[L. Tertiò. Nicephorus verò hoc idem ſic expedit in hiſtoria ſua, quòd hic Sozomenus (Mihi fas non eſt) id ille. (Mihi facilè non eſt, qui negotijs occupatus, & Reipublicæ curis diſtentus ſum) vt cui vacare non poſſet totus ei, nec fas manum admouere, vt ità quod Græcè *oy themis*; idem ſic, quòd Latinè. Non licet per negotia.]

M. A. Cur diuerſimodè referentibus reſponſum Valentiniani, Sozomeno, & Nicephoro, Tu fidem Nicephoro potiùs, quàm Sozomtno adhibes? Concilium hoc habitum eſt anno Domini 364. Conſulatu Valentiniani, & Valentis primo; Sozomenus floruit non diù poſt, nimirùm circa annum Domini 430. Nicephorus verò circà annum 1300. & poſt mille ferè annos credes Nicephorum meliorem teſtem Sozomeno? Sed Tu, qui Græcus, quàm Latinus mauis haberi, non ſine culpa exponere potuiſti *oy themis*, Non licet per negotia. Nemo enim adeò ineruditus eſt, qui neſciat. verbum illud Leges, potiſſimùmque Diuinas ſignificare. Ideò 70. interpretes Machab. 2. 7. 1. edere carnes porcinas *a themiton* eſſe dixerunt. Iſidorus verò Orig. 5. 2. Fas lex diuina eſt. *themis* verò græcè, latinè Fas. Quod vel prophani tui docere te potuerunt. Heſiodus Iouem alloquens ait, *dici d' ithyne themiſtas* Iure leges moderare lib. op. & di. Et in Theogonia *oy de themiſteon libeta*, & Theognis *oy de themiſtas oyeeti gignoſcoyſi*. Imò Heſiodus ità propriam Dei Themin arbitratus eſt, vt illam Iouis vxorem eſſe finxerit, *oy themis*, ergo apud Sozomenum idem eſt, quòd Diuina lege vetitum, nec aliam expoſitionem, aut verſionem patitur ratio Valentiniani.

L. Quartò. Eſto tamen, petierint id Epiſcopi, negarit Imperator; quo ipſe vis ſenſu, vel hoc nobis dicendum. Totius Helleſponti, & Bithyniæ Epiſcopos Orthodoxos, neſcijſſe quid fas Imperatori facere, qui Hypatianum Heracleæ Epiſcopum legatum ſuum miſerant, vt vellet intereſſe; vel hoc, inquam, dicendum; vel certè neſcijſſe Valentinianum hominem militarem in caſtris enutritum, quid ſibi fas. Vel ſi ſciuit, ex pietate, non debito (vt de Theodoſio ſimili in re Dominus tuus) id reſponſum dediſſe, modeſtè ſcilicet; non quòd, pro iure ſuo, id ei non liceret. At ſi quæſtio iam ſit. Liceatne in eum finem Imperarori Synodo intereſſe? quis non plùs credat tot Epiſcopis Orthodoxis hoc ab eo petentibus, & per hoc, Ius illud ei, & ſas eſſe profitentibus, quàm in caſtris ſemper verſato Imperatori, modeſtè hoc, quaſi ſas non ſit deprecanti? Cuinam veriſimile, circa Synodos, quid Imperatori fas, ſciſſe illum; omnes autem hos neſcijſſe? ſed quicquid Valentiniano hic viſum reſpondere, caue, putes, nefas exiſtimaſſe eum rebus ijs vacare. Lege, ſis Theodor. 4. 10. videbis ibi de dogmatibus Eccleſiaſticis reformandis, etſi non *polypragmonin* (quod Conſtantio vidit ceſſiſſe non fœliciter) at *phrontida piin*, & ſi non curioſum fuiſſe; at tantùm accuraſſe negotium hoc, quantum inſtituto noſtro conuenit.]

M.A. Eſto. Catholici, & Orthodoxi fuerint omnes Epiſcopi, qui conuenere Lampſacum, quod tamen ſcis, non carere difficultatibus, tum ob formulam fidei, quam præmiſerũt in Concilio, tum ob teſtimonium Baſilij; tamẽ tuum argumentum nihi omnino concludit. Quæ mala perpeſſa fuerit Eccleſia Chriſti ante Imperium valentiniani, vix dici poteſt; Conſtantius enim, qui imperatori Conſtantino ſucceſſerat, omnia ad Arianiſmum reducere ſtuduerat, & Eccleſiaſticam libertatem paruipendens, Epiſcopos inſtituiſſe, & depoſuiſſe prò libidine, & præſediſſe Concilijs, & mille alia mala in Eccleſiam intuliſſe, notum eſt. Huic Iulianus Apoſtata ſucceſſit, qui Clericis, & Eccleſijs omnia priuilegia ademir, & adeò hoſtiliter fidem Chriſti eſt perſecutus, vt in extremum periculum noſtra Religio perducta videretur, Poſt hunc Iouianus Catholicus imperauit, ſed cum ſeptem menſium ſpatio è viuis ſublatus eſſet, non potuit Religionem, & Eccleſiam Chriſti in eum teſtituere gradum, vndè illam deiecerat Iulianus, cum præſertim in expeditionibus bellicis totus fuiſſte. Huius Imperium excepit Valentinianus, Catholicus vir, & bonus; eodem anno primo Imperij ſui. Epiſcopi iſti conuenire in Concilium optant, Ex legibus Iuliani id eis non licet, quod ſi licuiſſet etiam; cum tunc temporis maxima eſſet Paganorum multitudo, & ſine diſcrimine, Vrbes, & Prouinciæ eorundem committerentur poteſtati, niſi Epiſcopi muniti fuiſſent nutu, & decreto Imperatoris; Pagani in Vrbes ſibi commiſſas illos conuenire non permiſiſſent, vel ſi permiſiſſent, mille affeciſſent incommodis. His ergo de cauſis coacti ſunt Epiſcopi rogare Imperatorem, vt illis in vnum conuenire locum permitteret, ſi verò eorum conuentui, & ipſe intereſſe voluiſſet hiſce de cauſis, id eis contigiſſet gratiſſimum: Rogant ergo Epiſcopi neceſſitate coacti; Reſpondet Impetator Religione impulſus. Petunt illi. quod Eccleſiæ diuino Iure debetur; concedit hic, quod contrà diuinum Ius ſui Præceſſores Eccleſiæ ademerant; Petierunt etiam Catholici à Conſtantino, vt eis liceret Chriſtum colere; conceſſit Conſtantinus. Nunquid idtò Chriſtus coli non poteſt, ſine conſen-

ſenſu Imperatoris? Poteſt certè, & debet, etiam Imperatore inuitò; nec ideò petierunt, vt ſine culpa liceret, petierunt autem, vt ſine impedimento liceret. Hoc eodem modo Epiſcopi Valentinianum pro Concilio rogant, nec eis ipſe id concedit ad eum finem, vt ſine culpa liceat, ſed vt ſine impedimento liceat. Nec ex petitione colligere potes, quod petitur, illicitum eſſe ſine conſenſu Imperatoris, niſi etiam credas illicitum eſſe, Chriſtum adorare, ſine eiuſdem Imperatoris conſenſu.

Quod verò comparas reſponſum Valentiniani, cum facto Theodoſij, relato à Card. lib. 5. de Pontifice, repræhenſione dignus es. Nam eo loco Card. dicit, [Quòd Theodoſius conceſſit, vt omnes cauſæ ciuilis Reip. deferri poſſent ad iudicia Epiſcoporum. Id verò feciſſe credit ex pietate, non ex debito.] At ſi Valentinianus ſciuiſſet, quod ſibi fas (vt Tu in hac reſponſione ſuppones) & dixiſſet id ſibi fas non eſſe, modeſtia hìc, & pietas locum non haberent, neque enim pietas cum mendacio ſtare poteſt. Scis Tu, mendacem humilitatem in Pelagianis olim fuiſſe damnatam, & definitum, Hæreticum eſſe aſſerere, quòd ſine peccato ex humilitate cuipiam, vel de ſe ipſo, liceat mentiri. Pelagianus ergo Tu, qui cum mendacio modeſtiam, & pietatem componis. In Theodoreto, (loco quem citas,) nihil omninò eius, quod prætendis.

CAP. XVII.

Non efficere L, quin Theodoſij Iunioris Teſtimonio Primatus Regis corruat.

CArd. Theodoſius Iunior Imperator, in epiſtola ad Synodum Epheſinam Illicitum, inquit, eſt, illum, qui non ſit ex ordine ſanctiſſimorum Epiſcoporum, Eccleſiaſticis immiſcere tractatibus.]

L. Magis autem inſulſum multò, quòd proximum ponis de Theodoſio Iuniore, qui Comitem Candidianum ad Concilium Epheſi, in eum finem miſerat, vt turbas ibi, & tumultus compeſceret, ac Epiſcoporum conſtitutionibus, quæ circa fidei dogmata inciderent, ſeſe non immiſceret. At de Imperatore inſtituiſti, quomodo iam delapſus ad Comitem? Amphora cœpit inſtitui, currente rota, cur vrceus exit? An non hoc eſt à diſparatis argumentum ducere? Recognoſce enim hìc quid dixeris. Prohibetur à Rege Comiti, ne rebus ſe fidei immiſceat. Regi ergo in ſacris poteſtas nulla. At tu, credo, Regi pluſquam Comiti deferendum putas, & extra res Fidei multa ſunt, in quibus poteſtas eius ſe exerceat. Fidei enim nec Rex, ſed nec Apoſtoli ipſi dominantur. Locus ergo hic totus extra oleas.]

M. A. Si ponderaſſes verba Imperatoris, cognouiſſes (tecum loquar) tuam hanc reſponſionem, & diſparatam, & deſperatam eſſe, argumentum verò efficaciſſimum, A negatione ſcilicet generis ad negationem ſpeciei. Reddens rationem Imperator, propter quam vetuerit Candidianum Comitem ſeſe immiſcere Eccleſiaſticis negotijs, inquit, [Nefas eſt enim, qui ſanctiſſimorum Epiſcoporum cathalogo non eſt adſcriptus, illum Eccleſiaſticis negotijs, & conſultationibus ſeſe immiſcere.] Audi minorem Cardinalis (quam intelligere debebat quiſque, cui ſit ſenſus.)

[At Imperator ipſe ſanctiſſimorum Epiſcoporum cathalogo adſcriptus non eſt.]

[Ergo (hæc concluſio Card.) nefas eſt, Imperatorem ipſum hiſce negotijs, & conſultationibus ſeſe immiſcere.] Vide igitur, rota currente, amphoram inſtitutam, non vrceum exijſſe.

Quod argumentum Cardinalis tuo modo fingis, nulla tibi laus apud ingenuos. Non dicit Cardinalis: Prohibetur à Rege Comiti, ne ſe rebus fidei immiſceat: Regi ergo in ſacris poteſtas nulla. Nunquam ſomniauit hoc argumentum; ſed in ratione prohitionis vim argumenti ſui collocauit, nam ratio adducta in vniuerſali equè quadrat Imperatori, ac Comiti. Dicit Imperator. [Nefas eſt enim, eum, qui ſanctiſſimorum Epiſcoporum cathalogo non eſt adſcriptus, Eccleſiaſticis tractationibus ſeſe immiſcere.] Quare, cum æquè Imperator, ac Comes adſcripti non ſint cathalogo ſanctiſſimorum Epiſcoporum, æque Imperatori, ac Comiti fas non eſt Eccleſiaſticis conſultationibus ſeſe immiſcere. Hæc eſt ratio, quam Cardinalis tuo obiecit primatui. Hanc dilue, ſi potes. Non ergo locus extrà oleas, ſed reſponſio tua extrà cantionem.

CAP. XVIII.

Argumentum à Teſtimonio Baſilij efficax quicquid Aduerſarius obiectet.

CArd. Baſilius Imperator, oratione habita in octaua Synodo. (Hæc, inquit, inueſtigare, & quærere, Patriarcharum, Epiſcoporum, ac Sacerdotum eſt, qui regiminis officium ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, qui ſoluendi, qui ligandi poteſtatem habent, qui Eccleſiaſticas adepti ſunt claues; non noſtrum, qui paſci debemus, qui ſanctificari, qui ligari, vel à ligamentis ſolui egemus.]

L. Nec enim de Baſilio illo tuo eſt, quod valdè laboremus, non magni momenti Imperatore, qui & Dominum ſuum Michaelem occidit, & Imperium inuaſit, qui infimæ ſortis homo, vt nec patriam noſſet, nec parentes, inter captiuos venundatus Conſtantinopoli, nec liberè educatus, nec exultus vllo doctrinæ genere, bono iure prouinciam hanc poterat deprecari. Sed quid tamen dicit? Inueſtigare illa, & quęrere, Sacerdotum eſſe, non Laicorum. Nec nos hoc negamus. At erat ibi periodo eadem, aliud magis in rem tuam, tam enim erat ex parte tua teſtis ibi prodigus Baſilius, vt præcideris periodi huius partem priorem, in qua Laico nulli licere vult, vt vllo modo ſermonem moueat de rebus Eccleſiaſticis. Non ſermonem mouere de illis, non vllo modo ſermonem mouere? Nimium hoc quidem viſum Matthæo, puduit inferre: Laudo. Sic enim non modò partes præcipuè, ſed nec partes vllæ penès Principem forent. Gallionem credo imitari vult Principes, cui nihil horum curæ. Parum verò baſilicum Baſilij hoc teſtimonium.]

M. A. Qui argumenta ex Baſilij modò, & infrà, ex Theodorici verbis deſumpta, ita

re-

repræhendis, magis Deum repræhendes, qui Populum Iſrael ita arguit. [Cognouit Bos Poſſeſſorem ſuum, & Aſinus Præſepe Domini ſui, Populus autem meus non cognouit me.] Aut ergo ineptias tuas agnoſce, aut Deum ſimul cum Cardinali damna. Legiſti ne vnquam in Hieremia; quòd Deus exemplo Rechabitarum Iſraelem redarguit, oſtendens, puduiſſe debere Iſraelitas, quòd non tanti feciſſent Deum, quanti Rechabitarum domus parentem fecerat? Eſto igitur, Baſilius fuerit talis Imperator, qualem fingis; cum Cardinalis arguendi formam à Deo mutauerit, diſpice quæſo, an de Baſilio iſto tibi non valdè ſit laborandum.

Verùm neſcio planè, qua fronte tot calumnijs onerare audeas Baſilium, cum hiſtoriæ obuiæ ſint, quibus tuæ impoſturæ facillimè deteguntur. Dicis primò, [Illum occidiſſe Michaelem Dominum ſuum, & inuaſiſſe Imperium.] At obſtant Zonaras, Cedrenus, Liuthprandus, Curopalates, Anaſtaſius Bibliothecarius, & denique omnes Græcarum rerum Scriptores, qui vnanimes aſſerunt, quòd Baſilium Michael extulit ob egregia facta per omnes gradus ad ſummum vſq; Non ergo inuaſit Imperium, qui ſuis delatum virtutibus, & ſpontè delatum, accepit. Occidiſſe Michaelem, confiteor; at nego, quòd Dominum ſuum occiderit, erant enim collegæ, vterque Imperator. Iuſtè verò Michaelem à Baſilio occiſum, conſentiunt: Michael enim Baſilio mortem intentauerat, plurimiſque, & ijs quidem grauibus iniurijs illum affecerat. Idque ea ſola de cauſa, quòd Baſilius illum (prout verum Imperatorem, & amicum decebat) ſæpè familiariter, & amicè admonuerat, vt à Tyrannica, & Sardanapalica vita abſtineret.

Patriam, & Parentes Baſilium agnouiſſe, quod tu negas, ijdem omnes affirmant, imò à Patria Macedonem appellatum, quis dubitat? Finxiſti tu, opinor, illum venundatum Conſtantinopoli inter Captiuos; omnes enim, quos viderim, tradunt, liberè illum, ſola pauperie pulſum, Conſtantinopolim migraſſe. De origine illius Curopalates ſcribit, & Zonaras ab alijs ante ſe ſcriptum fuiſſe, tradit; [Ortum eſſe Baſilium ex Arſacidum ſplendida progenie, ex qua ſola lex erat, vt Parthis, Medis, atque Armenis imperarent.] Attamen Parentes eius (quæ rerum viciſſitudo eſt) Patria olim pulſi, in Græciam ſeſe receperunt: indè in Bulgariam cum puero Baſilio ducti captiui, demùm ad ſummam inopiam, vel in ipſa Macedonia redacti ſunt. Hinc factum eſt, vt Baſilius initio coactus ſit ſeruire ſeruiturem minimè ingenuam, quo reſpexerunt fortè, qui illum obſcuro loco natum opinati ſunt. Nullum ſanè reliquit obſcuri hominis, vel ineruditi veſtigium. Multa templa reſtituit, multa dotauit, multa à fundamentis erexit. Iudæorum plurimos ad Fidem Chriſti perduxit: Bulgaros, qui nuper ad Fidem Chriſtianam venerant, miſſis ad eos Monachis, & alijs religioſis viris, in ea confirmauit: Ruſſis, vt ſuperſtitionem deſererent, qua tenebantur, & ſacro baptiſmate abluerentur, auctor fuit: Manichæorum exercitus profligauit: Saracenorum copias fudit, Deo ſemper illum præeunte. Imperio ſuo Croatiam, & Seruiam adiunxit: Hyberos repugnantes edomuit, & de Bulgaris denique glorioſiſſimè triumphauit. Græcum Menologion ſcribendum, & augendum curauit, & ipſemet compoſuit librum, in quo laudes omnium Sanctorum, quorum ſingulo quoque die mentio habetur, verſibus cecinit, quem Codicem Cardinalis Baronius teſtatur ſe vidiſſe decoratum imaginibus magni pretij. Denique teſtamentum, quod morti proximus, condidit, & ſententiæ illæ, quas Leoni filio ſimul cum Imperio legauit, res dignæ ſunt, quas ſibi omnes magni Principes proponant. Habentur apud Cardinalem Baronium tom. 10. ad annum Domini 886. Quod Imperium illi cœlitus delatum fuerit, innumera prodigia argumento fuerunt, quæ paſſim apud Græcos leguntur. Magni ergo momenti Imperetor fuit Baſilius, quicquid tu illi obiectes, & vel inter clariſſimos orientis Principes facilè numeraretur, niſi Photij vafritie, & Santabareni Magi præſtigijs dementatus, in filium innocentiſſimum peccaſſet, & in octauam œcumenicam Synodum, ac in Romanam Eccleſiam inſurrexiſſet.

Non puduit Cardinalem referre, quæ tu ex Baſilio ſubiungis, ſatis illi fuit ex multis pauca retuliſſe, quibus veſtrum refelleret errorem, nec enim pudere poteſt Cardinalem, quod tantam Synodum non puduit. Quid verò dicit Baſilius? [Laicis non licere de Eccleſiaſticis cauſis ſermonem mouere, ſed ſubiungere reliqua, Neque penitùs reſiſtere integritati Eccleſiæ, & vniuerſali Synodo aduerſari.] Photius, eiuſque Epiſcopi declarati fuerant Laici per ſententiam octauæ Synodi: Epiſcopi verò ſunt Paſtores, Epiſcopi habent claues, Epiſcopi ſunt Gubernatores Eccleſiæ, non Laici; ideò Laicis Photianis contrà Epiſcopos, & Synodum de rebus Eccleſiæ ſermonem mouere non licebat. Hoc ſanè Baſilius, quod omnes Catholici dixerint, & negare non audeat, niſi ille, qui vult [Vnumquemque collocare fidei ſuæ fundamenta, non ſuper aliorum opinionibus, ſed ſuper ſua ipſius certa ſcientia.] Sed quando reliqua Baſilij vis, reliqua habeto.

[Vobis Laici, tam qui in dignitatibus, quàm qui abſolutè, hoc eſt abſque dignitatibus verſamini, nullo modo licèt de Eccleſiaſticis cauſis ſermonem mouere, neque penitùs reſiſtere integritati Eccleſiæ, & vniuerſali Synodo aduerſari. Hæc enim inueſtigare, & quærere, Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum eſt, qui regiminis officium ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, qui ſoluendi poteſtatem habent, qui Eccleſiaſticas, & cœleſtes adepti ſunt claues; non noſtrum, qui paſci debemus, qui ligari, vel à ligamentis ſolui egemus. Quantæcumque enim ſapientiæ, ac religionis Laicus exiſtat; etiamſi vniuerſa virtute interius polleat, donec Laicus eſt, ouis vocari non deſinet. Rursùs Epiſcopus, quantacumque ſit irreuerentia plenus, & nudus omni virtute, donec Antiſtes eſt, & veritatis verbum rectè prædicauerit, Paſtoris vocationis, & dignitatis damna non patietur. Quæ ergo nobis ratio eſt, in ordine ouium conſtitutis? Paſtores verborum ſubtilitatem diſcutiendi, & ea, quæ ſuper nos ſunt, quærendi, & ambiendi habent. Opor-

ret nos ergo, cum timore, & fide ſyncera hos audite, & facies eorum vereri, cum ſint Miniſtri Domini Omnipotentis, & huius formam poſſideant, & nihil ampliùs, quàm ea, quæ ordinis noſtri ſunt requirere.]

Si Principes omnes ſint qualis Rex Iacobus, verè parum baſilicum Baſilij hoc Teſtimonium; at ſi ſint Catholici, parum baſilicum, & nibil catholicum tuum de illo teſtimonio iudicium. Nolunt Catholici Principem Gallionem, cui nihil horum ſit curæ; volunt Eccleſiaſtica illi eſſe curæ, ſed ea ratione, quam ſacri Canones præſcribunt; Vellent tamen illum minimè deteriorem Gallione iſto Proconſule Achaiæ, qui dixit. [Si quæſtio eſt de verbo, & de nominibus, & legis veſtræ, vos ipſi videritis. Iudex ego horum nolo eſſe.] Vade ergo ad præſepe, & vide, ab Aſino illud cognoſce, indè aduersùs Te, Regemque tuum pro Deo, cum Hieremia, concl ude.

CAP. XIX.

In Carolo Magno nequicquam laborare L, ſenſit enim pro Catholicis.

CArd. Carolus Magnus leges quidem aliquas iuri communi addidit, ſed in eis reuerentiam, & ſubiectionem ad Sedem Apoſtolicam Romanam planè admirabilem his verbis teſtatus eſt. (Licèt vix ferendum ab illa ſancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus.) Refert hanc ſententiam ex Concilio Caroli Magni, Gratianus diſt. 19. cap. 3. & eandem ſententiam à Carolo acceptam, ſuam quoque fecerunt Epiſcopi Concilij Tribunienſis cap. 30.]

L. Nec Caroli melius, ſi tamen Caroli, & non Tribunienſis Concilij potiùs, diu poſt Carolum: Quid tamen ille? Nihil de rebus Religionis, aut de poteſtate circa illas res ſumma, vel ima. De Iugo neſcio, quo ferendo loquitur, non ſanè Chriſti Iugo: nam Iugum illius leue. Puto igitur Antichriſti, quia tam graue, vt ei ferendo vix Carolus ille Magnus par eſſet. Quid hæc ad poteſtatem principum? Nihil. Ad patientiam certè aliquid, & quidem id quærit Pontifex; principes parum potentes, valdè patientes, quos poſſet ſub ſanctæ Sedis Iugo vix ferendo mittere.

M. A. Fingis non intelligere te; an verè non intelligis Cardinalis rationem? Argumentum eſt hoc. Si Carolus Magnus tanta reuerentia proſecutus eſt Sedem Apoſtolicam Romanam, vt dixerit, [Ferendum, & tolerandum etiam eſſe, ſi Iugum vix ferendum ſibi imponeret;] ſanè non illi ſuperiorem ſe, ſed ſubditum eſſe credidit. Superior enim eſt, qui iugum imponere poteſt: inferior, iugum ferre, qui debet. Si verò etiam [iugum vix ferendum] Carolus Ferendum credidit, quantò magis ſi impoſuiſſet ferendum? Quomodo ergo hic non de rebus religionis, non de poteſtate circa illas, vel ſumma, vel ima? Maledicta ſunt cætera tua, & conuitia Semei, quę quo loco habeantur à Dauide, tu noſti.

CAP. XX.

Etiam Theodorici Regis Ariani ſententia, Regis Angliæ Primatum ruere, & in hac impugnanda L, nihil proficere.

CArd. Addimus vltimò teſtimonium Regis Theodorici, qui quamuis Hæreticus Arianus eſſet; non tamen ſibi primatum in Concilijs aſſumebat. Sic enim legimus in Synodo quarta, ſub Symmacho Pontifice Romano. (Ad hæc Sereniſſimus Rex taliter, Deo adſpirante, reſpondit. In Synodi eſſe arbitrio, in tanto negotio ſequenda præſcribere, neque aliquid ad ſe, pręter reuerentiam de Eccleſiaſticis negotijs pertinere.) Habemus igitur ex teſtimonio principum, tum Eccleſiæ, tum ſæculi, longiſſimè à vero aberrare, qui Regi terreno primatum in rebus ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis tribuunt.

L. At etiam hauris ad feces? ex loco (obſcuro, & corrupto?) ſic enim in margine habetur Synodi illius tertiæ. Etiam Hæreticis, etiam Arianis ſupplicas, vt opem ferant laboranti Pontifici, nec vereris, ſi Arianum ſit, de poteſtate illa cedere, ne Orthodoxum ſit, illam magis tueri? Quid verò iſte, qui hic eſt poſt principia ſimul Barbarus, ſimul Hæreticus? quamquam hæreſis, credo, non erat, Nam & Conſtantius, & Valens, qui eadem hæreſi infecti, Synodis, & intereſſe, & præeſſe ſoliti. Quare mera barbaries erat.]

M. A. Argumentum Cardinalis eſt, à minori. Dedecet enim catholicum virum, catholicum principem, illam reuerentiam ſacris non exhibere, quam eiſdem poſt catholicos principes, ipſi quoque hæretici exhibuerunt. Quare quantò magis exaggeras barbariem Theodorici, tantò magis tuam amplificas. Paulum Apoſtolum Cardinalis, in hoc argumento, imitatus eſt, qui pro Fide Chriſti, aduersùs gentiles, adduxit Arati, gentilis Poetæ, teſtimonium, ſi Cardinalis, aduersùs hæreticos, hæretici teſtimonium protulit, vel ergo, malè Cardinalem, vel vnà cum Cardinali etiam Paulum repræhendis.

Verum eſt, quòd habetur in margine tertiæ illius Synodi, locus obſcurus, at falſum eſt, quòd nota illa marginalis appoſita ſit, loco Synodi à Cardinali citato. Appoſita ſunt illa, quibuſdam verbis, non Regis, ſed Epiſcoporum. Rem melius inſpice, vel benè inſpectam, fide referas meliore.

Tibi ſunt concilia, vt millies declaras, & præcipuè nunc hoc in examine, editionis Venetæ anni 1585 apud Dominicum Nicolinum. Dicis locum hunc habere in margine [Locus obſcurus, & corruptus, illa, & corruptus, tua ſunt, non marginis. Hæc verò, qua mente addideris, nemo non videt. Mala fide igitur nobiſcum agis.

L. [Sed quid ait tamen? Vocabant illum ad Concilium Epiſcopi, vt intereſſet ſaltem: ſciebant ergo ius illi eſſe, vt poſſet intereſſe; & aliquid ad eum de Synodo, præter reuerentiam, pertinere. Ille contra, nihil. Nihil enim fortè apud Barbaros. Quid agimus? Vtrum credimus Epiſcopis, qui pe-

tunt,

tunt, & putant rem licitam, ſic intereſſe; an homini Gotho non putant? ego Epiſcopis, Tu ſi vis crede Barbaro.

M. A. Quid credendum de reſponſo illius hominis Gothi, habes à Concilio ipſo. [Ad hæc Sereniſſimus Rex taliter, Deo aſpirante, reſpondit.] Hæc Concilium de Verbis Regis. Nos verò abſolutè credimus his, qui Deo afflante loquuntur, etiam ſi ſint Caiphæ, nedum Theodorici; tua tu credas fide contra, ſi libet. Nos barbarum nunquam damnare audebimus, quem Concilium commendat, tanquam inſpiratum à Deo.

Imponis deinde Lectori, dum dicis, quòd Epiſcopi petierunt a Rege, vt intereſſet Concilio, quòd ſe facturum negauit, illis verbis. [Regi Theodotico dixerant Epiſcopi cauſam Symmachi talem eſſe. Vt ſi Symmachus iuſtitiæ renitens eſſet, ſtatutis Canonicis non poſſet compelli; tamen Dominum Regem habere, quòd vellet faciendi facultatem. Tum ſequitur Concilium. Ad hæc Sereniſſimus Rex taliter, Deo adſpirante, reſpondit. Synodi eſſe arbitrio, &c.] Non petunt ergo Epiſcopi, quod dicis; atque abſolutè dicunt, nomine Pontificis, [Quòd ſi quid faceret Rex, contra Symmachum; id omne eſſet contra ſacros Canones.] Quam ergo Rex facultatem habebat faciendi, quod vellet, cum contrà ſacros Canones eſſet, erat Poteſtas Tenebrarum. Agnouit id Rex, & ideò afflante Deo, illo modo reſpondit. Nec ergo Epiſcopi contra Regem, nec Rex contrà Epiſcopos, vt dum illud commendamus, iſtus damnare cogamur. Tu quæſo, iam deſine hac ratione nobiſcum agere. [Tenue enim eſt mendacium, & perlucet ſi diligenter inſpexeris.

L. [Nec leuia tamen ibi ſunt, per Synodum impreſſa veſtigia, ex quibus manifeſto rem teneas; nempè aliquid ad eum de rebus Eccleſiæ, præter reuerentiam, Epiſcopos ibi putaſſe pertinere. Nam ex præcepto Theodorici (congregata eſt Synodus) & (decernere Synodus ſine Regia notitia non præſumit) & (procedunt ſecundùm principalia præcepta, quæ illorum huc tribuunt poteſtati) & quæ proxime ibi ſequuntur verba hæc ſunt (Committere Regem Poteſtati Pontificum, vt quid magis putarent vtile deliberarent) Habuit ergo aliquid, quòd committeret, præter reuerentiam; reuerentiam enim ſuam, credo, non commiſit. Collige iam. Synodum ibi Rex congregat. Illa, ſine regis notitia, nihil præſumit. Rex illorum poteſtati rem committit. Illi ſecundùm principalia præcepta, quæ illorum hæc tribuunt Poteſtati, faciunt quòd facto opus eſt. Pro Primatu hæc quidem argumenta ſunt, non contra Primatum.]

M. A. Verum eſt, [quòd ex præcepto Theodorici conuocata eſt Synodus,] (ſed, vt etiam aliàs videbimus) vbi Epiſcopi conuenerunt, arguere cœperunt Regem; quòd eos ad Concilium vocare auſus fuerit, cum hoc ad ſolum Pontificem Romanum pertineret, Petri ſucceſſorem. Nec quieuerunt etiam, licèt Rex dixerit. Se illos conuocaſſe, volente Symmacho, niſi poſteaquam per literas Symmachi, quas protulit, verum id eſſe probauit.

Verum eſt, [Quòd decernere Synodus, ſine regia notitia, non præſumit.] At multa, metu Principum, non præſumimus, quæ tamen ex Religione poſſumus; dicant Angli catholici, dicant Chriſtiani, qui ſub Imperijs degunt Principum infidelium.

Dicunt ſanè Epiſcopi procedere ſe [Secundùm principalia præcepta, quæ illorum hoc tribuunt Poteſtati.] His verò verbis notant illud reſponſum regis, redditum, Deo adſpirante, [Vt ſiue propoſitum vellent audire negotium, ſiue nollent, quod magis putarent vtile, deliberarent; nec aliquid ad ſe, præter reuerentiam de Eccleſiaſticis negotijs, pertinere. Viden quomodo Præceptum vocatur Reſponſum regis, quo nihil omninò iubetur? Ex eo autem, quòd Rex facultatem facit Epiſcopis, vt faciant, quod velint; & quòd Epiſcopi huius commiſſionis virtute negotium terminant, nihil pro Primatu colligere potes. Deo enim adſpirante, Rex confitetur, [nihil de iſtis negotijs ad ſe, præter reuerentiam, pertinere.] Et Conſtantinus etiam facultatem fecit, vt Chriſti fides poſſet teneri, & doceri; ad ipſam tamen Regum Primatum, ſine violentia, torqueri non poſſe, tu ipſe aſſeruiſti. Non modò ergo leuia, ſed nulla omninò ſunt in Concilio iſto veſtigia illius, quem prætendis, primatus; ſed illud contrà vos manet reſponſum, quòd afflante Deo, redditum eſt.

CAPVT XXI.

Ius confirmandi, & approbandi Concilia Generalia non eſſe Principum ſæculi.

IN hac Primatus parte, quæ attinet ad Concilia, Aduerſarij exultant, inſultant, & triumphos quaſi Victores canunt, vt dicat L. [Nec enim vſquam laborat magis cauſa Pontificia, quàm hac vna in re.] Et ſanè ſi probant, Ius confirmandi, & approbandi Concilia generalia Imperatorum eſſe, & Principum ſæculi, actum eſt de Sacerdotum primatu; vt è contrà, ſi non ſit Principum ſæculi, ſed Eccleſiaſtici ordinis, corruit regum ſupremus in Eccleſia & Primatus, & poteſtas. In hoc modo nobis eſt laborandum, in quo impoſſibile eſt, quod inquit Tertullianus, [Non reciprocare ſerram per eandem lineam, & plurima non afferre, quæ aduersùs illorum maiores, patres noſtri adduxerunt; cum & eadem illi obiectent, quæ millies protrita ſunt, tamen pro viribus, cum paupercula vidua, minutum ſaltem proprium in Gazophilatium Domini inferre conabor.

I. Cui neſas, & illicitum eſt, diuino iure, de cauſis ſacris, & Eccleſiæ iudicare, eidem neſarium magis, magiſque illicitum eſt, eodem Iure, Iudicia Eccleſiæ iam facta ſibi ſubijcere, eademque pro arbitrio reprobare, & infirmare. Cum ergo, vt iam probauimus, diuino iure, de cauſis Spirititualibus neſas ſit Principibus iudicare; ſupereſt, vt Conciliorum decreta, Canoneſque ab ijſdem confirmari, & approbari, tanquam à Superioribus non poſſint.

II. Nunquid Pontificatus Euangelij deterioris conditionis eſt, quam Pontificatus

legis?

legis? non ſanè, vmbra ille, & figura fuit iſtius; atqui Ciuilis poteſtas omnis, ſacræ illi (vt iam probauimus) ita ſuit ſubiecta, vt ad verbum Pontificis, princeps ingredi, & egredi (omnia ſcilicet facere) iuberetur; quare non leges ſacræ, a principe; ſed ciuiles potiùs a Pontifice approbari, & confirmari debebunt. Neque enim Saul Samueli, ſed Samuel Saluo, poſtquam Rea factus fuit, leges præſcripſit 1. Reg. 10. Huc referantur omnia, quæ ſuprà allata ſunt, vt excluderemus principem à Iudicijs Eccleſiæ; & hæc, multò efficacius concludent, contrà ius iſtud regium, approbandi, & confirmandi Concilia.

III. Non ne fatetur L, ipſe ſemel, & iterum iudicia Fidei, cauſas fidei ad principes ſæculi minimè pertinere? Fatetur, audiuimus iam, audiemus etiam; cum ergo potiſſimæ Conciliorum partes ſint de Fide Catholica, qui poteſt hic, ſine contradictione, ius confirmandi, & approbandi Concilia, ad Principes laicos transferre? Sed quoniam ſuper quibuſdam factis variorum conciliorum, Rex, & L, iaciunt fundamenta ſuæ opinionis; libens, hanc illis opinionem facio. Vel monſtrent ipſi vnicum tantùm concilium, a condito æuo, a quouis ſummo principe approbatum, & reprobatum, aut à Pontifice, aut a Concilio aliquo generali, ex vi illius approbationis, receptum fuiſſe in Eccleſia Dei; & meam inſcitiam confiteor. Vel probo ego, plurima concilia approbata à ſummis principibus, recepta non fuiſſe, non fuiſſe rata, ſed damnata in Eccleſia Catholica; multaque damnata ab iiſdem principibus, & reprobata, rata habita fuiſſe, haberique in eadem Eccleſia, & vici. Vbi Pontifex, & concilia conſentiunt cum Imperatoribus, non poſſumus ita apertè diſcernere, quænam ſit illa auctoritas, quæ vim legis ſacris Canonibus conciliorum præſtat; at vbi è regione ſtant Pontifices, & princeps laici, tunc apertè cognoſcimus, penès quem ſit ſuprema illa Poteſtas. Paucis percurram illa ſæcula, in quibus opinantur Aduerſarij, habere ſe primatus ſui maxima fundamenta.

Conſtantinus Magnus nulli Concilio ſuperiorem ſe conſtituit, nec auctoritate ſua Nicænis canonibus legum vim præbuit. Teſtatur id Athanaſius, qui concilio Nicæno interfuit, Fideique Nicenæ, quò ad vixit, fuit propugnator acerrimus propter illam innumera paſſus.

[Quando, inquit, a condito æuo, auditum eſt, quòd iudicium Eccleſiæ ab Imperatore auctoritatem ſuam accepit? Plurimæ antehac Synodi fuere, multa Eccleſiæ iudicia habita ſunt; ſed neque Patres huiuſmodi res principi perſuadere conati ſunt.] Alloquebatur Conſtantium Coſtantini Filium, & vſque ad illa tempora aſſerit, [Inauditum fuiſſe, vt iudicium Eccleſiæ acceperit auctoritatem ab Imperatore.] Cum itaque, pro ſibi ingenita pietate, Conſtantinus nullam repudiauerit catholicam Synodum, nullamue reprobatam approbarit, non potuit ſuggerere, vndè cognoſceremus, quanta eſſet in concilijs Imperatoris Poteſtas.

Conſtantinus Iunior, Conſtans, & Conſtantius Imperium Patris acceperunt; ea his Conſtantius alijs ſuperſtes, & hæres totius Imperij, Ius confirmandi Concilia, eademque reprobandi ſibi primus accipuit; id quomodo ei ceſſerit, audiamus. Is, teſte Socrate lib. 2. cap. 41. (quod etiam ſuprà agnouit L,) nouem varias formulas fidei in varijs concilijs formatas, ex quibus tria ſaltem generalia ab Hæreticis dicuntur, Antiochenum ſcilicet, Mediolauenſe, & Ariminenſe approbauit, & confirmauit. Athanaſium, & alios Epiſcopos è ſedibus deiecit, Arianos plures reſtituit; nunquam vel Epiſcopi depoſiti, pro depoſitis habit ſunt; vel expoſitiones fidei receptæ; vel reſtituti, pro reſtitutis habiti, in Eccleſia Catholica. Tamen ſi Conciliorum Decreta approbata, & confirmata ab Imperatore, vim legis habent, hæc omnia probari, & venerari in Eccleſia oportebat. At ſancti Patres tantum abeſt, vt hæc probarent, vt potiùs Athanaſius, Imperatorem ideò appellaret Antichriſtum, Oſius diceret idcircò illum magno crimini obnoxium fieri, & neſaria perpetrare; Lucifer dignum morte iudicaret. Hilarius longè aſperiùs in eundem inueheretur.

Im mò illud idem Concilium Ariminenſe, quod poſtea eiuſdem Conſtantij minis deterrtum in Nicænam fidem peccauit, Ius iſtud ſuper Decretis concilij Imperatori non eſſe, apertè, & liberè dixit. Cum enim Nicænam Fidem concilium iſtud confirmaſſet, depoſitis Vrſacio, & Valente, de geſtis ſuis, per legatos, fecit certiorem Conſtantium. [Imperator id moleſtè ferens iuſſit Epiſcopis, vt Adrianopoli expectarent, vbi ille eos andiret, vt perciperet, & probaret, quæ attuliſſent. Synodus autem ad ea reſpondens affirmauit, ſe haudquaquam à ſemel decretis diſceſſuram, idque ſe legatis in mandatis dediſſe.] Tantum verò non auſa fuiſſet Synodus, ſi credidiſſet, Imperatori per Ius id licere, & apud Theodoretum maioris libertatis argumento ſunt eadem met verba epiſtolæ concilij. [Nos tibi ſignificauimus, nullo modo à propoſito nos diſceſſuros; quod & ipſum iterum docemus, his literis, tuam Clementiã.

Iulianum Apoſtatam, & Iouianum omitto, illum quidem ob impietatem, propter quam eius geſta non poſſunt eſſe argumento, quid ex fide, & Religione ſentiret; iſtum verò, quia eius tempore nullum legimus fuiſſe conuocatum generale concilium.

Valentinianus, & Valens, Iouiano in Imperio ſuccedunt; Valentinianus; Catholicus, Valens, Arianus; Valentinianus tantùm abeſt, vt ſe ſuprà Concilia eſſe arbitraretur; vt (quod iam vidimus) requiſitus de conuocatione Coucilij Lampſaceni, negauerit Eccleſiaſtica ad ſe pertinere, Cum eſſet in forte Plebis, & Sozomenus lib. 6. cap. 22. de eodem teſtatur. [Quòd neque Sacerdotibus imperaret quicquam, neque alias ſibi Eccleſiaſticas leges, vel in peius, vel in meliùs nouandas eſſe iudicaret.]

Valens, in Oriente, Eccleſiam Chriſti dire preſecutus eſt, & Arianiſmum mirificè promouit; abſit verò, vt Catholici crediderint, illi Ius vllum ſuper vniuerſa Eccleſia fuiſſe; immò illo inuito, Epiſcopi, qui eius iuſſu ordinati fuerant, pulſi ſunt, ex ſententia Papæ Damaſi; & qui ab ipſo deiecti fuerant, is reſtituit. Sozom. lib. 7. cap. 39. Vide tu modò, an Imperator tunc temporis crederetur

retur ſuprà Concilium: credebatur enim ſubiectus Pontifici, quem tu Concilio ſubicijs.

Gratianus, Valentinianus Iunior, & Theodoſius Magnus (vt Maximum tuum taceam) Valentiniano, & Valenti ſuccedunt. Hos approbaſſe, vel reprobaſſe, contrà Eccleſiam, vel Pontificem, Concilium aliquod eorum tempore celebratum non conſtat. Aſſenſiſſe Theodoſium Concilio Conſtantinopolitano primo (quòd omnium Chriſtianorum eſt) legimus certè, at vt ſuperiorem Decretis illis vim præbuiſſe legum, minimè legimus. Ita de illis approbatione Socrates. [Hiſce conſtitutionibus, etiam Imperator adſtipulatus eſt, & Sozomenus. Et hæc quidem Synodo ad hunc modum, placuerunt, & Imperator conſenſit.] Quæ geſta ſunt Mediolani ab Ambroſio cum eodem Imperatore, nemo ignorat. Ex quibus facilè quiſque cognoſcet, illum crediſiſſe ſubiectum ſe, non ſuperiorem Concilijs, qui enim ſubijciet ſibi omnes Epiſcopos, qui vni tantùm Epiſcopo ſe credit ſubiectum?

Archadius, & Honorius filij, Patri Theodoſio ſuccedunt; Sub Archadio habetur concilium Conſt. & deponitur ſanctus Ioannes Chryſoſtomus; huic Concilio adhærens Imperator, eundem ſanctum deportari iubet. Annullatur Concilium à ſancto Innocentio Romano Pontifice, & Imperatori cum ſautoribus dicitur Anathema. Nunquam, inter ſacras Synodos, habitum eſt Concilium iſtud, nunquam rata Chryſoſtomi depoſitio, in Eccleſia Dei.

Sub Theodoſio Iuniore, qui Archadio Patri in Oriente ſuccedit, habentur duo concilia, vtrumque Epheſi, vtrumque ab Imperatore probatur; at à Pontifice Romano priùs tantùm, at non poſterius, cui non conſentit, immò repugnat. Priùs ideò vt ſanctum habetur, poſterius, vt profanum repellitur, & Epheſinum Prædatorium nuncupatur. Teſtatur Chalcedonenſe Concilium. In Chalcedonenſi denique Martianus dum reuocat conſtitutionem Theodoſij Iunioris, contrà S. Flauianum, ait. [Nihil obſit Euſebio quoque, & Theodoreto religionis Epiſcopis, qui eadem lege continentur; quoniam non poteſt Sacerdos conſtitutione damnari, quem Synodicum ornat, ſuper conſeruanda religione, Decretum.] Ex his itaque apparet, ius confirmandi Concilia generalia Imperatores nequaquam habere, habuiſſeue nunquam; reſpuuntur enim in Eccleſia, quæ ab ipſis approbantur, approbantur autem, & recipiuntur, quæ ab ipſis reprobantur. Quod ergo Ius illis? Quæ ab aduerſarijs objciuntur, ſimul diluam cum alijs, quæ pro Primatu Regis nobis opponunt.

Atque ita ex his aduersùs Regem colligere poſſumus. [Supremam in Eccleſia poteſtatem non habet, niſi qui Conciliorum Generalium decreta confirmandi, & approbandi.

Atqui nulli Principum temporalium Ius iſtud competit.

Nullus ergo Princeps, rerum Eccleſiaſticarum ſupremus eſt Gubernator. An Pontifex Romanus iſtam poteſtatem habeat, in Controuerſia de eius Primatu, diſcutiemus. Cætera, quæ adduci poſſunt pro noſtra ſententia, omitto; paſſim enim leguntur, in noſtris Catholicis Auctoribus, & multa à Cardinali allata audiemus, in quæſtione de Primatu Pontificis, de qua alias.

CAP. XXII.

Supremum Ius in conuocandis Concilijs non eſſe Principum ſæculi.

A Conuocatione paucis me expediam.

I. Si oues conuocare, & paſcere Paſtorum eſt, non ouium; cum Principes ſæculi (vt iam fusè probauimus) oues ſint in Eccleſia Dei, non Paſtores; ad ipſos dubio procul Ius conuocandorum Conciliorum non pertinebit.

II. Nunquam in Eccleſia Dei decretum eſt, Ne ſine Imperatoris, alteriuſue Principis auctoritate Concilia generalia poſſent conuocari; Decretum verò eſt in Concilio Nicæno primo, ne poſſent conuocari, ſine conſenſu Pontificis Romani; quare nullus Princeps temporalis in conuocandis Concilijs ſupremam poteſtatem habet. Decretum Concilij hoc eſt. [Non oportere præter ſententiam Pontificis Romani, Concilia celebrari.] Non dicit præter ſententiam Imperatoris, ſed Pontificis Romani.

Iulius verò primus, Pontifex Romanus, iureiurando teſtatur, in epiſtola prima ad Orientales, ſe ab exemplari authentico concilij Nicæni hunc Canonem retuliſſe.

Hoc decreto munitus Pontifex iſte, Athanaſium Alexandriæ, Paulū Conſtantinopolis, Marcellum Ancyræ, & Aſclepiam Gazæ Epiſcopos, reſtituit in ſedes ſuas, reſciſſis, & annullatis geſtis Concilij Antiocheni. Quod Concilium tamen, Conſtantio Imperatore probante, & conſentiente, conuocatum fuerat; qui etiam Antiochiæ tunc temporis morabatur. Ergo ius ſupremum conuocandi Concilij non erat penès Conſtantium; alioquin nunquam irritum haberi potuiſſet Antiochenum, quod, ipſo conſentiente, ſed non conſentiente Iulio, conuocatum fuerat.

Et ingenuè loquamur. Si Principum ſæculi, ſcilicèt vel Imperatoris, vel alterius cuiuſlibet eſſet Poteſtas conuocandorum Conciliorum, quando vnquam Concilia generalia conuocari poſſent? Volet Cæſar, nolet Anglus, volet iſte, nolet Gallus, nolet Hiſpanus; nunquam ergo conuocabuntur.

Hinc factum eſt, quòd cum primum Concilium habitum eſt Hieroſolymis ab Apoſtolis, non Romanorum Præſes multitudinem conuocauit, ſed Apoſtoli ipſi. Congregantes autem duodecim multitudinem. Nec à Cæſare facultas poſtulata eſt, quamuis eſſet orbis Dominus, & Princeps temporalis. Denique hanc noſtram ſententiam confirmant omnes illæ rationes, quibus probauimus, Principibus nullum ius eſſe in ſacris. Legantur cætera in Cardinalibus, Turrecremata, & Bellarmino. Oſtendimus hactenùs, Regem non in cauſis, non in rebus ſacris ius vllam habere; non poſſe approbare, non conuocare Concilia; eius ergo Primatus longè exulat ab Eccleſia Chriſti: Reliquum modò eſt, vt ea diluantur, quæ contra allata ſunt.

OBIE-

Digitized by Google

OBIECTIONES EX VETERI TESTAMENTO.

CAPVT XXIII.

Diſcutitur præfatiuncula L, in teſtimonia Veteris Teſtamenti, pro Primatu Regis

IN Apologia ſua Rex Iacobus, ex verbo Dei, Primatus Anglicani cauſam egit præproperè, & curſim; cui cum eadem celeritate occurriſſet Illuſtriſs. Cardinalis, occaſionem præbuit L, vt controuerſiam iſtam altiùs repetens, ita ſe geſſerit, vt verè dicas, credidiſſe, quòd ait. Arcem iſtam eſſe cauſæ totius. Ita verò aggreditur, præmiſſis de more non paucis conuitijs.

L. [Amore, inſtitutoque Iſraelis orditur Apologia; indè enim vim habet, atque neruos ſuos, quæſtio hæc omnis. In Iſraele enim populo ſuo Regnum inſtituit Deus, & Eccleſiam in Regno ex mente ſua. Exemplum indè nobis ſumendum eſt, cum in Teſtamento nouo nullum habeamus. Nuſquam ibi in vnum coaluerunt Eccleſia, & Imperium; procul ſe habuit Imperium ab Eccleſia. Quare quæ penès Regem in Religione Partes ſunt, indè nobis petendæ, vel gemellæ quaſi ſunt, & amicè conſpirant Politia, & Eccleſia; non vbi ſecedunt ab inuicem. Ab illo igitur fonte Iſraelis arceſſimus hanc cauſam, & ab eo exemplo (vbi ſimul ſunt, vbi Eccleſia in Regno) Eccleſiæ, Regnique noſtri regimen informandum.]

M.A. Potuiſſet ſanè Aduerſarius paucioribus verbis rem eandem melius referre, veritas enim nuda ſemper pulchior; At tot iterationibus, inuolucris, & integumentis verborum ipſam obuoluit; vt ſtatim quiſque cui ſit naſus, mendacium, vel errorem longè ſubodoret. Ita credidi ego, maximè, qui iam ingenium hominis noui, nec ſanè deceptus, nam

Primò decipit L, dum dicit, In Iſraele enim populo ſuo regnum inſtituit Deus, & Eccleſiam in Regno, ex mente ſua. Decipit inquam; Eccleſia enim fuit, vel malis dicere, Synagoga populus Iſrael, antequam eſset Regnum, longo admodùm tempore. Elapſi quippè erant anni ferè 400. à morte Moyſi, cum Hebræi à Samuele Regem poſtularunt. Non ergo Eccleſia in Regno, ſed Regnum in Eccleſia inſtitutum eſt.

II. Decipit, dum vult, credamus, Deum inſtituiſse Regnum, Ex mente ſua. Hoc verò eſt apertum mendacium, contrà manifeſtū Dei Verbum. Ex mente ſua volebat Deus, longè abeſse Regnum à Synagoga, diſplicuitque admodùm illi, cum Hebræi Regem poſtularent; ſeque, illa petitione, contemptum declarauit. Non te abiecerunt, inquit, ſed me, ne regnem ſuper eos. Et populus ipſe cognouit, & confeſsus eſt poſtea, ſed Regem petijſſe contrà mentem Dei; hinc ſupplex Samuelem orauit. [Ora pro nobis ſeruis tuis, ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur, addidimus enim vniuerſis peccatis noſtris malum, vt peteremus nobis Regem.] Nec ergo in Iſraele Eccleſia inſtituitur, in Regno; nec Regnum inſtituitur, ex mente Dei; niſi ea ratione, qua mala omnia. Malè itaque cœpit L, iacere fundamenta arcis ſuæ. Nos verò hiſce præiactis fundamentis, quòd ſcilicèt Regnum inſtituitur in Eccleſia, & contra mentem Dei. Concedimus tamen (vt vel etiam ex proprijs principijs aduerſarij refellamus eius errorem) quòd ab illo fonte Iſraelis arceſſenda eſt cauſa, & ab eo exemplo, Eccleſiæ, Regnique noſtri regimen informandum. Cæterùm audi. Nolumus Regem, qualis eſt, ſed qualis ex lege Dei eſſe debet; qualis nempè formatur, Deuteron. 17. & apud Ioſephum lib. Antiq. 4. cap. 8. Inſuper volumus Reges, ſola regia dignitate ornatum; non autem prophetica etiam; nam ſi trahere velis in conſequentiam, quæ Reges vt Prophetę fecerunt; Supereſt, vt facias etiam regem tuum Sacræ Scripturæ conditorem, & diuinę legis interpretem, quod illi competere inficiatis. Præterea, quando de Regis poteſtate ſermo eſt, eam ad noſtros Reges transferre permittimus, quę Regibus Iſraelis iure debebatur; at non illam, quæ ex aliqua ſpeciali Dei ordinatione, ex diſpenſatione eiſdem aliquando fuit commiſſa. Demùm; ſi quidquam fecerunt boni Reges Iſrael, quod eorum poteſtatem excederet, id nolumus Reges noſtros poſſe; Reges enim boni Iſraelis interdum aliqua ex ignorantia diuinæ legis fecerunt. Quærimus verò non quid ex ignorantia, ſed quid ex lege poſſint.

L. [In Iſrael autem nondum os reperi tam durum, quod negare etiam auderet, præcipuas in re Religionis partes, penès Regem extitiſſe.]

M. A. Os Dei, Os durum certè non eſt, docet tamen, plurima teſtimonia audiſti iam, non modò in re Religionis, ſed etiam in re populi, præcipuas partes eſſe debuiſſe, non Regis, ſed ſummi Sacerdotis.

L. [Vel vno hoc argumento. Quod, per ſacræ Hyſtoriæ ſeriem totam, mutato noui Regis animo, mutata ſemper eſt facies Religionis, eaque in Religione mutatio Regi ſem-

ſemper aſcribitur, quaſi factum eius.]

M. A. Ineptum argumentum. Fatetur etiam Pontifex Romanus. Mutato animo Henrici VIII. in Anglia, mutatam fuiſſe faciem Religionis, eamque mutationem eidem aſcribit, quaſi factum eius; non tamen idcirco credit Pontifex, primas in re Religionis eſſe Regis Angliæ. Eadem etiam eſt mens ſacræ Scripturæ.

Pariter, ſi Iacobus Sextus ad gremium rediret Eccleſiæ, denuò mutaretur ibi facies Religionis, ipſique adſcriberetur mutatio iſta, vt factum eius, etiam ſi Puritanus eſſet: potiſſima tamen pars mutationis in hoc conſiſteret, quòd primæ partes in Religione penes ipſum non forent. Factum eſt hoc tunc temporis, ſemperque fiet, nam

Totus componitur orbis
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.
Mobile mutatur ſemper, cum Principe, vulgus.

L. [Nec Pontifices vnquam, vel præſtare poterant, vt fieret mutatio in melius; vel ne fieret in peius, impedire. Penès eos autem ſi Religionis tum ſumma fuiſſet; aliquis aliquando Pontifex, etiam Rege ſecus affecto, præſtitiſſet hoc tamen, vt cultum Dei illibatum pars aliquâ populi ſaltem retineret.]

M. A. Si Regum, & non Pontificum ſumma erat in Religione poteſtas, oſtendere deberes vnum ſaltem Pontificem, in tota Scriptura, deſeruiſſe Religionem propriam, & adhæſiſſe Religioni Regis. Ego ſanè tale quid nunquam legi, repræhenſum nunquam in Scriptura vidi Pontificem aliquem, De praua Religione. Cæterùm qua fronte dicis. [Nunquam præſtitiſſe Pontificem, vt cultum Dei illibatum, pars aliqua populi retineret?] Vbi Ieroboam in Idololatriam prolapſus eſt, ſcis, dixi iam, omnes omninò Leuitas, id eſt 39. integras Vrbes illius Religioni non conſenſiſſe, ſed in Iudam ad Pontificem migraſſe, & ad Templum Dei, verùm Leuitis alios etiam adhæſiſſe. Audi eodem cap. [Sed & de cunctis tribubus Iſrael, quicunque dederant cor ſuum, vt quærerent Dominum Deum Iſrael, venerunt in Hieruſalem, ad immolandum victimas coram Domino Deo Patrum ſuorum.] Achabo verò, & Iezabele Religionem Dei miris modis vexantibus, poſt carceres, poſt tormenta, poſt mortem plurimorum Prophetarum Domini, adhuc Deus ad Eliam dicit. [Et derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incuruata ante Baal, & omne os, quod non adorauit eum, oſculans manum.] An non ſeptem millia virorum pars aliqua populi? Et 18. capite eiuſdem libri vidiſſe poteras, [Abdiam diſpenſatorem domus Regis Achab, abſcondiſſe centum Prophetas Domini in duabus ſpeluncis, eoſque pauiſſe, ne à Iezabele interficerentur.] Ergò, non omnis populus ſemper adhæſit praue Religioni Regis ſui; ſed cum Sacerdotibus, & Prophetis in vera Religione ſtetit. Et eius aliqua pars. His prælibatis, quæ tot erroribus ſcatent, & progreditur L, ad exemplum Regum Iſrael. Ipſum ſequamur.

CAP. XXIV.

Regis Ioſaphat exemplum non aſtruere, ſed deſtruere Regis Primatum.

Dixerat Rex; Quòd ſub veteri Teſtamento Reges propriè erant Gubernatores Eccleſiæ, allegaueratque 2. Chron. 19. 4. Reſpondit Card. [At ne nomen quidem Eccleſiæ eo loco legitur.] Cardinalem vrget aduerſarius, & inquit.

L. [Hic ita properè tranſcurrit noſter *podas vcys*, vt nec nomen, eo loco, legere poſſit Eccleſiæ. Subſiſtat paululùm, & leget, non totidem ſyllabis, ſed Eccleſiam tamen. Quid eſt enim Eccleſia, quam populus ad verum Deum reuocatus? Legitur verò verſu illo. Egreſſus verò Rex ad populum de Berſabee, vſque ad montem Ephraim, reuocauit eos ad Dominum Deum Patrum ſuorum, reuocauit ad Deum, id eſt fecit, vt eſſent Eccleſia.]

M. A. Nomen Eccleſiæ conſtat ex quatuor ſyllabis; quare ſi Eccleſia totidem ſyllabis ibi non legitur, ſanè nomen Eccleſiæ ibi non legitur. Nec definitio Eccleſiæ ibi reperitur. Eccleſia enim ſignificat conuocationem fidelium, non reuocationem; Si enim Eccleſia eſſet reuocatio, ſequeretur, quòd illi, qui non receſſiſſent à Deo, Eccleſia dici non poſſent. Itaque ſi nec nomen, nec definitionem Eccleſiæ ibi legis, quomodo Eccleſiam ibi legas? Nec tandem ſequitur, vt ſi quis errantem populum, ad Deum reuocare ſatagat, is ideò ſit ſupremus Eccleſiæ Gubernator, & primas ſpiritualis. Si enim Turcarum Imperator efficeret, vt Turcæ reciperent fidem Chriſti, & Romanam Religionem; nunquam ideò colligi poſſet, quòd non Pontifex, ſed Othomanus haberet primatum Eccleſiæ. In populo Iſrael regnum eſt; eſt & Eccleſia; ſuum vtrique caput; iſtius Pontifex; illius Rex; efficit Rex, vt ſit Eccleſia non ſub ſe, ſed ſub capite ſuo. [Amarias autem Sacerdos, & Pontifex veſter in his, quæ ad Deum pertinent præſidebit.] Audi Cardinalem.

Card. [Et in eodem capite diſtinguitur officium Regis, ab officio Pontificis. Amarias Sacerdos, & Pontifex veſter, in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit; porrò Zabadias filius Iſmael, qui eſt Dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.] Non igitur Rex primatum habet in Spiritualibus, cum ea ad officium eius non pertinerent.

L. [Reuocauit ad Deum, id eſt. Fecit, vt eſſent Eccleſia, fecit autem id auctoritate ſua regia, qua & conſtituit ipſe poſt ad verſum 8. Iudices in Hieruſalem de Leuitis, Sacerdotibus, & principibus familiarum ex Iſrael, ad cauſam Domini iudicandam, vbi quæſtio eſt de lege, & cæremonijs. Quæ verò maior auctoritas, quàm dandi, deligendi iudices ad res ſacras?]

M. A. Diù ante Ioſaphat, dum Moyſes adhuc in viuis ageret, vt ſuprà probauimus, Deus ipſe conſtituerat propria auctoritate Sacerdotes, & Leuitas, perpetuos Iudices eorum

eorum omnium, quæ ad legem, & cœremonias pertinerenc. Sua ergò conſtitutione, nihil de ſuo conceſſit Ioſaphat Sacerdotibus; tancum reſtituit, quantum Idololatria abſtulerac, illud reddidit Sacerdotibus, quod eiſdem antea Deus conceſſerac.

Poteſtas verò reſtituendi nullam annexam habet ſperioritatem in eo, qui reſtituit; vel ſubiectionem in eo, cui fit reſtitutio. Reſtitutio non ſupponit prælationem, & auctoritatem, ſed iniuſtitiam præteritam, & in ſacris ſacrilegium. Nos quoque, qui negamus Regis primatum, fatemur, poſſe Regem Angliæ ſancire, vt Sacerdotes ſoli ſint iudices quæſtionum de lege, cœremonijs, & eorum omnium, quæ ad Deum pertinent. Tantum verò abeſt, vt hac ſanctione primatum ſuum Rex augeat, vt potiùs illum imminuac, & à ſe remoueat. Vide ergo, vndè argumenta emendicaris; locus iſte omninò contrà vos eſt.

L. [Vide verò, vt curſim legerit Tottus. Non enim diſtinguitur ibi, vt ait, officium Regis, ab officio Pontificis. Nimis feſtinauit, Proregis quidem diſtinguitur. Non enim Zabadias filius Iſmael Rex, ſed Dux in domo Iuda. Quare Præfectus modò Regis, ad res Regni; Idem ille Rex, ad res Domini, illis, quos 8. verſu conſtituerat, iudicibus, Pontificem præſidere iuſſit, prouinciam ſuam vtrique diſcriminauic, Duci, quæ ad Remp. Pontifici, quæ ad religionem. Quo facto nonminùs hæc, quàm illa docuit, ad Regis in primis curam pertinere, cum & reducere populum ad Dei cultum, & reuocato Iudices dare, auctoritate ſua poſſet, & inter Iudices cauſas diſpartiri, & quis præſideat, & ad quas, iure regio præſcribere, verba enim illa lectionis vulgatæ, quæ ad Regis officium pertinenc, quæ tibi currenti aciem perſtrinxerunt, nuſquam in fonte ſunt. Res Regis ibi dicuntur, quæ ſcilicet ſpectabunt ad terrenam politiam, vt Dei, quæ ad cœleſtem.]

M. A. Et Regis, & Proregis officium diſtinguit Ioſaphat, ab officio Pontificis; Prorex præſideat omnibus, quæ pertinent ad officium Regis; Pontifex præſideat omnibus, quæ pertinent ad Deum. Hæc eſt ſententia Ioſaphat; quare ſi omnibus, quæ pertinent ad officium Regis præſidet Zabadias, non præſidet autem his, quæ ad Deum pertinent; certè, quæ Dei ſunt, ad Regis officium non pertinebunt. His verò præſidebit Amarias Pontifex. Regis ergo, & Proregis officium optimè hic diſtinguitur, ab officio Pontificis. Pertinere non negamus, aliquo modo, res Dei ad Regem; nempè vt ad miniſtrum, executorem, protectorem, defenſorem Eccleſię, negamus pertinere, vt ad ſupremum Eccleſię Gubernatorem. Hoc modo ad ſolum Pontificem pertinent; nec vnquam efficies, vt ſi Rex Iacobus iubeat Britannos redire ad Eccleſiam Romanam; ſi ſanciat, ciuiles Iudices ea ſolummodo pertractare, quæ ad ciuilem Remp. pertinent; Eccleſiaſticos, quæ ad Religionem, & horum caput decernat eſſe Pontificem; non efficies, inquam, vt hinc tantillum iuris ſuo primatui addat. Sola hæc via eſt euertendi primatus. Diſtingue reſtitutionem à conceſſione, vel conceſſionem facti; à conceſſione iuris, & ità cognoſces, nugas agere te, &, vt aiunt, Laruis Leonem terrere. Hæc dicta ſunt pro reliquis repetitionibus tuis, quas ad nauſeam, vſque multiplicas.

Malè reprehendis editionem vulgatam, nam ex verſione Valabli, & Pagnini efficaciùs concluditur contra primatum veſtrum; interpretantur enim locum iuxta Deuter. 17. vt ipſum quoque Regem iudicio Pontificis ſubijciant. Quòd ſi tamen, vt vis, rebus Regis præſidere iubeatur Zabadias, rebus verò Dei, Amarias; patet, quæ Dei ſunt, Regię non ſubeſſe poteſtati; nam contra diſtinguuntur res Dei, à rebus Regis, negotia, & cauſę ad Deum pertinentes, à negotijs, & cauſis, quæ ad Regem; quare non modò ab officio Proregis, ſed etiam ab officio Regis diſtinguitur officium Pontificis.

CAP. XXV.

De Dauide, quod primum obijcitur, ad rem non eſſe.

REx. Reges, corruptelas purgauere, abuſus ſuſtulere, 2. Samuel. 5.6.

Card. [At nihil huiuſmodi legitur, in loco citato; niſi ſit error in numeris. Quamquam etenim non negamus, poſſe, ac debere Reges corruptelas, & abuſus, ſiuè in moribus, ſiuè etiam in doctrina, poſt Eccleſiæ declarationem, legibus, & ſupplicijs purgare, ac tollere.]

L. [Repurgaſſe corruptelas, ſuſtuliſſe abuſus, non negat Dauidem; de loco citato paululùm hæſitat. Vbi myſticè id fortè intellexit, quod alibi ſæpè dicitur ad literam. Locus eſt de cęco, & claudo tollendo per Dauidem; nimirùm ſi ad Dauidem ſpectet de templo cęcum, & claudum tollere, ſpectare, & illud, vt omnes abuſus tollat. Nec enim aliundè abuſus exiſtere, quam vel de inſcitia, quod cæci ſint homines, vel de iniuria, quod in officio Claudi ſint.]

M. A. Locus Scripturæ eſt hic. [Et abijt Rex, & omnes viri, qui erant cum eo in Hieruſalem, ad Iebuſæum habitatorem terræ; dictumque eſt Dauid ab eis. Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cęcos, & claudos, dicentes: Non ingredietur Dauid huc. Cępit autem Dauid arcem Syon, hæc eſt ciuitas Dauid. Propoſuerat enim Dauid in die illa pręmium, qui percuſſiſſet Iebuſæum, & tetigiſſet domatum fiſtulas, & abſtuliſſet cęcos, & claudos odientes animam Dauid. Idcircò dicitur in prouerbio. Cœcus, & Claudus non intrabunt in Templum.] Animaduertunt interpretes, quòd Iebuſæi in contemptum Dauid Cœcos, & Claudos in muris collocarant, qui ipſum irriderent, dicentes, quòd Ciuitatem Syon non ingrederetur. Ideo Dauid propoſuerat præmium ijs, qui Cæcos, & Claudos illos è muris deieciſſent. Deiecti ſunt, & quia, in illa Ciuitate, Dauid ędificaturus erat Templum, & quia cæci, & claudi Syonitæ deſtructi fuerant, in prouerbium tranſijt [Cęcus, & Claudus non intrabunt in templum.] Hinc verò velle tribuere Dauidi ius aliquod eijciendi de Templo Cęcos, & Claudos, inſulſum eſt. Rectè ergò dixit Cardinalis, quòd nihil huiuſmodi legitur in loco citato.

L [Enim

[L. Enimuerò & de aliis ſæpè, & præcipuè de ea (quòd populus adoleret in excelſis) corruptela, per Reges non ſublata, totiès tam clara voce de Regibus quæruntur ſacræ literæ, vt locus nullus legationi relictus ſit. Non negat ergo Tortus Regi id ex officio incumbere, vt etiam qui in doctrina ſunt, abuſus, & corruptelas tollat; ſed poſt Eccleſiæ declarationem. Nos verò citra declarationem omnem, vbi repurgatæ ſunt corruptelæ, per Reges docemus. Tortus verò loca aliquot apponere debuit, vbi illa Eccleſiæ declaratio præceſſit, quæ niſi præceſſit, Regis nullum tum erat, vt videtur, officium. Sed Regi erat in promptu excuſatio: [Non ſuſtulim Eccleſia enim non declarauit.] Eccleſia proindè culpanda, non Rex, quòd nihil mouere debet, nec excelſa diruere, niſi poſtquam id ita faciendum declarauit Eccleſia. Atqui Regi id ſemper, Eccleſiæ nunquam vitio datum legimus, quòd excelſa ſteterint. Regi ergo, ſiue declaret hoc, ſiue non declaret, etiam antè Eccleſiæ declarationem, id ex officio munus incumbit, deque eo neglecto, Deo rationem redditurus eſt. Tota igitur mentio declarationis Eccleſiæ, præterquamquod ficititia eſt, hic etiam eſt intempeſtiua.]

M. A. Bone Deus, quantum audet hic homo, & quàm ſtolidos credit omnes lectores. In his, quæ in lege expreſſa non ſunt, opus eſt declaratione iudicis; quid verò magis declaratum, expreſſum, repetitum in lege Dei, quàm vt vnus colatur Deus? Nullum certè præceptum iſto clariùs, frequentiùs, quare hac in re non erat opus declaratione Eccleſiæ. Si verò declarationem Eccleſiæ requiſitas, ſcito quando Ieroboam Deum dereliquit, ab eo receſſiſſe omnes Leuitas; ſcito de Iuda ad eumdem ſacrificantem eſſe miſſum hominem Dei, qui ipſum admoneret erroris; ab Elia verò, Eliſæo, aliiſque omnibus Prophetis ad Reges Iuda, & Iſrael, id perpetuò prædicatum fuiſſe. Et tu vbi hæc legiſti, aſſeree non erubeſcis. [Eccleſiam fuiſſe culpandam, non Reges,] quippè quæ eos non admonuiſſet erroris?

In his, quæ in quæſtionem cadunt, liceantne, an non ſecundùm legem Dei, opus eſt declaratione Eccleſiæ. In his faciat Rex, quod iubet Deus. [Qui noluerit obedire Sacerdotis Imperio, ex decreto iudicis, moriatur.] In his verò, quæ manifeſtè ſunt contra legem Dei, nec in quæſtionem veniunt in Eccleſia Catholica, quippèque expreſſa ſint, imitetur Rex quilibet Ioſiam, & rectè faciet; Nunquam reprehendi poterit Othomanus, ſi Mahometis Aras diruat, Meſquitas euertat, & ſummam laudem Theodoſius Magnus eſt conſequutus, qui Idola comminuerit, penitùs deletis eorum templis. De celebratione verò Paſchæ, de Diuinitate, Natura, & Perſona Chriſti, de Deitate Spiritus ſancti quæſtione orta; ſententia Eccleſiæ requiſita; poſt hanc latam, Imperatores legibus, & ſupplicijs abuſus, & corruptelas de Eccleſia tollere ſategerunt. Antè hanc, ſibi nefas eſſe putarunt, quicquam decernere. Nec igitur mentio de Declaratione Eccleſiæ ficititia eſt, nec intempeſtiua, rem tene. Vbicumque quæſtio oritur. An ſecundùm legem Dei quidquam ſit, vel bonum, vel verum, expecta declarationem Eccleſiæ, hanc exequere. Vbi verò nulla quæſtio in Eccleſia, an quidquam verum, vel bonum iuxta legem Dei, ſed tota conſentit; tunc ne expectes, Ezechiam imitare.

CAPVT XXVI.

De Dauide, quòd ſecundò opponitur, nihil concludere, pro Primatu.

Rex. [Arcam ad conſtitutum quietis locum perduxere 1. Chron. 15. 12. & eidem arcæ deportandæ ipſi præſultauere, 2. Sam. 6. 14.]

Car. [At non ſoli Reges, ſed etiam Sacerdotes communi conſilio Arcam deduxerunt, & licuit quidem Dauidi Regi ludere, ac ſaltare ante Arcam, quod humilitatis, & reuerentiæ erat; non tamen licuit illi Arcam contingere, quod poteſtatis Sacerdotalis erat.]

L. [Reportaſſe arcam agnoſcit, ſed Sacerdotes vnà idem hoc feciſſe cum Rege. Quid ſi autem vna? Regis in eo partes præcipuè. Quis interfuit, non quæritur, ſed quis præfuit, de Primatu enim agitur. Præeunte hoc, illius Imperio factum, nec vel autè, vel omninò factum, niſi poſtquam Regis ad illud auctoritas interuenit.]

M. A. Dauid Rex erat, ſed erat Propheta, & præterea nihil egit circa Dei Arcam, niſi iubente Deo, vt videbis capite ſequenti. Sit Rex tuus Propheta, Deus illi præcipiat ſingulariter, quæ ſacra tangunt; & tunc ſine ſacrilegio, de re præcepta, illi Primatum cedemus. Cæterùm animaduerte, plurimos Prophetas depoſuiſſe multos Reges, multos creaſſe. Samuel à Saulo, in Dauidem Regnum tranſtulit, Ahias à Roboamo in Ieroboamum, Eliſeus ab Achabo in Iehu, peremptis 70. Filijs, & 40. Fratribus eiuſdem Acabi: Vel ergo Prophetis rerum etiam temporalium, & Regum ipſorum primatum concede; vel quæ reſpondes ad iſta pro tuo primatu temporali, accommoda tuo exemplo, pro noſtro primatu ſpirituali.

L. [Dein ludendi veniam Regi facit, idque dicit humilitatis fuiſſe: At ludere humilitatis non eſt, gaudij potiùs, cùm ſi humilitatem præſeferre voluit, poſt Arcam ei, non antè ſaltandum erat; à fronte habenda erat Arca, non à tergo. Nam quòd antè ſaltauit, ideò potiùs videtur feciſſe, vt ſe illis præire viam doceret, & primatum tenere, in negotio Arcæ deportandæ; gaudere autem, & exultare, quod ſic teneat.]

M. A. Luſit Dauid, & ludus ex humilitate fuit; ipſummet Dauidem teſtor, & eius vxorem, ne amplius ambigas, teſtes (credo) omni exceptione maiores. [Michol filia Saul proſpiciens per feneſtram, vidit Regem Dauid ſubſilientem, atque ſaltantem coràm Domino, & deſpexit eum in corde ſuo. Idtò infrà eodem capite. Et egreſſa Michol filia Saul in occurſum Dauid, ait: Quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſrael diſcooperiens ſe, ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi nudetur vnus de Scurris: Dixitque Dauid ad Michol. Viuit Dominus, quia ludam ante

ante Dominum, qui elegit me potiùs, quàm Patrem tuum, & quàm omnem domum eius, & præcepit mihi, vt eſſem Dux ſuper populum Domini in Iſrael, & Iuda, & vilior fiam (ſentis?) plus quàm factus ſum, & ero humilis (audin?) in oculis meis, & cum Ancillis, de quibus locuta es, glorioſior apparebo. Nega modò (ſi potes) luſiſſe Dauidem ex humilitate. Caietanus. Deus hanc humilem actionem coràm ancillis, vertet in honorem ipſius Dauid. Abulenſ. in hoc cap. quæſt. 25. Sed quia diligebat eum, & dolebat de viliſicatione ſua, apparebat autem nimis vilis factus, cum ſe nudauerit coràm toto populo, ideò ipſa zelo ipſius non potuit iuſtum, vt ſibi videbatur, continere dolorem.]

Ridiculum illud argumentum tuum, quòd ſi humilitatem præſeferre volebat; à fronte, non à tergo habenda erat Arca. Prætulit humilitatem, ipſum audiſti, & tu audes Dauidem corrigere? Dauidem de virtute humilitatis docere? Humilitas ergo fuit, ante, non poſt Arcam ludere, ſerui enim, qui læta ſpectacula exhibent Dominis ſuis, non à tergo, ſed antè Dominos ludunt. Et qui Regem tuum antecedunt in via, ſerui, & miniſtri (credo) non dices habere eius Primatum. Quod ſi dixeris tu, reliquus orbis vniuerſus reclamabit; nam vbique gentium ſeruitutis, non prælationis in Principes ſignum habetur, præcedentia illa. Bis ergo in Dauidem peccaſti hìc, mendacij illum, & ignorantiæ arguens. Primùm mendacij illum inſimulaſti; aſſeruit ille, negaſti tu, ipſum ex humilitate luſiſſe. Ignorantiæ deindè, dum dixiſti, malè feciſſe illum, ſi luſit ex humilitate, ſaltando non poſt, ſed antè Arcam Domini. Qui Dauidem ità honoras, non mirùm, quòd alios huiuſmodi floribus aſpergas.

L. [Nam quod cautè admodum Tortus ſubnectit, non licuiſſe tamen Dauidi Arcam contingere, quis id affirmauit?]

M. A. Vos, qui Regem iurari vultis ſupremum Gubernatorem omnium rerum, & & cauſarum Spiritualium; & ſupremus Gubernator non poterit attingere? rem illam, ſuprà quam poteſtatem habet ſupremam, ne illi quidem attrectare licebit? Si alius poteſt, quod Rex non poteſt, maiorem Rege poteſtatem habet. Nemo, per vos, maiorem Rege poteſtatem habet; Ergo Rex poteſt quicquid alius poteſt. Quare, vel attingere potuit Arcam Dauid, vel non fuit ſupremus Gubernator illius.

L. [Nec Regi quidem noſtro licet, nec illi, aut ſacra adminiſtrare, aut attrectare quicquam, quod poteſtatis ſit merè Sacerdotalis, vt ſunt Liturgiæ, Conciones, Claues, Sacramenta; Arcam fingant loco ſuo Reges, Attingant poſt illi, quos ea cura tangit, ex ſuſcepto munere miniſterij ſui.]

M. A. Illa non licere ſcimus, ſcimus & iſta tunc tantùm licere, cum Rex ſit Propheta, & à Deo ſingulariter iuſſus. At (fateor mei imbecillitatem ingenij) percipere non poſſum, quomodo Rex poſſit eſſe ſupremus Gubernator omnium ſacrorum, & ei nefas ſit Arcam attingere. Supremus rei Gubernator, rem ne attingere quidem poterit? mihi certè, aut non Gubernator ſupremus, aut attingere poteſt: vt conſequentia teneat; [Si attingere non poteſt, ergo non ſupremus rei Gubernator: Si ſupremus Gubernator, ergo attingere poteſt.]

Verùm ſi vultis Regem poſſe exauctorare Sacerdotem, etiam ſummum, eidemque poteſtatem, & auctoritatem impartiri, quomodo Sacerdotis poteſtatem, & auctoritatem in Rege non collocatis? Poteſt, per vos, Regia auctoritate ſubrogare Sadochum; poteſt exauctorare Abiatharrum: ergo, per vos, tota Sacerdotum poteſtas penès Regem eſt; dat enim, & aufert illam, pro vt lubet. Vndè ſequitur, quòd ſi tota Sacerdotum poteſtas in Rege eſt, Arcam attingere poſſit; poteſt enim illam Sacerdos attingere, ſola poteſtate ſibi à Rege communicata. Quòd ſi ſacra Regi attrectare non licet, multò minùs, eidem licet Sacerdotes vel exauctorare, vel ſubrogare; quomodo enim poteſtatem communicabit, quam non habet? vel quomodo poteſtatem illam auferre poterit, quæ poteſtatis eius orbem excedit? Conſequentiæ iſtæ apud vos maximè neceſſariæ ſunt; nam, ſi vera narrantur, ſoli Reges veſtri ſunt, qui Pontificiam auctoritatem omnem vobis impertiuntur, ſuarum manuum impoſitione, eamque illa clauſula, [Durante beneplacito noſtro.]

CAP. XXVI.

Salomonis exemplum in Dedicatione Templi, ne minimum quidem fuere Regis Primatui.

REx. Templum ædificauere. 1. Chron. 28. Ædificatum dedicauere, & ſuis corporibus, opus conſecrationis præſentes cohoneſtauere. 2. Chron. 6.

Card. [At ſicut templa ædificare, Deoque dicare, ad magnificentiam Regum, & ſacris ſolemnijs, quibus templa conſecrantur, intereſſe, ad pietatem eorumdem Regum pertinere concedimus; ita negamus in ipſo templo Pontificale munus attingere, illis vllo modo poſſe permitti. Ex quo ſequitur, vt primatus, in ſpiritualibus, Regi nulla ratione conueniat. Cuius rei teſtis eſſe poteſt Rex Ozias, qui, cum ſe caput Eccleſiæ eſſe arbitraretur, velletque incenſum adolere Domino, continuò à Sacerdotibus repulſus fuit; & cum Sacerdotibus non acquieſceret, mox adfuit vindicta diuina. Nam lepra diuinitùs percuſſus, non ſolùm Templo expelli meruit; ſed etiam in domo ſeparata habitare coactus eſt. 2. Paralip. 26.]

L. [Ad Reges etiam ſpectare fatetur, ædificare templa, Deoque dicare; ſed ad Regum magnificentiam. Eſto autem, vt magnificentia fuerit in ædificando; at in dedicando aliud quiddam fuit, quàm magnificentia. Dedicare enim Deo Templa actus eſt primarius, neque cuiuſquam, niſi cuius partes in religione primæ. Dedicatum autem à Salomone Templum, non magis negari poteſt, quàm ædificatum. Nec (quod Tortus concedit) interfuit modò ſolemnitati illi, cum reliquo populo, ex pietate: Sed & præfuit, ex auctoritate. Nec enim ſine ſumma auctoritate præſtari poterant illa, quæ in perſona ſua præſtitit Salomon, in illis ſolemnijs.]

M. A.

M.A. De ædificato Templo, itaque nulla lis. ſed de eiuſdem dedicatioue; at omnia, quæ fecit Salomon, ex Dei ſpeciali ordiuatione feciſſe patet, Chron. 1. 28. [Omuia (inquit Dauid ad Salomonem) venerunt ſcripta, manu Domini ad me, vt intelligerem vniuerſa opera exemplaris, viriliter age, & cooforrare, & ſac, ne timeas, ne paueas, Dominus enim meus tecum erit, & non dimittet te, nec derelinquet, donec perficias omne opus miniſterij Domus Domini, & cap. 29. Locuruſque eſt Dauid Rex ad omnem Eccleſiam. Salomonem filium meum vnum elegit Deus, adhuc puerum, & tenellum; opus enim grande eſt, neque enim homini præparatur habitatio, ſed Deo.] Oſtendat Rex ruus, manu Dei ſcriptum veniſſe primatum hunc ſuum ad Henricum Octaunm. Oſtendat, Angliæ Reges ſolos ad hoc munus electos fuiſſe à Deo, & querelæ ceſſabunt. Vis videre cunctis Regibus Iſrael non licuiſſe, quæ tunc Salomoni licuere? Audi ſecuodo Paralipomenon cap. 1. [Aſcenditque Salomon ad altare æneum, coràm Tabernaculo fœderis Domini, & obtulit in eo mille hoſtias, ecce autem io ipſa nocte apparuit ei Deus dicens. Poſtula quod vis, dem tibi.] Primo verò Regum c. 13. Saul præliaturus cum Philiſtæis ſeptem diebus expectauit Samuelem, vt veniret ad offerendum ſacrificium Domino, noo venit Samuel; quare cum Rex videret populum à ſe deficere, neceſſitate compulſus, air. [Afferte mihi holocauſtum, & pacifica, & obtulir holocauſtum. cumque compleſſet offerens holocauſtum, ecce Samuel veniebat, & egreſſus Saul obuiam ei, vt ſalutaret eum, locutus eſt ad eum Samuel; Quid feciſti? Reſpondit Saul; quia vidi, quòd populus delaberetur à me, & tu uon veneras iuxrà placitos dies, porrò Philiſtijm congregati fuerunt io Machmas, & dixi. Nuoc deſcendent Philiſtijm ad me, in Galgala, & faciem Domini non placui. Neceſſitate compulſus obtuli holocauſtum. Dixitque Samuel ad Saul, ſtulte egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quę pręcepit tibi. Quod ſi non feciſſes, iam nunc præparaſſet Dominus Regnum tuum, ſuper Iſrael in ſempiternum, ſed oequaquam Regnum tuum vltra conſurget. Quæſiuit Domious ſibi virum iuxta cor ſuum, & præcepit ei Dominus, vt eſſet Dux ſuper populum ſuum; Eò quòd non ſeruaueris, quæ præcepit Dominus.]

Scio nonnullos dicere. Quòd Saol non ſacrificauit manu propria, ſed per Sacerdotem, Regno verò mulctatum, quia non expectauit, vt Samuel ipſe ad ſacrificandum veniret. At non poſſum id elicere ex diuina Scriptura. Dixit enim Saul. [Afferte mihi holocauſtum, & pacifica.] Non dixit afferte Sacerdotibus, ſed mhi, & ſequitur. [Et obtulit holocauſtum, cumque compleſſet offerens holocauſtum, ecce Samuel veniebat,] illi afferuntur holocauſta; ille offert holocauſtum: ille complet offerre holocauſtom: & infrà dicit, [Neceſſitate compulſus obtuli holocauſtum;] nulla vnquam mentio de Sacerdotibos. Ergo ipſe verè fuit, qui manu propria obtulir. [Stultè egiſti (ioquit Samuel) uec cuſtodiſti mandata Dei tui.] Si verò per manum Sacerdotis obtuliſſet; quomodo non cuſtodiſſet mandata Dei? Ideò Sanctus Ignatius ep. ad Magneſianos, inquit. [Ozias quoq; leproſus factus eſt, qui, contra Sacerdotes, Sacerdotiũ auſus eſt arrogare; Saul autem ſacrificare præſumens, regali diguitate dehoneſtatus eſt.] In hanc ſententiam, & etiam Lyranus. Alij opinantur Salomonem quoque manu propria non obtuliſſe, ſed per Sacerdotes, nec alia ratione ducuutur, niſi quia non licebat ei, ex lege Dei id facere, cum ſolis Sacerdotibus filijs Aaron id munus incumberet. At velim aduertant. Quod ſi ſolis Sacerdotibus, ex ſamilia Aaron licet, iam Samueli nou licuit, fuit enim ex alia ſamilia, quàm ex Sacerdotali, imò ex illis deſcendit progenitoribus, qui Sacerdorium Aaroni nimiùm inuideraut. Vt enim ex primo Paralip. cap. 6. apparer, fuit ex familia Core; qui uum. c. 16. à Deo igne couſumitur, eò quòd contra Dominum, Sacerdotale munus affectaret. Tamen Samuel ſacrificat 1. Reg. 7. & 16. & Pontificis munere fungitur in omnibus, vti ſentiunt Aug. Detract. lib. 2. cap. 55. Ignat. epiſt. ad Magnes. Cypr. epiſt. 65. Eucher. & Beda in ea verba: [Suſcitabo mihi Sacerdotem fidelem.] 1. Reg. cap. 2. Lucifer Calarit. pro Sancto Athanaſio ad Conſt. & de nou parc. Delinq. in Deum. Athanaſ. hom. de ſemente. Quia ergo Propheta fuit Samuel, & electus à Deo ſingularirer, diſpenſatum eſt cum eo, vt poſſet, quod Core non poterat. Ita etiam Salomon, quia fuit Propheta, & ſingulariter electus à Deo, ſacrificare potoit; quod ei ex lege non licebat; Etiam verè obtuliſſe Salomonem non ambigo, nam Scriptura non dicit ſolùm, Quòd obtulir ſacrificia, ſed explicat etiam eius greſſus, & acceſſum ad altare; niſi verò obtuliſſet manu propria ſacrificia illa, nou aſcendiſſet ad altare, quo aſcendebant ſoli Sacerdotes, vt offerrent. [Aſcenditque ad altare æneum, coràm Tabernaculo teſtimonij, & obtulit in eo mille hoſtias.]

Noo ergo omnibus Regibus liceot ea, propter quæ Reges regnis priuantur; licuerunt verò Salomoni, qui à Deo ſpecialiter electus ad omne miniſterium Domus Domini. Sed qui tantum io dedicatiooe vrgeș: Audi. [Et dedicauit Domum Dei Rex, & vniuersùs populus.] Populus ergo vocatur in partem tui primatus?

[L. Negare non poterat hæc, ita in luce poſita. Negat ergo poſt, attigiſſe in Templo munus Sacerdotale, quod & nos parirer cum eo negamus.]

M.A. Bona tua venia dixerim, holocauſtum mactare, & offerre ad altare; coràm Taberoaculo, munus eſt Sacerdotis: Id verò exercuit Salomon. Quare, aut ſatere exemplum Salomonis non eſſe trahendum io conſequentiam, aut Regi tuo etiam poteſtatem Sacerdotalis ordinis concede: Hanc vero negas vllo modo illi competere. [Sed neque, ioquis, in his, quæ Pontificalis ſunt muneris, Regi ius facimus, nec incenſum adolere ſinimus, oec id facere, cuius typus tum erat incenſum.] Atqui holocauctum typus erat veri ſacrificij, vt Paulus iterpretatur, ergo ne Regi quidem Salomoni holocauſtum offerre licebat, ſed licuit illi, quod Regibus omnibus oon licuit. Eninuero, & Saul ideò regno mulctatus eſt, oec Ezechias ipſe pijſſimus Rex

id

id auſus fuit, inquit enim Scriptura, 2. Paralip. 29. [Conſurgenſque diluculò Ezechias Rex adunauit omnes principes Ciuitatis, & aſcendit in Domum Domini, obtuleruntque ſimul tauros ſeptem, & arietes ſeptem, agnos ſeptem, & hircos ſeptem, pro peccato, pro regno, pro ſanctuario, pro Iuda. Dixitque Sacerdotibus filijs Aaron, vt offerrent, ſuper altare Domini.] Non aſcendit ad altare, non obtulit ſuper altare, vt Salomon, ſed dixit Sacerdotibus. Vt offerrent ſuper altare. [Mactauerunt igitur tauros, & ſuſceperunt ſanguinem Sacerdotes.] Rectè ergo negauit Cardinalis, Regibus licere attingere munus Sacerdotale in templo, & rectè aſſeruimus nos, Salomonem attigiſſe. Ipſe loquitur de propria poteſtate Regum, nos de diſpenſata. Cætera tua Citeriæ ſunt, Iouiſque Corinthus.

CAP. XXVIII.

Ioſiam Regis Primatum nihil prorsùs iuuare.

REx: librum legis, de nouo repertum, populo recitari fecere 4. Reg. 22.11.

Card. [At neſcio vbi inuenerit Auctor iſte librum de nouo inuentum, populo iuſſu Regis legi debuiſſe. Nam in noſtris Baſilijs, loco ab ipſo notato, habemus librum in templo à Pontifice inuentum, deindè lectum etiam coràm Rege, & Regem miſiſſe aliquos, qui conſulerent Dominum ſuper verbis libri, ſed quid hic eſt pro Primatu Regis in rebus Eccleſiaſticis, & ſpiritualibus?]

[L. De libro legis, nouum Torto videtur, quòd de nouo repertus dicitur, at ſi in manibus tum liber ille fuiſſet, non dicam omni populo, ſed vel ipſis Sacerdotibus, ſi non nouus planè; quid attinebat referre in hiſtoriam ſacram, quòd dum aliam rem ageret, Helkias Sacerdos, reperijſſet librum legis? Quorſùm etiam obſtupeſcit Rex, ſi ab antiquo, illi notus? aut cur de illo ita loquitur. [Liber iſte, qui repertus eſt?) Denique quorſùm ad Prophetiſſam ablegat Sacerdotem Helkiam, conſulturum eam de verbis libri, niſi, quia etiam Sacerdoti ipſi ignotus, & planè nouus? Qua de re non inuitus, credo, audiet Tortus Caietanum ſuum, non nouum illi, quod Torto: Sic enim ille (Tanto tempore neglecta erant diuina, tempore Manaſſis, vt liber legis tanquam res nouiter inuenta ſcribatur.) Libro ſic reperto, à Rege lecto, conſulta de eius ſenſu Prophetiſſa, non Pontifice, non expectata declaratione Eccleſiæ, indixit Rex conuentum: in eo iubet recitari librum: recitato fœdus nouum init cum Domino; Populum quoque ad fœdus adiurauit. Tum præcepit ipſi Pontifici Rex, reliquiſque ſecundi ordinis Sacerdotibus, vt eijciant de templo, atque exurant vaſa omnia, quę Baali ſacra fuerant, vt excelſa demoliantur; Mandauit poſt de Paſchate faciendo; Denique de religione tota in integrum, reformanda. Et quid hic eſt (ait Tortus noſter) pro Primatu Regis in rebus Eccleſiaſticis, & Spiritualibus? Puto res Spirituales, & Eccleſiaſticas eſſe: Cœtum indicere, fœdus de religione ſancire, peregrinum cultum abolere, verum mandato ſuo inſtaurare, & in his omnibus, cum præcepit Pontifici Rex, paret Regi Pontifex, nihilne hoc apud Tortum, pro Regis Primatu? Tortum nihil miror: apud alios non tortos, ſed rectos recti amantes non dubito, quin plurimum ſit in exemplo Ioſiæ, pro Primatu Regio, nec aliũ quærimus, quàm Ioſiæ, nec alius vindiciæ ſunt, in tota Apolog.]

M.A. Tu ex illis certè, de quibus Quintilianus. [Quidam cum nullum crimen obijcere poſſunt, de mendacij magnitudine veritatem captant.] Affirmauit Cardinalis librum de nouo inuentum, & tu illum impugnas, ac ſi inuentum de nouo negaſſet? eius verba ſunt: [At neſcio vbi inuenerit auctor iſte, librum de nouo inuentum populo iuſſu Regis legi debuiſſe.] Ergo qua fronte illi imponis, quòd inuentum de nouo negauerit? Negauit, non inuentum de nouo, ſed ab alijs iuſſu Regis lectum fuiſſe.

Hæc ergo eſt prima calumnia contrà Cardinalem. Falſum ſecundò eſt, quòd iuſſerit Rex recitari librum. Verba Scripturæ. [Legitque cunctis audientibus omnia verba libri fœderis, qui inuentus eſt in Domo Domini.] Rectè ergo dixit Cardinalis, neſcire ſe vbi inuenerit Rex, [Librum illum iuſſu Regis populo debuiſſe legi.] Non legi, non recitari fecit, ſed ipſemet legit, inſemet retitauit. Nos autem non credimus officium Lectoris eſſe officium ſupremi Gubernatoris Eccleſiæ. Inter poſtremos Clericos Lector apud nos collocatur. Hoc munere tum ex humimilitate fungi voluit Rex, nec ſine Pontificis conſenſu, qui tunc aderat; tum verò, vt populus Idololatra, qui Pontificem negligebat, & ſolum venerabatur Regem, dum illum legentem audiret, maiori reuerentia, & timore erga diuinam legem afficeretur.

[Percutere fœdus cum Domino,] eſt ferre legem, vt populus Deum verum colat. Quis verò negat talem legem Reges ferre poſſe? Omnes Catholici Principes faciunt, omnes orbis Principes facere debent, nec tamen primatus Eccleſiaſtici partem aliquam Catholici Principes, hanc eſſe opinanrur. Omni enim iure, diuino ſcilicet, naturæ, Eccleſiaſtico, ciuili hoc imperari poteſt, ſicut etiam furta, homicidiaque vetari.

Cœtum conuocare nihil tuum primatum iuuat. Nam dato, quòd ſine Pontificis conſenſu id fecerit Rex (quod tamen tu nunquam probabis) excuſari poteſt, cum enim ad illa vſque tempora, Sacerdotes è gradu ſuo decidiſſent; non illis iubentibus paruiſſet populus, ſed potiùs contempſiſſent, & irriſiſſent illos Idololatræ. Si ſua auctoritate Sacerdotes conuocare voluiſſent Hebræos, perindè fuiſſet, ac ſi Sacerdotes Catholici hæreticos in Anglia, vel Turcas Conſtantinopoli conuenire iuberent.

Præcepiſſe Helkiæ Pontifici Regem Ioſiam, bis legimus, ſemel in 22. capite, & ſemel in 23. Quod in 22. iuſſerit, non mirandum, nam liber legis tum nouus planè, ac ignotus erat, vt tu probaſti, & ignorantia potuit Regem excuſare. At quomodo excuſari poteſt, quòd præceperit etiam in 23? Legem Dei legit populo, lege ſancit, vt illa ab omnibus obſeruetur, & ſtatim à ſanctione legis, legem violat? Violaſſet autem, ſi Pontifici ſuperio-

rem

rem ſe credidiſſet, illique tanquam ſubdito præcepiſſet.

Paucis argumentum hoc diluo. Ioſias hoc fecit eo modo, ea de cauſa, eaque ratione, qua Conſtantinus, & Epiſcopis iuſſit, & cauſam Cæciliani iudicauit. Ea repete, quæ ſuprà de cauſa Cæciliani diſcuſſa ſunt. Noli ergo ampliùs Ioſiam iactare, probum ſanè virum, ſed diuinæ legis primò inſcium, deindè in illa nouum, & poſtremò qui vel nihil præcepit propriè, vel forſan plùs æquo poteſtatis ſibi aſſumpſit, vt perterriti populi, Idolorum euerſionem non impedirent. Chriſtianis verò Principibus non ignota diuina lex, non noua, non in populos Idololatras dominium, vt Ioſiæ exemplum imitari poſſint, contrà Primatum Pontificis. Permitterentur ne Turcæ, vt Chriſtiani Sacerdotes Mahometis altaria deſtruerent, niſi Othomanus illis præciperet? non ſanè; tamen ſi Tyrannus ille vellet eſſe Catholicus, primatum nullum hinc ſibi arrogaret. Aptare itaque exemplum Ioſiæ non poteſtis Chriſtianis, catholiciſque principibus, ſine graui iniuria, tum eorumdem Principum, tum ſubditorum ſuorum; ſupponuntur enim ſubditi rebelles Diuinæ legi, & Princeps, vel prorſus illius ignari, vel in illa omninò noui.

CAP. XXIX.

Nehemias ſtat pro Pontificis Primatu, & Regum Hebræorum exempla allegata eidem non obſtant.

REx. Fœdus inter Deum, Populumque redintegrauere Nehem. 9. 38. & 2. Reg. 8. 4.

Card. At nulli Reges apud Iudæos tempore Nehemiæ. Quomodo ergo Reges Fœdus redintegrauere inter Deum, & populum? Non igitur Reges, ſed Primiores Iudæorum, tum Leuitici generis, tum etiam aliarum tribuum fœdus iterum percuſſerunt cum Deo. Sed illud tamen admittimus, quamuis ſcriptum non ſit, neque Nehem. 9. 38. neque 2. Reg. 8. 4. ad Reges pertinere redintegrare fœdus inter Deum, & Populum, quoniam ipſi Reges fuerunt in cauſa, cur Populus, per Idololatriam, à Deo recederet. Addo, quòd 4. Reg. 15. Pontifex percuſſit fœdus inter Deum, ac Regem, ac Populum.

L. Redintegrati cum Deo Fœderis, partes præcipuas penès Regem fuiſſe, Rex Ioſias teſtis, omni exceptione maior, Ezechias hoc idem fecit, auctorque fuit Sacerdotibus, vt facerent: idem etiam Aſa, idque interpoſito iuramento; de Nehemia, quòd illius tempore, Reges non fuerunt, puerilis id ferè cauillus eſt, nam ſi Nehemias id potuit, qui Dux tantùm, cuique delegata tantùm poteſtas, an non Rex multò magis? Nehemias verò auctor fœderis illius, & primo loco ſignauit.

M. A. De 2. Regum cap. 8. & de Nehem. 9. Primatum ſuum Rex probare aſſeuerat; deſeris tu librum 2. Regum, & ad quartum pergis, ad Ioſiam, & Ezechiam, & ad ſecundùm Paralipomenon ad Aſam. Quid verò tu probes, audiamus. [Nehemiam dicitis percuſſiſſe fœdus inter Deum, & Populum.] Verum eſt. At Nehemias fuit Sacerdos. Audi cap. 10. [Signatores autem fuerunt Nehemias, Atherſata, &c. Hi Sacerdotes. Porrò Leuitæ Ioſue filius Azaniæ, &c.] Nehemias ergo iſte Sacerdos eſt. Vis probare tu Regem percuſſiſſe fœdus, & Sacerdotem allegas? benè quidem. At dicis. [Fuit Dux, & delegatam habuit poteſtatem.] At cuius fuit Dux? à quo delegata illi fuit poteſtas? ab Artaxerſe nimirùm Rege alienigena; tu primatum Spiritualem non concedis, niſi Regibus, qui ſunt in Eccleſia; quare iſte non potuit delegare primatum Spiritualem, non habebat enim. Malè itaque ratiocinaris. [Si Dux tantum potuit, cui delegata tantùm poteſtas, an non Rex multò magis?] Delegare non potuit poteſtatem Artaxerſes, quam non habebat, quare cum (apud vos) inire pactum ſit pars Primatus Spiritualis, non ideò pepigit Fœdus Nehemias, quia Dux, ſed quia Sacerdos. De Ioſia, & Ezechia audiſti, quid dixerim, quæ enim de Ioſia dicta ſunt, eadem accommodantur Ezechiæ, vt mox docebo. Nec prætereundum ſilentio eſt, quòd in illa ſubſcriptione fœderis, primo loco ſubſcribunt Sacerdotes, Secundò Leuitæ, Tertiò Capita Populi, qui nempè eorum Principes laici erant.

Ad Aſam tu nos prouocas? id ſanè non feciſſes, ſi integrum illud caput legiſſes, in quo Fœdus cum Deo redintegrauit. Ibi enim. [Maacham matrem Aſa Regis ex Auguſto depoſuit imperio, eò quòd feciſſet in luco ſymulacrum Priapi.] Id verò an vobis arrideat, qui Principes quantumuis impios, negatis poſſe deponi, tu ipſe iudices.

Reges verò iſti & poterant, & debeant redintegrare fœdus cum Deo, quia Reges eorum præceſſores ab eius cultu, populos reuocarant. At inquis.

L. [Admittit ergo pertinere ad Reges, non tamen ex alia ratione, quàm quòd Reges in cauſa ſint, cur populus à Deo recedat, propter Idololatriam. Etiamne id locum habet in Regibus, quos nominaui, Aſa, Ezechia, Ioſia? An vel receſſerunt ipſi à Domino, vel populo vnquam in cauſa fuerunt credendi? Quæ hæc veſania eſt?

M. A. Quæ hæc veſania eſt? An ſolus, qui abſtulit, ad reſtitutionem tenetur? an verò etiam qui tenet rem aliena manu ablatam? Reuocarunt à Dei cultu populum Iſrael Reges præceſſores Aſæ, Ezechiæ, Ioſiæ; poterant iſti Dei cultum reſtituere, cur ergo ad reſtituendum non tenebantur? [Non tenebantur, inquis, quia non abſtulerant, quia non receſſerant ipſi. Egregium Dogma. Omitto illud tuum argumentum à mutata religione, ſecundùm mutationem Regum, dilutum enim iam eſt, ſup. cap. 23. Sed, & Ioiadæ Pontificis exemplum noluiſti intactum relinquere; dicis enim.

L. [Nam de icto, per Ioiadam Pontificem, fœdere, quis non videt, quàm ineptum? non enim ab illo ictum, niſi vt Regis tum protectore, Rex Ioas puer ſeptennis, Ioiada autem cuſtos Regis, optimo iure cuſtos, vt cui vitam cũ regno deberet Rex, quod verò factum ibi, Regia auctoritate factum, quæ tum penès Pontificem; eo (cum per ætatem Rex nondum poſſet) Regni res procurante..

M. A.

M. A. Vbique, ſi vera deſint, quæ tibi ſuffragentur, vbique de tuo capite affingis. Vbi quæſo legiſti, Ioiadam fædus inijſſe, vt Regis, aut Cuſtodem, aut Procuratorem? Quomodo Regia Ioas anctoritate hæc facere potuit Poutifex, ſi non dum ipſe Ioas Rex erat? Tu ſanè io inuentione plurimùm vales. Iubet ipſe Pontifex Athaliam occidi, iubet puerum Ioam regem ſalutari, Diadema regium illius capiti imponie, fędus inter Deum, & regem, ac populum pepigit; vbique Pontificis refulgeε poteſtas, nulla vnquam mentio de Regis Procuratore, vel cuſtode, re ergo hic deſerit Dei Verbum. Audi hac de re Ioſephum. [Ioiada conuocato populo, ac militibus in templum, omnes Sacramento ad fidem Regis adegit, incolumitati ipſius tuendæ, regnoque augendo daturos operam; eodem iureiurando Regem adſtrinxit ad diuini Numinis reuerentiam, & ad obſeruantiam legum.] Vides hic tu miniſterium, & protionem, an ſuperioritatem?

CAP. XXX.

Ezechia geſta momenti nullius eſſe contrà Primatum Eccleſia.

REx Serpentem ęneum confregere, quamuis in deſerto, & Dei mandato erectum, & Chriſtum Dominum ſuo modo figurantem 2. reg. 18. 4. Idola omnia, Deoſque falſos exterminauere 1. Reg. 15. 12.

Card. Rectè Exechias ſerpentem æneum confregit, quoniam populus ad Idolatriam propenſus, ſerpenti illi, vt Numini cuidam, ſacrificia offerre cæperat. Rectiſſimè etiam Aſa Rex confregit Idola, quæ fuerunt à Regibus præcedeſſoribus fabricata; ſed non ideò Rex Primatum haber in rebus Spiritualibus, quia ſcelus Idololatriæ punire poteſt. Hac enim ratione ſeruiunt Reges Deo, dum hoſtes Eccleſiæ, quales ſunt Idololatræ, hæretici, & ſchiſmatici, ab ipſa Eccleſia damnati, & declarati, legibus, & gladio puniune.

M. A. Antequam ad ea veniamus,, quæ obijcit L. animaduertendum mihi occurrit, ad ponderanda Regum hebræorum facta, plurimùm referre, noſſe Quis, Quo tempore regnauerit, ſuprà enim Ioſiæ Regis geſta, in ea incidiſſe tempora vidimus, cum Diuinæ legis memoriam penitùs obliuio deleuerat. Hinc Rex ad Sacerdotes, & miniſtros ſuos ablegans illos ad Prophetidem, inquit. [Ite, & conſulite Dominum ſuper me, & ſuper populum, & ſuper omni Iuda, de verbis voluminis iſtius, quod inuentum eſt; magna enim ira Domini ſuccenſa eſt contra nos; quia non audierunt Patres noſtri verba libri huius.] Librum legis Diuinæ ſatis efficaciter probauit L. ignotum fuiſſe tunc temporis, & tanquam nouum quid Regi, Sacerdoti, & omnibus; Impoſſibile verò eſt legem aliquam maximè Diuinam, maximè, quæ ad Religionem attineat, vtì libet hic, ita ſolo ſpatio annorum 86. abolitam eſſe ab hominum memoria: vt nec Reges, nec Sacerdores ipſi quidquam de illa ſcirent. Nam octuaginta ſex anni elapſi ſunt ab initio Regni Ezechiel ad initium Regni Ioſiæ, ſcilicèt Ezechiæ 29. Manaſſis 55. & Amon. 2. qui fuit Pater Ioſiæ. Quare cum Ioſias inquit. Non audierant Patres noſtri verba libri huius, etiam tempora Ezechiæ, & priora quoque intelligere oportet. Quod confirmatur ex eo etiam, quòd Achaz impius Rex Iuda, Pater Ezechiæ, Altare Dei proſtrauerat, extructis aris Dijs Gentium, proſtituroque Dei cultu, Idololatriam in Templum inuexerat. Ita verò, tunc temporis, priorum quoque regum impietate ab hominū animis diuina lex exulabat, vt Sacerdores immemores dignitatis ſuę, deiecti ab auguſto illo Throno, in quo Deus illos collocarat, in Deuteronomio cap. 17. tanquā Regum mancipia, pro nutu ipſorum, aliquando etiā in Idololatria eiſdem inſeruirent. Audiamus Dei Verbum lib. 4. Reg. c. 16. 10. [Cumq; vidiſſet altare Damaſci miſit Rex Achaz ad Vriam Sacerdotem exēplar eius, & ſimilitudinem, iuxta omne opus eius, extruxitque Vrias Sacerdos altare iuxta omnia, quæ præceperat Rex Achaz de Damaſco.] Immò cum plurima eiuſmodi Rex idem eidem Sacerdoti in mandatis dediſſet. Fecit Vrias Sacerdos iuxta omnia, quæ præceperat Rex Achaz. Incidit ergo Ezechiæ Regnum in tempus omninò penè ignarum diuinæ legis, quarè quod diximus de Ioſia, de ipſo quoque Ezechia dici poteſt; nempè quòd quicquid errauit in ſubijciendo Sacerdotes ſuo Imperio, quibus ſubeſſe ipſe debebat; culpa vacauit, ob ignorantiam diuinæ legis, quæ ignorantia tum vinci non poterat. Laudem verò in cæteris meretur; omnia namque pro Dei veri cultu, contra idololatriam operatus eſt. Nunquid; quæſo, Othomanus peccaret, ſi Primatus Eccleſiaſtici inſcius, iuberet Sacerdotibus noſtris, vt Mahometi Meſquitas, araſque ſubuerterent, Deum verum vbique prædicarent? Abſit, vt hoc quiſquam Catholicorum dicat, quantumuis Pontificij Primatus acer Propugnator; Abſit verò etiam, vt hinc credat, ius vllum acquiri, in ſacris, laico Principi. Eſto igitur, Ezechias hoc fecerit: quid, quæſo, ponderis habere poteſt argumentum Regis? nec peccat iubendo; nec ius pro Primatu comparat. At audiamus L.

L. [Ad Regem pertinet intrare templum ipſum, Serpentem ibi æneum confringere, quem fecerat Muyſes, cum abijſſet in ſuperſtitionem ſerpens ille; cum (quod vos imaginibus veſtris quotidiè facitis) thurificaret ei Populus.

M. A. Rex templū non intrauit, vt ſerpentem æneum confringeret, ſed Sacerdotes. Paralip. 2. 29. [Congregaueruntq; Fratres ſuos, & ſanctificati ſunt, & ingreſſi ſunt, iuxta mandatum Regis, & Imperium Domini, vt expiarent Domum Dei; Sacerdotes quoque ingreſſi Templum Domini, vt ſanctificarent illud, extulerunt omnem immundiciam; quam intro repererant, in Veſtibulo Domus Domini, quam tulerunt Leuitæ, & aſportauerunt ad Torrentem Cedron. foras.] Infrà verò cum retuliſſent ad Ezechiam, ſe Templum purgaſſe ab omnibus immunditijs, tunc ſequitur. [Conſurgenſque diluculò Ezechias Rex, adunauit omnes Principes Ciuitatis, & aſcendit in domum domini.] Sacerdotes ergo fuerunt verè, qui iuſſi ab Ezechia, & à Pontifice, qui Domini referebat reſponſa,

iuſſa,

iuſſa, & præcepta, vt auferrent à templo omnem immunditiam, cenſuerunt Serpentem æneum, immunditiam eſſe, & ideò confregerunt, nam Ezechias templum non ingrsditur; niſi purgatum.

Nec obſtat, quod Textus Regum dicat. Confregitque Serpentem æneum, quem fecerat Muyſes, nam initio capitis, ponit Scriptura Epilogum rerum omnium geſtarum ſub Ezechia, Ipſe diſſipauit excelſa, & contriuit ſtatuas, & ſuccidit Lucos, confregitque Serpentem æneum. Hæc verò quomodo geſta ſint, & à quibus, ibi non narrat Scriptura, ſed benè narratur in 2. Paralip. cap. 30. 13. [Congregatique ſunt in Hieruſalem populi multi, vt facerent ſolemnitatem Azimorum menſe ſecundo, Et ſurgentes deſtruxerunt altaria, quæ erant in Hieruſalem, atque vniuerſa, quibus Idolis adolebatur incenſum, ſubuertentes proiecerunt in Torrentem Cedron. & cap. 31. 1. Egreſſus eſt omnis Iſrael, qui inuentus fuerat in vrbibus Iuda, & fregerunt ſimulacra, ſucciderantque lucos, demoliti ſunt excelſa, & altaria deſtruxerunt; non ſolùm de vniuerſo Iuda, & Beniamin, ſed, & Ephraim; & Manaſſe, donec penitùs euerterent.]

Rex ergo in diſſipando Serpente, nil aliud fecit; niſi, quòd dixie Sacerdotibus, vt purgarent templum ab immuditijs. Cætera ipſi præſtiterunt; nam Rex non ingreditur templum, niſi purgatum; & quæ illi tribuuntur, alij operati ſunt, ſed Ipſo regnante, Imperioque iuuante Sacerdotes vt facerent, quod eius maiores facere non permiſerant, proſtituta diuina lege. Quare errauit L, poſt Regem primùm, dum dixit Regem intraſſe templum, ibique æneum Serpentem confregiſſe. Errauit ſecundò dicens, quòd Hebræi thurificarent Serpenti, vt nos imaginibus noſtris, quotidiè facimus; nam illi incenſum offerebant Serpenti vt numini; id verò nos facere imaginibus noſtris, eſt mendacium, quod omnem ſuperat impudentiam. Nobis incenſum ſacrificium non eſt, non indiget altari, non Sacerdote, exhibeturque non modò Deo, ſed omnibus ſacris, immò etiam hominibus ipſis, & cadaueribus, quæ (credo) non dicet Tortor, vt Deos à nobis coli.

L. [Rectè factum hoc, ait Tortus, cauſam addit, & addit cauſæ. Quoniam, inquit, Populus ad Idololatriam propenſus, Serpenti illi, vt Numini ſacrificia offerre cœperat. Non cœperat, non offerre ſacrificia, non vt numini. Omnia hæc additamenta Torti; (non minùs quàm Serpens ille) Tortuoſi, & in omnem ſe partem rotantis, vt euadat. Non cœperat. Verba enim Scripturæ ſunt (Quin vſque ad illum diem) de quibus ita Card. Caietanus (Perſeuerantia deſcribitur huius abuſionis, vſque ad tempus Ezechiæ, ad manifeſtandam magnanimitatem Ezechiæ, ad exterminandum toleratas ſuperſtitiones, tanto tempore.)

M. A. Tria oſtendere vis. Non cœpiſſe, non offerre ſacrificia, non vt numini, Et iam primum abſoluiſti, ſed ineptè admodùm. Argumentum tuum eſt. [Tempore Ezechiæ iam offerebant Hebræi incenſum Serpenti æneo; ergo non cæperant iam offerre.] Perindè ac ſi dicas: Tu legis, ergo iam legere non cœpiſti. Contrarium ex bona Logica ſequitur, ò L, quod enim fit. vel factum eſt, fieri iam cæpit; quarè ſi offerrebant, offerre iam cœperant. Malè ergo Tortum torques, tu rectè torquendus.

L. [Non ſacrificia offerre. Suffitus enim ſacrificium non eſt, nedum ſacrificia.]

M. A. Suffitus in lege verè ſacrificium fuit. Deus ideò de illo iubet. [Sanctum Sanctorum erit vobis thymiama. Talem compoſitionem non facietis in vſus veſtros, quia ſanctum eſt Domino. Homo quicunque fecerit ſimile, vt odore illius perſruatur, peribit de populis ſuis.]

Suffitus ergo ſacrificium eſt, quando ponitur ſuper altare, & à ſolo Sácerdote offertur; talis ergo ſuffitus Thymiamatis in altari aureo, quod à ſolo ſummo Sacerdote ponebatur, ad quod alludit Dauid Pſal. 140. [Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo, eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.] Incenſum, quod nos damus imaginibus, non eſt ſacrificium, nam (vt dixi) datur etiam hominibus, & cadaueribus, & rebus, quæ benedicuntur, & non requirit altare, nec Sacerdotem. Malè ergo dixit Tortor, fecisse Hæbreos ſerpenti, quod nos Imaginibus quotidiè facimus.

L. [Non vt numini. Plùs multò candoris in Caietano (Venerabantur ſerpentem illum thurificantes illi, ratione accepti beneficij; non adorando illum, vt Deum; Sed honorando, vt beneficum ſignum, datum à Deo. Quæ veneratio ſuperſtitioſa erat, vtpotè præter legem diuinam, & propterea Ezechias abſtulit) Falſa ergo cauſa Torti.

M. A. Nos non iurauimus in verba Caietani, nec ille nobis Pythagoras, vt conſequentia teneat: Caietanus ita ſenſit, ergo, qui ſecus opinatur, errat, paulò poſt audies Auguſtinum cum Caietano loquentem; nec dubito quin credas, plùs multò candoris in Auguſtino, quàm in Caietano fuiſſe. Si tamen tibi, Regique tuo Vir iſte (verè magnus) adeò placet; vt Pythagoram eſſe velitis, libenter aſſentimus; lis enim de Primatu deciſa. Erraſſe Card. Caietanum hac in re, non ambigo, nam ſine vlla ratione, ſine vlla auctoritate receſſit à communi conſenſu interpretum omnium, immò à veritate, quam ipſe ſtatim fere coactus fatetur. Obtuliſſe, vti Numini, placet Toſtato. [Putabant ſe à Serpente ſanatos, & exhibebant ei cultum, quem Deo exhibere debuiſſent.] Ita ſenſit Theodoretus, citatus in annotationibus ſeptuaginta Interpretum, ad iſtud caput. Ita Lyranus. Ita. Vatablus. Sed non ne Auguſtinus tibi quid plùs Caietano? illum audi. [Quem ſanè Serpentem, propter facti memoriam reſeruatum, cum poſtea populus errans tamquam Idolum colere cæpiſſet, Ezechias Rex religioſa poteſtate Deo ſeruiens, cum magna pietatis laudè contriuit.] Audiſti hìc in Auguſtino duo, quæ in Cardinali repræhendiſti? Cœpiſſet colere, ecce vnum, tamquam Idolum, ecce alterum. Nomen quoque ipſum, quo Ezechias vocauit Serpentem, vt ibi dicit Scriptura, idem confirmat. [Et vocauit nomen eius Noheſtam, hoc eſt, inquit Caietanus, æneulum eorum. Declarauit, hoc nomine,

ne, modicum æris veneratum fuiſſe ab eis, ne putarent Numinis aliquid in Serpente, illo fuiſſe.] Ergo etiam Caietanus fatetur, Ezechiam metuiſſe Hebræos veneratos ſerpentem illum, vt Numen quoddam, non vt beneficum ſignum. Id verò præterquamquod confirmatur illo argumento, quòd in lege vetere adolere incenſum, latriæ exiſtimabatur; nec alij, quàm vel Deo, vel Idolis oblatum fuiſſe, quiſquam reperiet; adeò clarum eſt apud omnes; vt illud reuocare in dubium, ſit nodum in ſyrpo quærere. Verè ergo dixit Cardinalis 1. Cœperant offerre 2. Sacrificia 3. Vt Numini, & vera cauſa Torti.

L. [Verum dicendum illi erat, de auctoritate, qua fecit Rex, non de cauſa propter quam. Nam ſi auctoritate Rex propria, atque ſua, reſecare poteſt ſuperſtitiones, quas & Sacerdotes ipſi tolerant & à longo tẽpore, tolerarant; ſi Serpentes æneos à Moyſe factos, Dei ipſius iuſſu factos, miraculis inſignes, Chriſti denique Typos comminuere, poſtquam abierunt iam in abuſum, parum aberit à Primatu auctoritas illa Regia, ſi ſic pertingat in Templum, atque iſta ibi tractet tam Eccleſiaſtica.]

M. A. Dixit Cardinalis de cauſa, vt indè de auctoritate intelligeres; nam vbi monſtrauit, Serpentem Idolum fuiſſe, cum non modo Reges, ſed infimus quiſque de plebe Idola comminuere poſſit, ceſſat omnis tua Primatus ratio, caduntque tuæ cauſæ lacerti. Sacerdotes verò tolerabant, & tolerarant, quia Potentiæ Regum, & Populi Idololatrarum vim inferre non poterant. Vbi vero Rex de facto facultatem Sacerdotibus fecit, vt Templum purgarent, ipſi, non Rex, cum reliquis immunditijs, Serpentem quoque eiecerunt de Templo in Torrentem. Id ſuprà probaui. Non ergo Rex auctoritate ſua, ſed Sacerdotes ſua Serpentem auferendum cenſuerunt, Regi verò tribuitur, quia eius poteſtate adiuti Sacerdotes, id fecerunt. Catholici Sacerdotes, qui degunt apud Turcas, & Perſas, tolerant immunditias illas, quia ſecùs non poſſunt; comminuerent ſanè, delerentque, ſi Reges iuberent, non tamen ideò Regibus illis Primatum Eccleſiaſticum concederent,

L. [Subeſt autem hic, & alia Fraus Torti. A Serpente enim confracto, ad Idololatras delabitur pœnis afficiendos, ideſt, à rebus ad perſonas. Quaſi Serpens Idololatra eſſet, non Idolum. Perſonas ita demùm ſubijcit gladio Regis, ſi priùs ab Eccleſia damnatæ ſint. Sed reuocamus ad res. Plùs enim multò, in res ipſas ius habere, quàm agere cum perſonis. Nec tamen damnauit, vel declarauit Eccleſia Serpentem æneum confringendum. Ezechias ipſe idem damnauit, & declarauit, idem confregit. Semper infercit nobis Eccleſiæ ſententiam de ſuo, nunquam locum ei rei adducit vllum. Hac ergo etiam ratione Reges ſeruiunt Deo, vt res ipſas corrigant, & ſi ita opus, redigant in puluerem, atque ita non in perſonis modò, ſed & in Rebus Primatum, tenent.]

M. A. Nulla Torti fraus, ſummus vbique candor; Dicit Cardinalis, quòd non ideò Rex Primatum habet in rebus Spiritualibus; quia ſcelus Idololatriæ punire poteſt; poſſe verò punire, dicit, & in rebus, & in perſonis. Relege. Quare Idolum credidit Serpentem illum, non autem Idololatram, vt ineptè argutaris.

Falſum eſt non damnaſſe Eccleſiam Serpentem illum; Falſum eſt, Ezechiam damnaſſe; falſum, Ezechiam confregiſſe. Damnauit Eccleſia, eademque confregit. Vidimus iam. Falſum eſt denique, Cardinalem locum non adducere ad probandum Reges punire poſſe eiuſmodi ſcelera, ſed poſt Eccleſiæ declarationem. Nam millies allegat locum Deuteron. 17. à quo vt euadas, te mille modis torques, & retorques; Fruſtrà verò.

CAP. XXXI.

Ioſaphat geſta ne minimum quidem officere noſtro Primatui.

REx. Reformationes publicas inſtituere, conuocatis eo fine, & congregatis, miſtim cum Sacerdotibus, laicis 2. Chron. 17. 8.

Car. [Non inuenio, loco notato, eiuſmodi reformationem; ſed ſolùm, quòd miſerit Ioſaphat multos ex Leuitis, & Sacerdotibus, alijſque Viris doctis, qui populos docerent. Iſta verò miſſio ſtudium, ac zelum Regis oſtendit, Primatum in Spiritualibus non oſtendit. Ad Primatum enim propriè pertinet docere, & legis diuinæ dubia explicare, quod munus, non Regi, ſed ſummo Sacerdoti tribuitur. Deut. 17. cui omnes, ſub pœna vltimi ſupplicij, parere tenebantur.

L. Ad Regem pertinet Miſſio Sacerdotum, vt erudiant populum, & vnà cum Sacerdotibus Principum, vt quod illi ſcientia docent, ij auctoritate ſanciant, quos illi ſcientia docere non poſſunt, hi auctoritate coerceant. Quid hoc verò eſt aliud, quàm reformationem publicam inſtituere? Quorſùm enim apparatu hoc tanto opùs erat, niſi poſteriora Aſæ tempora, neſcio quid deformitatis contraxiſſent, quàm Filius eius Ioſaphat, miſſione hac tam ſolemni, reformare inſtituit? Studium hic Tortus vidit, & zelum in Rege; Primatum non vidit. At Mittere, ſolebat auctoritatis eſſe, non zeli, & Mittens, eo ipſo, maior Miſſo, quòd Mittat eum, Qua ratione Pater Filio maior eſt. Zelus autem in vtroque par, Miſſo, & Mittente. Non vltima quidem Primatus pars in Pontifice, Miſſiones eius. Verùm in Pontifice ſic quidem. Poſtquam tranſijt in Regem, auctoritas ſtatim omnis euaneſcit, zelus ſuccedit.]

M. A. Nullam deformitatem contraxiſſe tempore Aſæ, qui fuit Pater Ioſaphat, patet, tum ex 2. Paralip. tum ex 3. Regum in hoc cap. 15. 14. [Verùmtamen cor Aſæ perfectum erat cum Domino cunctis diebus in illo cap. 15. 17. Attamen cor Aſa erat perfectum cunctis diebus eius.] Quæ formula à Scriptura non accommodatur, niſi Regibus, quorum tempora in Religione Dei nullam deformitatem contraxerunt. Tu verò ſi quam deformitatem vſquam repereras, oſtendere illam debebas; Rectè ergo Cardinalis, dixit. Non inuenire ſe, loco citato, huiuſ-

modi

modi Deformationem; nam non Reformatur niſi Deformatum.

Scio ego, & certus ſum, Fide Catholica, Filium miſſum à Patre, ſcio Chriſtum dicere. Cum venerit Paraclitus, quem ego Mittam vobis, attamen eadem Fide certus ſum, quòd In Trinitate, nihil prius, aut poſterius, nihil maius, aut minùs, ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.] Tu verò certè, qui filium dicis minorem Patre, quia Miſſus, qua etiam ratione paraclitum minorem Filio facis; & ita non modò Arianus, ſed etiam Macedonianus deprehenderis. Miſit Leoiras Rex Ioſaphat, miſit Sacerdotes, qui erudirent Populum in Dei lege; ſed oſtendere debebas, propria auctoritate miſiſſe, & ſine conſenſu Pontificis; nam cum Scriptura aliquod Factum commendat (niſi oppoſitum conſter, quod ex ignorantia excuſetur) credimus Factum illud non carere vlla circumſtantia, quæ neceſſaria ſit ad eius perfectionem. Quarè, cum rerum, quæ ad legem Dei pertinent (vt oſtendimus) ſuprema Poteſtas à Deo fuerit commiſſa Pontifici, nullaque Regi; ſequitur, vt Rex Ioſaphat in hac miſſione, quæ commendatur à Scriptura, ſe geſſerit iuxta Sacerdotis Imperium. miſſio itaque iſta, non Primatum Regis, ſed eius zelum oſtendit.

Ad ea de miſſionibus, quæ in Pontifice auctoritatem dicunt, & non zelum, reſpondeo. miſſio in eo dicit poteſtatem, & auctoritatem ſuper miſſo; cui ex lege miſſum mittere licet, cuique ex eadem eius, pro quo mittit, cura commiſſa eſt. Ergo vt ſciamus, an dicat auctoritatem miſſio Ioſapher, an aliud quidpiam, ex Dei lege examinanda eſt. Oſtendimus nos, ex Dei lege Sacerdotes immunes à Poteſtate Principum, oſtendimus Religionis ſupremã curam commiſſam fuiſſe, non Principibus, ſed Sacerdotibus, & Pontifici ipſorum ſupremo; iure ergo dicimus; miſſionem Sacerdotum, in re Religionis, dicere auctoritatem in Pontifice, non in Principe. Oſtende tu diuinæ legis ſaltem vnicum teſtimonium, quo probes, ſacrarum rerum & Religionis ſupremam curam commiſſam Principi, & tunc credimus miſſionem Ioſaphat auctoritatis fuiſſe, non zeli. Id verò tu nunquam probabis, nec enim id probarunt maiores tui, ſuprà quos, tu præter verba nihil.

L. Iam verò, vt miſſiones eleuet, calido nimis conſilio, docendi munus ad Primatum propriè pertinere autumat. Vereor etiam nè triſti ſucceſſu. Nam ſi ex quo docendi munere deſungi deſierunt Pontifices, Primatus ad eos propriè non pertinuit, Primatum qui poteſt capere capiat. Vix enim, credo, Torti Arauus Pontificem vllum docentem audiuit.

M. A. In hac, & ſequentibus tuis obiectionibus ſupponis legislatores, Iudices, Principes non docere, legibus, iudicijs, & ſanctionibus; ſed credis, docere ſolos magiſtros, atque Doctores. Quo quid ineptius? Audi Apoſtolum. Si autem tu Iudæus cognominaris, & requieſcis in lege, & gloriaris in Deo, & noſti voluntatem eius, & probas vtiliora, inſtructus per legem, confidis te ipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris ſunt, eruditorem Inſipientium, magiſtrum inſantium, habentem formam ſcientiæ; & veritatis in lege. Et infrà. Per legem cognitio peccati.] Et in Deuteronomio; audiſti iam, quòd Deus, loquens de iudicio Sacerdotum, inquit. [Quod Sacerdotes iudicando docebunt, iuxta legem Dei. Et Sapientia dicit. Per me Reges regnant, per me Principes imperant, & Potentes decernunt iuſtitiam. Nonne Lex à legando dicta, quod teſte Varrone idem ſignificat, quòd deligere, eò quòd lex ſit certa norma, & regula deligendi rectum? (verba Varronis ſunt. [Leges, quæ lectæ, & ad populum latæ, quas obſeruet) Ciceroni verò lex eſt recti præceptio, praui que depulſio.

Aſſerunt hebraicè legem dictam Thoraab, à verbo Iarah, quod eſt docere, quaſi lex idem ſit, quòd latinè doctrina. Chaldaicè verò à verbo Vr, quod eſt illuminio, quia veluti ſplendor illuminat dirigendo. Docent ergo, qui iudicant, quique leges ferunt; id verò, ſi verum eſt, quòd inficiari non audeat, nec Hypocratis filius; quomodo audes aſſerere, [Pontifices olim docere deſijſſe?] docuerunt ſemper, ſemperque docebunt Eccleſiam Chriſti, & ita docebunt, vt aduerſùm illam portæ inferi ſint præualituræ nunquam. Tuque, & Rex tuus hoc vnum modò doletis, nempè Paulum V. Catholicos Anglos docuiſſe, quid faciendum, iuxta Dei, & Eccleſiæ legts.

L. [Credo autem Tortum pænitebit dicti, ſic enim Prophera Pontifice Maior, ſic ſanctiſſimo Domino multi Dominicani, quibus à docendo munus Prædicatorum, ſic deinque maiores eruot, quos, vt docerent, miſit Ioſaphat; quàm Rex ipſe, qui miſit, nam nos quidem hic in gubernando primatum ponimus, non docendo; & Regem non doctorem ſummum, ſed Gubernatorem dicimus, vt iam dirimi poſſit lis, & herciſci inter regem, & Pontificem, Pontifex, vt ſummus ſit, in docendi munere, quod propriè pertinet ad primatum ſuum; in gobernandi Rex; quod ille ſolùm ſibi vendicat, vt ſuum; nec illum alterum Pontificalem docendi inuadet vnquam. Sed vereor, vt ſtet Pontifex huic Torti primatui proprio; & ægrè ferat præreptum ſibi alterum illum improprium gubernandi.

M. A. Te credo pænitebit dicti, nam nihil aliud quærimus, niſi vt Rex Pontifici præripiat docendi primatum in Eccleſiaſticis; nihil aliud Rex veſter quærit, niſi vt illi docendi primatum cedamus: Tu ergo nec ſtatum controuerſiæ noſti, & veritatem inſcius confiteris. Fac regem exequi, vt Pontifex docet, & iam dirimi poteſt lis; iam poteſt herciſci inter Pontificem, & regem, vtinam velit Rex. Tu verò, inquis, [Regem ſummum Gubernatorem dicimus, non ſummum doctorem?] & non pudet? An fieri poteſt, vt homines quis gubernet non docendo? Docet, qui iubet, docet, qui vetat, docet, qui punit; docet, qui præmijs afficit; denique nil penè agit Gubernator, quin doceat. Summus itaque doctor eſt ſummus gubernator, & ſummus gubernator ſummus doctor. Hinc cum Deus toti Synagogæ caput præfeciſſet Pontificem, in rationali eius poſuit Vrim, & Thumim, doctrinam ſcilicet, & veritatem, vndè rerum omnium, omnium iudiciorum, omniumque agendorum rationem

Pontifices populus ſciſeitabatur. Ipſique de ijs reſponſa teddebant. Quate tu, vel malè facis Regem ſummum Gubetnatorem, vel malè negas, ſummum eſſe doctorem. Docet Pontifex, Regem non eſſe ſummum Gubernatorem Eccleſiæ; vel ergo Rex docentem Pontificem audit, vel non; ſi audit non eſt ſummus Gubetnator; ſin conttà, Pontifex non eſt ſummus doctor, ſed Rex, qui doctrinam ſuam ptæfert doctrinæ Pontificis. Tu verò vetitate compulſus Pontificem ſummum doctorem feeiſti, vt Eccleſiæ Tyraunum Regem tuum probares. At inquis; [Ergo etunt maiores ſanctiſſimo Domino multi doctores, falſiſſima illatio; nam omnes doctores Catholici ſuam doctrinam Pontificis cenſuræ ſubijciunt, vt is probet illam, vel reprobet; ſummum ergo doctorem Catholicorum omnium illum agnoſcunt. Non nos ergo, ſed te dicti pænitebit, qui ineautus Regi tuo primatum ademiſti.

L. [Quod autem addit auctarij loco, de vltimo eius ſupplieio, qui non paret Pontifici; (addere tamen debuit iuxtà Dei legem reſpondenti) Id verò pto eo non facit, conttà potiùs. Dieat enim, qui ita Pontifici non paret, in eum vbi aget Pontifex? apud quem reus ſiſtetur; quis ſententiam feret? Quis capite plectet immorigerum? eſt qui ſpreto Pontifiee, ius dicit; is ipſe quiſquis eſt, per me primatum fetat.

M. A. Quàm imprudens, ſtolidum, & malè tutum ſit illud diuertieulum, ſupra diſpicere potuiſti, nunc pro paucis illis, quæ addidiſti, illud occurrit, quod ſine pudore, te cogitare impoſſibile eſt. Qui in crimen læſæ Maieſtatis regis tui incidunt; hi ex articulis 11. & 12. edicti Veſtri, per Magiſtratus, & ordines veſtros iudicandi, & plectendi ſunt. Quare ſi qui eapite plectit immorigerum, ſi qui ſpreto Rege, ius dicit, qui ſeutentiam fert, apud quem reus ſiſtitur, is per te primatum fert; ſubijcis iā ordinibus Regni Regem tuum, illiſque de tuo Rege primatum concedis; itaque dum paſtoris vitgam Regi porrigis, eidem ſceptrum regale adimis, & tales pattonos credis Regi placete.

CAP. XXXII.

Deiecti ab Salomone Abiactarri exemplum, Regij Primatus cauſam nihil omninò iuuare.

REx. Pontificem ſummum exauctorauere, aliumque in eius locum ſubrogauete 1. Reg. 2. 27.

Car. At Pontifex quoque teginam non ſolùm exauctorauit, ſed etiam interfici iuſſit, & Regem alium ſubrogauit 4. Regi 11. At aliud eſt, facta Regum teferre, aliud auctoritatem, poteſtatemque probare. Vt ommittam, quòd factum illud Salomonis ex 1. Reg. 2. tribui ſolet Salomoni, non vt Regi, ſed vt Prophetæ, extraordinatiam poteſtatem diuinitùs obtinenti.

L. Ad Regem etiam pertinet, alio adhuc modo Pontifiei ius dicere, eumque (ita exigeutibus eis demeritis) exauctorare, & in locum Abiatharti Sadocum ſurrogare. Facit hoc, credo ad primatum Regis.

M. A. Tu modò facias Regem tuum Eccleſiæ ptæſulem, non vereris ipſum deteriorem facere hominibus ſceleſtiſſimis, & veſtra quoque ſententia, maximè impijs. Conſtantius Impetator cum Athanaſium hoſtiliter inſectaretur, plutimaque illi obiectaret crimina læſæ Maieſtatis, & ſuper omnia illum exauctoratum cuperet, non tameu arbitratus eſt, ſe auctoritate ſua poſſe ſanctum Patriarcham e gtadu deijcere, ſed concilia priùs, dein Liberium Romanum Pontifieem ad hoc agendum multis modis adducere tentauit. Imperatorem ipſum audiamus de proprijs iniurijs alloquentem Liberium. [Ille quidem (Athanaſius) læſit vniuerſos, ſed neminem æquè, ac me. Qui, non contentus interitu Fratris mei iunioris, nunquam ceſſauit, beatum Conſtantem impellere, ad inimicitias noſtras. Sed nos ſumma manſuetudine, & inſtigantis impetus tulimus. Nullus mihi tantus ſucceſſus cordi eſt, neque aduersùs Magnentium, neque aduersùs Syluanum, atque ſceleſti huius, a rebus Eccleſiaſticis amotio.] Noluit tamen ideò ſubſcribere Liberius damnationi Athanaſij, non ideò auſus Conſtantius ſua auctoritate Athanaſium exauctorare, & tu in Eccleſiaſticis, vis Regem tuum præſumere magis, quàm Imperator ille; qualis autem Imperator, te ipſum audi. [Conſtantius autem qualis? totus Arianus, & pro Arianis, tam verò ſine iudicio, vt nouies fidem mutarit, nouies fidei diuetſas confeſſiones, ediderit; tam artogans, vt hæc illius vox fuerit. Quòd ego volo, pro Canone ſit, tam prophanus, vt ſi quem Epiſcopum eſſe vellet, hoc illi dictum ſit. Sentias contrà Chriſtum, nec de moribus tuis ſis anxius; hoc enim ſufficit tibi ad commendationem, & ptincipis amicitiam.] Hic verò Impetator Arianus, ita ſine iudicio, arrogans, prophanus, cum prætenderet Epiſcopum intuliſſe mortem Imperatori Fratri, alterum verò Imperatorem fratrem ad arma etiam contra ſe incitaſſe, eumque ideò eius exauctorationem cuperet magis, quàm afficeretur interitu duorum Tyrannorum, qui eius Imperium inuaſerant, non auſus tamen illum exauctorare; & tu credis, ſine grauiſſima nota honoris ſui, Regem tuum poſſe tranſgredi tetminos Conſtantij contra Eccleſiam; contra Pontifices? At quando Salomonis exemplo peccatum veſtrum excuſare tentatis, quæ de illo contra Cardinalem dicas audiamus, audiamus attente; ſacram enim anchoram ſoluis.

L. [Verſat ſe hìc in omnem partem Tortus; ter cuneum hunc conatur reuellere, ter perdit operam, nec reuellit tamen. Litem primò reſoluit lite, ſed iniqua, & falſa. Si Rex Pontificem hunc, alius Pontifex Reginam Athaliam, & Regno priuauit, & vita. Non Reginam, Torte, quæ contrà Ius, faſque omne, ſolium, non ſine tot Nepotum ſuorum cæde, & ſanguine per ſummum ſcelus occuparat. Soſpes tum, & ſuperſtes Regni verus hæres, verus Rex Ioas, quo in viuis exiſtente, Athalia Regina eſſe non potuit. Quo lubet ergò nomine appelles, vel ſi voles Tygridem, feriuæ enim crudelitatis. Nos Reginam negamus, nec id vnquam dabimus, vt cum legitimo Pontifice illegitimam non Re-

ginam

ginam, ſed Regni vſurpatricem componens, litem hanc hac lite reſoluas.]

M. A. Litem noua non reſoluit lite Cardinalis, falleris L. Athalia regnabat, ſed eſto malè regnauerit, eſto Regnum inuaſerit, eſto Tygris, crudelitate fuerit. Peto à te, cuius erat de illa iudicare? illam Regno ſimul, & vita priuare? Dicis. Pontificis Ioiadæ; Ergo, inquam ego, cum Pontifex iudicat aliquem Regni illegitimum poſſeſſorem, cum nouæ Athaliæ feritatem videt in proprium ſæuire ſanguinem (hanc etiam cauſam adde, fuit enim) cum Dei verum cultum proſtitutum cernit; licet eidem Pontifici armare militem in necem Athaliæ, eamque ſimul Regno, & vita priuare. Cætera noſti. Pontifex illegitimum poteſt priuare, legitimum poteſt inſtituere Regem. De his nulla lis, nulla controuerſia, tumet, vtrumque fateris, ergo ſi tu ſubijcis Pontificem Regi, quia vnus Rex vnum priuauit Pontificem, alterumque ſubrogauit, & nos Regem Pontifici ſubijcimus, quia vnus Pontifex vnam Reginam illegitimam regno, & vita priuauit, & legitimum creauit Regem, pro illa. At iniquis [Regina erat crudelis, & illegitima; Abiathar verò legitimus Pontifex;] Puerile inuentum; quaſi poteſtas iudicandi, & Prȩlatio non colligatur æquè ab abſolutione innocentum, atque à damnatione noxiorum, æquè à deiectione inuaſoris, atque à reſtitutione legitimi Domini. Ptælationis, & maioritatis æquè vtrumque argumentum apud omnes gentes, nedum apud iuris peritos, & tu id ignoras?

L. [Nec ſibi in Athalia ſua ſatisfacit Tortus; altera vice tentat, ſic potè. Aliud eſt facta Regum referre, aliud auctoritatem probare. Quid audio? Illud dicere vult, ſed eloqui non audet, factum hoc contra ius à Salomone, quòd pontificem abdicauit. Ita, vt Pontificis primatum erigat, incurrit in Salomonem. Nam ſi auctoritatem hoc Regis non probat, factum ergo ſine auctoritate legitima. Sin legitimè factum, auctoritati probandæ ſatis eſt. Peccauit ergò Salomon, & Sadoc intruſor, & Abiathar ſanctus confeſſor potiùs, quàm vt Regi conſtet primatus ſuus. Videtis ne os hominis?]

M.A. Cardinalis Caietanus, quem tanti facis, vt aliquando, quod ſupra audiuimus, illius auctoritatem ſolam, contra communem, ſatis fuiſſe credideris ad inferendum. Falſa ergò cauſa Torti, tenet, Salomonem peccaſſe in depoſitione Abiatharri. Quare, capra gladium. Nec mireris, dicere aliquem, hac in re, Salomonem peccaſſe. Nam, vt omittam eius Idololatriam, ipſo capite ſequenti leges. [Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis Dauid Patris ſui, excepto quòd in excelſis immolabat, & accendebat thymiama.] Et inſuper, contra Dei legem, alienigenarum connubium affectarat, ducta Vxore filia Pharaonis. Nouum ergo non eſt, non magnum, peccare Salomonem. Dicis præterea; Ergo Sadoch intruſor. Reſpondeo. Multa facta tenent, quæ fieri prohibentur, & non eſt impoſſibile, duos Epiſcopos ſimul eſſe legitimos Paſtores eiuſdem Vrbis. Caſus eſt in Concilio Chalcedonenſi, act. 14. in Sauiniano, & Athanaſio Paſenorum Epiſcopis. Nec vnus iuſtè damnatus cenſetur, nec alter intruſus. Ità fortè fuit in Abiatharro. Nam ſi eius depoſitio valida, quomodo capite quarto, ſtatim pęnè à depoſitione iſta, legitur Sadoch autem, & Abiathar Sacerdotes? poſtquam depoſitus, poſtquam in exilium pulſus, adhuc ſcriptura facit illum, cum, Sadocho Pontificem, ſignum ergo, quòd eius depoſitio nulla fuerat. Hæc dicit fortè, qui Caietani ſententiam ſequetur.

L. [Sed ne ſic quidem etiam ſatisfacit ſibi. Nouam ergo formam aſſumit Proteus priori planè contrariam; omittit enim. Quòd tribui ſolet factum hoc Salomoni, vt Prophetæ, non Regi; non Regiam, ſed extraordinariam poteſtatem diuinitùs obtinenti. Dixit omittere ſe hoc, nec omiſit, poſuit tamen, ita prorſùs omiſſione dignum. Non vt Regi tribui ſolet factum hoc Salomoni, ſed vt Prophetæ. Factum, vt Prophetæ? immò dictum, vt Prophetæ. Per Prophetam res prædicitur, per alios operè completur, ſæpè non Prophetas, ſæpè & Reprobos. Qui prędicit, is Propheta eſt, qui quod prædixit ille, poſt implet, obſignat prophetiam, Propheta ipſe non eſt. Alioqui Herodes Propheta, per quem factum, vt impleretur Sermo Domini, per Prophetam, de Infantium nece, & milites Prophetæ, per quos, vt ſermo alius Prophetę impleretur, cum iecerunt ſortes ſuper tunicam Chriſti, cum aceto cum potarunt, & Phariſæi, per quos alius, cum oderunt Chriſtum gratis, & filius denique perditionis Iudas ipſe Propheta, per quem alius, cum leuaret contra Chriſtum calcaneum ſuum. Nunquid omnes ij inter Prophetas? omnes, ſi id ſatis ad ſuſcitandum Prophetam, vt fiat per eum quid, vndè impleatur Sermo Domini; Per hos enim omnes factum eſt aliquid, vndè impletur Sermo Domini. Apage verò hos Torti Prophetas.]

M. A. Expeditus à prima reſponſione Catholicorum, de facto Salomonis, ſecundum impugnare incipis. Probare vis non eiectum fuiſſe Abiatharrum à Salomone, prophetica poteſtate, ſed regia, & hæc argumenta tibi finis excidere ab ore, à calamo.

Primum. [Factum, vt Prophetæ? immò dictum, vt Prophetæ.]

Ego ſanè tuo nomine erubeſco ſuper hac obiectione, videris enim ſacram Scripturam penitùs ignorare. Samuel Saulum Regno priuauit, quod Dauidem donauit poſtea, factum id eſt ab eo, tanquam à Sacerdote, an verò tanquam à Propheta? ſi vt à Sacerdote factum agnoſcis, ergò Sacerdos Rege ſuperior; ſi vt Propheta; ergò non modò dictum, ſed factum etiam competit Prophetæ. Dic quæſo, qua poteſtate idem iſte Samuel, contra Saulis voluntatem, Regem Agag in fruſtra diſcerpſit? Qua poteſtate Ahias vnxit, Regem Ieroboamum ſuper Iſrael, contra Roboamum eius naturalem Principem? qua poteſtate Elias tranſtulit Regnum Syriæ in Azaelem, & Regnum Iſrael in Iehu, deiecto Rege Achabo? qua poteſtate 850. Sacerdotes Baal interfecit? Dies me deficiat, ſi cuncta opera Prophetarum Domini recenſere velim, in quibus nullam aliam poteſtatem reperias, niſi prophetæ; ſed ea libenter omitto, ſufficere enim, hæc arbitror, vt cognoſcas tui iſtius argumenti leuitatem.

Se-

Secundum argumentum tuum eſt. [Qui prædicit, is Propheta eſt, qui, quod prædixit ille, poſt impler, obſignat prophetiam, Propheta non eſt.] Hoc tuum argumentum ſimul eſt hæreticum, ſimul & leue, immò prorsùs inane; nam cum ex eo velis concludere, Salomonem non depoſuiſſe Abiatharrum, vt Prophetam, ex neceſſitate ira formanda ratio tua, ex regulis analyticis.

Qui implet prophetiam, Propheta non eſt,
Salomon impleuit prophetiam. Ergo
Salomon Propheta non fuit.
Quòd ſi Propheta non fuit, nec etiam, vt Propheta Abiatharrum depoſuit.

Nunc verò, quia in logica plurimùm gloriaris, logicè tecum agenda res eſt. Vel maiorem hanc indefinitam, vuiuerſalem facis, vel particulatem. Si ſacis vniuerſalem, erit hæc. Nullus, qui implet prophetiam, Propheta eſt.] Quæ abſolutè hæretica eſt, vidiſti enim ſupra Samuelem, Dauidem, Eliam, Eliſæum varias impleuiſſe prophetias; Quare, vel Prophetæ ipſi non ſunt; vel ſi ſunt, hæretica propoſitio tua, ſunt verò illi, & Salomon æquè, ac illi.

Si particularem facis, argumentum etit hoc in forma.

Aliquis, qui implet prophetiam, Propheta non eſt,
Salomon impleuit prophetinm de domo Heli. Ergo
Salomon Propheta non fuit.

Hic paralogiſmus eſt in prima figuta, ex maiori particulari, qui ob dictum de omni, & de nullo nunquam concludit. Sic enim poſſemus concludere, te nec hominem eſſe, nec Chriſtianum.

Aliqua ſubſtantia non eſt homo
L. eſt ſubſtauria; ergo
L. non eſt homo.
Aliquis homo non eſt Chriſtianus
L. eſt homo; ergo
L. non eſt Chriſtianus.

Tale prorsùs eſt tuum argumentum. Egregius ergo, vel analyticus, vel Chriſtianus es, dum ira te geris. At vbi didiciſti, Salomonem Prophetam nou fuiſſe? Verum fortaſſe dices, non negaſſe te, Salomonem Prophetam fuiſſe; Id cœco alicui perſuadere poteris, mihi non certè. Demonſtro te id negaſſe; Ex tribus terminis conſtat ſyllogiſmus tuus, vt omnis ſyllogiſmus. Medius terminus implet prophetiam. Maius extremum Propheta. Minus extremum Salomon, de quo maius extremum demonſtrandum. Concluſio ſequitur ſemper debiliotem partem ſyllogiſmi, vt ſi vna propoſitio ſit particularis, concluſio etiam particularis ſit, ſi negatiua altera propoſitio, & negatiua concluſio. Maiot tui ſyllogiſmi eſt negatiua; ergò negatina debet eſſe concluſio; debet proindè negari maius extremum de ſubiecto, Propheta ſcilicet de Salomone. Puduit te, exprimere hæreticam concluſionem, quam tamen apertè videt quilibet, cui ſit ſenſus communis.

Exempla, quæ adducis ad tuam maiorem propoſitionem confirmandam; non probant vuiuerſalem, ſed particulatem, ſcilicet. [Aliquos executores prophetiæ Prophetas non eſſe.] Hoc nos nunquam negauimus; at neque tu negare potes, [Aliquos executores prophetiæ Prophetas fuiſſe] inrer quos Salomon. Et paucis catholicorum ſeutentiam de ſacto Salomonis ribi ob oculos pono. Vel peccauit Salomon deponendo Abiatharrum, vel non peccauit. Si peccauit, nihil fauet primatui veſtro. Si non peccauit, videndum eſt, qua poteſtate ſecerit, Regiam enim, & propheticam habebat. Regia non potuit, quia diuino iure Regnum Sacerdotio ſubeſſe vidimus. Reſtat ergo, vt prophetica fecerit.

L. [A quo verò ſolet hoc tribui? à Domino eius, qui ſatis impropriè hæc feciſſe dicit Salomonem, vt Prophetam, & diuinæ Iuſtitiæ executorem. Quæ duo tamen diſpatara ſunt. Propheta enim diuinæ Iuſtitiæ Nuntius eſt, Iuterpres eſt, executor non eſt.

M. A. Non à Cardinali ſolo, ſed ante ipſum à Theodoreto, poſt à Turrecremata, & alijs pluribus tribuitut factum hoc Salomoni, vt Prophetæ. Quos recenſui Prophetas, vidiſti iam, diuinæ Iuſtitiæ, non modò Nuntios, & interpretes, ſed executores etiam extitiſſe.

L. [Intetpres prophetiæ ſuæ, non executot alienæ.]

M. A. Alienæ quoqne prophetiæ executores ſuerunt Prophetæ; nam, & Dauid executus eſt ptophetias Samuelis, de ſe ipſo, & Eliſæus prophetias Eliæ, & aliotum alij.

L. [Satis, & illud imptopriè (non vt Regem, ſed vt diuinæ Iuſtitiæ executorem) quaſi Rex ipſe diuinæ Iuſtitiæ executor propriè non ſit. Sed neque eiecit Rex Abiathar ad iſtum finem, vt impleretur ſermo Domini, ſed ex læſæ Maieſtatis crimine; ſuit modò conſequens ad eiectiouem Abiathar impletio prophetiæ, arque eo loco, vt, conſecutionem denotat, non cauſam finalem, quod te Toſtatus docere potuit.]

M. A. Vetum eſt, qnod Rex aliquando eſt executor diuinæ Iuſtitiæ, ſed non omnis executor diuinæ Iuſtitiæ Rex eſt, nec omnis Rex executor diuinæ Iuſtitiæ. Nam nec Pharao impediendo exitum hebræorum, nec Nabuchodonoſor dum miſit pueros in fornacem, nec Herodes dum Innocentes trucidauit diuinæ Iuſtitiæ executores fuetunt; vtì, nec Vrſi, qui pueros deridentes Eliſæum lacerarunt, Reges fuerunt, nec Eliſæus ipſe, nec Elias, nec omnes hebræi, qui ſpoliarunt Ægyprum. Cum etgò diſtinguantut optimè, Rex, & diuinæ Iuſtitiæ executor; non impropriè locutus eſt Cardinalis, qui dixit. [Non vt Regem, ſed vt Prophetam, & diuinæ Iuſtitiꝫ executorem, Hic preme: non vt Regem, ſed vt Prophetam.] Non dixit Cardinalis finem Salomonis in deiectione Abiatharri fuiſſe adimpletionem prophetiæ, quod tu fingis, ſed, ex eo loco, probauit, Salomonem executorem fuiſſe diuinæ Iuſtitiæ.

L. Quòd ſi Spiritui ſancto quid ſoletis tribuere, non vno loco ille factum hoc, Regi tribuit vet. 26. Abiatharro quoque dixit Rex. Rex, qui proximè præcedenti verſu Adoniam cædi iuſſerat; idem, verſu hoc, iuſſit quoque Abiathar loco cedere, verſ. 35. (Po-

ſuit

ſuit Rex Sacerdotem Sadoch pro Abiathar) Rex vtrobique, quaſi contra vos expreſſo Regis nomine. Ita bis Regi factum tribuit Spiritus ſanctus, quod ſpiritus Torti, non Regi, ſed prophetæ. Poteſtate Regia negas? At hę voces (Abi ad agrum tuum, ibi te contine, & Vir mortis es,ſed non interficiam te) Regis ſunt, non Prophetæ. Relegare homines, vbi mortis rei ſunt, vitam illis indulgere; pœnam capitalem in mitiorem depoſitionis commutare, poteſtatis Regiæ ſunt, Prophetæ non competunt. Denique, qua poteſtate Banaiam pro Ioabo conſtituit ſuper exercitum (quam tu ſpero Propheticam non dices, ſed Regiam) eadem, nec alia, Sadochum pro Abiatharro conſtituit ſuper Sacerdotium. Regia vtrumque, vtrumque vno, eodemque verſu, non vna in priore inciſo, poteſtate nimirùm Regia, alia in poſteriore nempè prophetica,]

M. A. Tria hæc argumenta nunquam expectaſſem à viro, qui amat Sapientum octauus haberi. Primum eſt [Scriptura tribuit hoc factum Regi; ergò fecit, vt Rex.] Dicit etiam Scriptura. [Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas] non tamen dixeris, amorem alienigenarum competere Salomoni, vt Regi. Reperies in ſcriptura, [quod Rex dormit, ſurgit, ægrotat, ſeneſcit, moritur.] Ergò Regibus,vt Regibus iſta competunt? Nec Logicæ Tyrones has fallacias ignorant.

Alterum argumentum eſt; [Quòd illæ voces, vbi ad agrum &c.non ſunt prophetæ.] Vndè habes, quod non ſunt prophetæ? Ex ſententia tua Rex maior eſt Sacerdote; ſimplex verò Propheta poteſt deponere Reges, poteſt, & Reges alios ſubrogare, & Regius Propheta Sacerdotem vnum, ab vrbe vna, pellere non poterit? Maiora minor poterit, & maior minora non poterit?

Tertium argumentum ineptum ſanè, & ipſum, ridiculumque eſt hoc. [Vno, & eodem verſu conſtituit Banaiam ſuper exercitum, & Sadochum pro Abiatharro ſuper Sacerdotium; Ergò eadem poteſtate.] Nouum ſanè identitatis genus, quod ab vnitate verſuum colligitur, & verè,ſi validum eſſet, cum vno, eodemque verſu ſæpè reperias cœlum, & terram; tenebras, & lucem, bonum, & malum; Deum, & diabolum, oppoſita omnia idem erunt, Do eſſe eodem verſu ſcripta hæc, do eſſe geſta eodem momento, tu quoque eodem momento vides, loqueris, aleris, nec tamen omnia hæc eadem facultate præſtas.

L. [Poſtremò, vt miſerè laborare illi cauſam ſcias, ad miſellum illud effugium, ſe recipit extraordinariæ poteſtatis, ad quam confugere non ſolet quis, niſi, cui deplorata res eſt; niſi, cui nihil ordinarij eſt, quod reſpondeat. Vt enim, qui vita priuari dignus, non vita priuetur, ſed munere, ordinaria Regis poteſtas eſt, extraordinariam Prophetæ non requirit. Bonum factum erit ſemper, vtcumque factum ſit, cum ordinaria non poteſt extraordinaria quadam, neſcio qua facultate medicari.]

M. A. Audi hac de re ſententiam, quam innuit Cardinalis; Fieri enim poteſt, vt re explicata, deſinas huic detrahere reſponſioni, Paralip. 28. Vidiſti ſuprà; Salomonem ſingulariter electum fuiſſe à Deo ad ędificium Templi, & ad omne eius miniſterium. Erat enim typus Chriſti Domini Noſtri, & ideò, vtraque poteſtate illum, quodam extraordinario modo, Deus præditum eſſe voluit. Vidiſti illum ideò, tanquam aliena à regibus poteſtate præditum, ſacrificia offerre, aliaque plurima facere, quæ ſolis Sacerdotibus competunt, & propria ſunt. Declarauerat Dauid Salomonem Regem, in Chron.1. c.22. Dixerat cap.27. ad omnem Synagogam. [Sed & de filijs meis (filios enim multos mihi dedit Dominus) elegit Salomonem filium meum, vt ſederet in Throno Regni Domini, ſuper Iſrael. [Attamen contra Deum, & Regem, Abiathar cupiebat euehere Adoniam ad Regnum, reiecto Salomone, illique fauebat,& conſulebat. Meruerat ergo, qui aperto Dei iuſſui repugnabat in tanta re affici graui ſupplicio, ne dum à Pontificatu deponi. Et Salomon, qui poteſtatem acceperat à Deo in rebus ſacris, quam nemo aliàs Regum accepit (nec enim cuipiam ipſorum vnquam licuit, vel adolere incenſum, vel ſacrificia offerre ſuper altare) potuit ipſum amouere ab vſu Pontificatus, ſine peccato. Si ergò vis factum Salomonis eſſe argumentum Iuris communis Regum, proba priùs: Reges omnes eandem à Deo poteſtatem habuiſſe, in ſacris, quam Salomon habuit. Hanc verò nunquam probabis, niſi probes, Oziam lepra non fuiſſe percuſſum; quia incenſum voluit adolere; & Saulum Regno non fuiſſe deiectum, quia ſacrificium obtulit. Salomonis ergò poteſtas non fuit Regum communis, ſed illius propria, Regique, vt Regi, omninò accidentalis. Hoc dicere voluit Cardinalis nomine poteſtatis extraordinariæ.

DE TITVLIS REGVM IN TESTAMENTO VETERI.

CAPVT XXXIII.

De titulo Filij Dei.

REX. Nec verò tituli, & notæ, quibus inſignuntur honorariè, ab his eorum vocationibus diſcordant: vocantur enim Filij Altiſſimi; imò verò Dij, & Vncti Domini, in Dei ſolio ſedentes. Famuli Dei, imò Angeli Dei, Facti iuxta cor Dei, Lumina Iſraelis, Nutritij Eccleſiæ, cum innuneris ex eodem genere titulis, atque inſignibus honorarijs, quibus, & vetus vbique ſcatet Teſtamentum, & aduerſarius ignorationem nullam poteſt obtendere.

Card. Primus titulus, pro quo allegatur locus 2. Sam. 7. non conuenit Regibus generatim, ſed ſolùm Salomoni, vt figura Chriſti erat, de quo dictum eſt ab Angelo: (& Filius Altiſſimi vocabitur) Lucæ 1. Quamquam in Deuteron. cap. 32. toti populo dicitur. (Nonne ipſe eſt Pater tuus, qui fecit te, & creauit te?) & nos omnes dicimus. Pater Noſter, qui es in cęlis.]

I. Etiam, vt quàm laboret inuidia in Regum nomen prodat, titulos ipſos arrodit, nec vel illis gaudere ſinit homo maleuolus. Ita re, nomine, ſpoliatos vult; ita omni ex parte imminutum in regiam dignitatem. Quàm id autem inſcite? In primo titulo, quo Filius Altiſſimi Rex dicitur, reſtrictus eſt, & tenax. Soli Salomoni peculiarem vult; non generatim regibus conuenire. Statim autem verbis proximis, quaſi Lethargia correptus, profuſus eſt. Toti Iſraeli communicat, cuius in Deuteronomio Deus Pater dicitur, Tandem etiam ad omnes extendit, qui dicere poſſunt: Pater noſter, qui es in Cœlis, ideſt omninò omnes. Ita negat Regibus primò, ſoli Salomoni ſeruatum vult; eodemque ſpiritu, ſolius Salomonis titulum, impertit etiam infimis de plebe. Nec aduertit, quòd etſi Petrus, Regem honorari, idemque omnes honorari iubeat, nemo tamen dubitet, quin alio honore Regem, quàm omnes: ita etſi Deus idem Regi, idemque nobis Pater, alia tamen, longè alia ratione Regi, quàm nobis; communiore aliqua, Regibus autem propiore quadam, atque illis ſingulari.]

M. A. Etiam, vt quàm labores inſcitia, ipſe prodas, prodas & quàm bellè ſcias Regibus adulari, vel de titulis hiſce cum Cardinali congredi voluiſti; quàm id autem fœliciter? videamus. Dicit Cardinalis, [quòd iſte titulus, loco à Rege citato, non tribuitur Regibus generatim, de quibus Rex agit, ſed ſoli Salomoni, vt erat figura Chriſti.] Et verè Deus ibi alloquens, Nathan de Salomone ait. [Ego ero ei in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium.] Ad quod alludens Angelus, loco à Cardinali citato, ait. [Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in Domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.] Quid vero tu ad hæc? mutus magis, quàm piſces, ò egregium patronum! Si oppugnare volebas Cardinalis reſponſum, oportebat, vt oſtenderes, verba illa, de quibus lis eſt, [Non eſſe dicta de Salomone in particulari, vt erat figura Chriſti, ſed de Regibus in genere, quod prætendit Rex tuus. At oſtendere non poteras; ſiluiſti ergo, ſed hoc ſilentio Regis errorem confeſſus.

Ne tamen putares, Cardinalem negare Reges Dei Filios, & dici, & eſſe, addit, quòd [Omnis populus tum hebræus, tum Chriſtianus, Deum, Patrem agnoſcit, vt hic inferas, & Reges quoque tam Eccleſiæ, quàm Synagogę Filios Dei rectè appellari. At vrges, quòd peculiari, & magis propria ratione Reges appellantur Filij Dei.] O L. controuerſia eſt de facto; Rex aſſerit, quòd in teſtamento veteri, Reges in communi appellantur Filij Dei; addis tu, quòd [Vocantur Filij peculiari magis, & propiore ratione, quàm cæteri omnes.] Quid moramur? Vnicum teſtimonium oſtende, & receptui canimus. Triplici titulo quis vocari poteſt Filius Dei. Ratione creationis; & ſic cum non magis creârit Deus Reges, quàm bubulcos; non magis illi, quàm iſti ſunt Filij Dei. Ratione Regenerationis, & Redemptionis, quam cùm non minùs participent muliones Regis tui, quàm ille ipſe; non magis ille, quàm ipſi, eſt Filius Dei. Ratione amoris; Et ſic quem Deus amat magis, & à quo magis Deus amatur, quocumque loco, gradu, ſtatu ſit, is demùm ſingulari quadam ratione dicitur Filius Dei. Ratione poteſtatis autem, Reges non vocantur Filij, ſed Miniſtri Dei. Ita Pulus ad Rom. 13. Quòd autem diſcrimen ſit inter Filium Regis, & Miniſtrum Regis, nemo te meliùs nouit.

CAP. XXXIV.

De titulo Dij; vbi multa de Regum, & Sacerdotum Dignitate perpenduntur.

CArd. Secundus titulus non ſolis Regibus, ſed omnibus Iudicibus conuenit, ſiue Eccleſiaſtici, ſiue politici ſint. Sic enim locum ab auctore citatum Pſal. 82. (Ego dixi

xi

xi Dij eſtis) intelligendum eſſe docent illa verba eiuſdem Pſalmi (Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat, vſquequo iudicatis iniquitatem, &c.) Locus quoque ex libro Exodi allegatus cap. 22. de Iudicibus, non Regibus intelligatur, quia nulli tunc erant Reges in popolo Dei.]

L. Quod ipſum, & de loco Pſalmi dici poteſt, qui etſi non incommodè quadrare poteſt omnibus, qui Ius dicunt: tamen quis non videt, aliter competere iudicibus, quibus poteſtas à Rege delegata eſt; aliter Regi ipſi, cui à Deo immediatè, cuius ita iudices in prouincia perſonam ſuſtinent, vt Rex ipſe Dei? Quare ab illis per gradus intermedios itur ad Deum: Rex ipſe Deo proximus, cui proiu Dei nomen peculiari quadam, atque inſigni magis ratione conuenit. Multò quidem magis Moyſes, & meliore iure nomen Dei vendicet, qui id tum populo, quod Reges poſt, præſtitit (tum cum ſolus ſederet, & Iſraeli ius diceret) quam alij illi, quos, Dei iuſſu, in partem poſt ſollicitudinis vocauit: Qui etſi, & ipſi Dij vocantur in lege, erant tamen vt re, ita titulo Moyſi multis gradibus inferiores.]

M. A. O L. Controuerſia inter Cardinalem, & Deum tuum (quia ita vis, ita illum appello) eſt, an in Veteri Teſtamento Reges nominentur aliquo eximio titulo, vndè poſſit deduci, quòd Regibus competat primatus Eccleſiæ. Negat Cardinalis noſter, vt negamus omnes catholici. Affirmat Rex Dominus Deus tuus. Verum quomodo probat? Quia, inquit, vocantur Dij. Illos autem ità vocari, colligit ex duobus teſtimonijs, quorum alterum eſt Exodi, alterum Dauidis. Verùm, vt huiuſce veſtræ Deitatis veritas, abſque vlla ambiguitate, perſpicua fiat, cum logico rem logicè agere lubet, illamque abſque verborum ambagibus ob oculos ponere.

Ratio Regis ita ex neceſſitate formanda eſt ſecundùm regulas logicæ.

Qui vocantur in Scripturâ Dij, habent Primatum Spiritualem.
Reges hebræi vocantur in Scriptura Dij.
Ergo.
Reges hebræi habent Primatum Spirituale.

Vtramque propoſitionem negamus, vtramque falſam dicimus, & falſitas Maioris patet, illis eiſdem ex locis, quos allegauit Rex. Nam vtrobique iudices inferiores portarum vocantur Dij, qui dubio procul non habebant ſupremam poteſtatem in Synagoga Iſrael. Id ſola locorum indiget inſpectione. Exodi textus habet. [Si latet fur, Dominus domus applicabitur ad Deos, & infrà. Ad Deos vtriuſque cauſa perueniet, & capite præcedenti de ſeruo, qui noluiſſet manumitti, iubebatur. [Offeret eum Dominus Dijs, & applicabitur ad oſtium.] Hos eoſdem Iudices Synagogæ alloquitur Dauid, in Pſalm. 82, ſic enim incipit. [Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.] Synagoga autem vnicus homo non eſt, quemadmodum Rex, ſed multorum hominum Congregatio. Hiſce ijſdem infrà, dicit. Ego dixi Dij eſtis. Nullus ibi ſermo de Rege, nullibi de ſupremo Synagogæ, vel populi capite. Propterea, ex locis allatis, non modò non probatur, ſed improbatur vtraque propoſitio ſyllogiſmi Regij. Maior, quia Iudices, de quibus ibi ſermo eſt, non ſunt ſupremi Principes Synagogæ. Minor, quia, qui vocantur Dij illis in locis Reges non ſunt.

Vidiſti tu foueam, in quam incidit Deitas Regis tui, atque, vt indè illam extraheres, deſerta ſacra Scriptura (circa quam tota lis) philoſophari cœpiſti, de poteſtate Regum. [Nomen Deorum, inquis, ideò Iudices ſortiuntur, quia à Deo poteſtatem habent. At Reges immediatè habuere poteſtatem à Deo; habuere etiam illis Iudicibus maiorem, & Deo ipſi propriorem. Ergo nomen Deorum propiore quadam, & maiori ratione conuenit Regibus, quàm Iudicibus illis.] Hæc ſummatim ratio tua.

Sed o L, rursùm ad lineas. Negauimus maiorem propoſitionem Regis tui, nempè [Qui vocantur Dij in ſacra Scriptura, ij primatum habent.] Noli ſubterfugere, nos non deludes. Hanc proba, ſi potes, ſin verò, palmam cede. Cedis vero, dum (modeſtus homo) taces, nec probas. Deſperata itaque cauſa maioris propoſitionis, in ſola minori laboras, ſed ibi quoque pari fælicitate. Minor eſt [Reges, in ſacra Scriptura, vocantur Dij.] Probatio huius propoſitionis, non indiget Logica, non ſyllogiſmis, ſed oculis, & lectione. Oſtende, aliquod teſtimonium; vel vnicum, in quo Regibus ſpeciatim Deorum titulus tribuatur, & probaſti. Nuſquam ego legi, quòd cuipiam Hebræorum Regi titulus Dei tributus fuerit. Ratio fortaſſe eſt, quia ſi fuiſſet dictus Deus Rex quiſpiam, oportuiſſet appellare illum Deum Iacob, & Iſrael; hunc verò titulum ſibi peculiarem eſſe voluit Deus ipſe. Equidem legi Moyſem in ſingulari Deum, ſed Deum Pharaonis, non Deum Iſrael. Exod. 7. 1. Conſtitui te Deum Pharaonis, inquit Deus. Cum itaque tota tua ratio ſit penitùs extra oleas, poſſem illam rectè tacitus præterire, verùm vt cognoſcas, quàm malè ſuffulcias Idoli tui Deitatem, omni ex parte labentem, placet & ipſam diſcutere.

Primum in hac ratione petis principium, & accipis vt notum, quod eſt probandum, & de quo tota lis eſt. Concluſio demonſtranda Regi, eſt. [Reges habent poteſtatem primam à Deo, & ſuprà omnes iudices tam Laicos, quàm Eccleſiaſticos.] Probat iſtam concluſionem Rex: Quia Reges vocantur Dij, addis tu ſingulari ratione. Tu verò probas illos appellari Deos ſingulari ratione, [Quia habent à Deo poteſtatem diuinæ proximam, & omnibus alijs maiorem.] Atque ita Rex probat concluſionem per minorem ſuam; Tu vero minorem per concluſionem. Dicit ille. Primatum habent, quia vocantur Dij. Dicis tu. Vocantur Dii, quia primatum habent: ò egregium analyticum; nonne ergo manifeſtè principium petis? Sed alia audi.

A Deo delegatam fuiſſe immediatè poteſtatem iuriſdicundi Regibus Hebræis, falſum eſt. Diſplicuit, vt pridem dixi, Deo, quòd Hebræi Regem poſtulauerint: Dixit enim ad Samuelem. [Non te abiecerũt, ſed me, ne regnem ſuper eos, & Samuel ad populum. Sed & nunc ſtate, & videte rem iſtam grandem, quam facturus eſt Dominus in conſpectu veſtro. Nun-

quid non meſſis tritici eſt hodie? Innocabo Dominum, & dabit voces, & pluuias, & ſcietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis, in conſpectu Domini, petentes ſuper vos Regem. Et clamauit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus vocea, & plunias in illa die. Et timuit omnis populus nimis Dominum, & Samuelem. Ee dixit vniuerſus populus ad Samuelem: Ora pro ſeruis tuis, vt non moriamur: Addidimus enim vniuerſis peceatis noſtris malum; vt peteremns nobis Regem.] Hæc ò L, Deorum tuorum origo. Propterea exprobans Deus hanc petitionem Regum Hebræis, in Oſea, inquit cap. 8. [Vbi eſt Rex tuns iſte? & ſaluum te ſaciat in cunctis vrbibns tuis. Iudicet te, de quo dixiſti. Da mihl Regem, & Principem, & dedi tibi Regem in ira mea, & habni in furore meo. In qnæ D. Hieronymus. Vbi ſunt Iudices tui? vbi Reges? Tu enim dixiſti: Da mihi Regem, & Principes. Itaque dedi tibi Regem Saulum in furore meo, intantùm, vt in diebua meſſis, pluuiam demonſtrarem contra naturam Iudæę Prouinciæ.] Et Deum audeas appellare, quem cum peccato grandi populus poſtulauit, & in ira, atque furore Deus ipſe permilit? Hæc de Regum Origine apud Hebræos, nunc de illorum poteſtate.

Immediatè delegatam eſſe à Deo poteſtatem Regibus Hebræis, nemo ſine rubore aſſerat, qui regum libros, vel mediocriter verſauerit. Samuel ſummus Sacerdos Sanlo primo Hebræorum Regi, regiam poteſtatem delegauit. Dixi delegauit; nam dum illum Regem conſtituit, vtitur Scriptura eodem loquendi modo, quo vſa eſt, dum Moyſes conſtituie iudices ordinarios Synagogæ in Iſrael: hos autem confitetur, L, habuiſſe à Moyſe poteſtatem delegatam. Ibi ait. [Tulique de Tribubus veſtris viros ſapientes, & nobiles, & conſtitui eos Pricipes Tribunos, &c.] Populus verò ad Samuelem dixit. [Ecce tu ſenniſti, & filij tui non ambulant in vijs tuis. Conſtitue nobis Regem, vt iudicet nos, ſicut, & vniuerſę habent nationes, & eodem cap. n. 22. Dixit Dominus ad Samuelem. Audi vocem eorum, & conſtitue ſuper eos Regem, & c. 12. 5. Dixit autem Samuel ad vniuerſum Iſrael. Ecce audini vocem veſtram, iuxta omnia, quæ locuti eſtis ad me, & conſtitui ſuper vos Regem.] Et Rege iam confirmato, ſummæ adhuc auctoritatis. 1. Reg. 10. [Samuel locutus eſt ad populum legem Regui, & ſcripſit in libro, & poſuit coram Domino, & dimiſit Samuel omuem populum ſingulos in domum ſuam.] Samuelem verò ſummum Sacerdotem fuiſſe ſentiunt.

Sanctus Ignatius epiſt. ad Magneſianos, [Saul honore prinatur Regio, non expectana ſummum Sacerdotem Samuelem.]

Sanctus Cyprianus epiſt. 65. ad Rogatianum. [Cum Samuel Sacerdos à Iudæorum populo contemneretur, exelamauit iratus Dominus: Non te ſpreuerunt, ſed me.]

Sanctus Athanaſius homilia de ſemente. [Vnxit Dauidem in Regem Sacerdos Samuel.]

Sanctus Ioannes Chyſoſtomus io epiſt. 2. ad Timoth. cap. 1. hom. 2. loquens de Sacerdotum honore, ait. [Sine honorentur à ſubditis, & hoc illis fieri iubet, quemadmodum dicebat Heli (Aſſumpſi te de domo Patris tui) ſiue iniurijs afficiantur, hoc in ſe Deus ipſe perpetitur, ſicut ad Samuelem, ait: Non te ſprenerunt, ſed me.]

Sanctus Hieronymus in epiſt. ad Titum cap. 1. [Ergo ſi electio Sacerdotum fieret, & Iſaac propter Eſau, & Samuel propter filios ſuos indigni Sacerdotio putarentur.]

Sanctus Auguſtinus 17. de Ciuit. Dei cap. 4. [Heli Sacerdote reprobato, ſubſtitutus eſt in Dei miniſterium Samuel, ſimul officio ſunctus Sacerdotis, & Indicis, & lib 2. retract. cap. 55. Samuel Sacerdoti ſummo Heli ſucceſſit, cum Sacerdotis filius ipſe non eſſet.]

Sanctus Cęleſtinus Papa in epiſt. ad Clerum, & populnm Conſtantinop. de cauſa Neſtorij, & habetur in Concilio Epheſino tom. 1. cap. 18. edit. Venetæ. [Rectè proindè, ſi tamen perſtiterit, ea illi verba obijciemns, quæ Saulo ab ipſo Samuele ſacerdore obiectabantur. (Reiecit te Dominns, ne regnes ſuper Iſrael.)

Sulpitius Seuerus Hiſt. ſac. lib. 1. [Ea tempeſtate Samnel ſacerdos Hebręis pręerat.]

Noo ergo Rex Deo proximus, ſed ſacerdos, & per ſacerdorem, quaſi per gradum intermedium, à Rege itur ad Deum. Imò hanc vnam ob cauſam Saul à Samuele Regno deiectus eſt, quòd ipſe, quaſi eſſer proximus Deo, nec ſacerdotem ſuprà ſe haberet, Samuelis præcepta oeglexit in bello gerendo contra Philiſtæos.

Falſiſſimum eſt: [Reges præſtitiſſe poſt (quod tu aſſeris) quod præſtitit Moyſes tunc, cum ſolus ſederet, & Iſraeli Iua diceret.] Moyſes ſacerdotio tunc ſungebatur; nunquam id Reges præſticere; & ſi qui vſurpare auſi ſunt, à Pontificibus Regno pulſi, & à Deo dirè percuſſi fuere. Omnes, cuiuſcumque generis, cauſas Moyſes ſolus tum iudicabat; uullus Regum id fecit. Ad ipſum poſtea omnes res magni momenti deferri debebant, cauſæque graues, ambiguæ, & diffieiles. Harum iudicium non ad Reges, ſed ad Conſilium 72. & ad Pontificem ſummum illorum caput deferre iuſſi ſunt Hebræi. Perperam ergo quæris eam proportionem inter Regem, & Iudices Synagogæ, quę ante ijſdem fuit eum Moyſe. Hanc vero reperiri inter ſummum ſacerdorem, & illos, pro comperto habeo; vt poſt Moyſem, diuino iure, Moyſis perſonam, & dignitatem ſuſtinuerit non Rex, ſed Pontifex Hebræorum. Satis de hac re ſupra locuti, libenter tamen hic nonnulla adijcimus, nam & aduerſarius quoties poteſt, ſua ſomnia contra manifeſtam veritatem nobis opponit. Si oſtendero, diuino iure, eodem penitùs munere, eodem prorsùs officio functos eſſe, non Reges, ſed ſacerdotes ſummos, poſt Moyſem, quo fungebatur Moyſes, dum in viuis eſſet, poſtquam Iudices inferiores in partem ſollicitudinis vocauit. Iam, opinor, aduerſarius de primatu ampliùs non diſputabit; fatetur enim poteſtatem ſummam tunc temporis Moyſem habuiſſe.

Iethro ſocer Moyſis ita adhortatus eſt illum, vt Iudices conſtitueret in Iſrael. [Audi verba mea, atque conſilia. & erit Dominus tecum. Eſto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt referas, quæ dicuntur ad eum, oſtendaſque populos cœremonias, & ritum colendi, viamque, quam ingredi debeant, &

opus,

opus, quod ſacere debeant.] Nemo verò eſt tam effractæ frontis, nemo tam inſignis audaciæ, qui negare audeat hæc omnia, quæ ſibi propria Moyſes eſſe voluit, ad ſolos ſacerdotes pertinuiſſe, etiam vrgente regno.

Pergit Iethro. [Prouide autem de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis Tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum, omni tempore. Quicquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipſi minora tantummodo iudicent. Quibus auditis, Moyſes fecit omnia, quæ illi ſuggeſſerat.] Non ſolùm in illis, quæ ad Deum pertinebant, reſponſis, cœremonijs, iuſtificationibus, &c. voluit Deus ſummum Sacerdotem ſuccedere Moyſi, ſed etiam in terminandis controuerſijs hiſce ciuilibus magni momenti, & difficilioribus, vt verè agnoſcerent omnes, quòd Pontifices Primatum haberent, non minùs Reipubl. quàm Synagogæ Iſrael. Ideò locum iſtum imitatus in Deuter. 17. ait. [Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, inter cauſam, & cauſam, lepram, & non lepram, ſanguinem, & ſanguinem, iudicumque inter portas tuas (ad portas ſedebant Iudices ordinarij ciuitatum) verba videris variari; ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit ſibi Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, quicumque fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem.] Nonne hæc omnia pœnitùs de Ieipſo ſupra præceperat Moyſes? ita opinor, & præceptum præcepto, verba verbis poſſunt conferri, & propterea, quia abſque ſummo crimine ſummi Principis decreta contemni non poſſunt, ſtatim lex cauet. [Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis, morietur.] Pleno itaque Iure, omnique penitùs poteſtate, non Reges, ſed ſummi Sacerdotes ſuſtinuerunt perſonam, & dignitatem Moyſis poſt illius mortem. Legi ſanè ego in Euangelio, quòd Chriſtus alludens ad locum Deuter. 17. dixit de Sacerdotibus. [Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſeruate, & facite.] Non dixit, quod Herodes, vel eius præceſſores ſediſſent ſuper cathedram Moyſi; non dixit ſeruanda quæcumque iſti dixiſſent. Solis Sacerdotibus cathedram Moyſis tribuit; ſolis illis abſolutam obedientiam tanquam Moyſis ſucceſſoribus præſtare nos iubet. Quare ſi meliore iure Moyſes, quàm Reges omnes Dij nomen ſibi vendicare poterat (quod tu vis) meliore, & iure Sacerdotibus eius, quàm ſucceſſoribus Regum, Titulus iſte conueniet.

Falſum eſt, quòd Iudices, qui vocantur Dij in Scriptura, habuerint poteſtatem à Rege delegatam. Delegauit quippè illam Moyſes, non vt Rex, ſed vt ſummus Sacerdos. Falſum conſequentèr eſt, quòd ita ſe haberent Iudices Iſrael ad Reges, vt olim ad Moyſem; Ità enim ſe habebant ad ſummum Sacerdotem. Propterea, ſi is, qui ſupra omnes Iudices proximus eſſet Deo; Deus vocari deberet, non Rex, ſed Pontifex hoc titulo decorandus foret. Apparet iam, opinor, Deitatem aduerſariorum præcipitem ruere, nec ſcriptura, nec ratione munitam; ſed hac, & illa fortitèr expugnatam. Quòd verò inſolentem iſtum titulum Rex Angliæ ſolus ex mortalibus ambiat, mirentur alij, equidem non miror ego, ſed defleo; qui norim illum maiora moliri, etiam Dei ſedem, & dignitatem affectare. Hic Deus vocari vult; alibi docet Chriſtum rerum omnium, poſt Deum, Dominum, Poteſtati Proprætoriæ iure, & iuſtè fuiſſe ſubiectum, hominemque ſibi dignitate nulla ratione comparandum, Filij Dei legitimum Dominum extitiſſe. Hinc vt colligas, lector, ſe quoque de Redemptoris noſtri (quaſi alterum Deum) non ſolùm nomine, ſed re, Primatum habere; quis enim conferat poteſtatem Pilati cum poteſtate Regis? Hæc hæreticorum noſtri ævi modeſtia.

CAPVT XXXV.

De titulo Chriſti Domini, in quo notantur tres errores inexcuſabiles Aduerſarij.

CAr. Tertius titulus communis eſt Regibus, cum Pontificibus; vtrique enim apud Hebræos vngebantur; apud nos vtique multi Reges non vnguntur; nulli autem Pontifices ſine ſacro oleo conſecrantur.]

[L. Nec multis iam nobis ſermo de Chriſto, ſeu Vncto Domini. Sat ſuprà de eo dictum. Ibi Tortus, quod & hic, molitur, vt nomen ſit Pontifici commune cum Rege. Nec hic, nec ibi locum vllum apponit, nec dictis fidem facit. Nos Chriſtum Domini de Pontifice dictum non damus. Nec moramur Vnctiones Torti. Nam &, citrà oleum, Cyrus Chriſtus Domini dicitur, & antè chriſma Chriſti Pſal. 105. A Deo Titulus, qui latentèr vngit, & in occulto quos regno deſtinat.]

M. A. Nec ego multis te moror. Tria ſequuntur ex tuis dictis, & ineuitabilitèr. Primum contra communem, & veram fidem. Duo contra te, & tuam hæreſim. Tua potiſſima propoſitio eſt. [Nos Chriſtum Domini de Pontifice dictum non damus.] Addo ego, quod eſt de fide. At Ieſus Dominus noſter appellatus fuit Chriſtus Domini. Luc. 2. 26. [Reſponſum acceperat Simeon à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini.] Ergo, ex tua ſententia; Chriſtus non fuit Pontifex. Hoc verò hæreticum eſt, non tantùm Eccleſiæ Catholicæ, ſed vel Synagogæ tuæ. Nec euadere potes, aſſerendo, illum fuiſſe Chriſtum, qua Regem, nam Regem illum fuiſſe, pertinacitèr negas.

Sequitur tamen ſecundò contra te, Chriſtum fuiſſe, vel Regem temporalem. Nam [Reges temporales ſoli (per te) vocantur Chriſti Domini. At Ieſus vocatur Chriſtus Domini. Ergo Ieſus Rex temporalis.

Dicis inſuper (quod & verum eſt) Cyrum Regem Ethnicum vocatum fuiſſe Chriſtum Domini. Id accipio, addoque ex te, quòd Reges infideles ſunt incapaces Primatus Spiritualis. Vndè ſequitur, quòd titulus Chriſti Domini nihil penitùs ad Primatum faciat. Te torque, atque retorque, non euades. Si titulus Chriſti dat Primatum: Infi-

delis dicitur Chriſtus: ergo infidelis capax Primatus. Si infidelis incapax Primatus; Titulus Chriſti tribuitur infideli. Ergo Titulus Chriſti nihil ad Primatum. Cur ergo illum nobis obtrudis?

CAPVT XXXVI.

De Titulo Sedentis in Solio Dei.

CAr. Quartus titulus non ſcio, vndè huc irrepſerit. Nam in lib. 2. Sam. 3. 10. qui locus ad marginem allegatur, Thronus Dauid legitur, Solium Dei non legitur.]

[Titulum quartum neſcit, aut vndè irrepſerit. Si quid ego adiuro, ecquid cedet de ſententia? Lege ergo totidem verbis 2. Chron. 9. 8. (Dilexit te Deus, vt poneret te ſuper Solium ſuum) ibi Solium Dauid, Solium Dei. Dehinc iam ſac titulum agnoſcas, ſaltem ne dicas irreptitium, ne nos te arreptitium dicamus.]

M. A. Tu Regi tuo periclitanti nimis de longè auxilium poſtulas, nec tamen affers. Verba, quæ allegauit Rex, ſunt Abner, filij Ner, Principis militiæ Isboſeth filij Saul, habita ſuprà trigintatres annos, antequam Dauid vita excederet. Verba, quæ ex 2. Chron. adducis tu, in adiutorium Regi, vt gloſſam Textui, ſunt Reginæ Sabæorum, propè quadrageſimum annum Regni Salomonis ad ipſum habita. Allegat ille textum, qui non dicit, quod ipſe vellet. Tu, vt dicere videatur, poſt ſeptuaginta fermè annos à Sabæis vſque euocas fœminam Regiam, quæ verba militis mortui interpretetur. Sed eſto, Thronus, & ſolium Dauid dictum ſit regnum, & ſolium Dei, id tantùm nihil penitùs facit ad Primatum. Populus Iſrael, populus Dei peculiaris vocabatur, & erat; & nihil hac re in Scriptura frequentiùs. Ideò etiam Regnum Iſrael dictum eſt regnum Dei, ſolium Dei, thronus Dei. Dum ergo Regina ait ad Salomonem: [Dilexit te Dominus, vt poneret te ſuper Solium ſuum:] perindè eſt, ac ſi diceret, vt conſtitueret te Regem populi ſui. Nec textus hic gloſſa alia indiget. Ipſamet Regina ſe explicat. [Quia, inquit, diligit Deus Iſrael, & vult ſeruare eum in æternum, idcircò poſuit te ſuper eum Regem, vt ſacias iudicia, atque iuſtitias. Quod antea dixerat, Vt poneret te ſuper Solium ſuum: hic explicat. Poſuit te Regem ſuper Iſrael, quem diligit.] Quid ergo hoc ad Primatum? Rex populi Dei fuit? fuit etiam Pontifex Dei, & in populo Dei, & ſuper populum Dei. Ergo Rex habuerit Primatum? negamus conſequentiam.

CAPVT XXXVII.

De titulo Famuli Dei.

CAt. Quintus Titulus nimis eſt vulgaris; quippè qui conuenit omnibus rebus creatis, de quibus dicitur Pſal. 118. quoniam omnia ſeruiunt tibi.]

[L. Titulum Serui Dei exſufflat, vt vulgarem, vt creaturis omnibus communem, quo tamen Moyſes, & Dauid, tanquam admodum honorifico, indigetarunt ſe, atque ſuper reliquas res creatas paululùm extulerunt. En ſpiritum hominis, qui quod Reges ſibi honori ducunt, tam ſuperbè abijcit, atque conculcat.]

M. A. Rem, quæ cuilibet de plebe, quamuis infimo, communis eſſe poteſt, & à quo nemo de vulgo excluditur, ſi quis vulgarem appellet, quis reprehendat? an non à vulgo vulgare? Ecquis, rogo, de vulgo humillimus homo Seruus Dei eſſe nequit? Iniuria ergo Cardinalem reprehendis, quòd titulum Serui Dei nimis vulgarem pronuntiauerit, vt ex eo colligi poſſit; qui ſeruus Dei eſt, ſupremam poteſtatem in Eccleſia habet. Nos enim innumeros Dei ſeruos, maximos quidem, & præſtantiſſimos agnoſcimus, & veneramur; qui nullam, nedum ſummam poteſtatem in Eccleſia exercuerunt, ſola priuata, & ſolitaria vita contenti. Itaque Cardinalis non abijcit, non conculcat hunc titulum, quem ſcit maximè honorificum eſſe, vel ſummo Pontifici, dum nimis vulgarem, ideſt nimis communem illum appellat. Fac illum dicere, Titulus hominis, Titulus Chriſtiani, nimis vulgares ſunt, nec ex illis quis colligere poteſt Primatum Eccleſiæ. Nunquid illum repræhendes? non, opinor, Nemo tamen eſt, qui neſciat, humanitatem, & fidem Chriſti longè anteferendas eſſe Regnis omnibus. Et Rex tuus maiores gratias ſe Deo debere agnoſcit, quòd homo, quòd Chriſtianus, quam quòd Rex ſit. At inquis.

[L. Nec enim ſerui Dei dicendi omnes, nedum omnia, quæ Deo ſeruiunt. Nec ſeruum eſſe Regem quocumque modo dicimus, ſed ſic, vt Deus ipſe ſeruum ſuum agnoſcat. Ex officio enim ſeruiunt omnia, etiam quæ non poſſunt velle ſeruire. Non tamen multos, puto, agnoſcet pro ſeruis. Et ex ijs, quos agnoſcit, qui illuſtri maximè loco ſeruiunt, per eminentiam quandam ſerui ſunt, nec cæteris ſimiles, vel ſimili loco habendi. Serui enim non æquales. Seruum ſe Dei dixit Saul. Serui huius Dei Saulis Achimelech ſummus Sacerdos bis ſe profitetur ſeruum. Seruus Dei Salomon: Hic tamen ſeruus Abiatharrum (vt tu eum dici vis) conſeruum ſuum depoſuit.]

M. A. Relaberis o L, in priorem foueam; ſeruiunt Deo Reges, ſeruiunt Prophetæ, Patriarchæ, Pontifices, ſeruiunt etiam, qui nullo honore fulgent. [Ex his, dicis tu, qui illuſtri maximè loco ſeruiunt per eminentiam quandam ſerui ſunt, nec cæteris ſimiles, vel ſimili loco habendi.] Sit verum id; remanet adhuc quæſtio, Reges ne, an Sacerdotes maximè illuſtri loco ſeruiant. Ego planè ſcio, Dauidem dictum fuiſſe ſeruum Dei, & is fuit Rex. Scio item Abraham, Iſaac, & Iacob, frequentius appellatos eiuſdem Dei ſeruos, qui dubio procul fuere Sacerdotes, nec Reges. Attamen Deus dici voluit, [Deus Abraham, Iſaac; & Iacob, non Deus Dauid.] Quid ita? quia fortè illi maximè illuſtri loco (adde etiam, maximè inſigni modo) Deo ſeruierunt. Non negabis, opinor, Samuelem, Eliam, Eliſæum, Ahiam, fuiſſe ſeruos Dei; omnes enim Prophetæ ſerui Dei vocantur. Samuel tamen Regnum contulit in Saulum, & ab eo in Dauidem tranſtulit. Quis ergo hic [Deo maximè illuſtri loco ſeruiuit? Ahias ſeruus Dei, ſeruus etiam Salomon aliquando.

Tamen Ahias transfert Regnum à Roboamo filio Salomonis, in eius hoſtem Ieroboamum. Elias, & Eliſæus ſerui Domini, fac Reges etiam Iſrael, & Syriæ, ex officio ſeruos eiuſdem fuiſſe; vtriuſque tamen regna Prophetæ tranſtulerunt in alios, deleta penitùs ſtirpe regis Iſrael. Hìc, quæſo te, quis maior ſeruus Dei? Scio, quòd Saul trucidauit Abimelechum, & totam ſacerdotum vrbem deleuit; at ideò illum appellare ſeruum Dei, nemo niſi ſeruus dœmonis poteſt. Tranſtulit etiam Salomon ſacerdotium ab Abiatharro ad Sadochum; fecit verò non vt Rex, ſed vt ſeruus Dei, ſingularitèr à Deo ad id electus. Si Salomon, ſi Dauid, vt Reges annexum habuiſſent coronæ Iſrael titulum ſerui Dei, omnes eius poſteri eodem inſignes fuiſſent: hoc verò quid abſurdius? Itaque titulus perſonalis hìc fuit, & cum illis deſijt. Quomodo verò inferri poteſt hæc conſequentia? Dauid vocatus fuit ſeruus Dei, nomen quàm pauciſſimis Regibus congruens, & innumeris humillimis hominibus tributum; Ergo omnes Reges, etiam qui indigni ſunt hoc nomine, obtinent Primatum Eccleſiæ? Si tu hanc illationem oſtendas, tuum mihi ingenium plurimùm commendaueris. Ad ea, quæ dicis de numero ſeruorum Dei, interim propero.

[L. Videat interim Tortus, ſi tam numeroſos faciat Dei ſeruos, nec pauciores quàm ſunt creaturæ: ne ita is, qui ſeruus ſeruorum Dei dici vult, ſeruus eſſe cogatur bipedum, atque quadrupedum omnium, & quod adhuc maius eſt, dœmonum. Seruiunt enim Deo, & illi, Gregoriano more, velint, nolint. Quorum tamen non feret (ſcio ſaltem) vt ſeruus ſit Pontifex.]

M.A. Angelos omnes eſſe ſeruos Dei non dubito, & dœmones Angeli. Seruiunt autem Deo, vt lictores conſulibus. Propterea Deus Iob 40. vocat Behemet ſeruum ſuum ſempiternum. Omnia etiam ſeruiunt Deo, & Dei miniſtra ſunt, dum eius imperia exequuntur. Duplex tamen ſeruitus eſt; altera cum Virtute coniuncta, ſine Virtute altera. Quæ cum Virtute ſeruiunt, per excellentiam ſerui Dei vocantur; cætera hoc nomine non cohoneſtantur, quamuis ſeruiant. Non quòd & iſta verè non ſint Dei ſerua, à Deo enim omnia pendent duplici potiſſimùm ratione. Referuntur ad ipſum tanquam ad finem; referuntur etiam tanquam ad motorem. Et inſuper totum, quod ſunt, illius ſunt. Omnia igitur cum Deo ſeruiant, ſunt etiam Dei ſerua; ſed iſtorum ſeruitus, præ illa, indigna videtur, vt eodem nomine cenſeatur. Illorum, quæ cum Virtute ſeruiunt, & quæ communiter ſerui Dei vocantur, ſeruum ſe Pontifex, & dicit, & eſt, & eſſe profitetur. Exſufflamus ideò, vt ridiculam illationem tuam de ſerultute dœmonum. Qui peccatum facit, hic dœmonum ſeruus eſt. Peccatum dœmonis proprium, Apoſtaſiam noſti Tu, igitur caue, ne talis ſis, qualem fingis Pontificem.

CAP. XXXVIII.

De titulo Angeli.

CAr. Sextus Titulus, in loco allegato, lib. 2. Sam. cap. 14. ſoli Dauidi tribuitur; non ob Regiam poteſtatem, ſed ob ſingularem ſapientiam, qua præditus erat. De ſacerdote autem generatim ſcribit Malachias cap. 2. Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.]

[L. Titulum Angeli obliquis oculis aſpicit. Soli Dauidi vindicat, & illi, qua ſapiens, non qua Rex. At in Sacerdotes depluit generatim. Ita vnus Rex Angelus. Sacerdotes autem Angeli, ad vnum omnes. Quàm vbique malignus in Reges? Nec tamen ſolus Dauid Angelus; etiam Rex Tyri Cherub; Rex, inquam, Tyri homo Ethnicus, vt iam ſpero per Tortum liceat, quod paganis datum eſt, Chriſtianis Regibus non negare.]

M.A. Vter obliquis oculis aſpexerit hunc titulum, modò viderit lector. De Dauide ſolo loqui mulierem Thecuam, dixit Cardinalis (ea enim ibi loquitur) addo ego, quòd nec Angelus Domini Dauid ab ea dicitur. Ait quippè primùm. [Sicut Angelus Domini, ſic eſt Dominus meus Rex, vt nec benedictione, nec malectione moueatur. Dicit poſtea. Tu autem Domine mi Rex ſapiens es, ſicut habet ſapientiam Angelus Dei, vt intelligas omnia ſuper terram.] In primo loco dicit, quòd Dauid eſt ſicut Angelus carens affectuum perturbatione. In ſecundò, quod eſt ſapiens ad inſtar Angeli. Vtrobique ſimilitudo, nullibi identitas. Sacerdotes autem non à muliere, ſed à Propheta, imò à Deo ipſo, non ſicut Angeli, ſed Angeli abſolutè dicuntur. Quare ſi titulus Angeli ad Primatum facit, ſtabit magis pro quolibet ſacerdote, quàm pro optimo Regum omnium. Non ergo Cardinalis malignus in Reges, ſed illis ingenuè, & ſyncerè addictus, qui non patitur vos propinare illis, cum vino adulationis, venenum hæreſis, & mendacij.

Ad illud argumentum de Rege Tyri, ne dormiens quidem, & ſomnians feciſſet homo ſanus. Faciamus (quod tu vis) omnes Chriſtianos Reges habere communem cum Paganis Titulum, Cherubim. Argumentum erit. [Reges Chriſtiani vocantur Cherubim: Nomen commune eſt etiam Paganis, quibus nullum penitùs ius competere poteſt circa Primatum Eccleſiæ. Ergo Reges Chriſtiani inſigniuntur Titulo, qui plurimùm facit ad capeſſendum Primatum.] O acumen, ò ingenium. Quis, quæſo te, non rideat talia effutientem?

Etiam Rex Tyri, ò L, non qua Rex, ſed qua ſapiens vocatur Titulo Cherub. [Cherub, ait Hieronymus hoc loco, genere maſculino, numero ſingulari; & plurali dicuntur Cherubim, qui interpretantur ſcientiæ multitudo. Ideò arguitur Rex Tyri de nimia ſuperbia, pro ſapientia. [Dediſti cor tuum quaſi cor Dei: ecce ſapientior tu es Daniele: omne ſecretum non eſt abſconditum abs te: In ſapientia, & prudentia tua feciſti tibi fortitudinem; In multitudine ſapientiæ tuæ, & in negotiatione

tione multiplicaſti tibi fortitudinem.] Itaque videre iam potes, omnibus tuis iaculis æquè te ſcopum attingere, ac ſagittarium illum, à quo ne feriretur Diogenes, ante ſcopum conſtitit, nullum tutiorem adſtantibus locum ratus.

Sed quando ad Regem Tyri nos traxiſti, rogo te, conſidera. An fortè ſub figura Regis Tyri, de Iacobo Rege, & Deo tuo Deus ibi loquatur. De triplici peccato arguit Deus Tyrium. 1. Quòd Deus dici voluerit. 2. Quòd Primatum Eccleſiæ vſurpauerit in Inſula Maris. 3. Quòd nimiùm præſumpſerit de ſapientia ſua. [Hæc dicit Dominus Deus: eo quòd eleuatum eſt cor tuum, & dixiſti: Deus ego ſum:] ecce primum peccatum, de quo pro Deo contra te, & Regem tuum ſupra pugnauimus. [Et in cathedra Dei ſedi in corde maris:] ecce ſecundum peccatum, quòd iurari vult ſupremum caput Eccleſiæ Anglicanæ, eſt enim Anglia maris inſula. [Ecce ſapientior tu es Daniele; omne ſecretum abſconditum non eſt à te:] ecce tertium peccatum de præſumptione nimiæ ſapientiæ, à quo impulſus libros edit, articulos fidei condit, duodecim ſæculorum Patres, & Concilia irridet, Vniuerſam Eccleſiam Catholicam aſpernatur, omnes ſummos Monarchas Chriſtianorum, Cornua Antichriſti appellat, & tanquam lethargia correptos excitat, & veluti cœcis viam præmonſtrat. Propter iſta peccata, quid minatur Regi Deus? [Idcirco ego adducam ſuper te alienos robuſtiſſimos gentium, & nudabunt gladios ſuos ſuper pulchritudinem ſapientiæ tuæ, & polluent decorem tuum. Interficient, & detrahent te, & morieris in interitu occiſorum in corde maris. Numquid dicens loqueris. Deus ego ſum, coràm interficientibus te, cum ſis homo, & non Deus in manu occidentium te? Morte incircumciſorum morieris in manu alienorum; quia ego locutus ſum, ait Dominus Deus.] Si de Rege tuo (quod valdè timeo) hæc dicta ſint, quid illi immineat, vides, ſed quamuis de illo præcipuè dicta non forent, noſti tamen [ſtultum eſſe, quorum vitam immitere, eorum exitus non perhorreſcere.]

CAPVT XXXIX.

De Titulo ſecundùm cor Dei.

CAr. Septimus Titulus proprius eſt Dauidis, non communis omnibus Regibus; alioqui etiam Saul, & Hieroboam, & Achab, & cæteri fuiſſent, ſecundùm cor Dei.]

[L. Eſſe ſecundùm cor Dei, etſi eo loco de Dauide dicitur; poteſt tamen, & ad alios commeare, qui Dauidi ſimiles; Ezechiam puta, vel Ioſiam, vt ſic proprius eſſe deſinat. Nec ſequitur, quod de Saulo addis, & Achabo. Poteſt enim eſſe, & eſt ex corde Dei Rex, Magiſtratus ipſe ſcilicet, vt ille tamen non ſit, qui magiſtratum gerit. Rectè enim id animaduerſum, non Tiberio, vel Neroni reddi iuberi officia hæc, ſed Cæſari.]

M. A. Diſputationem inſtituit Rex, pro ſuo Primatu, de Titulis Regum, ex Veteri Teſtamento. Vbi ad hunc Titulum venit, reperit illum in Dauide dumtaxat. Atque ita perſonæ Dauidis proprium, vt à Scriptura nulli alij Regum tribuatur. Immò ita proprium, vt ſine blaſphemia omnibus Regibus, qui tamen omnes, ſecundùm te, Primatum habuere, accommodari non poſſit. Nec tu (qui non parum audere ſoles) audes dicere accommodari poſſe illum, niſi quibuſdam Regibus, qui non modò poteſtate, ſed moribus Dauidi ſimiles fuerunt. Sed velim, in memoriam reuoces ſtatum quæſtionis. Non diſputamus, o L, An tu poſſis vocare aliquot Reges Iſrael, homines ſecundùm cor Dei; ſed an in Scriptura ſacra, præter Dauidem, alius Rex Hebræorum ornetur hoc titulo. Locum oſtendis? viciſti. Non oſtendis? cede. Si verò demus tibi; vt tua, non Scripturæ auctoritate, hunc Titulum ad alios quoque Reges transferas, qui viri probi, & iuſti fuerunt; dabis etiam nobis, opinor, vt appellemus Viros ſecundùm cor Dei quicumque ſanctè, & piè vixerunt in hoc ſæculo, ſiue Sacerdotio functi fuerint, ſiue ab adminiſtratione Reip. alieni, vitam priuatam duxerint. Atque ita non magis colliges ex hoc Titulo quidquam, pro veſtro Primatu, quàm ab alijs, de quibus hactenùs egimus. Ita enim foret argumentum veſtrum. Ne credas, omnes Reges Hebræos ornatos fuiſſe Titulo ſecundùm cor Dei, Vnicus tantùm ex illis illum ſortitus eſt, in ſacra Scriptura. Verum tamen eſt, quòd omnes Reges probi à nobis vocari poſſunt, Viri ſecundùm cor Dei, quo nomine cenſeri poſſunt quicumque priuati piè, ſanctèque viuunt. Ideò Reges Hebræi ſortiti ſunt titulum, qui plurimùm facit ad Primatum. Si iſta conſequentia teneat, tuum ſit iudicium.

Vt intelligas, quomodo ſequatur, quod intulit Cardinalis, en profero nudam, & ſimplicem rationem nullis obtectam velis, nullis excultam verbis. Eſt verò hæc:

> *Per vos* (Hæretici) *omnes Reges ſunt homines ſecundùm cor Dei.*
> *Saulus, & Achabus fuere Reges.* Ergo
> *Saulus, & Achabus fuere homines ſecundùm cor Dei.*

Reſpondes tu: Rex, ideſt Magiſtratus ſemper eſt ex corde Dei, & perſona, quæ illum gerit, non ſemper eſt ex corde Dei.] Atque ita concedis, quòd Saulus, & Achabus fuerunt Reges ſecundùm cor Dei, ſicut etiam Tiberius, & Nero; at non fuere homines ſecundùm cor Dei. Sed hoc nihil ad argumentum. Titulum iſtum Rex vndè eruit? A primo Reg. 13. 14. Quid ibi Samuel? Quæſiuit ſibi Dominus Virum ſecundùm cor ſuum, & præcepit ei Dominus, vt eſſet Dux ſuper populum ſuum.] Virum, inquit, Samuel, non Magiſtratum. Non Magiſtratum Viro, ſed Virum ſecundùm cor ſuum Magiſtratui quæſiuit. Si ergo hinc colligendus eſt Titulus Regum Hebræorum, oportet, vt omnes Reges Hebræi ſint Viri ſecundùm cor Dei. Proindè tua illa euaſio de Magiſtratu ridicula eſt, & ratio Cardinalis maximè efficax.

CAP.

CAP. XL.

De titulo lucernæ Iſrael.

CArd. Octauus magis conuenit Sacerdotibus, quàm Regibus. Illi enim erant lucernæ, vel, vt Auctor loquitur, luminaria Iſrael: iſtis autem Dominus dicit. Vos eſtis lux mundi. Matth.5.

L. [In Titulo Luminaris, cum negare non poſſit, tamen moreretur iam, ſi non aliqua noceret. Non ergò ſatis illi, Sacerdotes vocare in ſocietatem nominis, vt ità ſicut Rex, ſic Sacerdos, niſi Regem deprimendo dicat, magis Sacerdoti, quàm Regi connenire nomen luminaris, non veteri argumento Bonifacij, & analogia Solis ad Lunam, ſed certè, quod nihilo plùs ſapiat, Illi dicebantur Lucernæ Iſrael, nempè Reges. Hi autem, nimirùm Sacerdores, Lux Mundi. Maior autem Mundus, quàm Iſrael: Maior ergo, & fortaſsè tantò maior, Sacerdos Rege. At cum hoc ſeruator diceret. Vos eſtis lux mundi, duodecim illos affatus eſt, qui erant tum omnes; nec, præter eos, vlli Apoſtoli. Itidem ſi omnes per orbem Reges daretur alloqui, illis quoque idem illud ſuum diceret Chriſtus. Vos eſtis lux mundi. Cum vnum tantùm alloquitur vnius gentis Regem, Lucernam Iſrael dicit, cuius erat Rex: Atque ſimili modo, ſi vnius gentis Epiſcopum affari contingeret. Vt ſeptem illos Apocal. 1. ſeptem Stellas diceret ſeptem Eccleſiarum, ſingularum ſcilicet ſingulas; non autem, vel Stellas, vel Lucernas orbis vniuerſi.]

M.A. Rex dicit, quòd Reges vocati fuerunt lumina Iſraelis, Tu hoc titulo non contentus, ampliorem excogitaſti, & luminaria illos facis. Attamen loco à Rege allegato, nec luminaria, nec lumina, ſed lucernæ dicuntur. Magnum verò diſcrimen ego ſemper credidi eſſe inter luminare, lumen, & lucernam. Dicit Rex,quòd vocantur hoc nomine in ſcriptura. Tu hac re non contentus, quoniam noſti, quòd non omnia, quæ referuntur à ſcriptura, à Deo facta ſunt, vt maiorem auctoritatem compares Regi tuo, ex titulo luminaris, aſſeris,quòd Deus ita Reges appellat. At fortè non legiſti locom à Domino tuo allegatum. Ità quippè ibi reperiſſes. Secundo Reg.21.17. [Tunc iurauerunt viri Dauid dicentes, iam non egredietis nobiſcum in bellum,ne extinguas lucernam Iſrael.]Non ergò Deus, non Chriſtus, ſed milites Dauid ſunt, qui appellauerunt ipſummet Dauidem lucernam, non lumen, non luminare Iſrael.

Sed fac, non Dauidem tantùm, ſed Reges omnes vocatos fuiſſe non lucernas, ſed luminaria, non Iſrael tantùm, ſed Mundi, non à milite, ſed à Deo, adhuc nihil iuuatur primatus veſter. Nam Philipp.2.14. eodem titulo ornantur omnes Chriſtiani à Paulo Apoſtolo, quos tamen omnes, credo, non dixeris habere primatum. [Omnia autem facite (inquit Apoſtolus) ſine murmurationibus,& hæſitationibus, vt ſitis ſine querela, & ſimplices Filij Dei, ſine reprehenſione, in medio Nationis prauæ, & peruerſæ, inter quos lucetis; ſicut luminaria in mundo, omnes Chriſtianos vocat Filios Dei, & luminaria mundi] neuter tamen titulus illis quidquam facit ad primatum.

Sed ridendum ſanè te præbes, dum concedis, æquè Regem, ac Epiſcopum; Epiſcopum,ac Regem eſſe luminare populi ſibi commiſſi, & opinaris à paritate nominis imparitatem poteſtatis, pro Rege, poſſe concludi. Quæ iſtæc logica eſt?

CAP. XLI.

De Titulo Nutritij Eccleſiæ.

CArd. Nonus titulus verè, propriéque Regibus conuenit, vt ſint Neutritij Eccleſiæ; ſed tantò eſt inferior eo, qui conuenit Sacerdoribus, ac præcipuè ſummis Pontificibus, quantò Nutritius eſt inferior parente. Summum enim Pontificem, Patrem eſſe chriſtianæ plebis, ſanctus Auguſtinus dicit epiſt. 161. & totius chriſtiani orbis vſus confirmat. Quare ſi nihil aliud habet auctor Apologiæ, ex verbo Dei, vndè primatum Regis, in rebus Eccleſiaſticis, ſtabiliat; verè poſſumus affirmare, non ex verbo Dei, ſed ex verbo Henrici Octaui, primatum in Angliam eſſe inuectum.]

L. [In vltimo, vt agnoſcas Tortum, à principio in finem vſque, Regibus inimicum, vbi Apologia Regem Nutritium nominauit; ille Pontificem Patrem, quo Nutritius inferior multò eſt. Vt potiores ſint ſemper partes Pontificis, quod Reges mordeat. Citat autem huic rei neſcio quid ex Auguſtini epiſtola quadam(non enim illa,quam numeri norant) At æquior hìc ſit, cenſeo. Abſque enim hijs foret Nutritij noſtris Pater veſter Pontifex,eſuriret ſtrenuè,atque algeret; nec ità inflatus, obſericatus incederet, aut pomparicè ingrederetur domum Dei. Quod ſi autem momenti quid ſit in Patris nomine, nihil opus eſt, adeamus Auguſtinum, atque aliundè, apud eum, ex epiſtolæ angulo aliquo, Patris nomen eruamus. Sacræ literæ non Nutritij modò nomen, vel Nutricis; etiam Patris, atque Matris ad Principes accommodant, non inuitæ. Debora Mater dicitur in Iſrael, Ezechias Pater, atque audi, etiam Sacerdotum. Sic enim Sacerdotes affatur ipſos 2. Chron,29. 11. (Filij mei nolite vero negligere.) Vt Rex iam Pater ſit, & Sacerdotum Pater; ne quid eo titulo inſoleſcant, aut ſuprà Reges ſe efferant. Quem enim honorem habent Principes, non alia lege habent, quàm quinta, quæ eſt de Patre honorando propter paternam de patria curam, nec minùs paternam de Eccleſia. Quicquid ergo præterea habet, hæc babet ex verbo Dei Apologia, & Rex Nutritius Eccleſiæ ſit, & Pontificis etiam ipſius, vt Pater ſit.]

M.A. Tria potiſſimùm ſunt, quæ in hoc titulo à te dicta, à me præteriri non poſſunt intacta. Mordes primùm Pontificem de veſtium pontificalium decore. Vis ſecundò,Regem eſſe Patrem Eccleſiæ, & Pontificis ipſius. Falsò allegatum à Cardinali Auguſtinum affirmas. De qualitate Veſtium Pontificalium, an ornatæ, an indecoræ eſſe debeant, nullum præceptum extat in Teſtamento nouo. Tuum principium primum eſt, quòd vbi deficit nouum Teſtamentum,ad vetus recurrendum ſit.

Su-

Digitized by Google

Super hoc ſundamento erigitur potiſſimùm veſtra fides. Igitur tuo iſto præcepto recurras ad vetus Teſtamentum, ad librum Exodi, ibique videbis, an Pontifex Romanus de ſacris Veſtibus ſentiat; contra Scripturam, an Tu. Integrum penè caput refero, ne ſimplicibus imponere valeas. [Dixit Deus Moyſi. Facies veſtem ſanctam Aaron fratri tuo, in gloriam, & decorem. Et loqueris cunctis ſapientibus corde, quos repleui ſpiritu prudentiæ, vt faciant veſtes Aaron, in quibus ſanctificatus miniſtret mihi. Hæc autem erunt veſtimenta, quæ facient. Rationale, & ſuperhumerale, tunicam, & lineam ſtrictam, cidarim, & balteum &c. Accipientque aurum, & hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum. Facient autem ſuperhumerale de auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta, operè polymito &c. Ipſa quoque textura, & cuncta operis varietas erit ex auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta. Sumeſque duos lapides onychinos, & ſculpes in eis nomina filiorum Iſrael &c. Facies, & vncinos ex auro, & duas catenulas ex auro puriſſimo, ſibi inuicem cohærentes, quas inſeres vncinis. Rationale quoque iudicij facies operè polymito iuxta texturam ſuperhumeralis, ex auro, hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta &c. Poneſque in eo quatuor ordines lapidum. In primo verſu erit lapis Sardius, & Topazius, & Smaragdus, In ſecundo Carbunculus, Sapphyrus, & Iaſpis, In tertio Ligurius, Achates, & Amethyſtus. In quarto Chryſolitus, Onychinus, & Berillus, incluſi auro, erunt per ordines ſuos.] Cœtera taceo. Videri poſſunt. Omnia præſtantiſſima, & pretioſa fieri iubentur. Hæc verò forſan de ſuo fecit Aaron? Scis tu, quòd populus, & Principes iuſſi ſunt omnia neceſſaria offerre. Nutritij tamen populi, Nutritij eorum Principes, nunquam ſummo Sacerdoti eorum Patri ſe præponere auſi ſunt, Diſcant ſaltem, quando ita vis, Nutritij Eccleſiæ à Nutritijs Synagogæ, & deſine tu nouos in dies creare Dathanas, & Abitones. Sint, ni meliores, ſaltem non deteriores, Principes Chriſtiani Principibus Hebræis. A veſtibus iam ad titulum Patris.

Regem titulo eſſe Patrem Eccleſiæ, Patremque Pontificis, nouum penitùs eſt, & hactenùs inauditum dogma. Nomen Papa Patrem ſignificare in confeſsò eſt apud omnes, quamuis etymologia, & origo nominis non ſit ſatis certa. Nomen verò iſtud ita Epiſcoporum proprium eſt, vt nulli Principum vnquam tributum legamus. Pontifici autem ita propriè, & per antonomaſiam conuenit, vt abſoluto titulo Papæ nullus vnquam alius mortalium intellectus fuerit. Sanctus Ignatius ad Mariam Zerbenſem. [Cum eſſes Romæ, apud Papam Linum.] Stephanus Epiſcopus Carthaginenſis epiſtola ad Damaſum, nomine trium Conciliorum Africæ. [Beatiſſimo Domino, & Apoſtolico culmine ſublimato, ſancto Patri Patrum Damaſo Papæ.] Synodus Generalis Epheſina prima, in ſententia contra Neſtorium. Cœleſtinum Patrem appellat. [Per ſacros Canones, ſanctiſſimique Romanæ Eccleſiæ Cœleſtini Patris noſtri literas.] Concilium Chalcedonenſe in epiſtola, qua à Leone petit confirmationem Concilij Patres Filios Leonis vocat. [Sic & ſummitas tua Filij, quod decet, adimpleat.] Sanctus Athanaſius, epiſtola ad Damaſum, illum vocat vniuerſalis Eccleſię Papam. Idem, quod dixi, Concilium Chalcedonenſe act. 16. [Beatiſſimus, & Apoſtolicus vir Papa hoc nobis præcipit.] Quære, quære omnes epiſtolas Pontificum, & Imperatorum, volue omnes annales, lege omnium Chriſtianorum hyſtorias, nunquam oſtendes aliquem Imperatorem, vel quemlibet alium principem ſe appellaſſe Pontificis, vel Eccleſiæ Parentem, ſed ſatis illis viſum ſemper eſt, ſi Filij vtriuſque dici poſſent. Vide epiſtolas Leonis ad Theodoſium, Valentinianum, & Marianum. Gregorij ad Mauritium, in Bleſonte Regum Angliæ, nec vllum exemplum pro tua Paternitate reperies. At inquis Debora Mater. Sed mater cuius? Non Pontificum certè. Quæ verò Debora? Prophetes. Mater forſan dignitate? Cura, quia nempè ipſius prouidentia Siſara interfectus fuerat. Ezechias verò filios amore appellat Sacerdotes, inter quos ſummus non nominatur. Et nemo, credo, erit, vt productum te coram vniuerſa Chriſti Eccleſia, dum illam audit pronunciantem, Pontifices Regum Patres, Reges Eccleſiæ Filios, ſuo calculo te non damnet, tuæ non miſereatur cæcitatis.

De allegatione Cardinalis, ſcito illum rectiſſimè allegaſſe. Oſtendit mihi ſuum Codicem impreſſum Venetijs anno 1584. Mihi eſt impreſſus Venetijs anno 1570. Vtrobique ſunt verba allegata à Cardinali, epiſt. 161. Loquitur de Melchiade. [O virum optimum, ò Filium Chriſtianæ pacis, & Patrem Chriſtianæ plebis.] Ergò malo credere, fuiſſe tibi prauum codicem, quàm prauam mentem.

OBIECTIONES EX NOVO TESTAMENTO.

CAP. XLII.

Satisſit obiectionibus ex nouo Teſtamento.

Rex quid in nouo Teſtamento? Oomnis anima ijs ſubijci iubetur, idque propter conſcientiam. Orandum quidem pro omnibus, ſed præcipuè pro regibus, & in auctoritate conſtitutis, vt ſub ijs piam, & pacatam, honeſtamque vitam degamus. Magiſtratus Dei Miniſter eſt, ad vlciſcendos facinoroſos, innocentes autem, atque probos remunerandos. Omnibus quidem obtemperandum eſt ſuperioribus poteſtatibus, ſed poriſſimùm Principibus, & in eminentia collocatis. Reddite vnicuique, quod ſuum eſt; Timorem, cui timor; amorem, cui amor iure debetur. Date Cœſari, quæ Cœſaris ſunt, Deo, quæ Dei ſunt. Regnum meum non eſt huius mundi. Quis me conſtituit Iudicem ſuper vos? Reges gentium dominantur eorum, Vos autem non ſic. Verùm autem, hæ ſententiæ, hi tituli, hæ prærogatiuæ, cum alijs infinitis eiuſdem notæ, tum veteri, tum nouo Teſtamento compræhenſis, ſatis magno argumento ſint: Regibus Chriſtianis ad Eccleſiam intra fines ſuos, non minùs quàm reliquum populum, gubernandam, quiuis rerum æquus æſtimator Iudicet.

Card [Hæc ſunt omnia teſtimonia verbi Dei, quæ aduerſatius pro primatu Regis in Spiritualibus, ex nono Teſtamento allegare potuit. Ad quæ vnico penè verbo reſponderi poteſt. Ex his teſtimonijs nihil effici pro primaru Regis in Spiritualibus; niſi velimus, Reges paganos, & Eccleſiæ perſecutores factos eſſe à Deo Eccleſiæ Gubernatores in rebus Spiritualibus. Nam hæc teſtimonia ad Imperatores paganos pertinent, quales erant, cum Teſtamentum nouum ſcriberetur, videlicet ad Tiberium, Claudium, & Neronem. Et quamuis aliquæ ſententiæ, ex citatis, conuenire poſſint etiam Regibus Chriſtianis, aliquæ etiam ad omnes Principes, tum Eccleſiaſticos, tum ſæculares iure pertineant, qualis illa eſt (Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit) tamen nemo inficiari poteſt, quin Regibus quoque paganis conueniant, vt quæ doctrinam contineant omnibus principibus communem, ſiuè pagani, ſiuè chriſtiani ſint. Alioqui fruſtra Petrus, & Paulus chriſtianos ſui temporis admonuiſſent officij erga Reges, ſiuè Imperatores, quos eſſe paganos ignorare non poterant. At nemo eſt, qui non videat, quam ſit abſurdum, vt Reges pagani; qui non ſunt de Eccleſia, primatum habeant in Eccleſia, & qui Chriſti hoſtes ſunt, Vicarij Chriſti ſint, & qui Chriſtum abnegari, & Idola coli iubent, ijs à Chriſtianis, in Spiritualibus, vt ſummis Gubernatoribus ſit obediendum.]

L. [Et ſunt iſta quidem ex Teſtamento veteri ſatis ſolida fundamenta, & quæ tu haud facilè conuelles. Nam de nouo, quæ adijciuntur, eò ſpectant, ne quis ex eo, quòd alienitum à Chriſto Reges Terræ, imminutam putet, vel eorum in ſubditos poteſtatem, vel ſubditorum in eos fidem; neue priſtino ſuo iure excidiſſe videantur. Non quòd ad Reges infideles primatum pertinere probent, non ſanè magis ad hos in nouo, quàm ad Aſuerum, vel Nabuchodonoſor, in veteri (delirat hæc Tortus) ſed quòd Cœſari, ſi Chriſtianus fiat, vt Conſtantino idem iuris ſit in Eccleſiam, quod in veteri Ioſiæ fuit; reditus ſtatim fiat ad iura Regum Iſrael, quamprimùm facti ſunt Reges Iſrael Dei, & eorum quiſque Chriſto nomen dederit. Interim autem, ſit vel infidelis, ſit vel hæreticus, oretur pro eo, non minùs quàm pro Nabuchodonoſor; nemò vitæ eius inſidietur, non magis quàm Aſueri. Fidem penès ſemetipſos habeant Chriſtiani ſubditi, coram Deo; cęteris in rebus pietatem colant: ad eamque ſe conſcientiæ nexu teneri diſcant à Paulo; voluntatem hanc Dei eſſe diſcant à Petro. Non ergo id agitur, vt Eccleſiæ perſecutores Tiberij, Caij, Eccleſiæ Gubernatores habeantur; quem ſi quis eis titulum deferret, ne ſuſciperent quidem; vt qui Eccleſiam ipſam, totis viribus, extirpatum iuerint, tantùm vt tuti ſint à ſica, veneno, puluere catholicorum ſuorum. Tum demùm verò Eccleſiæ gubernacula capeſſant; cum conuerſi ad fidem fuerint. Reddenda enim Cœſari, quæ Cœſaris ſunt; Cœſaris ſunt, quæ Cœſari debentur. Debentur autem Cœſari Chriſtiano, quæcumque olim à populo Dei, ſub veteri lege, Regibus ſuis officia, vel debita, vel perſoluta ſunt; quibus & debita tum erant, & perſoluta, ſubiectio, & obedientia, non in Regni rebus ſolùm, ſed etiam Eccleſiæ.]

M. A. Principum infidelium poteſtatem à Chriſto fuiſſe imminutam, nunquam dixerim; quamuis Catholici omnes credant, Regum omnium poteſtatem Chriſto, & eius Eccleſiæ ſubiectam eſſe debere. Hæc enim ſubiectio poteſtatem non tollit. Nam ſupernaturalia adduntur naturalibus; non ad eorum corruptionem, ſed ad eorum perfectionem.

Digitized by Google

Fides non tollit lumen naturæ, ſed perficit, eiuſque corrigit errores. Gratia non tollit arbitrium, ſed iuuat, dum illud ad bona opera efficaciter monet. Pariter poteſtas Eccleſiaſtica Regiam non aufert, ſed iuuat, & perficit, dum errantem corrigit, & ad bona torpentem mouet,

Regum ergo poteſtas à Chriſto non eſt imminuta, per id, quòd Eccleſiæ ſubiecta; ſed perfecta, & aucta. Quæ enim ad malum eſt, poteſtas non eſt, ſed poteſtatis defectus, & imperfectio, hanc verò tantùm adimit poteſtas Eccleſiæ. Amittunt ne homines ſuarum rerum dominium, poteſtatem, & libertatem, dum ſibi Regem præficiunt? non ſanè, immò libertatem, poteſtatem, & dominium proprium hac ſubiectione tuentur. Cur ergò poteſtatem Reges amittent, ſi Eccleſiæ ſubijciantur? ſed de his alibi,

Cum infideles ad Eccleſiam redeunt, volumus nos quoque, vt ad iura Regum Iſrael reditus fiat, quibus nullum Ius fuit in his, quæ ad religionem attinent, niſi tamquam Miniſtris ſummi Sacerdotis. Oretur pro Rege, ſi ſit infidelis, oretur, ſi ſit hæreticus, orandum enim pro omnibus, maximè pro inimicis. At à ſubditis ipſis in hoſtes Eccleſiæ, in hæreticos manifeſtos, quando de illorum correctione ſpes nulla, quando auctoritas tacet Eccleſiæ, numquam animaduertendum? numquam deficiat ſubditorum in iſtos fides? Abſit. Pugnat hoc manifeſtè cum Dei Verbo. Audi. Rahab meretrix, exploratores Synagogæ hoſpitatur, non ignara, ſed conſcia quorſum Ierichontis mœnia ſint ingreſſi. Requiſita à Rege ſuo naturali, vt illos prodat, abſcondit, & negat eſſe apud ſe. Illos denique per funem de feneſtra demittit extra Vrbis muros, publico mœniorum iure violato. Peccauit ne ideò? ſi fidelitatis vinculũ ob infidelitatem, & inimicitias Eccleſię ſolui non poteſt; peccauit certè, idque eò magis, quòd ex fuga exploratorum ſecuta mors eſt Regis, Ciuium, & denique omnium viuentium illius Vrbis; ſiue ſontes fuerint, ſiue innoxij, & Vrbs ipſa funditus euerſa. At audi, quid dicat Scriptura. [Nonne Rahab ex operibus iuſtificata eſt: ſuſcipiens Nuntios, & alia via eijciens? Falſum eſt ergo; quòd nunquam deficere poſſint ſubditi à fidelitate erga Principes infideles, & Eccleſiæ hoſtes. Præterea cum Dauid ſubditus natus eſſet Sauli Regis, potuit abſque peccato Iſraelis regnum recipere a Samuele ad ſe delatum. Potuit Ieraboam, pro Rege ſe gerere decem illatum Tribuum, quæ a Roboamo naturali earum Principe defecerunt. Potuerunt & illæ eiuſdem poteſtati ſe committere, quia ita fieri debere dixerat Propheta Ahias. Potuit Iehu; Achab regem ſuum regno ſimul, & vita priuare interemptis etiã eius 70. Filijs, Vxore quoque de feneſtra præcipitata, Dominique ſui ſceptrum arripere, quia ita mandauerat Eliſæus. Cur vero ita? quia Rex Ierichontis hoſtis erat Synagogæ, illique bellum indixerat. Quia Saul regno priuatus à Samuele, eò quòd officium Sacerdotis inuaſiſſet. Quia Roboam ab Ahia, propterea quòd eius Pater Idololatra fuerat. Quia Achab ab Elia, tum quòd eſſet idololatra, tum quòd Prophetas Domini acerimè perſequeretur. Stat ergo, ex aperto teſtimonio verbi Dei, poſſe Eccleſia duce, quandoque ſubditos deficere a fidelitate principum infidelium, hæreticorum, & Eccleſiæ hoſtium. Hæc ſunt iura regum Iſrael, ad hæc redeamus, quando ad hæc prouocas. Nam quòd interſeris Ioſiam, Ezechiam, & alios reges, quorum ſupra geſta perpendimus; noſſe iam debes, ex his, quæ dicta ſunt, nihil hos iuuare Regem tuum, vt Eccleſiæ gubernacula capeſſere poſſit.

Ex quis hiſce, ſatis nobis eſt, confiteri vos. In nouo Teſtamento nullum extare teſtimonium, quo probetis, primatum Eccleſiæ Regi veſtro deberi. Quod habetis, hoc vnum eſt; Reges eandem habere poteſtatem poſt Chriſtum, quam antea iure habebant, cum ab ipſo non ſit imminuta. Damus id libenter, immò perfectiorem; negamus verò Gubernatores Eccleſiæ illos fuiſſe, ante Chriſtum, ex Dei lege: negamus eiuſdem gubernacula, eos accepiſſe a Chriſto. Dicimus hæc ſolis Eccleſiaſticis fuiſſe concredita. Hæc controuerſia noſtra. In hac verò nihil promouebitis vnquam.

CAP. XLIII.

Tria argumenta Aduerſarij ponderantur, & enodantur.

CArd. Deindè quales argumentationes iſtæ ſunt, & ſecundùm quam regulam Dialecticæ concludunt? Reges gentium dominatur eorum, nos autem non ſic. Ergo Rex primatum habet in Eccleſia in rebus Spiritualibus. Vel, regnum meum non eſt huius mundi. Ergo Rex eſt ſupremus Gubernator, etiam in cauſis Eccleſiaſticis. Vel, reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari; quæ ſunt Dei Deo; ergo Papa nullum ius habet in Anglia, nec etiam quò ad Spiritualia? credo equidem, ſi Aduerſarius libros Priorum analyticorum Ariſtotelis, ſumma diligentia, annis multis euolueret, nunquam medium terminum in his argumentationibus inueniret. Quæ cum ita ſint, deſinat aduerſarius in Scripturis ſanctis ludere, earumque teſtimonijs abuti, ad eum primatum ſtabiliendum, quem non ſolum Eccleſia Catholica ſemper deteſtata eſt, ſed etiam Caluinus ipſe, cum Schola Geneuenſi, nunquam approbauit; & quem in ipſa Anglia, vt à regia cupiditate exortum, ipſi etiam Puritani moleſtiſſimè ſemper tulerunt.

L. [Quæ verò poſt ibi format, per ſanè ſimilia ſunt formanti, argumenta; iures à Torto formata; forma enim hominis ad viuum referunt. Alioqui ſi quid in eo recti, ſi curuam in terris animam non gerat, ſciat loca, primum à ſe poſita locis non ſuis; de tribus vltimum, primo loco in Apologia ſtare duo priora, quæ ille loco ſuo mouit, poſtremo. Vt autem locata ab eo malè, ita & luxata eſſe. Vltimum eius pro Cæſare eſt, ille luxauit, quaſi contra Papam eſſet. Duo priora contra Papam, luxauit quaſi eſſent pro Cæſare. Sinat ſtare locis ſuis; ſinat, ad quem deſtinata ſunt, ſcopum petere; tum verò legat,

gat, vel leuiter analytica ſua priora, nec ita valdè deligenter euoluat, repetiet non magno labore medium terminum. Hoc autem modo. Qui ſe Vicarium facit eius, cuius regnum non eſt huius mundi, in regna huius mundi ius non habet. Vicarium ſe facere eius, cuius regnum non eſt huius mundi. Medius terminus. Qui gentium non dominatur, vt Rex, non dominatur in reges gentium. Dominari gentium, vt Rex, medius terminus. Atque duo hæc contra Papam, qui, ſub Primatus ſpecie, vſurpat ſibi ius Dominij in Regna mundi, in Reges gentium.

M. A. Doce, qui differunt, ex aliqua lege teneri ad diluendas rationes ab Aduerſario allatas, eodem prorsùs ordine, quo ille attulit; non poſſe à poſtrema, per medias, ad primam ire, & iuſtum Tortorem te probo; ſin minùs, vt iniquum accuſo. Paulò poſt audies, te idem penitùs feciſſe, quod hìc in Cardinali reprehendis. Excuſare etiam neſcio te vlla ratione de eo, quod ſecundo loco obijcis Cardinali. Pugnant Pontifex, & Rex tuus de primatu Eccleſiæ Anglicanæ. Vult Rex eſſe ſupremus Gubernator illius, vult idem Pontifex. Probare nititur Rex Pontificem non poſſe in Regem, tribus iſtis rationibus, quas ſupra retulit Cardinalis; quomodo ergo quod eſt pro Rege, non eſt contra Pontificem? & vice verſa? Illatum rationum prima eſt ſecundùm te. [Qui ſe Vicarium facit eius, cuius regnum non eſt huius mundi, in regna huius mundi ius non habet. Adde minorem. At Pontifex ſe facit Vicarium Chriſti, cuius Regnum non eſt huius mundi; ergo Pontifex in regna huius mundi ius non habet. Eccleſia verò Anglicana eſt regnum huius mundi; ergo Pontifex in Eccleſiam Anglicanam ius non habet.] Volue quantùm velis vniuerſam analiticam Ariſtotelis; ex illa propoſitione hanc concluſionem inferre non potes, niſi vna hac argumentationis formula. Ex hac verò ſequitur, ne Chriſtum quidem ipſum in Eccleſiam Anglicanam poſſe, cum regnum illa huius mundi ſit. Rectè ergo dixit Cardinalis, [Se intelligere non poſſe, quomodo, & per quam regulam Dialecticæ, vel pro primatu Eccleſiaſtico Regis, vel contra primatum Spiritualem Pontificis, ex hoc loco concludat Rex;] Nam numquam tam malè credidit de mente Regis, vt exiſtimarit illum excludere etiam Chriſtum à primatu Anglicano. Tu verò vt Regem oſtendas, rectè calluiſſe argumentandi artem, non erubeſcis, Chriſtum quoque Dominum noſtrum excludere ab Anglicano Primatu. Rem tene. Si non concludit Rex de primatu Eccleſiaſtico, de quo ſolo nunc diſputat, ratio hæc non eſt ad rem; ſi de primatu Eccleſiaſtico concludit, Chriſtum ipſum ab illo excludit. De illo verò concluſiſſe ipſemet teſtatur; lege eius verba initio capitis allata, videbis enim hinc illum concludere hæc. [Satis magno argumento eſſe Regibus Chriſtianis ad Eccleſiam intra fines ſuos, non minùs quàm reliquum populum, gubernandam. De rebus temporalibus ibi, ne verbum quidem. Tu ergo ita Regi tuo patrocinaris?

At velim hìc Regi tuo vt ſubijcias, male retuliſſe illum, ex Ioannis Euangelio ſententiam iſtam, nam non inquit Chriſtus, [Regnum meum non eſt huius mundi, ſed Regnum meum non eſt de hoc mundo.] Particula verò illa, de, denotat originem Regni, non materiam regno ſubiectam; vt patet ex ſequentibus Chriſti Verbis, & ex integra illorum periodo. Ait enim. [Regnum meum non eſt de hoc mundo; ſi ex hoc mundo eſſet Regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis, nunc autem Regnum meum non eſt hinc. Perpende illas clauſulas. Si ex hoc mundo eſſet Regnum meum, &. Nunc autem Regnum meum non eſt hinc.] Et videbis plurimùm diſtare ſenſum propoſitionis Chriſti à ſenſu propoſitionis Regis tui, hinc, & ex, originem Regni denotare poſſunt, at non materiam. Dixeris ne tu vnquam; Regnum Iacobi, ex Anglia eſt, vt ſignifices, illum Regem Angliæ eſſe? non credo, neque enim pedagogus tuus ita te docuit, qui Latinæ linguæ, vt video, erat maxime gnarus. Nec etiam dices; [Regnum Iacobi eſt hinc,] ſi Londini moratis, vt ſignifices, illum Regem Londini eſſe.

Verùm neſcio quomodo ex veſtris Principijs dicere poſſitis, Chriſtum non fuiſſe Regem huius mundi. Semel, & iterum inculcas tu, Titulo Chriſti Domini nunquam appellari Pontificem in Scriptura, ſed Regem mundi dumtaxat, vt videre eſt p. 242. & 374. Cæterùm (quod libenter repeto) Simeon Propheta Lucæ 2. [Reſponſum acceperat à Spiritu Sancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini.] Vidit verò Chriſtum Domini, dum vidit Ieſum. Ergo Ieſus ex tuis Principijs eſt Rex temporalis, & huius mundi. Et hìc ſanè te video inter Scyllam, & Charybdim. Si enim per Chriſtum Domini in Sacra Scriptura deſignatur dumtaxat Rex temporalis; Ieſus ergo erit Rex temporalis; qui ibi dicitur Chriſtus Domini; Si Ieſus non eſt Rex temporalis, ſed Pontifex tantùm; falſum eſt numquam in Sacra Scriptura, per Chriſtum Domini deſignari Pontificem, ſed ſemper Regem.

Nec magis ad rem ſunt, quæ adducis pro altera tui Regis ratione. Formas tu Maiorem propoſitionem ſyllogiſmi illius, & ais. [Qui gentium non dominatur, vt Rex, non dominatur in Reges gentium. Dominari vt Rex, medius terminus.] Maius extremum ergo. Dominari in Reges gentium; & minus extremum, Pontifex, atque ita contrà Pontificem ratio erigenda tibi.

[Qui gentium non dominatur, vt Rex, non dominatur in Reges Gentium.]

[At Pontifex non dominatur Gentium, vt Rex. Ergo

Pontifex non dominatur in Reges Gentium.

Quid indè, o L? ergo Pontifex non præſidet Regibus Chriſtianis, & illis in re Eccleſiaſtica ſuperior non eſt? Numquam hinc tu colliges concluſionem iſtam. Vt verò tem percipias, ſcire debes, quæ modo paucis te moneo.

Magnum diſcrimen eſt inter Imperium, impe-

imperantem, Dominationem, & dominum; Dominationi opponitur ſeruitus, & Domino ſeruus; at Imperanti opponitur ſubiectus, & Imperio ſubiectio. Inter hæc verò id intereſt; quòd Dominus non ordinatur ad vtilitatem ſerui, nec imperator pro vtilitate eiuſdem, ſed ſolam propriam vtilitatem in imperando reſpicit; ſeruus verò non operatur pro vtilitate propria, niſi ſecundario, & per accidens; principaliter verò, & per ſe, operatur ob vtilitatem Domini. Hinc infert Ariſtoteles in 3. polit. cap.4. Quod [Impoſſibile eſt, vt deficiente ſeruo; ſeruetur Dominatio.] Reges Gentium, vt Turcæ, & alij plures, volunt eſſe Domini populorum ſuorum; quaſi populus ordinatus ſit ad Principem, non Princeps ad populum, & ſubditos omnes pro mancipijs habent. [Imperium verò ciuile, ciuiliſque gubernatio, quæ eſt à natura, non ita ſe habent; ſed (vt idem ait eodem in loco) ordinatur Gubernator ad bonum commune, & communem multitudinis vtilitatem; ideòque in calce eiuſdem capitis colligit. Conſtat igitur, quòd quæcunque Reſpublicæ ad communem vtilitatem intendunt, hæ certè rectę ſunt ſecundùm ſimpliciter iuſtum. Quæcunque verò ad propriam illorum, qui præſunt, vtilitatem ſolùm, aberrant quidem, ſuntque omnes rectarum Rerum publicarum tranſgreſſiones, & labes; gubernantur enim quaſi à Dominis, Ciuitas autem eſt liberorum ſocietas.] Ab Ariſtotele verò, nec Philoſophorum, nec Theologorum, nec ſanctorum Patrum vllus vmquam diſſenſit.] Itaque ſola etiam duce natura, non modò Prælatis Eccleſiæ, ſed ipſis quoque Principibus interdicta eſt Dominatio; ſuntque Principes quaſi miniſtri, & ſerui populorum ſuorum, cum propter vtilitatem ipſorum principaliter operentur, vel operari teneantur. Non licèt autem inferre: Principes non poſſunt dominari populis ſuis, ergo illis non ſunt ſuperiores. Immò oppoſitum. Ita intulit Paulus Apoſtolus ad Romanos. Ex eò itaque, quòd iubentur Prælati Eccleſiæ, eidem non dominari, vt Reges Gentium, non inferas rectè, illos eidem non eſſe ſuperiores ſupremos; niſi & Regibus omnibus; quibus dominari interdictum, adimas Prælationem in ſubditos. Agnouit fortaſsè id Auguſtus optimus Imperator, & ideò Domini appellationem, vt maledictum, & opprobrium ſemper exhorruit. Malè ergo à Dominio Regum Gentium argumentaris ad Prælationem, nedum Eccleſiaſticam, ſed ciuilem quoque; rem totam à Chriſto audiamus.

Tractans hoc argumentum Dominus noſter apud Luc.22. inquit. [Reges Gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic; ſed qui maior eſt inter vos, fiat ſicut iunior, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Nam quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat; Vos autem eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo, & ſedeatis Iudicantes duodecim tribus Iſrael.] Hæc Chriſtus.

Miniſtrat ergo, ex ſententia Chriſti, Chriſti Vicarius omnibus Chriſtianis, inter quos maior eſt, vt miniſtrauit Chriſtus Apoſtolis. Si autem ex miniſterio Chriſti erga Apoſtolos, quibus non dominatus eſt, vt Reges Gentium, inferre poteſtis Chriſtum Apoſtolis non eſſe maiorem. Inferte etiam, Præpoſitos Eccleſiæ ius non habere ſuper quoſcunque in Eccleſia Dei; ſi verò illinc ſequitur Chriſtum Apoſtolis ſuperiorem eſſe, Date etiam Vos, Paſtorem totius Eccleſiæ, ipſis quoque Regibus, quibus non dominatur, ſuperiorem eſſe. Cùm itaque dicis. Qui Gentium non dominatur vt Rex, non dominatur in Reges gentium. Concedo, nam dominari Tyrannicum eſt. Cùm addis. Pontifex non dominatur gentium vt Rex. Concedo item, non enim Dominus deſpoticus eſt, ſed Pater; & Paſtor gentium. Cùm infers. Ergo Pontifex non dominatur in Reges Gentium. Probo; nam ciuiliter imperat, & ſecundùm illam Gubernationem, quæ eſt à natura. Nec enim Chriſtus ipſe ita dominatur illis, qui tamen, vt membra capiti illi ſe ſubijciunt. Admiſſa ergo tua, & Regis tui ratiocinatione, nihil omninò tangis Pontificis Primatum.

Aduerto inſuper, te de more tuo aliter referre verba, & rationem Chriſti, quam Chriſtus. Ille enim inquit. [Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic. Non dixit Reges dominantur gentium; ſed Reges gentium dominantur eorum. Medius ergo terminus non erit Dominari vt Rex, ſed Dominari vt Rex gentium. Reges enim Eccleſiæ, non dominantur Eccleſiæ, Reges Synagogæ non dominantur illi, ſed ſoli Reges gentium dominantur, & hi fortè non omnes, nam indefinita eſt propoſitio; ſine vlla nota vniuerſali, perindè ac ſi dixiſſet: Barbari Reges dominantur eorum. Quod teſtatur Ariſtoteles in primo Politic. cap. 2. vbi inquit, quòd Barbarus natura ſeruus eſt. Aliud ergo eſt Dominari alicui vt Rex, aliud Dominari èidem vt Rex Gentiſi. Tyrannicum eſt iſtud, illud verò ciuile. Licèt enim propriè, Reges non dominentur ſuis, ea tamen ratione, rectè vocantur Domini à ſubditis, qua & Paſtores Eccleſiæ; quia ſcilicèt Domini eſt dirigere operationes ſerui; atque ita Principum, Prælatorumque dirigere operationes omnes ſubditorum ſuorum. Et propterea Chriſtus, quamuis negaſſet dominari ſe Apoſtolis ſuis, vt Reges gentium, addidit tamen poſtea, [Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & benè dicis, ſum etenim. A Chriſtianis ergo rectè vocatur Dominus, qui illis non dominatur vt Rex gentium. Quare etiam dum dicit Chriſtus. Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic, non excludit, ſed includit Dominium, modum verò Dominij tantùm excluſit, vt barbarum ſcilicèt, & ipſi naturæ aduerſum. Non dixit: Nolo vos dominos eſſe: ſed Nolo vos dominari vt Reges gentium; Quare illis Dominium conceſſit, dum modum Dominandi præſcripſit.

Ex hac veſtra ratione, & illud impium ſequitur, quod ex præcedenti, nempè Chriſtum ipſum ſuperiorem non eſſe Regi veſtro,

in Eccleſiaſticis. In Eccleſiaſticis dixi, nam & de his tantummodò diſputamus, & de his tantùm Rex veſter ex his rationibus, concludit; qua enim ratione Pontiſex à Primatu excluditur, eadem & Chriſtus. Qui non dominatur gentibus, vt Rex gentium, hic non dominatur Regibus gentium, ita ex neceſſitate formanda eſt maior.

[At Chriſtus ipſe non dominatur gentibus, vt Rex gentium.

Ergo Chriſtus ipſe non dominatur Regibus gentium.] Lucifer contentus fuit, ſimilis ſi fuiſſet Altiſſimo, & Vos ſuprà Altiſſimum quoque ſolium veſtrum collocatis? Hic benè tuum illud. Superbia quò aſcendis?

L. [Vltimum non contrà Papæ ius, vt tu oppidò quàm ineptè, ſed pro Cæſaris iure eſt. Ad hunc modum. Quod Cæſaris eſt, ſcilicèt tum, cum iam Chriſtianus factus eſt, id Cæſari reddendum. Obedientia etiam in rebus Religionis Cæſaris eſt Chriſtiani iam facti. Medius terminus, Quod Cæſaris eſt Chriſtiani: Iam Chriſtiani dico, quo ita analogia ſeruetur Regum Iſraelis, ſub veteri lege; Chriſtianorum ſub noua. Tum demùm enim Rex iſtius debiti capax eſt, cum eſt in Eccleſia, vt Ioſias, non cum extra vt Ieroboam.]

M. A. Minor tui ſyllogiſmi falſa eſt, nec ipſam probaſti. probabiſne vmquam? niſi cum dependentia à Iudicio Eccleſiæ tui Regis Poteſtatem componas. Tuum verò iſtud argumentum, ſi Primatum Regi tuo dat, quomodò non eſt contrà Papæ ius? At inſulſa omninò ratiocinatio tua. Nam Chriſtus dixit, reddite, quę ſunt Cæſaris, Cæſari, de Cæſare Gentili, non de Cæſare iam Chriſtiano, & à Chriſto Rex tuus ſententiam mutuauit; Cæſari verò Gentili per te nulla debetur obedientia in rebus Religionis: Ergo ad rem Religionis impertinens omninò eſt ſententia iſta Chriſti.

Quæ addis de analogia Regum, de Chriſtiano iam Facto, non ſunt Chriſti, ſed tua; nos verò numquam concedemus, vt quæ tu inſeris de tuo ſententijs Sacræ Scripturæ, eandem ſortiantur auctoritatem, cum Dei Verbo. Segrega itaque tua verba à verbis Chriſti, tamquam à frumento zizania, & quis finis vtraque maneat, optimè noſti. Quæ Chriſti ſunt, nos reueremus; ſed indè ne tantillum quidem iuris Cæſari noſtro comparare potes, in Eccleſiaſticis. Cæſar enim ille, de quo pronunciatur ſententia, gentilis erat; erat extra Eccleſiam vt Ieroboam, & (te quoque teſte) tui iſtius debiti omninò incapax.

CAPVT XLIV.

Occurritur Teſtimonijs Conciliorum pro Primatu Regis.

M. A. INſeris, & repetis rurſùs analogiam tuam, & eadem obijcis, quæ iam diluta ſunt in præfatiuncula tua, ad loca veteris Teſtamenti, quæ omitto, cum noua reſponſione non egeant; Subiungis deindè.

L. [Eccleſia verò Catholica tantùm abeſt, vt eum Primatum deteſtata ſit; vt Carolum, vt Ludouicum Rectores Religionis actis publicis conciliaribus dixerit, ſcripſerit. Inter Rectorem verò, & Gubernatorem quid intereſt? Aut ſi nulla ei vox ſatis eſt, niſi Gubernatoris legat, in Synodo ſua octaua, Baſilium Gubernatorem Vniuerſalis nauis Eccleſiaſticæ.]

M. A. Videbimus infrà temetipſum confiteri, verum non eſſe, quòd Baſilius inſcribatur in octaua Synodo, Gubernator nauis vniuerſalis Eccleſiæ. Quare neſcio, qua fronte id pro vero hìc ſupponas. Sed eſto; ſi Rex Iacobus talis velit eſſe Gubernator Eccleſiæ, qualis fuit Baſilius, Gubernatorem Eccleſiæ Anglicanæ læti nos illum ſalutamus. At qualis Gubernator fuit Baſilius? Talis, vt diceret, Se de rebus Eccleſiæ, ne ſermonem quidem poſſe mouere. Suprà: Teſtem prodigum illum appellaſti, contrà Primatum veſtrum; horum meminiſſe debebas. Carolus verò dixit, tu audiſti. [Licèt vix ferendum ab illa ſancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus.] Et hos, credis ſupremam tenuiſſe poteſtatem rerum Eccleſiaſticarum? Fac vt Rex tuus ne ſermonem quidem moueat de rebus Eccleſię, cum Baſilio. Fac vt ferat iugum à Sede Apoſtolica impoſitum vix ferendum, cum Carolo; tunc verò ſatagat ad Eccleſiam Catholicam redigere Anglos omnes, & nos honoris ergò, & iſtius religioſæ diligentiæ cauſa, illum inſcribemus, vt ipſa fecerunt concilia, Rectorem, & Gubernatorem Religionis, & Eccleſiæ Catholicæ. Etiam Patres concilij Chalcedonenſis in acclamationibus emiſerunt has voces. Pio, & Orthodoxo Imperatori, Pontifici Imperatori. Etiam Imperatores ipſi Valentinianus, & Marcianus, in edicto Pro confirmatione eiuſdem Concilij, inſcribuntur Pontifices. [Imperatores Cæſares, Flauius, Valentinianus, Pontifex inclytus, &c. & Flauius Marcianus Pontifex inclytus, & denique legitur in veteri quodam monumento. Dominus Noſter Cæſar Iuſtinus Pius, Felix, Victor, Triumphator, ſemper Auguſt. Pont. Max. Francic. Max.] Denique Concilium Francoſordienſe de Carolo Magno Sacerdotis zelum, & affectum in illo optans, ait. [Indulgeat miſeratus captiuis, ſubueniat oppreſſis, diſſoluat faſciculos deprimentes, ſit conſolatio viduarum, miſerorum refrigerium, ſit Dominus, & Pater, ſit Rex, & Sacerdos, ſit omnium Chriſtianorum moderantiſſimus Gubernator.]

Tu verò non audes (quamuis Imperatores ita vocentur) facere Regem tuum Pontificem; millies Regum, Pontificumque diſtinguis officia; & infrà commendas Caluinum qui, Vt Papam Regem, ita Regem Papam non probauit. Benè hac in re ſentis. Hiſce igitur titulis ornabantur Imperatores antiquitùs à Patribus noſtris, non vt Pontificis honorem, & dignitatem in illos transferrent; ſed vt eorum pietatem, & propenſum in Religionem, & Eccleſiam Catholicam animum prædicarent. Nec alia fuit Auſonio mens, qui Gratianum in panegyrico, Religione Pontificem, dixit. Et huc reſpiciens ſanctus

Leo ad Theodoſium Imperatorem ſcribit. [Quantùm præſidij Dominus Eccleſiæ ſoæ in fide veſtræ clementiæ præpararit, his etiam literis, quas ad me miſiſtis, oſtenditur. Vt vobis non ſolùm Regium, ſed etiam ſacerdotalem aoimum ineſſe gaudeamus. Siquidem prærer Imperiales, & publicas curas, pijſſimam ſollicitudinem Chriſtianæ Religionis haberis.] Noo dignitate ergo, Non poteſtate probi Principes ſunt Pontifices, Rectores, & Gubernarores Eccleſiæ, Religioniſque, ſed animo, ſed cura, ſed ſollicitudine, & affectu. Qua ratione Græci in Kalendario Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ auſi ſunt appellare Conſtantinum, Inter Reges Apoſtolum, & Apoſtolis æqualem.

Hiſce igitur locis tu nibil pro veſtro Primatu promouiſti; nam loca illa de affectu, cura, animo, ſollicitudine Principum illorum loquuntur, Tu verò ad dignitatem, poteſtatemque eadem detorques, contrà illorum mentem,

OBIECTIONES

A Conuocatione, & approbatione Conciliorum.

CAP. XLV.

Explicatur primum fundamentum pro enodandis obiectionibus Aduerſariorum.

ANtequam ad illa deſcendamus, quæ Aduerſarij Angli aduersùs nos mutuati ſunt ab hæreticis eorum Anteſignanis, circa conuocationem, & approbationem Conciliorum; perpauca hęc præmontre volui, ex quibus quiſque facilè diluere poſſit, quæ nobis obiectantur.

Primò reuocandum ad memoriam eſt, quod ſupra tetigimus, cap. 14. nempè, quaſlibet literas Imperatorum, honoris ergo, ab antiquis, iuſſa, iuſſioneſque vocatas fuiſſe; licèt nihil iuberent, ſed vel hortarentur, vel rogarent; tantùm iuſſa, iuſſioneſque appellabuntur; Quod probauimus tunc ex literis Mauritij ad Gregorium, & ex reſponſo Theodorici ad Concilium Romanum. Alijs teſtimonijs modò ſuſcipimus confirmandum.

Concilium Nicænum primum inſcribitur connocatum iuſſu Conſtantini Magni; non tamen Conſtantinum iuſſiſſe Epiſcopis, vt conuenirent Nicæam, ſed eos adhortatum fuiſſe ſolummodo, teſtatur Socrates lib. 1. cap. 8. [Videns autem Rex perturbatam Eccleſiam, Synodum generalem concelebrat, Epiſcopos vndecumque per literas, vt Nicęam Bithyniæ occurrerent, exhortans.

Concilium illud Aquileienſe, cui ſanctus Ambroſius præſuit, ſub Gratiano, Valentiniano, & Theodoſio, fatetur ſe connocatum iuſſu Imperatoris, tamen in epiſtola ad Imperatorem Gratianum explicat, Iuſſa Imperatoris iuſſa non fuiſſe, ſed ſimplices adhortationes. [Studuiſtis congregare ſacerdotale Concilium, & Epiſcopis, dignatione veſtra, honorificentiam reſeruaſtis; vt nemo deeſſet volens, nemo cogeretur inuitus.] Et in Concilio, cum Palladius dixiſſet. [Imperator noſter Gratianus iuſſit orientales venire;] Ambroſius Epiſcopus dixit; [Vtique iuſſit, qui non prohibuit huc venire.] Quæ ergo iuſſa ſunt iſta? Quæ præcepta? [Nemo deſit volens, nemo cogatur inuitus.] Si coire iubentur Epiſcopi hoc modo, nouum ſanè genus iuſſionis erit iſtud, quo nihil omninò præcipitur. Iuſſa tamen vocantur, & dicit Ambroſius. [Vtique iuſſit, qui non prohibuit huc venire.]

Sexta Synodus fatetur conuocatam ſe iuſſu Imperatoris, at audi Imperatorem ipſum, epiſt. 1. ad Rom. Pont. inuitare enim, & rogare poſſumus ad omnem commendationem, & vnitatem omnium Chriſtianorum; neceſſitatem verò inferre nullatenùs volumus.] Actione vero 18. ita alloquitur Concilium idem Imperator.] Cum ergo cumplacuit tempus concedere, inuitauimus fieri collectionem veſtram.] Et epiſtola ad Patriarcham Conſtantinopolitanum. [Iam enim ſuper hæc adhortati ſumus, per pios noſtros apices, ad huc inter viuos exiſtentem, & Donum ſanctiſſimum Apoſtolicę Sedis Antiquæ Romæ Præſulem.] Agatho autem Rom. Pont. epiſt. ad eundem Imperatorem. [Et ne quemquam tam pia lateret intentio audientium, humanaue ſuſpirio perterreret æſtimantium poteſtate nos eſſe compulſos, & non plena ſerenitate, ad ſatisfaciendum ſuper Euangelicæ, & Apoſtolicæ noſtræ Fidei prædicatione commonitos, Diuales apices ad Apoſtolicæ memoriæ Donum Pontificem noſtræ puſillitatis prædeceſſorem cunctis populis, ac gentibus, per noſtrum miniſterium patefecerunt, ac ſatisfaciunt, quos gratia ſancti Spiritus, Imperialis linguæ calamo, de puro cordis theſauro dictauit, commonentis, non opprimentis; ſatisfacientis, non perterrentis, non affligentis, ſed exhortantis, & ad ea; quæ Dei ſunt, ſecundùm Deum inuitantis.]

Concilium Aurelianenſe primum cap. 1. fatetur conuenire ſe iuſſu Regis Clodouei. [Domino ſuo Catholicæ Eccleſiæ filio, Clodoueo glorioſiſſimo Regi, omnes Sacerdotes, quos ad Concilium venire iuſſiſtis.] Turonica verò ſecunda Synodus cap. 22. allegans hoc Concilium, apertè dicit. Clodoueum Regem ſupplicaſſe, vt Synodus illa fieret. [In Synodo Aurelianenſe, quam inuictiſſimus Rex Clodoueus fieri ſupplicauit, ſic decretum eſt.]

His ergo Teſtimonijs ſatis maniſeſtè patet: Concilia, quæ inſcribuntur; conuocata iuſſu Imperatorum, & Regum, torundem tantùm, vel precibus, vel adhortationibus conueniſſe; & proindè ex verbo iuſſionis efficax argumentum deſumi minimè poſſe, vt Concilium quodpiam credatur propriè Regum poteſtate cogente conuocatum fuiſſe, cum honoris ergo, omnes literæ Imperiales iuſſiones vocarentur.

CAP. XLVI.

Explicatur ſecundum fundamentum aduersùs argumentum Aduerſariorum.

LIcet verò Epiſcopi ab Impetatotibus hortarentur ſolummodò, vt in Concilium conuenitent; rectè tamen Concilia dicebantur conuocata iuſſu, Decteto, Sanctione Impetatorum. Nam tunc temporis ſumptibus publicis Epiſcopi ad Concilia deducebantur. Vrbes verò, Prouinciæque numquam, vel publica vehicula, vel alios ſumptus eiſdem ſuggeſſiſſent, niſi iuſſu, Decreto, Sanctione Impetatoris compulſæ fuiſſent. Idque eò magis, quòd orbis vniuerſus, & maximè otiens ſcatebat Idololatria, Arianiſmo, & mille alijs hæreſibus. Quis verò credat homines huius fatinæ Catholicis præſulibus pro Catholica Fide conuenientibus præſto futuros, niſi vi, metuque compellerentur? iure ergo Concilia dicebantur conuocata iuſſu, & Decreto Impetatorum, quod hanc ob cauſam neceſſarium erat.

De Nicæno primo habemus apud Euſebium, in vita Conſtantini lib. 3. [Non erat hoc edictum ſimplex, & ineſſicax, ſed cooperabatur, & illire ipſa Imperatoris nutus, qui alijs ſacultatem publici itineris, alijs Iumentorum miniſteria abundè ſuppeditabat.] Similia habet Caſſiodorus tripart. lib. 1. c. 21.

De Concilijs Ariminenſi, & Seleuciæ, ita Sozomenus, lib. 4. cap. 17. [Imperator itaque perſuaſus, nec Reipublicè proprer ſumptus, nec Epiſcopi propter prolixa itinera commodum fore, vt cuncti conuenirent in eundem locum. &c.]

Aquileienſe præſatum, epiſtula ad Imperatores, inquie. [Nullus poſtremò pauperiem in Sacerdotibus glorioſam ſubſidio veniendi deſtitutus ingemuit. Vndè completum in te eſt, Clementiſſimè Principum Gratiane, quod Scriptura diuina laudat. Beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem.

Conſtantinus Quartus, in fine epiſtolæ ad Donum Rom. Pont. de ſexta Synodo, inquit. [Omnem vero concurſum, venientibus iuſſimus præbere Theodorum glorioſum Patritium, & exareham Chriſto, amabilis noſtræ Italiæ Prouinciæ tam in naui, quamque in expenſis, & omni vtilitate eorum, & ſi neceſſitas exegerit, etiam caſtellatos dromones præbere ad eorum munimen.] Rectè ergo Concilia, Decreto, Iuſſu, Præcepto, Sanctione Imperatorum conuocati dicebantur; quia eorum iuſſu fiebat, vt conuenire poſſent Hanc ob cauſam Epiſcopi rogabant Imperatores, vt Synodos fieri Iuberent, vel concederent.

CAP. XLVII.

Explicatur tertium Fundamentum.

POſtularunt etiam Epiſcopi ab Imperatoribus aliã ob cauſam, vt Synodos cõuenire petmitterent, vt Synodis interreſſent, vt Synodos approbarent, atque ſubſcriptione firmarent. Conſtantius Conſtantini Filius nihil intentatum reliquerat, vt proſtituta Catholica fide, Arianiſmum extolleret, Iulianus Apoſtata, Chriſti nomen, & fidem prorsùs delere conatus, ad Idololatriam omnia redigere, quò ad vixit, ſategerat. Valentinianus maior, qui poſt ſeptem menſes Imperij Ioniani Iuliano ſucceſſit, cum Fratre Valente, quamuis Chriſtianus, & Catholicus eſſet, liberum tamen eſſe voluit omnibus, Deum, qua vellent religione colere: fauotibuſque proſecutus eſt Sacerdotes Idolorum. Valens verò totus Arianus Catholicæ Eccleſiæ acerrimus perſecutor extitit. Gratianus Catholicus fuit, Catholicus etiam Theodoſius maior; & Valentinianus iunior, cum Matre Iuſtina Ariani, & pro Arianiſmo contrà Catholicos innumera moliti ſunt; quamuis, Ambroſio teſte, infœlix adoleſcens reſipuerit tandem. Maximus ille, qui Gratianum necauit, & eius inuaſit Imperium, quamuis Chriſtianus eſſet, tamen, & Ithacianus fuit, & Gentilibus, atque Hebræis cultum liberum, templaque reſtituit. Theodoſius maior Templorum Gentilium euerſionem iuſſit, non tamen Gentiles ad fidem Catholicam coegit, non hæreticos ad Orthodoxas compulit caulas. Arcadius, & Honorius Catholici certè, ſed & ipſi Gentiles tollerarunt, imò eiſdem maximas quoque Reip. dignitates commendarunt, vndè quo tempore ſanctus Ioannes Chryſoſtomus, deportatus eſt; Præfectus Vrbis Paganus Gentilis erat. Thodoſius iunior, quamuis Catholicus eſſet, deceptus tamen ab vxore, & Chryſaphio Epheſini Concilij ſecundi, & Eutychianę hęreſis patronum aliquando ſe acerrimum præſtitit. Qui ſecuti ſunt iſtos, diuerſimodè in religione affecti, religionem ipſam, fidem, ritus, cœremonias, exemptiones, pro diuerſitate opinionum, aut benignè proſecuti ſunt, aut dirè perſecuti. Non potuit in tanta opinionum varietate Chriſti religio, & Eccleſiaſtica politia, niſi ſumma difficultate, & longa annorum ſerie ad illud exemplar perfectè collineari, iuxtà quod à Chriſto inſtituta fuit. Quare à quibuſdam factis Imperatorum Veterum ad ius, & poteſtatem ipſorum minimè arguere licet; Petierunt Chriſtiani (quod repeto libenter) à Conſtantino, [Vt Templa, vt Altaria Chriſto dicare poſſent; poſſent liberè pro Deo, illum colere,] non tamen ideò Chriſtus pro Deo coli non poteſt, non altaria, non templa illi dicari ſine Imperatoris conſenſu. Petierunt verò, non vt ſine culpa, ſed vt ſine impedimento liceret, inuito enim Imperatore fieri poſſunt hæc, imò debent, ſi diuinam legem reſpicias. Petierunt à Iouiano, & Valentiniano maiore, [Vt leges latas aduersùs Catholicos à Conſtantino, & aduersùs Chriſtianos à Iuliano, reſcinderent;] nunquid ideò, vel Chriſtianus, vel Catholicus quis eſſe non poterat, ſine Imperatoris conſenſu? Aſiſit. Poterant omnes, debebant omnes, etiam Imperatore inuito, ſi iura diuina perpendas; at de facto neutrum impune quiſquam poterat. Petierunt ergo, & ſupplicarunt, vt quod iure fieri debebat, de facto, & ſine impedimento fieret. Pariter ſi Patres volebant, vt Catholico ritus Deus coleretur, ſi abſque Hæreticorum, & Gentilium, & maximè Præſidum impedimento, volebant conuenire in Vrbes, &

de

religione ibi deeernete; patrocinio Imperatorum illis opus erat; Ideò cogebantur ſupplicare Imperatori, vt eis cencederet conuenire, vtque eorum intereſſe conuentui dignaretur, necnon vt eorum decreta approbaret, & confirmaret. Hoc vero fiebat, non vr iuris virtutem Conciliorum decreta ſortinntur, ſed vt populi, qui ſolent eſſe qualis Princeps, religionem eandem cum Principe amplecterentur; & Principum miniſtri, vel hæretici, vel Gentiles, eiſdem impedimento uon forent. Non lex Chriſti à Conſtantino; non Nicæna Fides ab eòdem, & à Iouiano, & Valentiniano, legis virtutem ſortita eſt; vtramque tamen probarunt, & confirmarunt, vt legis ſortiretur effectum. Non licet ergo inferre; [Supplicarune aliquando Patres, vt Imperatores concederent conuenire Concilia, eademque approbarent; ergo non poſſunt congregari Concilia ſine Imperatoris conſenſu; Vel, ſine approbatione Imperatoris, decreta Couciliorum vim legum non habent;] Non à factis Imperatorum, ſed à diuina lege examinanda res eſt, à Conciliorum decretis, à ſanctorum Patrum Doctrina. Nullam verò periodnm in vniuerſa diuina lege, nullum Canonem in omnibus Concilijs reperias, quo ſaneiatur, vel ſine Imperatoris conſenſu Concilia conuocari non poſſe, vel ſine eius confirmatione Canones Eccleſiaſticos legum vim non habere; pro hac re nullum cuiuſuis Patris teſtimonium poterit inueniri. Oppoſitum verò oſtendimus nos pluribus teſtimonijs, eadem hac diſputatione. Petiere Patres itaque ab Imperatore, quòd diuino iure poterant, quamuis humanarum virium defectu non poſſent; Conceſſit ille quod diuino iure eiſdem debebatur. Abſit ergo, vt ctcdamus ex Imperatoris conceſſione licitum, quamuis credamus ex eadem liberùm couuocari Coucilia.

In hunc, quem diximus, finem Imperatores conſueuiſſe decretis Pontificum addere ſuos quoque calculos, teſtantur ipſimet, l. certum. de Epiſc. ordin. iu C. Theod. Cum enim Hilarius Epiſcopus Arelatenſis ſibi vſurpaſſet ordinationem Epiſcoporum, res delata eſt ad Romanum Pontificem Leonem Magnum; qui in Ordinatos ſententiam tulit. Latæ ab ipſo ſententiæ, approbationem ſuam addunt etiam Imperatores Theodoſius, & Valenrinianus. Verùm ad quem finem, ipſos audiamus, inter cętera. [Cum Sedis Apoſtolicæ Primatum ſancti Petri meritum, qui Princeps Epiſcopalis Coronæ, & Romanæ dignitas Ciuitatis, ſacræ eriam Synodi firmarit auctoritas; ne quid præter auctoritatem Sedis iſtius illicitum præſumptio attentare nitatur. Tunc enim demùm Eccleſiarum pax vbique ſeruabitur, ſi Rectorem ſuum agnoſcat vniuerſitas.] Deinde relatis geſtis Hilarij, & ſententia Leonis conrra ordinatos, aiunt. [Et erat quidem ipſa ſententia per Gallias, etiam ſine Imperiali ſanctione, valitura; Quid enim tanti Pontificis auctoritati iu Eccleſias non liceret? ſed noſtra quoque præceptio, & ratio probauit, ne vlterius, vel Hilario, quem adhuc Epiſcopum nuncupari, ſola manſueti Præſulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri Eccleſiaſticis rebus arma miſcete, aut Præceptis Romani Antiſtitis liceat obuiare. Auſibus enim talibus fides, & renerentia noſtri violatur Imperij.] Hine eſt, quòd non credimus Canones vmquam vim, & auctoritatem legum ſortiros eſſe à poreſtate Principum, quamuis credamus effectum legum quandoque ab eadem eſſe conſecuros. Neque vllis exemplis Aduerſarij vmquam probabunt, quod prætendunt, probauimus verò nos, quod dicimus, non paucis argumentis.

Denique nullum ſine conſenſu, & anctorirate Pontificis Romani generale Concilium ab Imperatore conuocatum eſſe eſſeueramus; quod ſigillatim demonſtrabimus, dum Aduerſariorum argumenta diſcutiemus, & dum de Primatu Pontificis agemus. Hanc verò partem Illuſtriſſimus Cardinales Turrecremata, & Bellarminus multis proſecuti, nobis nouum uihil penè dicendum reliquerunt.

CAP. XLVII.

Diluitur prima obiectio ex Concilio Arelatenſi.

REx adducit primo loco Concilium Arelatenſe, cuius Anriſtites ſubmirtunt Imperatori Carolo totum Concilium, his verbis. [Hæc igitur Domino Imperatori præſentanda decreuimus, poſcenres eius clementiam, vt ſi qnid hic minus eſt, eius prudenria ſuppleatur; ſi quid ſecùs, quam ratio habet, eius iudicio emendetur; ſi quid rationabiliter raxatum eſt, eius adiutorio, diuina opitulante clemenria, perficiatur.]

Antequam ea defendam, quæ rectè ad locum hunc reſpondir Cardinalis, ea profetre lubet, quæ ex mea ſeutentia hoc, ſimiliaque argumenta nullo uegotio reſoluunt. Dixi, & oſtendi capite 35. Principes Laicos, à zelo religionis, ab affectu, à periria rerum, & ſacra Sapientia vocatos fuiſſe interdum Pontifices, Rectores aliquando, & Gubernarores Eccleſiæ, & Religionis; quamuis poteſtate, & auctoritare tales minimè eſſent. Carolum Magnum ex his vnum fuiſſe, nulli dubium, qui eius res geſtas nouetit; pietate enim, religione, ſapientia, rerumque ſacrarum peritia, quem ei Principum compares, haud facilè teperias, fortè, & inter Sacerdos illius temporis paucos poteris proferre, qui illum æquarent. Ideò hoc etiam nomine merito Magni ſortitus eſt titulum, actis conciliaribus Eccleſiæ Rector vocatus. Nunc aliorum teſtimonijs omiſſis, cum de Concilijs agatnr, ex Concilijs probationes deſumendæ.

Arelatenſe hoc in præfatione. [Glorioſiſſimus etenim, & Sereniſſimus Dominus noſter feruentiſſimi amoris Chriſti igne ſuccenſus, & ſanctæ actionis ope perfunctus; vtpotè verus Chriſti diſcipulus, & imitator; Eccleſiæ Dei ſtatum vigili inſtantia roborare diſponit, ſanctis Dei Baſilicis ſeſe munificum exhibet; maligna contra ſe obſeruatione agentis animi liberalirate gratiſſima, ac piæ miſerationis inſtantia ignoſcere conſueuit, vt quæ in diuerſis ſanctæ vitæ ſtudijs, ſeſe exercendo præpollet; atque omnibus Dei Sacerdotibus obſecrans, & obteſtans, vt Eccleſias, quas regu-

regendas ſuſceperunt, pia prædicatione inſtruant, motibus ſanctis exornent, ac beatæ vitæ exemplis ædificent.]

Turonenſe tertium, quod Arelatenſe immediatè ſequitur io præfatione. [Quantùm pijſſimi Imperatoris noſtri excellens animus diuinæ ſapientiæ fulgore ſit irradiatus, ad gubernandum præſenrium rerum ſtatum, ipſius Imperij ſibi à Deo dati, liquidò teſtantur negotia; quæ quanta ſint iuduſtria adminiſtrata, quantaque prudentia ordinata, qui ſapiens, ac intelligens eſt, facilè perſpicere poteſt: & eò præcipuè, quòd hic toto animo inuigilat, inueſtigando, quæ ad pietatem, & veram religionem pertinent, quorum fructus hominum in bono beatitudinis collocat. His igitur intentus pios, ac religioſos Dei Sacerdotes Eccleſiæ gubernacula in Reguo ſibi diuina largitate collato, tenentes, ſaluberrimis exhortationibus admonuit, vt operam darent, & actibus eminerent, quibus & ſe, benè operando, & ſibi commiſſos, verbis, & exemplis inſtruendo, regerent.]

Hìc velim perpendas clauſulam illam [Sacerdotes Eccleſiæ gubernacula, in Regno ſibi diuina largitate collato, tenentes.] Regnum enim collatum Imperatori, Eccleſiæ gubernacula Sacerdotibus commiſſa cognoſces.

Moguntiacum in præfatione. [Gratias egimus Deo Patri omnipotenti, quia ſanctæ Eccleſiæ ſuæ tam pium, ac deuotum in ſeruitio Dei conceſſit habere rectorem, qui ſuis temporibus ſacræ ſapientiæ fontem aperiens, oues Chriſti indeſinenter ſanctis reficit alimentis, ac diuinis inſtruit diſciplinis, Chriſtianumque populum indefeſſo labore amplificare conatur, hilariterque Chriſti honorat Eccleſias, ac de fauce diri draconis multorum animas ſtudet eripere, & ad ſinum ſanctæ Matris Eccleſiæ reuocare, atque ad gaudia Paradiſi, & ad regna cœleſtia omnes communiter inuitare, ſanctaque ſapientia ſua, deuotiſſimo ſtudio, cæteros Reges terræ tranſcendens.]

Imperator ergo Carolus cum tanta ſapientia, pietate, zelo præditus eſſet, vt facilè omnes Sacerdotes illos anteiret; com inſuper ea polleret auctoritate, & poteſtate, quæ tum Eccleſiaſticis, tum laicis ſemper reuerenda fuit, rectè facturos ſe arbitrati ſunt Epiſcopi illi, ſi decreta ſua eidem præſentarent, tanquam ſapientiori, prudentiorique, & rerum non modò ciuilium, ſed Eccleſiaſticarom quoque maximè gnaro. Ioſupet, quia poteſtas Principum temporalium, cum propitia fuit, ſemper Religionem Catholicam auxit; cum aduerſa, turbauit, conculcauit; ideo rogandum cenſuerunt Imperatorem, vt ſi quid rationabilitèr taxatum eſſet, eius adiutorio perficeretur. Nullum vero iſtorum argumento poteſt eſſe, quòd poteſtas ſacra, in Eccleſiaſticis, ſubiecta ſit poteſtati ciuili. Principes quoque Conſiliariorum, & Prudentum ſapientiæ, & prudentiæ decreta ſua examinanda præbent, antequam promulgentur; Non verò exhibent vt ſuperioribus, nou vt indè legum vim habeant, ſed vt ſapientioribus, prudentioribuſque, vtque ſine erroribus prodeant geſta ipſorum. Hac eadem ratione, iudicio, ſapientiæ, & prudentiæ Caroli Concilium geſta ſua præſentauit, corrigenda, perficienda: Poterat hoc modo illa præſentare cuilibet Viro perito, ſapienti, & pio. Petere verò, vt quæ racionabilitèr taxata ſunt, eius adiutorio perficerentur, non eſt argumentum, quòd credidiſſeot Patres, ex poteſtate Imperatoris Legum vim ſortiri Canones ſacros; nam non petunt, vt eis Legum vim largiatur; non vt probet, & auctoritate ſua eiſdem auctoritatem imperriatur; tantùm vt quæ recta ſunt, & rationabilia, ea adiutorio ſuo perfici curet. Curant verò miniſtri etiam Regum, vt ea perficiantur, quæ à ſuis Principibus decreta ſunt, quibus nemo dixerit, ſuperiores eſſe. Curare etiam debebat Iudex Iſrael, vt quæ à Pontifice decernebantur, perficerentur, & executioni mandarentur: Suprema tamen Poteſtas, vt iam vidimus, non iudicis, ſed Sacerdotis erat. His ſi addantur, quæ modò ſubijcio ex Cardinali iſtud, ſimiliaque argumenta facilè diluentur.

CAP. XLVIII.

Defenditur reſponſum Cardinalis ab obiectionibus.

CAr. Reſpondeo, Epiſcopos Concilij Arelatenſis, Carolo ipſo petente, non ſolùm de negotijs Eccleſiaſticis, ſed etiam de politicis, in eo conuentu, egiſſe: permulta quoque in communi de Clericis, & laicis ſtatuiſſe, quæ ſine Imperatoris prouidentia executioni mandari non poterant. Extant in eo Concilio Canones, quartus, & quintus, quibus abuſus laicorum reformantur, qui acceptis muneribus Presbyteros in Parochijs conſtitutos amouere, & eorum loco alios introducere tentabant. Extant Canones duodecimus, & decimuſtertius de pace inter Epiſcopos, & Comites; & vt Comites obedientes ſint Epiſcopo, & inuicem conſentiant, ad iuſtitias faciendas, & munera, pro iudicio, non accipiant. Extat Canon 15. vt pondera, & menſuræ vbique æqualia ſint. Item Canon 23. ne Comites, vel Vicarij, ſeu iudices, vel centenarij ſub mala occaſione, vel ingenio, res pauperum emant, vel per vim tollant, aut quolibet argumento ſurripiant; ſed ſi cui aliquid poſſeſſionum emendum, aut vendendum ſit, id in publico coràm Comite, & Iudicibus, & nobilibus Ciuitatis facere debebit. De his igitur, & ſimilibus Patres loquuntur cum Imperatorem rogant, vt ſi quid minùs eſt in his decretis, eius prudentia ſuppleatur. Si quid ſecùs, quam ratio habeat, eius iudicio emendetur, ſi quid rationabilitèr taxatum eſt, eius adiutorio perficiatur.]

[L. Ad Concilia te ſequor, vbi illud te malè habet, quod dicitur. Concilia etiam tota Epiſcoporum, Regibus fuiſſe ſubiecta. Dicitur certè, & probatur. Nam præſentare ea Principi, ſupplenda, emendanda, perficienda; id demùm cuiuis ſano, ſubijcere eſt. Quid ergo hìc nobis refers? egiſſe ibi multa Patres de negotijs politicis, ſtatuiſſe multa de Clericis, laicisque, quæ ſine Imperatoris prouidentia executioni mandari non poterant. Dic primùm, quare ſine Imperatoris auctoritate, non dicas? auctoritate enim, non

pro-

prouidentia mandari ſolent leges executioni, &c.]

M. A. Profuſus nimis es hac in parte, & ideò in articulos diſtributam eam referam, & diſcutiam. Malè reprehendis Cardinalem, quod dixerit. [Prouidentia leges executioni mandari.] Nemo, o L, dixerit diuina poteſtate ſola, vel auctoritate mundum regi, ſed Prouidentia. Prouidentia enim, quæ ex Principatu numquam eſt ſine poteſtate, at aliquando poteſtas ſine prouidentia, tum verò minimè laudabilis. Si ergo prouidentia ſua Deus executioni mandat æterna ſua decreta, cur malè locutus eſt Cardinalis, qui Regis prouidentia Eccleſiaſticas leges executioni mandari crediderit? Verùm, quia ſemper poſtulant hoſtes noſtri Verbum Dei, illud audiant. Act. 24. [Cùm in multa pace degamus per te, & multa corrigantur per tuam prouidentiam.] Orator Hebręus alloquitur Præſidem Felicem. Corriguntur errara certè, dum leges executioni mandantur; corriguntur verò per prouidentiam Præſides; leges ergo per prouidentiam executioni mandantur.

[L. Tum, & illud dic etiam, an non aliud longè ſupplere, emendare, perficere, quod illi petunt; aliud executioni mandare, quod tu ſomnias? Adiutorio perficere, id fortè eſt, mandare executioni, at prudentia ſupplere, iudicio emendare, id quidem non eſt exequi, nec executioni mandare, niſi Tortus aliquis interpres hìc ſit.]

M. A. Lucrum reputas poſſe torquere Cardinalem, & ideò ſæpè ad illa eum torques, quæ numquam ſomniauit. Lege, relege Cardinalis reſponſum, nuſquam reperies, dixiſſe illum, quæ tamquam ab eo dicta repręhendis; vim, & proprietatem verborum, æquè, ac tu ipſe tenet, & meliùs fortè. Adiutorio perficere credidit idem eſſe, atque executioni mandare, cætera in propria ſignificatione admiſit.

[L. Quæ verò politica illa, quæ dicis? de ſex enim illis, quæ enumeras, quatuot quę de Presbyteris, & Epiſcopis ſunt; ad politica referri non poſſunt; illa tantùm poſſunt, quæ de menſuris, & rebus pauperum, ideſt duo tantùm de ſex.]

M. A. Canon 12. [De pacis bono, atque concordia, vt ab omnibus, omninò indiſrupta teneatur inter Epiſcopos, & Comites, inter Clericos, & Parochos, & omnem populum Chriſtianum.] Hæc pax vniuerſalis audebis dicere, quòd non pertineat ad politiam, ad ipſamque referri non poſſit? Canon 13. [Vt Comites, Iudices, ſeu reliquus Populus obedientes ſint Epiſcopo, & inuicem conſentiant, ad iuſtitias faciendas, & munera pro iudicio non recipiant; nec falſos teſtes; ne per hoc peruertant iudicia iuſtorum.] Dixeris ne, Canonem hunc ad politicam minimè pertinere? non, opinor, politicum enim eſt; Iuſtitiam facere, munera, pro iudicio, non recipere; teſtes falſos non admittere. Ergo non duo de ſex, ſed quatuot ad politicam referuntur.

Adde, quod Canone 14. iubetur. [Vt vnuſquiſque tempore famis, aut cuiuslibet neceſſitatis ad ſe pertinentes gubernet.] Hoc certè temporale, hoc ciuile. Canone 17. [Cauetur, ne Iudices, & potentes pauperes opprimant.] Id nemo ſanæ mentis politicum eſſe, negabit. Sex ergo habes merè ciuilis huius Concilij decreta; ſi quatuor iſtis duo addas, iam à te confeſſa capitula, ſcilicèt 15. & 23. His ſi coniungas illa, quæ ſunt mixti fori, & ad vtramque pertinent poteſtatem, ſummam longè maiorem, quam credidiſti, conflabis. Quomodo autem vos non pudet proferre iſtud Concilium, in quo Eccleſiaſtici Præſules (vobis quoque fatentibus) de rebus ciuilibus, & merè temporalibus ſtatuunt? Vos, qui omnem poteſtatem Eccleſiaſticis adimitis circa temporalia, hæc proferre in medium audetis? pergite iſtiuſmodi teſtimonia nobis obijcere.

[L. Subiungis tandem, ſatis pro auctoritate, de his, & ſimilibus loqui Patres, cum Imperatorem rogant, vt velit Concilij decreta ſupplere, corrigere, perficere. Qui ſcis de ijs, & horum ſimilibus loqui tantùm? Vndè habes? Vbi legiſti? Quis tibi ſuggeſſit?]

M. A. Rex tuus, & Tu (vt taceam omnes Catholicos) qui de ſingulis, omnibuſque capitulis iſtius Concilij Regibus, Imperatoribuſque Poteſtatem non facitis. De fide Nicæna agitur in primo Capitulo, fidem Regi non ſubijcitis, ſed tantùm ordinem, exterioris diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſupra te, Regemque tuum: id (licèt falsò) aſſerentes audiuimus. Ergo, per vos, omnia capitula Concilij Epiſcopi ſubijcere non potuerunt Imperatori, ſupplenda, corrigenda, perficienda; & propterea de his ciuilibus, & promiſcuis loqui Concilium, dixit Cardinalis.

[L. Quàm eſt hoc maius quiddam, quàm Sacellano fas, ſic auctoritate ſua nuda, & ſola res tranſigere tanti momenti? Ergone ſex iſta solùm Imperatori præſentara? Ergone ſiue cæteris? An non, & reliqua cum ijs omnia? Negari nequit, aperta verba ſunt, omnia mittunt, omnia præſentant, omnia ſubijciunt.]

M. A. Præſentarunt omnia capitula, at cum debita diſtributione, dixerit Cardinalis. Pecierunt Imperatorem, vt quædam ſupplerentur, emendarentur alia, eius adiutorio perficerentur alia: Quæ ad ipſum pertinebant, hæc ſuppleret, hæc emendaret; quæ verò ad ipſum, vt ad Iudicem non pertinebant, hæc adiutorio ſuo perfici curaret. Si enim coniunctim de omnibus capitulis hæc intelligas, cogeris fateri, fidem à Rege ſuppleri, & emendari poſſe; repugnat verò id tuis iam dictis: Non ergo ſua nuda, & ſola auctoritate rem tanti momenti tranſegit Cardinalis; tuam quoque Tu illi commodaſti. Ad nauſeam vſque verba multiplicas, nec aliud reſonas, quàm quòd hactenùs audiuimus; prætereantur ergo.

CAP. XLIX.

Diluitur obiectio à quinque Concilijs Carolinis.

REx. [Sed quid ego de Carolo Magno loquar? cui non vnum, ſed ſex Concilia generalia Francofordienſe, Arelatenſe, Turonenſe, Cabilonenſe, Moguntinum, ac Rhemenſe ſeſe penitùs tradiderunt? Quid ni potiùs ſemel omnia generalia Concilia loquar, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Chalcedonenſe, & quatuor alia, ſic vulgò appellata, quæ Imperatoris prudentiæ, ac pietati ſeſe in omnibus ſubiecerunt? adeò vt Epheſinum illud quater ſatis diſtinctè inculcet, ſe accitos quoque Imperatoris oraculo, nutu, ſanctione, & mandato. Denique vniuerſos ſe ſupplices ad pietatis eius dominationem confugere, vt quæ contra Neſtorium, & illi conſentientes geſta ſunt, robur ſuum haberent, vt manifeſto apparet, ex epiſtola generalis Concilij Epheſini, ſcripta ad Auguſtos.]

Card. Addit deindè auctor Apologiæ, Concilia quoque Francofordienſe, Arelatenſe, Turonenſe, & Rhemenſe, penitùs ſeſe Carolo tradidiſſe, Generalia verò Concilia, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe Imperatoris pietati, & prouidentiæ, ſeſe in omnibus ſubmiſiſſe. Piguit verò illum non ſolùm Conciliorum verba referre, ſed etiam loca notare, neque ex tot Concilijs aliud in ſpecie allegauit, niſi ex epiſtola Concilij Epheſini ad Auguſtos; pauca quædam verba, quibus Epiſcopi ſe ab Imperatore conuocatos teſtantur, & petunt, vt quæ geſta ſunt contra Neſtorium robur ſuum habeant.]

[Ad quæ nos breuiſſimè reſpondemus. Concilia Epiſcoporum, iuſſu quidem interdùm Imperatorum, congregata fuiſſe; ſed in executionem mandati Summi Pontificis, ad quem generalium Conciliorum propriè conuocatio pertinet, vt perſpicuum eſt in epiſtola Concilij Conſtantinopolitani ad Pontificem Damaſum: In qua dicunt ſe Conſtantinopolim conueniſſe, ex mandato literarum ipſius, anno ſuperiore ad Imperatorem Theodoſium datarum; ſed de hac re inferiùs dicemus. Illud etiam fatemur, Concilia ſæpè ab Imperatoribus petijſſe, vt decreta ſua protegerent, & executioni mandari, auctoritate ſua, curarent. Falſum autem eſſe, quod Auctor Apologiæ hoc loco ſcribit, Concilia ſe penitus, & in omnibus ſubmiſiſſe Imperatorum pietati, atque prudentiæ; quaſi præcipuè partes, & ſumma poteſtas in rebus Eccleſiaſticis, penès Principem Terrenum eſſet, euidentèr oſtendemus ex apertiſſimis teſtimonijs Epiſcoporum, & Regum, ſiue Principum ſæculi.]

[L. Tum quòd de alijs illis Carolinis quinque, quod de primis quatuor generalibus apologia, Imperatoris auctoritate conueniſſe; illius ſe prudentiæ, & pietati ſubmiſiſſe, id vitio vertis, quòd verba relata, loca notata non ſint. Breuis eſſe voluit, ni vellet procliuè illi notare loca, referre verba, quod me nunc non pigebit facere; perfacilè enim factu eſt. De Carolinis quinque mandato illius congregata eſſe Auxiliante Domino Noſtro Ieſu Chriſto, & imperante Carolo Sereniſſimo Auguſto, conuenimus in Vrbem Cabilonenſem. Moguntinum, venimus ſecundùm iuſſionem veſtram in Ciuitatem Moguntiam. Rhemenſe: in conuentu à Domino Carolo pijſſimo Cæſare, more priſcorum Imperatorum congregato. Turonenſe: Quod à tanto Principe nobis iniunctum eſt ad ſtatuta loca conuenimus. Francofordienſe, & Imperij eius (nempè Caroli) decreto per diuerſas prouincias Regni eius ditioni ſubiectas, ſumma celeritate præcurrente, multitudo Antiſtitum ſacris obtemperando præceptis, in vno collegio aggregata conuenit.]

M. A. Memini, te repræhendiſſe Cardinalem, quòd non retulerit argumenta Regis ex nouo Teſtamento, eodem ordine, quo apud Regem iacent; cur ergo, & tu non retuliſti Concilia, eodem ordine, quo habita ſunt? & quo à Rege etiam ſunt nobis obiecta? Numquid Auguſtus tu, lege Regia, omni lege ſolutus? ſed prætereamus leuiuſcula hæc.

Cabilonenſe quid dicit? [Imperante Carolo Sereniſſimo Auguſto, conuenimus.] Nihil hoc, o L, ad rem tuam: Imperante Auguſto natus eſt Chriſtus, Imperante Rodulpho Iacobus Angliæ Rex creatus eſt; non tamen vel Auguſtus iuſſit, vt Chriſtus naſceretur; vel Rodulphus, vt Iacobus Rex crearetur. Si ergo dixerimus, participium illud apponi à Concilio ad deſignandum Concilij tempus, non ad declarandum conuocantis præceptum, euaneſcet omne tuum Ius, Imperante Auguſto, idem eſt, ac Imperatore Auguſto, vt regnante Carolo idem eſt, ac Rege Carolo.

In hoc tamen inſiſtere nolo; do, dixiſſe Concilium, quòd tu dixiſſe vis; lege primum, & ſecundum fundamentum, quæ ſupra ieci contra rationes veſtras, & tua, Regiſque tui argumenta iugulata, antequam nata, videbis. Miror verò, vos auſos Rhemenſe allegare Concilium, cuius verba ſunt. [In conuentu à Domino Carolo pijſſimo Cæſare, more priſcorum Imperatorum congregato, ordinante Wlfario einſdem ſanctę Sedis Archiepiſcopo.] Imperator ergo congregat, more Maiorum, dum congregat Ordinante Archiepiſcopo; damus libentèr, ita poſſe, immò debere Imperatorem conuocare Concilia. Non ampliùs ergo iuſſa Imperatorum nobis obijciatis, iubent enim, ordinante Paſtore Eccleſiaſtico; ſi ita vult iubere Concilia Rex tuus, litem dirimimus. De cæteris nihil dico; ſcis iam, conſueuiſſe Epiſcopos Galliæ Preces Regum vocare iuſſa, & Clodoueum præcepiſſe apud Concilium Aurelianenſe primum, cum tamen verè ſupplicauerit, vt Turonica ſecunda teſtatur.

Opponis deindè eorumdem Conciliorum Verba, quibus ſubmittunt ſeſe Imperatori Carolo. Hæc verò, quoniam non indigent noua reſponſione, ad eas te remitto, quas ſupra audiſti, primùm in tertio fundamento, deindè ad obiectionem ex Concilio Arelatenſi: Quoniam verò ex Francofordienſi, præter conuocationem, loco confirmationis, alia quædam ſubiungis, hæc ipſa audiamus,

L. [Ca-

L. [Carolum cougregationi ibi Sacerdorum auditorem, & arbitrum aſſediſſe: locutum de cauſa fidei prolixo ſermone, etiam poſt Rom.Pont. loco primo. Epiſcopos Italiæ, ſecundo. Germaniæ, Galliæ, Brytanniæ, tettio. Quarto loco conſenſum ſuum ſubnexuiſſe. Denique, cuius & illa verba ſunt. (Decernimus, & Deo donante decreuimus, quid eſſet de hac inquiſitione, firmiter tenendum) erat autem cauſa fidei contra Eliphandum Toleranum, qui Chriſtum Dei Filium adoptiuum aſſeruerat.]

M. A. [Probare debebas, Concilium confirmationem poſtulaſſe à Carolo, eidemque ſua ſubieciſſe decreta, ſi promiſſis ſtare volebas; at id nec probaſti, nec probare poteris,non enim factum eſt. Dicis primò, [Auditorem, & arbitrum aſſediſſe Concilio.] Dicis ſecundò, [Locutum eſſe in Concilio poſt Romanum pontificem, loco primo.] Dicis tertiò. [Conſenſum ſuum ſcripto ſubnexuiſſe, quarto loco poſt omnes Epiſcopos.] Dicis quartò. [De cauſa fidei illum decreuiſſe.] Omnia hæc ſunt partim ſalſa, partim præter rem, partim contra cauſam veſtram. [Falſum eſt locutum fuiſſe Imperatorem primo loco poſt Romanum Pontificem]Nam ſi Romanus Pontifex Concilio iſti non interfuit, vt videre eſt, quomodo poſt Romanum Pontificem loquitur Imperator?

Contra te facit, quòd Imperatorem dicis [Aſſediſſe Concilio, Audirorem, & Arbitrum] nam arbiter non eſt Iudex ordinarius; noſtra verò controuerſia eſt de Iudice ordinario cauſarum ſpiritualium; Nec enim negamus, laicum hominem earumdem arbitrum eligi poſſe, & ſanctus Auguſtinus arbitrum elegit Laurentium, de cauſa fidei inter ſe, & Paſcentinm Arianum epiſt.177.

Dicis. [Conceſſiſſe Imperatorem quarto loco, poſt latam ſententiam ab omnibus Epiſcopis] Nos verò tantum abeſt, vt negemus Principes catholicos conſentire debere decretis conciliaribus, vt ſecùs facere hæreticum eſſe credamus.

Dicis. [Decreuiſſe Imperatorem, quid in hac cauſa tenendum] & nos non ſolùm id non negamus fieri poſſe, ſed oramus, & obſecramus Principes omnes, & potiſſimùm Regem veſtrum, vt idem faciant. Ex Deuteronomio probauimus, ſententia Iudicis morti adiudicandum. [Qui noluiſſet obedire Sacerdotis Imperio] decernere ergo, & ſententiam ferre de rebus fidei, laicos Principes, volumus; ſed iuxtà Sacerdotis Imperium. Ità fecit Carolus, ſcilicet non independenter, vt ſupremus Eccleſiæ Gubernator, & caput; ſed vt Diſcipulus, miniſter, & executor decretorum Eccleſiæ. Illum audiamus. [Sancta omnium Patrum vnanimitas firmiter decerneret, quid credendum ſit de adoptione carnis Chriſti, quam nuper nouis adſertionibus, & ſanctæ Dei vniuerſali Eccleſiæ antiquis temporibus inauditis, vos, ex veſtris ſcriptis, intuliſſe cognouimus. Immò, & ad beatiſſimum Apoſtolicæ Sedis Pontificem de hac noua inuentione veſtræ deuotionis, ter, quaterque direximus miſſos, ſcire cupientes quid ſancta Romana Eccleſia, Apoſtolicis edocta traditionibus, de hac reſpondere voluiſſet inquiſitione.] Hos ergò iudices Carolus adſciuit, hos de fide decernere, & ſancire voluit, Epiſcopos nempè omnes, ſed præcipuè Romanum Pontificem, ad quem quater Nuntios mittit. Pondera, Imperatorem appellare, ſanctam, & Apoſtolicam Sedem Romanam Cathedram, dicereque edoctam illam Apoſtolicis traditionibus. Id quomodo Regis tui conſonat egregio dogmati, qui trecentos ante Concilium præfatum annos vult fuiſſe Pontificem Antichriſtum? Poſtquam verò Epiſcopi decreuerunt, quid firmiter tenendum de hac inquiſitione; cauſam fortè diſcutere voluit Imperator; vt videret an approbanda, an reprobanda ſua auctoritate eorum decreta forent? Abſit. [Nec veſtræ me paucitati, in conſenſione huius nouæ aſſertionis ſocium admitto, ſed Apoſtolicæ Sedi, & antiquis ab initio naſcentis Eccleſiæ,& catholicis traditionibus tota mentis intentione, tota cordis alacritate coniungo.] Ità de fide tenenda, tuendaque ſtatuar, & decernat Rex tuus, & nos eius decretis vnanimes ſubſcribimus. Ex ſententia Papæ Adriani res illa tota terminata eſt, immò in decreto Synodi legitur. [Simili eos ſententiæ vindicta ſancimus eſſe plectendos, reſeruato per omnia iuris priuilegio Summi Pontificis, & Patris noſtri Adriani primæ Sedis Beatiſſimi Papæ.] Hinc ergo vos percontari libet, Aut creditis Concilium hoc Antichriſtianum, & Synagogam Sathanæ, aut non creditis. Si non creditis Concilium Antichriſtianum, quomodo Papa ille Antichriſtus, ex cuius ſententia tota res terminatur? Si Antichriſtianum creditis, quomodo aſſeritis, hinc iura chriſtianorum Principum eruenda eſſe? Nunquid Chriſti Eccleſia Antichriſtum, Patrem, Magiſtrum, & Doctorem ſequi poteſt?Inſuper vel Concilium fauet primatui Regis, vel non fauet; ſi non fauet, malè allegatis; ſi fauet, & Papa Antichriſtus eſt, veſter primatus iam chriſtianis omnibus deteſtandus, quippè qui patronum habeat,& Anteſignanum Antichriſtum. Quare ſi primatum veſtrum tueri vultis, dicendum vobis, vel Papam tunc temporis Antichriſtum non extitiſſe, vel Concilium iſtud vobis non fauere.

CAP. L.

Reſpondetur argumento à conuocatione, & approbatione quatuor Conciliorum Generalium.

M. A. Pergis deindè ad quatuor generalia Concilia, eaque probas congregata fuiſſe ab Imperatoribus. [Nicœnum, Conſtantino congregante. Conſtantinopolitanum, iuxta reſcriptum Theodoſij. Epheſinum, ſecundùm mandatum, reſcriptum, nutum Theodoſij Iunioris, & Valentiniani. Chalcedonenſe, decreto, & ſanctione Valentiniani, & Marciani. Paucis hæc refelluntur; ea perlege, quæ primo, ſecundo, & tertio fundamento ſcripta ſunt. Conſtantinus congregauit Nicœnum, non iubendo Epiſcopis, ſed hortando, vt vidimus ſupra cap.44. & neceſſaria ſuppeditando, vt cap. illi proximo. Conſtantinopolitanum conuocatum fuit à Theodoſio, nutu Damaſi, vt infra probabimus.

mus. Chalcedonenſe, mandante Leone; Vndè Valentianus, & Martianus epiſt. ad eumdem Pontificem. [Ad hoc maximum Imperium venimus, Dei prouidentia, & electione Senatus Excellentiſſimi, cunctæque militiæ. Vndè pro reuerenda Catholica Religione Chriſtianæ fidei, cuius auxilij virtute noſtræ potentiæ confidimus gubernari; Tuam ſanctitatem principatum in Epiſcopatu diuinæ fidei poſſidentem, ſacris literis noſtris principio iuſtum credimus alloquendam: inuitantes, atque rogantes, vt pro firmitate, & ſtatu noſtri Imperij, æternam diuinitatem tua ſanctitas deprecetur, vt tale propoſitum, atque deſiderium habeamus, quatenùs omni impio errore ſublato, ſequentia perpende, per celebrandam Synodum, te auctore, maxima pax circa omnes Epiſcopos fidei catholicæ fiat ab omni ſcelere pura, & intemerata conſiſtens.] Sequenti verò epiſtola ijdem Imperatores ad eumdem Pontificem. [Supereſt, vt ſi placuerit tuæ beatitudini, in has partes aduenire, & Synodum celebrare, hoc facere Religionis affectu dignetur; noſtris vtique deſiderijs Veſtra ſanctitas ſatisfaciet, & ſacræ Religioni, quæ vtilia ſunt, decernet. Si verò hoc oneroſum eſt, vt tu ad has partes aduenias, hoc ipſum nobis proprijs literis tua ſanctitas manifeſtet, quatenùs in omnem orientem, & in ipſam Thraciam, & Illiricum ſacræ noſtræ literæ dirigantur, vt ad quemdam definitum locum, vbi nobis placuerit, omnes ſanctiſſimi Epiſcopi debeant conuenire, & quæ chriſtianorum Religioni, atque catholicæ fidei proſint, ſicut ſanctitas tua, ſecundum Eccleſiaſticas regulas definiuerit, ſua diſpoſitione declaret.]

Epiſtola verò Pulcheriæ Imperatricis ad eundem Pontificem, quæ ſuperiorem ſequitur. [Propterea tua reuerentia quocumque modo perſpexerit, ſignificare dignetur, vt omnes etiam totius orientis Epiſcopi, Thraciæ etiam atque Illirici (ſicut etiam Domino Pijſſimo Imperatori meo coniugi placuit) in vnam ciuitatem velociter, ab orientalibus partibus, valeant conuenire, & illic facto Concilio, & de Catholica confeſſione, & de his Epiſcopis, qui ante hoc ſegregati ſunt, ſicut fides, & chriſtiana pietas exigit, te auctore decernant.]

Patet ergo ex his teſtimonijs, Imperatores illos non auſos fuiſſe conuocare generalia Concilia; ni vt conuocarent, priùs eis facultatem feciſſet Romanus Pontifex. Infęlici euentu hac parte conuocationis tentata; ad confirmationem, & ſubiectionem Conciliorum pergis, & iniquis.

L. Submiſiſſe autem ſeſe Imperatori, ab eoque confirmationem ſuam habuiſſe, profero tibi verba, cito loca. Nicœnum à Conſtantino. (Et Synodi decreta confirmans conſignauit.)

M. A. De more hìc imponis lectori, & pro vno Concilio alterum ſubijcis. Non Nicænum primum Concilium fuit iſtud, de quo ibi Euſebius. Dimiſſa iam erat Synodus Nicæna, iam vnuſquiſque Epiſcoporum ad propria redierat. Annus iam elapſus eſt, cum altera hæc habetur Synodus. Lege ante paucas lineas de Concilio Nicæno. [Cum iſta ad hunc modum præcepiſſet, ad propria cunctos reuerti permiſit; Illi verò cum gaudio diſceſſerunt. Infrà verò. Hoc pacto vigeſimum Imperij ſui annum ornabat, ac cunctis iam pacatis, ſoli inter ſe Ægyptij inimicè contendebant, ita vt denuo turbaretur Imperator, licèt non ad iram concitaretur, ſed eos tanquam Patres, imò magis Prophetas Dei, omni honore proſequeretur. Conuocauit igitur eos iam ſecundo, iterumque patienter conciliationem eorum, meditatione ſua inſtituit, ac donis rursùs honorauit, diætamque per epiſtolam ſignificauit, & Synodi decreta obſignatione ſua confirmauit.] Viden L., dimiſſa Nicœna Synodo, expleto anno 20. Imperij Conſtantini, rursùs contendiſſe ſolos Ægyptios, ſecundòque illos conuocatos fuiſſe, eiuſque Synodi decreta ab Imperatore obſignata? Non ergo Nicæna Synodus hæc; iam dimiſſa, iam diſſoluta illa, annus iam elapſus, & tu tali fide nobiſcum agis? Qua verò ratione iſtius Synodi Epiſcoporum Ægyptiorum decreta confirmauerit, dictum eſt in tertio fundamento, ſcilicet non vt ſine culpa illa ſeruarentur, ſed vt ſine moleſtia, & impedimento executioni mandarentur. Quod & fecit de Chriſti Lege, Religione, & cultu idem Imperator, vt idem Auctor eſt, lege ita ſanciendo. [Et nunc igitur liberè, & firmiter quiſquis hanc voluntatem habet, vt Chriſtianorum religionem ſeruet, hoc ipſum ſine omni moleſtia faciat. Hæc tuæ diligentiæ pleniſſimè ſignificanda eſſe decreuimus, vt ſcias, nos chriſtianis liberam, & abſolutam poteſtatem ſuam ipſorum ſeruandi religionem, dediſſe.] Poteſtatem tamen hanc, non ab Imperatore, non à mortali quopiam, ſed à Deo ipſo omnes homines habent; nec lege Imperatoris opus erat, ſi quæras, quod licitum; at lege hac opus erat, ſi libertatem reſpicias, quæ à mortalibus poterat impediri. Hac ratione petierunt Epiſcopi à Theodoſio maiore, vt obſignaret Conſtantinopolitanum; hac Epheſini rogarunt Theodoſium iuniorem, & Valentinianum, vt eorum geſta, vim ſuam, atque robur haberent contra Neſtorium. Non petunt, vt robur largiatur, non vt vim, ſed tantùm, vt habeant robur ſuum, ſuam vim; hac denique ratione, Marcianus Chalcedonenſe confirmat. Hinc verò, nec Tu, nec vllus vnquam inferre poterit, hæc fuiſſe iure ſubiecta Principum eorumdem poteſtati; ſuprà enim latè probauimus, rei Fidei, religioniſque, laicis Principibus non poſſe ſubeſſe. Ad Cardinalis reſponſum refellendum indè ſe conuertit L. & inquit.

CAPVT LI.

Reſponſio Cardinalis ad ſuperiores obiectiones propugnatur.

L. FAteris autem iuſſu Imperatoris congregata Concilia, ſed addis interdum. Dele verò (Interdum) vel deſigna nobis generale vnum aliquod de primis illis octo, & doce abſque illius iuſſu conuocatum.]

M. A. Ad mea fundamenta te conuerte, & quod ignoras modò, verum eſſe cognoſces. Si iuſſum propriè accipias, & hoc ad Epiſcopos referas, ibi videre potes de Concilijs

illis

illis generalibus Imperatorem Epiſcopis non ſemper iuſſiſſe, ſed vel adhortatum eſſe, vel rogaſſe illos; At verò ſi iuſſum referas ad illos, qui ſuggerere debebant neceſſaria pro habendis Concilijs, hoc modo nullum ex illis habitum eſſe dicimus, ſine iuſſu, Decreto, Sanctione Imperatoris, hoc verò nihil nobis officit, nihil vos iuuat.

L. Sed nec interdùm etiam vis factum hoc fuiſſe ab Imperatore, niſi in executionem mandati Summi Pontificis; Vbi quid tu Summum Pontificem crepas, vel mandatum eius, vel executorem mandati Pontificis Cæſarem? Nullum tum quidem Pontificis mandatum, quin ſubmiſſa ſupplicatio; Nec Pontifex tum mandauit, ſed Cæſar; nec Cæſar executus eſt, ſed Pontifex.]

M. A. Tu non probaſti, Imperatorem mandaſſe Pontifici, vt conuocaret aliquod Concilium, at probabimus nos, Pontificem id mandaſſe Imperatori; tua verò ſola auctoritate tantam rem expedire, eſt maius quid, quàm eleemoſynario fas. Sed quæſo, ſi Imperator, Iuſſu ſuo, conuocat omnes octo illas Synodos, ſi ſecundùm te, nulla Pontificis ratio habetur, quomodo tum mandat Cæſar Pontifici de Concilio conuocando? Quomodo tum Pontifex exequitur Cæſaris mandatum? [Imperator couocat, ſcribit, iubet, Pontifex ſilet (hæc tua ſunt) & Pontifex exequitur mandatum Cæſaris conuocando Concilium?

Petijſſe Marcianum à ſancto Leone, vt ad ſe literas daret, quibus conuocare poſſet Epiſcopos ad Chalcedonenſe Concilium, audiuimus ſuperiori capite, quod item ab eodem Imperatrix Pulcheria poſtulauit. Eaſdem literas petijſſe Theodoſium maiorem à Damaſo, patebit infrà, vbi audiemus Patres Concilij Conſtantinopolitani dicentes. [Se conueniſſe Conſtantinopolim adductos ex literis Damaſi, datis ad eundem Imperatorem Theodoſium, turſùſque eodem modo Conſtantinopoli Romam accitos eſſe.] Atque idem petijſſe omnes Imperatores Catholicos nulli dubium eſſe debet, nam Catholici omnes ſemper reueriti ſunt Concilium Nicænum; in ipſo vero ſancitur, vt iam vidimus, non poſſe conuocari Concilia ſine auctoritate Pontificis Romani. Si verò in eo ita ſancitum, quis credat ipſum aliter conuocatum? Teſtatur id ſexta Synodus verbis diſertis, [Conſtantinus ſemper Auguſtus, & Syluester laudabilis magnam, atque inſignem in Nicæa Synodum congregabant.] Summa ergo poteſtas conuocandorum Conciliorum Pontificis cum eſſet, dum Imperatores Catholici optabant, vt haberentur Concilia generalia, poteſtatem conuocandorum Epiſcoporum à Pontifice poſtulabant, eamque illis benignè Pontifices concedebant, vel niſi illi poſtulabant, hortabantur, & rogabantur à Pontificibus, vt facerent, vt geſta Concilij ab Imperatoribus habita, quaſi opus proprium, ardentiùs protegerentur. Conuocatio ergo mandabatur à Pontifice, non quidem præcipiendo, vt Abbates Monachis, vel vt Præſides Satellitibus, præcipiunt, ſed vt par erat, rem committendo principibus illis, qui noui in Chriſti Catholica religione eſſent, & penès quos ſumma totius Chriſtianæ Reip. foret, quique ideò noſtræ Fidei, noſtræque religioni obeſſe plurimùm, plurimùm poſſent prodeſſe; Ille exequitur, qui conuocat; Ille mandat, qui conuocandi vim conuocantis impertitur præcepto; non à verbis, ſed à re, rem dimetimur: Princeps cum rogat, imperat, in Eccleſiaſticis verò ſummus Princeps. Si autem vis in terminis Verbum iuſſionis, accipe. Conſtantinus Cæſar epiſtola ad ſolitariam vitam agentes. [Epiſcopus Rom. Iulius, inquit, Synodum iuſſit fieri vbicumque vellemus.] Quis hìc iubet? Quis exequitur?

CAP. LII.

Occurritur quibuſdam interpoſitis obiectionibus de Primatu Papæ, cuius ſumma dignitas apud veteres PP. demonſtratur.

L. QVia nullus tum Pōtifex Summus, Epiſcopus tantùm Romanus; paruus ad Romanum tum habebatur reſpectus. Alij Epiſcopi illum tum Fratrem, & Coepiſcopum nominabant: ita tum Cyprianus, Epiſcopo Romano ſcribit. (Cyprianus Fratri Cornelio.) Ità Dionyſius Corinthius Stephano, & Syxto (Frater mi) Ità Marcellus Iulio (Comminiſtro) Ità Ioannes Conſtantinopolitanus Hormiſdæ (Fratri) Carthaginenſes, Innocentio, Bonifacio. Epheſini Cœleſtino (Fratribus ſuis, Comminiſtris ſuis) Frater autem, Conſacerdos, Comminiſter, Coepiſcopus ſocietatis ſunt, & æqualitatis nomina; Summitas ibi nulla.

M. A. Nullus tum Summus Pontifex? Epiſcopus tantùm Romanus? paruus ad Romanum tum habebatur reſpectus? Tu hæc audes? In altero libro, ex profeſſo ago de Primatu Summi Pontificis, ſuper vniuerſa Eccleſia, ibi hæc tua mendacia innumeris teſtimonijs obruta videbis. Nunc paucis delibaſſe tuam inſcitiam, ſatis ſit.

Concilium Nicænum primum ſtatuit; [Vt præter ſententiam Pontificis Romani Concilia conuocari, Epiſcopi deponi non poſſint.] Paruus ne tum reſpectus Pontificis Romani? Cur nullius alterius auctoritas requiritur? cur ſolius Romani Pontificis conſenſus poſtulatur? Reſpondet L. [Quia non erat Summus Pontifex, tantùm Epiſcopus Romanus, & paruus tum reſpectus Pontificis Romani.] Benè quidem.

Synodus generalis Epheſina prima in ſententia, quam aduersùs Neſtorium tulit, dicit. [Per ſacros Canones, ſanctiſſimique Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi Cœleſtini, Patris noſtri literas, lachrymis ſuffuſi, & penè inuiti ad lugubrem hanc ſententiam vrgemur.] Tanta Synodus ex literis Romani Pontificis æquè, ac ex ſacris canonibus fert ſententiam. Tanta, & vniuerſalis Synodus, illum Patrem ſuum appellat, non Fratrem, non Comminiſtrum. Vndè hoc? Dicit L, [Quia tum paruus reſpectus Pontificis Romani.] Alia hac de re audi.

Inter duos Patriarchas oritur quæſtio, Cyrillum ſcilicet Alexandrinum, & Neſtorium Conſtantinopolitanum; ab vtroque cauſa ad Pontificem Romanum defertur; deponit

ille

ille Neſtorium, nemo audet dicere (nec hoſtes ipſi) id Epiſcopum Romanum facere non potuiſſe. Cur id? [quia Pontifex erat tantùm Epiſcopus Romanus, & ipſius paruus tum habebatur reſpectus.]

Eutiches à ſancto Flauiano Patriarcha Conſtantinopolis hæreſis condemnatus, cauſam defert ad Romanum Leonem; ſanctus Flauianus geſtorum ſuorum Leoni reddit rationem, vt iudici, à quo damnatio Eutychetis confirmatur. Id vero cur? [Quia Epiſcopus Romæ tantùm, quia tum paruus reſpectus Romani habebatur.]

Celebratur ob eandem hæreſim, & propter petulantiam Dioſcori Chalcedonenſe generale Concilium, id verò confirmationem, & approbationem, tamquam à capite poſtulat à Leone, geſtorum ſuorum. In epiſtola Synodi ad eundem Pontificem, tu hæc legas. [Quibus tu quidem Epiſcopis, ſicut membris caput præeras in his, qui tuum tenebant ordinem, beneuolentiam præferes. Infrà. Et poſt hæc omnia; inſuper, & contra te ipſum, cui vineæ cuſtodia à Saluatore commiſſa eſt, ſuam extendit inſaniam, ideſt contrà tuam quoque Apoſtolicam ſanctitatem, & excommunicationem meditatus eſt contrà te, & in calce epiſtolæ. Rogamus igitur, & tuis decretis noſtrum honora iudicium, & ſicut nos capiti in bonis adiecimus conſonantiam, ſic, & ſummitas tua filijs (quod decet) adimpleat.] Viden hic tu? Caput Epiſcoporum bis appellatur Pontifex, & illi vineæ, ideſt Eccleſiæ cuſtodia, à Domino commiſſa affirmatur, & pondera verbum illud: Summitas tua, ne dicas ampliùs: Nullus tum Summus Pontifex, ſummitas ibi nulla; concilij ergo generalis Pontifex vocatur caput, vt caput eidem præſidere dicitur, vt à capite confirmatio geſtorum poſtulatur; Et paruus tum reſpectus Pontificis Romani?

Audiſti ſuprà Valentinianum; & Marcianum, alloquentes ità Pontificem illum. [Tuam ſanctitatem principatum in Epiſcopatu diuinæ fidei poſſidentem. Audiſti Pulcheriam. Illic facto concilio, & de catholica confeſſione, & de his Epiſcopis, qui ante hoc ſegregati ſunt, ſicut fides, & Chriſtiana pietas exigit, te auctore decernant: iterum Imperatores. Omnes ſanctiſſimi Epiſcopi debeant cõuenire, & quę Chriſtianorum religioni, atque catholicæ fidei proſint, ſicut ſanctitas tua, ſecundùm Eccleſiaſticas regulas definiuerit, ſua diſpoſitione declaret.] Pontifex ergo Romanus principatum tenet, Epiſcoporum Fidelium; Fides, & Chriſtiana pietas exigit, vt illo auctore Epiſcopi in Concilio decernant. Epiſcopi in concilio generali declarare debent, quæ proſint Chiſtianæ Fidei, & religioni, ſicut definiuerit Pontifex Romanus. Et hæc non eſt Summitas Pontificatus? Et hoc Simplicis Epiſcopi Munus? Et is paruus reſpectus? o L, cæcutis in meridie. Vis alia teſtimonia tui erroris? hæc rurſùm accipe.

Sanctus Irenæus vetuſtiſs. Pater lib. 3. cap. 3. [Ad hanc enim Eccleſiam (de Romana loquitur) propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt, omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt vndique fideles: in qua ſemper ab his, qui ſunt, vndique conſeruata eſt ea, quæ eſt, ab Apoſtolis traditio.] Nota, primò, Potentiorem principalitatem. Secundò, Omnem conuenire Eccleſiam. Tertiò, Semper conſeruata ab Apoſtolis traditio.

Sanctus Athanaſius Patriarcha Alexandrinus epiſtola ad Marcum Papam. Domino ſancto, & Apoſtolici culminis venerando Marco, ſanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Sedis, atque vniuerſalis Eccleſiæ Papæ, Athanaſius, & vniuerſi Epiſcopi Ægyptiorum ſalutem, &c. Optamus, vt à veſtræ ſanctæ Sedis auctoritate, quæ eſt Mater, & Caput omnium Eccleſiarum, ea ad correptionem, & recreationem fidelium, Orthodoxorum percipere, per præſentes Legatos mereamur. Perpende. 1. Vniuerſalis Eccleſiæ Papæ. 2. Et Mater. 3. Et caput omnium Eccleſiarum.]

Sanctus Ioannes Chryſoſtomus Patriarcha Conſtantinopolitanus epiſt. ad Innocentium primum Rom. Pontificem. [Obſecro, vt ſcribas, quòd hæc tam inique facta, & abſentibus nobis, & non declinantibus iudicium, non habeant robur, ſicut neque ſua natura habent; illi autem, qui iniquè egerunt, pęnę Eccleſiaſticarum legum ſubiaceant. Nos autem inſontes. neque conuictos, neque depræhenſos, neque vllius criminis reos comprobatos, Eccleſijs noſtris iubete reſtitui.] Petit Patriarcha Conſtantinopolis, vt Romanus reſcindat acta Concilij, quo ipſe damnatus fuerat; licèt Concilium illud maximè probaretur Imperatori.

Theodoretus epiſtola ad Renatum Preſbyterum. [Quamobrem deprecor te, vt ſanctiſſimo Archiepiſcopo Leoni Papæ ſuadeas, vt Apoſtolica auctoritate vtatur, iubeatque ad vnum Concilium adire: Tenet enim ſancta iſta Sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Eccleſiarum, cum propter alia, tum quia ſemper hæretici fœtoris expers manſit, nec vllus vnquam, qui contrarium ſentiret, in ea ſedit; quin potius Apoſtolicam gratiam puram cuſtodiuit. Siſte ibi. Primò, Gubernacula regendarum cuncti orbis Eccleſiarum. Secundò, Hæretici fœtoris ſemper manſit expers. Tertiò, Nullus vnquam in ea ſedit, qui contrarium ſentiret. Quartò, Gratiam Apoſtolicam puram cuſtodiuit.

Sozomenus lib. 3. cap. 7. [Athanaſius fugiens Alexandrina Romam aduentauit, eodem etiam tempore Paulus Conſtantinopolitanus Epiſcopus fortè illò acceſſit, &c. Quorum criminationes, cum Epiſcopus Romanus intellexiſſet, & omnes fidei Concilij Nicęni conſentientes reperiſſet, in communionem recepit. At cum propter Sedis dignitatem, cura omnium ad ipſum ſpectaret, ſingulis ſuam Eccleſiam reſtituit: ſcripſitque ad Epiſcopos Orientis, eoſque incuſauit, quòd inconſultò de hiſce viris iudicaſſent, Eccleſiaſque perturbaſſent. Primò, Duos Pont. Romanus reſtituit Patriarchas. Secundò, A Concilio deiectos, propter Sedis dignitatem. Tertiò, Cum ad ipſum cura omnium ſpectaret.] Vis etiam, & ex latinis teſtem aliquem? Do.

Tertullianus, etiam hæreticus, aduersùs Pontificem ſcribens, libro de pudicitia, inquit. [Audio eſſe edictum propoſitum, & quidem peremptorium: Pontifex ſcilicèt Maximus,

ximus, Epiſcopus Epiſcoporum dicit. Ego & mechiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto. Viden illud, Pontifex Maximus? Floruit verò Tertullianus ducentis poſt Chriſtum annis.

Sanctus Cyprianus. Poſt iſta adhuc, inſuper pſeudoepiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto, nauigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam principalem, vndè vnitas Sacerdotalis exorta eſt, à ſchiſmaticis, & prophanis literas ferre, nec cogitare, illos eſſe Romanos (quorum fides Apoſtolo prædicante laudata eſt) ad quos perfidia non poſſit habere acceſſum. Vides hìc, ſcio, quæ nolles. Primò, Petri Cathedram. Secundò, Eccleſiam principalem. Tertiò, Vndè vnitas Sacerdotalis exorta eſt. Quartò, Ad Romanos perfidiam non poſſe habere acceſſum.

Idem alibi. Nos ſingulis nauigantibus, ne cum ſcandolo vllo nauigarent, rationem reddentes, ſcimus nos hortatos eſſe, vt Eccleſiæ Catholicæ radicem, & matricem agnoſcerent, & tenerent. Ne obliuiſcaris quæſo 1. Eccleſiæ Catholicæ 2. Radicem 3. Et matricem.

Optatus Milleuitanus. Negare non potes, ſcire te in Vrbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorom Caput Petrus; Vndè & Cephas appellatus eſt. In qua vna Cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne ſinguli Apoſtoli, ſingulas ſibi quiſque defenderent; vt iam peccator. & ſchiſmaticus eſſet, qui contrà ſingularem Cathedram, alteram collocaret, ergo in Cathedra vnica, quæ eſt prima de dotibus, ſedit priùs Petrus, cui ſucceſſit Linus, &c. Plura tibi diſplicere ſcio hìc, 1. Romæ primo Petro collata Epiſcopalis Cathedra, 2. Petrus Caput Apoſtolorum omnium, 3. Vnitas ab omnibus in hac ſeruaretur, 4. Schiſmaticus, qui contrà ſingularem hanc Cathedram, alteram collocaret, 5. Petro ſucceſſit Linus.] Hæc omnia tuam confodere hæreſim de Primatu Papæ optimè noui, de ſingulis enim iſtis articulis apertè dubitas.

Hieronymus. [Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens Beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri communioni conſocior; ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc Domum agnum comederit, prophanus eſt. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante Diluuio. Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt, Qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Ad rem tuam ſunt omnia hæc in Hieronymo. 1. Beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri, 2. Super illam Petram ædificatam Eccleſiam, 3. Quicunque extra hanc Domum comederit, prophanus eſt. Tu ergo qualis?]

Te maximè vrgent poſtrema illa. Quicunque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt, Qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Nam ſi qui non colligit cum Pontifice, ſpargit, Qui non eſt cum Pontifice, Chriſti non eſt, ſed eſt Antichriſti. Tu certè, qui cum Romano Pontifice non colligis, diſperges, non eris Chriſti, ſed Antichriſti. Plurima alia teſtimonia huiuſce dogmatis in ſecundum librum, ad locum proprium reijcio; Fuerint hæc tantùm præludia quædam in veſtrum errorem. His, vt puto, ſatis apertè conuincitur, falsò dixiſſe te. [Tunc temporis Romanus Epiſcopus tantùm, non Pontifex Summus. Paruus tum ad Romanum reſpectus habebatur.] Semper Pontifex Summus, Vniuerſalis Eccleſiæ Paſtor, Summus ſemper illius reſpectus habitus eſt.

Iam collige. Non æqualitatis, ſed ſuperioritatis argumenta ſunt. Ne ſine ipſius conſenſu Concilia conuocentur, Epiſcopi deponantur. Conciliorum generalium, vt appelletur Pater. Ipſius literis æquè, ac ſacris Canonibus à Concilijs Generalibus obedientia præſtetur. Patriarchas omnes iudicet, illos deijciat è gradu, a Concilijs deiectos reſtituat. Omnes vndique fidei cauſæ ad illum deferantur. Conciliorum generalium caput dicatur. Vt caput præſit, vt caput probet, & reprobet eorum Decreta. Poſſideat principatum in Epiſcopatu diuinæ fidei, concilia de omnibus illo Auctore decernant. Sit vniuerſalis Eccleſiæ Papa. Sedes eius ſit Mater omnium Eccleſiarum; earundem gubernacula teneat. Omnium ad ipſum cura pertineat; Pontifex Maximus, Epiſcopus Epiſcoporum. Petri Cathedra, Eccleſia principalis, ad quam perfidia non poteſt habere acceſſum, Radix, & Mater Eccleſiæ Catholicæ, Prima Cathedra, In qua vna vnitas ſeruatur, Quam qui extrà, prophanus, A qua qui recedit, non eſt Chriſti, ſed Antichriſti. Omnia hæc eradidere Patres de Romano Pontifice, illo tempore, quo tu negas fuiſſe [Summum Pontificem, ſed Epiſcopum Romæ tantùm, & eum paruus ad illum haberetur reſpectus.

Ad ea, quæ obiecisti de nomine Fratris, Coepiſcopi, Conſacerdotis, comminiſtri, facilis eſt reſponſio. Pontifex non ſolùm Pater, ſed Frater eſt omnium Chriſtianorum, ne dum omnium Epiſcoporum, vt ex eadem epiſtola Cypriani colligitur.

Miſeret me tui, L, Tuo hoc argumento Epiſcopatum amittis, quem commutationem accepiſti pro anima tua; & ad Puritanos tranſis, quos ſcis nimiùm infeſtos, nimiùm inuiſos ſupremo Gubernatori Eccleſiæ tuæ. Nec ſanè video, qui extricare te poſſis, ſi argumentum hoc à nomine efficax ſit. Audi.

Qui fratres vocantur, & comminiſtri, ſocij ſunt, & æquales, non ſuperiores.

(Tu hìc id aſſeris) Addo minorem.

At frequenter Apoſtoli omnes Chriſtianos Fratres appellant, quorum à Chriſto declarantur Miniſtri.

Id patet ex actis apoſtolicis, ex epiſtolis Petri, & Pauli, & Lucæ 22. Mar, 10. Matthæo 20.

Ergo Apoſtoli ſocij, & æquales, immò inferiores fuerunt omnibus Chriſtianis.

Apoſtolis ſuccedunt Epiſcopi (tu id millies confiteris, quod & verum eſt) quorum ex numero in Synagoga veſtra vnus es: ergo Tu cum cæteris veſtris Epiſcopis non ſuperior, ſed vel æqualis: & ſocius, vel inferior es plebi tuæ; Puritanus ergo, tuiſmet principijs, eſſe probaris.

Nobis verò hoc argumentum nullum inijcit ſcrupulum; exemplis enim tum ſacris,

Digitized by Google

eum prophânis didicimus, nomina illa non inferre paritatem, neque excludere, ſuperioritatem, vel ſummam. Salomon multos Fratres habebat, vt & reliqui Reges Iſrael, & Iuda hàbuere; Rex tamen ſolus fuit;& quamuis Frater interdùm à fratribus appellaretur; non audebis dicere, ſcio, illos æqualitatem, ſocieratemue cum Rege prætendiſſe. In Deureronomio iubetur Regi futuro. Ne eleuetur cot eius in ſuperbiam, ſuper Fratres ſuos. Populí hìc à Rege regendi Ftatres Regis vocantur. Ambroſius Mediolani Imperatori Theodoſio dixie. Æqualium hominum, & conſeruorum Princeps es, ò Imperator & ijdem illi Carthaginenſes, quos citaſti, cap. 100. & 105. Dominum ſuum appellant Pontificem. Demùm, quamuis Apoſtoli appellarent quemlibet de plebe Chtiſtiana nomine Fratris, ſcimus, credimus, profitemur, quòd Plebi eidem ſuperiores eſſent à Domino conſtiruti. Et tu quoque id confiteris, immò ſuper hoc vno fundamento tota Epiſcopatus tui moles aſſurgit: Quare mirandum, quomodo tui immemor, ſolo contradicendi veritati ſpiritu ductus, hoc argumentum probaris modò, quo omnis tua dignitas, & Poteſtas diſſipatur.

Cætera nomina, Comminiſtri nempè, & Coepiſcopi, vt paritatem non concludunt, ita ſuperioritatem non excludunt. Imperatores ſæpiſſimè milites ſuos Commilitones appellarunt, non tamen ideò milites Imperatori æquales. In Conſularu, in Tribunatu ijdem aſciuerunt ſibi in Collegas priuatos viros; non tamen deſiere Collegis iſtis ſuperiores eſſe, quamuis illorum Collegæ, Socijque, & eſſent, & dicerentur. Romæ, antequam ipſa Chriſto nomen daret, erat Collegium Pontiſicum; ex hoc, qui erant, omnes appellabantur Collegæ, non tamen id vetabat, quominùs vnus ipſorum Summus, & Maximus eſſet. Hinc Cicero. Neque propinquum ſuum P. Craſſum maximi animi virum ſuaptè interfectum manu, neque collegę ſui Pontifiels Maximi ſanguine ſimulachrum veſte reſperſum vidit.] Docent Iuriſperiti, omnes einſdem collegij rectè vocari collegas; poteſt tamen vnumquodque Collegium vnum ſupremum Præſidem habere, cui pareant omnes. Denique concilium Carthaginenſe quartum cap. 25 [Epiſcopus, inquit, in Eccleſia, in conſeſſu Presbyternrum ſublimior, ſedeat; intra domum verò Presbyterorum collegam ſe eſſe cognoſcat.] Non tamen negabis Tu, tam domi, quàm foris Epiſcopum ſuperiorem eſſe Presbyteris.

Cauſa verò, propter quàm priſcis illis Patribus, non erant adeò familiares tituli iſti præclari, & ſpecioſa iſta nomina, quæ licèt vera ſignificent, neſcio quid faſtus facilè ſecum trahunt, hæc eſt. Primò, vt ætati Chriſti, & Apoſtolorum, à qua non longè diſtabant, conformari viderentur; in qua ſolis nominibus proprijs omnes vocabantur, quantumlibet magni eſſent, vt videre eſt in vniuerſa Sacra Scriptura. Deinde, ne viderentur mundi Principes imitari, qui cum fælicitatem præpoſterè collocaſſent in bonis terrenis; nihil aliud ambire conſpiciebantur, quàm referta præclaris titulis monumenta, vt illorum reliquiæ docent. Fratres verò, comminiſtri, & Coepiſcopi, etiam maiores à minoribus dicebantur, non ad ſignificandam æqualitatem, ſed ad excitandam fraternam charitatem; non vt excuterent de ceruicibus ſuis iugum debitæ ſubiectionis; ſed vt vel ſolo nomine maiores ſuos accenderent ad opus miniſterij ſui, in Eccleſia Dei. Sat eſt, quòd illis nominibus non magis adimebatur Pontifici ſumma Poteſtas, quàm adimeretur Imperatoribus, dum vel militum Commilitones, vel Tribunorum, Conſulum, & Pontificum collegæ dicerentur; vel Apoſtolis, dum Plebis Fratres ſe eſſe profiterentur. Huc denique accedit, quòd & titulos ſummos, plerùmque etiam apud antiquos reperimus, quod ſupra vidimus; & inſuper trium conciliorum Africanorum teſtimonio probatur, quorum Patres ad Damaſum Pontificem ita ſcribunt. Beatiſſimo Domino, & Apoſtolico culmine ſublimato ſancto Patri Patrum Damaſo Papæ, & ſummo omnium Præſulum Pontifici, Archiepiſcopus concilij Mauritaniæ, & vniuerſi Epiſcopi de tribus concilijs Africanæ Prouinciæ. Notum Veſtræ Beatitudini facimus, &c.

CAPVT LIII.

Eandem Cardinalis defenſionem proſequitur Auctor.

PErgis indè ad Gregorium, & paucis eius geſta cum Mauritio obijcis. Aliàs accuratius rem eandem pertractas; aliàs accuratius, & fuſius tibi reſpondebo, vbi nempè tecum diſcutiam. An Princeps hæreticus à Pontifice poſſit deponi. Id tantummodò tibi nunc conſiderandum relinquam. Iacobum Patriarcham, dum domum reuerteretur, Fratris Eſauiram metuentem, miſiſſe ad eundem nuntios, muneraque tamquam Domino ſuo, ſepties ſaltem Dominum ſuum illum appellaſſe; ac denique ſepties illum adoraſſe tamquam Dominum ſuum, priuſquam in eius amplexus veniret. Tamen non Eſau Dominus erat Iacobi, ſed diuino iure; Iacobus Dominus Eſau. Geneſis 27. Iſaac dixit ad Iacob. [Eſto Dominus fratrum tuorū, & incurueutur ante te filij matris tuæ. Ad Eſau autem. Dominum tuum illum conſtitui, & omnes fratres eius illius ſeruituti ſubiugaui.] Cogita modò tu, quomodo Iacob potuerit hæc facere ſine præiudicio Primatus ſui; & ego interim cogitabo, quomodo ſimilia potuerit Gregorius cum Mauritio, ſine ſui pręiudicio. Ibi probando, Gregorium Imperatoribus præcepiſſe, quod hìc inficiaris; & cur, quomodoque ſe geſſit circa illam legem Mauritianam, ſimul aperiam. Ais deindè.

L. [At quantus tum Cæſar, prout nunc eſt, quot regnorum Dominus, quàm potens? Imperator verò, vt tum mandata Pontificis exequeretur? Pontifex, vt tum mandaret si de Concilio conuocando?

M. A. Iuſſiſſe Pontificem Imperatori, de Concilijs conuocandis ſupra probaui; iuſſiſſe alijs etiam in Rebus Ambroſius (qui non erat Pontifex Romanus) Theodoſio, tu optime noſti. Ante hos iuſſiſſe Fabianum Philippo Imperatori Chriſtianorum primo, &

[Im-

[Imperatorem alacri animo, & lubenti, Epiſcopo morem geſſiſſe, & religioſam, piamque affectionem, Dei timore illibatam declaraſſe,] teſtis eſt Euſebius Cæſarien. lib. 6. cap. 27. Niceph. lib. 5. cap. 25.

L. [Audi qualia mandara, Audi autem de Leone ipſo Pontifice,non credo inter Pontifices animi abiectiſſimi. Sic Ille tribus Imperatoribus, Theodoſio, Valentiniano, Marciano, mandatarijs ſcilicet ſuis. Theodoſio. Ecce ego Chriſtianiſſime, & Venerabilis Imperator cum Conſacerdotibus,meum implens erga reuerentiam clementię tuæ,ſyncti Amoris officium, obſecramus, coràm inſeparabili deitatis Trinitate, & coràm ſanctis Angelis Chriſti, vt omnia in eo ſtatu eſſe iubeatis, in quo fuerunt; donec maior, ex toto orbe, Sacerdotum numerus congregetur, & paulò poſt. Omnes partium noſtrarum Eccleſiæ, omnes manſuetudini veſtræ cum gemitibus, & lachrymis, ſupplicant Sacerdotes, vt generalem Synodum iubeatis intra Italiam celebrari.]

M. A. Quòd quis roget, & obſecret alterum, vt quidquam faciat, non eſt argumentum, idem eidem iubere non poſſe. Veſtrum vnicum Iudicem audiamus, ſcilicet Dei Verbum. Paulus Apoſtolus ad Theſſalonicenſes ita ſcribit. [Fratres rogamus vos, & obſecramus in Domino Ieſu, vt quemadmodum accepiſtis à nobis, quomodo vos oporteat ambulare, & placere Deo. ſic & ambuletis, vt abundetis magis. Scitis enim, quæ precepta dederim vobis per Dominum Ieſum.] Deindè varia recenſet præcepra illis tradita. Quod ergo aliàs Paulus Præceperat Theſſalonicenſibus, vt facerent, nunc rogat, & obſecrat, vt faciant; rogare itaque, & obſecrare ſine ſui Iuris præiudicio poteſt, qui poteſt præcipere; & ſi Paulus aliàs rectè præceperat, nunc verò rectè rogat, & obſecrat, ſignum eſt, quòd pro occaſione, qui præcipiendi poteſtatem habet; rogare, & obſecrare ſubditos poteſt, & debet. Rogat hìc Pontifex, quia ita expediebat, tunc temporis Imperatore Euticheti patrocinante, atque Dioſcoro, & omnia tentanda, vt ad pietatem ipſe animum flecteret. Iuſſerunt alij, quia tempora, & ſtatus rerum ita ferebant, ſat eſt. Quod, præter ſententiam Pontificis Romani, Imperatores vlli numquam de conuocandis Concilijs generalibus Iuſſerunt. Pontifices verò (vt dixi) rogare cogebantur, vt Concilia ad quendam locum conuenire concederent, vel Iuberent; quia, vt oſtendi ſecundo Fundamento, ſumptibus ciuilis Reipublicæ fiebant Concilia, de publico à Ciuitatibus, & Prouincijs alebantur, & deducebantur Epiſcopi: Vndè cum Imperatorum Decreto, & eleemoſynis hæc fierent; eleemoſynam poſtulare, & ſupplicare, non iubere, æquum videbatur. Imperatorum inſuper decreto opus erat, propter eos, qui Ciuitates adminiſtrabant, hæreticos ſcilicet, & gentiles, vt Catholicos in Vrbes admitterent, illis moleſti non eſſent, neceſſaria illis ſuggererent. Similia quædam, ſed minùs efficacia ſubiungis, quæ cum ijſdem diluantur fundamentis, nec referre, nec denuò ponderare opus eſt.

CAPVT LIV.

Teſtimonium Synodi Conſtantinopolitanæ, pro auctoritate Pontificis, ab Aduerſarij obiectionibus vindicatur.

L. CItas deindè neſcio quid de epiſtola (vt ais) ſcripta ad Damaſum à Concilio ſecundo generali; id autem vt doceas ad Pontificem propriè pertinere ius Concilia conuocandi, ſed primum (vt ſuprà citaui) illud ipſum Concilium, ſua ad Theodoſium epiſtola vera, & genuina contrarium eius, quod tu hìc ponis, teſtatur. Tum quod vnum eſt, in ſententia, quam citas, Verbum operatiuum ex mandato literarum, nullum ibi eſt in epiſtola. *Ec ton peryſi grammaton* ibi dicitur; de mandato non apex ibi vllus. Tum denique agnouit errorem ſuum Dominus tuus, in recognitione nupera (Epiſtolam non eſſe ſecundæ Synodi generalis, nec ex ea igitur probari, ſecundam Synodum indictam fuiſſe iuſſu Damaſi) tu etiam quem ex eo hauſiſti, cum illo itidem errorem tuum recognoſce: & depone, nec proba conuocatum eſſe Concilium mandato Damaſi, ex epiſtola concilij; cum nec illa iam epiſtola concilij ſit, nec ſi eſſet, de mandato ibi verbum vllum.

M. A. Falſum primò eſt, quòd primo loco dicis, nempè [Concilium Conſtantinopolitanum primum, ſua epiſtola ad Imperatorem Theodoſium, taſtari contrarium, quod hìc ponit Cardinalis. Nam quod citaſti ex epiſtola Concilij, hoc eſt. Conuenientes ſecundùm reſcriptum pietatis tuæ. Et ibidem. [Literis vocationis tuæ Eccleſiam honoraſti. Dicit Cardinalis, vel potiùs tu illum dixiſſe facis, quòd concilium conuocatum fuit ab Imperatore Theodoſio, ſed ex mandato Damaſi. Hìc verò, etiam ſi lincei oculi tibi ſint, contrarietatem non videbis; poteſt enim conuocari Concilium à Theodoſio per literas; poteſt Pontifex eidem mandaſſe, vt conuocet; quod aſſeris Cardinalem dixiſſe. Potes ſcripſiſſe contra Cardinalem, potes ſcripſiſſe mandante Rege tuo; ſi contraria iſta ſunt, tu ipſe videto. Verbum illud (Mandato) nec in meo interprete reperitur, ſed ita vertit Chriſtophorſonus, cuius verſio concilijs poſtremæ editionis Romanæ, quæ adhuc ſudat ſub prælo, inſerta eſt. Hæc conciliorum editio cum optima ſit, omnium ſententia, ex his, quæ hactenùs prodiere, illa vtitur Cardinalis; nec ergo ipſe repræhenſione dignus, qui verba fideliter retulit ex ſuo codice. Quòd verò niſi verbotenùs, at re ipſa ſit idem vtriuſque verſionis ſenſus, facilè quiſque videre poteſt; inquiunt enim ſecundum verſionem tuam [Ex literis Reuerentiæ Veſtræ, anno ſuperiore, ad Imperatorem Theodoſium miſſis, ad iret dumtaxat Conſtantinopolim vſque nos præparauimus.] Actio ergo conueniendi, vbique refertur ad literas Pontificis datas ad Imperatorem. Id verò eſt, quod quęritur, & de quo totalis; tu cede victoriam de re, nos de verbis, & apicibus non diſputamus.

In reliquis malè te geris, & contrà le-

ges boni dialectici, ſed non boni Sophiſtæ. Nec enim impugnas, quæ dicit Cardinalis hìc, ſed alia quædam; quid vero dicit? [Perſpicuum eſt in epiſtola concilij Conſtantinopolitani ad Pontificem Damaſum.] Tu verò, vt illum impugnes, fingis dixiſſe illum, [Epiſtolam hanc eſſe ſecundæ Synodi generalis.] Non id L, non id Cardinalis, non dixit Secundæ, oon meminit Generalis, tantùm concilij Conſtantinopolitani. Si ergo oſtendero, literas illas fuiſſe Synodi Conſtantinopolitanæ, ſatis probanero te iniquum Tortorem innocentum. Thedorems, à quo rem retulit Cardinalis, poſt diſſolutam ſecundam Synodum generalem, primam ſcilicet Conſtantinopolitanam, inquit. [Sed ſecuta æſtate, eod..n plurimi reclamantibus oegocijs rediere, & allatas ab Occidentalibus Epiſcopis Synodicas literas accepere, quibus inuitabantur, vt Romam ad maximam, quæ ibi cogeretur Synodum, venire vellent.] Ad has verò Occidentalium literas, per epiſtolam hanc, de qua loquimur, reſponderunt. Nicephorus ita rem eandem refert. [Eodem tempore cum Ariani ex ſacris ædibus deturbarentur, & Catholici in poſſeſſionem earum vacuam inducerentur, non paruæ exortæ ſunt turbæ. Quapropter Theodoſius Imperator, exiguo à priore Synodo temporis interuallo, Anteſignanos vigentium tum hæreſum rurſùm conuocauit. Infra verò. Cum Synodus Conſtantinopoli iterum, ſicut dictum eſt, ſub Imperatore Theodoſio ageretur, ex occidente literæ venerunt; vt ipſi quoque Romam, ad concilium ibi maximum inſtitutum de rebus etiam Antiochenis, inter Paulinum, & Flauianum venirent.] Cum ergo epiſtola noſtra ſcripta ſit in iſta Synodo, ab iſta Synodo, negare non potes, eſſe illam Synodi Conſtantinopolitanæ, immò in Nicephoro in fronte epiſtolæ legitur. [Epiſtola Synodi Conſtantinopolitanæ ad Occidentales Epiſcopos ſcripta, & in Tripartita. Epiſtola Conſtantinopolitani concilij, ad Papam Damaſum, & Occidentales Epiſcopos.] Verè ergo allegauit Cardinalis epiſtolam iſtam, tamquam epiſtolam concilij Conſtantinopolitani, non dixit Secundi, non Generalis, quæ tu de more affingis, & impugnas.

Verùm ex hac epiſtola probari, morem fuiſſe Imperatoribus, vi literarum Pontificis, concilia conuocare; nec tu, nec alius, cui ſit frons, negare potes. Nam quòd in hanc Synodum Patres ita convocati conuenerint, teſtantur illis. [Ex literis R. V. anno ſuperiore miſſis ad ſanctiſſimum Imperatorem Theodoſium, ad iter dumtaxat Conſtantinopolim, vſque nos præparauimus.] Hoc verò eodem modo ad Concilium Romanum accitos ſe confitentur, do, dicunt. [Sed enim cum fraternam veſtram erga nos pietatem conſeruantes, & dilectionem exhibentes, indicto Romæ de voluntate Dei concilio, per Dei amantiſſimi Imperatoris literas, nos quoque, vt membra veſtra cò euocaueritis.] Duo ergo iam habes exempla ſub Theodoſio ex hac eadem epiſtola, de forma conuocandorũ. Conciliorum conuocat Pontifex Conſtantinopolim Orientales literis ſuis datis ad Imper. Theodoſium; conuocat eoſdem Romam per literas ad eundem Imperatorem. Quis hìc maior? Quis iubet? Quis exequitur? Quis fons, Quis origo conuocationis? Mouentur Epiſcopi ab Imperatore, Imperator à Pontifice. Pontifex ergo primus Motor. Si verò Theodoſius Conſtantinopolim primò, ſecundò Romam Epiſcopos conuocat ex literis Papæ, an veriſimile eſt æſtate antecedenti eoſdem in ſecundam Synodum aliter conuocaſſe?

CAP. LV.

Refellitur inanis quædam Aduerſarij obiectiuncula, aduersùs Poteſtatem Pontificis, in conuocandis Concilijs.

L. Sed ſi ita eſt, vt dicis, cur non ante annum demùm milleſimum, & penè centeſimum intra Italiam, inque ipſo Laterano, concilium vllum generale habitum eſt, ſi ſolus Pontifex propriè poteſtatem habet concilia indicendi? Cur Conſtantinopoli quatuor, Nicææ duo, Epheſo, & Chalcedone ſingula, Romæ nullum? Trahere dicunt id, quod magis dignum eſt, quod minus dignum. Dignior tum Imperator ad ſe traxit Pontificem, ad Sedem ſuam, ad loca ſibi propinquiora, idemque hoc Pontifex poſt, excuſſo demùm Cæſare, Pontificalior iam factus, ſed non ante factitauit.

M.A. Dialecticam optimè callet L, qui vndique ratiunculas glomerans, à loco denique conciliorum argutatur, contra Pontificem. Cæterum (quæ Dialecticarum rationum natura eſt) & facilè ſolui, & facilè in ipſum poteſt retorqueri. Si enim ita eſt, vt dicis; dicam ego. Cur exiſtentibus Imperatoribus in Occidente, æquè ac in Oriente, non in Occidente, ſed in Oriente concilia illa generalia habita ſunt? dices, [Quia trahere dicunr id, quod magis dignum eſt, ad ſe, id, quod minus dignum;] At ſi id verum eſt, & hæc ratio conuocationis. Iam non in Oriente, ſed in Occidente Conſtantinopolitanum primum haberi debebat; nam Gratianus, & Valentinianus Occidentis Imperatoris ante Theodoſium Imperio vniuerſali potiti, Ducem ſuum Theodoſium Orientali Imperio ſponte donarunt. Pariter & Chalcedonenſe in Occidente haberi debuiſſet. Nam Valentinianus diù ante Marcianum imperauit, ex ſtirpe imperatoria, & genere Imperatoris Theodoſij iunioris, à quo Marcianus, è tribuno Militum, Imperator creatus fuerat. Itaque ſi magis dignum trahere debebat, quod minus dignum; Occidentalis Orientalem traxiſſet. Non ergo ratio conuocandorum in Oriente conciliorum fuit iſta, L, ſed alia certè; quæ verò? Vbi morbus, ibi medicina paratur. In Oriente Arius, in Oriente Eunomius, & Macedonius, in Oriente Neſtorius, & Eutyches, in Oriente Theodorus Mopſueſtenus, Monotelitæ, Iconomachi, Photius, contra quos concilia illa indicta ſunt. Iure ergo in Oriente, non in Occidente medicina applicatur. Inſuper cum ſuis eleemoſynis Imperatores concilia celebrarent, vt probaui; opus erat, vt Pontifices hac de cauſa illorum ſe accommodarent ſenten-

tiæ

tiæ de Synodi loco. Trahebat ergo Pontificem Imperator ad loca propinquiora, non vt dignor, ſed vt ditior. Quæ denuò repetis, vel potiùs innuis de confirmatione conciliorum à te ſuprà allata, à nobis ſuprà confutata ſunt, haud quaquam denuò repetenda.

CAP. LVI.

Turpiter lapſum eſſe Aduerſarium in his, quæ obÿcit ex quinta Synodo Generali, quæ nihil Catholicis obſtant.

M. A. Bellum rursùs inſtauratur de Concilijs conuocandis inter Cardinalem, & L. Duobus enim in locis quæſtionem iſtam pertractant; acrior ergo inſurgens Aduerſarius, poſtquam caſtris Dei ſuperbè inſultauit, ita Cardinalem aggreditur.

[L. Docui de primis quatuor Concilijs Generalibus iam antè: addo iam de quatuor poſterioribus. Concilium Conſtantinopolitanum ſecundum, ac generale quintum, iuxta pium iuſſum à Deo cuſtoditi Imperatoris Iuſtiniani conueniſſe, habetur pluribus locis Concilij.]

M. A. Quæ ex ſecundo tomo Conciliorum polliceris de pluribus locis quintæ Synodi, vnico tantùm expedis pag. 579. ſed ea verba quintæ ſynodi non ſunt, quinta enim Synodus incipit pag. 669. ſunt illa quorumdam aliorum Conciliorum geſta, quod etiam Surius vidit, habita multis annis ante Synodum Conſtantinopolitanam ſecundam, vt ex Nicephoro conſtat, lib. 17. cap. 9. Malè ergo ex his verbis probas, Synodum quintam conuocatam eſſe iuſſu Imperatoris; ſi non quintę, ſed alius Synodi non generalis verba ſunt iſta. At quomodo interpretandum ſit iuſſionis, verbum, ſic vbi reperitur in quinta Synodo, videre potuiſti ſuprà; iterùm infrà in ſequenti Synodo videbis. Itaque alia arma, quàm huiuſcemodi fraudes, & imposturas iam quære; hæc enim detecta, vt noſtram fidem illuſtrant, ita tuam, quæuam ſit, probè declarant. At metuò ne callum nimium obduxeris, hac in arte; nam inquis.

[L. Dico autem illud hic. Si Pontifici ius ſit, vt mandet Concilia fieri, cur Concilio huic quinto (ſi ipſe illud fieri mandauerat) ſuo à ſe conuocato intereſſe noluit, cum tamen per id tempus eſſet Conſtantinopoli Pontifex ipſe Romanus, legatus eò ex mandato Theodahati Gothorum Regis?]

M. A. Quinta generalis Synodus tota habita eſt Vigilio Summo Pontifice Conſtantinopoli exiſtente, vt ex actis eiuſdem videre eſt. Eò autem Pontifex, non legatus Theodahati venerat, ſed profugus, Roma à Gothis iterùm capta, vt vult Nicephorus. [Illud, inquit, non prætereundum, Roma à Gothis iterùm capta, Vigilium profugientem Conſtantinopolim veniſſe.] Nec Euagrius, qui illum Conſtantinopoli fuiſſe, & recuſaſſe velle intereſſe Concilio, affirmat, quidquam de tua iſta legatione meminit. Procopius item, & Facundus eorum temporum Scriptores, ſponte illum adijſſe Conſtantinopolim teſtantur. Anaſtaſius verò, & Platina alias, ſed falſas itineris cauſas memorant, nullus autem de tua legatione quidquam dicit. Tu ſi vſpiam id videras, auctores citare debebas, tua enim fide lectores decepti ſæpiſſimè, non modò vetuſtarum rerum, & per tot ſæcula præcedentium nihil, ſed ne recentiorum quidem, & quas vidiſti, tibi quidquam ſine vadimonio credunt.

Vis ſcire, cur Vigilius Concilio huic quinto, ſua auctoritate conuocato, intereſſe noluerit? ab illo audi, referentibus eius reſponſum ad ſacrum Concilium Patriarchis. [Ille verò reſpondit; Non poſſe vnà nobiſcum conuenire, eò quòd plurimi quidem hìc ſunt Orientales Epiſcopi, pauci verò cum eo.] Cauſam non reddo, tibi enim hiſtoriarum peritiſſimo ſuperflua.

CAPVT LVII.

Fruſtrà laborare Aduerſarium contra Catholicos, in ſexta Synodo.

L. Concilium Conſtantinopolitanum tertium, ac generale ſextum (vt & de ſe teſtatur ipſum) ſecundùm Imperialem iuſſionem, congregatum eſt; præſidente in ſingulis eius actionibus Imperatore Conſtantino. Extat ibi Diualis ſacra ab Imperatore ad Donum Pontificem. Quo interea de viuis ſublato, Agatho, qui ei in Sede Romana ſucceſſit reſpondit Diuali. Audi verò quo ſtylo, quàm ſine mandato vllo. [His manſuetiſſimis rerum Domini Diualibus apicibus animatus meliori ſum refectus confidantia paulatim, ijs, quæ per manſuetiſſimæ fortitudinis veſtræ ſacram dudùm præcepta ſunt, efficaciter promptam obedientiam exhibere, vt perſonas quales ſecundùm huius temporis defectum, ac ſeruilis prouinciæ qualitatem poterant inueniri, prò obedientiæ ſatisfactione inquirerem, & vt ad piſſimæ tranquillitatis veſtræ veſtigia properarent, hortarer.]

M. A. Plurima de huius Synodi conuocatione protuli in primo, & ſecundo fundamentis; quando tamen poſtulas cum alijs, & ea lubens repeto. Hæreſis Monothelitarum Eccleſiam Dei diuiſerat, antè hanc Synodum annos plus minùs quadraginta ſex, vt aſſerunt legati Pontificis actione prima, nec Latini Græcis, nec Græci Latinis communicabant. Si ergo Pontifex illis iuſſiſſet de conueniendo in Concilium, minimè paruiſſent, vt nec modò parerent: Imperator verò optans Eccleſiam diſciſſam coniungere, & non niſi mediante Synodo Generali fieri id poſſe cognoſcens, eam conuocandam cenſuit. Abſit verò, vt auſus ſit Pontifici quidquam ſuper hac re iubere: Illum ſolummodò ad hoc hortationibus inducere ſategit. In epiſtola eiuſdem Imperatoris ad Donum Papam, quam ſuprà citaſti, hæc leges. [Inuitare enim, & rogare poſſumus ad omnem commendationem, & vnitatem omnium Chriſtianorum, neceſſitatem vero inferre nullatenùs volumus.] In epiſtola autem eiuſdem Imperatoris ad Patriarcham Conſtantinopolitanum. [Iam enim ſuper hoc adhortati ſumus per pios noſtros apices, adhuc inter viuos exiſtentem Donum Sanctiſſimæ Apoſtolicæ Sedis

anti-

antiquæ Romæ præſulem.] Agatho Doni ſueceſſot ad eumdem Imperatorem, epiſtola, quam tu ipſe obieeiſti, inquit. [Et ne quemquam tam pia lateret intentio audientium, humanaue ſuſpitio perterreret, æſtimantium poteſtate nos eſſe compulſos, & non plena ſerenitate ad ſatiſfaciendum ſuper Euangelicæ, & Apoſtolicæ noſtræ fidei prædicationi commonitos, Diuales apices ad Apoſtolicæ memoriæ Donum Pontifieem noſtrę puſillitatis prædeeeſſorem cunctis populis, ac gentibus per noſtrum miniſterium patefecerunt, ac ſatiſfaciunt, quos gratia ſancti Spiritus Imperialis linguæ calamo, de puro cordis theſauro dictauit; commonentis, non opprimentis; ſatiſfacientis, non perterrentis, non affligentis, ſed exhortantis, & ad ea, quæ Dei ſunt ſecundùm Deum inuitantis.] Et Imperator ipſe actione 18. ita Concilium alloquitur. [Cum ergo complacuit tempus concedere, inuitauimus fieri collectionem veſtram, ad conſiderandum vobis ſanctas Dei ſcripturas.] Inuitauit ergo, hortatus eſt, rogauit Imperator ille Patres, vt in Synodum conuenirent; at, quod millies dixi, honoris ergo iuſſa, omnia eius ſcripta vocabantur, quod & familiare eſt omnibus nunc temporis, non modò dum cum Principibus agunt, ſed etiam cum alijs, qui aliqua dignitate fulgent. Si ergo ad Epiſcopos referas, nihil omninò iuſſit Imperator, nec eius iuſſu (ſi iuſſum propriè accipias) Concilium iſtud conuocatum eſt.

Cæterùm ſi ad Imperatoris miniſtros iuſſum referas, qui neceſſaria exhibuerunt, vt cogeretur Concilium, propriè iuſſu Imperatoris Concilium conuocatum dicere poſſumus. Ita enim Imperator epiſtola ad Donum. [Omnem verò concurſum venientibus, iuſſimus præbere Theodorum glorioſum Patritium, & Exarchum Chriſto amabilis noſtræ Italiæ Prouinciæ, tam in naui, quàmque in expenſis, & omni vtilitate eorum, & ſi neceſſitas exegerit, etiam Caſtellatos Dromones præbere ad eorum munimen, vt ex omnibus illæſi, & ſine periculo (Deo cooperante) ijdem ad nos perducantur.]

Quod ais. [Præſidente in omnibus eius actionibus Conſtantino: verum eſt; at quomodo præſedit, vt Iudex? abſit; ab illo accipe, eadem ad Donum epiſtola. [Nullatenùs neceſſitatem facientes in quocumque capitulo eis, qui à vobis diriguntur quoquo modo, ſed & omni honore cum competenti munificentia, & ſuſceptione eos dignos habebimus. Et ſi quidem vtrique conuenerint, ecce & benè, ſin autem minimè conuenerint, iterùm cum omni humanitate eos ad vos dirigemus: & infrà illa, quæ memoraui ſuperiùs. Inuitare enim, & rogare poſſumus, ad omnem commendationem, & vnitatem omnium Chriſtianorum, neceſſitatem verò inferre nullatenùs volumus.] Cæterùm Iudex non modò rogare poteſt, & inuitare, verùm etiam neceſſitatem poteſt, & debet inferre.

Quòd itaque Agatho Imperatorem iubere, ſe obedire, aſſerit, agnoſce, id feciſſe Pontificem, vt communi loquendi formula, pro tempore, Imperatoris guſtui inſeruiret, propriè enim vidiſti, nec Imperatorem iubere, & ex conſequenti propriè, nec obedire Pontificem; ea tantùm ratione obedit Pontifex, qua vnuſquiſque; qui alicui morem gerit. Pergis, & ais, [Quòd Agatho ſupplex orat, & deprecatur Imperatorem;] Quid hinc? Non ne Paulus, non ne Petrus millies ad plebem aiunt, [Rogamus, & obſecramus vos?] Numquid ergo Petrus, & Paulus plebi ſubiecti? plebi non ſuperiores? plebi mandare non poſſunt? inepta, & ridicula argumenta ſunt iſta tua, o L.

CAP. LVIII.

Et ex ſeptima nihil omninò Regio Primatui prodeſſe; ex qua Iconomachus Rex Iacobus eſſe conuincitur, qualem ſe eſſe negat.

L. CONcilium Nicænum ſecundum, ac generale ſeptimum, per pium Imperatorem decretum, congregatum ſe, ipſa fronte loquitur: legitur ibi diploma Imperatoris, in quo Synodum ſe congregaſſe bis aſſerit. Huic, inquit, petitioni Taraſij (ſcilicet Conſtantinopolitani Epiſcopi) annuere tum viſum eſt, meoque nutu, iuſſu conuenire, immò vt veriùs loquar, Deo ſic volente, nobis verò præeuntibus, congregaui vos.]

M.A. Iconomachorum hęreſis Eccleſiam diuiſerat, diù antequam iſta haberetur Synodus, & Græcis Imperatoribus illam fouentibus, Oriens ab Occidente defecerat. Licèt verò hanc ob cauſam Adrianus Pontifex non præceperit Imperatori Conſtantinopolitano, vt Synodum conuocaret; tamen vbi audiuit illum id optare, eius annuit deſiderio, legatoſque Nicæam miſit, qui Synodo præfuerunt, lectæque antè omnia in Concilio eiuſdem Pontificis literæ, eaſque in omnibus veluti oportebat, Synodus amplexata, venerata, ſecuta eſt. Patent hęc cuique Synodum aſpicienti: Non tamen auſus Imperator, propria auctoritate, ad Synodum Græcos Epiſcopos cogere, ſed fecit id Taraſius Patriarcha Conſtantinopolis. Teſtatur id ipſe Imperator eodem illo, quod modò citaſti, Diplomate. [Iamque adeſtis, inquit, Dei voluntate per Præſides Prouinciarum, perque deſcriptas ſæpiùs ſynodicas literas, miſſaſque à ſanctiſſimo Patriarcha.] Viden quomodo conuocantur? per Præſides, qui ſcilicèt neceſſaria exhibent, & per ſynodicas literas Patriarchę, qui vt conueniant, præcipit. Sequitur. [Hęc eſt enim à multis ſæculis ſynodica lex, per vniuerſam Eccleſiam, quæ à ſæculis per ſæcula durabit Euangelicè inſtituta.] Vt ergo Patriarcharum epiſtolis cogerentur Epiſcopi in Synodos, cum vetus adeò ſit inſtitutum, quis ambigat, cætera quoque Concilia præcedentia ita conuocata fuiſſe?

Pergit Imperator. [Cuius hortatu, & veluti iuſſu eos ſanctos viros Sacerdotes congregauimus, qui eſſe diſpenſatores Teſtamenti illius, per incruenta ſacrificia vocamini.] Iuſſu itaque Patriarchæ congregauit Imperator Epiſcopos. Quæ ergo de iuſſionibus obijcis, ſi hæc, & illa, quæ ſuperiùs allata à nobis ſunt, perpendas, tu ipſe nullius momenti eſſe cognoſces.

Quæ addis ſimilia ſunt, nempè. [Oraſſe Pontificem Imperatorem illum, vt ſacras imagines reſtirui, & firmari iuberet, ſctiptaque ſua eidem diſcutienda obtuliſſe.] Nam rogant, & obſecraut Apoſtoli plebem, vr Dei præcepta, vt ſua ptæcepta ſeruent; & Dei ſcripturas ſcrutentur. Non tamen ideò ſubijciunt, vel ſcriptutas plebi, vt Iudici; ſed vt magiſttum eidem proponunt; vel plebem, quam rogant, ex debiro ſubiectionis rogant, ſed ex charitatis affectu. Ità Pontifex cum Imperatore.

. Tu ſi Regis tui, ſi tui ipſius rationem vllam habuiſſes, numquam Synodum hanc attingere, numquam commemorare auſus eſſes. Ille enim qualem ſe negat eſſe, talis eſſe conuincitur: Tu verò, ſimul cum illo, tamquam hæretici Synodi ſententia damnamini. Inquit Rex.] Sed cum reliquarum, tum imaginum adotationem pro intolerabili Idololatria habeo, atque abominor. Icouomachus ſanè non ſum; non arguo, ſi quis aut fingere ſtatuas, aut imagines pingere, ſiue ad publicum ſplendorem, ſiue ad priuatorum hominum domeſticos vſus volet; ſed quòd illas adotari, quòd illis ſuplicari, quòd aliquam ſanctitatis opinionem affingi illis oporteat, id quidem antiquis inauditum, ſcripturis verò in contrarium apertiſſimè, atque ex diametro puguantibus, ita eſt oppoſitum, vt mirari uon deſinam, quòd hominum ingenium, quæ Sarhanæ fraus, hoc ram audax Commentum Eccleſiæ Chriſtianæ obrrundere tentauerit.] Regem verò, Tu fidus comitaris Achates. Nos pias ſupplicariones, ac deuotas non dirigimus ad imagines illas, quæ hominum ſunt opera; ſed ad ſanctos, quos referunt eſfotmatæ manibus hominum imagines.

Iconomachum eſſe Regem tuum Iacobum, Teque, & quotquot illi, hac in parte, adſtipulantur (quod ipſe negat) ex omnibus actis ſeptimæ iſtius Synodi, adeò apertè patet, vt valdè mirer, Regem id inficiati. Ex multis pauca iſta profero; quibus intelligat quiſque quid Iconomachi ſentirent, quidque iu illis ab Eccleſia damnatum, vt indè ferat iudicium, An Rex ſit verè Iconomachus.

Baſilius Ancyræ Epiſcopus, priùs Iconomachus, rediens ad Eccleſiam Catholicam, in Concilio abiurat Iconomachorum hæreſim. Abiurat verò quicquid Rex verbis ſuprà citatis, & ſequentibus, quæ non retuli, ſe credere profitetur.

Anathematiſmi.

2. Qui ſactæ Scripturæ verba de Idolis, & gentilium Statuis, ad venerandas Chriſtianorum Imagines exponētes trahunt. Execratio.

3. Qui venerandas, & ſanctas Imagines non amplectitur. Execratio.

4. Qui aſſerunt Chriſtianos, vt Deos imagines adotare. Execratio.

8. Qui audent dicere, Catholicam Eccleſiam aliquando Idola ſuſcepiſſe. Anathema.

9. Qui inquiunt, Diabolicarum iuſidiarum inuētum ſacratum Imaginum culturam, & ædificationem; nequaquam autem ſanctorum Patrum noſtrorum traditionem. Execratio.

Theodorus Epiſcopus Myrion eandem ibidem hæreſim abiurans; inquit, poſt multa, quæ pro pietate ſunt digna, quæ à Rege conſiderentut.

Anathematiſmi.

1. Qui venerandas imagines non venerātut. Anathema.

2. Qui in ſanctas, & venerabiles imagines blaſphemias cogerunt. Anathema.

3. Qui traducere, & maledicis verbis inceſſere audent venerandas imagines, aut eaſdem reijcere. Anathema.

4. Qui ex animo Chriſtianum populum non docent venerationem Sanctorum, & honorabilium imaginum omnium Sanctorum, qui ab initio Deo placuerunt. Anathema.

Ipſa denique Synodus in definitione fidei corrà Icouoclaſtas, poſt multa, ira decernit. [Definimus cum omni diligenria, & cura. Venerandas, & ſanctas imagines, ad modum venerandæ, & viuificantis Crucis, e coloribus, & teſſellis, aut alia quauis materia commodè pararas, dedicandas, & in templis ſanctis Dei collocandas, habendaſque tum in ſacris vaſis, & veſtibus, rum in parietibus, & tabulis, in ædibus priuaris, in vijs publicis. Maximè autem imaginem Domini, & Dei ſeruatoris Noſtri Ieſu Chriſti; deindè intemeratæ Dominæ Noſtræ Deiparæ; Venerandorum Angelotum, & omnium deindè Sanctorum virorum. Quo ſcilicèt per hanc Imaginum pictarum inſpectionem; omnes, qui contemplantur, ad prorotyporum memoriam, & recordationem, & deſiderium veniant, illiſque ſalutationem, & honorariam adorationem exhibeant. Non ſecundum fidem noſtram, veram latriam, quæ ſolùm diuinæ naturæ competit; ſed quemadmodum typo venerandæ, & viuificanris Crucis, & ſanctis Euangelijs, & reliquis ſacris oblationibus, ſuffitorum, & luminarium reuerenret accedimus, quemadmodum veteribus piè in conſuerudinem hoc adductum eſt. Imaginis enim honor in prototypon, & qui adotat Imaginem, in ea adorat quoque deſcriptum argumenrum. Sic enim ſanctorum noſtrorum Patrum obrinet diſciplina, vel traditio Catholicæ Eccleſiæ, quæ à finibus vſque ad finem Euangelium ſuſcepit.] Hæc Sancta Synodus contrà Iconomachorum hæ-hæreſim definiuit. Ex quibus omnibus pater non ſolùm Iconomachum eſſe, qui nullo modo imagines tolerat, ſed qui eas negat adorari poſſe, vel ſanctitaris quidquam illis ineſſe. Vndè eadem Synodus tomo quinto refutationis Iconomachorum ertorum propè finem inquir. [Qui verò dicunt ſufficere vſum imaginum ad memoriam ſolùm, non verò ad ſalutationem eas habendas, illud quidem recipientes, hoc verò recuſantes; ſemiprobi quadamtenùs, & ſalsò veri (vt ita dicam) depræhenduntur, altera quidem parte veritatem confitentes, ex altera verò peruersè agentes. O inſignem quoque horum inſaniam!] Idem vero dicit Rex; Iconomachum ergo ſe negare non poteſt, & vos omnes, qui illum ſectamini Iconomachi, & hærerici abſolutè eſtis, non nos Idololatræ, quod vos

ſine

ſine vllo pudore toties inculcatis. Si tu talia nobis teſtimonia, & plurima obijcias, actum certè de cauſa tua, de tuis ſcriptis.

CAP. LIX.

Octauam Synodum minimè pro Aduerſario ſtare, ſed contra potiùs.

I. DE Conſtantinopolitano quarto, ac generali octauo (vt vos quidem vultis) dicendum iam. Græci verò octauum nullum agnoſcunt, ſeptem tantùm. Hoc Patriarchicũ potiùs fuiſſe, quàm generale; quòd in eo tractatum non ſit de Fidei negotio vllo, quòd particularis tantùm cauſa inter Ignatium, & Photium acta, quæ totam Eccleſiam nihil attinebat. Permulta autem fidem illi detrahunt. Nam Iulianus Cardinalis de octauo iſto, nihil ſibi, vobiſque curæ eſſe apertè dixit, in Concilio Florentino. Et canonum numerus non concordat. Vos enim 27. edidiſtis, at Codices Græci 14. tantùm habent. Tum veſtrum hoc octauum, quod ſub Adriano fuiſſe vultis, ab altero ſubſequente, quod ſub eius ſucceſſore Ioanne fuit, antiquatum eſt. Photius enim, qui in veſtro hoc depoſitus, in illo altero Ioannis reſtitutus, præſentibus tum legatis Ioannis locumtenentibus Paulo, & Eugenio; Ioanne ipſo, etiam Romano, reſtitutionem approbante. Præterea facies ipſa Concilij poſterioris Generali ſimilior, in quo trecenti, & octoginta Epiſcopi, cum in veſtro centum modò eſſent. Denique Imperator ipſe Baſilius quantum fuerit mutatus in Photium, quo animo in veſtrum illud priùs Concilium, in Marinum Pontificem, in Eccleſiam ipſam Romanam, legas ex epiſtola Stephani ibi ad Baſilium.

M. A. Non ſine cauſa laboras, vt infirmes auctoritatem octauæ iſtius Synodi. In ipſa plurima ſunt, & pro imaginibus, & pro Eccleſiaſtica Politia, quę veſtram produnt impietatem; Ideòque hac in parte Occidentalis tu, ad Orientales migras, tuis relictis, nobiſcum aduersùs illos futurus, ſi vtilitas adſit, & Veſpertilio Æſopicus id aliquando factitauit.

Scimus optimè, Græcos octauam iſtam Synodum non recipere; at nec primus, nec ſolus hic Græcorum error: etiam pro ſanctiſſimis venerantur Ignatium, & Photinm, quod imqoſſibile omninò eſt, vt rectè fiat.

Cauſa ſanè Photij acta eſt, at ſimul plurima conſtituta, quæ vniuerſæ Eccleſiæ regimen tangunt, & corruptelæ quamplurimæ ſublatæ ab eiuſdem vniuerſa Politia. Actum ergo in illa non modò de cauſa particulari, ſed & de his, quæ ad totam Eccleſiam attinebant. Canones legas. Quod ſi de ſchiſmate Photij tollendo actum, quomodo non de cauſa, quæ tangat omnem Eccleſiam? ſchiſma eſt Eccleſiæ diuiſio.

Cardinalis Iulianus, in Concilio Florentino, dixit. [Nam de octauo Concilio nobis curæ non eſt.] At quid dicere voluerit, & cur dixerit, non eſt ignorandum. Petierat Cardinalis à Græcis, vt per horam præſtarent latinis librum octauæ Synodi; quod ſe facturos polliciti erant, ad ſequentem diem. Sequenti die Græci dare librum nolebant, & nonnullis rationibus probabant, Synodum hanc generalem non eſſe; metuentes ne Latini vellent, ex ipſius libri teſtimonio, illos redarguere. Ad hoc reſpondit Card. [Hoc metu vos libero, præſtantiſſimi Patres, nam nil de ipſo Concilio recitabitur. Sed quoniam in eo volumine nonnulla ſexti, ſeptimique Concilij acta, ſunt ſcripta; Idcircò ea videre vellemus; nam de octauo Concilio nobis curæ non eſt.] Non ergo dixit Cardinalis, quòd Concilium iſtud à Latinis contemneretur; ſed eatenùs curæ non erat tunc, quia librum illum non poſtulabant de octaua Synodo cogitantes; ſed tantùm de ſexta, & ſeptima.

De numero Canonum, varietatem non miramur; corrumpere codices, addere, & minuere Græci pro libidine conſueuerunt. Conuicti ſunt ipſiſmet Iudicibus, in ſexta Synodo, de hiſce fraudibus; In hac verò octaua quid non corrupit Photij perfidia? A Card. Baronio deteguntur fraudes, impoſturæ, falſitates Photij, eiuſque geſtorum circa hanc, & ſequentem Synodum; illuc te remitto, rem palpabis.

Per ignauiam Legatorum plurima geſta ſunt, in Synodo Conſtantinopolitana, ſub Ioanne, quæ contraria fuerunt octauæ Synodo œcumenicæ, omnia quippè ex Photij voto; Cæterum hęc nunquam a Ioanne approbata; reprobata verò ab ipſo, & ab omnibus Pontificibus Ioannis ſucceſſoribus. Epiſtola enim ad Imperatorem Baſilium, in calce, inquit idem Pontifex. [Et ſi fortaſsè Legati noſtri in eadem Synodo contra Apoſtolicam præceptionem egerint. Nos non recipimus, nec iudicamus alicuius exiſtere firmitatis.] Ad Photium verò eadem prorsùs. [Et ſi fortaſsè noſtri Legati, in eadem Synodo, contra Apoſtolicam præceptionem egerunt. Nos nec recipimus, nec iudicamus alicuius exiſtere firmitatis.] In mandatis verò dederat Pontifex Legatis, tantùm, vt Photium coràm Synodo humiliter veniam poſtulantem, in Sedem Patriarchalem reſtituerent. Id autem fecit pacis, & boni vniuerſalis Eccleſiæ amore ductus, deceptuſque Baſilii literis, qui ſcripſit eſſe contrariæ communionis Epiſcopos, pacis Eccleſiæ ergo, Photium Patriarcham exoptare. Hinc Marinus, qui Ioanni poſtea in Pontificatu ſucceſſit, ab ipſo Ioanne cum hiſce literis Conſtantinopolim Legatus, numquam aſſentire voluit ijs, quæ in Synodo Photiana, contrà octauam œcumenicam geſta fuerant; Propterea ab Imperatore triginta dierum ſpatio in Carcere eſt detentus, vt teſtatur Papa Stephanus Marini ſucceſſor, epiſt. eadem, quam ſuprà tu ipſe citaſti. Ideò in Synodo Florentina, actione ſeptima, Andreas Coloſſenſis Epiſcopus negauit, [octauam œcumenicam Synodum ſub Adriano Secundo habitam, per Ioannem Octauum abolitam fuiſſe.] Imò omnes Rom. Pontifices Thronum Eccleſiæ ſupremum conſcenſuri profitentur, [Hanc inter cæteras octauam œcumenicam Synodum immutilatè ſeruare.] Quod ſanè non facerent, ſi à Romano Pontifice antiquata fuiſſet.

Quod obiicis de numero Epiſcoporum, futile penitùs, nam ſecundæ generali ſynodo interfuerunt tantùm Epiſcopi 150. at Africa-

nᴂ,

næ, tempore Beati Auguſtini Epiſcopi 217. referente Proſpero; attamen illa ſemper generalis habita, hæc verò talis numquam ſomniata. Si verò ſcire vis cauſam paucitatis Epiſcoporum, qui ſubſcripſerunt huic Concilio, illam ab Anaſtaſio accipe, qui interfuit, & hæc notauit in margine. [Non te ſcandalizet ſubſcribentium paucitas, quia dum Photius diù Tyrannidem exercuiſſet, & penè omnes à deceſſoribus ſuis ſacratos depoſuiſſet, & in loca eorum, Fautores ſuos tantummodo prouexiſſet, quorum nullus in hac Synodo receptus eſt; iſti ſoli, ex priorum Patriarcharum conſecratione, ſuperſtites ſunt inuenti. Verùm quotquot ſub Nicolao, & Adriano ſanctiſſimis Pontificibus Epiſcopi fuerunt, huic Synodo conſenſerunt, licèt hęc paucitas illi gregi, pro ſui iuſtitia compararetur, cui Dominus dicit; Nolite timere puſillus grex.] Mutatum ſatis ſcimus animum Baſilij, in hanc octauam Synodum; & Romanum Pontificem Marinum dirè perſecutum, eò quòd probare noluerit, quæ cum Photio ipſe Baſilius exoptabat; At quid mirum, quòd vnà cum callidiſſimo ſeductore Photio Magus Santabarenus ſuis præſtigijs mutauerit animum Baſilij in octauam Synodum, & in Romanum Pontificem? Ita Baſilium dementauerat ſuis artibus ille Santabarenus, vt ipſum quocumque vellet, flectere, & quaſi cęleſte numen ab ipſo veneraretur. Idque ea tantùm de cauſa, quòd, ſicuti Phytoniſſa Samuelem Saulo ſuſcitaſſe legitur, ita hic Baſilio oſtenderat, & exoſculandum præbuerat Conſtantinum filium prædilectum, ac ſi viuus foret, cum tamen diù antea è viuis exceſſiſſet.

Nequam iſte homo effecit tandem ſuis fraudibus, vt Baſilius etiam Leonem ſapientem filium ſuum natu maiorem, quem paulò ante matrimonio iunxerat, & Imperio donauerat, innocentiſſimum in carcerem conijceret, ibique ad nouem annos in perpetuo vitæ diſcrimine detineret. Et mirabimur, ſi is, qui paternam potuit exuere charitatem, exuerit etiam Religionis Pietatem? quòd Patrem ſpiritualem oderit, qui filium naturalem odio habere potuerit? & talem filium, qualis fuit Leo? Lege Zonaram, & Curopalatem. Mutationem ergo Baſilij agnoſcimus eſſet, & confitemur, ſed agnoſcimus etiam, & prædicamus, Dęmonem fuiſſe auctorem iſtius mutationis; quod vel ipſemet Baſilius, afflante Deo, neſcius prædixerat. Ita enim alloquutus fuerat Photium in octaua Synodo Act. 6. [At ſi etiam thronum aliquando Conſtantinopolitanum ille, qui cuncta violat, vobis commiſerit, & per voſmetipſos conuenire volueritis, quis vos ſequetur?] Dęmon ergo qui cuncta violat, vel ipſo Baſilio Iudice, fuit auctor illius mutationis, quam nobis obieciſti.

L. Sed non contendam. Fuerit Generale. Sic initio loquitur Baſilius, apud Surium. (Cum diuina, & benigniſſima prouidentia nobis gubernacula vniuerſalis Nauis commiſiſſet, omne ſtudium arripuimus, ante publicas Eccleſiaſticas diſſoluere procellas.] Hic Surio opus fuit marginali nota, de ciuili adminiſtratione hæc accipienda ſunt. Fruſtrà; Binnius enim iam poſt (Nauis) appoſuit (Eccleſiaſticæ) vt Baſilius iam ſit Gubernator vniuerſalis Nauis Eccleſiaſticæ. Scio Binnium pro (Nobis) legere (Vobis) ſed perperam. Ita enim ſenſus erit ibi nullus. Sic enim dicturus Imperator. Cum illis, putà Epiſcopis, non ſibi Gubernacula commiſſa ſint; ſe tamen operam dediſſe, vt Eccleſię controuerſiæ componerentur. Sed ita ſunt editiones veſtræ, vtinam exemplaria ipſa Græca aſpicere liceat, facilè ſic veſtra fraus omnis elucerct.

M. A. Vtrum velis amplectere exemplar, neutrum pro te facit; Nam neutrum gubernacula Eccleſiæ committit, nec committere poteſt Baſilio; ſiquidem ille ea ad ſe pertinere numquam eſt arbitratus, ſed vt ex eius teſtimonijs, quæ ſubijcio, diſpicere potes, ſolis Epiſcopis concredita illa eſſe exiſtimauit. Eadem oratione, eadem pagina, inquit Baſilius ad Epiſcopos. [At verò ad vos ipſos acclamationem Imperij noſtri proponimus; quippè qui poteſtatem Synodici iudicij diuinitùs accepiſtis.] Sequenti verò pagina, aliæ oratione. [Et quotquot pertinent ad Eccleſiaſticam vnitatem, ac ordinationem, omnia à me ſolerter peracta ſunt; cum in nullo penitùs Imperiali manu, ac potentia, vt quiddam, paruum, vel magnum effecerim. Audin hæc? Neque enim, vt ſacratiſſimus Patriarcha ad proprium regrederetur thronum, Imperij mei opus, vel excogitatio facta eſt. Sed multùm ante ſanctiſſimus, & beatiſſimus Papa Nicolaus, quę circa illum erant certiſſimè diſcens, Synodicè decreuit, reddi ei ius proprij Throni; & anathema, cum ſancta Romanorum Eccleſia, pronunciauit, contra reſiſtentes huiuſmodi decreto, atque ſententiæ. Hoc autem nos olim ſcientes, & pauentes iudicium Anathęmatis promulgati, obſecundare Synodico iudicio Romanæ Eccleſię neceſſarium duximus.] Non ergo ſe credebat ſupremum Eccleſiæ Gubernatorem, qui alius Gubernatoris ſententiam metuit. & iudicat neceſſarium, vt eidem pareat. Infrà verò. [Sunt enim apud compatientiſſimum Imperium noſtrum ſuſceptionum modi diuerſi, per quos vos conſolabimur (alloquitur Epiſcopos ſchiſmaticos) & inceſſanter, quæ ſecundùm ſæculum vobis opportuna fuerint, faciemus. Rursùſque multimodè decertabimus, obſecrantes, rogantes, & omne ingenium mouentes ad ſpirituales Patres veſtros, & Patriarchas, vt diſpenſent quædam eorum, quæ inſunt animo veſtro, &c. qui namque hodie ligare, & ſoluere Eccleſię negotia poſſunt, pręſto ſunt.] Viden quomodo nullam, niſi rogandi, & obſecrandi, poteſtatem in Eccleſiaſticis ſibi vendicat Imperator? & Patriarchis, non ſibi, poteſtatem eſſe affirmat ligandi, & ſoluendi Eccleſiaſtica negotia? In oratione verò, quàm habuit in fine Synodi quidem, ſed non adhuc Synodo ſoluta, dixit, quæ longè ſuperiùs relata ſunt. [Hæc inueſtigare (Eccleſiaſtica) & quærere Patriarchatum, Pontificum, & Sacerdotum eſt, Qui regiminis officium ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, qui ſoluendi, & ligandi poteſtatem habent, qui Eccleſiaſticas, & cęleſtes adepti ſunt claues; non noſtrum, qui paſci debemus, qui ſanctificari, qui ligari, vel à ligamentis ſolui egemus; Quantęcunque enim religionis, & ſapientiæ Laicus exiſtat, vel etiam ſi vniuerſa

virtute interiùs polleat, ouis vocari non deſinet. Et infrà. Oportet ergo nos tum timore, & fide ſyncera hos audire, & facies eorum vereri; cum ſint miniſtri Domini omnipotentis, & huius formam poſſideant, & nihil ampliùs, quàm ea, quæ noſtri ordinis ſunt, requirere. Nunc autem, vt videmus, adeò multos in inſaniam malitia accendit, vt obliuiſcentes proprij ordinis, & quòd pedes ſint minimè cogitantes, legem ponere velint oculis.] Denique cum ſubſcripſiſſent Concilio Legati Pontificis, cæterique Patriarcharum; Imperialis ſubſcriptio, non definiendo, non confirmando, ſed hac forma facta eſt. [Baſilius, Conſtantinus, & Leo perpetui Auguſti in Chriſto Deo Fideles Principes Romanorum, & Magni Imperatores, Sanctam hanc, & vniuerſalem Synodum ſuſcipientes, & omnibus, quæ ab ipſa definita, & ſcripta ſunt, concordantes ſubſcribimus, Manu propria. Non definit Imperator, ſed Suſcipit, & concordat.] Ex his liquet omnibus, Baſilium crediddiſſe Gubernacula Nauis Vniuerſalis Eccleſiæ non ſibi commiſſa fuiſſe, ſed Sacerdotibus, Ergo vel Binnij exemplar, vel Surij ſuſcipias, Dicas vel Nobis, vel Vobis (Eccleſiaſticæ) non facit pro vobis. Puerile argumentum eſt iſtud, quod contrà Binnianum exemplar te mouet, legas totam illam periodum, & ſequentia, videbis ſenſum illorum verborum hunc eſſe. [Cum illis (putà Epiſcopis) non ſibi, gubernacula Eccleſiæ commiſſa ſint, ante publicas curas, curaſſe ſe Eccleſiaſticas diſſoluere procellas, per meliorem quandam prouiſionem;] Id verò dicit, quia eius Anteceſſores Michael Imperator, & Barda Cæſar per vim, & tyrannicè deiecto Ignatio, Photium in ſede Patriarchali collocauerant, & manutenere voluerant, non acquieſcentes Eccleſiæ Decretis; quod cum illis fæliciter non ceſſiſſet, ideò [Meliorem prouiſionem ipſe excogitarat ad diſſoluendas Eccleſiæ procellas. Quæ vero hęc? Ab alijs Patriarchalibus ſedibus Vicarios, adducere, & æcumenicam Synodum conuocare, huicque tamquam propriam rem totam iudicandam relinquere.] Non ergo ſenſus Binnianæ lectionis eſt, quem tu fingis, ſed iſte. Deſideras tu, deſideramus nos integra Græca exemplaria, & incorrupta; quæ ſi aſpicere liceret, non dubitamus, ea nobis pręſtò futura; Satis magna ſunt, in hiſce fragmentis Veritatis Catholicæ argumenta, Indiciaque maiora ex integro Concilio pollicentur. Nunc perpauca iſta ne aſperneris, Can. 12. [Apoſtolicis, & Synodicis Canonibus promotiones, & conſecrationes Epiſcoporum ex Potentatu, & præceptione Principum factas penitùs interdicentibus concordantes, definimus, & ſententiam nos quoque proferimus, vt ſi quis Epiſcopus per verſutiam, vel tyrannidem Principum huiuſmodi dignitatis conſecrationem ſuſceperit, deponatur omnimodis.

Can. 14. Ne Promoti ad Epiſcopatum indecentia obſequia exhibeant Magiſtratibus, nimirùm ne obuiam prodeant procul ab Eccleſijs ſuis; non ſe demittant ab equis, vel mulis. vel procidant, & adorent eos, nec intrent ad Principes hora prandij, vbi indebita perſoluant obſequia. Sed veneratione digni habeantur, & qui liberè errantes Principes valeant redarguere.

Can. 22. Promotiones, & Conſecrationes Epiſcoporum concordans prioribus concilijs, electione, ac decreto Epiſcoporum Collegij fieri ſancta hæc, & vniuerſalis Synodus definiuit, & ſtatuit. Atque iure promulgat, neminem laicorum Principum, vel Potentum ſemet inſerere electioni, vel Promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cuiuſlibet Epiſcopi. Addit verò contrauenientibus pœnam anathematis.

Obijcis demùm verba Concilij, quò Imperator de componenda, & reſtituenda Eccleſia Conſtantinopolitana Synodum coegit, & alibi, quòd Imperator omnem operam dedit, vt ex alijs Patriarchijs legatos euocaret, & Synodum generalem cogeret, eamque rem perfecit. Coegit Synodum Imperator, Confitemur, ſed quomodo coegit? Adriano II. Rom. Pont. rem committente. Volumus per veſtræ pietatis Induſtriam Conſtantinopoli numeroſum celebrare Concilium. Hæc ſunt verba Papæ in epiſt. ad Imperatorem, quæ producta fuit à Legatis, in 1. actione. At Stephanus Papa (inquis) in epiſt. ſua ad Baſilium ait. Quid peccauit Rom. Eccleſia? non ne pro veteri Synodorum Conſtantinopolitanarum more, te Imperante, legatos miſit? Non ita Stephanus, non ita, vt Tu, ſed hæc ſunt eius verba. Quid deliquit S. Rom. Eccleſia, vt aduersùs eam linguam tuam vibrare, & concitare, ſeductor te induxerit? Num iuxta antiquum morem, de Synodo Conſtantinopoli habenda, ad te literas non dedit? Num pro eadem Synodo curam non geſſit?] Tu ergo dum de Photio agis, ita te geris, vt in artibus Photij, Photium ſuperare videaris; Non Stephani, non Codicis, ſed tua ſunt illa. [Nonne pro veteri Synodorum Conſtantinopolitanarum more, te imperante legatos miſit?] At æquum erat, vt diſputationem tot erroribus refertam, mendacio denique & falſitate obſignares.

CON-

CONTROVERSIA TERTIA.

De Numero, & Facultatibus Clericorum.

CAP. LX.

Quæ Rex obiecerit contra immunitatem, & Facultates Clericorum, & quid aduerſùs illa probandum.

OPinatur Rex, multitudinem Clericorum tantam eſſe, vt penè Tertia ſit totius Reip. Chriſtianæ; bona verò eorumdem eò aſcendere, vt Tertia quoque ſoli Chriſtiani facta iam ſit Eccleſiaſtici iuris. Hinc non à lege Dei, non ab æquitate, ſed vt Ieroboam ab vtilitate molitur Sacerdotibus ruinam; ſuaque eloquentia tantam iacturam deplorans, accendere ſatagit animos Catholicorum Principum in odium Clericorum, & inuaſionem Iurium, ac bonorum Eccleſiæ. Quaſi ferendum non ſit Principibus, vt in eorum ditionibus tot Prouinciæ, & Coloniæ conſtituantur hominum potentiſſimorum, qui nullo iure ſubiecti eſſe velint Principum poteſtati. Vt verò magis reddat exoſam Eccleſiaſticorum noſtri temporis immunitatem, exaggerat illorum auaritiam. Cum enim ſolis Decimis veteris contenti viuerent, hi non niſi Tertia accepta ſaturantur. Ipſum audiamus.

[Quod ſi potentiſſimus quiſque veſtrum altè, ſerióque recogitet (alloquitur omnes Principes Chriſtianos) penè Tertiam populi, ſolique veſtri partem Eccleſiæ eſſe dicatam, nonne illius quæſo iacturæ ſenſus animos veſtros percutiet, quæ tantum hominum, fundorumque veſtro iuri ſubtrahat, vt vbique Pontifici Prouinciæ, Coloniæque conſtituantur? Immò quantum Spinarum, & Tribulorum in medijs veſtris ditionibus relinquitur, cum aſſeratur, tam potens hominum factio ſub Imperijs veſtris naſci, educari, opimiſque prædijs frui poſſe, quæ à veſtra poteſtate immunis ſit, nec vllo iure veſtris legibus, Iudicijſque ſubiecta? Adeò vt cum antiquitùs Clerici nihil vltra Decimas appeterent, iiſque contenti viuerent, nunc Papa Clericorum caput, non niſi Tertia accepta acquieſcat.] Hæc Rex. Vt verò cognoſcant omnes rerum Eccleſiaſticarum haud æquos delatores illum habuiſſe, ſigillatim hæc demonſtranda ſuſcipio.

I. Eccleſiaſticos non eſſe Tertiam populi Partem in Chriſtiana Rep. immò longè pauciores.

II. Bona Eccleſiaſticorum non eſſe Tertiam Bonorum totius Reip. Chriſtianæ; & Regem in hac aſſertione in errorem ferè inexcogitabilem lapſum eſſe.

III. Nec Decimam Bonorum omnium Chriſtianæ Reip. Eccleſiaſticos poſſidere, immò nec Sexageſimam.

IV. Datis pro veris Principijs Regis, Eccleſiaſticos ſumma laborare inopia.

V. Multa damna, & nullum commodum euenire laicorum Reip. ex inuaſione, & diuiſione bonorum Eccleſiæ.

CAP. LXI.

Eccleſiaſticos non eſſe Tertiam Populi Partem in Chriſtiana Rep. immò longè pauciores.

SIT ne Tertia totius Populi pars Eccleſiaſticorum ordo in Vniuerſa Chriſtiana Rep., facilè inueſtigari poteſt; nec enim deſunt auctores, qui ex cenſibus, alijſque huiuſcemodi monumentis, referunt totius populi Chriſtiani ſummam, tam in Europa vniuerſa, quàm in ſingulis eius regionibus. Sub Carolo Nono in Gallia numeratos fuiſſe, ſcribunt, Quindecim animarum milliones. Nouem milliones Hiſpaniam alere, tradunt. Italiam verò ſaltem Duodecim. Anno 1561. Regnum Neapolis (excluſa Regia Vrbe) cenſuit Domos 483478. Sereniſſimorum Venetorum Dominium Supra vicies centena millia ſubditorum in Italia habere affirmant, Quibus ſi addas reliquum, Longobardiæ, quæ hominum feraciſſima eſt, & quòd extra Longobardiam Summus Pontifex, Sabaudiæ, Hetruriæ, & alij Principes poſſident, ſanè animarum Supra centies, & vicies centena millia in Italia reperies. In Germania, excluſis Heluetijs & Belgis, aſſerunt Totidem reperiri; & denique in Sicilia numerant Terdecies centena hominum millia. Quapropter hiſce in Regionibus totius populi ſumma aſcendit Ad quadragies, & octies millena hominum millia. Hanc diuide in tres partes, & tertia erit Sexdecies millena millia.

Conſtat itaque Eccleſiaſticos, ex Regis ſententia, eſſe debere ſaltem Sexdecies millena millia, in memoratis regionibus; Tertia enim ſunt, ſecundùm ipſum, totius populi in Chriſtiana Rep. Quis verò adeò amens vt primo intuitu non videat falſitatem, impoſſibilitatem, abſurditatem huius aſſertionis? Quis, rogo, vni Galliæ tribuat Eccleſiaſticorum Milliones quinque, vni Hiſpaniæ Tres, vni Italiæ Quatuor, Germaniæ parti Totidem, & vni Siciliæ Supra quadringenta, & triginta tria millia? Ridenda potiùs, quàm confutanda ſunt hæc. Fac, Eccleſiaſticos ter-

tiam iſtam eſſe, nempè ad Sexdecies millena hominum millia; quilibet auariſſimos diſpenſator ſingulo cuique ipſorum tribuet, opinor, ſaltem Quinquaginta annua ſcuta pro omnibus neceſſarijs humanæ vitæ. Tantumdem lubens accipio, & prætereo impenſas Prælatorum; & eorum omnium, quibus pro publicis muneribus, longè maior pecuniæ ſumma neceſſaria eſt. Aſſignatis verò Quinquaginta annuis ſcutis ſingulo cuique Eccleſiaſtico, ſi forent Tertia illa totius populi pars, exhaurirent quotannis Supra milliones octingentos; quare & Suprà octigentos milliones in annuis redditibus habere deberent. Et hæc non ſunt ridicula, maximè abſurda, & manifeſte falſa? Quis ſine riſu audiat, in vna Gallia Eccleſiaſticos habere in annuis reditibus Milliones quinquaginta ſupra ducentos? quis in ſola Italia Ducentos, in Germania Totidem, & in vna Sicilia Quinque & ſexaginta? nemo certè. Itaque, vt ſine riſu audiri non poteſt ingens iſta ſumma Eccleſiaſticorum prouentuum; ita cum ſtupore regius ille craſſiſſimus error De numero Eccleſiaſticorum ab omnibus exibilatur.

Verùm nomine Regis quis forſan obijciet, malè colligere me Numerum Eccleſiaſticorum à quantitate redditũum, plures enim ſunt Eccleſiaſtici, quàm ferant ipſorum redditus; quamplurimi enim ex laicorum eleemoſynis viuunt, & ſuſtentantur. At nonne quot Eccleſiaſtici aluntur, & viuunt ex parte laicorum, tot etiam laici aluntur ex parte Clericorum? quot ſerui, miniſtri, artifices; villici, affines, conſanguinei, pauperes, collegia, hoſpitalia, ex noſtra parte viuunt? quantum ex redditibus noſtris detrahitur pro vſu Principum? quot locorum piorum bona inter Eccleſiæ bona collocantur, quæ à ſolis laicis adminiſtrantur, & in laicorum commodum potiſſimè abeunt? Quare patet, quod detrahitur ex parte laicorum pro vſu Eccleſiaſticorum, cum non excedat id, quod detrahitur ex parte Clericorum, pro vſu laicorum, non efficere, quin argumentum à quantitate redditũum ad numerum hominum; ſit validum, & efficax.

CAP. LXII.

Bona Eccleſiaſticorum Tertiam non eſſe bonorum totius Reip. Chriſtianæ; & Regem in hac aſſertione in eorum ferè inexcogitabilem lapſum eſſe.

SEnſu communi caret, qui alteram Regis aſſertionem ſibi perſuaderi ſinit. [De ingenti bonorum Eccleſiaſticorum copia, quòd nempè ſint Tertia bonorum omnium Chriſtianæ Reip.] Quæ Europæi inſumunt, in Europa quoque naſcuntur, & colliguntur vel ipſa, vel æquiualenti valore commutanda; propterea ſi velimus ſcire, quanti ſint Europæ annui redditus in memoratis regionibus, Iudicium ferendum eſt, ex quantitate eorum, quæ inſumuntur. Omitto, quæ profundunt Principes, Nobiles, Potentes, Ciues, Mercatores, & do ſingulos dumtaxat tantum impendere, quantum indicauimus neceſſarium humanæ Vitæ, pro Eccleſiaſticis, nempè [quinquaginta annua ſcuta.] Habent verò memoratæ regiones [Quadragies, & octies millena hominum millia;] propterea ex hoc calculo inſumerent ſaltem quotannis [Millionum duo millia, & quadringenta.] Si totidem inſumunt, totidem colligunt etiam: quare annui prouentus harum regionum erunt Millione 2400. Idcirco ſi verum eſſet, quod Rex opinatur, nempè [Eccleſiaſticos tertiam redituum, & bonorum habere totius Reip.] oporteret illos habere in annuis redditibus Milliones octingentos. Videamus, an ita in re ſit.

Numerus redditũum Eccleſiæ facilè inueſtigari poteſt abſque vllo errore, qui nobis faueat; dixi, qui nobis faueat; nam vt nullum ſubterfugij locum Aduerſarijs relinquam, dabo ſemper illis pluſquam in re ſit, & pluſquam ipſimet vel petere, vel optare audeant. A Viris fide dignis accepi, redditus Eccleſiæ in Gallia non excedere ſummam quinque millionum, ſed demus eſſe ſex. In Italia certiſſimis documentis inſtructus, ſcio, hanc ſummam non attingere; ſed faciamus eſſe, & in Italia ſex milliones, faciamus eſſe dimidio plures, erunt ad ſummum nonagies centena millia. Faciamus (quod impoſſibile eſt) Hiſpaniam, Germaniam, Siciliam habere redditus duplo maiores, quàm Gallia, & Italia, & erunt trecenties centena millia; quare (datis non dicam falſis, ſed inexcogitabilibus Eccleſiæ redditibus) omnes ad ſummum forent milliones quadraginta quinque. Nunc collige an tertia bonorum ſit Eccleſiaſtici Iuris.

Tertia bonorum omnium reddidit milliones ſaltem octingentos; Eccleſiæ redditus (quamuis impoſſibiles) ſunt Milliones quadragintaquinque; deme quadragintaquinque ab octingentis, ſupererunt milliones annui ſeptingentiquinquaginta, & quinque.

Ingentiſſimam ergo hanc bonorum ſummã, ſcilicet annuorum millionũ 755. credidit Rex Eccleſiaſticos habere, pluſquam verè habeant; quare venia dignus, ſi auaritiam Eccleſiaſticorum exaggerauit, ſuppoſito tanto, & tam craſſo errore, quem in eius mentem inſtillauit Miniſtrorum Deformatorum cœca perfidia. Et ſi ipſi, vt hac in re, ita & in cæteris conſiderare vellet pro ingenuitate verè Regia omnia ſundamenta ſui primatus, certus ſum, quòd Anglicanæ Eccleſiæ, Anglicanoque Regno ea reſtitueretur dulciſſima pax, quæ tot Anglorum cædibus, tanto ciuium ſanguine, tot odijs mutuis, tot inteſtinis bellis, tot ampliſſimi Regni reuolutionibus, cum religione iamdiù pulſa, vna ſapientiſſimi, & potentiſſimi Regis manu, patriæ reddi poſſe videtur. Cui tamquam vero patriæ Parenti non tantum Anglia, ſed & vniuerſus Chriſtianus orbis ſtatuas aureas, & monumenta perennioira tum dicaret, vt eius virtutem ab hominum memoria nulla vmquam deleret obliuio. Magnos magna decent, & magnum non eſt, mendacium agnitum contra veritatem tueri; ſed magnum eſt, pro agnita veritate mendacium profligare. Propterea Magni titulum non adeptus eſt Iulianus, qui calamo, & Gladio Catholicam Religionem perſecutus eſt; ſed Conſtantinus,

ſed

ſed Theodoſius, ſed Carolus, qui pacem ſua poteſtate Eccleſiæ reddiderunt, & orthodoxam fidem extollere perpetuò ſategerunt.

CAP. LXIII.

Nec Decimam Bonorum omnium Chriſtianæ Reip. Eccleſiaſticos poſſidere, immò nec ſexageſimam.

VIdimus earum Regionem, de quibus loquebamur, prouentus annuos eſſe milliones 2400. quorum decima eſt milliones 240; quare cum Eccleſiaſtici (ex falſiſſima ſuppoſitione) habeant in annuis redditibus milliones dumtaxat 45, habent Minùs decima, annuos milliones centum, nonaginta, & quinque. Iniuria itaque Eccleſiaſtici noſtri temporis auaritię inſimulantur à Rege, quando non modo non fruantur Decima, qua ipſe aſſerit, veteres vixiſſe contentos, ſed illis ad Decimam deſint ſuprà ducenties millena millia. Si verò hypothetici iſti prouentus ad veros redigantur, nec octuageſimam quidem illos reperies, cum iſti fictitij non aſcendant ad 55. Faciat ergo Rex Angliæ, qui ſe conſtituit Patronum laicorum hac in cauſa, vt laici conſcientias ſuas exonerent, decimam Eccleſiaſticis reſtituant, qua veteres contenti viuebant. Si enim illa olim vixere contenti, & eam modò non habent; dubio procul illis ablata eſt Domini Pars, & portio diuino iure ſacrorum Miniſtris deſtinata. O itaque quàm malè ſuſceptam cauſam hactenùs egit Rex, cum, re benè, totaque perſpecta, laici conſtituantur debitores Eccleſiæ annuorum millionum ſaltem ducentorum.

CAP. XLIV.

Datis pro veris Regis Principijs, Eccleſiaſticos ſumma labore inopia.

EX Regis ſententia, Eccleſiaſtici ſunt ſexdecies millena millia; redditus verò ipſorum ſunt (datis impoſſibilibus) milliones quadragintaquinque. Quare ſi diuidas redditus per capita, [Ne tria quidem annua ſcuta cuique Eccleſiaſtico] poteris aſſignare pro victu, veſtitu; ceteriſque omnibus, quæ neceſſaria ſunt humanæ vitæ. Perſpicua res eſt; nam Sexdecim ter multiplicatus efficit 48; quare ſi Sexdecim milliones hominum viritim haberent tria annua ſcuta; oporteret, omnes illos habere quadraginta octo annuos milliones. Ergo quid faciendum? Dicet aliquis; ſi diuidantur redditus Eccleſiæ in omnes Eccleſiaſticos, omnes fame peribunt, nec enim tria ſcuta annua cuique obtingere poſſunt; propterea ne omnes pereant, diuidendi ſunt redditus non in omnes, ſed in illos dumtaxat, quibus ſufficere poſſunt. Et id experiamur.

Quadragintaquinque milliones, aſſignatis ſingulo cuique quinquaginta annuis ſcutis, ne vni quidem hominum millioni ſufficiunt; nam vnuſquiſque hominum millio exhaurit quinquaginta ſcutorum milliones. Superſunt ergo ex Regis ſententia quindecim Eccleſiaſticorum milliones, qui nihil omninò habent, vndè viuant. Vel ſi iſti habent vndè viuant, oportet tria annua ſcuta ſufficere ſingulis pro omnibus neceſſarijs humanæ vitæ. Nonne ergo Eccleſiaſticorum ordo in vniuerſum pauperrimus eſt? ſed longè pauperiorem videbimus, ſi ipſius hypotheticos redditus ad veros redigamus; fortè enim dimidium non erunt; & inſuper ſi ea omnia detrahantur, quæ laicorum commodo inſeruiunt, & quæ non in perſonis, ſed in Templis, vaſis, veſtibus ſacris, ſanctis imaginibus, & alijs huiuſmodi inſumuntur. Hæc omnia ſi Rex conſideraſſet, noſtraque inſpexiſſet ſimplici oculo, planè non vidiſſet vaſtas illas Regiones, magnos illos orbes, in manibus Pontificis, quos veluti alter Alexander inuidet, & deflet.

CAP. LXV.

Multa damna, & nullum commodum euenire laicorum Reip. ex inuaſione, & diuiſione Bonorum Eccleſiæ.

SInt facultates Eccleſiæ (quot tamen non ſunt) milliones 45; cum vniuerſa populi multitudo ſit ſuprà milliones 48, ſequitur, ex hac diuiſione, ne ſcutum quidem annuum à quolibet ſperari poſſe. Verùm quantò minus ſperandum, ſi ſumma hypothetica redditus ſacrorum ad veram ſummam redigatur? ſi habeatur ratio eorum, quæ laicis vſui ſunt, & eorum omnium, quæ ſuprà commemorauimus? Itaque nullum commodum laicis euenire ex hac diuiſione, liquidò conſtat. Ecquis enim adeò ſordidus, vt in anni curriculo reputet beneficij loco, vel [Dimidium ſcuti, vel ſcutum integrum cum ſacrilegio? Quod de vniuerſa ſumma dictum eſt, de ſingulis eius partibus æquè intelligi debet; & ſanè (mirabile videtur, attamen verum eſt) in nulla prouincia, in nulla Regione tot ſunt annui Eccleſiaſticorum prouentus, vt numerus ſcutorum annuorum longè non excedatur à numero animarum totius populi. Id autem obuium eſt cuique percurrenti omnes Chriſtiani orbis plagas, vt in allatis exemplis conſiderari poteſt.

Mala ingentia ab hac inuaſione timenda quis dubitat? Exploratum eſt enim, Epiſcopatuum diuitias, cæterorumque ſæcularium beneficiorum, atque dignitatum omnium, laicorum etiam commodo cedere. Hiſce conſtat, plurimarum familiarum nobilium ſplendorem fulciri; hiſce alias ex humili loco ad honeſtum prouehi; & Principes ipſi experiuntur, facultates Eccleſiæ ſibi magno adiumento eſſe. Immò cum ex vniuerſo Chriſtiano orbe in ſola Eccleſia omnis natio, omnis familia, omnis homo eligi poſſit ad ſupremos honores; mirandum certè, quomodo non omnis natio, non omnis populus, non omnis homo pro defenſione rei ſuæ calamum non ſtringat. Principes ergo, qui inuadere bona Eccleſiæ exoptant, hoc vnum metuunt, & cauent, ne papauera nimiùm creſcant, & ſolùm ſubditorum inopiam cum ſua ipſorum vtilitate coniunctam (quæ vera Tyrannis eſt) reſpiciunt. Dicat Anglia ipſa,

an

an vera loquar; nonne experitur ipſa (vtinam non experiretur) ſe grauiori paupertate premi poſt ſacra bona direpta, quàm antea fuerit, idque ſine fructu plorat? An non idem ille Henricus, qui Anglicanæ Eccleſiæ bona primus inuaſit, quibus ſe maximè ditari arbitrabatur, primus etiam paupertate coactus tot oneribus Angliam aggrauauit, tot exactiones inauditas illi indixit, tot modis populos expilauit, vt vulgo tum diceretur. [Ad conflandam Henrico pecuniam, nihil aliud in Anglia ſupereſſe, niſi viuorum capita, & mortuorum ſepulchra?]

Iniuria tandem vocantur Eccleſiaſtici à Rege, Spinæ Politiarum & tribuli, nam, vt omittam eorum opera ſupernaturalia, quæ noſtræ ſaluti neceſſaria ſunt; Rex negare non poteſt, ab Eccleſiaſticis educari in bonis artibus, in moribus, in omnibus diſciplinis. Proferas quam velis artem (quæ Clericis interdicta non ſit) reperies illam labore magis Eccleſiaſtici cuiuſpiam, quàm alterius opera illuſtratam. Thomas Bozzius vir maximè pius, & eruditus, in libris de ſignis Eccleſiæ Dei, innumeris teſtimonijs, & exemplis proſecutus eſt hoc argumentum. Illum, rogo te, legere non pigeat, nec enim legiſſe pœnitebit.

Nemo Catholicorum ſomniauit vmquam, quod Eccleſiaſtici non teneantur vllo modò ad obſeruantiam legum ciuilium, quæ ſacris Canonibus non repugnant; immò ad illas ipſos vi directiua teneri, communi conſenſu omnes Catholici prædicant. Si verò Eccleſiaſticorum delicta ad Tribunalia Eccleſiæ, non ad ſubſellia Principum deferantur, quid hoc ad Principes? quid ad commune bonum? Ad commune bonum non pertinet, à qua poteſtate puniantur delicta, ſed vt puniantur. Puniantur ergo, hoc debet eſſe curæ populo, gentique omni; at quòd puniantur à Rege, nihil omninò intereſt. Quamquam quis neſcit, vbi pœna ſanguinis imponenda venit, Eccleſiam non imponere, ſed curiæ ſæculari reos tradere puniendos; Magni ſanè refert, vt ij, quibus Religio commiſſa eſt, quique ſacra tractant, in honore habeantur, à vulgo eximantur, & à plebis ſorte diſtincti, tamquam quid cæteris maius, honorentur. Si enim vileſcant Sacerdotium, neceſſe etiam eſt, vt vileſcat religio; qua neglecta, impoſſibile eſt, vllam Politiam ſtare poſſe. Propterea cum Deus minaretur ruinam populo Iſrael, ait. [Et erit ſicut populus, ſic Sacerdos.] Indicium ergo euerſionis Politiarum eſt, ſi Sacerdotes ſicut populus habeantur. [Id potentiſſimus quiſque Principum altè, ſeriòque recogitet.]

EIVSDEM AVCTORIS.

DE APPELLATIONIBVS ECCLESIAE Africanæ ad Romanam Sedem,

DISSERTATIO.

Aduerſùs Hæreticos noſtri temporis.

CAPVT PRIMVM.

Explicata Controuerſia de Appellationibus Eccleſiæ Africanæ ad Romanam Sedem iuxtà Hæreticorum ſententiam, quæ in hoc opuſculo contra eos probanda ſunt, ad certa capita rediguntur.

I. Poſtquam ſupremam poteſtatem Papæ oppugnare cęperunt Hæretici Occidentales, vna ex præcipuis machinis, quibus eam euertere moliti ſunt, fuit ſemper controuerſia de Appellationibus Eccleſiæ Africanæ ad Romanam Sedem, quam agitatam dicunt ab anno Domini 418. ad annum 424. Pontificibus Zoſimo, Boniſacio, & Cœleſtino. Multa quidem ex ea nobis obijcere ſolent, ſed omnia ad tria capita rediguntur. 1. Canones. 2. Acta Concilij. 3. Patrum Africanorum epiſtolas ad duos Romanos Pontifices Bonifacium, & Cœleſtinum.

II. Canones duo ſunt. Primus eſt vigeſimus ſecundus Concilij Mileuitani, his verbis conceptus. [Placuit, vt Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici, in cauſis, quas habuerint, ſi de iudicijs Epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini Epiſcopi eos audiant adhibiti ab eis ex conſenſu Epiſcoporum ſuorum. Quòd ſi, & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent, niſi ad Africana Concilia, vel ad Primates Prouinciarum ſuarum. Ad Tranſmarina autem, qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam in communione recipiatur.] Canon, qui poſtea repetitus fuit in ſexto Concilio Carthaginienſi.

III. Secundus Canon eſt ſeptuageſimus ſecundus Codicis Africani decretus Carthagine ſub Innocentio I. Honorio VII. & Theodoſio II. Conſulibus. Quando Africani auertere volentes à ceruicibus ſuis iugum Romanæ poteſtatis, quo premi cœperant, ne quis deinceps ex Africa Romam prouocare auderet, cauerunt his verbis: [Quicumque non communicauerit in Africa, ſi in Tranſmarinis ad communicandum obrepſerit, iacturam clericatus excipiat.]

IV. Addunt plerique tertium, ſancitum quidem Cæſario, & Attico Conſulibus, repetitum verò, & confirmatum Carthagine. P. C. Honorij XII. & Theodoſij VIII. [Vt primæ Sedis Epiſcopus non appelletur, aut Princeps Sacerdotum, aut ſummus Sacerdos, aut aliquid eiuſmodi, ſed tantùm primæ Sedis Epiſcopus.] De Romano Pontifice id conſtitutum colligunt ex Paulo Diacono de geſt. Longobard. lib.4. cap.11. [Phocas Imperator, inquit, rogante Papa Bonifacio, ſtatuit, Sedem Romanæ Eccleſiæ primam eſſe, cum priùs Conſtantinopolitana ſe primam omnium ſcriberet.] Ab hoc Canone concludunt, Romanum Pontificem eſſe quidem primum ordine Sedium, at non primum iuriſdictione, cùm eos ſubiectos habere non poſſit, quorum in Canone ei Principatus negatur. Abolitum hinc in Africa, & ſublatum omninò cum poteſtate ipſum quoque nomen Primatus.

Ex Actis, & epiſtolis hæc dicunt. Cùm Zoſimus R. P. hoc ſtatu res reperiſſet, quibuſcumque demùm artibus poſſet, fugientem Papatum retinere conſtituit. Quare Conſulibus Honorio XII. & Theodoſio VIII. expeditis tribus Legatis ad Concilium, quod ex Africa tota Carthagine indictum fuerat, hac fraude vſus eſt. Auctoritatem Concilij Nicæni in Eccleſia ſummam eſſe ſciebat: nullo haberi loco Sardicenſe: fauere tamen Papatui non Nicænum, ſed Sardicenſe. Sumpto itaque tertio Canone Sardicenſi pro Nicæno, & oretenùs, & in Commonitorio, Legatis Nicænum illum eſſe mentitus eſt, eiſque in mandatis dedit, hoc nomine adigerent Africanos ad decernendum, vt ex Africa Romam appellare Epiſcopis liberum eſſet. Cæterùm Africani, auditis Legatis, & fraude animaduerſa, ſcripſerunt ſe canones illos vehementer ſuſpectos habere, nihilominùs paſſuros, vt

inde

indè ad Romanam Sedem appellaretur, quouſque germana exemplaria Canonum Nicænorum in lucem prodirent. Atque ita præterijt annus ille, qui fuit Chriſti 418. quo exeunte, Zoſimus mortalitatem expleuit. Anno ſequenti 8. Kal. Iunij Carthagine iterùm conuenere, ibique cauſa hæc iterùm diſcuti cœpit. Interea repererant Africani exemplar canonum Nicænorum, quod Cæcilianus vnus ex Patribus 318. Nicęa Carthaginem tulerat, eiuſque auctoritate commonitorium Zoſimi nomine falſi vehementer vrgere cœperunt. Sed Legatis pro eo decertantibus, tandem tranſactum eſt, vt peculiari legatione authentica Canonum Nicænorum peterentur ab Eccleſijs Alexandriæ, Antiochiæ, & Conſtantinopolis, quò ex eorum præſcripto, aut prohiberentur, aut permitterentur appellationes. Interea tamen ſeruaretur Canon Sardicenſis, ac ſi eſſet Nicænus, Epiſcopiſque Africanis toto hoc interuallo appellare liceret ad Romanam Sedem. Perlati ſunt Canones Nicęni ex Oriente eodem anno, & 6. Kal. Decembris, Romam ad Bonifacium Zoſimi ſucceſſorem miſſi ſunt, ex eiſque detecta Zoſimi fraus. Sed deſiderantur literæ Africanorum, cum quibus Canones Romam miſſi fuere.

VI. Poſt quadriennium mortuo Bonifacio ſucceſſit Cœleſtinus, qui audito Apiario Presbytero Siccenſi Prouinciæ Numidiæ, quem Africani damnauerant, ei communionem reſtituit. Legatiſque ſuis in Africam expeditis, cauſam illius iterum diſcuti iuſſit, Zoſimum imitatus, qui hoc ipſum fecerat anno ſupremo ſui Pontificatus. Hac occaſione Presbyteri Africani indicta Carthagine Plenaria Synodo Prouinciarum Africæ, Apiarij cauſam ſecundò diſcutiunt, eumque poſt multas tergiuerſationes, crimina confitentem ſua, benè excommunicatum declarant. Poſt ad Pontificem ſcribunt; eum Presbyterorum, & aliorum ordinum inferiorum Africæ cauſas cognoſcere non poſſe, quæ ex Canonibus Nicænis finiri debebant in Prouincijs, in quibus ortæ eſſent. Epiſcoporum quoque appellationes admittere non debere, quia Epiſcopi Metropolitanis ſuis à Concilio Nicæno commiſſi fuerant, quorum iudicio ſi ſtare noluiſſent, habebant Concilia Africæ plenaria, ad quæ prouocarent. Neque extare vllius Synodi decretum, quo Papæ liceret mittere legatos ſuos ad iudicia Synodorum alienæ Prouinciæ, vtì fecerat Cœleſtinus pro Apiario. Nam quod Zoſimus dixerat de Canone Nicæno, id falſum fuiſſe, ex authenticis Orientalibus iam conſtiterat. Et poſtremò grauitèe inuehuntur in exequutores, quos Romana Eccleſia in Africam mittere cœperat.

VII. Ex hac rerum ſerie Hæretici multa colligunt contrà Primatum Papæ. 1. Quòd poteſtas Papę tum temporis redigebatur tota ad Canones Nicænos, non ad Petrum. 2. Quòd Canones Nicæni non ſubijciebantur, ſed præferebantur mandatis Papæ. 3. Quòd negari poteſtas ſuprema poteſtas Papæ citrà errorem; non enim vel hæreſis, vel ſchiſmatis infamia laborarunt Patres Africani in hac controuerſia. 4. Quòd Epiſcoporum. 5. Quòd Presbyterorum appellationes aliarum nationum deferendæ non ſunt ad Apoſtolicam Sedem. 6. Quòd excommunicatos in alienis Prouincijs, Papa in communionem recipere non poteſt. 7. Neque legatos mittere, qui aſſideant iudicijs Synodalibus alienarum Prouinciarum. 8. Eumque demùm poteſtatem coactiuam non habere, ſi quis iuſſis eius obedire recuſet.

VIII. Onerant præterea Zoſimum contumelijs, [quòd dedita opera æquiuocare, & Canonem Sardicenſem pro Nicæno, ne integrum quidem, ſed dolo malo alteratum ſupponere voluerit, vt Africanam Eccleſiam antidotum iam apparentem ſibi plenè ſubijceret.]

Hæc ea ſunt, quæ de hac cauſa Hæretici communitèr iactant, ille præſertim, quem miſeri quidam hac tempeſtate Atlantem ſuum appellare non erubeſcunt. Quibus quaſi decumanis fluctibus nauiculam Petri obrutam arbitrantes, arrogantia incredibili in Romanam Sedem inſultant. Tu autem Lector inhibe tantiſper aſſenſum, & quam fortè oppreſſam, & euerſam ſuſpicaris, hanc ſpolijs onuſtam citò videbis ab his vorticibus fęlicitèr enatare. Tibi nimirùm in hoc opuſculo, tria me demonſtraturum polliceor. 1. Canonem de Appellationibus ad Tranſmarina, non inuitis, vel inſcijs, ſed ſcientibus, & iubentibus Romanis Pontificibus decretum eſſe; eorumque poteſtati nil derogare. 2. Ex duobus reliquis, vnum Eccleſiam Africanam ſubiectam Romanæ Sedi probare: Alterum ad Romanum Pontificem omninò non pertinere. 3. Acta, & epiſtolas, quæ obijciuntur, eſſe mera mendacia, & impoſturas.

CAPVT II.

Quanti referat noſſe, cuius Concilij ſit Canon de Appellationibus ad Tranſmarina. Eumque cum octo canonibus contrà Hæreſim Pelagij perperàm tribui Concilio Mileuitano, vel primo, vel ſecundo.

I. TAntis inuoluta tenebris antiquorum Conciliorum Africanorum geſta ad hæc tempora peruenerunt, vt natiuæ integritati reſtitui non poſſint ſine ingenti labore, & niſi reſtituantur, de rebus in illa Eccleſia geſtis, ex eis rectè iudicare impoſſibile ſit: exemplo erit Canon de Appellationibus ad Tranſmarina, qui vnum tantùm, aut alterum Concilium auctores habuit, vt oſtendam, quatuor tamen Concilijs tribui ſolet, Mileuitanis duobus, & duobus Carthaginenſibus. Si in vtrouis Mileuitano decretus eſſet, certè ſi non inuito, inſcio ſaltem Romano Pontifice id factum fuiſſet. Si in vtrouis Carthaginenſi, non ita; quia quicquid vtraque vice Carthagine ſtatutum fuit, id omne, & probante, & iubente Romano Pontifice factum fuiſſe patebit. Cùm ergo nerui huius difficultatis à cognitione veri Auctoris huius Canonis pendeant, quiſnam hic fuerit, quantum fieri poteſt diligentèr, & accuratè inueſtigare neceſſe eſt.

II. Duo Concilia Mileui in Numidia tempore Innocentij I. Romani Pontificis habita fuere, vnum Arcadio, & Honorio Auguſtis V. Conſulibus; alterum Conſulibus Theodoſio Auguſto VII. & Palladio. In antiqua

tiqua collectione Coneiliorum adſcripta fuere Concilio Mileuitano primo capita viginti ſeptem, inret quæ vigeſimum ſecundum eſt Canon de appellationibus ad Tranſmarina. Baronius ad annum Chriſti 416. eius Collectionis capita in tres partes diuiſit, & primam hoe eſt præfationem, dedit primo Mileuitano. Seeundam, quæ continet octo anathematiſmos in hæreſim Pelagij, Mileuitano ſecundo; Tertiam, quæ reliqua omnia complectitur, varijs Coucilijs Africanis. Ad annum tamen 419. in ſecundo Mileuitano etiam Canonem 22. ſtatutum fuiſſe ſumit. Nos, qui, & à Baronio, & ab antiquo Collectore diſſentimus, ordinem temporis ſeeuti, primùm afferemus in medium quid à Collectore nos diſſentire eoegerit, deindè quid à Baronio, cuius nomini, etſi multùm debemus, multò plùs tamen Eccleſiæ, & veritati.

III. Cœterùm, quia res eius temporis per eonſules digeſtæ fuerunt, & elauis difficultatum ſeries rerum geſtarum, vt plurimum eſſe ſolet, ideò ex faſtis Conſularibus Auctorum eius, & proximi temporis oculis ſubijcere volui omnes Conſulatus ab anno Chriſti 400. ad an. 424. quo ſpario continetur quicquid ad hanc controuerſiam ſpectare poteſt. Conſulibus verò adieci indictiones ex Marcellino Comite, vt demonſtrari poſſint anni Chriſti, ſi quis de Chronologia iſta dubitaret. Numerum, ſeriem, & nomina Conſulum ſuggeſſerunt Proſper, qui tunc viuebat, & Caſſiodorus, qui proximè ſequenti ſæculo floruit.

Conſules.	*Indictiones.*	*Anni Chriſti.*
Srilieo, & Aurelianus.	XIII.	400.
Vincentius, & Frauica.	XIV.	401.
Arcadius V. & Hon. V.	XV.	402.
Theo. Iun. & Rumoridus	I.	403.
Hon. VI. & Ariſtenecus.	2.	404.
Stilieo II. & Anthemius.	3.	405.
Areadius VI. & Probus.	4.	406.
Hon. VII. & Theod. II.	5.	407.
Baſſus, & Philippus.	VI.	408.
Hon. VIII. & Theod. III.	VII.	409.
Varanus.	VIII.	410.
Theodoſius IV.	IX.	411.
Theod. V. & Honot. IX.	X.	412.
Lucianus.	XS.	413.
Cōſtātinus, & Cōſtans.	XII.	414.
Hon. X. & Theod. VI.	XIII.	415.
Theod. VII. & Palladius.	XIV.	416.
Hon. XI. & Conſt. II.	XV.	417.
Hon. XII. & Thod. VIII.	I.	418.
Monaxius, & Plinta.	2.	419.
Theod. IX. & Cōſt. III.	3.	420.
Euſtachius, & Agrieola.	4.	421.
Hon. XIII. & Theod. X.	5.	422.
Aſelepiodotus, & Marin.	6.	423.
Victor, & Caſtinus.	VSI.	424.

IV. Hæreſim Pelagij propagari cœpiſſe circa conſulatum Luciani, Proſper, qui tunc viuebat, reſque Pelagiauorum oculatiſſimus obſeruabat, ad annum illum in Chronico teſtis eſt. [Hac tempeſtate, inquit, Pelagius Brito, dogma nominis ſui contra gratiam Chriſti, Cœleſtio, & Iuliano auditoribus exerit, multòſque in ſuum trahit errorem.] Et benè dixit, hac tempeſtate, & non dixit, hoc anno, quia anno ſuperiori, vt optima ratione probat Baronius ad annum Chriſti 412. Cęleſtius diſcipulus Pelagij à Paulino Diacono de capitibus hæreſeos Pelagianæ poſtulatus, Carthagine Synodali ſententia damnatus fuerat.

Concilium Mileuitanum primum, hanc habet præfationem. [Glorioſiſſimis Imperatoribus Arcadio, & Honorio Auguſtis viris clariſſimus Conſulibus 6. Kal. Septembris, in Ciuitate Mileuitana, in Secretario Baſilicæ, cum Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Carthaginis in Concilio vniuerſali conſediſſet, adſtantibus Diaconis Aurelius Epiſcopus dixit &c.

Ex faſtis conſtat, quòd poſtremus conſulatus, quem ſimul geſſerunt Areadius, & Honorius, fuit vtriuſque quintus, & incidit in annum Chriſti 402. Quare in Concilio eius anni damnari non potuit hæreſis Pelagiana, quæ non niſi poſt integrum decennium cępit publicari. Et ex conſequenti, alterius Concilij eſſe, neceſſe eſt, octo priores Canones huius collectionis, quibus capita hæreſis Pelagianæ articularim damnantur.

V. Concilium Mileuitanum, ex quo ad Romanum Pontificem Innocentium de hęreſi Pelagiana tunc oriente Patres ſcripſere, fuit Prouinciale Numidiæ, eique præſedit Siluanus illius Prouinciæ primas. Hunc enim Concilij Præſidem epiſtola Patrum Mileuitanorum ad Innocentium in fronte gerit his verbis. [Domino Beatiſſimo, meritòque venerabili, & in Chriſto honorando Papæ Innocentio Siluanus, Valentius &c.] Et reſponſio Innocentij ad Concilium. [Innocentius Siluano Seni, Valentino, & cæteris, qui in Mileuitana Synodo interfuerunt.] Fuiſſe prouinciale Numidiæ, & non plenarium Africæ, ſcribunt Patres ipſi ad calcem Epiſtolæ ſuæ. [Hæc ad Sanctitatem tuam de Concilio Numidiæ ſcripta direximus, imitantes Carthaginenſis Eccleſiæ, Carthaginenſis Prouinciæ Coepiſcopos noſtros, quos ad Sedem Apoſtolicam, quam Beatus illuſtras, de hac cauſa ſcripſiſſe, comperimus.] At Mileuitanum Primum non fuit Prouinciale, ſed vniuerſale Africæ, & Præſidem habuit non Siluanum, ſed Aurelium, vt habet præfatio. Quare primum Mileuitanum non eſt illud Concilium, in quo de hæreſi Pelagiana tractatum fuit.

VI. Capite 27. illius Collectionis Mileuitanæ, decernuntur quidam Epiſcopi, qui cum Aurelio Epiſcopo Seniore cuncta agant nomine omnium, & ſunt:

De Prouincia.

Carthaginis.	Vincentius. Fortunatianus. Clarus.
Numidiæ.	Alipius. Auguſtinus. Reſtitutus.
Bizacena.	Donatianus Primas. Creſconius. Iocundus. Æmilianus.
Mauritaniæ Sitifenſis.	Seuerianus. Aſiaticus. Donatus.
Tripolitana.	Plautius.

Digitized by Google

Nomina verò Patrum Mileuitanorum, qui ſcripſerunt ad Innocentium, ex eorum epiſtola ſunt hæc.

Siluanus, Valentinus, Aurelius, Donatus, Reſtitutus, Lucianus, Alipius, Auguſtinus, Placentius, Seuerus, Forrunatus, Poſſidius, Nouatus. Secundus, Maurentius, Leo, Fauſtinianus, Creſconius, Malcus, Lictorius, Fortunatus, Donatus, Ponticanus, Saturninus, Chriſtooius, Honorius, Lucius, Adeodatus, Proceſſius, Creſconius, Secundus, Felix, Aſiaticus, Rufinianus, Fauſtinus, Seruus, Terentius, Creſconius, Sperantius, Quadratus, Lucillius, Sabinus, Fauſtinus, Creſconius, Victor, Genantius, Poſſidonius, Antoninus, Innocentius. Præſidius, Creſcentius, Felix, Antonius, Victor, Honoratus, Donatus, Petrus, Præſidius, Creſcooius, Lampadius, Delfinus.

Quare Pattes Mileuitani, qui ſcripſerunt ad Innocentium, non ſunt illi, quibus Arcadio V. & Honorio V. Conſulibus commiſſæ fuerunt (ſi tameo commiſſæ fuerunt) res Concilij. Non enim inter eos ſunt Aurelius Primas, non Vincentius, Fortunatianus, & Clarus; non Iocuudus, & Æmilianus, non Seuerianus, & Plaurius. Quomodo igitur illud, & iſtud vnum, & idem Concilium eſſe poſſunt?

VII. Proſper, Marcellinus Comes, & alij collocant initium Pontificatus Iunoceotij in quinto Arcadij, & Honorij conſulatu, eiuſque exceſſum io conſulatu Honorij XI. & Conſtantij II. vndè colligunt, eum tenuiſſe Pontificatum totis quindecim annis. Conſulibus Honorio, & Conſtantio 6. Kal. Febr. antequam migraret è vita, Innocentius reſpondit Patribus Mileuitanis, qui ad eum de rebus Pelagij retulerant; hanc enim temporis notam habet eius epiſtola ad Patres Mileuitanos, Quare exeunte anno præcedente, quo conſules fuerunt Theodoſius VII. & Palladius, Concilium Mileuitanum contra Pelagium habirum fuiſſe, neceſſe eſt. Diſtat conſequenter à Concilio Mileuitano primo toto fermè Pontificatu Innocentij, hoc eſt, quindecim integris annis, & quæ tanto diſtant hiatu, vnum, & idem corpus conflate poſſunt? Dicamus ergo, quòd qui huic collectioni Concilij Mileoitani primi nomen impoſuit, hic quiſquis fuit, neque rerum, neque perſonarum, neque aliarum circumſtantiarum, aut rationem, aut notitiam habuit.

VIII. Recentiores falſa opinione decepti, quòd in ſecuuda Synodo Mileuitana ſub Innocentio primo decreti fuerint octo Canones contra Pelagium, ad illos reſpicientes, hanc collectionem Mileuitanam ſecundam appellare cœperunt; ſed errore maiori; Nam hæc collectio habet ſaltem præfationem, & aliquot capita primæ Synodi Mileuitanæ, at ſecundæ nihil omoiuò, vt ſigillatim demonſtro.

Præfatio, vt vidimus, eſt primi Mileuitani, quod relarum in corpore Canonum Eccleſiæ Africanæ lectum fuit Carthagine in Concilio Africæ Plenario, poſt conſulatum Honorij XII. & Theoduſij VIII. vnà cùm capitibus huius collectionis 13. 14. 15. Neque dicat quiſquam, eoſdem Canones in primo Mileuitano conſtitutos, in ſecundo poſt fuiſſe repetitos. Nam ità in ſecundo (ſi illud ſecundum appellare velimus) ioducerentur ijdem homines eaſdem cauſas tractantes, & eadem verba dicentes, quæ in primo, res & impoſſibilis, & ridicula. E. gr. caput 13. vtrobique his verbis conceptum legitur. [Valentinus Epiſcopus dixit: Si permittit bonum patientiæ veſtræ, perſequar ea, quæ præterito tempore in Eccleſia Carthaginenſi geſta ſunt] & cætera ſimiliter, quæ neque credibilia ſunt, oeque poſſibilia.

IX. Capita 9. 12. 16. 17. 18. 19. 20. ſunt Concilij Carrhaginenſis Honor. VII. & Theodoſio II. Coſs. vt in eodem Codice videre eſt. Et quamuis codex ille ouſquam eſſet, res ipſa loqueretur. Enimuerò Canonis noni verba ſunt hæc: [Placuit, vt non ſit vltra fatigandis fratribus anniuerſaria neceſſitas, ſed quoties exegerit cauſa communis, id eſt totius Africæ vndecunque ad hanc Sedem datæ literæ fuerint, congregandam eſſe Synodum in ea Prouincia, vbi oppottunitas perſuaſerit. Cauſæ autem, quæ non ſunt communes, in alijs Prouincijs iudicentur.] Cœcus eſt, qui non videt, hoc canone, & locum Synodi Carthaginem, & caput Synodi Sedem Carthaginenſem indigitari.

X. Duo capita 10. & 11. in Codice Africano, ſunt Concilij Carthaginenſis, Vincentio, & Flauita Conſulibus. Quinque alia, hoc eſt 21. 24. 25. 26. 27. ſunt Concilij Africani plenarij, Honorio XII. & Theodoſio VIII. Coſs. quod ſcilicet celebratum fuit tertio iam anno labente poſt ſecundum Mileuitanum. Audiamus caput nonum, & ex eo de cæteris iudicemus. [Item placuit, ne diutiùs vniuerſi Epiſcopi, qui ad Concilium congregati ſunt, tenerentur, ternos iudices de ſingulis Prouincijs eligi, & electi ſunt de Prouincia Carthaginenſi, Vincentius, Fortunatianus, & Clarus, De Prouincia Numidiæ Alypius, Auguſtinus, & Reſtitutus. De Prouincia Bizacena cum Sancto Sene Donatiano primate Creſconius, Iucundus, & Æmilianus. De Mauritania Sitifenſi Seuerianus, Aſiaticus, & Donatus. De Prouincia Tripolitana Plautius, qui ex more legatus vnus miſſus eſt, qui omnes cum Sancto Sene Aurelio vniuerſa cogooſcant. A quo petijt vniuerſum Concilium, vt cunctis, ſiue geſtis, quæ confecta iam ſunt, ſeù epiſtolis ipſe ſubſcribat, & ſubſcripſerunt. Aurelius Epiſcopus Eccleſię Carthaginenſis huic decreto conſenſi, & prælecto ſubſcripſi. Similiter, & cęteri ſubſcripſerunt.] Hoc cap. 2. Mileuitani eſſe non poteſt, quia Concilium Mileuitanum ſecundum fuit prooiuciale Numidiæ, hoc caput, vt vides, eſt Coocilij nationalis Plenarij ex quinque Prouincijs Africæ collecti. Concilio Mileuitano ſecundo non interſuit Aurelius Epiſcopus Carthagioenſis, qui tum Carthagine Prouinciæ ſuæ Coocilium celebrabat, ex quo ſcripſit ad Ionocentium Romanum Pontificem, vt ex eius ad Iunocentium, & Innocentij ad eum literis exploratum eſt; huic & interfuit, & præfuit. Concilio Mileuitano ſecundo pręſedit Siluanus, qui litteras cum cęteris Epiſcopis Numidię ſcri-

pſit

pſit ad Innocentium; Siluanus tamen in hoc decteto ne nominatur quidem: ſed Aurelio Epiſcopo Carthaginenſi ſcribendarum, & ſubſcribendarum epiſtolarum datur facultas. Quid ergo Concilium iſtud habet commune cum ſecundo Mileuitano?

XI. Eamus itaque in ſententiam Baronij, qui ad annum Chriſti 416. non minùs verè, quàm liberè enunciauit, hanc collectionem eſſe vnum cotpus ex diuerſis membtis compactum, cuius caput, pedes, & reliqua membra ſint ex alijs diuerſis corporibus compaginata; quæ niſi quis accutatè perſpexerit, in ambages inextricabiles, & in nodos inſolubiles iucidat, neceſſe eſt.]

XII. Omninò rectè, niſi excepiſſet ab hac cenſura ſua octo Canones contra Pelagium, & vigeſimum ſecundum de Appellationibus ad Tranſmarina, quos in ſecunda Synodo Mileuitana conſtitutos fuiſſe, arbitratus eſt. Neque conſiderauit, quanti teferat, concedere Eccleſijs particularibus ius condendorum canonum de fide, inconſulta Romana Sede, quod numquam licuit, numquam factum eſt. Maximè cum habeamus literas eius Concilij ad Pontificem Innocentium, in quibus de Canonibus à ſe conſtitutis, nulla mentio fit, nulla eorum approbatio poſtulatur; res ſilentio non prætereunda ab Apoſtolica Sede, ſi facta fuiſſet. Iam ergo demonſtremus (quod iſtius controuerſiæ caput eſt) hos Canones Mileui conſtitutos non fuiſſe; ſed quia id præſtare non poſſumus, niſi explicato progreſſu hæreſis Pelagianæ, & eorum, quæ contra illam in Eccleſia Catholica geſta ſunt, de his primò dicendum. Nolim verò ſuſpicari Lectorem, dum de appellationibus diſputantem, de Hæreſi Pelagiana ſcripturum audit me, vt in Prouerbio eſt, extrà Chorum ſaltare. Sed pro comperto habeat, & cauſam appellationum, & eius Canonem tantum luminis hinc habere, vt fateri neceſſe ſit, nodum illum vno iſto cuneo benè poſſe diſſolui. Cum enim Aduerſatij hanc controuerſiam à Zoſimo primùm excitatam dicant Conſulibus Honorio XII. & Theodoſio VIII. poſtquam vidiſſet, quòd Africa detrectaret ſubijcere iudicia ſua Apoſtolicæ Sedi, figmentum huius fabulæ detegi melius non poteſt, quàm ſi teſtibus fide dignis probemus, vſque ad annum illum, nullas interceſſiſſe ſimultates iudiciorum cauſa inter Eccleſiam Romanam, & Africanas. Id verò cumulatiſſimè præſtat ſola cauſa Pelagianorum, quæ eo ipſo anno à Zoſimo Pontifice finita eſt. Ex eius enim progreſſibus Lector videbit, Africam, eo, & antecedentibus annis non modò nullas ſimultates habuiſſe iudiciotum cauſa cum Romana Sede, verùm ſæpè inuitaſſe, rogaſſe, & penè compuliſſe Romanos Pontifices ad cognoſcendum de iudicijs Synodorum, cum ſuarum, tum alienarum Prouinciarum. Videbit, agentibus Africanis, non Epiſcoporum tantùm, ſed & Presbyterorum cauſas ex alienis Prouincijs, ſummo Eccleſiæ vniuerſalis conſenſu, tunc Romam delatas. Et poſtremò videbit, quicquid inuito Pontifice conſtitutum iactatur, ideò & probante, & iubente in Africa factum fuiſſe. Vt Prouidentiam Diuinam admirari neceſſe ſit, quæ ad detegendos fututos impoſtores eo maximè tempore teſtatam eſſe voluerit ſubiectionem, & obſequium Eccleſiæ Africanæ erga Romanam Sedem, quo maximè futurum erat, vt ei repugnaſſe, & ab illa defeciſſe diceretur. Præter hanc verò, quæ huius argumenti propria eſt, alia erit vtilitas huius loci. Reſtituemus ſcilicet vero Authori ſuo Canones contrà Pelagium, cui iam tot annis non ſine magno præiudicio, tàm veritatis, quàm Apoſtolicæ Sedis ſubrepti ſunt, & vindicabimus à grauiſſimis calumnijs famam Pontificis Zoſimi, quibus impoſtorum artificio ita implicatur, vt vix, ac ne vix quidem eum defendere poſſis. Sed rem aggrediamur.

XIII. Pelagius aduersùs Eccleſiam Chriſti de gratia bellum geſturus, Hieroſolymis, quæ præcipua gratię arx eſt, domicilium delegerat ſibi, quòd, illa occupata, occaſione fidelium vndique confluentium, orbem vniuerſum facilè expugnari poſſe, perſuaſum haberet. Cæterùm per Catholicos maturè detectis eius conſilijs, apud Eulogium Epiſcopum Cæſareenſem Prouinciæ Paleſtinæ Metropolitanum, ſuæ hæreſeos accuſatus, Dioſpoli in ſynodo 14. Epiſcoporum cauſam dicere coactus eſt. Ibi tamen pœnæ metu negans ſe eorum dogmatum aſſertorem, quæ eius nomine vulgabantur, partimque ore anathematizans errores, quos pertinax in corde gerebat, partim verbis ambiguis prauos animi ſui ſenſus inuoluens, deluſis iudicibus, abſolutus eſt, & declararus Catholicus. Rem ita tradiderunt Auguſtinus 2. Retract. cap. 47. & toto libro de geſtis Pelagij. Proſper libro de ingratis, & aduersùs collatorem.

XIV. Quinquennio fermè, antequam Pelagius Dioſpoli abſolueretur, Cœleſtius eius diſcipulus, & Anteſignanus, Carthagine, à Paulino eius Eccleſiæ Diacono eodem nomine accuſatus fuerat; & cùm errorem de peccato originali damnare nollet; damnatus eſt publico Epiſcoporum iudicio. Appellauit quidem ipſe à iudicio eius Synodi ad Apoſtolicam Sedem; ſed vbi cognouit, quòd Paulinus eius accuſator Romam profecturus eſſet; & cauſam proſequuturus, metuens ſibi ab Innocentio Pontifice, mutauit conſilium, & Roma valere iuſſa, in Aſiam nauigauit. appellaſſe Cælestium, & appellationem proſequutum non fuiſſe, narrat eius accuſator, Paulinus in libello, quem ſcripſit ad Zoſimum Innocentij ſucceſſorem. [Vbi tunc (apud Apoſtolicam Sedem) nihil agere potui, quia is, qui ad Sedem Apoſtolicam prouocauerat, deſuit, quem oportuerat vtique merita ſuæ appellationis adſtruere.

XV. Vbi auditum in Africa, abſolutum fuiſſe, in Oriente Pelagium, & declaratum Catholicum; Eccleſia illa tota turbari cępit, quòd fama ferret, Pelagium abſolutum Dioſpoli, non quia damnaſſet hæreſim, quam aſſerebat, ſed quia eius dogmata non pugnarent cum fide catholica, contra quàm Patres Carthaginenſes iampridem aduersùs Cæleſtium iudicauerant. Hinc Pelagiani animos ſumere, è latebris prodire, Patribus Africanis palàm inſultare, & ad conciliandam ſibi auctoritatem ſpargere, Dogmati Pelagiano graues aſſertores non deeſſe etiam in Eccleſia Romana, in qua ipſemet Summus Antiſtes

Innocentius Pelagio eius Dogmati auctor fuiſſe. Ita ſcripſerunt quinque Epiſcopi ad Innocentium ipſum apud Auguſtinum ep.95. [Audiuimus enim eſſe in vrbe Roma, vbi ille diù vixit, nonnullos, qui diuerſis cauſis ei faueant, quidam ſcilicet, qui vos talia perſuaſiſſe, perhibent.]

XVI. His rumoribus, quaſi procellis quibuſdam, agitata in Africa Catholica fides, facilè periclitari poſſe videbatur, quod his verbis ijdem quinque Epiſcopi ſcribunt ad Innocentium. [Non agitur de vno Pelagio, qui iam fortè correctus eſt (quod vtinam ita ſit) ſed de tam multis, quibus loquacitet contendentibus; & infirmas, atque ineruditas animas velut conuictas trahentibus, firmas autem, atque ſtabiles ipſa contentione fatigantibus, vſquequaq; iam plena ſunt omnia.]

XVII. Rebus ſic perturbatis, duo Concilia prouincialia ob Eccleſiaſticas cauſas in Africa conuocata fuere, vnum Carthagine, ex prouincia Proconſulari, alterum Mileui ex prouincia Numidiæ. Paulus Oroſius presbyter Hiſpanus, quem Auguſtinus ad Hieronymum miſerat in Orientem, tunc reuerſus cum literis Hieronymi ad Auguſtinum, & Herotis, ac Lazari Epiſcoporum Gallorum contrà Pelagium, & Cæleſtium, ad Patres Africanos, Carthaginem appulit. Ibi cum Patres conuocatos reperiſſet, & literas reddidit eis, & quantò vehementiùs potuit, illos adhortatus eſt ad tollendum è medio Pelagianiſmum, contra quem Hieronymus in Oriente claſſicum iam cecinerat. Neque multis opus fuit ad perſuadendum animis de remedio ſolicitis. Cæterùm quòd Patres ſola Romana auctoritate id fieri poſſe ſciebant, ad Romanum Pontificem Innocentium vnanimes conuerſi. per literas duo ab eo popoſcerunt. Vnum de Dogmate, vt illud ab Eccleſia proſcriberet: alterum de perſona Pelagij, & de iudicio Synodi Palæſtinæ.

XVIII. De Dogmate Patres Mileuitani habent hæc verba. [Quia te Dominus gratię ſuæ præcipuè munere in Sede Apoſtolica collocauit, talemque noſtris temporibus præſtitit, vt nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud T. Venerationem, quæ pro Eccleſia ſuggerenda ſunt, tacuerimus, quàm ea tu ponis, vel faſtidioſè, vel negligenter accipere magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti, paſtoralem diligentiam quęſumus adhibere digneris. Noua quippè hæreſis, & nimiùm perniciosa tempeſtas ſurgere inimicorum gratiæ Chriſti cœpit. Et infrà. Huius autem pernicioſi erroris auctores eſſe perhibentur Pelagius, & Cęleſtius, quos quidem in Eccleſia ſanari maluimus, quàm deſperata ſalute, ab Eccleſia reſecari, ſi neceſſitas nulla compellat.] Et narrato ſtatu, & progreſſu hæreſeos, ſubijciunt, [Sed arbitramus adiuuante miſericordia Domini Noſtri Ieſu Chriſti, qui te, & regere conſulentem, & orantem exaudire dignatur, auctoritati Sanctitatis tuæ, de ſanctarum Scripturarum auctoritate depromptæ, faciliùs eos, qui tam pernicioſa, & peruerſa ſentiunt, eſſe ceſſuros, vt de correctione potiùs eorum congratulemur, quàm contriſtemur interitu. Quodlibet autem ipſi eligant, certè vel alij, quos plurimos poſſunt, ſi ab eis diſſimuletur, ſuis laqueis implicare, cernit Sanctitas Tua inſtanter, & celeriter prouidendum.] Hæc ſi conſiderentur, ſatis apertè iudicare videntur, quòd nondum Pelagianiſmus publicè damnatus eſſet, nondum eius aſſertores vniuerſim ab Eccleſiæ corpore ſeparati, ſed id, vt fieret, à Romano Pontifice, tunc primùm Mileuitanos Patres poſtulaſſe.

XIX. Morem geſſit Pontifex, poſt multa lectu digna ita reſpondens: [Pelagium, & Cæleſtium, id eſt, inuentores vocum nouarum, quæ ſicut dixit Apoſtolus, ædificationis nihilum, ſed magis vaniſſimas conſueuerunt parere quæſtiones, eccleſiaſtica communione priuari, Apoſtolica auctoritate cenſeſemus, donec reſipiſcant, & infrà. Simul autem præcipimus, vt quicumque id pertinacia ſimili defenſare nituntur, par eos vindicta conſtringat.] Si ita fieri præcipit, certè iam factum non fuerat: Neque alibi opportunitas maior commemorandi anathematiſmos in Pelagianos Mileui decretos, ſi extitiſſent.

XX. De perſona verò Pelagij, & de iudicio Synodi Palæſtinę, quid ab Innocentio fieri voluiſſent, quinque Epiſcopi, vtriuſque Concilij capita ſcribunt his verbis. [Aut ergo à tua veneratione acciendus eſt Romam, & diligenter interogandus, quam dicat gratiam, qua fateatur, (ſi tamen iam fateatur) ad non peccandum homines adiuuari. Ad hoc ipſum per literas cum eo agendum, & cùm inuentus fuerit, hanc dicere, quam docet Eccleſiaſtica, & Apoſtolica veritas, tunc ſine vllo ſcrupulo Eccleſiæ, ſine latibulo ambiguitatis abſoluendus eſt; Tunc eſt reuera de eius purgatione gaudendum.]

XXI. Pelagius ipſe, quòd optimè ſciret, quænam eſſent partes Apoſtolicæ Sedis in Eccleſia vniuerſali, vſque ex Palæſtina Romam miſerat acta Synodi Dioſpolitanæ, illius iudicij confirmationem expoſcens ab Innocentio. Quod ſignificat Innocentius ad ſuperiorem epiſtolam quinque Epiſcoporum reſpondens his verbis: [Nobis tamen, nec perſuaderi poteſt eſſe purgatum, quamuis ad nos à neſcio quibus laicis ſint geſta perlata, quibus ille auditum ſe crederet, & abſolutum: Quæ vtrum vera ſint, dubitamus, quòd ſub nulla illius Concilij proſequutione venerunt; nec eorum aliquas accepimus de hac re literas. Quod ſi de ſua ille potuiſſet purgatione confidere, hoc magis credimus, quod egiſſet, quod multò verius eſſe poterat, vt illos cogeret epiſtolis ſuis, quæ iudicauerant, indicare. Et infrà. Vndè non poſſumus illorum, nec approbare, nec reprobare iudicium, cùm neſciamus, vtrum vera ſint geſta, aut ſi vera ſunt, illum conſtat magis ſubterfugiſſe, quàm ſe tota veritate purgaſſe.

XXII. Noluit tamen Innocentius ex Oriente Pelagium Romam accire, vtì voluiſſent Patres Africani; & cur noluerit, hanc eis rationem reddit. [Qui (Pelagius) ſi confidit, nouitque non noſtrà dignum eſſe damnatione; quòd dicat, iam totum hoc ſe refutaſſe, quod dixerat: non à nobis acceſſiri, ſed ipſe potiùs debet feſtinare, vt poſſit abſolui.] (ergo hæreſiarcha Eccleſiæ reconciliari non poterat, vbicumque terrarum eſſet, niſi per Papam) qui ſequitur. [Quòd ſi acцer-

cenſendus eſſet, ab ijs meliùs fieret, qui magis proximi ſunt,] (alludit opinor ad Patriarcham Antiochenum, in cuius Diœceſi Pelagius morabatur) [& non longo terrarum ſpatio videntur eſſe diſiuncti; ſed non deerit cura, medicinæ præbeat ille materiam. Poteſt enim damnare, quæ ſenſerat, ac datis literis erroris ſui, vt regreſſum ad nos decet, veniam poſtulare.]

Videre incipis Lector, opinor, quid ſentiret tum temporis Africa de poteſtate Papæ in Conciliorum iudicia, ſi appellaretur, dum hortatur Pontificem Innocentium, vt Pelagium ex Paleſtina Prouincia Orientis Romam venire iubeat, de iudicio ſynodali eius Prouinciæ cognoſcat, & nullo pacto cauſam hanc eo ſtatu manere patiatur, quo ex iudicio Synodi erat. Et pariter vides, quid tunc de ea ſentiretur in Oriente, vndè ab hæreticis ipſis ſynodalium iudiciorum confirmatio ab Apoſtolica Sede adeò ſolicitè, & anxiè poſtulatur, eàque conſtantiâ, quà dico.

XXIII. Poſtquam Pelagius cognouit, quę de eo, & eius erroribus decreuerat Innocentius, conſtituit per litteras ei purgare ſe, quod & fecit: ſed dum eius literæ Romam ex Oriente feruntur, Innocentius decedit è vita, eique poſt paucos dies ſubſtituitur Zoſimus. Vndè contigit, vt literæ Pelagij ad Innocentium, non Innocentio, ſed Zoſimo traderentur. Auguſtinus de pecc. origin. lib. 2. cap. 17. [In litteris enim, quas Romam miſit Pelagius, ad Beatæ memoriæ Papam Innocentium, quoniam eum in corpore non inuenerunt, & ſancto Papæ Zoſimo datæ ſunt, atque ad nos indè directæ, dicit ſe ab hominibus infamari, &c.]

XXIV. Cæleſtius verò, ſiue quòd eſſet audacior, quàm Pelagius, ſiue quòd meliora ſperaret à Zoſimo quàm ab Innocentio, non per literas egit cauſam ſuam, ſed Romam venit ipſe, oblatoque fidei libello Pontifici Zoſimo, Catholici nomen, & communionem reſtitui ſibi popoſcit, in cæteris quidem fidei capitibus libellus ille puram putam Orthodoxiam ſpirabat; in eis verò, quæ tangebant errores Pelagij, liberè ipſe ſenſum detegebat ſuum: at ea cautione, vt hæreticus iuſtè cenſeri non poſſet. Enimuerò adhibuit illis hanc Præfationem. [Si quæ verò præter fidem quæſtiones natæ ſunt, de quibus eſſet inter pleroſque contentio, non ego quaſi auctor alicuius dogmatis definita hoc auctoritate ſtatui, ſed ea, quæ de Prophetarum, & Apoſtolorum fonte ſuſcepi, veſtri Apoſtolatus offerimus probanda eſſe iudicio. Vt ſi fortè, vt hominibus, quiſpiam ignorantiæ error obrepſerit, veſtra ſententia corrigatur.] Refert hæc libelli verba Auguſtinus de peccato Origin. lib. 2. cap. 3. & 7. & contra Epiſt. Pelagian. lib. 2. cap. 3. [Propterea, inquit, libellus ille Catholicus dictus eſt, quia & hoc Catholicæ mentis eſt, ſi qua fortè aliter ſapit, quàm veritas exigit, non ea certiſſimè definire, ſed deſerta, ac demonſtrata reſpuere.] Accedebat ad fauorem Cæleſtij, quòd Zoſimo interrogante [Beati Papæ Innocentij literis non eſt auſus obſiſtere, imò omnia, quæ ſedes illa damnaret, damnaturum ſe eſſe promiſit.

XXV. Quia tamen, vt ibidem aſſerit Auguſtinus, negabat Celeſtius, ſe damnare velle, quæ ei obiecerat Paulinus eius accuſator, quæ tamen damnabat Apoſtolica ſedes, tamquam phreneticus pugnantia dicere viſus eſt: Propterea nihil de eo conſtituere voluit Zoſimus, niſi conſultis priùs Patribus Africanis (à quibus Carthagine primùm damnatus fuerat; & apud quos potiſſimùm exeruerat virus ſuum) quid agendum de illo. Eſſetne recipiendus, ſi anathematizaret errores, quos damnauerat Innocentius, ea ipſa forma, qua illos damnauerat; an potiùs articulatim eiurare deberet capita hæreſeos, quæ ei obiecerat Paulinus, Auguſtinus con. 2. Epiſt. Pelagian. lib. 2. cap. 3. [Et hoc vt pleniùs, & manifeſtiùs in eo fieret, expectabatur venturis ex Africa literis, in qua Prouincia eius calliditas euidentiùs innotuerat. Et de pecc. Origin. lib. 2. c. 7. Interpoſito duorum menſium tempore, donec reſcriberetur ex Africa, reſipiſcendi ei locus ſub quadam medicinali ſententiæ lenitate conceſſus eſt.]

XXVI. Venerunt ex Africa literæ expectatæ: quare ſequitur Auguſtinus lib. 2. de pecc. Origin. cap. 7. [Sed poſteà quàm ex Africano Epiſcoporum Concilio reſcripta directa ſunt, quid fuerit conſequutum, vt iuſtiſſimè in eum ſententia proferretur, cuncta legite, quia cuncta tranſmiſimus. Et lib. 2. Con. 2. Epiſt. Pelag. cap. 3. Quæ Romam literæ poſtquàm venerunt, id continentes non ſufficere hominibus tardioribus, & ſollicitioribus, quòd ſe generaliter Innocentij Epiſcopi literis conſentire fatebatur, ſed apertè eum debere anathematizare, quæ in ſuo libello praua poſuerat, ne ſi id non feciſſet, multi parùm intelligentes, magis in libello eius illa fidei venena à ſede Apoſtolica crederent approbata, propterea quòd ab illa dictum fuerat, eum libellum eſſe Catholicum, quàm emendata propter illud, quòd ſe Innocentij Papæ literis conſentire reſponderat. Tunc ergo, cùm eius præſentia poſceretur, vt certis, ac dilucidis reſponſionibus, vel aſtutia hominis, vel correctio diluceſceret, ſe ſubtraxit, & negauit examini. Neque differendum iam fuerat, ſicut factum eſt, quod alijs prodeſſet, ſi nimiùm peruerſorum pertinaciæ, dementiæque non poſſet.] Litteræ igitur, quæ contra Cæleſtium ex Africa ad Zoſimum datæ fuerunt, ex Concilio Africano datæ fuerunt. Earumque ſumma erat, quòd Cæleſtius errores libelli ſui articulatim damnaret; quòd cùm facere noluiſſet, ipſe damnatus eſt.

XXVII. Cum Cæleſtio damnatus fuit etiam magiſter eius Pelagius, neque profuit ei, quòd libellum fidei Catholicorum obtulit Zoſimo, quem refert Baronius ad an. 417. vt Apoſtolica auctoritate declaratus Catholicus, hoc nomine tectus, liberius graſſari poſſet in gregem Chriſti. Auguſt. de pecc. Origin. lib. 2. cap. 8. [Fefellit iudicium Palæſtinum, propterea videtur ibi eſſe purgatus: Romanam verò Eccleſiam, vbi eum eſſe notiſſimum ſcitis, fallere vſquequaque non potuit, quamuis & hoc fuerit, vtcumque conatus. Sed vt dixi, minimè valuit. Recoluit enim Beatiſſimus Papa Zoſimus, quid imitandus præceſſor eius de ipſis ſentiret geſtis. Attendit

tendit etiam quid de illo ſentitet prædicanda in Domino Romanorum fides, quorum aduerſùs eius ettotem pro vetitate Catholica ſtudia conſonantia flagare cernebat, iuter quos ille diù vixerat, & quos eius dogmata latere non poterant. Qui Cæleſtium eius diſcipulum eſſe ſic oonerant, vt fideliſſimum, & firmiſſimum poſſent de hac te teſtimonium exhibete.] Et commemoratis litetis, & decretis Innocentij contra Pelagium, & Cæleſtium, ſubdit. [Videtis quid ſucceſſot eius ſanctus Papa Zoſimus recolere debuerit, ſicut recoluit, vt in eo ſui præceſſoris iudicium remota cunctatione firmaretur?] Atque ita cauſa Pelagij, & Cæleſtij finita eſt, Zoſimo cum Patribus Africaris omnia communicante, omniaque ſumma conſenſinne ex eorum voto getente. Quare Auguſtinus Pelagianis calumniantibus Zoſimum præuaricationis, lib. 2. cap. 3. cont. duas Epiſt. Pelagian. nihil aliud in gratiam Cæleſtij Zoſimum feciſse dicit, niſi quòd ei conceſſit termiuum ad reſipiſcendum, quouſque de forma reconciliationis Patrum Africanorum ſententia Romam veniret, & prætereà nihil. [Tot enim, & tantis inter Apoſtolicam Sedem, & Aftos Epiſcopos currentibus, & tecurrentibus ſcriptis Eccleſiaſticis, etiam geſtis apud illam Sedem Cæleſtio præſente, & reſpondente confectis, quænam tandem Epiſtola venerandi Papæ Zoſimi, quę intetloquutio reperitur, vbi præceperit, credi oportere, ſine vllo vitio peccati originalis hominem naſci? nuſquam protsùs hoc dixit, nuſquam omninò conſcripſit.] A qua calumnia frequenter vindicat eum, vt lib. 1. con. Iulian. Pelag. cap. 4. lib. 6. cap. 12. & alibi.

XXVIII. Ex hac rerum ſerie ante omnia liberandus eſt Zoſimus à grauiſſimis Pelagianorum impoſtutis, quas Baronius tetulit in Annales ex quodam manuſcripto Vaticano. Auguſtinus aſſerit, vt vidiſti, Pelagium Eccleſiam Rumanam ſallere non potuiſſe, ſed à Zoſimo ſine cunctatione ex iudicio, & epiſtola Innocentij; ex teſtimonio Romanorum; ex conſuetudine, & diſciplina Cæleſtij damnatum fuiſſe. Nihilominùs Baronius ad anni 417. refert ex hoc manuſcripto quandam epiſtolam Zoſimi ad Patres Africanos, qua Pelagium ex literis, & libello Cathnlicum aguoſcit, & atguit acerrimè Patres Africanos, quòd hæreſeos cum Cæleſtio eum damnauerint. [Quæ admitatio ſingulotum! inquit, vix ſletu quidam ſe, & lachrimis temperabant. Tales etiam abſolutæ fidei infamari potuiſſe? & infrà. Sit vobis gaudium eos, quos falſi iudices ctiminabantur, agnoſcere, à ooſtro corpore, & Catholica veritate nunquàm fuiſſe diuulſos. Et iterum. Quantum hæc vberior exultatio eſt fidei, oon mortuns eſſe, nec perijſſe, de quibus falſa vulgata ſunt?] Damnat verò grauiſſimis nominibus Herotem, & Lazarum, qui Pelagium, & Cæleſtium accuſauerant.

XXIX. Eiuſdem farinæ eſt alia epiſtola pro Cæleſtio; poſtquàm enim eius auctot, qui fingitur Zoſimus, plauſtra calumniarum congeſſit in Herotem, & Lazarum; poſtquàm imprndentiæ, & iniqnitatis accuſauit Patres Africanns; ſubiungit: [Vndè in præſenti cauſa nihil præcox, immaturumque cenſuimus, ſed innoteſcere Sanctitati Veſtræ ſuper abſolnta Cæleſtij fide noſtrum examen, cui etiam prior libellus ab eo intrà Africam, teſtimonio apud nos eſſe debuiſſet, inexploratis, famaque iactantibus tam facilè crederetur. Quare intrà ſecundum menſem, aut veniant, qui præſentem tedarguant aliter ſentire, quàm libellis, & confeſſione contexoit, aut nihil poſt hæc tam aperta, & manifeſta quæ protnlit, dubij Sanctitas Veſtra reſediſſe, cngnoſcat.

Vidiſti ſuptà ex Auguſtino, Cæleſtium non fuiſſe receptum à Zoſimo, non eius fidem probatam, non negatos ab ipſo etrores, de quibus accuſabatur, non euocatnm ex Africa Paulinum, non Herotem, & Lazarum ex Gallia, ad ptoſequeudam cauſam contrà Cæleſtium termino duorum menſium, ſed id temporis ei aſſignatum ad eiurandos errotes ex formula ptæſcribenda, de qua in Africam ſcriptum fuetat. Quid etgo huic Epiſtolæ cum vetitate?

XXX. Immò, quod deterius eſt, [ipſum ſanè Cæleſtium, inquit; & quoſcunque, qui eo tempore ex diuerſis regionibus aderant, ſacerdotes admonui, has rendiculas quæſtionum, & inepta certamina, quæ noo ædificant, ſed magis deſtruunt, ex illa Curioſitatis contagione ptofluere, dum vnuſquiſque ingenio ſuo, & intempetanti eloquentia ſuprà ſcripra abutitur. Cum in hæc etiam maguorum virorum non nunquam cum ipſis auctoribus ſcripta periclitantur poſt permultam temporis miſeriam interpretantis arbitrio. Videtur mihi his verbis barbarè ſatis, & obſcurè curioſitatis perſtringere Catholicos, quaſi ſcripta Pelagij & Cæleſtij, arbitrio ſuo malè intetpretarentur, vt ea cum auctoribus ſuis in condemnationis periculum conijcerent.

XXXI. Conuinciter autem falſi auctor iſtarum Epiſtolarum, non tantùm Auguſtini auctoritate, ſed etiam teſtimonio, & fide eiuſdem Codicis Vaticani. Ex eo nimirùm Baronius ad annum 418. refert libellum Paulini Diacoui Carthaginenſis, quo impellente cecideratCæleſtins, ad Zoſimum Pont., cuius ſumma eſt, ſe Zoſimo gratias agete, quòd Apoſtolica auctoritate damnaſſet Cæleſtium recuſantem damnare errores, quos ipſe illi, vt accuſator obiecerat, ſe quoque non vocato. [Cuius ſententiam (de Innocentio loquitur) ſequuta Beatitudo tua, Cæleſtio, cùm à Sede Apoſtolica audiretur, intet cætera præcepit his verbis. Damoas ergo illa omnia, quæ in libello Paulini continentut? hoc eſt de quæſtionibus? & alio loco: Cognouiuiſti, quales litteras dedetit Sedes Apoſtolica ad frattes, & Coepiſcopos Africanæ Prouinciæ? & adiectum; Damuas illa omnia, quæ damnauimus, & tenes, quæ tenemus? & iterum: Illa omnia damnas, quæ iactata ſunt de nomine tuo? & iterum, vel ea, quæ in libello ſuo poſuit Paulinus? Et cum me diceret poſſe ex his, quæ illi obiecta ſunt, hæreticum approbare, ſancto replerus Spiritu, Apoſtolica auctoritate reſpuiſti, infaoieutis, & calumniantis verba, huiuſmodi proferendo ſententiam, qua ipſe Catholicus approbaret, illum, ſi ſanari vellet, curares, quæ huiuſmodi eſt. Nolo, nos citcumducas: damnas illa omnia, quæ tibi obiecta à Paulino, ſiue per ſamam iactata ſunt? Cui non ſufficit

iſta

iſta ſententia? quis hanc tam ſalubrem, tam amplectibilem, tam piam reſpueret alius, niſi qui à fide deuius eſt? Et ille, qui ſuperiùs profeſſus fuerat, ſe quæcunque illi obiecta fuerant, ſi contrà fidem vindicares, eſſe damnaturum, audit, damna, & non ſolùm non damnat, ſed ad iniuriam eantam Sedis contendit. Vndè non ignorat iam Eccleſia Romana reum ſuum, qui tam audaci ſpiritu auſus eſt contradicere, & non damnare, quæ Beatitudo tua damnari decreuit. Ego tamen Deo, & Chriſto Domino gratias ago, quòd Eccleſiæ ſuæ cauſam ita agi voluit, vt Sedes Apoſtolica, à qua oportuit ore duorum Pontificum hæreſim condemnari, ea damnanda præcepit, quæ à me Cæleſtio fuerant obiecta.

Narratio huius libelli fidem habet ab Auguſtino, qui lib. 2. de pecc. origin cap. 7. referens acta Zoſimi contrà Cæleſtium, inquit: Hanc Cæleſtij praeloquutionem (qua ſcilicèt iudicio Sedis Apoſtolicæ ſe ſubiecerat) Venerabilis Papa Zoſimus tenens, egit cum homine, quem falſæ doctrinę ventus inflauerat, vt ea, quæ illi à Diacono Paulino fuerant obiecta; damnaret, atque vt Sedis Apoſtolicæ literis, quæ à ſanctæ memorię ſuo Prædeceſſore manauerant, præberet aſſenſum. At ille noluit quidem Diaconi obiecta damnare, ſed B. Papæ Innocentij literis non eſt auſus obſiſtere. Immò, ſe omnia, quę Sedes illa damnaret, damnaturum ſe eſſe promiſit. Atque ita velut phreneticus, vt requieſceret eamquàm leniter fotus; à vinculis tamen excommunicationis nondum eſt creditus eſſe ſoluendus.]

XXXII. Einſdem characteris eſt tertia epiſtola Zoſimi ad Africanos, relata ad annum 418., qua Cæleſtium ait condemnaſſe omnia crimina, quæ per rumorem ſalsò ſibi dicebat illata, accuſatores ſuos vltrò depoſcens. Et placare ſtudet Patres Africanos, quaſi ſibi eſſent infenſi, quòd Cęleſtio in omnibus adhibuiſſet fidem.

XXXIII. His artibus Eccleſiæ tunc illudebant Pelagiani. Vidiſti primùm Innocentio tributum, quòd Pelagio ſui dogmatis auctor fuiſſet; Vidiſti nunc Zoſimum præuaricationis reum tabulis falsò obſignatis: eiuſdem criminis infamia aſperſerunt Sixtum Romanum Presbyterum, qui Cæleſtino poſtea in Pontificatu ſucceſſit. Quare Auguſtinus ep. 105. ad eum ſcribens. [Quod enim, inquit, ſatendum eſt Charitati tuæ, triſtes eramus nimis, cum fama iactaret, inimicis gratiæ Chriſti te fauere; ſed vt hęc triſtitia de noſtris cordibus tergeretur, primò te priorem anathema eis in populo frequentiſſimo pronunciaſſe, eadem fama non tacuit.] Eodem nomine Pelagiani tandem criminati ſunt totum Romanum Clerum qua de re Auguſt. con. 2. epiſt. Pelag. lib. 2. c. 3. [Quin etiam Romanos Clericos arguunt, ſcribentes, eos iuſſionis terrore perculſos, non erubuiſſe præuaricationis crimen admittere, vt contrà priorem ſententiam ſuam, qua geſtis Catholico dogmati affuerant, poſtea pronunciarent, malam hominum eſſe naturam.] Qui lingua, & calamo rumores iſtos ſpargebant, hi fuerunt illuſtrium illarum epiſtolarum architecti, quibus contrà Patres Africanos de fide Pelagij, & Cæleſtij Zoſimum ſenſiſſę, probatur, Qui ſi non finxerunt ipſi, ſaltem (vt conſentanea loquuti viderentur) poſteris ſuis anſam dederunt fingendi talia, tunc viciſſim contrà Apoſtolicam Sedem geſta à Patribus Africanis, qualia in eiuſmodi cauſis ab animis exulceratis prodire ſolent. Quod vt fecerint, videbimus loco ſuo.

XXXIV. Id quidem magni obſeruaſſe refert ad corpus totius controuerſiæ: cæterùm ad indaginem auctoris canonum contrà Pelagium illud ſpeciatim, quòd duo concilia habita fuerunt Carthagine huius hęreſis cauſa, vnum Honorio XI., & Conſtantio iterum Conſulibus; alterum plenarium anno ſequenti, quo conſules fuerunt Honorius XII., & Theodoſius VIII. De primo ex Auguſtino de pecc. origin. lib. 2. cap. 7. dicebamus ſuprà, quòd literę, quas ſcripſerunt Patres Africani Pontifici Zoſimo de forma ſeruanda in reconciliatione Cæleſtij, datę fuerunt ex concilio Africano. Eiuſque Concilij meminit iterum epiſt. 47., qui cum, dicit, mittere ſe inter cætera; quę ſpectabant ad Pelagianos, id etiam, quod Papę Zoſimo de Africano Concilio ſcriptum eſt. Quod diſtinguebat à Concilio plenario anni ſequentis, ſubijciens. [Et quod de poſteriori Concilio plenario totius Africæ contrà ipſum errorem breuiter conſtitutum eſt.]

Priùs celebratum fuit tempore Autumni, ſi rectè colligo. In examine enim Cæleſtij Zoſimus præſcripſit ei terminum duorum menſium, quibus in Africam, & ex Africa, ſcriberetur. Libellus Paulini ad Zoſimum, quo fatetur, ſe ex Vrbe literas accepiſſe cum actis contrà Cæleſtium 4. Nonas Nouembris, datus eſt Carthagine ſexto Idus Nouembris. Igitur menſe Nouembri Patres Africani Synodum Carthagine celebrabant; & indè ad interrogata Zoſimi reſponderunt, vt termino præſcripto cauſam Cæleſtij terminare poſſet. Quare damnationem Pelagij, & Cæleſtij incidiſſe neceſſe eſt, vel in finem anni 417. vel in initium 418., quibus nomina dedere duo iam dicti Imperatoris Honorij conſulatus. Et ideò hìc etiam Baronium deſerere coactus ſum, qui anno 418. Kal. Maij Pelagium, & Cæleſtium Romæ damnatos putat: Et certè illi refragantur apertè non ea tantùm, quæ diximus, ſed alia etiam grauiſſima illorum temporum monumenta. Honorius Imperator hoc anno prid. Kal. Maij Rauennæ promulganit ſanctionem quandam in Pelagianos, qua eos Vrbe excedere iuſſit, & in ciuilibus haberi tamquam hæreticos; non tamen ille id fecit, niſi poſtquam de Zoſimi iudicio, ex eius literis certior factus eſt, ſi fides adhibeatur tunc viuenti Poſſidio, qui in vita Auguſtini hanc rem ita narrat. [At illi tantæ Sedis Antiſtites (Innocentius, & Zoſimus) ſuis diuerſis temporibus eos notantes, atque à membris Eccleſiæ præcidentes, datis literis ad Africanas, Orientis, & Occidentis Eccleſias, eos anathematizandos, & deuitandos ab omnibus Catholicis cenſuerunt. Et hoc tale de illis Eccleſiæ Dei prolatum iudicium, etiam Pijſſimus Imp. Honorius audiens, ac ſequens, ſuis eos legibus damnatos inter hæreticos haberi debere conſtituit.] Si ergo Imperator Rauennæ conſtitutus damnat Pelagianos, poſtquam ad eum Zoſimi literæ,

qui-

quibus ab Ecclefia vniuerſa proſcribebantur, ex Vrbe allatæ ſunt, & damnat tamen prid. Kal. Maij; quomodo Kalendis Maij Romæ damnati fuere? Ad hæc. Canones contrà PelaginmCarthagine decreti non ſunt,niſi poſtquàm Patres Africani de damnatione Pelagij, & Cæleſtij Romani Pontificis literas acceperunt. Idque ſatis perſpicuè indicare arbitror Auguſtinum, dum epiſt. 47. ordine refert geſta omnia contrà Pelagium, his ipſis verbis: [Quod ſcriptum eſt ad Papam Innocentium Romanæ Vrbis Epiſcopum de Concilio Prouinciæ Carthaginenſis, & de Concilio Numidiæ; & aliquantò diligentiùs à quinque Epiſcopis, & quæ ipſe ad tria iſta reſcripſit. Item quod Papæ Zoſimo de Africano Concilio ſcriptum eſt, eiuſque reſcriptum ad vniuerſos totius Orbis Epiſcopos miſſum. Et quod poſteriori Concilio plenario totius Africę contra ipſum errorem breuiter conſtituimus.] Poſtremis verbis Canones contrà Pelagium indigitari, nemo, opinor, negauerit. Quos conſtitutos fuiſſe Carthagine Kal. Maij Conſulibus Honorio XII., & Theodoſio VIII. omnes Codices vno conſenſu teſtantur. Non ergo Romæ damnari fuerunt Pelagius, & Cæleſtius Kal. Maij, ſi Kal. Maij Carthagine anathematiſmi in eorum errorem conſtituti fuere, poſtquàm literæ Papæ Roma in Africam delatæ, de eorum damnatione Patres Africanos certiores reddiderant.

XXXV. Itaque Pelagianorum res proceſſerunt hoc ordine. Zoſimus ſcripſit ad Africanos menſe Octobri. Reſponderunt illi menſe Nouembri. Rei damnati ſunt circa initium Ianuarij. Zoſimus poſt de eorum damnatione ſcripſit ad Africanos, & ad Imperatorem. Menſe Aprili Patres Africani, acceptis Zoſimi literis Carthagine congregantur; ibique Kal. Maij conſtituunt octo Canones, de quibus nunc diſputamus, contra octo capita erroris Pelagij Romam mittendos, vt approbarentur. Pridiè eius diei Imperator Rauennæ, eam ſanctionem promulgat, quam dicebamus. Et tandem Canones Carthaginenſes Romam miſſi probantur, & cum reſcripto Zoſimi ad Africanos ab eo ad omnes Catholicos Epiſcopos diriguntur, vt ſemel Palagianiſmus ab Vniuerſa Eccleſia proſcribatur, vt factum eſt. Quare Proſper in Chronico ad hunc annum. [Concilio apud Carthaginē habito CCXVII. Epiſcoporum ad Pontificem Zoſimum ſynodalia decreta perlata, quibus probatis per vniuerſum Orbem hæreſis Pelagiana damnata eſt.] Et de Ingratis Africam alloquens,

Conuenere tui cunctis ex vrbibus Almi
Pontifices, geminoque ſenum celeberrima cœtu
Decernis, quod Roma probet, quod Regna ſequantur.

His Carminibus alluſum putat Baronius ad concilia Mileuitanum, & Carthaginenſe ſub Innocentio, ſed fallitur. Illa enim non fuerunt plenaria Africæ vniuerſę, ſed Prouincialia Numidiæ, & Carthaginenſis: & ideò Proſper de illis dicere non potuiſſet. [Conuenere tui de cunctis vrbibus Almi Pontifices.] Neque illorum, ſed iſtorum decreta, cum approbatione Pontificis, Regum conſtitutio ſequuta eſt. Falsò propterea de illis cecinisset. [Decernis quod Roma probet, quod Regna ſequantur.] Quò pertinet etiam quod ſcribit contra Collectorem, [Pelagianorum machinas tunc fractas eſſe, quando Africanorum Conciliorum decretis Beatæ Recordationis Papa Zoſimus dexteræ ſuę robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armauit Antiſtitum.] Quare Canones Carthaginenſes robur ſuum habuerunt, cùm à Reſcripto Zoſimi, quod eos præceſſit, tùm ab eiuſdem approbatione, quæ illos ſequuta eſt. Epiſtolam verò Zoſimi ad vniuerſos totius Orbis Epiſcopos, qua Canones approbati fuerunt, inſignem fuiſſe, teſtes ſunt, qui eam cum laude commemorant, Aug. ep. 47. & de pecc. origin. cap. 22. Cæleſtius epiſt. ad Epiſcopos Galliarum, & Gennadius de Eccl. Dogmat.

XXXVI. Iam ergo colligamus, quæ de hac cauſa hactenùs dicta ſunt. Cęleſtius damnatus in Synodo Carthaginenſi appellat Romanam Sedem; Pelagius petit ab ea ex Oriente confirmationem iudicij Synodi Palæſtinæ; Patres Africani Romam mittunt geſta ſua contrà Cęleſtium, & rogant Pontificem, vt proſcribat hanc hereſim ab Vniuerſa Eccleſia, vt Pelagium ex Oriente Romam ad cauſam dicendam accerſat, vt renocet iudicium Synodi Dioſpolitanæ, qua ille obſolutus fuerat. Cæleſtius ex Aſia Romam proficiſcitur, vt à Pontifice reſtituatur ad communionem contrà iudiciū Synodi Carthaginenſis, eiuſque iudicio ſubijcit omnia ſcripta ſua. Agentibus Africanis cum Pelagio damnatur à Zoſimo, & exindè per vniuerſum Orbem ambo damnati cenſentur. Patres Africani ſequentes iudicium Zoſimi in Synodo plenaria varios canones formant, eoſque eiuſdem Pontificis iudicio, & arbitrio ſubijciunt, à quo confirmantur. Eſt igitur cauſa hæc, quaſi ſpeculum quoddam, in quo intuearis, quàm pręclarè Eccleſia Africana ſentiret de Poteſtate Pontificis in ſua iudicia vſque ad annum 418., quo iam mediantè ad exitum perducta fuit Et vndè conſequenter colligas, an Zoſimus anno illo cauſam vllam habere potuerit mittendi in Africam Canonem Sardicenſem pro Niceno, vt eam ſibi ſubiectam eſſe probaret. Figmentum, quod tantò improbabilius eſſe cognoſces, quantò euidentiùs exemplis alijs infrà demonſtrabo; Africam annis illis paſſim, & de plano miſsitaſſe appellationes ſuas ad Apoſtolicam Sedem. Quia tamen nunc id non quærimus, at illud vnum: An in Concilio Mileuitano Canones contrà Pelagium editi fuerint; vt indè conſtet, inſcione, an volente, & iubente Romano Pontifice Canon de Appellationibus ad Tranſmarina decretus ſit. Ideò hoc vnum licèt probatum ſatis teſtimonijs alijs adhuc eſt illuſtrandum, vt quò ad fieri poteſt, inueteratus error de Auctore horum Canonum ab omnium animis penitùs euellatur.

Proſper in reſponſione ad capitula Gallorum, c. 8. de ijs Canonibus loquens: [Cùm ducentis quatuordecim ſacerdotibus, inquit, quorum conſtitutionem contrà inimicos gratiæ Dei totus mundus amplexus eſt, veraci

pro-

profeſſione, quemadmodum eorum habet ſermo, dicamus. Gratiam Dei, &c. Et contrà Collarorem: Errauerunt 214. Saeerdotes, qui in epiſtola, quam ſuis conſtitutionibus prætulerunt, ita Apoſtolicæ Sedis B. Antiſtitem Zoſimum ſunt alloquuti: Conſtituimus, &c.] Si canones contra Pelagium, quos conſtitutiones appellat, decreti ſunt tempore Zoſimi, & à 214. Epiſcopis, certè in ſecundo Mileuitano decreti non fuere. Mileuitanum ſcilicet ſecundum habitum eſt ſub Innocentio, non ſub Zoſimo; Eique interſuerunt Epiſcopi non 214. ſed ſexaginta tantùm, vt ipſi in epiſtola ſua ad Innocentium, editis ſingulorum nominibus, profitentur.

XXXVII. Rursùm Carmine de ingratis idem Auctor de his Canonibus loquens, qui vt antè dixerat, Romæ probati erant, ſubijcit,

Condita ſunt, & ſcripta manent, quæ de Cataractis
Æterni fontis fluxere vndante meatu,
Et tercentenis Procerum ſunt edita linguis.

Ducentos, & quatuordecim Patres per ſynecdochen tercentenos dicere potuit; at ſexaginta, nequaquam.

XXXVIII. Si hæreſis Pelagiana conſtitutis Canonibus, priùs Mileui, quàm Romæ damnata fuiſſet, falsò de illa Proſper eodem libro dixiſſet:

——Peſtem ſubeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris
Facta Caput Mundo, quicquid non poſſidet armis,
Religione tenet.

XXXIX. Cœleſtinus primus Rom. Pont. epiſtola ad Epiſcopos Galliarum ſcribens contra Pelagianos cap. 10. inquit. [Illud etiam, quòd intra Carthaginenſis Synodi decreta conſtitutum eſt, quaſi proprium Apoſtolicæ Sedis amplectimur, quod ſcilicèt tertio capitulo definitum eſt. Vt quicumque dixerit, gratiam Dei, qua iuſtificamur, &c.] refertque ad verbum can. 3. Collectionis Mileuitanæ, & ſubdit: [& iterùm 4. capitulo, vt ſi quis dixerit, gratiam Dei per Ieſum Chriſtum propter hoc tantùm nos adiuuare;] & refert quartum Canonem illius collectionis, & tandem quintum, ſemperque Carthaginenſis nomine, numquam Mileuitani. Cùm verò Cœleſtinus Pontificatum inierit anno Chriſti 423. veriſimile nòn eſt, quòd ignorauerit verum Auctorem Canonum, quos citabat, ſiue conſtituti fuiſſent ſub Zoſimo, ſiue ſub Innocentio. Maximè quòd habebat geſta vtriuſque Pontificis, & vtriuſque Concilij in hac cauſa, eaque in hac eadem epiſtola ex eorum authenticis proprijs illorum verbis referebat.

XL. Concludamus hunc locum omnium antiquorum Codicum teſtimonio. In epitome Canonum Eccleſiæ Africanæ, quam Hadrianus primus dedit Carolo Magno, octo Canones contrà Pelagium habentur hac nota. [Octo capita, quæ ſequuntur in Carthaginenſi Concilio ſub anathemate ſtatuta ſunt.] In corpore Canonum Eccleſię Africanę, quod lectum eſt Carthagine in Concilio Africæ plenario poſt conſulatum Honorij XII. & Theodoſij VIII. habentur ad verbum in Concilio Carthaginenſi anni præcedentis, non in aliquo Mileuitano. Ibi tamen referuntur cum decretis ſuis omnia Concilia, quæ in Africa habita fuerant tempore Aurelij Epiſcopi Carthaginenſis. In collectione vulgata totidem verbis leguntur in Concilio Africæ plenario Honorio XII. & Theodoſio VIII. Coſſ. Photius in Bibliotheca, hanc Synodum Carthaginenſem legiſſe, ſe dicit, cum his Canonibus contra Pelagium, & Cœleſtium. Binius tomo ſecundo Conciliorum, aſſerit illos ad idem Concilium referri in vetuſto quodam Codice Monaſterij S. Banonis in Gandauo, & in Codice impreſſo Moguntiæ anno 1525. iuxtà exemplar vetuſtiſſimum Monaſterij Vintonienſis. Si quis ergo, his conſideratis, propter vnam illam collectionem canones contrà Pelagium Mileuitanos, & non Carthaginenſes appellare pergat, hunc ego dixerim humanam fidem penſi nòn habere. Hæc de octo Canonibus in Pelagium ſatis. Iam etiam de Canone Appellationum ad Tranſmarina dicendum aliquid eſt.

XLI. Cùm Canon ille, quòd Mileui decretus ſit, aliundè fidem non habeat, quàm ab iſta malè conciunata collectione, neminem fore arbitror, qui cognita huius vanitate, eum poſt hac Mileuitani nomine appellare non erubeſcat. Neque hoc nomine eum ediſſet vnquam auctor illius collectionis, ſi conſideraſſet, quòd Concilium Mileuitanum primum fuit quidem plenarium Africæ, at in eo talis Canon editus non fuit, vt ex Codice Canonum Africanorum videre eſt. In ſecundo verò conſtitui non potuit; quia fuit Prouinciale; & res, quæ ad totam Africam attinebãt, tractari non poterant in Concilijs Prouincialibus, ſed in plenarijs tantùm. Qua, vel lege, vel conſuetudine Patres Africani in quodam Concilio Hipponenſi, excitati ſunt ad conſtituendum, vt propter publicas cauſas quotannis celebraretur Concilium Africæ plenarium nunc in vna Prouincia, nunc in alia; Et quo canone Vincentio, & Flauita Conſulibus Carthagine, in Concilio plenario Patrum Africanorum Numidiæ Concilium plenarium, ſibi popoſcerunt, ſed non impetrarunt, vt conſtat ex eius Concilij can. 19. Immò in altero Concilio Carthaginenſi Honorio VII. & Theodoſio II. Conſulibus, illum canonem abrogare opus fuit, vt docet hìc canon, qui in corpore Aricanorum eſt 95. [Quoniam conſtitutum fuerat in Concilio Hipponenſi, vt ſingulis annis traheretur Concilium Africæ plenarium, non tantùm hìc apud Carthaginem, verùm etiam per diuerſas prouincias ſuo ordine, & hoc reſeruatum eſt, vt indiceremus aliquando in Numidia, aliquando in Bizacio. At quoniam hoc laborioſum omnibus fratribus viſum eſt, placuit, vt non ſit vltra fatigandis fratribus anniuerſaria neceſſitas, ſed quoties exegerit cauſa communis, id eſt, totius Africæ, vndecumque ad hanc Sedem datæ literæ fuerint, congregandam eſſe Synodum in ea Prouincia, vbi opportunitas perſuaſerit. Cauſæ autem, quæ communes non ſunt, in ſuis Prouincijs iudicentur.] Stante hoc canone, quis appellationes ex Africa ad

Tranſmarina in ſecundo Mileuitano prohibiteas dicere auſit? Si verò in hoc Concilio canon de Appellationibus ad Tranſmarina ſanciti non potuit, quia hæc erat cauſa communis, & Concilium erat Prouinciale, quantò minùs in eo decerni potuerunt canones contrà Pelagium de fide, qua cauſa nulla communior? Si ergo in nullo Concilio Mileuitano conſtitutus fuit hic canon, reliquum eſt, vt Carthagine decretus ſit, vel Conſulibus Honorio XII. & Theodoſio VIII. vel anno ſequenti, vel demùm vtroque anno; ad vtriuſque enim anni Concilia refertur in Codice canonum Eccleſiæ Africanæ. Qua mente, quo iure, qua cauſa, cuius impulſu, iam dicere aggredior.

CAPVT III.

Canonem de Appellationibus Eccleſiæ Africanæ ad Tranſmarina, ſcientibus, & iubentibus Romanis Pontificibus editum fuiſſe. Ex quo, cum cæteris, qui obijciuntur, probatur, quòd Eccleſia Africana tunc agnoſcebat, & profitebatur ſubiectam eſſe ſe Romanæ Sedi.

I. CONſulibus Honorio XII. & Theodoſio VIII. ſecundum Concilium Africæ plenarium contrà Pelagianos Carthagine celebratum fuiſſe, ſatis oſtenſum eſt capite præcedenti. Plenarium aliud celebratum fuiſſe menſe Maio inſequentis anni controuerſiæ de Appellationibus Eccleſiæ Africanæ ad Romanam Sedem fama celebre, iam inter omnes conſtare videtur. Cui neſcio, qua ratione à collectoribus antiquis Carthaginenſis ſexti nomen impoſitum eſt. Huic interfuerunt Legati tres Apoſtolicæ Sedis, Fauſtinus Epiſcopus Potentinus, Philippus, & Aſellus E. R. Presbyteri, vt acta teſtantur. In vtroque Concilio canones decreti fuerunt, in priori 19. in poſteriori tres, & triginta, & in vtroque canon de Appellationibus ad Tranſmarina, qui in priori eſt decimus ſeptimus, in poſteriori duodetriceſimus. Prioris Concilij canones Romam ab Africanis ad Zoſimum miſſos, vt probarentur, & probatos fuiſſe, latè monſtratum eſt capite præcedenti; Canones verò Concilij poſterioris deſiderantur quidem in vulgata; eos tamen habebant collectiones antiquæ, vt videre eſt in epitome canonum Africanorum, quæ antè octingentos annos ab Hadriano primo data dicitur Carolo Magno, & ſunt etiam in eo exemplari, quod ex antiquis manuſcriptis publicauit Chriſtophorus Iuſtellus anno 1615. typis Pariſienſibus. In quo tamen nonnulla deſunt, quæ habebat exemplar Hadriani, & ea omnia conſideratione digna, cùm ex illis euidentiſſimè conſtet, canones iſtos, volente, & iubente Pontifice conſtituros fuiſſe. Primùm poſt triginta tres canones in eo Concilio decretos, ſequuntur ſubſcriptiones, & approbationes Patrum, quas non habet Iuſtellus; ſunt tamen etiam in duobus manuſcriptis Varicanis, in quibus ego eas legi his verbis conceptas: [Aurelius Epiſcopus huic ſchedæ à nobis relectæ ſubſcripſi. Fauſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Potentianæ Prouinciæ Italiæ Piceni Legatus Eccleſiæ Romanæ huic ſchedæ ſubſcripſi. Philippus, & Aſellus Presbyteri Romanæ Eccleſiæ Legati, his geſtis ſubſcripſimus per nos relictis, & directis. Auguſtinus Epiſcopus Hippone Regij Legatus Concilij Numidiæ huic chartulæ pro me, & eodem Concilio ſubſcripſi, & reliqui Epiſcopi 113. diuerſarum Prouinciarum ſubſcripſerunt, qui in Carthaginenſi Concilio conuenerunt.]

Ex verbis Schedæ, & chartulæ, quibus Patres vtuntur, colligere licet, peculiari ſubſcriptione, & approbatione confirmatos fuiſſe canones iſtos ſeorſim ab alijs, qui in alijs Concilijs conſtituti, in eodem Concilio lecti fuere. Ad calcem enim Codicis canonum Eccleſiæ Africanæ, qui ibi lectus eſt, alijs ſubſcribunt verbis, vt, [Aurelius Epiſcopus his geſtis ſtatutorum apud nos habitis ſubſcripſi. Reliqui Patres etiam, geſtis, dicunt, non ſchedæ, vel chartulæ.

II. Maximè verò conſideratione digna ſunt, verba Presbyterorum Legatorum, qui dicunt: [His geſtis ſubſcripſimus, per nos relictis, & directis.] Ex eis enim, niſi proteruus eſſe velis, fateare, neceſſe eſt, Schedam, cum his canonibus Roma à Pontifice per Legatos Carthaginem miſſam, ibique ab eis manu Patrum obſignatam, relictam fuiſſe.

III. Habet præterea exemplar Hadriani Præfationem hanc. [Poſt Conſulatum Honorij, & Theodoſij Auguſtorum 8. Kal. Iunias Carthagine in ſecretario Baſilicæ Fauſti, cùm Aurelius Papa, vnà cum Legatis Romanæ Eccleſiæ, Fauſtino Epiſcopo Eccleſiæ Potentianæ prouinciæ Piceni Italiæ, & Philippo, & Aſello presbyteris; nec non cùm Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus, & reliqui 217. Epiſcopi conſediſſent, primùm recitato commonitorio, quod Zoſimus Papa ad prædictos Legatos direxit, deindè etiam 20. capitulis Nicæni Concilij recitatis, vt ſuperiùs deſcripta inueniuntur, communi decreto ſtatuerunt capita 37. quæ ſubſequuntur.] Quare neque à Patribus, Legatis reluctantibus, neque à Legatis, Patribus inuitis, ſed communi omnium decreto in hoc Concilio canones iſti conſtituti fuere.

IV. Anno ſuperiori vidimus (repetenda enim ſunt, quæ neceſſaria ſunt) conſtitutiones, & decreta 214. Patrum (quibus inſeritur etiam canon iſte) Carthagine Romam ad Zoſimum pro confirmatione miſſa fuiſſe, quam impetrarunt: Vidimus Pontificem Innocentium ab Africanis inuitatum, & penè compulſum, ad cognoſcendum de iudicio Synodi Palæſtinæ in cauſa Pelagij. Vidimus Patres Africanos mittere geſta Concilij Carthaginenſis Romam contrà Cœleſtium, & ad ſydera tollere Zoſimum, quòd eum condemnarit. Et quod caput eſt, in his omnibus vidimus inter vtramque Eccleſiam pacem tantam, concordiam tantam, vt vtriuſque videretur cor vnum, anima vna. Ecquis, obſecrò, ſibi perſuaderi patiatur, hoc rerum ſtatu fuiſſe contentionem vllam de iuriſdictione Romanæ ſedis in Africana iudicia. Presbyter fuit Pelagius, presbyter Cœleſtius, vnus abſolutus Dioſpoli, alter condemnatus Carthagine, & vterque in Synodo. Ad vtriuſque tamen iudicium Africa compulit duos Romanos

manos

manos Pontifices miris laudibus vtrumque proſequuta: Et eo ipſo in loco, eo ipſo in conſeſſu, quo & non factum fieri poſtulat, & factum commendat, eo ipſo, inquam, id tamquam iniquè factum prohibuerit? Damnat quod petit? prohibet, quod commendat? iniquè fert, quod deſiderat? Non fert animus de ſapientiſſimis illis Patribus cogitare huiuſmodi abſurda, & indecora. Si canon de Appellationibus ad Tranſmarina in Romanam Sedem conſtitutus fuiſſet: adeòne iurium ſuorum prodigus fuiſſet Zoſimus, vt eum in vno Concilio confirmaret, in altero Legatis tribus de induſtria Roma Carthaginem deſtinatis cum Scheda, & chartula, hoc vnum curaſſet, vt Africanorum Patrum auctoritate ſanciretur? Sunt paradoxa, quæ nemo ſanus crediderit. Quando ergo fieri nequit, vt canon contra Romanam Sedem dirigatur, quid ſibi velit, dicamus.

V. Antiqua conſuetudine receptum erat in Africa, vt presbyteri, & alij clerici ordinum inferiorum non prouocarent ab Epiſcopis ſuis ad Apoſtolicam Sedem, ſed ad Concilia prouinciarum ſuarum, quæ ob huiuſmodi cauſas bis celebrabantur quotannis. Quòd ſi & à Concilijs pronocandum putaſſent, tunc liberum erat eis adire Romanam Sedem, quòd ei ſubeſſet Africa, non tantùm iure ſupremi primatus, ſed etiam iure Patriarchali. At iudicia Synodorum prouincialium nulla ratione eis declinare licebat. Epiſcopi verò, (quorum dignitas maior) arbitratu ſuo poterant, aut ſtare iudicio Conciliorum Africę, aut illis præteritis immediatè cauſas ſuas deferre ad Apoſtolicam Sedem. Circa Annum Domini 306. Cæcilianus Presbyter Carthaginenſis, illa Sede vacante, ad Epiſcopatum electus, à Felice Epiſcopo Autumnitano conſecratus fuerat. Cæterùm factione Lucillæ fœminæ pecunioſiſſimæ, quæ ab illo, dum Diaconus eſſet, correpta, immortale odium in beatum virum conceperat, excitata eſt controuerſia de eius ordinatione, accuſato Felice, quòd traditor fuiſſet. Hac de cauſa conuocatum fuit Carthagine Concilium Epiſcoporum ſeptuaginta, cui præſidebat Secundus Tigiſitanus Numidiæ Primas, Lucillæ addictiſſimus. Vocatus in iudicium Cæcilianus cum Felice, non comparuit; damnatus ideò fuit, & ſuffectus in eius locum Maiorinus, qui gratia Lucillæ cæteris antiſtabat. Et hinc originem habuit ſchiſma Donatiſtarum. Sanctus Auguſtinus epiſt. 162. conſiderans factum Cæciliani, eum iure egiſſe, ait, iniuria Secundum, & cauſam reddit his verbis. [Secundus, ſi veræ pacis cuſtos eſſe voluiſſet, cauere debuit, ne damnarentur abſentes, qui iudicio eorum omninò intereſſe noluerunt. Neque enim de Presbyteris, aut Diaconis, aut inferioris ordinis clericis, ſed de collegis agebatur, qui poſſunt aliorum collegarum, & præſertim Apoſtolicarum Eccleſiarum iudicio cauſam ſuam integram reſeruare. Vbi contrà eos ſententiæ dictæ in abſentes nullo modo aliquid valerent, quando eorum iudicium non primo aditum poſtea deſeruerunt, ſed ſuſpectum ſemper habitum numquam adire voluerunt.] Immò quaſi de re abſurda Donatiſtas redarguens: [An fortè, inquit, non debuit Romanę Eccleſię Melchiades Epiſcopus cum collegis Tranſmarinis Epiſcopis, illud ſibi vſurpare iudicium, quod ab Afris ſeptuaginta, vbi Primas Tigiſitanus præſedit, fuerat terminatum?]

VI. Et frequentiſſimas fuiſſe tempore ſuo prouocationes Epiſcoporum Africanorum ad Romanam Sedem, luculentiſſimè teſtatur idem Sanctus epiſt. 262. ad Bonifacij ſucceſſorem Cœleſtinum R. P. cuius epiſtolæ argumentum hoc eſt. Antonius Epiſcopus Fuſalenſis in Synodo prouinciali Numidiæ priuatus regimine, ſed non titulo Eccleſiæ ſuæ, Bonifacium R. P. appellauerat, acceptiſque commendatitijs à Primate Numidiæ Romam profectus fuerat. Sed Bonifacio mortuo, antequàm cauſa finiretur, integra relicta eſt eius ſucceſſori Cœleſtino, cui hanc epiſtolam ſcribit Auguſtinus, quo iudicante Antonius, damnatus fuerat. Et quia appellans dixerat: [Aut in mea Cathedra ſedere debui, aut Epiſcopus eſſe non debui; ei reſpondens Auguſtinus, inquit: Exiſtat exemplo, ipſa Sede Apoſtolica iudicante, vel aliorum iudicia firmante, quoſdam pro culpis quibuſdam, nec Epiſcopali ſpoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos: quæ, vt à noſtris temporibus remotiſſima non requiram, recentia memorabo. Clamet Priſcus prouinciæ Cœſarienſis Epiſcopus, aut ad Primatus locum ſicut cæteris, & mihi patere debuit, aut Epiſcopatus mihi remanere non debuit. Clamet alius eiuſdem Prouinciæ Victor Epiſcopus, cui relicto in eadem pœna, in qua Priſcus fuit, nuſquam niſi in Diœceſi eius ab alio communicabatur Epiſcopo; clamet, inquam, aut vbique communicare debui; aut etiam in meis locis communicare non debui. Clamet tertius eiuſdem prouinciæ Laurentius Epiſcopus, & prorsùs huius vocibus clamet; aut in cathedra, cui ordinatus ſum, ſedere debui, aut Epiſcopus eſſe non debui.] Vides itaque ex Auguſtino, primùm frequentiſſimè tum temporis Epiſcoporum iudicia ex Africa deferri conſueuiſſe ad Romanam Sedem. Si enim vnica prouincia tot ſuggerebat exempla recentia, eaque vniformitèr iudicata; quot ſuggeſſiſſe putas Africam totam, ſi ſuperiora tempora repeterentur, & vniuſcuiuſque generis iudicia? Vides præterea Epiſcopis Africanis liberum fuiſſe, vel omiſſis iudicijs Africæ Romanam Sedem adire, vel poſt iudicia Africæ ad eam prouocare. Et ideò in hac epiſtola, inquit, [exiſtat exemplo ipſa Sede Apoſtolica iudicante, vel aliorum iudicia firmante.] Priuilegium, quo non fruebantur presbyteri, & cæteri ordines inferiores, quare in priori epiſtola dixerat. [Neque de presbyteris, aut diaconis, aut de inferioris ordinis clericis, ſed de collegis agebatur, qui poſſunt aliorum collegarum, & præſertim Apoſtolicarum Eccleſiarum iudicio cauſam ſuam integram reſeruare.]

VII. Hìc mirari neceſſe eſt, frontem Marci Antonij de Dominis, qui lib. 4. c. 8. n. 35. dicere non erubuit, huiuſmodi iudicia deferri conſueuiſſe ex Africa Romam, non iure ordinario, ſed ex commiſſione, & delegatione. Quod (ne grauiùs quid dicam) quàm alienum à veritate ſit, Auguſtinus iam docuit. Fateor equidem, ita factum fuiſſe à Melchiade in cauſa Cæciliani, ſed aliud eſt, quod fecit,

cit, aliud quòd facere potuit, ſi voluiſſet. Repete verba Auguſtini. [An fortè non debuit Romanæ Eccleſiæ Melchiades Epiſcopus cum collegis Tranſmarinis Epiſcopis illud ſibi vſurpare iudicium, quod ab Afris ſeptuaginta, vbi Primas Tigiſitanus præſedit, fuerat terminatum? quid quòd nec vſurpauit? Rogatus quippè Imperator iudices miſit Epiſcopos, qui cum eo ſederent, & de tota illa cauſa, quod iuſtum videretur, ſtatuerent.] Poterat igitur Melchiades, Auguſtino teſte, etiam citrà conſenſum Conſtantini cauſam illam ſibi vindicare; quod tamen non fecit.

VIII. Hæc cùm ita ſint, dicamus, neceſſe eſt, fuiſſe in Africa ex ordinibus presbyterorum, & clericorum inferiorum homines, qui antiquo iure neglecto, aſpirarent ad priuilegia propria Epiſcoporum, & præteritis iudicijs Conciliorum Africæ immediatè ab Ordinarijs ſuis ad Pontificem prouocare cœpiſſent. Res, quæ, etſi iure communi nitebatur, quia ex canone ſexto Nicæno Patriarchæ poteſtatem habebant eorum omnium, quæ Metropolitanis, & Synodis Prouincialibus delata fuerant, Romanis tamen Pontificibus tamquam antiquitatis Eccleſiaſticæ vindicibus, & cuſtodibus non placebat. Et ideò in duobus Concilijs iuxtà antiquas, & proprias Africæ conſuetudines canonem iſtum ſanciri iuſſerunt. Non ergo hoc canone derogatum eſt Romanæ Sedi, non vllum ſibi apparatum antidorum ab Africanis contra Papatum, vt aduerſarij delirant.

IX. Multò apertiùs hæreticorum vanitas appareret, ſi Canonem iſtum integrum haberemus, vt illum habebat in Codicibus ſuis Hadrianus I. in cuius epitome his verbis conceptus eſt: [Vt clerici, qui ad Tranſmarina, non ad Primates ſuos prouocauerint, in communionem non recipiantur. Et iterùm: Vt clerici non ad Africana Concilia, ſed ad Tranſmarina prouocantes, ab Africanis in communionem non recipiantur, niſi neceſſitas * . . coegerit.] Itaque clericis Africanis vitio vertebatur; non quòd prouocarent ad Tranſmarina, ſed quòd per ſaltum prouocarent, ad hæc omiſſis iudicijs Primatum, & Conciliorum ſuorum contrà antiquam conſuetudinem illarum Eccleſiarum. Quare hoc canone id vnum cauebatur, vt non quæuis cauſæ, ſed ſolæ cauſæ minores non deferrentur immediatè ad Romanos Pontifices, ſed Metropolitani, & Synodi prouinciales tamquam inferioris ſubſellij Iudices de illis primum cognoſcerent. At quòd cauſæ Epiſcoporum, & Synodorum iudicia immediatè Romam deferri non poſſent, numquam cogitatum in Africa. Dum verò maiora permittunt, minora tantùm immediatè prohibent, non obſcurè docent, agnoſcere ſe ſupremum Principatum Romanæ Sedis: Cùm nulla benè conſtituta Reſpub. reperiatur, cuius ſupremus magiſtratus hoc iure non gaudeat.

X. Donemus tamen Aduerſarijs quicquid ex Canone iſto contendunt; dicamus, appellationes presbyterorum, & ordinum inferiorum ad Romanam Sedem omninò ſublatas fuiſſe; concedamus, Metropolitanis, & Synodis Africæ id iuris datum in huiuſmodi cauſis, vt ab eis, ad Romanum Pontificem omninò prouocari non poſſet, an ideò eximetur Africa à poteſtate Romana? nihil minùs, ſi non etiam Epiſcoporum iudicia Romanæ Sedi interdicta probentur; niſi quis adeò deſipiat, vt & Præfectos Prætorio Romanis Principibus ſubiectos non fuiſſe contendant, [quia eorum auctoritas in tantum meruit augeri, vt appellari à Præfectis Prætorio omninò non poſſet,] l. 1. ff. de off. Præf. Præt. Hæc de primo canone ſatis: iam de ſecundo.

[Quicumque, inquit, non communicans in Africa, in Tranſmarinis ad communicandum obrepſerit, iacturam clericatus excipiat,]

XI. Marcus Antonius de Dominis, qui hunc canonem cauſam fuiſſe dicit magnarum ſimultatum inter Eccleſiam Romanam, & Africanam, quòd à ceruicibus Africæ excuteret iugum Romanæ poteſtatis, ſola confeſſione ignorantiæ eluere poteſt notam turpiorem. Obrepere idem ſignificat, quod fallacitèr, & doloſè facere, vel impetrare aliquid. Cicero in Piſonem: [Obrepſiſti ad honores errore hominum, commendatione fumoſarum imaginum, quarum ſimile habes nihil præter colorem. & pro Plancio: Quid ſi doceo, Gn. Plancium, non obrepſiſſe ad honores, ſed eò veniſſe curſu, qui ſemper patuerit omnibus hoc noſtro equeſtri loco? Sanctus Cyprianus epiſt. 68. Romam pergens Baſilides, inquit, Stephanum collegam noſtrum longè poſitum, & geſtæ rei, & tacitæ veritatis ignarum fefellit, vt exambiret reſtitui in Epiſcopatu, de quo iuſtè fuerat depoſitus. Hæc eò pertinent, vt Baſilidis non tam abolita ſint, quàm cumulata delicta. Vt ad ſuperiora eius peccata etiam fallaciæ, & circumuentionis crimen acceſſerit; Non enim tam culpandus eſt ille, cui negligentèr obreptum eſt, quàm hic accuſandus, qui fraudulentèr obrepſit. Et in epiſtola ad Pompeium, Conſuetudo, quæ apud quoſdam obrepſerat, impedire non debet, quominùs veritas præualeat, & vincat. Nam conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt.] Itaque ex Cypriano conſuetudo obrepſerat, quia ſine veritate præualuerat. Eodem ſenſu etiam apud Iuriſconſultos hoc verbum frequentèr repetias. Vlpianus de Car. edict. [Sed ſi cùm eſſet pubes, quaſi impubes obrepſit, dicendum eſt, nihil eum egiſſe.] Gloſſ. in l. 56. de adminiſtrat. & in l. 1. de reb. eo. qui ſub tut. [Obreptum, inquit, id eſt, per mendacium impetratum.] Si ergo obrepere, idem eſt, quod doloſè, fallacitèr, & per mendacium aliquid impetrare, huius canonis ſenſus erit: Si quis excommunicatus in Africa, mendacijs, & dolis impetrauerit communionem à Romana Sede, clericatu priuetur. Hoccine verò eſt excutere iugum Romanæ poteſtatis? hoc interdicere appellationes ad Romanam Sedem? hoc abrogare ſumma iudicia Pontifici Romano?

O miſeras hominum mentes, ò pectora cæca!

Cautum lege ſit, quòd ſi quis à Principe ius Ciuitatis per dolum impetrauerit, libertatem amittat: ſi à Prætore Vrbano decretum de alienatione hæreditatis pupilli per fraudem obtinuerit, mulcta decem librarum argenti

pu-

puniatur: an ideò homo erit, qui colligae, vel Principem ius Ciuitatis, vel Prætorem Vrbanum decretum de hæreditate pupilli dare non poſſe? non opinor. Ità tamen contrà Pontificem colligie Ariſtarchus ille, qui nuper in Eccleſiam vniuerſam cenſorio ſupercilio animaduertit. Et qui tantum ſcire ſe putae, non videt, miſer, neſcire ſe, quòd dum punitur, qui obrepit, hic ſine fraude, & dolo ab eo, cui obripitur, rem impetrare iubetur?

XII. Tertius canon. [Vt primæ Sedis Epiſcopus non appelletut, aut Princeps Sacerdoeum, aut Summus Saeerdos, aut aliquid eiuſmodi, ſed taneùm primæ Sedis Epiſcopus.] Romanam Sedem omninò non attingit. Græci ſpecioſotum eitulorum ſemper amantes cum antiquam ſimplicitatem ampliùs ferre non poſſent. Metropolitanos ſuos Archiepiſcopos, & Exarchos iam appellare cœperant; quos titulos non multò poſt ipſis quoque canonibus inſeruerunt. Hæc nouitas ab antiqua Eccleſiæ humilitate, & modeſtia aliena Patribus Africanis diſplicebae. Quare veriti, ne in Eccleſiam quoque Africanam irreperet, hoc Canone obuiam illi iuerunt, iubentes vt ptimæ Sedis Epiſcopus, hoc eſt Metropolitanus, huiuſmodi titulis abſtineret, contentus vno titulo Epiſcopi primæ Sedis. Et quidem, quòd omnes Metropolitani in Africa dicerentut Epiſcopi primæ Sedis, docene multa, & clara illorum temporum teſtimonia. Concilium Carthaginenſe Arcadio V. & Honorio Quinto Coſſ. [Placuit omnibus Epiſcopis, qui in hoc Concilio ſubſcripſerunt, ve Matricula, & Archiuus Numidiæ, & apud ptimam Sedem ſit, & in Metropoli, id eſt Couſtantina.] Poſt conſulatum Honorij XII. & Theodoſij VIII. Valentinus Metropolitanus Numidiæ ſubſcribit. [Valenrinus primæ Sedis Epiſcopus ptouinciæ Numidiæ.] In eodem Concilio Metropolitanus Bizacij ſubſcribit. [Donatianus Teleptenſis primæ Sedis ſubſcripſi. Ibidem can. 18. Confirmandum eſt in hac Sancta Synodo, vt ſecundùm Nicæna ſtatuta propter cauſas Eccleſiaſticas, quæ ad perniciem Sedium ſæpè inueteraſcuue, ſingulis quibuſque annis Concilium conuocetur, ad quod omnes prouinciæ, quæ primas Sedes habene, de Concilijs ſuis biuos, aut quantos delegetint Legatos mittane, & congregato conuentu plena poſſit eſſe auctoritas,] & can. 23. Concilij Catthaginenſis Baſſo, & Philippo Coſſ. [vt Epiſcopi trans mare non proficiſcantur, niſi conſulto primæ Sedis Epiſcopo ſuo cuiuſque prouinciæ.]

Imò Africani modeſtia titulorum adeò oblectabantur, vt Metropolitanos ſuos frequenter ſolo Epiſcopi ſenis nomine indigitarent. Siluanus Numidiæ primas ad Innocentium primum ex Concilio Mileuitano Siluanus ſenex, & Innocentius ad eum, Siluano ſeni. Idem apud Auguſtinum ep. 151. Siluanus ſenex, ſic etiam eius præceſſor Xantippus can. 67. C. Africaui, Xantippus ſeuex pluries nominatur. In Concilio Carthaginenſi Honorio Duodecimo, & Theodoſio Octauo Conſulibus eliguntue de ſingulis prouincijs terni indices, qui, [cum ſancto ſanè Aurelio vniuerſa cognoſcant:] ibique primas Bizacenus vocatur, [ſanctus ſenex Donatiauus primas.]

Etſi verò titulus iſte antiquæ ſimplicitatis, & humilitatis erat teſtimonium, non tamen erat alienus à veritate. Ius enim Metropoliticum, ſiue Primatiale in Africa, excepta prouincia Carthaginenſi, nulli alligatum Eccleſiæ, nulliùs determinatæ Sedis proprium erat, ſed ſolutum, & vagum; quippè quod primate vno mortuo, antiquiori cuiuſque prouinciæ Epiſcopo ſemper conferretur. Obſeruauit hoc Leo Nonus ep. 4. [Sed & de Africæ primatibus, inquit, aliter intelligendum eſt, quia in ſingulis eius ptouincijs antiquitùs primates inſtituebantur non ſecundùm potentiam alicuius Ciuitatis, ſed ſecundùm tempus ſuæ ordinationis, quibus tamen omnibus præerat vnus ſcilicet Archiepiſcopus Carthaginenſis.] Neque deſunt exempla. Quo tempore Donatiſtarum ſchiſma cępit in Africa, Secundus Epiſcopus Tigiſitanus erat primas Numidiæ ex Auguſt. lib. 3. con. Creſcon. cap. 26. ex epiſt. 162. & Breuit. collat. 3. diei, cap. 5. Quando Auguſtinus Epiſcopus ordinatus fuit, Primas eius prouinciæ erat Megalius Epiſcopus Calamenſis, ex Poſſid. in vira Auguſtini, cap. 8. Arcadio, & Honorio V. Conſulibus Xantippus Epiſcopus Conſtantinienſis eum locum tenebat illi adiudicatum in Concilio Mileuitano in controuerſia cum Victorino altero eius prouinciæ Epiſcopo, de qua latè Auguſt. ep. 217. In eoque Concilio ad tollendas in poſtetum huiuſmodi contentiones, decretum, [Vt quicumque deinceps ab Epiſcopis ordinentur per prouincias Africanas, literas accipiant ab ordinatoribus ſuis manu eorum conſcriptas; coutinentes Conſulem, & diem, vt nulla altercio de poſterioribus, vel anterioribus oriatur.] Xantippo tandem poſt Siluanum ſucceſſit Valentinus, ve conſtat Conc. Carthag. P. C. Honotij XII. & Theodoſij VIII. in Præfat. in ſubſcript. & cap. 10. qui alterius Eccleſiæ erat Epiſcopus, vt colligitut ex Conc. Mileuit. Arcadio, & Honorio V. Coſſ. C. Afric. cap. 8. Sanctus Aguſt. ep. 262. ex hoc iure inducit Criſpum quendam Cæſarienſis prouinciæ Epiſcopum dicentem, [Aut ad Primatem locus, ſicut cæteris, mihi patere debuit, aut Epiſcopatus mihi remanere uon debuie.] Ee Epigonius Epiſcopus, C. Afric. c. 54. mandatum Primatis prouincię ſuę ſic refert. [Ætate Pater, & ipſa promotione antiquiſſimus, vir laudabilis, frater, & collega noſter Victor, vult hanc petitionem generalem omnibus effici.]

XIII. Vtcumque verò Patres Africani titulos illos interdixiſſent ſuis, non tamen ideò cum eis prohibuerunt, vel rem, vel nomen Primatus, vt dicunt hæretici; Non titulum, quia Canone 73. Cod. Africani, [Scribendum, inquiunt, ad ſingularem quarumque Prouinciarum Primares, vt quando apud ſe Concilium congregant, iſtam diem nou impediant, & can. 77. De Creſconio Villa-Regienſi hoc omnibus viſum eſt, vt hinc quoque Primati Numidię iutimetur.] In Coucilio Carthaginenſi Honorio VII. & Theodoſio Secundo Coſſ. Cod. Afric. cap. 106. [Formatę autem, quæ à Primatibus, vel à quibuſcumque Epiſcopis Clericis proptijs dantur, habeant diem Paſchæ.] Honorio Duodecimo, & Theodolio Octano Coſſ. C. Afric. cap. 121.

[Si

[Si Epiſcopi, inter quos cauſa verſatur, diuerſarum ſunt prouinciarum, ille Primas det Iudices, in cuius prouincia eſt locus, de quo contenditur.] Eo ipſo Canone, qui obijcitur, Metropolitano Primatis nomen tribuitur. [Quod ſi, & ab eis prouocandum putaueriut, non prouocent, niſi ad Africana Concilia, aut ad Primates prouinciarum ſuarum.] Vnico teſtimonio omnes Metropolitanos Africæ concludo. Canone 17. Concilij Carthaginenſis P. C. Honorii XII. & Theodoſij Octaui. [Placuit, vt Maritania Sitiſenſis (ve poſtulauit Primatem Numidiæ, ex cuius cætu ſeparatur) ſuum habeat Primatem, quem conſentientibus omnibus Primaribus prouinciarum Africanarum, vel omnibus Epiſcopis propter longinquiratem habere pèrmiſſa eſt.] Vides hìc nou tautùm titulum Primaris communem omnibus Metropolitauis Africæ, ſed prætereà duo: Vuum, quòd Prouinciæ Eccleſiaſticæ ab initio eraue diuerſæ à prouincijs Ciuilibus, cùm Mauritania Sitifenſis Metropoli Numidiæ ab initio ſubiecta fuiſſet. Alterum, quòd, quando ei Metropolitanus conceſſus fuit, non ideò couceſſus, vt Reſp. Eccleſiaſtica ſequeretur Ciuilem, ſed tanrùm propter longinquitatem. Hæc duo, ſi cohæreant cum eorum doctrinis, qui Eccleſiam, vel vmbram, vel imaginem ſuiſſe volunt Reip. ciuilis, indicet Lector.

XIV. Poteſtatem, & Iuriſdictionem Primatus in Metropolitanis Africæ non diſplicuiſſe Patribus illis, nobis etiam inuitis concedeut hæretici, qui vnam huius controuerſiæ cauſam fuiſſe dicunt, poteſtatem Metroliranorum ſartam tectam tueri ab occupatioue Pourificis Romani illam iuuadentis. Si ergo Canou ad Romanum Pontificem non ſpectat; Si Primatus, neque quò ad rem, neque quò ad rirulum iu eo prohibetur, nonne ſumma, vel iuſcitia, vel nequitia, eſt, eum contrà Pourificem perpetuò inculcare, & vaniſſimis iſtis nugis tor annis, & manus Catholicorum, & mentes ſarigare.

XV. Sed liberaliùs agamus cum Aduerſariis. Demus Canonem hunc de Rom. Pout. conſtitutum ſuiſſe, eòque caueri, ne Epiſcopus Romauus vocetur, aut Princeps Sacerdotum, aut Summus Sacerdos, ſed tautùm primæ Sedis Epiſcopus; errareur adhuc miſeri, ſi clauam ſuam Herculi uoſtro ſic ereptam putarent. Hierarchia Eccleſiaſtica, ab initio ità diſpoſita fuit, vr cùm varias complecteretur dignitates, & has illis ſubiectas, non honore tantùm, ſed Iuriſdictione, & poteſtate, ſuperior tamen ab inferiori ſolo Primatu differre diceretur. Nihil certiùs, quàm Presbyteros in Epiſcoporum poteſtate ſemper fuiſſe; [Miſi enim, vt dicebat Hieronymus, illis exors, quædam, & ab omnibus eminens detur poreſtas, tot in Eccleſijs efficientur ſchiſmara, quot ſacerdotes.] Plerique tamen Sanctorum Patrum Epiſcopum à Presbytero hoc vno diſtinguebaut, quòd eſſet primus Sacerdos. Ità Hieronymus, ep. 83. & 85. & in ep. ad Tit. cap. 3. Ambroſ. iu ep. ad Epheſ. cap. 4. & in 1. ad Timorh. cap. 3. Auguſt. apud Hieronym. ep. 97. Author quæſt. 9. & vet. teſt. qu. 100. Chryſoſt. hom. 15. in ep. ad Timoth. Iren. lib. 3. cap. 3. lib. 4. cap. 45. Hinc iu Concilio Carthaginenſi Honorio IV. & Eutychiano Conſulibus, cap. 34. decretum, [vt Epiſcopus in quolibet loco ſedens ſtare presbyterum non patiatur, & cap. 35. vt Epiſcopus in Eccleſia, & in conſeſſu presbyterorum ſublimior ſedeat; Intra domum verò presbyterorum Collegam ſe eſſe cognoſcat.

XVI. Epiſcopos poreſtari Metropolitanorum ſubiectos eſſe, non eſt, qui dubitet: Metropolitanos tamen Suffraganeorum, & Collegas, & Confratres, & comminiſtros vocatos ſuiſſe ab Antiquis, paſſim, & verè predicant hæretici; eòque tantùm ab illis diſtinctos fuiſſe, quòd eſſent Epiſcopi primæ Sedis, adducta reſtimouia perſpicuè docent.

XVII. De primatibus, quis id negaret, quod, vel ſolum eorum nomen oſtendir? & tandem, vt nullum Eccleſiaſticarum Dignitatum gradum prætereamus, etiam Iura Parriarchalia, nomine Primarus apud veteres deſignari ſolebanr; Secundus Canon ſecuudæ Synodi Generalis: [Orientis Epiſcopi Orientem gubernent, ſeruatis priuilegijs Primatus Eccleſiæ Antiocheuæ, quæ in regulis Nicænæ Synodi contineutur.] Et Patres Chalcedoueuſes euehere cupienres Sedem Conſtantinopolitanam ad Patriarchatum dixerunt, [Sanctiſſimum Archiepiſcopum Regiæ Conſtantinopolis nouæ Romæ, eiſdem Primatibus honoris, & ipſum dignum eſſe.]

XVIII. Patriarchatus, ſiue Sedes per antonomaſiam (ſic enim interdum ab antiquis dictæ fuere) ab initio fuerunt tres, Romana, Alexandrina, & Antiochena; Primaque inter omnes fuit ſemper Romaua. Eam ideò nomine primæ Sedis in hoc Canone veniſe volunt hæretici. Sit ira, & dicane aduerſarij, quæſo, ſi Epiſcopo, quia eſt primus presbyter, omnes alij presbyteri ſubiecti ſunt; ſi Metropolitano Epiſcopi reliqui, quia eſt primæ Sedis Epiſcopus, in prouincia; ſi Primati Metropolitæ omnes, & Epiſcopi, quia eſt primus Epiſcopus in gente; ſi Patriarchæ Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Presbyteri omnes, quia Primatum habet in Diœceſi; cur non ſubijcientur Epiſcopo Romano; & reliqui Patriarchæ, & omnis Eccleſia, ſi ipſe ſimpliciter, & abſolutè primus eſt omuium? Quo ſe verrent hæretici? Negabunt primatum Eccleſiaſticum Primo in cæteros ius conferre? Vniuerſam Eccleſiaſticam Hierarchiam euertant, neceſſe eſt, adimautque Epiſcopis presbyteros, Metropolitauis Epiſcopos, iſtos Primatibus, & Parriarchis Primares, cùm apud veteres omnis ſuperior à ſubdiris diſtingueretur ſolo Primatu. Fatebuntur? fateantur igitur etiam, quod conſequens eſt, Eccleſiam ſcilicet vniuerſam ſubiectam eſſe Romanæ poteſtati, quia ipſis quoque auctoribus, Romana Sedes omnium aliarum eſt prima. Si verò ira eſt, ſequitur, quò ſi Africaui iuſſerunt, Epiſcopum Eccleſiæ Romanæ vocari Epiſcopum primæ Sedis, eo ipſo decreuerint, illi cæteras omnes Sedes ſubiectas eſſe, & maximè ſuas, de quibus ſtaruerant anuo ſuperiori C. Afric. cap. 122. A iudicibus, quos communis conſenſus elegerit, non liceat prouocare; & quiſquis prouocarus repertus fuerit, per contumaciam nolle obtemperare iudicibus, cùm hoc primæ Sedis Epiſcopo fuerit probatum, det literas, vt nullus ei communicet Epiſcopus, donec obtemperet.] Er-

go vel obiectus Canon ad Papam non ſpectat, vel ſi ſpectat Africam ei pleno iure ſubiectam fuiſſe, probat.

XIX. Ex his, quæ dicta ſunt, de iure primi euiuſque in vnoquoque ordine Hierarchico, demonſtrari facilè poteſt à poſteriori, qualiſnam fuerit Primus ſancti Petri inter Apoſtolos. Siquidem inconfeſsò eſt apud omnes, quòd forma Hierarchiæ Eccleſiaſticę ab Apoſtolatu deſumpta eſt, & quòd in locum Apoſtolorum ſuccedunt Epiſcopi. Poſſet conſequenter etiam explicari, quid ſibi vellent nonnulli Patres, ſi quando dixerunt [Cęteros Apoſtolos idem fuiſſe, quod erat Petrus, pari conſortio præditos, & honoris, & poteſtatis.] Petrumque eò tantùm cęteris prælatum, quòd eſſet primus, ſiuè quòd primatum haberet inter eos, tamquam inter confratres, & collegas, vt dicunt etiam de Epiſcopis inter Presbyteros, & de Metropolitanis inter Epiſcopos. Sed de his alibi, loco, & tempore ſuo.

CAPVT IV.

Detegitur impoſtura actorum, quæ tribuuntur Concilio Carthaginenſi, & Epiſtolarum, quæ vulgatæ ſunt nomine Patrum Africanorum ad Bonifacium, & Cæleſtinum Romanos Pontifices.

BAronius ad annum Chriſti 419. de hac controuerſia ſcribens, dicere coactus eſt, acta illius Synodi integra non extare, hoc argumento. Quòd in Concilio inducuntur legati cum Commonitorio Pontificis Zoſimi à Patribus petentes, vt decernerent, quòd Preſbyteri, & cœteri inferiores clerici damnati ab ordinarijs ſuis, prouocare poſſent ad Epiſcopos vicinos, antequam adirent Concilia Prouincialia, Patreſque id facere detrectaſſe, niſi ſub conditione; tamen conſtat quòd Mileui ante aliquot annos, & Carthagine anno ſuperiori omninò ita fieri, ipſimet conſtituerant. Verba actorum ſunt hæc cap. 6. [Nouatus Legatus Mauritaniæ Sitifenſis dixit. Nunc meminimus, in hoc præſenti commonitorio lecto, etiam de Presbyteris, ſiuè Diaconibus contineri, qualiter ab Epiſcopis ſuis, vel à finitimis audiri debeant, quod in Concilio Nicœno minimè legimus. Vndè hoc ipſum iubeat Sanctitas Veſtra nobis recitari. Aurelius Epiſcopus dixit. Recitetur ad locum etiam id, quod depoſcitur. Daniel Notarius recitauit: De appellationibus autem clericorum, id eſt, minoris loci, reſtat ipſius Synodi certa reſponſio. De qua re quid acturi ſitis, credimus inferendum. Quod taliter dictum eſt ex Sardicenſi Concilio. Oſius Epiſcopus dixit; Quid me adhuc moueat, reticere non debeo. Si Epiſcopus fortè iracundus (quod eſſe non debet) citò, aut aſperè commoueatur aduersùs presbyterum, aut Diaconum ſuum, & exterminare eum de Eccleſia voluerit, prouidendum eſt, ne innocens damnetur, aut perdat communionem. Et ideò habeat poteſtatem eiectus, vt finitimos interpellet Epiſcopos, vt cauſam ſuam audiant, & diligenter tractent; quia non oportet negare audientiam roganti, & ille Epiſcopus, qui aut iuſtè, aut iniuſtè eum eiecit, patienter accipiat, vt negotium diſcutiatur, & aut probetur eius, aut emendetur ſententia.]

Cap. 7. [Cumque recitaretur, Auguſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Hipponæ, Regienſis Legatus Prouinciæ Numidiæ dixit. Et hoc nos ſeruaturos profitemur, ſalua diligentiori inquiſitione Concilij Nicęni. Aurelius Epiſcopus dixit. Si hoc etiam omnium veſtrum charitati placet, reſponſione firmate. Vniuerſum Concilium dixit, Omnia, quæ in Nicœno Concilio ſtatuta ſunt, nobis omnibus placent.

Conſtituerant anno ſuperiori, repetierant in hoc ipſo Concilio Canonem iſtum. [Placuit, vt presbyteri, Diaconi, & cęteri inferiores Clerici in cauſis, quas habuerint, ſi de iudicijs Epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini Epiſcopi eos audiant, & inter eos quidquid eſt, finiant, adhibiti ab eis ex conſenſu Epiſcoporum ſuorum.] Aurelius Epiſcopus Carthaginenſis rogarat, placeretne Patribus, vt legerentur, quæ in hoc Concilio, & alijs fuerant conſtituta? Leguntur tres, & triginta canones iſtius ipſius Concilij. Leguntur 19. alij anni ſuperioris, & vtrobique hic Canon, & nihilominùs acta Patres inducunt, ità loquentes, ac ſi Canonem iſtum neque conſtituiſſent, neque conſtitui vellent, neque de eo vlla vnquam mentio facta fuiſſet. Mihi certè hoc argumentum magni ponderis eſt, & plus probat, quàm putauit Baronius; neque enim ſcio componere acta iſta cum canone, ſed, vt mea fert opinio, vel canon acta, vel acta canonem tollunt.

II. Accedunt alia falſitatis grauiſſima argumenta. Dicebamus inter hæreticorum obiectiones, ex actis, & epiſtolis, de hac controuerſia iſthæc haberi. Primò, Legatos à Zoſimo cum canonibus Sardicenſibus nomine Nicœnorum miſſos in Africam. Secundò, Errore à Patribus detecto, illos ſcripſiſſe ad Zoſimum, placere quidem ſibi, vt ex Africa Romana Sedes appellaretur, quouſque authentica Canonum Nicęnorum reperirentur: ea tamen ſe perquirere velle, quia in exemplaribus Nicœnis, quæ erant in Africa, canones illi deſiderabantur. Tertiò, Anno ſequenti 8. Kal. Iunij cauſa repetita, ex Originali Cęciliani Epiſcopi Carthaginenſis Zoſimi commonitorium, falſi conuictum fuiſſe, ſed legatis pro eo pugnantibus communi conſenſu decretam Legationem ad Eccleſias Alexandriæ, Antiochiæ, & Conſtantinopolis, quæſitum vera exemplaria Nicęna. Quartò, Eaque directa ad Bonifacium Zoſimi ſucceſſorem hoc anno, qui fuit poſt conſulatum Honorij XII. & Theodoſij VIII. 6. Kal. Decembris cum literis Cyrilli Alexandrini, & Attici Epiſcopi Conſtantinopolitani, quæ ibi referuntur.

Verùm totam hanc narrationem commentitiam eſſe, & fabuloſam multa conuincunt. Primùm in Codice Aficano, qui lectus fuit in hoc poſtremò Concilio Carthaginenſi, relata fuere omnia Concilia plenaria, quæ ſub Aurelio Epiſcopo eius vrbis habita fuerant à conſulatu Theodoſij III. & Abundantij, qui incidit in annum Chriſti 393. vſque

ad

ad diem 8. Kal. Iunij anni 419. In eo tamen non iſtius Concilij ſub Zoſimo celebrati, non legationis ab eo ad Africanos decretæ, non controuerſiæ de appellationibus agitatæ, non literarum, quæ indè ad Zoſimum ſcriptæ fuerint, apparet veſtigium vllum. Hæc tamen in primis, & ſcribenda, & legenda erant, ſi facta fuiſſent, maximè cùm minima quæque ſuo tempore, & loco ibi recenſita videantur. Deindè cùm Concilium ſecundum plenarium contra Pelagianos habitum fuerit anno 418. menſe Maij, & in eo actum non ſit de hac controuerſia, ſi eius gratia Zoſimus aliud plenarium anno illo celebrari voluit, ante Autumnum, id facere non potuit. Neque poſt. Enimuerò Patres Africani de rebus à ſe Carthagine decretis ſcribere ad eum non potuiſſent, quia anno illo exeunte è viuis exceſſit, vt ex relatione Symmachi Papa V. ad Imperatorem Honorium liquidò conſtat. Scripſiſſe tamen ad eum adhuc viuentem, teſtatur Epiſtola, quæ ad Bonifacium eius ſucceſſorem data aſſeritur, anno ſequenti. Tantùm verò abeſt, vt Autumno illo Zoſimus tractorijs ſuis Patres Africanos ad Conciliũ plenarium Carthaginem conuocarit, vt eo ipſo tempore pleroſque illorum aliò abire compulerit, quemadmodùm Auguſtinus fidem facit Epiſt. 156. ad Optatum ſic ſcribens. [Quamuis tuæ ſanctitatis nullas ad me ipſum datas acceperim literas, tamen quia illę, quas ad Mauritaniam Cæſarienſem miſiſti, me apud Cæſaream præſente venerunt, quò nos iniuncta nobis à venerabili Papa Zoſimo Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo Eccleſiaſtica neceſſitas traxerat.] Et Poſſidius in eius vita cap. 14. [Poſtea in Cęſarienſi Mauritaniæ ciuitate conſtitutus Venerabilis memoriæ Auguſtinus, quò eum venire cum alijs Epiſcopis Sedis Apoſtolicæ literæ compulerunt, ob terminandas videlicet alias Eccleſiæ neceſſitates. Hac ergò occaſione prouenit, vt Emeritum eiuſdem loci Donatiſtarum Epiſcopum, quem ſuæ ſectæ præcipuum in illa Collatione habuerant defenſorem, videret, vt cum eodem publicè in Eccleſia populo adſtante diuerſæ communionis, ex hoc ipſo diſputaret, & prouocaret geſtis Eccleſiaſticis.] Collationem hanc, quam cum Emerito habuit, incidiſſe in Septembrem eius anni, ipſa geſta docent, quæ publicis tabulis ſic conſignata fuere. [Glorioſiſſimis Imp. Honorio XII. & Theodoſio VIII. conſulibus 12. Kal. Octobris, Cæſareæ in Eccleſia Maiori, cum Deuterius Epiſcopus Metropolitanus Cæſarienſis, vnà cum Alypio Tagaſtenſi, Auguſtino Hipponenſi, Poſſidio Calamenſi &c.] Quomodo ergò Concilium plenarium Carthaginem autumno illo Zoſimus contraxit, ſi Epiſcopos Mauritanos, & Numidas menſibus illis Cœſariam Mauritaniæ ablegauit? Et inter cæteros Alypium, Auguſtinum, & Poſſidium, quos in cauſa appellationum Legatos Prouincię Numidiæ Carthagine acta illa conſtituunt?

III. Grauius eſt, quòd tam actorum, quàm Epiſtolarum doctrina pugnat cum doctrina Africæ catholica, quæ tum omnium catholicorum ore contra Donatiſtas prædicabatur. Immò aufert Pontifici Romano eam poteſtatem, quam illo ipſo tempore Donatiſtæ ipſi, vt legitimam, & canonicam agnoſcebant, ſacrilegium arbitrantes eam, vel facto, vel dicto violatum ire. Epiſtolæ enim ad vtrumque Pontificem ſcriptæ, & acta illa ſumere videntur, eos aliam poteſtatem non habere, niſi quæ illis in Concilio Nicœno conceſſa fuiſſet, maximè in appellationibus Epiſcoporum. Quare Patres illi, eas tantùm ſe admiſſuros eſſe, dicunt, quouſque authentica Nicœna reperiantur, ad quorum amuſſim totam poteſtatem Papæ collimari volunt. Quod donec fiat (id eſt exemplaria Nicęna ex Oriente veniant) [hæc, quæ in commonitorio ſupradicto nobis allegata ſunt, de appellationibus Epiſcoporum ad Romanæ Eccleſiæ Sacerdotem, & de clericorum cauſis, apud ſuarum prouinciarum Epiſcopos terminandis, nos vſque ad probationem ſeruaturos profitemur.] Catholici tamen non à Concilio Nicęno, ſed ante Concilium Nicęnum Africam ſubiectam fuiſſe Romanæ Sedi, profitebantur, & appellationes Epiſcoporum ad Tranſmarina longè antiquiores decantabant. [An fortè non debuit, dicebat Auguſtinus, Romanæ Eccleſiæ Melchiades Epiſcopus cum collegis Tranſmarinis Epiſcopis, illud ſibi vſurpare iudicium, quod ab Afris ſeptuaginta, vbi Primas Tigiſitanus præſedit, fuerat terminatum?] Adeò temerarium, & ſacrilegum putauit Auguſtinus, negare Apoſtolicæ Sedi Ius cognoſcendi de Iudicijs Eccleſiæ Africanæ etiam ante Concilium Nicęnum, vt ne Donatiſtas quidem id auſuros, compertum haberet. Et ipſe tunc datis huiuſmodi literis, cum vniuerſa Africa hoc crimine ſe obſtrinxerit? Donatiſtæ autem veriti negare poteſtatem Pontificis Romani in Africana iudicia ad calumnias conuerſi, aliquid aliud cauſari cęperunt, vt conſtat ex Collat. tertiæ diei contra Donatiſtas cap. 5. [Tunc Donatiſtæ, inquit Auguſtinus, ipſum Melchiadem cęperunt crimine traditionis arguere, & dicere, maiores ſuos propterea illius iudicium refugiſſe, quòd traditor fuiſſet.] Si verò adeò planum fuiſſet, quòd Africa tunc iuriſdictioni Papę ſubiecta non eſſet, vt nunc dicunt hęretici, quis ſibi perſuadeat, Donatiſtas non potiùs hoc in puluere gradum fixuros, quàm in lubrico illo, vndè è veſtigio turpiter deiecti fuere? Collatio autem contra Donatiſtas habita fuit paulò ante an. 418. vt Auguſtinus ipſe teſtatur 2. retract. cap. 51. dum aliquantò poſt illam Cæſareę cum Emerito decertaſſe ſe, dicit.

IV. Satis iam diſpicis, Lector, quàm impudens mendacium ſit, quòd Africani iniquum putauerint, vt Epiſcoporum ſuorum iudicia non in prouincijs proprijs, ſed Romę finirentur. Tibi tamen audiendus eſt iterum Auguſtinus, qui epiſtola ſuperiùs allegata, contra Secundum Tigiſitanum principem Donatiſtarum, ſic diſſerit. Hęc res (nimirùm quòd Cęcilianus Epiſcopus Carthaginenſis arbitratu ſuo adire potuiſſet Romanam Sedem) [maximè ſollicitare debuit Secundum, qui tunc erat Primas, ſi propterea Concilium regebat, vt paci conſuleret; facilè enim fortaſſis rabida in abſentem ora placata, vel frenata comprimeret, ſi diceret; Videtis, fratres, poſt tantam ſtragem perſecutionis, miſericordia Dei à Principibus ſęculi pacem eſſe conceſſam. Non debemus nos chriſtiani,

& Epi-

& Epiſcopi vnitatem diſrumpere chriſtianam, quam iam Paganus non inſequitur inimicus. Itaque, aut omnes iſtas cauſas, quas clades turbulentiſſimi temporis inflixit Eccleſiæ, Deo iudici dimittamus, aut ſi aliqui in vobis ſunt, qui certa iſtorum crimina ita nouerint, vt ea facilè valeant edocere, negantesque conuincere, & talibus communicare formident, pergant ad fratres, & Collegas noſtros Tranſmarinarum Eccleſiarum Epiſcopos, & ibi priùs de iſtorum factis, & contumacia conquerantur; quòd ad iudicium collegarum Afrorum malè ſibi conſcij venire noluerunt, vt indè illis denuncietur, vt veniant, ibique obiectis reſpondeant. Quod ſi non fecerint, ibi etiam eorum prauitas, & peruerſitas innoteſcet, miſſaque tractatoria ſuper eorum nomine per totum orbem terrarum, quacumque iam Chriſti Eccleſia dilatata eſt, ab omnibus Eccleſijs eorum communio præcidetur, ne aliquis error in Cathedra Eccleſię Carthaginis oriatur. Tum demùm ſecuri Epiſcopum alium plebi Carthaginis ordinabimus, cùm à tota Eccleſia iſti fuerint ſeparati.] Et infrà. [Sed quia non erant, quæ in Cæcilianum, & ordinationes eius Tranſmarino iudicio probarentur, propterea nec priuſquam ſententiam in eum dicerent, differre voluerunt; Nec poſteaquam dixerunt, perſeuerantet id agere, vt Eccleſiæ Tranſmarinæ in notitiam perferretur: quorum traditorum damnatorum in Africa communionem vitare deberet. Quia ſi id facere tentauiſſent, adeſſet ſibi Cœcilianus, & cæteri, & ſuam cauſam aduersùs fallaces criminatores apud Tranſmarinos Eccleſiaſticos Iudices diligentiſſima diſcuſſione purgarent.] Itaque Auguſtinus, & ore Auguſtini Africa tota vitio vertebat Secundo Epiſcopo Tigiſitano, quòd adhortatus non fuiſſet Epiſcopos Synodi ſuæ, vt Romam Cæcilianum, & alios catholicos accuſatum irent. Quòd paſſus eſſet, eos excommunicatos declarari, antequam iudicio Eccleſiæ Tranſmarinæ à corpore Eccleſiæ vniuerſalis, abſcinderentur, Exprobrat Donatiſtis, quòd innocentiæ catholicorum conſcij, auſi non fuerint adire Romanum Tribunal, vtì debebant. Et erit, qui credat, homines iſta dicentes, iſta ſcribentes detrectaſſe tunc ſubire, Romana iudicia? ad ſola decreta Nicæna, omnem poteſtatem Pontificis Romani retuliſſe? Illi vitio vertiſſe, quòd excommunicatos in Africa, Romæ ad communionem reſtitueret? quòd cauſas finiri non pateretur in prouincijs, in quibus ortæ eſſent? Non erat Africa tunc, etſi fuiſſet Africa, non erat Auguſtinus tam verſatilis, & adeò, vel prodigus verecundiæ, vel inops prudentiæ, vt eadem hinc arguere, indè laudare, hinc aſſerere, indè euertere poſſet, & fidem Chriſti antiqua Pęnorum fide tractare.

V. Audi quid ſcribat rursùm ad Cœleſtinum R.P. eò ipſo anno, quo cum cæteris voluiſſe fingitur, vt iudicia ſua non Romæ ampliùs, ſed in prouincijs proprijs finirentur. Epiſtola eſt 261. ſcripta occaſione Antonij Epiſcopi Fuſalenſis, de quo cap. 3. n. 6. dictum eſt. [Collabora, inquit, nobiſcum obſecro pietate Venerabilis Domine Beatiſſime, & debita charitate venerande, Sancte Papa. Et iube, tibi, quæ directa ſunt, omnia recitari: Vide Epiſcopatum qualiter geſſerit, quemadmodùm iudicio noſtro, vſque adeò conſenſerit, communione priuatus; niſi priùs Fuſalenſibus omnia redderentur. Iam poſtea citra acta æſtimantibus rebus, ſolidos ſepoſuerit, vt ei communio redderetur. Quàm verſuta ſuaſione Sanctum Senem Primatem noſtrum grauiſſimum virum, vt ei cuncta crederet, quem velut inculpatum Venerando Papæ Boniſacio commendaret, induxerit, & cætera à me quid opus eſt recoli, cùm memoratus venerabilis Senex ad tuam Sanctimoniam retulerit vniuerſa? In illis autem multiplicibus geſtis, quibus de illo noſtrum iudicium continetur, magis deberem vereri, ne tibi minùs ſeuerè, quàm oporteret, iudicaſſe videamur, niſi ſcirem, vos tàm propenſos ad miſericordiam, vt non ſolùm nobis, quia illi pepercimus, verùm etiam ipſi exiſtimetis eſſe parcendum. Sed ille, quod à nobis, aut benignè, aut remiſsè factum eſt, in præſcriptionem vertere, ac vſurpare conatur. Clamat, aut in mea cathedra ſedere debui, aut Epiſcopus eſſe non debui.] Et infrà. [Exiſtat exemplo ipſa Sede Apoſtolica iudicante; vel aliorum iudicia firmante, quoſdam pro culpis quibuſdam, nec Epiſcopali ſpoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos, quę vt à noſtris temporibus remotiſſima non requiram, recentia memorabo. Clamet Priſcus prouinciæ Cæſarienſis Epiſcopus, aut ad Primatum locus, ſicut cæteris, & mihi patere debuit, aut Epiſcopatus mihi remanere non debuit. Clamet alius eiuſdem prouincię Victor Epiſcopus, cui relicto in eadem pęna, in qua Priſcus fuit, nuſquam, niſi in Diœceſi eius ab alio communicabatur Epiſcopo; Clamet, inquam, aut vbique communicare debui, aut etiam in meis locis communicare non debui. Clamet tertius eiuſdem prouinciæ Laurentius Epiſcopus, & prorsùs huius vocibus clamet: aut in cathedra, cui ordinatus ſum, ſedere debui, aut Epiſcopus eſſe non debui.] Imprudens igitur, & nimiùm imprudens fuit Author Epiſtolarum, & actorum, qui diſſidium hoc illo tempore finxit, quo animos vtriuſque partis ab omni diſſidio iudiciorum cauſa procul fuiſſe, huiuſmodi teſtimonijs probari poterat.

VI. Prudentia pari, Patres Africanos à Presbyteris, & à Laicis ad Epiſcopos, à minori ad maius ſic argumentantes inducit. [Nam etſi de inferioribus Clericis, vel Laicis videtur præcaueri, quantò magis hoc de Epiſcopis voluit obſeruari?] Vaniſſimum argumentum, & quod ex diametro pugnat cum primis principijs Patrum Africanorum. Dicebant illi, vt vidimus ex Auguſtini Epiſt. 161. [Neque enim de presbyteris, aut Diaconis, aut inferioris ordinis Clericis, ſed de Collegis, agebatur, qui poſſunt aliorum Collegarum, & præſertim Apoſtolicarum Eccleſiarum iudicio cauſam ſuam integram reſeruare] Quare Patrum Africanorum aſſerta erant: de Iudicijs Tranſmarinis licere Epiſcopis, quod non licebat Presbyteris; prohiberi Presbyteris, quod non prohibebatur Epiſcopis. Author verò Epiſtolarum hoc illis argumentum appingit: Si non licet Preſbyteris, quantò minus Epiſcopis? Si prohibetur Presbyteris, quantò magis Epiſcopis?

Digitized by Google

Et hanc Epiſtolam, vel Catholico ore dictatam, vel Catholicorum manibus exaratam Lector crediderit?

VII. Miſcentur etiam Epiſtolis multa vana, & inepta, indigna, quæ talibus Authoribus tribuantur, quale eſt, quod Cæleſtino dicunt. [Aut quomodo Tranſmarinum iudicium ratum erit, ad quod teſtium neceſſariæ perſonæ, vel propter ſexus, vel propter ſenectutis infirmitatem, multis alijs intercurrentibus impedimentis, adduci non potuerunt? Quaſi quæ iudicio formando præparabantur, in Africa peragi non poſſent, ſententiæ dictione reſeruata Apoſtolicæ Sedi. Aut quaſi aliquis reprehendiſſet vnquam Romanam Remp. quòd ex orbe Vniuerſo Romam appellari voluiſſet. Et mittebantur quidem proceſſus informatiui à Primatibus Prouinciarum ad R. P. vt ſupra Auguſtinus docebat exemplo cauſæ Epiſcopi Fuſalenſis, & vt oſtendimus nos in cauſa Pelagij, & Cæleſtij cap. 2.

VIII. Romæ, non alibi audiebantur, qui Romam vndecumque prouocabant. Pelagius, Cæleſtius, Antonius Fuſalenſis, Priſcus, Victor, Laurentius, & alij, quos ſuprà recenſuit Auguſtinus, in Vrbe omnes auditi ſunt; & in Vrbe eorum omnium cauſæ finitæ. At quòd Romani Pontifices hìc ad alias gentes Legatos expedirent, vt vnius ſimplicis Presbyteri cauſa, nationes commouerentur, Concilia Nationalia conuocarentur, tanta Epiſcoporum multitudo, deſtitutis gregibus ſuis, huc, illuc vagaretur, quando vnquam auditum? vnius tamen Apiarij cauſa id à Cæleſtino in Africa factum narratur.

IX. Ineptiæ ineptijs, & mendacia cumulantur mendacijs, dum Author ſuadere volens Pontifici, ne admittat Appellationes Epiſcoporum ad Romanam Sedem, dicit: [Quia & nulla Patrum definitione hoc Eccleſiæ derogatum eſt Africanæ, & decreta Nicæna, ſiue inferioris gradus Clericos, ſiue ipſos Epiſcopos ſuis Metropolitanis apertiſſimè commiſerunt. Prudentiſſimè enim, iuſtiſſimèque prouiderunt, quæcunque negotia in ſuis locis, vbi orta ſunt, finienda.]

Paulò antè non apertiſſimè, ſed per conſequentiam inferebat quòd Epiſcoporum iudicia, ex decretis Nicænis in ſuis quibuſque Prouincijs finiri deberent, quia ſcilicet de Presbyterorum, & Laicorum cauſis Nicææ ita decretum erat. Nunc autem oblitus ſui, non ampliùs per conſequentiam; ſed apertiſſimè id ibi decretum dicit. Ego autem dico, neque apertiſſimè, neque per conſequentiam.

In quinto Canone Nicæno, & in alio nullo agitur de his iudicijs, in quo ad Lectoris oculos prouoco, ſi vel apertiſſimè, vel obſcuriſſimè de cauſis Epiſcoporum quicquam dicatur. Verba eius ſunt hæc.] De his, qui Communione priuantur, ſeù ex Clero, ſeù ex Laico ordine ab Epiſcopis, per vnamquamque Prouinciam ſententia regularis obtineat, vt hi, qui abijciuntur, ab alijs non recipiantur. Requiratur autem, ne puſillanimitate, aut contentione, aut alio quouis Epiſcopi vitio videatur à Congregatione ſeclusus. Vt ergo decentiùs inquiratur, benè placuit, annis ſingulis per vnamquamque Prouinciam bis in anno Concilia celebrari, vt communiter ſimul omnibus Epiſcopis congregatis Prouinciæ, diſcutiantur huiuſmodi quæſtiones. Et ſic qui ſuo peccauerunt Epiſcopo, euidenter Excommunicati, rationabiliter ab omnibus exiſtimentur, vſquequò, vel in Communi, vel Epiſcopo placeat humaniorem pro talibus ferre ſententiam. Concilia verò celebrentur, vnum quidem ante Quadrageſimam Paſchæ, vt omni diſſenſione ſublata, munus offeratur Deo puriſſimum. Secundum verò circa Autumni tempus.] Hic eſt Canon ille de Iudicijs, in cuius viſceribus Author iſte apertiſſimè videt poteſtatem Metropolitanorum in iudicandis Epiſcopis. At ego video quidem in illo Poteſtatem, quam habent Epiſcopi excommunicandi Clericos, & Laicos ſuæ curæ ſubiectos. Video Clericos, & Laicos excommunicatos in vna Prouincia, in alia ad Communionem admitti non debere. Video Clericorum, & Laicorum cauſas ſubſidiaria per appellationem actione, ſubiectas eſſe iudicijs Synodorum Prouincialium. Video ſic excommunicatos poſt confirmatam Epiſcopi ſententiam à Synodo Prouinciali, vt verè excommunicatos ab omnibus debuiſſe vitari, vſquequò reſtituerentur, vel ab ordinario, vel à Synodo Prouinciali; Et video demùm Concilia Prouincialia bis quotannis ob huiuſmodi cauſas conuocari debuiſſe. At quòd Epiſcoporum cauſæ, & eorum iudicia Metropolitanis deferantur, hic nullo modo video. Vter verò noſtrum minùs viderit, an Author Epiſtolarum, qui vidit, quod nuſquam eſt, an ego, qui id me non videre profiteor; Lector iudicabit.

X. *Immò ne quis hoc* Canone derogatum putaret antiquis Priuilegijs Patriarcharum Ægypti, & Orientis, qui de omnibus cauſis ſuarum Diœceſeun cognoſcere poterant, ſi volebant, & contra illos eas conſequentias inferret, quas contra Romanum infert homo iſte; ſtatim Canone 6. Patres Nicæni ſequuntur. [Antiquæ conſuetudines teneant in Ægypto, Libya, & Pentapoli, vt Alexandrinus horum omnium habeat poteſtatem; quoniam etiam Epiſcopo Romano, eadem Conſuetudo eſt; ſimiliter autem, & in Antiochia.] Quo Canone apertiſſimè ſeruatur Patriarchis illæſa Poteſtas ſua in omnibus rebus, cauſis, & iudicijs, quæ regula quarta, & quiuſcta Metropolitanis, & Synodis Prouincialibus delata fuerant. Si verò Patres Nicæni omnes Patriarchas de iudicijs Synodorum Prouincialium, & Metropolitanorum, quotieſcumque liberet, cognoſcere poſſe ſanxeruut, nonne apertiſſimum mendacium eſt, quòd omnes cauſas finiri debere voluerint in illis Prouincijs, in quibus ortæ eſſent? & quòd cum præiudicio Romanæ Poteſtatis Epiſcopos Metropolitanis ſubiectos eſſe decreuerint? Quòd ſi ita eſt, & Africa erat in Diœceſi Romani Patriarchæ, vt non noſtri tantùm, ſed & vulgò hæretici iam confitentur, efficitur, quòd quando Zoſimo omnis alius titulus, & omnis alius Canon defuiſſet, ſolo iure Patriarchali ex Canone ſexto Nicæno cognoſcere poſſet omnes cauſas Eccleſiarum Africæ, ſi voluiſſet. Quid ergò opus erat ei, Canonem Sardicenſem ſupponere pro Nicæno, vt id ſe poſſe probaret?

XI. Nihil eſſe ſolet tam abſurdum, & incre-

credibile, quod non aliqua veriſimilitudine poſſit ſuaderi: hoc tamen, quod fingitur, de Canone Sardicenſi à Zoſimo in Africam miſſo, adeò abſurdum eſt, vt quicquid huic ſtabiliendo excogitari, & confingi poteſt, id omne ad primum mentis obtutum, quaſi fumus diffluat, & euaneſcat. Si enim, vt vidimus, Africa tota pacificè admittebat Appellationes ſuas ad Romanam Sedem, vt ſemper admiſerat; ſi ipſamet hanc poteſtatem Papæ, eamquam rem omninò certam, & Sanctam, Donatiſtarum defectioni publicè tunc obiectabat, certè non erat, vndè Zoſimus moueretur ad mittendum Canonem iſtum in Africam, vt ibi Romanam Poteſtatem aſſertum iret.

Marcus Epheſius in concilio Florentino Seſſ. 20. dixit, hunc Canonem miſſum in Africam, vt probaretur, quòd Romanus Pontifex Oecumenicus appellari debuiſſet. At ſplendidè, vt ſolebat, mentitus eſt; neque enim, vel in canone, vel in omnibus actis concilij de hac appellatione eſt verbum, vel apex. Immò titulum iſtum tunc adeò execrabantur Romani Pontifices, vt poſt triginta annos ne ſpontè quidem oblatum à concilio Calchedonenſi recipere voluerint, vt teſtatur S. Gregorius lib. 4. Ep. 36. & lib. 7. Ep. 30.

Illyricus dixit, poſtulaſſe ſibi Romanos Pontifices à Patribus Africanis, Iuriſdictionem in Africam, & in omnes alias regiones, ad eàmque probandam per legatos Canonem iſtum miſiſſe. Sed neque id petijt Zoſimus, neque de Africa, vt peteret, opus erat, quòd iam, tacentibus Romanis Pontificibus, Africa ipſa contra Donatiſtas tolleret Petri Vexillum. De alijs verò Regionibus, Zoſimus adeò fatuus non fuiſſet, vt earum ius ab Africanis ſibi petendum putaret.

Caluinus inſtit. lib. 4. c. 7. §. 9. Canonem Mileuitanum de Appellationibus ad Tranſmarina huius Legationis cauſam fuiſſe contendit: [cùm enim, inquit, in Mileuitano concilio, vbi aderat Auguſtinus, excommunicati eſſent, qui prouocarent vltra Mare, conatus eſt Romanus Pontifex efficere, vt id decretum corrigeretur,] Cæterùm oſtendimus nos illum canonem non Mileui, ſed Carthagine editum fuiſſe; neque Excommunicatos omnes, qui appellarent, ſed ſolos Presbyteros, & Clericos inferiores; neque ſi appellarent à Synodis Africæ ad Tranſmarina iudicia, ſed ſi à iudicijs ordinariorum immediatè Romam prouocarent. Idque demùm quicquid fuerit, non inuito, & inſcio, ſed ſciente, & iubente Romano Pontifice factum fuiſſe. Quare opus non erat mittere in Africam canonem iſtum, vt ille corrigeretur, quem oſimus ſancitum volebat.

Marcus Antonius de Dominis canonem de obreptione Communionis à Romana Sede, Legationis, & controuerſiæ cauſam fuiſſe vult, multòſque numeros farcit ampullis ſuis. At oſtendimus nos, id falſum eſſe, eoque canone appertè confirmari Romanum Primatum, Si ergo Zoſimus cauſam mittendi hunc canonem nullam habuit, cur miſiſſe dicemus? Nemo feciſſe præſumitur, quòd cauſam non habuit faciendi.

XII. Vt verum vero conſonat, ſic falſum falſo ſemper cohæret. Etiam Epiſtolam Cyrilli ad Africanos duo arguunt falſi. Primum quòd Paſcha antiquo more in annum 420. indicitur ad diem 15. Aprilis, cùm tamen eo anno fuerit April. 18. quod ab alijs quoque obſeruatum eſt, Deindè citatur in ea pro 20. Canonibus Nicænis, miſſis à Cyrillo in Africam, teſtimonium hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, in qua referuntur, ad eamque Auctor ablegat Patres Africanos. Hæc autem eſt hiſtoria Ruffini, in qua ſola hi Canones compendio adſcripti ſunt, vt etiam in Notis ſuis Iuſtello placet. Cæterùm Ruffinus antecedentibus annis ab Anaſtaſio R. P. damnatus fuerat, tamquam Origeniſta, & eo nomine tunc erat infamis. Origeniſtas verò adeò exſecrabatur Cyrillus ſucceſſor, & nepos Theophili, à quo primùm damnati fuerant in Ægypto, vt in ipſum quoque Chryſoſtomum diù animo iniquiore fuerit, quòd aliquando Origenis libros legiſſet.

Cæteros autem, qui Origeni vtcumque addicti eſſent Epiſcopi Alexandrini in Ægypto, ne morari quidem patiebatur. Et Cyrillus tunc ad Ruffini libros Patres Africanos prouocarit? Apud Africanos, qui in Pelagianam hæreſim recenter tanto exarſerant zelo, fidem fecerit ſibi ex teſtimonio Ruffini, quem Africani hæreſeos Pelagianæ Principem paulò antè, & auctorem dete̊xerant? Hoc certè eſt, nimiùm inueriſimiliter mentiri.

Iam ergo ſi Canones eius concilijs actis iſtis repugnant, ſi publicæ tabulæ, ſi locus, ſi tempus, perſonæ, doctrina, praxis vniuerſalis Africæ illis, & Epiſtolis refragantur; ſi hæc omnia mille mendacijs referta nullo probabilitatis inuolucro tegi poſſunt: reſtat, vt tamquam adulterina liberè accenſeantur antiquis hæreticorum dolis, & impoſturis, quibus, vt dicebat Tertullianus, non potuiſſet ſuccedere corruptela doctrinæ, ſine corruptela inſtrumentorum eius.

D. MELCHIORIS
CANI
EPISCOPI CANARIENSIS

Ordinis Prædicatorum, Primariæ Cathedræ in Academia Salmanticenſi olim Præfecti;

Locorum Theologicorum Liber Quartus, Quintus, & Sextus,

ET PRIMO

DE ECCLESIÆ CATHOLICÆ AVCTORITATE, quæ tertio loco continetur.

LIBER QVARTVS.

Melchior Canus vulgò Cano, Prædicatorum Sodalis oppidum quoddam Toletanæ Diœceſis Tarancon appellatum patriam ſortitum fuiſſe fama eſt, & putat Author Bibliothecæ Hiſpanæ. Ibi enim edita eſt Anna eius ſoror Melchioris alterius Cani, in vita, & poſt mortem excellentis in Dominicana Familia Mater; vt Monopolitanus Epiſcopus Hiſtoriæ huius ordinis, parte 4. lib. 3. cap. 31. diſertè affirmat. Parentis ipſe meminit initio libri 11. De Locis Theologicis Viennæ Auſtriæ, tunc extincti cum abſoluiſſet librum 10; cuius cauſa non ſolum hunc laborem, ſuſcepiſſe, ſed & ei nuncupaturum fuiſſe ſi viueret, teſtatur. Non temerè autem nomen non ſilendum prætcrijſſe dicendus eſt. Dominicanis ſe aggregauit Salmanticæ ad S. Stephani ampliſſimam huius ordinis domum. Profecit in Theologicis maximè ſub ſummo ætatis ſuæ, & profeſſionis viro Franciſco Victoria ibi docente, qui Cani ingenio, vt ipſe aiebat egregiè delectabatur, & tamen vereri ſe adiungebat, ne huius inſolentia elatus, & exultans immoderatè iactaretur, & grandior effectus non latè modò, & liberè ingrederetur, ſed temerè etiam, ac licenter Præceptoris veſtigia conculcaret. Quod Victoriæ iudicium quoddam veluti frænum aliquantulum retinuit, vt approbaret in ſe ipſo, quod in alijs condemnabat, non etenim probabat eos, qui veluti Sacramento rogati, ipſe loquitur, vel etiam ſuperſtitione conſtricti, vt Fabius, ait, nefas ducunt à ſuſcepta ſemel perſuaſione diſcedere; Theologo quippè nihil eſt neceſſe in cuiuſquam iurare leges; Maius enim eſt opus, ad quod ipſe tendit, quàm vt Magiſtri debeat ſemper veſtigijs inſiſtere, ſi quidem eſt futurus

Theo-

Theologiæ laude perfectus. Id verè ingenium tantæ expectationis non totum Scholæ dedit; nec ijs conflictationibus, quas modicæ vtilitatis credebat, imò initio libri 10. affirmat, vt ſe quauis via, & ratione liberaret ab ijs aliquando ſeriò cogitaſſe. Interim animaduertens verum Theologum vix euaſurum, qui ſine literarum ſecularium, & hiſtoriæ cognitione, linguarumque Orientalium peritia horas omnes ieiunis quæſtionibus impendit, non ſolùm ab his diſciplinis egregia ſibi comparauit adiumenta, & ornamenta, ſed & inſignem eloquentiæ cultum veluti elegantiſſimam veſtem pulchro corpori adiunxit. Quo magis inſtructus ad Academiam redijt eo tempore ſummis viris viduatam, exiſtimans honeſtiſſimum, ſe in eo exhibiturum officium Chriſtianæ reipublicæ, ſi animum ſuum in Schola repugnantem contineret. Victoria anno 1546. diem ſuum obeunte Canus docendi locum è cathedra principe ſuſcepiſſe dicitur, qui fortè iam veſpere militabat. Bartholomeus Carranza, & Miranda, qui poſtea fuit Toletanus Antiſtes florebat, eo iam tempore in Prouincia Caſtellæ non minùs opinione literarum, quàm dignitate, cum quo malè conueniebat Canus, adeò vt factio ſua quemque ab eius cognomine appellata in negotijs domeſticis ſectaretur. Impatiens vnuſquiſque apparebat ſecundi loci in literarum laude, aut in ſodalium exiſtimatione. Academico munere conſpicuus Canus Italiam ad Concilium venit ſub Paulo Tertio Tridentinam ad vrbem conuocatum, ibique tam iudicij maturitatis, quàm mentis perſpicaciæ, profundæ ſapientiæ, ſingulariſque facundiæ laudem eximiam communi omnium collegarum ſententia reportauit. Cuius rei ſatis idoneum teſtimonium præſtare poterit Sforza Pallauicinus S. R. E. Cardinalis doctiſſimus, dum in Concilij Tridentini hiſtoria Italica lingua edita vix vſquam Cani recordatur, quin eum commendet. In Hiſpaniam, reuerſus Salmanticæ adhuc docuit, ſuccedentique vice Caroli Philippo Filio gratus valdè extitit, cui nempè Regi Author fuiſſe dicitur non tamen ſine totius Collegij Salmanticenſium Theologorum, ac Iuriſperitorum ſuffragatione Conſilij de Iuſtitia Belli aduersùs, quemcumque ſuprema etiam in terris dignitate ſublimem pro defenſione propriæ ditionis excuſabiliter inferedi. Quod quidem ingratiſſimum fuiſſe dicitur Paulo Quarto Summo Pontifici, vixque ab eo obtineri potuiſſe etiam pacatis rebus, vt ad nutum Regis Epiſcopus ille Canariarum Inſularum in locum Franciſci de la Cerda, eiuſdem eximij ordinis Dominicani Capræ Comitis Filij crearetur. Cùm tamen huic honori ne ab Hiſpania diſcederet renuntiaſſet, non diù poſt electus ante annum prouinciæ ſuæ Caſtellæ Præfectus ſeculi ſuperioris ſexageſimo vitam cum morte Toleti commutauit. Immortalem ſibi famam præparauit in opere illo vix iuſti voluminis, quod verè tot laudatores, & admiratores habet, quot Lectores, Locorum ſcilicet Theologicorum lib. 12. in quibus non modò vera refellendi vniuerſos Chriſtianæ Religionis hoſtes, confirmandique ſacra dogmata ratio, ac vſus exactè oſtenditur, verùm etiam omnia ferè, quæ hodie in controuerſia habentur luculentiſſimè examinantur. Id nonniſi poſt Authoris mortem primùm Salmanticæ publici iuris factum fuit apud Matthiam Gaſtium 1562. fol. editionem promouente Domino D. Ferdinando de Valdes Hiſpalenſi Archiepiſcopo, & Generali Hiſpaniarum Inquiſitore, cui Canus edendum legato reliquerat. Nec tamen perfectum; Deſtinauerat enim in decimum tertium, ac 14. libros pro colophone operis adiungere, ad quos ſępè in fine capitis 3. lib. 10. cap. 2. libri 8. cap. 4. libri 12. & cap. 1. libri 11. eorum qui extant Lectorem remittit. Deindè prodijt Venetijs ex officina Bartolomæi Rubini 1567. in 8. Louanij 1569. Coloniæ 1574. iterumque 1585. apud Birkman in 8. tertiòque 1603. cum Relectione de pœnitentia. Hæc ſunt Topica loci, ſeu ſedes argumentorum à Theologis vſurpandi, vndè non benè Sixtus Senenſis, & alij poſuere ſub titulo de diuinorum librorum expoſitoribus, quaſi vtiliſſimum librum de locis difficilibus Sacræ Scripturæ compoſuiſſet, cum in eo opere Scriptura non appareat, niſi vt vnicus locus Theologicus. In hoc veluti Sole aliquæ maculæ viſæ ſunt apparere. Nam Seraphinus Razzius Scriptor in hiſtoria Italica virorum illuſtrium Ordinis Prædicatorum ex hoc opere confecit ſuas de locis Theologicis prælectiones, quibus compreſſiùs, & magis arctè collegit eruditionem omnem Cani, cum vindicatione quorumdam grauiſſimorum Patrum, qui ab ipſo Cano paſſim in ſuo alioquin eruditiſſimo opere ſugillantur, atque reprehenduntur. Peruſij 1603. in 4. Factum eſt, & aliud epitome de locis Theologicis à Cornelio, ſeu Callidio Gordano, & Moguntiæ publicatum in 8. vt refert in Bibliotheca Belgica Valerius

An-

Andreas. Nempè vir Doctiſsimus à quibuſdam non optimè audire cæpit propter acriorem cenſuram adhibitam S. Gregorij Papæ Dialogis, Bedæ ſuper hiſtoriam Anglorum, alijſque, quod inconſtanter, & inconſultè ab eo factum contendit multis Cæſar Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium Romanum die 23. Decembris. Quò quidem reſpexiſſe videtur Gabriel Nardæus in Bibliographia ſua Politica, vbi loquens de Authoribus commentantibus ſuper hæreſim ait. vtile etiam eſt Caſſandrum euoluere, qui tot lites apertè quidem componere tentauit, licèt maiore cura, quàm ingenio, & Melchiorem Canum, qui hoc idem, ſed occultè conatus eſt ingenio maiori, quàm pietate, & propemodum admirabili iudicio. Poſſeuinus etiam miſcet aliquam reprehenſionem inter laudes forſan ob librum inſcriptum Iudex Ieſuitarum, quamuis ſub nomine Alphonſi de Vargas latente, aſſerit enim ſi potuiſſet recognoſcere ſua opera, vel alios de eodem argumento Scriptores conſuluiſſet, maturiùs adhuc reliqua propoſuiſſet. Cæterum ore Sapientum laudatur liber iſte, & Cardinalis Sforza Pallauicinus in Vindicationibus Societatis Ieſu Romæ editis anno 1649. cap. 28. hæc de Cano ſolidæ laudis habet Elogia. Lege Melchiorem Canum, qui aureo planè volumine hanc ipſam de locis Theologicis tractationem ante omnes, ſuprà omnes eſt exequutus. Idemque primus fuit reor, qui docuerit, & quod minùs eſt Latinam linguam in lyceo diuina effari, & quod maximum catholicos bellum, & cladem Nouatoribus inferre. Boetius Epo lib. 2. Heroicarum, & Eccleſiaſticarum quæſtionum quæſt. 3. perſpicaciſſimum dicit. Ab Hottingero etiam Caluiniſta Bibliothecarij lib. 3. cap. 4. ſcriptor ſatis candidus appellatur. Sed omnium præſtantiſſimè Cardinalis de Aguirre in ſua Defenſione Cathedræ Sancti Petri ſic aureè. Melchior Canus, quem nunquam ſine imitatione, nunquam ſine admiratione lego. Præter hunc librum, & ſuprà nominatum alterum edidit Relectionem de Pænitentia habita in Academia Salmaticenſi anno 1548. ſuper decimam quartam diſtinctionem libri 4. ſententiarum. Compluti apud Petrum de Robles 1563. in folio, Relectionem alteram de Sacramentis in genere, quæ vna cum Superiore Mediolani edita eſt 1580. in 8. Aduerſùs ſtatutum Eccleſiæ Toletanæ, quo infecti ſanguinis homines à beneficijs huius Eccleſiæ arceantur quodquam ſcripſiſſe, & in lucem emiſſum legitur. Nos ex duodecim libros tres eligimus, 4. De Eccleſiæ auctoritate, 5. De Concilijs, 6. De Romanæ Eccleſiæ.

LIBER QVARTVS.

De Eccleſia Catholica Auctoritate, qua tertio loco continetur.

CAPVT PRIMVM.

Quibus argumentis Eccleſia auctoritas impugnetur.

TErtia huius operis pars perfecta eſt, quam Theologis cupio eſſe notiſſimam. In quarto nunc libro auctoritatem Eccleſię explicare, ac tueri debemus: de qua ita copioſè à viris Eccleſiaſticis diſputatum eſt, vt vna hac de re magna etiam volumina ediderint. Quorum conſilium quale fuerit, nihil ſanè ad hoc tempus. Illud autem eſt huius inſtitutæ ſcriptionis, ac temporis, de Eccleſiæ auctoritate in fidei iudicio diſſerere, atque adeò id docere breuiter, an ex fidelium communi ſenſu firma duci argumenta poſſint ad dogmata Theologiæ comprobanda. At Montanus quidem diſcipulis ſuis primus ſuaſit, vt nihil reuerentię deferrent Eccleſiæ, quæ per orbem terræ eſt, quemadmodùm Apollinaris, Euſebiuſque teſtati ſunt. Neſtorius deindè totam Eccleſiam errare affirmauit, quæ ignaros, ſic enim aiebat, erroneoſque Doctores ſequeretur, vt Vincentius Lirinenſis retulit. Et Iconomachi pòſt aſſeruere, Eccleſiam adorandis imaginibus diù, ac multùm in turpi errore verſatam, quod ſynodus ſeptima in actione ſexta tradidit. Nam & Donatiſtas, & Rogatianos Eccleſiæ Catholicæ auctoritatem, non voce illos quidem, ſed re ipſa tamen contempſiſſe, Auguſtinus ſcripſit cùm aliàs ſæpè, tum in epiſtolis, 48. ad Vincentium, 80. ad Bonifacium, 161. ad Honoratum. Et, ne omnes commemorem, Lutherus demùm ſuum Wuicleff. ſecutus eſt, Eccleſiamque cùm in alijs, tum in eo errare dixit, quòd ſub vna ſpecie, contra Chriſti legem communionem tribuit laicis. Quin aſtruit aliquando, ſi verà Coclæus perhibet, erraſſe illam mox ab initio, vt qui

Pau-

Paulo repugnante ſenſerit, legem, & opera eſſe neceſſaria ad ſalutem. Breuiter, hæreticis omnibus hoc gentile eſt, ſimulatque ſeſe Eccleſiæ auctoritate vrgeri vident, aut illam ſpernere, aut Eccleſiæ rem ad ſe, nomenque transferre, & eam in illis eſſe negare, in quibus reuera eſt. Vtrunque horum, quoniam ambo in vnum, idemque recidunt, plurimis argumentis hæretici perſuadere conantur.

Primum Argum. Eſt huiuſmodi, Aaron ſummus ipſe Sacerdos, alijque ex plebe, ſiue maiores, ſiue minores, vitulum conflatilem adorarunt, eique obtulerunt hoſtias pacificas, & holocauſta: Eccleſia ergo Chriſti ad eundem modum poterit ſculptile, & imagines adorare. Id ſi faciat, vt facit, errabit ſine dubio in fide, ac religione turpiſſimè.

2. Arg. Rurſùm, Eccleſia Iſaiæ, Hieremiæque temporibus in vnius veri Dei cultu lapſa eſt, quid igitur prohibet, quò minùs, & nunc in Deo vno, veroque colendo erret? Eadem quippè Eccleſia eſt, nec in hac re vllum reperietur populi noui, veteriſque diſcrimen. Quòd verò eſt huius argumentationis antecedens, id eorumdem Prophetarum clariſſimis teſtimonijs exiſtimant ſe oſtendere. Cognouit bos, prior ille inquit, poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Iſrael autem me non cognouit, &c. à planta pedis, vſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas. Ec poſterior, Confuſi ſunt, ait, domus Iſrael: ipſi & reges eorum, princeps, & ſacerdos, & Prophetæ, dicentes ligno. Pater meus es tu, & lapidi, Tu me genuiſti. Et paulò poſt: Quid vultis mecum iudicio contendere? Omnes dereliquiſtis me, dicit Dominus. Item, circuinite vias Hieruſalem, & quærite, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem: & propitius ero ei. Ego autem dixi, forſitan pauperes ſunt, & ſtulti, ignorantes viam Domini, iudicium Dei ſui. Ibo igitur ad optimates, ipſi enim cognouerunt viam Domini. Et ecce magis hi confregerunt iugum, &c. Tota igitur Eccleſia eo tempore errabat.

3. Arg. Prætereà Eccleſiam non oportet digito demonſtrari: quin nulla apparente forma conſiſtere in occulto poteſt. Fruſtrà autem eius iudicium expectes, cùm, quæ ſit, penitùs ignores. Illud ſuadent, quoniam in populo Iudæorum ſic ſæpè Eccleſia deformata eſt, vt nulla eius ſpecies extaret. Quam enim putamus formam eminuiſſe, cùm Helias ſolùm ſe relictum deploraret? Quam cùm populus ille apud Babylonios, Perſas, Ægyptioſque diſperſus ſine ſacerdotio, ſine templo, ſceptro, gentibus, ac dijs alienis in terra aliena ſeruiret? A Chriſti ergo aduentu deformis etiam latere Eccleſia poterit: belliſque, ſeditionibus, & hæreſibus ita opprimi, vt nulla parte reſulgeat.

4. Arg. Et ſanè ſuo iam ſæculo Hilarius latentem Eccleſiam potiùs credebat, quàm cernebat. Adeò Ariana factio omnia miſcuerat. Malè, inquit, vos parietum amor cępit: malè Eccleſiam Dei in tectis, ædificijſque veneramini; malè ſub his pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum eſt, in ijs Antichriſtum eſſe ſeſſurum? Montes mihi, & ſyluę, & lacus, & carceres, & voragines ſunt tutiores; in his enim Prophetæ, aut manentes, aut demerſi Prophetabant. Quibus ille, verbis modeſtè, ac verecundè ſignificat. Eccleſiam Chriſti non in Epiſcopis, non in ſacerdotibus, non in templis, non in populi frequentia, ſed in pijs eſſe quærendum; qui interdùm Prophetarum more, vel in agro, lociſque deſertis errant, vel in ſyluis abſtruſi ſunt in ſpeluncis, & in cauernis terræ.

5. Arg. Quid, quòd ſub diuerſis Pontificibus diù ſchiſmate perdurante nulla interim Eccleſiæ facies apparuit? Manifeſtam porrò Eccleſiam, ſi eius ſæculi fideles requiſiſſent, nec aliam crederent, quàm quæ oculis cerneretur humanis, nullam profectò inueniſſent. An verò tunc nulla fuit, quoniam occulta fuit.

6. Arg. Atque, vt antèhac Eccleſia dilucidè, clarèque reſplenduiſſet, qui ſcimus tamen, an poſthac veram ſemper, genuinamque formam ſit habitura? Nimirùm enim, ſi præteritis ſæculis, ita Dominus, populi ſui facinora vindicauit, vt eum, & abſurdiſſimis mendacijs ludi, & altiſſimis tenebris offundi paſſus ſit; cur non timeamus, Eccleſiam Chriſti etiamnum cæca nocte, craſſaque caligine adeò occultari, & circumfundi poſſe, vt nulla eius vera facies effulgeat? Quaſi verò iam nulla ſint Domini iudicia, vt eodem pœnæ genere mundum hodie puniat, quo populi veteris ingratitudinem aliquando vltus eſt. Nempè, vt paſtores, atque oues ſtupore, ac cæcitate percutiat, Eccleſiæque ſuæ exteriorem notitiam ab hominum aſpectu auferat. Hìc videlicèt hæretici, qua re confecta inſultant, noſque miris modis irrident, qui gloriemur in verbis illis, Templum Domini, templum Domini eſt. Tranſlata, inquiunt, Samaria eſt; & cùm Hieruſalem externis laruis inhærens templum, cæremonias, ſacerdotium, ſacramenta, ſcripturaſque iactaret; & ipſa quoque tranſlata eſt. Ita, quod de orientali Eccleſia accidit, idem occidentali poterit; vt forma eius, vel in fumos abeat, vel certè omninò deliteſcat. Ecquis autem fidem fecit, aut peccata noſtra, quàm illorum, eſſe leuiora, aut Deum in nos, quemadmodùm in illos, non eſſe animaduerſurum? Præſertim cùm non obſcurè vaticinetur Apoſtolus, venturam in Eccleſia defectionem, quæ vtique venire non poteſt, dum vera Eccleſiæ forma, & facies extiterit. Qualis autem hæc illo erit tempore, de quo Dominus ait: Verumtamen, filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra? Qualis, inquam, erit, cùm deficient hoſtia, & ſacrificium? Qualis demùm, cùm, vt Ioannes ſcribit, putei fumus ſolem, & aerem obſcurabit? Qua ex re nihil ſanè aliud intelligitur, quàm Eccleſiam, vſque adeò noſtra hac ætate obſcurandam, vt niſi in tenebris inueniri non queat. Quid autem externam Eccleſiæ faciem, fulgoremque defendimus, cùm omnis gloria filiæ reges ab intus? Quòd ſi inuiſa, & occulta Eccleſia eſt; inexploratum quoque, & incertum erit, quòd ſumetur ex eius auctoritate argumentum.

7. Arg. Prætereà, Eccleſia ex ſolo prædeſtinatorum numero conſtituitur, ſoli autem Deo notus eſt numerus electorum in ſuperna fęlicitate locandus: Eccleſia igitur nobis abdita omninò, & incognita eſt. Prior illa propoſitio, in qua difficultas tota ineſt,

ſua-

Digitized by Google

ſuadetur, in primis Auguſtini teſtimonio, diſertis verbis aſſerentis, ex numero ſolùm prędeſtinatorum, qui in occulto ſunt intùs, conſtare hortum concluſum, fontem ſignatum, puteum aquæ viuæ, paradiſum cum pomorum fructibus. Nemo verò fidelium dubitat, Eccleſiæ Chriſti hæc propriè eſſe attributa omnia. Sed ne ambigi quidem poteſt, quamuis non ita Auguſtinus exponeret, in horto concluſo, & fonte ſignato non alios intelligi, atque eos, de quibus ſcriptum eſt, Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, Nouit Dominus, qui ſunt ſui. Probat quoque eandem rem Auguſtinus ex eo, quòd Petrus arcam Eccleſiæ typum eſſe dixit, in qua octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam. Non ergo niſi ij, qui ſeruantur, intra arcam eſſe exiſtimandi ſunt. Nam Chriſtus non eſt alterius Eccleſiæ caput, niſi eius, cuius ſaluator eſt, & quam ſibi exhibet glorioſam, vt ad Epheſios docet Apoſtolus. Ij ergo, qui nec ſalui, nec glorioſi futuri ſunt, non ſunt eius Eccleſiæ partes, cuius Chriſtus caput eſt. Deindè, à filijs Dei Eccleſia conficitur, vtpotè cùm non aliorum ſit Eccleſia mater, ac eorum, quorum Deus pater eſt. Hos autem verè filios Dei eſſe liquet, qui paternam hæreditatem percepturi ſunt. Si filij, inquit, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Ouile item Chriſti, non niſi ex Chriſti ouibus conſtituitur: at oues Chriſti illæ modò ſunt, de quibus ipſe ait, Oues meæ vocem meam audiant, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum. Ioannes denique Euangeliſta de quibuſdam, qui ab Eccleſia exiſſe videbantur, cùm re vera nunquam fuiſſent in Eccleſia. Ex nobis, ait, prodierunt: ſed non erant ex nobis. Quid ita? Quia ſi fuiſſent, inquit, ex nobis; permanſiſſent vtique nobiſcum. Non igitur ex Eccleſia ſunt, niſi, qui in ſuſcepta gratia permanent. Atque hunc locum, quoniam in promptu erat, Auguſtinus in libro ad corre. & gra. cap. 9. & de bono perſe. cap. 8. de prædeſtinatis intelligit, ſcilicet Hieronymum ſecutus in dialogo aduersùm Luciferianos.

8. Arg. Ad hæc, veram Chriſti Eccleſiam perfectam eſſe, & immaculatam oportet. Tota enim pulchra eſt, & macula non eſt in ea. Et rurſum, Vna, ait, eſt columba mea, perfecta mea. Et Apoſtolus quoque ipſe ſine macula eam, ac ruga deſcribit. Et Iſaias, Non adijciet, inquit, vt pertranſeat per te incircumciſus, & immundus. Eccleſiam verò immaculatam cenſere, cuius membra nonnihil impuritatis habeant omnia, quàm inane, ac fabuloſum eſt? Nulla igitur eiuſmodi nunc temporis extat Eccleſia. Illo ſolùm tempore extitiſſe videtur, cum verè à Ioanne ſcriptum eſt: Omnis, qui peccat, non cognouit eum. Et, omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit. &, Non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt. In hoc manifeſti ſunt filij diaboli. Quòd ſi vniuerſos, qui Eccleſiaſticæ ſocietatis participes ſunt, neceſſe eſt ſine peccato, & macula exiſtere; aut nulli profectò ſunt, aut occulti nobis, & incogniti ſunt. Quod Apoſtolus videtur affirmare, cùm Eccleſiam Chriſti à Synagoga diſcernens, non eam ſenſibilem, & tractatam, ſed ſpiritualem, intractatamque deſcribit, nempè ex ſolis perfectis, prædeſtinatiſque conſtantem. Non acceſſiſtis, ait, ad tractabilem montem, & acceſſibilem ignem, ſed ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Hieruſalem cęleſtem, & Eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cęlis, ſpiritus iuſtorum perfectorum.

9. Argum. Adde, quòd Eccleſiam non quamlibet, ſed ſanctam fideles tenentur credere. At in ſancta congregatione, non niſi ſancti intelliguntur. Filij ſapientiæ, inquit, Eccleſia iuſtorum. Quòd ſi homines aliquot demonſtres, quorum vel vnus iniquus ſit, falsò dixeris hos eſſe æquos. Quemadmodùm ſi ex decem viris vnus ſedeat, cæteris licèt currentibus, decem currere falſum eſt. Eſt quoque altera cauſa eiuſdem rei vehementiſſima, quòd ſi mali membra Eccleſiæ ſunt, membra etiam Chriſti erunt. Sunt autem haud dubiè membra diaboli. Quare & ijdem ciues Hieruſalem, ac Babyloniæ ſimul erunt, & membra quoque ſimul Chriſti, & diaboli. Quo quid abſurdiùs, aut dici, aut excogitari poteſt? Niſi fortè ſocietas eſt luci ad tenebras, conuentio Chriſti ad Belial. Membra certè corporis eiuſdem ſibi viciſſim contraria eſſe non queunt, at contra bonum, malum eſt, contra vitam mors, & contra virum iuſtum peccator, vt ſapiens ait: non ergo iuſtus, & peccator Eccleſiaſtici ſunt corporis membra. Docet item Ariſtoteles auctor ſentiendi grauiſſimus, cui etiam Diuus Thomas aſſentit, membra mortua non aliter eſſe membra, atque ea, quæ picta, & figurata ſunt: peccator ergo, cum mortuus ſit, membrum Eccleſiæ, & pars verè, ac propriè non eſt, ſed æquiuocè, ac figuratè. Præterea vnus panis, & vnum corpus multi ſumus, quemadmodùm in priore ad Corinthios epiſtola Apoſtolus tradidit; conſtat autem, vt acutè Cyprianus ad Magnum argumentatur, panem ex multorum granorum adunatione congeſtum: peccatores ergo, qui paleæ ſunt, ſicut nec in panis, ita nec in corporis Eccleſiæ compoſitionem veniunt. Id, quod Auguſtinus non obſcurè teſtatur, atque ita multis in locis, vt de iudicio eius dubitari non poſſit, quin hanc habuerit firmam, perpetuamque ſententiam. Libro enim contra Petilianum ſecundo: Nec putandi ſunt mali, ait in Chriſti corpore eſſe, quod eſt Eccleſia, quamuis ſacramentorum eius corporaliter participes fiant. Item libro contra Creſconium ſecundo: qui mente, inquit, peruerſa videtur intùs eſſe, cùm foris ſit, ab ipſo Chriſto iam iudicatus eſt. Et poſteriùs. Etiam neſcientes Eccleſia, propter malam, pollutamque conſcientiam damnati à Chriſto, iam in corpore Chriſti non ſunt, quod eſt eccleſia, quoniam non poteſt habere Chriſtus membra damnata. Proindè & ipſi extra eccleſiam baptizant. Omnia quippè iſta monſtra abſit omninò, vt in membris columbæ illius vnicæ computentur. Loquitur autem dubio procul de fidelibus peccatoribus, vt ex antecedentibus & conſequentibus liquidò apparet. Item libro de vnitate eccleſiæ affirmat, malos in eccleſia minimè deputari. Item libro quarto de baptiſmo contra Donatum, & libro ſexto diſertè etiam affirmat; qui contra Chriſti mandata faciunt, eos ad illam eccleſiam non pertine-

tine-

tinere, quam Chriſtus mundat lauacro aquę, & de qua ſcriptum eſt: Vna eſt columba mea. Et libro ſeptimo ait, malos non pertinere ad compagem domus, quæ eſt eccleſia, atque haud ſecùs in domo eſſe, quàm palea dicitur eſſe in frumento. Sed & in eodem libro Cyprianum refert in epiſtola ad Magnum, huius ſententiæ non ſolùm auctorem, ſed etiam confirmatorem. Confirmat autem eam illo prophetico teſtimonio: Qui habitare ſacit vnanimes in domo. Quibus igitur nec vna anima, nec vnum cor in domino eſt, hi in Eccleſia, quæ domus Dei eſt, nullo modo habitant. Et Hieronymus. Eccleſia, ait, Chriſti non habet maculam, nec rugam. Qui ergo peccator eſt, & aliqua ſorde maculatus, de eccleſia Chriſti non poteſt appellari. Poſſibile eſt autem, vt peccator currat ad medicum, & curentur vulnera ipſius: & ſiat de eccleſia, quæ corpus eſt Chriſti. Quòd ſi eccleſiam, cuius auctoritati deferimus, ſanctam eſſe neceſſe eſt, atque adeò ex pijs ſolùm, iuſtiſque conſtare: nuſquam porrò ſaciet certam in Theologia fidem, quouſque certo iudicio demonſtret ſe ſanctam eſt. Id quod nullo modo poteſt, ſiquidem ſolus Deus nouit corda filiorum hominum.

10. Arg. Quærunt etiam à nobis, cur in cenſenda eccleſia inſaniamus, cùm eam minimè dubio ſymbolo deſignarit Chriſtus? Ego, inquit, ſum paſtor ille bonus: & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ: Oues meæ meam vocem audiunt, & ego cognoſco eas: & ſequuntur me. Qui ergo vocem Chriſti non audit, is ad Chriſti ouile non pertinet: ac perindè ne pars quidem Eccleſiæ Chriſti eſt.

11. Arg. Præterea ſi eccleſiam boni ſimul, ac mali conſtituerent, qua ratione propter iuſtos pauculos ſancta dicitur, eadem, ac multò etiam maiore propter iniquos plurimos iniqua eccleſia diceretur. Quamobrem idem omninò cœtus, & Chriſti eſſet eccleſia, & ſynagoga ſathanæ. Non igitur niſi boni Chriſti eccleſiam conficiunt. Quocirca inuiſa hominibus illa eſt, atque adeò minùs cognita, quàm vt eius teſtimonium certam, & exploratam faciat fidem.

12. Arg. Duæ inſuper eccleſiæ ſunt, Græca, & Latina, quarum vtri credendum ſit, non ſatis, vt aiunt, expeditum eſt. Reſponderi ſolet, Gręcos eſſe ſchiſmaticos: idcirco apud eos Eccleſiam perijſſe. Quo iure? Quia à Romano Pontifice deſciſcendo priuilegium Eccleſiaſtici nominis amiſerunt. Quid verò? an non multò magis amittunt; qui à Chriſto vero Eccleſiæ capite deficiunt? Atque ante Chriſti natiuitatem vna priorum omnium Eccleſia fuit, nec in ea tamen fuit vnus paſtor, aut rector. Non ergo ex vno Pontifice Eccleſiæ nomen, ac veritas pendet. Eccleſia igitur Græca erit, quamuis Epiſcopo Romano non pareat. Quo videlicet mortuo, nihilo ſeciùs vna Eccleſia eſt, eademque, & columna, & firmamentum veritatis. Non ergo ex hoc capite Eccleſiæ veritas, vnitaſque exiſtit. Sed ſi vnum Dominum habet, vnam Chriſti fidem, vnum baptiſma: ſi vnum filium agnoſcit, vnum ſpiritum colit, vnum Deum, & patrem omnium ſuſcipit, vna Chriſti Eccleſia erit. Ijs enim rebus vnam Chriſti Eccleſiam definit Apoſtolus. Nihil itaque cauſæ eſt, cur Græci, in quibus ea omnia inſunt, in quibuſque multi etiam boni ſunt viri, Eccleſiam Chriſti non faciant? Arroganter igitur Eccleſia Latina in fidei iuditio Eccleſiæ catholicæ ſibi nomen vſurpat. Quapropter niſi idem cum Græca ſentiat, Eccleſiæ vniuerſalis auctoritate caret: non tenemurque perindè eius iudicium revereri, ac ſi catholica verè eſſet.

13. Arg. Præterea, catholica eccleſia ideo vocatur, quia per omnes gentes, perque totum orbem diffuſa eſt. Vt Auguſtinus lib. 2. con. Petilia. patefecit, hæc verò ſola eſt, quæ ſuo nos iudicio ligat, & aſtringit, quoniam hanc, & non aliam quamlibet ſacræ nobis literæ commendarunt, quemadmodùm plurimis in locis idem Auguſtinus oſtendit: non ergo Eccleſia, quæ modo eſt, ſi qua demùm eſt, certam auctoritatem habet, vt quæ catholica, id eſt, vniuerſalis eſſe deſierit.

14. Arg. Præterea, ex vniuerſalis Eccleſiæ ſententia nullum omninò argumentum ſumi poteſt. Quomodo enim fidelium omnium ſenſum in fidei quæſtione requiremus? Vanum eſt igitur ab Eccleſia catholica velle argumentum ducere. Forſitan quiſpiam dixerit. Paſtores Eccleſiam repræſentant, atque adeò ipſiſſima Eccleſia ſunt. Eorum itaque ſenſum quærere ſatis eſſe, quippè cùm idem omninò ſenſus Eccleſiæ ſit. At erat Iſaiæ temporibus Eccleſia Hieroſolymis: de paſtoribus verò ſic loquitur, Speculatores eius cæci omnes, neſciunt vniuerſi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia. Ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam. Omnes in viam ſuam declinauerunt à ſummo vſque ad nouiſſimum. Durabat quoque Eccleſia ad tempus Hieremiæ: audiamus quid de paſtoribus dicat, Quomodo dicitis, ſapientes nos ſumus, & lex domini nobiſcum eſt? Verè mendacium operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum. Confuſi ſunt ſapientes, verbum enim domini proiecerunt, ſapientia nulla eſt in eis. A minimo vſque ad maximum omnes auaritiam ſequuntur: à propheta vſque ad ſacerdotem cuncti faciunt mendatium. Cur autem ſecundum hanc rationem Eccleſiam non referent 400. prophetæ illi, qui Achab mentiebantur omnes? At Eccleſia Dei vera, id eſt, quicunque in populo erant pij, à partibus Micheæ ſtabant. Certè, ſi res ad eum modum habet, Eccleſiæ imaginem præ ſe ferrent prophetæ, & ſacerdotes, cùm aduerſùs Hieremiam omnes ad vnum fidenter ſanè iactarent, non poſſe fieri, vt periret lex à ſacerdote, conſilium à ſapiente, verbum à propheta. Aduerſùm omnes tamen vnus Hieremias mittitur, qui à Domino denunciet fore, vt lex pereat à ſacerdote, conſilium à ſapiente, verbum à propheta. Quòd ſi ſacerdotes, & paſtores Eccleſiam Dei conſtituunt, cuius vereri teſtimonium oporteat, ſequitur, ab Eccleſia Dei alienos fuiſſe, cumque illa etiam pugnaſſe. In Iſraele quidem Heliam, Michæam, & ſimiles: in Iuda autem Iſaiam, Hieremiam, & reliquos eius notæ, quos ſui ſæculi ſacerdotes, paſtores, & prophetæ non à ſe modò abalienarunt, ſed diris etiam execrati ſunt. Illud, ſi abſurdum, & impium

exiſtimandum eſt, vt ne dicam etiam ſtultum: maneat ſacerdotes, & Paſtores Eccleſiam Dei non fuiſſe: ſed impiam aduerſùs Deum conſpirationem, cœtumque hominum peſſimorum, à quorum neceſſe fuit conſenſione deſciſcere. Cùm itaque paſtores etiamnum ſimiles veterum eſſe poſſint, nec Chriſti Eccleſiam profectò referunt, nec ex eorum iudicio dogmata fidei probantur. Atque ſi ex paſtoribus, & Epiſcopis Dei eccleſia conſtat, vbinam gentium eccleſia reſidet, ex quo Baſileenſe concilium Eugenium pontificatu deiecit, ſubrogato in eius locum Amedæo? Concilium ſiquidem, quantum ad extremos ritus attinet, legitimum fuit: nec ab vno ſolùm Pontifice, ſed à duobus indictum. Damnatus eſt illic Eugenius ſchiſmatis, rebellionis, pertinaciæ, cum toto cardinalium, & Epiſcoporum grege, qui concilio refragebantur. Ex illorum ſchiſmaticorum, rebellium, pertinacium gremio prodijt, quicquid poſtea Paparum, cardinalium, Epiſcoporum, abbatum, presbyterorum fuit. Vtram igitur in partem eccleſiæ nomen conferentur? Negabimus ne generalem ſynodum eam fuiſſe, quæ præſidente Romanæ ſedis legato conſecrata eſt? An fatebimur ſchiſmaticum Euangelium cum tota ſua cohorte, à qua omnes ſuccedentes epiſcopi ſanctificati ſunt? Aut ergo paſtores in concilium etiam generale coacti eccleſiam Dei minimè repræſentant, aut quotquot ſunt, ab hæreticis & ſchiſmaticis ordinati ſunt. His potiſſimùm argumentis Lutherani abutuntur. Nam, quod Caluinus addit, duo eſſe eccleſiæ ſymbola, verbi ſynceram prædicationem, & ſacramentorum adminiſtrationem rectam: in catholicorum verò cœtu pro verbi miniſterio mendacijs conflatam regnare doctrinam, in locum cœnæ Domini fœdiſſimum ſacrilegium ſubijſſe, publicos in templa conuentus idololatriæ, & impietatis ſcholas eſſe: quamobrem veram apud nos, & germanam Chriſti eccleſiam non eſse, ſed Sathanæ exitialem, & ſacrilegam coniurationem. Id quoniam imprudenter, turpiter, & maledicè obijcitur, non eſt in præſentia referendum.

CAP. II.

Quid Eccleſia voce ſignificetur.

EGo verò pergam, & id ſaciam, quod in principio fieri, cùm in omnibus diſputationibus, tum in hac magis oportere cenſeo: vt quid illud ſit, de quo diſputatio ſit, explanetur: ne vagari, & errare cogatur oratio, ſi ij, qui inter ſe diſſenſerint, non idem eſſe illud, de quo agitur, intelligent. Eccleſia ergo Græcum nomen eſt, &, ſi verbum verbo reddas, Latinè conuocatio dicitur: ſiue quòd omnes ad ſe vocet, vt Iulio, & Rabano viſum eſt, ſiue quòd quicunque in eam conueniunt, hi non meritis, & iuſtitia ſua, ſed Dei gratia, & vocatione conueniant. Nam & hanc nominis etymologiam ſpero lectoribus placituram. Eccleſiæ quippè Romanæ ſcribens Paulus, Omnibus, ait, qui ſunt Romæ, vocatis ſanctis, &c. Atque in priore ad Corinthios epiſtola: Eccleſiæ Dei, inquit, quæ eſt Corinthi, vocatis ſanctis, &c. Et paulò poſt: Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius Ieſu Chriſti: quæ ſine dubio ſocietas cùm Chriſti Eccleſia ſit, qui titulum ſibi illum arrogant, hi videant, an hæreticorum more penès ſe Eccleſiam exiſtere mentiantur. Verùm de nominis ratione nihil moror, Eccleſia certè concio eſt: vndè Eccleſiaſtes, concionator. Et licèt generaliter vox illa quandoque vſurpata ſit pro quacunque concione, ſiue impiorum, ſiue piorum, infidelium, atque fidelium, ſed in nouo teſtamento, quantum memoria repetere poſſum, nuſquam infidelium concio Eccleſia vocata eſt. Qui quidem vſus adeò in Chriſtianis inualuit, vt in nulla nunc multitudine eccleſiæ nomen agnoſcant, niſi Chriſti fide, & vocatione coaluerit. Eſt autem Eccleſia, & locus ipſe, quò multitudo confluit, & ipſa propriè multitudo. Cuius vtriuſque rei exempla ſunt in ſacris literis plurima. Illud verò diſcrimen inter Synagogam, & Eccleſiam ſcriptores ſancti obſervarunt, quòd populus ille vetus æquè, & Eccleſia, & Synagoga nuncupatus eſt, at Chriſtianam plebem nec ſcriptura ſacra, nec vllus vnquam probatus auctor Synagogam appellauit, id porrò aut diſcernendę vtriuſque reipub. cauſa factum eſt: vt quod inter congregationem, quod Synagoga notat, & conuocationem, quod ſonat Eccleſia, nonnihil interſit. Congregari enim pecora ſolent: vnde & greges dicimus, non hominum propriè, ſed pecudum, aut beſtiarum, at conuocari, niſi hominem non ſolent. Tantùm Chriſti Eccleſia Synagogam excellit. Et quamuis ſocietas angelorum, & hominum interdùm vocetur eccleſia, nonnunquam verò regnum cælorum, quod ex hominibus comprehenſoribus, viatoribuſque conficitur, nobis tamen in præſenti non eſt animus diſſerendi, niſi de eccleſia militante, hoc eſt, cœtu fidelium viatorum. Nec neceſſe eſt, hos vocis ſignificatus exemplis adhibitis, cùm ea paſſim, & in literis ſacris, & in ſanctorum hominum libris occurrant. Sanè verò, quemadmodùm infideles nondum baptizatos in eccleſiæ Chriſti voce intelligere, non cum veritate ſolùm, ſed cum ſenſu etiam communi pugnant: ita hæreticos partes eccleſiæ non eſſe, conſtituendum eſt. Id, quod commune eſt quidem omnium Theologorum, non eorum modò, qui nuper ſcripſerunt, ſed eorum etiam, qui vetuſtate ipſa habentur nobiliſſimi. Teſtantur hoc Cyprianus, Auguſtinus, Gregorius, duoque concilia Lateranenſe, & Florentinum. Rectè igitur Nicolaus Papa definit, eccleſiam eſſe catholicorum collectionem. Certè neruoſiùs qui eccleſiam finiunt, illi non dubitant eam fidelium tantùm numero conflari: qui autem remiſſiùs, hi tamen non audent, quos catholicos eſſe non vident, eos eccleſiæ homines appellare. Abſurdum eſt enim, qui catholicæ eccleſiæ partes non ſint, hos eccleſiæ Chriſti partes aſſerere.

At Papa etiam hæreticus, donec ab eccleſia deponatur, cùm ſuam retineat ſemper auctoritatem, caput adhuc eccleſiæ erit hęretici itaque in eccleſiæ partibus numerabuntur. Apoſtolus quoque cum dixiſſet Hymenæum, & Philetum à veritate excediſſe, & ſubuertiſſe quorundam fidem, ſubiunxit, In magna

gna

gna domo non ſolùm eſſe vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia: quædam quidem in honorem, alia verò in contumeliam. Quibus verbis, vt Auguſt. ait, eos etiam, qui à fide aberrarunt, in magna domo eſſe ſignificat, ſcilicet non vt vaſa in honorem, ſed vt vaſa in contumeliam. Quam omninò ſententiam Cypriani quoque teſtimonio confirmat. [Sed enim ad ea, quæ promiſimus, exoluenda properantibus, non eſt conſilium ſcrupulos omnes, qui in via obijciuntur, excutere. Quid enim illud hoc loco expendamus, an Papa hæreticus eſſe poſſit? Quid illud rurſùm, an ſimul, atque in hæreſim lapſus eſt, eccleſiæ caput eſſe deſineret? At horum vtrumque tamen priore argumento diluendo neceſſe erat explanare. Quod nec breuitatis noſtræ eſt, nec ad opus inſtitutum pertinet. Et ſi quid de hiſce rebus dicendum erit, alio loco opportuniùs dicetur. Atque illam quæſtionem quidem in libro ſexto nos explicaturi ſumus, de hac autem in libro Octauo. Pap. & Con. Caietanus noſter longè, lateque diſſeruit.] Ne autem argumenti huius difficultate deterriti dare terga videamur, intelligendum eſt, dupliciter eccleſiam poſſe dici. Primùm eam, quam fidelium omnium ab initio mundi vſque in fine congregatio conficit, quomodo D. Thomas de eccleſia loquitur, 3. parte q. 7. art. 3. illique omnes, qui eſſe nunc eandem eccleſiã dicunt, quæ fuit, & in populo Iudæorum ſub lege Moyſi, & in hominibus pijs ſub lege olim naturali. In quem ſenſum Catechumeni ſunt membra eccleſiæ veriſſima. Non enim hæc baptiſmi ſacramento ſecernitur, ſed fide, quæ omni tempore populum Dei ab infidelium cœtibus diſcriminauit. [Deindè & ea eccleſia dicitur, quæ in Chriſti nomine per baptiſmum cogitur, qui & fidei ſacramentum eſt, & propriè eccleſiæ membra, parteſque facit, & Chriſti eccleſiam à Synagoga diſtinguit. Huius eccleſiæ nec Catechumeni partes ſunt, & illi omnes ſunt partes, qui à baptiſmo Chriſti characterem habent, niſi poſt hæreſim exteriorem publico eccleſiæ iudicio fuerint exciſi. Quamdiù enim aliquis reipubli. miniſter eſt, eiuſque auctoritate, & poteſtate fungitur, tamdiù illius pars dici, & poteſt, & debet. In hoc igitur ſenſu quemadmodùm eccleſia, hoc, eſt Reſpub. Chriſtiana, non interiore ſolùm fide conſtituitur, ſed baptiſmi etiam exteriore ſacramento: ſic eius partes non interior modò infidelitas, ſed ſchiſma, externique iudicij diuiſio ſeparat, Itaque ſi in illa Nicolai finitione eccleſia hoc ſecundo modo accipiatur, fideles dicantur, oportet non à Chriſti fide, ſed à fidei ſacramento. Verùm de hoc in cap. huius libri poſtremo plura.] Argumento verò poſteriori ita reſpondeo. Apoſtolus ſi ad Hymenæum, & Phyletum verba illa retulit, non ad id tempus ſpectauit, quo iam de domo fidelium communi per ſectam priuatam exierant. Sed illud potiùs, quo per ſuſceptam fidem, ac baptiſmum in magna domo continebantur. Quæ ſententia eſt Auguſtini his ipſis, quos attulimus, locis, Quanquàm propter Cyprianum, cuius ſe dicit auctoritate vrgeri, fatetur etiam hæreticos in magna domo quodammodo eſſe, propter eadem ſacramenta, quibus admini-

ſtrandis cum eccleſia conueniunt.] Verùm id Auguſtinus, vt dixi, inuitus addidit; nam illud potiùs libenter ſequitur. Ego verò, vt, quemadmodum ſentio, loquar, non intelligo, quid cauſæ Auguſtino fuerit, vt verba Cypriani in eum ſenſum acceperit, qui mihi ſanè tam apparet à Cypriani mente alienus, quàm cælum à terræ natura alienum eſt. Nam, vt omittam, quòd in locis paulò antè à me citatis, Cyprianus ipſe hæreticos non obſcurè ab eccleſia excludit, certè in epiſtola ad Antonianum, cuius Auguſtinus teſtimonio abutitur, non ſolùm non ab ea ſententia diſcedit, ſed eandem apertiùs confirmat, inquiens: [Quod verò ad Nouatiani perſonam pertinet, ſcias nos curioſos eſſe non debere, cùm foris doceat, Quiſquis ille eſt, & qualiſcunque eſt, Chriſtianus non eſt, qui in Chriſti eccleſia non eſt, &c. Nec alia Cypriano cauſa fuit hæreticorum baptiſma negandi, niſi quia eos extra eccleſiam, & eſſe, & baptizare, perpetua illi fuit, firmaque ſententia. In verbis autem, quæ Auguſtinus refert, nihil aliud Cyprianus ſignificat, quàm Nouatianorum arrogantiam, & tumorem, qui putarent ſe poſſe facere id, quod ne Apoſtolis quidem conceſſum eſt, vt zizania à frumento diſcernerent, paleas ſepararent à tritico; vaſiſque ligneis, & fictilibus eiectis aurea, argenteaque ſeligerent. Vbi per vaſa lignea, & fictilia non eos Cyprianus accepit, quorum ſermo, vt cancer ſerpſerat, ſed eoſdem prorſus, quos & zizania, & paleas vocauerat, hoc eſt, fragiles, & imbecillos, qui firmis, perfectiſque erant, ſuntque ſemper in eccleſia permixti. Quos Nouatiani, quoniam ferre non poterant, humilitatis, ac lenitatis obliti, ab eccleſia ante tempus eijcere conabantur. Quanquam, vaſa lignea, fictiliaque ad ſolos improbos referre, quòd Cyprianus facit, non Auguſtino ſolùm, ſed mihi etiam parum probatum eſt.] Senſus igitur Apoſtoli planus eſt. Cùm enim dixiſſet, quoſdam à veritate excidiſſe, &c. ne omnes fragiles exiſtimarentur, ac proindè eccleſiæ fidei timeremus, ſubijcit, Sed firmum fundamentum Dei ſtat, &c. Quia verò quæreret fortaſſe quiſpiam, cur Deus in eccleſia ſua alios firmos, alios infirmos haberet: hos ſtare, illos excidere pateretur? Huic reſpondet Apoſtolus, in magna domo non ſolùm eſſe vaſa aurea, & argentea, ſed lignea, & teſtacea, &c. [Eſt & altera huius Apoſtolici teſtimonij intelligentia, ex qua Manichæorum, Pelagianorum, Cathatorum, Donatiſtarum, Begardorum, & Beguanorum pariter eluuntur errores, in quos Hymenæus fortè, & Phileeus incurrerant. Non enim veroſimile fit, in eam hos amentiam incidiſſe, vt aſtruerent corporum reſurrectionem eſſe iam factam. Sed quoniam falſa abſolutæ ſanctimoniæ perſuaſſione imbuti, vitam in carne mortali aſſerebant ſimilem ei, quam iuſti cum angelis poſt reſurrectionem immortales habituri ſunt, ab omni ſcilicet fragilitate, & imperfectione alienam: ideirco vas electionis Apoſtolus eos aſſeruiſſe ait, reſurrectionem eſſe iam factam. Horum igitur vanam, futilemque ſententiam paucis refutat Paulus inquiens. Sed firmum fundamentum Dei ſtat, &c. Quæ verba, ni fallor ego, hunc ſenſum habent: Electio fidelium

ſium ex parte Dei quidem certa, atque immutabilis eſt. Hanc enim ille vocat fundamentum, quoniam primum eſt humanæ ſalutis initium. Nam quos prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit. Firmum igitur fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc. Nouit Dominus, qui ſunt ſui. Electio quippè noſtra nobis ipſis obſcura, & incognita, ſolius Dei notitia quaſi ſignaculo quodam obſignata clauditur, vt hinc, & apud nos incerta, & occulta ſit, & apud Deum ſtata, & fixa. Sed quia ſalus noſtra è noſtro quoque arbitrio pendet, nemo ex electione Dei certam ſibi, ſtabilemque iuſtitiam polliceri debet, nemo ſenſu inflatus carnis ſuæ angelorum religionem in carne mortali prædicare, nemo impeccantiam, & virtutem omnibus numeris abſolutam ſibi aſſumere, nemo reliquorum fidelium aſpernari conſortium, in quibus humanum adhuc aliquid ſubeſſe cernat. Hoc eſt autem, quod ſubiungit, Diſcedat ab iniquitate, &c. Sacagat, inquit, in primis per bona ipſe opera certam facere vocationem ſuam, nec tantum mundiriæ ſuæ fidat, ne timeat iniquitate ſe poſſe contaminari, & pollui. Intelligat deindè, in magna domo non ſolùm eſſe vaſa aurea, & argentea, ſed lignea, & fictilia. Ac quædam quidem in honorem, alia autem in contumeliam. Ita ſi vaſa aliqua frangi cognouerit, reformet ea pro ſua virili, & conſolidet, conſiderans ſeipſum, ne fortè & ipſe frangatur. Atque ſi vas in honorem ſibi videtur eſſe, ferat patienter vaſa in contumeliam: nec horum abominatione à magna domo diſcedat. Nam & vaſa iſta inhonorata, & ingloria, quemadmodum libero arbitrio verſa ſunt in contumeliam, ſic verti eadem libertate poterunt in honorem. Quibus ex rebus non modò argumentum illud eliditur, verùm etiam id conſtat, quod in hac finitione, vel maximè quæritur, Eccleſiam omnium fidelium, & fortium, & imbecillium, & iuſtorum, & iniquorum collectione conſtitui. Id quod ſi planè, ac breuiter confecerimus, nec nos induſtriæ noſtræ, nec ſui lectorum laboris pœnitebit.

CAP. III.

Quinam ſint fideles illi, è quibus verè & propriè Eccleſia conſtetur.

ENimuerò in partibus Eccleſiæ cenſendis tres errores fuiſſe, animaduertimus. Primus eorum fuit, qui non putarunt illic eccleſiam habere partem, vbi non eſt ſolida vitæ puritas, & integritas. Quales olim fuere Cathari, &, qui ad horum veſaniam accedebant, Donatiſtæ, Hodie ſunt ex Lutheranis Anabaptiſtæ, qui cum Pelagianis perfectam omninò in hac etiam mortali vita fidelium eſſe iuſtitiam volunt, cum Catharis, & Donatiſtis nullam in Eccleſia infirmitatem ferunt. Fuere alij, qui ſolis prædeſtinatis ad gloriam locum in Eccleſia conceſſerunt. Cuius erroris auctores præcipui reperiuntur, Ioannes Wicleff, & Ioannes Hus, damnati in Concilio Conſtan. Poſtremi ſolos probos ad Eccleſiam pertinere arbitrati ſunt, improbos autem nullo modo. Id, quod poſt veteres quoſdam modò aſſerunt Lutherani, non omnes, ſed qui in eis habentur nobiliſſimi. Verùm non eſt animus, quæ aduersùm hos errores à catholicis diſputata ſunt, ea hìc exquiſitè reſumere. Summatim ergo argumenta referemus, quibus ſinguli confutantur.

Primus itaque error ante omnia refellitur eiſdem omninò teſtimonijs, quibus Pelagiani olim, & Donatiſtæ refutati ſunt. Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Item, Dimitte nobis debita noſtra. quam orationem Chriſtus Apoſtolos ſuos docuit, qui Eccleſiæ nimirùm partes erant. Item, In multis offendimus omnes. Item, Omnis pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur, vt offerat ſacrificia pro peccatis. Qui condolere poſſit ijs, qui errant, quoniam & ipſe circundatus eſt infirmitate: & propterea debet, quemadmodùm pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis. Item, Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur coràm te omnis viuens. Item, Non eſt homo, qui non peccet. Item, Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, mundus ſum à peccato? Item, Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. cæteraque ſimilia, quę ex Iob, & Daniele referri ſolent. Si igitur eccleſiam in ſingulis etiam membris, omni prorsùs labe, & culpa vacare oporteret, nulla profectò in terris eſſet Eccleſia: quoniam nemo vſquam mortalium eſt, vt prædicta teſtimonia comprobant, qui omni ex parte perfectus, & immaculatus ſit: [Prętereà, Cephas, Eccleſiæ ſine dubio pars erat, qui Eccleſię columna erat, at ei tamen in faciem Apoſtolus reſtitit, quia repræhenſibilis erat, nec rectè ambulabat ad veritatem Euangelij. Non ergo opus eſt Eccleſiæ membra adeò pura eſſe, vt nulla in eis macula, nullus næuus reſideat.] Ad hæc, in Theſſalonicenſibus Eccleſiam agnoſcebat Apoſtolus: in his verò ijſdem quoſdam etiam notabat ambulantes inquietè, & curioſè agentes, quos docet non quaſi alienos, & inimicos exiſtimandos, ſed corripiendos vt fratres Chriſti: igitur confraternitas, & ſocietas aliquos habet fratres, & ſocios imperfectos. Quid plura? Nonne Apoſtolus paruulos quoſdam, & imbecilles in Eccleſia eſſe affirmat? Tamquam paruulis in Chriſto, ait, lac potum dedi, non eſcam. Et rursùm, Infirmum in fide aſſumite. Quid illud? Quoſdam quidem dedit Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem paſtores, & doctores, ad conſummationem ſanctorum, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in virum perfectum, vt iam non ſimus paruuli & fluctuantes. Et ſtatim, Creſcamus, inquit, in illo, ex quo totum corpus compactum, & connexum, augmentum corporis facit in menſuram vniuſcuiuſque membri. Non igitur omnia Eccleſiæ membra vndique conſummata ſunt, expletaque ſuis omnibus numeris, & partibus. Sed otioſum erit ampliùs in erroris huius confutatione verſari, præſertim cùm Auguſtinus, & Hieronymus in hac fermè eadem cauſa diligentiſſimè

mè elaborauerint, Pergamus itaque ad reliqua.

Secunda porrò hæreſis à noſtris maioribus primùm exploſa eſt, quoniam nexu neceſſario illi cohærent aliæ peſtilentiſſimæ in eodem Concilio damnatæ. Si Papa fuerit præſcitus, non habet poteſtatem ſuper fideles, niſi fortè à Cæſare, Item, nullus ſine reuelatione poteſt rationabiliter de ſe aſſerere, quòd ſit caput particularis Eccleſię. Item præſens iuſtitia, & gratia non facit aliquem eſſe, aut Chriſti membrum, aut Eccleſiæ. Item, prædeſtinati etiã infideles ſemper ſunt Chriſti, Eccleſiæque membra. Quare nec Paulus vnquam fuit membrum diaboli, nec Iudas Chriſti: Quæ omnia, & per ſe ſunt falſa perſpicuè, & Catholicæ fidei vehementer repugnantia. Res certè Chriſti publica fuiſſet inſipientiſſimè conſtituta, ſi magiſtratuum in ea poteſtas tantis eſſet tenebris circumfuſa, vt nulli prorsùs fidelium eluceret. Cùm enim vniuerſi fideles dubitent, an Summus Pontifex, Epiſcopi, ſacerdotes, ac cæteri Eccleſiæ miniſtri prædeſtinati ſint necne: dubitent, etiam oportet, num decretis, iudicijſque eorum aſtringantur? Ita fiet, vt Eccleſiæ, ac conſiliorum dogmata ambigua ſint omnia, & leges cunctæ imbecilles, ſineque vi ad coercendum idonea. Quid autem ſtultius dici poteſt, quàm ciuem ciuitatis ſuæ magiſtratus cognoſcere, qui ſint, omninò non poſſe? Qui igitur ita ſentiunt, ij cum ſtultum Chriſtianę Reipub. auctorem faciunt: tum omnia ſcita, præcepta, ſanctiones euertunt, omnemque funditùs Eccleſiæ poteſtatem. Quæ apud eos ſanè vacillet, & cadat neceſſe eſt, quibus oculta, incerta, atque infirma eſt. [Nec argumentis à ratione ductis opus eſt irrationalem, non opinionem dicam, ſed inſaniam coarguere: cùm ad eam refellendam, maniſeſtiſſima ſint ſcripturæ teſtimonia. Vos, inquit, eſtis lux mundi. Non poteſt ciuitas abſcondi ſuprà montem poſita, nec accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, &c. Item: Si non audierit eos, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, &c. Eccleſiam igitur manifeſtam, & cognitam fidelibus eſſe neceſſum eſt. Item, ad regnum cælorum, familiamque ſuam Chriſtus eum quoque ſeruum pertinere docuit, qui, quoniam conſerui ſui non eſt miſertus, tortoribus traditus eſt. Non ergo in Chriſti familia, quę eccleſia eſt, ſoli ſerui prædeſtinati continentur. Item, Simile factum eſt regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo, in quas intrauit etiam ille, qui miſſus eſt in tenebras exteriores. Item, Simile eſt regnum cælorum decem virginibus, quarum quinque erant fatuæ, & quinque prudentes. Non ait quinque ſimile eſſe, ſed decem. Et tamen quinque ex illis clauſa eſt ianua. Item, Eccleſiam eſſe ex prædeſtinatis, præſcitiſque permixtam; illa Chriſti parabola demonſtrat, in qua reti comparatur, quo piſces omne genus colliguntur, nec ſeliguntur, donec in littore ſint expoſiti, vbi angeli ſeparabunt de medio iuſtorum malos, & mittent eos in caminum ignis.

Illa quoque idem oſtendit, in qua agri dicitur ſimilis, qui bona fruge conſitus, zizanijs inimici fraude inficitur, quibus non expurgatur, donec in aream aducta fuerit meſſis, cùm colligenda zizania ſunt, & alliganda in faſciculos ad comburendum. Et quoniam omnia perſequimur, Eccleſia area illa eſt, in qua ſi collectum eſt triticum, vt ſub palea deliteſcat, donec vanno, & cribro repurgatum, in horreum tandem reconditur: paleæ autem conburuntur igni inextinguibili.] Præterea non ex præſcientia, ſed ex præſenti iuſtitia Dei populum, ciuitatem, familiam nominari, illud demonſtrat: Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei. Illud item, Eratis illo in tempore alienati à conuerſatione Iſrael, & hoſpites teſtamentorum. Iam autem non eſtis hoſpites, & aduenæ: ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei, & cæ. Quod, niſi ita ſit, beatus, & iuſtus eſt omnis ille, qui eſt prædeſtinatus ad gloriam, tum etiam cùm miſer, & impius eſt. Non igitur à præſcientia, ſed à præſenti iuſtitia propriè denominamur. Dedit eis poteſtatem, ait, filios Dei fieri. Quibus? Num ijs, quos præſciuit eſſe credituros? Non, ſed his, qui credunt in nomine eius. Item, Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: vt filij lucis ambulate. Item, An neſcitis, quia corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Item, Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt: qui facit peccatum, ex diabolo eſt. In hoc manifeſti ſunt filij Dei, & filij diaboli. Item, Multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Quod, niſi ſecundùm iuſtitiam pręſentem nullo modo ſumus. Item, in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus. Per baptiſmum ergo, & non per prædeſtinationis gratiam in Chriſti corpus tranſimus. Sed in huius erroris confutationem ſatis multa diximus. Iam tertium, eundemque poſtremum refuremus.

Id, quod in primis eædem omninò Euangelij parabolæ conficiunt, quibus antè vſi ſumus. E quibus hoc idem Cyprianus, Hieronymus, Auguſtinus, argumentatur. In agro quippè dominico inter nitentia culta, lappæque, & tribuli, & ſteriles dominantur auenæ. In area paleæ frumentum operiunt. In reti piſces, & boni concluduntur, & mali. In magna domo vaſa ſunt lignea, & fictilia, honorata quoque, & inhonorata. In regno cęlorum cum ſapientib. virginibus fatuæ ſunt. In Chriſti familia ſeruus nequam inuenitur: non ille ſolùm, qui conſeruo negauit miſericordiam, ſed is etiam, qui ſuper familiam conſtitutus, cùm moram domini cauſaretur, priſtinumque timorem abijceret, cœpit percutere ſeruos, & ancillas, edere, bibere, & inebriari. Quid? an non Eccleſias in Apocalypſi legimus, quarum angelos, & miniſtros Deus ad pœnitentiam admiſſi criminis cohortatur? Nonne Apoſtolus ad Galatas eas etiam Eccleſias vocat, quas ipſe idem errore arguit deprauatas? Inter Corinthios quoque non vna erat peccati ſpecies, ſed plurimæ: neque leuia erant errata, ſed flagitia. Et tamen Apoſtolus eos non ſolùm Eccleſiam, ſed ſanctam Chriſti ſocietatem & agnoſcit, & prædicat. Si inter Corinthios manet Eccleſia, vbi feruent contentiones, ſectæ, æmulationes: vbi lites vigent & iurgia, vbi fautur

ſce-

ſceleri, quod gentibus ipſis foret execrabile: vbi proſcinditur Pauli nomen, quem ceu patrem colere debuerant: vbi diuina dona ambitioni, non charitati ſeruiunt: vbi quidam mortuorum reſurrectionem ludibrio habent, vbi permulta demùm indecenter, & inordinatè geruntur: ecquis audet eccleſię titulũ eripere ijs, quibus decima pars iſtorum criminũ impingi non queat? Qui tanta moroſitate ſęuiunt in præſentes Eccleſias, quid quæſo Galatis, Corinthijſque feciſſent, tantùm non Euangelij deſertoribus? [Habet igitur Eccleſia carnales ſuos, quos non eſſe à ſpiritualibus deſerendos monet Apoſtolus. Habet ſuos ægrotos, & infirmos, quibus parata à Chriſto ſacramentorum remedia medici adminiſtrant. Ijs quippè, qui intus ſunt, pœnitentiæ ſacramentum paratum eſt. Quod fruſtrà eſſet in Eccleſia, ſi nulli eſſent in ea peccatores.] Atque Lutherani, quoniam eludere Eccleſiæ iudicia volunt, ne fateri cogantur, improbos habere Eccleſiaſticam poteſtatem, hos eccleſiæ partes eſſe negant, ſibique proindè eccleſiam fingunt, quam nullus hominum videre poteſt, vt quæ tenebras habitat inacceſſibiles. Eccleſiam certè, quam ego non intelligo. Puderet me dicere non intelligere, ſi ipſi intelligerent, qui defendunt. At inuoluere iſti, & obſcurare id volunt, quod in clara luce à Chriſto poſitum eſt, ne à catholicæ Eccleſiæ vnitate receſſiſſe videantur. Nulla eſt autem, vt Auguſtinus ait, ſecuritas vnitatis, niſi apud eccleſiam, quæ ſuprà montem poſita, abſcondi non poteſt: & ideò neceſſe eſt, vt omnibus terrarum partibus nota ſit. [Rectè etiam eſt ab Auguſtino dictum, vbi Eccleſia manifeſta non eſt, ibi ne Chriſtum quidem manifeſtum eſſe poſſe: qui per eccleſiam, non ſolùm hominibus, ſed principibus & poteſtatibus in cæleſtibus innoteſcit. Nobis itaque eccleſia lucerna eſt, ſuper candelabrum poſita, quam videant omnes, qui in domo ſunt. Qualis nimirùm Antiochenis fuit, cum diſceptationis cauſa finiendæ Hieroſolymam aſcenderunt. Qualem præſcripſit Dominus, vbi ait, Dic eccleſiæ, &c. Alioqui, quibus eccleſia occulta eſt, quid habent illi facere, cum in graues incidunt de lege, ac religione controuerſias? Num animi pendere vſque, & nullo firmo loco conſiſtere, incerta nempè erunt omnia, ſi apud ſolos pios eccleſia eſt. in quocunque enim Eccleſiæ iudicio excipiet, is, contra quem ſententia dicitur, quòd iudices non ſunt pij. Quamobrem, qui eccleſiam iuſtorum ſolùm numero definiunt, ij cum à malis eccleſiæ paſtoribus omnem poteſtatem auferunt, tum iudiciorum eccleſiaſticorum vires infirmant, nec vlla habere poſſunt eccleſiæ firma dogmata. Ac niſi Chriſtus intelligeret, malos eccleſiæ ſuæ non partes quaslibet, ſed primas etiam aliquando futuros, nuſquam illud profectò admoneret, ſuper cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, & phariſæi: quæcunque dixerint vobis facite, ſecundum autem opera eorum nolite facere. Quid verò Paulus? Hic iam quæritur, ait, inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, &c. Quòd ſi neceſſarij eſſent boni mores, vt quis eccleſiæ pars, & adminiſter eſſe poſſet: non vtique pro minimo haberet Apoſtolus ab hominibus iudicari, quippè eiuſmodi iudicium cum apoſtolicæ poteſtatis ruina cernebat eſſe coniunctum. Nunc autem videns ad diſpenſatoris poteſtatem illud non eſſe neceſſarium, quod Corinthij nonnulli requirebant, mihi, ait, pro minimo eſt, &c. Iam quot, quámque vehementes ſcrupuli, quanta confuſio, atque perplexitas ipſis etiam diſpenſatorum animis inijcerentur, ſi ex peccato ab eccleſia fierent protinùs alieni, omnemque adeò eccleſiæ poteſtatem amitterent? Benè igitur ſubdit Apoſtolus, ſed nec me ipſum iudico, &c. Humanorum autem iudiciorum quanta temeritas, ſi ab animi virtute Eccleſiæ partes, officiaque penderent? Ea propter adiunxit, itaque nolite ante tempus iudicare, &c. Quantum verò ſchiſmatum quotidie in eccleſia videremus, dum vnus alteri diceret, tu non es de eccleſia, quia malus es: ego de eccleſia ſum, quia ſum bonus? Dumque etiam quem hic damnaret, eum ille defenderent: quantam putas fore litium, iurgiorumque materiam? Præclarè itaque concludit Apoſtolus, hæc autem transfiguraui in me & Apollo, ne vnus aduersùs alterum infletur pro alio, &c. Maneat igitur, eccleſiæ nomen fideles vniuerſos probos, improboſque complecti. Quod in hoc capite ſuſcepimus explicandum.

CAP. II.

Quænam ſit eccleſiæ in fidei dogmate auctoritas.

DE Eccleſiæ nomine ea dicta ſunt, quæ cùm neceſſaria viderentur, præteriri à nobis nec poterant, nec debebant. Nunc ad rem ipſam, quæ eſt in manibus, aggrediamur: oſtendamuſque eccleſiæ auctoritatem tantùm habere ad faciendam fidem virium, vt firmiſſima etiam theologis argumenta ſuppeditet. Hoc priuſquam facio, admonere operæ pretium eſt, eccleſiam non ipſam modò catholicorum concionem eſſe, quæ per baptiſmum Chriſto, & nomen dedit, & peculiaris, nouaque reſpub. conſecrata eſt, verùm etiam principes, ac præfectos ipſos eccleſiaſticos, in quibus ſcilicet reipub. huius auctoritas potiſſimùm reſidet. Nec id nos, aut recenti opinione confingimus, aut ſine ſcripturæ teſtimonijs aſſerimus. Præclarum eſt Ariſtotelis illud: Ciuitatem id maximè eſſe, quod eſt in ea principale. Indè enim, quæ principes, ac gubernatores ciuitatis faciunt, & ſentiunt, ea ciuitas facere, ſentireque dicitur. Cuius rei in ſacris illud exemplum eſt, Congregati ſunt omnes maiores natu Iſrael cum principibus tribuum, & duces familiarum in Hieruſalem. Et inferius, Conuertitque Rex faciem ſuam, & benedixit omni eccleſiæ Iſrael: omnis enim eccleſia Iſrael ſtabat. Illud etiam ſimile huic, venit Moyſes, & conuocans maiores natu populi, expoſuit omnes ſermones, quos mandauerat dominus, reſponditque omnis populus ſimul, cuncta, quæ locutus eſt Dominus, faciemus. Non eſt igitur, cur in hac ſignificatione eccleſiæ vocabulum fideles perhorreſcant: quod hæretici facere ſolent in odium eccleſiaſticæ poteſtatis: quam Chriſtus

ſtus non penès populares, ſed penès eccleſiæ ſacerdotes, ac paſtores eſſe voluit: vt alio, & loco, & tempore, ſi facultas erit, explicabitur. Nunc ſcholæ more rem totam, quæ huius libri caput eſt, quatuor concluſionibus abſoluemus. Sit ergo prima concluſio.

Eccleſiæ fides deficere nou poteſt. Eſt enim ſponſa Chriſti per fidem, ſicut ſcriptum eſt: Deſpouſabo te mihi in fide. Quòd ſi Eccleſiæ fides deeſſet, iam ſponſi, ſponſæque matrimonium dirimeretur: quorum tamen eſt indiſſolubilis, perpetuaque coniunctio. Sponſabo, ait, te mihi in ſempiternum. Et ſponſa, tenui, inquit, eum, nec dimittam. Et ille rursùm, Ecce ego vobiſcum ſum, ait, omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſęculi. Quo teſtimonio ad id probandum vtitur Leo ad Auguſtam, & Theodorum. Probat etiam Iulius in decretis ſuis illo pſalmi teſtimonio, Circundate Sion, & complectimini eam, quoniam hic eſt Deus noſter in ſęculum: ipſe reget nos in ſęcula. Quod de Eccleſia Chriſti intelligi oportere, quicunque pſalmum leget, etiam me non demonſtrante, intellecturus eſt. Idem quoque oſtenditur ex eo, Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Si ergo in æternum Eccleſia Chriſti manu ſuſtinetur, Chriſti pręſidio armatur, Chriſti virtute fulcitur, Chriſti ſapientia regitur, fides profectò in ea permanebit, ſine qua regnum Chriſti in terris nullum eſt. Confirmat autem hoc clariſſima illa Iſaiæ vaticinatio, Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, ſpiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, amodò, & vſque in ſempiternum. Huic, & illa ſimilis eſt, Diſpoſui teſtamentum electis meis, iuraui Dauid ſeruo meo, Vſque in æternum præparabo ſemen tuum. Item elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi. Hæc requies mea in ſęculum ſæculi. Illa verò Hieremiæ eſt longè ſimillima, Ecce dies veniunt dicit Dominus, & cæt. Præterea vir ſapiens deſcribitur à Domino is, qui ædificauit domum ſuam ſuper petram: Chriſtus igitur domum ſuam ſuper petram ſundauit. Quare nec pluuia, nec flumina, nec venti obruere illam poſſunt. At fide ſtamus, vt ait Paulus, Eccleſia igitur fidem ſemper habebit. Nam aliàs non ſtabit, ſed ruet. Quid? quòd apertis verbis hanc fidei firmitatem Eccleſiæ ſuæ Dominus pollicetur, inquiens. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi nou præualebunt aduerſus eam. Eccleſiæ igitur fidem non poterit, vel inferus adimere.

Concluſio ſecunda. Eccleſia in credendo errare non poteſt. Nonnulli enim Eccleſię perpetuam fidem ſic interpretantur, vt intelligant, Deum Eccleſiæ eſſe præſentem, vſque ad ſęculi conſummationem: ne vnquam vera illi fides, & charitas deſint. Sed poſſe tamen probabiliter ignorare rem vnamquamlibet, qua ſcilicet ignorata, non proindè Eccleſia fidem amitteret. Faciamus enim diſputationis gratia, non eſſe à Deo reuelatum, Diuam Virginem ab originali peccato immunem extitiſſe. Nihil enim prohibet rem fictam exempli loco ponere, quò faciliùs res intelligatur, quamquam exemplum verum eſt, vt poſterius oſtendemus.

Aiunt ergo, quòd quamuis Eccleſia crederet, ſanctam Virginem fuiſſe ſine peccato conceptam, idemque definiret ab omnibus eſſe credendum: non tamen in eo fidei iacturam facere exiſtimaretur. Nam licet falleretur, at error probabilis, & inculpatus fidem Eccleſiæ non excluderet. Cuius ſententiæ, ſi de facie conſideres, videntur eſſe gloſſa interlinaris, ſic enim vocant, in illud: Portę inferi non præualebunt aduerſus eam: & D.Th. in 4. diſt.6. quæſt.1.art.3. quæſt. ad 3. & Cardinalis Turrecrem. lib. ſummæ Eccleſiæ,2. cap.91. Et Alphonſus à Caſtro Zamoren. de iuſta hæreſum. lib.1. cap.5.

At re vera id nos ſuperiore propoſitione conſtituimus, nempè Eccleſiam ſemper fidem habituram. Verum eſt hoc, quis negat? Sed prætereà Eccleſiam in fide errare non poſſe, ſic à fidelibus accipiendum eſt, vt quicquid Eccleſia tamquam fidei dogma tenet, verum ſit: nec quicquam falſum, quod illa, aut credit, aut docet eſſe credendum. Cùm enim corpus Chriſti ſit, vt ad Epheſ. docet Apoſtolus, à ſuo certè capite mouetur, ac regitur. Eccleſiæ igitur error ad Chriſtum auctorem referetur. Nullo itaque pacto errare in fide poteſt. Nam ſpiritus veritatis eſt huius corporis anima. Vnus, inquit, ſpiritus, & vnum corpus. Quòd ſi ſpiritu veritatis Eccleſia agitur, ad nullum errorem, ne inſciens quidem, moueri poterit. Præclaram deindè promiſſionem habet Eccleſia, quòd nunquam ſit à Chriſto deſerenda, quin eius ſpiritu in omnem ducatur veritatem. Ego rogabo patrem, ait, & alium Paracletum dabo vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis, quem vos cognoſcetis, quia apud vos manebit. Et poſtea, Paracletus autem Spiritus ſanctus ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. Item, cum autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Nec me fugit, quòd hæretici argumentum hoc duobus modis eludere conantur. Primùm enim, eiuſmodi verba, aiunt, de ſolis Apoſtolis intelligenda, neque ad poſteros in Eccleſia pertinere, mox affirmant, Chriſtum non tantùm numero duodenario coniunctum, ſed Apoſtolis quoque ſeorsùm ſingulis ſpiritum veritatis promiſiſſe. Immò alijs ſimiliter diſcipulis, vel quos iam aſſumpſerat, vel qui poſtea acceſſuri erant. Nam ſi eiuſmodi promiſſiones ſic interpretemur, quaſi nemini chriſtianorum datæ ſint, ſed vniuerſæ ſimul Eccleſiæ, nihil nos aliud, quàm chriſtianis omnibus conſolationem tollere, quæ indè ad ipſos redire eximia debuerat. Sed vtraque iuxta in re ruſticè, indoctèque nugantur. Principiò enim, verba illa non modò ad Apoſtolos, ſed ad ſucceſſores etiam referri oportere, ex eo ante omnia patet, Qui maneat vobiſcum in æternum. Quod illi ſimile eſt, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſęculi. Rursùm ex eo quoque patet, Sanctifica eos in veritate: ſermo tuus veritas eſt. Pro eis ego ſanctificabo me ipſum, vt ſint, & ipſi ſanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantùm, ſed pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me.

Atque

Atque promiſſionis huius Iſaias mihi videtur illuſtris non vates modò, ſed interpres: Spiritus meus, ait, qui eſt in te, non recedet de ore tuo,& de ore ſeminis tui amodò,& vſque in ſempiternum. Quem igitur ſpiritum veritatis Chriſtus promiſit Apoſtolis, Eccleſiæ item poſt eos futuræ promiſit: niſi velimus Eccleſiam defunctis Apoſtolis fuiſſe à Domino deſtitutam: Immò verò ad eam, nec Concilia, nec præcepta Euangelij pertinere. Siquidem, quæ Dominus Apoſtolis loquebatur, hæc ad illos dumtaxat, non ad futuros in Eccleſia poſt eos ſpectare dicuntur. Quo quid ſtultiùs dici poteſt?

Iam ſecunda illa tergiuerſatio, quam vana etiam,& ridicula eſt? Si enim hoc ita communiter fidelibus dictum eſſe volunt, vt ſeorsùm quadret in ſingulos: ſequitur, cuicumque fideli ſpiritum veritatis ſempiternum adeſſe, qui cum doceat omnem veritatem, ſuggeratque ei omnia quæcunque dicta in Euangelio ſunt. Sed eſto, ſpiritu ſapientiæ, intelligentiæ, lucis, veritatis, omnes polleant: num inficias ire poſſumus, quicquid particulatim membrorum vnicuique tribuitur, id penitùs, & ad plenum corpori conuenire? Quid ad hoc reſpondeat Caluinus, audiamus: Hoc, ait, tametſi habet nonnullam veri ſpeciem, veruntamen eſſe nego. O ſtultum hominem, & repugnantem manifeſtæ veritati. An ignorat, quę Spiritus ſancti dona ſingulis membris diſtribuuntur, in communi conferri omnia? An videt oculus, & non magis homo videt? An non lucerna corporis eſt oculus? Quid verò abſurdiùs, quàm membrum poſſe quicquam, quod corpus nequeat, efficere, partem habere, quod non habet totum? Vnicuique, ait, noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti. Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos &c. ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti. Et poſteriùs, Creſcamus in illo, qui eſt caput Chriſtus: ex quo totum corpus compactum, & connexum ſecundum operationem, in menſuram vniuſcuiuſque membri augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate. Membrum igitur, quoniam id, quod eſt, totius corporis eſt, nihil ſibi vendicat proprium, ſed ità in corpus omnia confert, vt magis corporis, quàm membri actiones, perfectioneſque eſſe videantur. Quo circa illud abſurdum eſt, quòd ij ſcilicet, quibus cum nunc diſſeritur, eam curam, quam debent capere, non capiunt: eam capiunt, qua debent carere. Non enim probant, verba Chriſti minimè ad Eccleſiam attinere, probant attinere ad ſingulos: quod contrà oportebat, ſi propoſitum illis erat argumenti vires infirmare. Nos ſanè, quemadmodùm ſcimus animam actum,& perfectionem eſſe maximè quidem corporis Phyſici organici, ſecundo autem loco membrorum etiam ſingulorum: in quibus varias licet edat functiones, ſed omnes illæ, & corporis propriæ ſunt, & propter corpus ipſum membris à natura tributæ. Ità ſpiritum veritatis ad corpus primum Eccleſiæ referimus, deindè propter Eccleſiam ad ſingulas etiam Eccleſię partes, non ex æquo, ſed analogia, & proportione quadam iuxta menſuram vniuſcuiuſque membri. Vnum corpus, inquit, & vnus ſpiritus. Vnicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti. Quænam verò hæc menſura Chriſti eſt? Secundùm operationem, ait, in menſuram vniuſcuiuſque membri. Spiritus ergò ſuo quidem modo ſingulis promiſſus eſt: vt magnos doceat, doceat, & paruulos. Ac paruulis lac potum dat: maioribus ſolidum cibum. Illis Chriſtum loquitur, & hunc crucifixum: his loquitur ſapientiam in myſterio abſconditam. Verùm ſingulis membris ſic ſpiritus veritatis adeſt, vt non ſolùm corpore vniuerſo non deſit, ſed corpori, quàm membris priùs, potiùſque intelligatur adeſſe. Quin etiam, ſi veritas omnium membrorum donum eſt, tunc nimirùm illa erit, & firmior, & certior, cùm in eam omnia ſimul membra concurrerint. Quamobrem, ſi quid falſi haberet Eccleſia tamquam fidei catholicæ dogma, nec Spiritus Chriſti in æternum cum fidelibus permaneret, nec eos omnem doceret veritatem. Quę niſi Chriſti pollicitationes vanas, & irritas facimus, vera, rataque eſſe non poſſunt. Ac ſi dogma falſum Eccleſia crederet, credendumuè proponeret, quamlibet ex ignorantia id faceret, quomodo columna, & firmamentum eſſet veritatis? Certè ſi veritas in Eccleſia humetis innixa eſt, deeſſe illi omninò non poteſt, niſi & Eccleſiæ ſuæ Chriſtus, & Chriſto ipſa veritas deſit. [In ſumma, ſi Eccleſia poſſet in fidei quæſtione falli, librum quoque diuinum recipere poſset, qui tamen à Deo non fuiſset. Cum ſit eadem ratio de vno libro, ac de vnoquolibet dogmate. Quare non valeret argumentum, Eccleſia habet euangelium Matthæi pro canonico, ergo canonicum eſt. Quod, quoniam impijſſimè, & abſurdiſſimè diceretur, illud nos dicamus potiùs, rectè fideles Eccleſiam catholicam credere, non ſolùm in eo ſenſu, vt Eccleſiæ catholicæ fides deficiat nunquam: ſed in eo etiam, vt nihil ipſa credere, aut docere poſſit, quod ſit veræ fidei contrarium. Subdolè autem, atque verſutè mentem noſtram Caluinus, Bucetuſque interpretantur. Quaſi in eum ſenſum Eccleſiam negemus errare poſse, quòd ſpiritus fauore, ac præſentia freta, quocumque volet pergere, tutò etiam ſine verbo incedat. Proindè, ſi quid præter Dei verbum crediderit, ſtatuerit, finierit, id habendum eſse non alio loco, quàm certum Dei oraculum. In hoc igitur diſcrimen eſse aiunt, quòd nos Eccleſiæ auctoritatem extra verbum Dei collocamus: ipſi verbo annexam volunt, nec patiuntur ab eò ſeparari. Laborat autem Caluinus vehementer in ijs locis colligendis, in quibus Prophetæ, Apoſtoli, atque adeò Chriſtus ipſe nihil ex ſe attulliſse, ſed de ore Domini locuti fuiſse memorantur. Conficit multò æquiùs eſse, Eccleſiam Chriſti diſcipulam ab eius ore aſſiduè pendere: nec ex ſe ſapere, & cogitare quicquam; ſed ſtatuere ſapientiæ ſuæ terminum, vbi loquendi finem ille fecerit. Sanctiſſimè enim Chryſoſtomus: Multi, inquit, Spiritum ſanctum iactant, ſed qui propria loquuntur, falsò illum prætendunt. Vt Chriſtus non à ſeipſo loqui ſe teſtabatur: ità ſi quid præter Euangelium ſub titulo Spiritus obtrudatur, ne credamus. Sanè Chriſtus nihil plùs de ſuo Spiritu denuntiat expectandum, quàm

vt

vt mentes illuminet ad percipiendam doctrinæ ſuæ veritatem. Spiritus, ait, ducet vos in omuem veritatem. Sed quomodo? Quia ſuggeret omnia, quæcumque dixero vobis. Hæc omnia Caluinus. Nam Bucerus dixit multò etiam indoctiùs, tunc eſse Eecleſiæ credendum, cum pronunciat ſecuudum ſcripturas rectè intellectas. Sed hoc cùm dicit, omnia facit ambigua, quæ ſunt ab Eecleſia definita. Si enim aliter poteſt pronunciare, quàm ſcriptura ſanè intellecta exigit: exeipimus ſemper, Eecleſiam in eo ſalli, quòd ſolsò ſcripturam intelligit. Eequis verò iudex erit, an Eccleſia ſcripturam ritè, an ſecùs interpretetur? Nihil igitur aſſerunt, qui Eecleſię auctoritatem non abſolutè, ſed ex conditione ponunt. Si namque ad eum modum tes habet, & mihi quoque fides habenda eſt, quando pronunciauero ſecundùm ſcripturas rectè intellectas. Id enim eſt non mihi, ſed ſcripturæ credere? At, abſolutè, non ex conditione populus Domino credidit, Moyſi ſeruo eius. Abſolutè etiam Prophetis, & Apoſtolis populi crediderunt. Quale verò eſſet Prophetis, Apoſtoliſque loquentibus fidem ea exeeptione detrahere, quòd perperam Dei verba intellexiſſent? Quale item eſſet, ſi illa quoque exceptio adderetur: Mendaeium tu loqueris, non miſit te Dominus Deus noſter? Ac valdè mirùm eſt, tam uihil eſſe frontis iſtis nebulonibus. Quid enim tandem auctoritatis in Eccleſia erit, ſi in omni dogmate, lege, definitione, dupliciter eludi poteſt, quòd aut ſermonem ipſa ſuum aſſerat, aut, ſi ſermo Domini ſit, non ſanè intellectum? Sed redeo ad Caluinum, qui eum ſibi vulgatum illud Domini teſtimonium obiecisset, ſi Eecleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus, fatetur demùm Eccleſiam audiendam eſſe, vt quæ nunquàm niſi in veritatem Dei conſentiat, nihil niſi ex verbo Domini pronuncict. In hoc ſe inſiſtere, non licere Eccleſiæ nouam doctrinam condere, & plùs pro oraculo tradere, quàm quod Dominus verbo ſuo reuelauit.

Verùm enimuerò inter ſuos hic mirificè garrit, vel ſtultè ignorat, vel malitioſè mentitur, cùm dicit, nos id pro oraculo fidei habere, quod homines ſine Dei reuelatione cenſuerint. Nos ſanè fidem noſtram indiuiduo nexu cum verbo Dei coniunctam eſſe volumus, nec vllum Eccleſię aſſenſum fidenter, firméque ſuſtinemus, niſi quem à Deo extitiſſe habemus cognitum, & firmo conceptum animo. Sed illud quoque certò nobis perſuaſum eſt, Dominum Eecleſiæ ſuæ perpetuò, ac continenter adeſſe, & eam ſpiritu ſuo regere, ne quicquam pro fidei doctrina tradat, quod non idem fuerit Apoſtolis à Deo traditum. Ita omnes prophanas nouationes execramur, omneque illud in fidei iudicio reſpuimus, quod non Apoſtoli Eecleſiæ tradiderint. Non ergo in hoc, ſed in eo potiſſimùm cardine quæſtio verſatur, quòd Lutherani negant Eccleſiam quicquam ſine ſcripto ab Apoſtolis accepiſſe: nos contrà plura eſſe accepta aſſeueramus. Qua de re, & multa aliàs ſæpè diximus, & dicemus multa poſterius. Quamquàm in ſuperiore lib. adeò planè, ac copioſè quæſtio hæc explanata eſt, vt nihil prætereà deſiderandum eſſe videatur. Ipſa mihi veritas manum iniecit, & paulliſper conſiſtere, & commorari coegit: dum priores concluſiones explico. Celeriùs proindè in poſteriores incurrendum.

Sit igitur tertia concluſio. Non ſolùm Eceleſia antiqua in fide errare non potuit, ſed ne Eceleſia quidem, quæ nunc eſt, quæue futura eſt vſque ad conſumationem ſęculi, errare in fide, aut poteſt, aut poterit. Hæc concluſio partim oſtenſa eſt in libri ſecundi capite ſeptimo: partim ex his, quæ dudum diximus, comprobatur. Nam pollicitationes Chriſti de præſentia ſua, de ſpiritu veritatis, de regno ipſius ſempiterno, de corpore, cuius ipſe erat futurus caput, non ad Eccleſiam modò, quæ fuit tempore Apoſtolorum, verùm etiam ad Eccleſiam catholicam, quæ futura erat in ſęculi finem, pertinere neceſſum eſt. Id quoniam ex argumentis, quæ prioribus concluſionibus confirmandis poſita ſunt, manifeſtè colligitur: vanum profectò erit, aut acta agere, ſi eadem argumenta repetimus, aut ſi noua ponimus, vti in re non dubia, rationibus minimè neceſſarijs. Certè qui Eccleſię præſenti ſpiritum veritatis negare prætenderit, is negabit eidem poteſtatem ligandi, atque ſoluendi, negabit ſacramenta, & Sacerdotium, omniaque adeò Spiritus ſancti chariſmata. Ita nunc Eccleſia Chriſti ad nudum nomen contrahetur, eritque ſine re vocabulum commentitium, verùm de tertia concluſione hactenùs.

Quarta concluſio. Non ſolùm Eccleſia vniuerſalis, id eſt, collectio omnium fidelium hunc veritatis ſpiritum ſempiternum habet: ſed eundem habeut etiam Eecleſiæ principes, ac paſtores. Diximus enim Eecleſiæ vocem, & pro populo fideli, & pro Eccleſiæ paſtoribus vſurpari. Priores itaque concluſiones illud aſtruebant, quicquid Eccleſia, hoc eſt, omnium fidelium concio teneret, id verum eſſe. Hæc autem illud affirmat, paſtores Eecleſiæ, & Doctores in fide errare non poſſe: ſed quicquid fidelem populum docent, quod ad Chriſti fidem attineat, eſſe veriſſimum. Hanc concluſionem mox oſtendam, ſi priùs admonuero, paſtoris vnius, & alterius, item errorem paſtorum omnium, fidei non derogare. Sicut ne paucorum quidem fidelium error fidei derogat populi Chriſtiani. Paſtores igitur ac Doctores omnes à fide numquam poſſe aberrare contendimus. Sic eſt ſanè.

Id primùm, mea ſententia quidem, manifeſtè demonſtrat illud Apoſtoli teſtimonium, & ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò euangeliſtas, alios autem paſtores, & doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum: vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris. Sanè ſi Paſtores, ac Doctores huc, atque illuc errarent, à rectoue fidei tramite diſcederent, oues profectò ipſę etiam errarent, nec aliter, quàm ſine paſtore diſperſæ vagarentur. Cum paſtor enim per abrupta graditur, neceſſe eſt, quod Gregorius ait, vt per præcipitium grex ſequatur. Nec fieri poteſt, niſi

ve membra reliqua eò deſerantur, quò & oculi ſuam vim, atque aciem intenderint, & caput ſeſe inclinauerit, atque deflexerit. Benè ergo Paulus, ne populus varijs doctrinæ ventis circumferatur, diuinæ procurationis eſſe aſtruit, Doctores, & Paſtores Eccleſiæ dare: quorum videlicet auctoritate, plebs ſua natura concitata, atque mutabilis in fidei conſtantia ſuperno munere contineatur. Quòd ſi nullum Eccleſiæ ſuæ paſtorem daret Chriſtus, iam ſine dubio ouile ſuum paſtor bonus ille deſereret. Atqui multò meliùs Eccleſiæ eſt nullos habere, quàm errantes habere. Si igitur paſtores ad vnum omnes à veritate diſcederent, oues ſuas Chriſtus, vel maximè deſtituiſſet. [Præterea, ſi paſtores omnes in errore aliquo verſarentur, ijdem omninò populum, aut de ſtatu ſuo, & ſede mouerent, aut certè nutare facerent, vacillare, fluctuare. Ita domus Chriſti non eſſet columna, & firmamentum veritatis. [Faciamus inſuper omnes ſimul Epiſcopos in eandem ſententiam conuenire, hancque populo rudi credendam proponere: tunc rogo, an populus has ſequi debeat, an non? ſi debet, cum errantibus ergo Sacerdotibus, & Epiſcopis plebs quoque erret neceſſe eſt. Quare Sacerdotum omnium error, totius erit error Eccleſiæ. Sin autem populo omnium paſtorum doctrinam leuem exiſtimare licet, vide quæſo, an hac ſententia abſurdior alia dici, aut exiſtimari poſſit? Si enim hinc paſtores, indè oues in contrarias partes ſeparentur: corporis compacti, ac per omnem iuncturam connexi diſiuncto omnem Eccleſiæ diſtrahet vnitatem, & non ſolùm inter optimates,& populum conſtitutam à Chriſto ſocietatem euertet, ſed communem etiam inter ſe fidelium conſociationem dirimet, cuius conſociationis arctiſſimum vinculum fidei eſt, conſpiratio eadem,& conſenſus partium non diuulſus. Diuulſus autem omnium erit, ſi populorum membra à ſuis capitibus diuellantur. Atque vbi ſemel plebs rudis à Doctorum ſuorum communi ſententia declinauerit, quorum doctrinam poſtea ſecutura eſt? Si ſalem abiecerit, quo ſalietur? Si à luce mentis aciem abduxerit, quid niſi tenebras intuebitur? Si oculus eſt malus, nonne & corpus tenebroſum erit? Vbi verò illud, ſuper Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, quodcunque dixerint vobis, facite? Anne meliore ſtatu, & conditione Scribæ, & Phariſæi erunt, quàm Eccleſiæ Chriſti Paſtores, ac Doctores? Certè, ſi præſentibus ſolùm, & non item futuris Dominus loqueretur, vt auctor imperfecti argumentatur, dicta illa fuiſſent, non ſcripta. Dicta ſunt autem propter illos, ſcripta propter iſtos. [Adhæc, veritas fidei in Catholicorum controuerſijs, quemadmodùm in ſecundo libro conſtituimus, librіſque etiam quinto, & ſeptimo confirmandum eſt,non eſt à populo quærenda. Tum quoniam id eſſet operis infiniti, vt ad quęſtionem vnamquamlibet decernendam, omnium ſententiam fidelium rogaretur: tum etiam, quoniam, vt fieri id commodiſſimè poſſet, non deceret tamen, aut cerdonum, aut mulierculam ſigillatim inquirere, & expectare iudicium. Siue enim vnumquemque ſeorſum interroges de quæſtione, quæ in dubium venit, ſeu vniuerſos velis in Concilium cogere, ridicula ſanè futura ſit huius generis inquiſitio. Ita per Eccleſiæ auctoritatem nulla penitùs controuerſia finiretur, ſi ad eam finiendam totius conſenſum plebis requirere deberemus. [Addendum eodem eſt, quod iam pridem diximus, quædam ad doctrinam, fidemque Eccleſiæ pertinere, quæ populares prorsùs ignorant. Vt, Patrem, & Filium eſſe vnum principium Spiritus ſancti, Animam intellectualem eſſe formam ſubſtantialem humani corporis, Librum Eſther eſſe Canonicum,aliaque ſimilia. In quibus ſententiam populi requirere tam eſt abſurdum, vt non in ſapientium modò animos, ſed ne in ſtultorum caſurum ſit. Nec enim placere cuipiam poteſt, tantas res imperiti vulgi calculis iudicari.[Præterea, in epiſtola Epheſini Concilij ad Neſtorium, id à Neſtorio, ſi ſacere ſacris Eccleſiæ velit, exigitur, vt iureiurando fateatur, ſentire ſe, & docere, quæ vniuerſi per Orientem, & Occidentem Epiſcopi, præſideſque populorum crederent, ac docerent. Quæ eadem epiſtola comprobata etiam eſt à ſexta ſynodo, actio. 11.[In Concilio item Trident. ſeſſio.3. definitum eſt, Eccleſiæ eſſe iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſcripturarum. At totam fidelium congregationem de re eiuſmodi velle iudicium ferre, inſanum eſſet. Paſtores igitur Eccleſiæ, ac Doctores illi ſunt, ad quos id genus iudicia pertinent. Atque Egeſippi diligentiſſima fidei inquiſitio Euſebij Cæſarien. literis celebrata eſt, qui cùm Romam pergeret, non popularium ſententiam de fide requiſiuit, ſed ſatis ſibi feciſſe ad fidei ſuæ confirmationem viſus eſt, ſi cum Epiſcopis per loca ſingula in ſermone congreſſus omnes eiuſdem fidei prædicatores,doctoreſque reperiret. Irenæus rursùm cùm Eccleſiæ auctoritatem hæreticis obijcit,Epiſcoporum tantùm ſententiam obijcit,ſecundùm ſeriem ab Apoſtolis ſuccedentium, horumque ſenſum, & fidem, Eccleſiæ ſenſum, & fidem exiſtimat, & illis, qui refragetur, eum Eccleſiæ refragari. [Cyprianus item in libro de ſimpli.præla. An eſſe ſibi, inquit, cum Chriſto videtur, qui aduersùs Sacerdotes Chriſti facit? qui ſe à cleri ſocietate ſecernit? Arma ille contrà Eccleſiam portat, contrà Dei diſpoſitionem repugnat, &c. qui contemptis Epiſcopis,& Dei Sacerdotibus derelictis audet, &c. Et in epiſtola ad Pupianum,Chriſtus dicit ad Apoſtolos, ait, ac per hoc ad omnes præpoſitos, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt,Qui vos audit: me audit, & qui vos reijcit, me reijcit. Et poſteriùs aſſerit, Eccleſiam non eſſe multitudinem contumacium, ſed plebem Sacerdoti adunatam, & gregem ſuo paſtori adhærentem. Vndè qui cum Epiſcopis non ſint, eos in Eccleſia non eſſe: fruſtràque ſibi eos blanditi, qui pacem cum Sacerdotibus non habuerint. Cum Eccleſia, quæ Catholica vna eſt, ſciſſa non ſit, ſed connexa, & cohęrentium ſibi inuicem Sacerdotum glutino copulata, &c. Auguſtinus demùm, quoniam longum eſt omnes commemorare, cum aduersùm hęreticos Eccleſię auctoritate nititur, Epiſcopos Apoſtolis ad ſua vſque tempora ſuccedentes planè intelligit.

CAP.

CAP. V.

Aduersùs hanc poſtremam concluſionem obiectiones quædam.

Atque in harum concluſionum, & explicationem, & confirmationem abundè hæc dicta ſufficerent, niſi huic poſtremæ illud à quibuſdam Theologis obijceretur: quòd tempore Dominicæ Paſſionis Apoſtoli omnes Chriſti fidem amiſerunt, quò fieri, vt & Epiſcopi omnes Apoſtolis ſuccedentes poſſint Chriſti fidem amittere. Nam quòd eo temporis in ſola Beata Virgine fides permanſerit, candela, inquiunt, illa ſignificat: quæ in officijs eorum dierum ſola non extinguitur, vnde diſcipuli lumen, quod amiſerant, receperunt. Quoniam autem ratio hæc infirma illis etiam videbatur, eandem omninò rem, & ſanctorum veterum, & ſcripturæ ſacræ teſtimonijs confirmant.

Primum ergo argumentum ex illo trahitur, quod per Matthæum Dominus dicit, Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte: ſcriptum eſt enim, Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis, id eſt, ab vnitate fidei ſoluentur. Sic enim Gloſſa interlinearis exponit.

Secundum, ex eo, quod apud Lucam legitur. verba mulierum nunciantium Chriſti reſurrectionem viſa Apoſtolis eſſe, quaſi deliramenta.

Tertium, ex eo, quod Marcus tradit, Chriſtum exprobraſſe omnibus Apoſtolis incredulitatem, & duritiam cordis.

Quartum ex Aug. in illud pſalmi, Defecerunt oculi mei, Omnes, inquit, diſcipuli deſperauerunt, quòd ipſe eſſet Chriſtus. A latrone Apoſtoli victi ſunt, qui tunc credidit, quando ipſi defecerunt. [Refert etiam Cardinalis Turrecremata in hoc idem Ambroſium, Hieronymum, Gregorium, Iſidorum. Verùm difficilè eſt, de eorum facilitate, perindè vt cauſa poſtulat, dicere; qui huiuſmodi argumentis permoti, Apoſtolos in vniuerſum omnes fidem perdidiſſe aiunt. Id quod non cum ratione ſolùm, ſed etiam cum ſacris literis pugnat. Nam, vt de Petro taceamus, cuius fidem non defeciſſe, poſteriùs demonſtraturi ſumus, adhuc opinio illa de cæteris Apoſtolis non modò non certa, ſed ne probabilis quidem eſt. Diſcipuli, inquit, abierunt in Galilæam in montem, vbi conſtituerat illis Ieſus;& videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt. Quidam, ait, non omnes. [Video autem hanc dubitationem à nonnullis, non ad Apoſtolos, ſed ad alios, neſcio quos diſcipulos referri; ſed mihi ſemper Theophylacti magis, ac Remigij ſententia placuit, qui illam docent ad tempus, quo Chriſtus antè diſcipulis apparuerat, referendam. [Id quod Marcus, vt opinor, intellexit: cùm ait. Increpauit incredulitatem, & duritiam cordis, quia ijs, qui viderant eum reſurrexiſſe,non crediderant. Siue enim apparitio hæc, quam Marcus ſcribit, in die Aſcenſionis fuerit, vt multis placet, ſiue anteà, quemadmodùm nonnullis etiam videtur, dubitandum non eſt, quin eas increpationes hic Marcus recapitulando perſtrinxerit, quas ſparſim alij Euangeliſtæ conſcripſerunt. Quia ijs, inquit, qui viderant eum reſurrexiſſe,non crediderant. Conſtat autem ex alijs euangeliſtis incredulitatem, & duritiam cordis, ex ea ſcilicèt cauſa, quia his, qui viderant Chriſtum ſurrexiſſe, non eſt creditum, non ad omnes Apoſtolos pertinere. Petrus namque, & Ioannes audito nuntio cucurrerunt ad monumentum; ac Iacobus iuxtà Hebræorum euangelium ab hora, qua biberat Domini calicem, iurauit ſe non comeſturum panem, donec Chriſtum videret reſurgentem; vt auctor eſt Hieronymus in cathalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum. Non igitur omnes Apoſtoli fidei iacturam feciſſe credendi ſunt; niſi, quod abſurdum eſt, omnes infideles fuiſſe eredideris. Non enim fides ſemel à Chriſtiano ſuſcepta, niſi per infidelitatem tollitur. Illud abſurdiùs, hæreſeos notam Apoſtolis vniuerſis inurere. Quod qui faciunt, idque ſine idoneis, & vrgentibus cauſis; hi non ſolùm illis, ſed Chriſto etiam, & Eccleſiæ iniurij ſunt. [Iam argumenta illa infirma eſſe, quis non videt, quæ auctores illius opinionis ſubiecerunt? Quæ quidem partim à nobis antè confutata ſunt, partim vno nunc verbo confutabuntur. Si enim quicquam probant, id ſolùm probant; Apoſtolos in fidei confeſſione defeciſſe; aut etiam in fide viua, quę per dilectionem operatur. Huc verò referri poteſt conſuetudo illa Eccleſiaſtica extinguendi omnes cereos, præter vnum. Quamquam Rupertus lib. de diuin. offic. 5. aſſerit, extinctos cereos priores ſignificare prophetas à Iudæis interemptos; ac cereum illum, qui ad breue tempus abſconditur, ſignificare Chriſtum. [Sanè verò etiam ſi Apoſtoli nunc temporis fide caruiſſent, nihil tamen contra concluſionem haberetur.' Nam, vt Auguſtinus admonuit, tunc Apoſtoli defecerunt, cùm nondum erant duces Eccleſiæ; nec illud impletum fuerat,Ego confirmaui columnas eius. Vnus ergo tunc erat paſtor Ieſus Chriſtus. At Petrus, ac reliqui Apoſtoli poſteaquàm à Chriſto paſtores conſtituti ſunt, ſine controuerſia fidem ſemper catholicam tenuere. [Cæterùm, quòd hæretici calumniantur, paſtores Eccleſiæ homines eſſe, fallereque proindè, ac falli poſſe; argumentum exiguum ſanè, atque mendicum eſt. Aliud quippè fuerit de humanæ naturæ imbecillitate diſputare, aliud de diuina gratia, & prouidentia, qua homines in veritate fidei continentur. Tota namque ſimul fidelium concio homines ſunt; Prophetæ item, Apoſtoli, & euangeliſtæ homines erant; ſed quoniam ſpiritum veritatis accepere, in falſam fidei doctrinam venire non poterant. Sic ergo, & Eccleſiæ doctores vniuerſi homines quidem ſunt, ſed quoniam diuino ſpiritu gubernantur, & aguntur in vera dogmata, nequeunt in falſa declinare.

Illud autem, quàm ineptum, quàm friuolum, quàm ridiculum? Quod quidam interpretantur, ideò nos in Eccleſiam non credere, quia homines ſunt, omnis verò homo mendax. Non eſt hæc illa profectò cauſa, quæ grauiſſimos viros adduxerit, vt in Eccleſiam credendum eſſe negarent. Sed antiquior, & pulchrior, & ab auctoribus ipſis profecta alia cauſa eſt. Auguſtinus quippè,

Credimus, ait, Petro, credimus Paulo, in Paulum, aut Petrum non credimus; credere enim in eum, eſt credendo amare, credendo in eum ire. Hactenùs Auguſtinus. Et Ruffinus, Non dicitur, inquit, in ſanctam Eccleſiam, ſed ſanctam Eccleſiam, credendam eſſe, non vt Deum, ſed vt Eccleſiam Deo congregatam. Hac itaque præpoſitionis ſyllaba creator à creaturis ſecernitur. Hæc ille. Ob id igitur auctores hi non admittunt, vt in Eccleſiam credamus: quia Eccleſia fidei noſtræ finis non eſt.

Exiſtit autem hoc etiam loco quædam quæſtio ſubdifficilis. Cùm enim à Hieronymo dupliciter Eccleſia dicatur; & ea, quæ non habeat maculam aut, rugam, & verè corpus Chriſti ſit; & ea, quæ in Chriſti nomine, abſque plenis virtutibus, imò cum vitijs quibuſdam admixtis, congregetur; vndè nobis conſtare poterit, vtronam modo nomen Eccleſiæ capiatur; cum dicitur columna, & firmamentum veritatis? Hæretici ſiquidem quicquid in ſcripturis proditum eſt, quod ad Eccleſiæ, vel auctoritatem ſpectet, vel veritatem: id totum non in poſteriore ſenſu, ſed id priore accipiendum cauillantur. Concedunt itaque ſpiritum veritatis Eccleſiæ ſanctorum; Eccleſiæ, quæ malos habeat permixtos, non concedunt. Nec ea ſe ſolùm ratione tuentur, quòd in voce ambigua liberum eſt vtramliber ſignificationem eligere; ſed argumentis alijs in id etiam incumbunt, vt hoc loco, & quæſtione, Eccleſiæ nomen non aliter vſurpandum eſſe perſuadeant. Illud primum eſt, quod Hieronymus ſentit, Eccleſiam in ſecundo ſignificatu abuſiuè dici; vt fortis, inquit, prudens, caſtus, iuſtus, & temperans, interdùm plenè pro his, qui perfectæ virtutis ſunt, interdùm abuſiuè pro his, qui ſunt incipientes, accipiuntur. Si ergo prior ſignificatio propria eſt, poſterior impropria; commodiùs ſine dubio Eccleſiæ vocem in illa priore, hoc eſt, pro iuſtorum concione vſurpabimus. [Rursùm eùm Apoſtolus illa dicit, Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto; & Chriſtus dilexit Eccleſiam, &c. & Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, ipſe ſaluator corporis eius; vox illa pro ſanctorum congregatione accipitur, vt Hieronymus, Auguſtinuſque interpretati ſunt, quid igitur cauſæ erit, cur aliter accipiamus; cùm Eccleſiam ſcribit Apoſtolus columnam eſſe, ac firmamentum veritatis? [Præterea, encomio illo nobilitauit Paulus, non Eccleſiam quamlibet, ſed eam, quæ eſſet domus Dei. At domus Dei ſoli iuſti eſſe creduntur, vt etiam Auguſtinus ait, non ergo columna veritatis eſt, niſi Eccleſia ſanctorum. [Præterea, Auguſtinus diſertè docet, domum, Eccleſiamque Dei, quæ in bonis ſolùm fidelibus eſt, & ſanctis Dei ſeruis, eam eſſe, quæ ædificata eſt ſuprà petram, quæ etiam claues accepit, ac poteſtatem ſoluendi, & ligandi. Eadem ergo domus Dei eſt, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis. Quamobrem, ſi paſtores, qui Eccleſiæ ſibi nomen vendicant, mali ſunt; non ad eos hæc, & alia ſimilia pertinent. Quod, & Auguſtinus idem multis alijs locis confirmat. Quæ ſi vera ſunt, non ſolùm concluſio illa poſtrema, quæ nunc expenditur, ſed reliquæ omnes funditùs euertuntur; & quicquid omninò hoc nobis loco conſtitutum eſt. [At verò, quamquam in eam ſententiam hæc, & alia plura ab hæreticis diſputantur, nos tamen Eccleſiam ſequi oportet, & ab omni, quod abhorreret ab ipſius approbatione, fugere. [Primum autem hoc intelligendum puto, quæ nunc ab illis defenſionis, ratio viaque tentatur, eam non modò noſtras rationes euertere; ſed ad id etiam deducere, quod fidei catholicæ, rerumque omnium publicarum naturæ diſſonum, atque inimicum ſit. Si enim ſpiritus veritatis ſolùm bonis à Chriſto eſt in euangelio promiſſus: cæteræ quoque promiſſiones ad Eccleſiam, quæ ex ſolis iuſtis conſtituitur, pertinebunt. Quocirca, dicendum eſt enim ſæpiùs, nec legum ferendarum auctoritas, nec clauium poteſtas. nec peccatorum remiſſio, nec doctrinæ vis, nec ſacerdotij religio, nec vlla omninò publica euangelij facultas, niſi in Eccleſia omni ex parte bona inuenietur. Cùm verò in Eccleſia Catholica, quæ indè ab Apoſtolis fuit, ſemper fuerint mali, bonique permixti; in ea nimirùm nulla fuiſſet firma fides, nulla certè veritas, nulla expreſſa poteſtas, nulla ſolida auctoritas. Ita omnia, quæ vel Pontificum, vel Conciliorum, vel totius etiam Eccleſiæ conſenſione decreta, ac definita ſunt, nullas omninò haberent vires. Siue enim excipias, eos non eſſe iuſtos, ſiue, vt iuſti ſint, eſſe tamen nobis incognitos; vtralibet via, & modo illorum dogmata, ſcita, leges eludes. Eritque, quemadmodùm ſuprà diximus, res Chriſti publica omnium, quæ fingi poſſunt, ſtultiſſimè, atque abſurdiſſimè conſtituta.

Itaque ſit verum illud, quod initio dixi, ſpiritum veritatis, fidei catholicæ fulcimentum, cæteraque Spiritus ſancti chariſmata ei Eccleſiæ eſſe, & promiſſa, & data, quam Apoſtoli ſua doctrina, miraculiſque fundatunt, ad quam ijdem ſuas conſcripſere epiſtolas, quam in terris ſemper habuit Chriſtus, quam ſacræ literæ aptè, prudenterque deſcribunt ex bonis, ac malis piſcibus, ex frumento, & zizanijs, ex tritico, & palea, ex fatuis, ſapientibuſque virginibus, à ſeruis probis, improbiſque conſtantem. [Hæretici ergo Eccleſiæ nomen ſibi habeant, & inuidioſum, & obſcurum, eamque Eccleſiam interpretentur, quam adhuc nemo eſt mortalium intuitus; nos autem Eccleſiam ex conſuetudine tum diuini ſermonis, tum etiam vitæ noſtræ interpretemur. Nec metiamur eam, vt ſuperbi, & arrogantes, verborum magnificentia; ſed Eccleſiam eam, quæ habetur, exiſtimemus, illam autem omittamus, quæ omninò nuſquam reperitur. Homines enim ſumus, remque proindè publicam, quæ eſt in hominum vſu, vitaque communi, non eam, quæ fingitur, ſperare debemus, Quæ omnia ſic à me dicta exiſtimari velim, non vt nulla in terris ſit coram Deo bonorum multitudo, atque collectio, quæ & Eccleſia, & ſponſa, & amica Dei in ſacris literis nuncupetur; ſed vt eos nos à malis in domo, & Eccleſia Dei minimè ſeparemus, vbi vaſa aurea, & argentea ſunt, lignea quoque, & fictilia; non in honorem omnia, ſed quædam, vel in contumeliam. Verùm hæc explanata ſunt antè ſatis, vt arbitror, diligenter. Iam argumentis illis reſpondeamus, quæ modò ſuggeſſimus; nam ijs, quæ à principio libri huius ſunt poſita, capi-

te

rè ſequenti, eodemque poſtremò reſpondebimus.

In voce, inquiunt, ambigua, licet è multis vnumquodlibet ſignificatum accipere. Minimè, inquam, gentium? Sed antecedentia primùm, & conſequentia ſpectanda ſunt: deindè conſiderandum, quæ natura rerum ſit, quid cohæreat, quid repugnet, multaque omninò alia, quæ nos in tertiodecimo libro accuratiùs, & exquiſitiùs perſequemur. Quòd ſi, vbi dona Eccleſiæ Chriſtus pollicetur, continendis in officio, ac veritate fidelibus neceſſaria, ea nos ad latentia ſolùm, & inuiſa membra referimus: inania profectò eſſent dona illa, parùmque ad communem vtilitatem accommodata. Quin, vt ſuprà oſtenſum eſt, noxia eſſent, ac pernicioſa valdè, quippè quæ perditiſſimis quibuſque ciuibus, & diſſidiorum præberent perpetuas cauſas, & in omnibus omninò flagitijs impunitatem, ac licentiam ſempiternam. Iam verò ſi ratione duce, ac magiſtra cum iniurium principi bono, & ſapienti cenſemus, qui illius priuilegia ſic interpretatur, vt non ſolùm fruſtrà, ſed in perniciem conceſſa eſſe videantur; quantò magis ille erit Chriſti iniquus, paruus, & malitioſus interpres, qui gratias, & fauores, quos reipublicæ ſuæ promiſit Chriſtus, in eum ſenſum acceperit, qui non modò vanitatem præ ſe ferat, ſed vel exitium? De Eccleſia igitur, quæ bonos ſimul, maloſque complectitur, locus ille Pauli, cæterique ſimiles intelligendi ſunt. At talis concio, ac cœtus abuſiuè Eccleſia dicitur. Id primum nego. Nec enim de forti, prudenti, iuſto, ac temperanti, eadem eſt cauſa. Fateor ſiquidem cum Hieronymo, eiuſmodi virtutum vocabula ad incipientes, atque imperfectos, non niſi per abuſum traduci poſſe. Quoniam vera virtutis definitio non illas inchoantes, &, vt dicam informatas diſpoſitiones, ſed habitus planè abſolutos, atque perfectos exprimit; quemadmodùm Ariſtoteles, D. Thomas, ac reliqui viri Philoſophi tradiderunt. At Eccleſiæ vox nihil tale indicat, quale iſti fingunt, vndè malos ab eo cœtu excludamus, qui Eccleſiæ ſibi nomen propriè vendicat. Quamobrem nulla eſt improprietas, nullus abuſus, ſi Eccleſia etiam ea nuncupetur, quæ in vno baptiſmo, vna fide, vna religione, improbos habeat probis admixtos.

Quamquam aliter dein reſpondere poſſumus, Hieronymum de Eccleſia Chriſti in eum ſenſum ferè loqui, in quo populum Dei, domum Dei, ſeruos Chriſti propemodum vſurpamus. Fit enim, neſcio quomodo, vt caſus gignendi additus, ad bonos potiſſimùm vocum illarum intelligentiam deducat. Ita ſi ad Eccleſiam vitio deprauatam referantur, abuſus fortaſſe nonnullus eſt: qui mente magis concipi, quàm verbis ſignificari poteſt. Nam & populus Dei ille in ſacris literis dicitur frequentiſſimè, qui Deo peculiaritèr dicatus eſt, in quo ſcilicèt Dei fides viget, ac cultus, quamuis in eo ſint alioqui peccatores. Sed ad Hieronymi teſtimonium ſatis.

Ad id verò, quod ſubiunctum eſt, capite ſequenti reſpondebimus, vbi explicabitur, quonam ſenſu ad Epheſios 5. Apoſtolus Eccleſiam nominarit. Quòd autem domus Dei etiam illa ſit domus magna, in qua ſunt vaſa aurea, & argentea, lignea quoque, & fictilia; non eſt neceſſe demonſtrare. Id tamen, etſi perſpicuum eſt, ad futurum tempus reſeruamus, cùm primi capitis argumenta diluentur. Iam, quod poſtremò loco ex verbis Auguſtini obijcitur, id cautè, & legendum, & audiendum eſt; quemadmodum antè nos viri Eccleſiaſtici admonuerunt. Poſſunt enim verba illa duplicem ſenſum ingerere. Vnum, vt ſoli iuſti intelligantur Chriſti, & Eccleſiæ adminiſtri eſſe, ſoli remittere peccata, ſoli Eccleſiaſticam habere, & auctoritatem, & poteſtatem. Quem ſenſum conſtat non rationi ſolùm, ſed Eccleſiæ fidei, ſacriſque etiam literis repugnare. Sed de hac re non eſt huius aut loci, aut inſtituti diſſerere. Alter ergo ſine dubio Auguſtini ſenſus eſt; vt ſoli iuſti dicantur claues regni cœlorum, poteſtatem ligandi, ac ſoluendi, ſpiritum veritatis, & reliquas ſpirituales gratias accepiſſe; quòd vniuerſa dona hæc non propter malos, ſed propter bonos Eccleſiæ, & promiſſa, & collata ſint. Sic enim, quæ œconomicis, ac diſpenſatoribus paterfamilias tribuit in familię commoditates diſtribuenda, non œconomis hæc, ſed familiæ ipſi tributa eſſe intelliguntur.

Sic quæ Epiſcopis, & Clericis populus dedit in pauperum expendenda vſus, ea non Epiſcopis, & Clericis, ſed pauperibus dicitur contuliſſe. Sic etiam, ſi princeps homini ignoto quicquam ob amici ſui preces, meritumque donatur, id iure, ac verè dicet ſe non homini ignoto, ſed amico, donaſſe. Ad quam omninò legem illa quoque explicanda ſunt, quæ ex Auguſtino contra Petri, & ſucceſſorum eius auctoritatem afferuntur. Claues non vnus homo Petrus, ſed vnitas accepit Eccleſiæ. Item poteſtatem ligandi, ac ſoluendi Petrus, cum omnibus tanquam perſonam gerens ipſius vnitatis accepit. Item Eccleſiæ claues datæ ſunt, cum Petro datæ ſunt; & cum ei dicitur, ad omnes dicitur, Paſce oues meas. Quæ omnia, vt opinor, nihil aliud ſignificant, quàm Petrum, ac cæteros Eccleſiæ miniſtros, nec ſibi, nec ob ſua merita, ſed Eccleſiæ, obque Eccleſiæ cauſam, claues reliquaque Euangelij publica munera accepiſſe. Quamquam priora illa ſcio aliter ab alijs interpretari. Sunt enim, qui ea referant ad vſum poteſtatis; quem mali, qui legitimum habere non poſſunt, dicuntur non habere. Alij referunt omninò ad gratiam, non illam ſacramentalem, quæ etiam per malos miniſtros dari ſolet, ſed quæ precibus miniſtri reſpondet, vt de con. d. 4. Quomodò Auguſtinus videtur ſignificare. Alij tamen exiſtimant Auguſtinum de publicis raptoribus, vſurarijs, concubinarijs, ſacrilegis, loqui. A quibus olim, perindè vt ſi eſſent ab Eccleſia præciſi, non licebat ſacramenta percipere. Ideòque illiuſmodi miniſtri gratiam ſacramentorum non dabant. Verùm hoc diſputare, vt ſæpè iam diximus, non eſt huius diei, ac temporis. Et Waldenſium Inſania iam pridem exploſa eſt: nec in eo negotio nos nunc oportet elaborare. Itaque de his dictum eſt ſatis. Nunc argumenta, quæ à principio contra Eccleſiæ auctoritatem poſita ſunt, quàm breuiſſimè poſſumus, refellamus.

CAPVT POSTREMVM.

In quo argumenta primi capitis confutantur.

PRimum verò argumentum promptiſſimum eſt refellere: nec vno tantùm, ſed multis etiam modis. Tum, quòd ne Moyſes, nec Ioſue, in quorum gubernatione tempus illud erat poſitum; in populi furorem, & inſaniam inciderunt. Tum, quòd ne certum eſt quidem, eos, qui in caſtris remanſerint, in flagitium omnes conſenſiſſe; quin verò ſimillimum eſt, nonnullos etiam repugnaſſe. Nam vbi primùm Moyſes illam vocem edidit, Si quis eſt Domini, iungarur mihi; congregari ſunt ad eum omnes filij Leui, conſecraruntque manus ſuas Domino vnuſquiſque in filio, & in frarre ſuo. Ex quo intelligitur, qui ad vnam Moyſi vocem ſe illi coniunxerint, qui à Domino ſteterint, quos Dominus iuſtitiæ ſuæ adminiſtros in vltione fecerit, hos in eo ſcelere cæterorum ſocios, & conſortes non fuiſſe. Quid? quòd Aaron nondum ſacerdotio fuerat initiatus, nec adhuc ei ſuerar ſuperhumerale impoſitum, rationalique adſtrictum, & aptatum, in quo erat doctrina, & veritas. Nihil ergo mirùm, ſi Aaron, filijque eius, nec paſtores populi conſtiruti, nec ſacerdotes conſecrari in fide, ac religione erearunt. Quamquam Aaron, quod & Petro, & Marcellino poſtea accidit, metu peccauit, non infidelitare. Nihil ergo contra nos affertur, qui aſſerimus, ſacerdotes paſtores iam Eccleſiæ à Chriſto inſtituros errare omnes in fide, ac religione non poſſe. De argumenro itaque primo tantùm.

Secundum autem videtur eſſe granius, quo non Caluinus modo ſed Donatiſtę etiam aduersùm Catholicos vſi ſunt: quemadmodùm in libro de vnit. Eccleſiæ, cap. 12. Auguſtinus tradit. Sed non eſt neceſſe noua nunc reſponſa meditari: quando huic argumento egregiè ab Auguſtino reſponſum eſt. Plerumque, ait, ſermo diuinus impitas turbas Eccleſię ſic redarguit, tamquam omnes tales ſint, & nullus omninò remanſerit. Indè quippè admonemur, in ſuo quodam numero eos dici omnes, id eſt, omnes filios gehennæ. Iſti ergo vel imperitè, vel ſallaciter agentes colligunt de ſcripturis talia, quæ vel in malos bonis vſque in finem permixtos, vel de vaſtatione prioris populi Iudæorum dicta reperiuntur: & volunt ea detorquere in Eccleſiam Dei, vt ramquam defeciſſe, ac perijſſe de toto orbe videatur. Hactenùs Auguſtinus. Huiuſmodi ergo Prophetarum oracula hunc in primis ſenſum habent, vt quoniam in comparatione malorum adeò pauci boni ſunt, vt nulli eſſe videantur: ſcriptura tantùm vna compræhenſione populum repræhendat, quamuis in eo nonnulli ſunt boni. Deindè, prædictiones propemodum illæ erant, non repræhenſiones. Deſcribitur enim populus ille non qualis tunc erat, ſed qualis poſt Meſſiæ aduentum futurus erat. Vrerque ſenſus, ne hæretici noſtrum eſſe cauſentur, exemplis ſcripturæ manifeſtis comprobandus eſt. Ezechiel eodem, quo & Hieremias, tempore varicatus eſt. Quid dicat ei Dominus, audiamus. Domus Iſrael nolunt audire te, quia nolunt audire me. Omnis quippè domus Iſrael attrita fronte eſt, & duro corde. An putas in tota hac deprauara domo partem aliquam ſupereſſe, cui generalis illa ſententia non conueniat? Audi quid etiam dicat Dominus: Signa Thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Non ergo omnes in populi flagitium conſenſerant: non omnes attrita fronte, & duro erant corde. [Eſto aliud exemplum. Saluum, inquit, me ſac, quoniam deficit ſanctus. Vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum. En vnus totius generis humani culpas voce magna, & querebunda deplorat, perindè, ac ſi relictus ſit ſolus. Sed quid dicit illi diuinum reſponſum? Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam. Intelligens ergo iam ſuæ querimoniæ ſe plures habere conſortes: Tu Domine, inquit, ſeruabis nos à generatione hac in æternum. [In libro autem coutrà Donatiſtas poſt collationem, cap. 11. idem quoque Auguſtinus, Ne fortè, air, arbitrentur Prophetarum tantummodò moris ſuiſſe, & non ad nouum Teſtamenrum, ſed ad veteris conſummationem pertinere, ſic arguere repræhenſibiles, quaſi omnes in eo populo arguantur, & ſic alloqui laudabiles, quaſi omnes ibi laudentur, ecce ſic ad Corinth. Apoſtolus loquitur: Paulus Eccleſiæ, quæ eſt Corinthi ſanctificatis in Chriſto Ieſu, vocatis ſanctis, cum omnibus, qui inuocant nomen Domini, gratia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto: quia in omnibus diuites ſacti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia, &c. Qui hæc audiens credat in Eccleſia Corinthiorum eſſe aliquos reprobos, quandoquidem verba iſta ſic ſonant, velur ad omnes directa ſit iſta laudatio? Et tamen paulò pòſt dicir: Obſecro autem fratres, vr non ſint in vobis ſchiſmata, &c. Et in hoc horrendo vitio tamquàm omnes increpans dicit: Diuiſus eſt Chriſtus? Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati eſtis, &c. Haſtenùs ille. Poterat, & ea commemorare, quę in eadem epiſtola ſubiecta ſunt: Tamquam paruulis in Chriſto lac potum vobis dedi, non eſcam: nondùm enim poteratis. Sed nec nunc quidem poteſtis, adhuc enim carnales eſtis. Cum enim ſir inter vos zelus, & contentio, &c. Item & vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis, vt tollatur de medio veſtrum, qui hoc opus fecit. Item ex epiſtola ad Galatas: O inſenſati Galatæ, quis vos ſaſcinauit non obedire veritati, &c. Et poſtea tamen ait: Fratres, ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, huiuſcemodi inſtruite ſpiriru lenitatis, &c. Item ad Phillippenſes: Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt, & non quæ ſunt Ieſu Chriſti, &c. Quas res in ea diſputarione, & multas alias ſimiles à ſummo Theologico prætériras arbitror, quòd eſſent ſaciles: ſunt certè ad præſens inſtitutum vtiles, easque ferè in epiſtola ad Vincentium attigit. Iam quòd pleraque einſmodi Prophetarum teſtimonia ad populi Iudaici

ſta-

Digitized by Google

ſtatum, & mores poſt Meſſiam referenda ſint, & ſequenti libro multa exempla cognoſcentur, & nunc ſatis in vno exemplo demonſtrabitur. [Aggæus Zorobabelem, ac Ieſum Sacerdotem magnum, totumque omninò populum, vt domum Dei ædificarent, his verbis admonuit, & nunc conſortare Zorobabel, dicit Dominus, & confortare Ieſu Sacerdos magne, & conſortare omnis populus terræ, & facite, quoniam ego vobiſcum ſum, & Spiritus meus erit in medio veſtrũ, nolite timere. At eodem poſtea capite ſubiunxit Aggæus, Si tetigerit pollutus in anima, ex omnibus his, nunquid contaminabitur? Et reſponderunt Sacerdotes, contaminabitur. Et reſpondit Aggæus, Sic populus iſte ante faciem meam dicit Dominus, & ſic omne opus manuum eorum: & omnia, quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt. Quem omninò locum conuenientiùs de populi ſtatu poſt Teſtamenti veteris conſummationem intelligimus, tametſi Auguſtinus ad formam quoque ſuperiorum hoc exemplum interpretatus eſt. Sed vt dixi, & ad populi conditionem poſt Meſſię aduentum aptiùs hoc, congruentiùſque refertur, & plura alia, præſertim apud Iſaiam huic propoſito inſeruire, lib. proximo oſtenſuri ſumus. Itaque de Iſaiæ, Hieremięque teſtimonijs dictum eſt ſatis.

Illud verò, quod tertio loco ſubijcitur, Eccleſiam occultam eſſe, Donatiſtæ etiam olim poſuere. Quibus tamen Auguſtinus occurrit in hæc verba: Non eſt Eccleſia nobis operta, quia non eſt ſub modio, ſed ſuper candelabrũ: vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. Et de illa dictum eſt: Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita. Donatiſtis operta eſt, &c. Tantum Auguſtinus.

Primum autem illud ſalſum eſt, veterem populum aliquando nullam Eccleſiæ ſpeciem habuiſſe. Nam cùm ſe ſolum relictum queretur Helias, ſeptem milia virorum ſcriptura commemorat genua ſua non curuaſſe ante Baal: quibus ſanè illud perſpectum, & exploratum erat, non fidem, & vnitatem, ſed regnum eſſe diuiſum: extareque proindè in Hieruſalem templum Dei, Summum Sacerdotem, veram de lege, ac religione doctrinam. Euſmodi Tobias erat, qui cùm tribules reliqui irent ad vitulos aureos, quos fecerat Hieroboam, ipſe pergebat ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Iſrael, decimas fideliter offerens, & cætera his ſimilia ſecundùm legem Dei puerulus etiam obſeruans.

Deindè, non ſequitur, ſi populus ille ita vacillauit, vt penè cecidiſſe videatur: ſi ita diſperſus eſt, vt propemodùm formam, & ſpeciem amiſerit, Chriſti quoque Eccleſiam, vſque adeò obſcurati poſſe: vt nulla eius ſpecies effulgeat. Plebs enim illa vetus, vt quæ caſura eſſet, ruinam ſępè minabatur. Et quoniam futurum erat, vt illi reipublicę tamquam ſempiterna nox eſſet offuſa: nihil mirum, ſi ſenſim obſcurata eſt, & euanuit. Quid autem, ſi quandoque etiam vix apparuit, cui tum parua lux, tenuiſque noctis ſplendor affulſit? nempè lucerna lucens in caliginoſo loco. Sed hæc explicabuntur in ſequenti libro diligentiùs. Nam Hilarij auctoritatem, qua nos Caluinus vrgendo exiſtimat, Vincentius Auguſtino quondam oppoſuit: ſed hic loca omnia, quæ ille ex Hilario collegerat, tamquam meras calumnias contudit, & obtriuit ferè in hæc verba: Eccleſia aliquando obſcuratur quidem multitudine ſcandalorum, ſed etiam tunc in ſuis firmiſſimis eminet. Aliquando tentationum fluctibus operitur, atque turbatur: & tale tunc erat tempus, de quo ſcripſit Hilarius, vndè putaſti inſidiandum contrà teſtimonia tot diuina, &c. [Potes hoc modò dicere, nec Eccleſias Galatiæ tunc fuiſſe, quando dicebat Apoſtolus: O ſtulti Galatæ, quis vos faſcinauit? Sic enim calumniaris docto viro, qui tardicordes, & timidos grauiter increpabat. Quis enim neſcit, illo tempore obſcuris verbis multos parui ſenſus fuiſſe deluſos, vt putent hoc credi ab Arianis, quod etiam ipſi credebant: alios autem timore ceſſiſſe, & ſimulatè conſenſiſſe. Quamquam & illi, qui tunc firmiſſimi fuerunt, & verba hæreticorum inſidioſa intelligere potuerunt, pauci quidem erant in comparatione cæterorum, ſed tamen etiam ipſi quidam pro fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant: Hilarius ergo decem prouinciarũ Aſianarum, aut zizania, non triticum arguebat, aut ipſum etiam triticum, quod defectu quodam periclitabatur, quantò vehementiùs, tantò vtiliùs arguendum putabat. Habent enim etiam ſcripturæ canonicæ hunc arguendi morem, vt tamquam omnibus dicatur, & ad quoſdam verbum perueniat. Hactenùs Auguſtinus.

Ac Hieronymus, Ingemuit totus orbis, inquit, & Arianum ſe eſſe miratus eſt. Periclitabatur nauicula Apoſtolorum, vrgebant venti, fluctibus latera tundebantur, nihil iam ſupererat ſpei, Dominus excitatur, imperat tempeſtati, beſtia moritur, tranquillitas redij. Manifeſtiùs dicam, omnes Epiſcopi, qui de proprijs ſedibus fuerant exterminati, ad Eccleſias redeunt. Tunc triumphatorem ſuum Athanaſium Ægyptus excipit, tunc Hilarium de prælio reuertentem Galliarum Eccleſia complexa eſt, tunc ad reditum Euſebij lugubres veſtes Italia mutauit. Hęc Hieronymus, multaque alia, quæ breuitatis ſtudio prætereo. Sed hæc ſatis ſunt, vt omnes intelligant, nauem Eccleſiæ in alto hæreſum, ſeditionum, diſcordiarumque procellis fluitantem, fuiſſe iactatam quidem, ac penè opertam fluctibus: ſed non fuiſſe tamen in tanta etiam tempeſtate demerſam. Quin in ſuis, licèt paucis fortiſſimis eminuit, qui quò magis in remigando laborant, eò aſpectabiliores, clarioreſque fuerunt. Nec hoc loco opus eſt Eccleſiæ Romanæ fidem, lucemque proferre, quæ numquam omninò ipſa latuit, ſed toti ſemper orbi manifeſta fuit, quemadmodùm ſexto poſtea libro accuratiùs oſtendetur.

Nec verò ſub diuerſis Pontificibus fides Eccleſiæ, aut ſoluitur, aut occultatur. Quin eo etiam tempore Eccleſia Catholica fidei ſuę manifeſtum argumentum edit. Iudicia tunc paſtorum periclitantur, quæ ſine certo Eccleſiæ capite infirma, atque incerta erunt. De qua re alio libro diſſeremus.

Iam, in ſexto argumento Caluinus, & multùm operæ, ac verborum ſumit, & vano ſe labore frangit. Poterat breuiùs, ac faciliùs dicere, quoniam Synagoga extincta omninò

ninò

ninò, & deleta eſt, Eeeleſiam quoque Chriſti funditùs eſſe delendam. At diſceſſio, quam prædixir Apoſtolus, venire non poteſt, dum vera Eccleſia facies exriterit. Id Caluinus dicit: non probat. Ieaque ſalſum eſt. Quin poſteaquam Germania non ſolùm à Romano Pontifice, ſed à Romano, eodemque ſuo Imperatore maiore ex parte defęcit: illa fortaſſis Pauli prædictio impleta eſt, inſtantque proindè Antichriſti infęliciſſima eempora. At, filius hominis veniens fidem non inueniet iu terra. Sed huic argumento reſpondet Hieronymus, illam hìc fidem nominari, de qua Dominus aiebar, Fides tua te ſaluam fecit. Et alibi de Centurione, Non inueni tantam fidem in Iſrael. Et rurſùm ad Apoſtolos, Quid timidi eſtis modicæ fidei? Nec non & in alio loco, Si habueritis fidem ſicut grannm ſinapis, &c. Nec enim Centurio, aut illa muliercula in Trinitatis Sacramenta crediderant: ſed ſimplicitas mentis, & deuota Deo ſuo auima commodata eſt. Hæc eſt fides, quam rarò inuentam Deus pronunciauit. Hęc eſt fides, quæ etiam apud eos, qui benè credunt, difficilè perfecta inuenitur. [Eodem qnoq; modò Auguſtinus reſpondet, Dominum de perfecta fide loqni, quæ ita difficilis eſt in hominibus, vt in ipſis admirabilibus ſanctis inueniatur aliquid, vbi trepidauerint, Addit rurſùm, propter iniquornm abundantiam, & pancitatem bonorum, quæ illa potiſſimùm ætate erit, Dominum ita loquutum. Proptereà enim non dixit, Filius hominis veniens non inueniet fidem in terra: ſed quaſi dubitans, Putaſne, ait, inueniet fidem? Non quòd ille cuncta ſciens, de aliqua re dubitaret, ſed vt ſua dubitatione figuraret noſtram: quia propter multa ſcandala circa finem ſęculi pullulantia, hoc erat infirmitas humana dictura. Illorum autem error eripiendus eſt, qui vaniſſimis argumeutis adducti ſunt, vt putarent fidem in ſolo vno manere poſſe. Cùm enim Eccleſiæ nomen collectiuum ſit, ſi vnus tantùm crederet, non crederet Eeeleſia. [Adde quòd Dominus per Matthæum dicit. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſęculi. Vobiſcum, ait. Et per Ioannem, cùm pollicetur Spirirum veritatis fidelibus ſempiternum, pluribus illum pollicetur, non tantùm vni. Adde etiam quòd corpus non eſt vnum membrum, ſed multa, vt Apoſtolus ad Corinthios docet. Sed Corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, vt idem ad Epheſios oſtendit, vſque in finem permanebit. Non ergo vmquam multi fideles in Eccleſia deerunt.

Prætereà: tricum ſimul cum zizanijs in agro, bonique piſces cum malis in reti, vſque ad conſummationem ſæculi durabunt. Non ergo ſolùm in vno manebit fides. Sed deficiet Hoſtia, & Sacrificium. Equidem hanc Danielis vaticinationem non ad fidem ſęculi, ſed ad Synagogæ conſummationem exiſtimo referendam. Quod ſi quis ad tempus Antichriſti referre velit, cum hoc ego non magnopere contenderim: modò ſic interpretetur, vt propter crudeliſſimi tyranni ſæuitiam Sacerdotes à publico, & ſolemni ſacrificio deſiſtant. Quod vero ex Apocalypſi Ioanuis obijcitur, quoniam valdè obſcurum eſt, nihil contrà nos habet ad facieudam fidem virinm, rametſi hoc oraculum in Luthero fateor eſſe completum: cui data eſt clauis putei abyſſi, vt erroris penitùs demerſos, atque deſoſſos eruendo, tanta caligine orbem obducerent, vt vel lucem ipſam tenebris circunſudiſſe videretur. Sed affulget adhuc Eccleſiæ lumen his, qui oculos habent ad videndum. Nam Lutherani cæci ſunt, & duces cæcorum. Si autem omnis gloria filiæ Regis abintus, nihilqne in ea externi ſplendoris eſt: qui fieri poteſt, vt illa cohæreant, Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato cicundata varietate. Item, Sic luceat lux veſtra coràm hominibus, vt videant opera veſtra bona, &c. Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita, Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant, cæteraque ſimilia, quæ ſunt, ne longum faciam, prætereunda. Planum eſt igitur, in ſponſa Chriſti, in qua nihil fictum, nihil fucatum, nihil ſimulatum eſt, ſed omnia vera, ſyncera, ſolida, omnem etiam externam gloriam ab interiore virtute, & ſplendore procedere. Ac de ſexto argumento nimis multa diximus.

Reliquis verò argumentis diluendis illud admonere operæpretium eſt, per figurarum dictionem multa, quæ parti conueniunt, in totum ſolere transferri. Id nobis in vſu eſt, cùm perſæpè aliàs, tum magis, cùm de ciuitate, populo, regno, omnique omninò cœtu loquimur, de quibus ea in vniuerſum dicimus, in quæ non omnes reipublicæ partes, ſed interdum paucæ etiam concurrunt. Populum enim robuſtum, gentem bellicoſam appellamus, non quòd omnes in ea republica, aut robuſti, aut bellicoſi ſint, ſed quòd viri ex ea ad rem bellicam ſelecti eiuſmodi ſoleant eſſe. Nec enim aliter de humano corpore loquimur. Dicitur autem homo agere, vel pati, quæ manus, peſque, vel agit, vel etiam patitur. Dicitur mundus; immunduſue, ſi facies, aut munda, aut immunda ſit: eodemque omninò modo ſimiliter in reliquis. Indè adeò venit, vt vocabula, quæ quibuſdam Eccleſiæ partibus conuenire videmus, Eccleſiæ ipſi attribuantur. Ad hanc enim legem Eccleſia dicitur amica, pulchra, immaculata, ſancta, videlicet ratione bonorum: hortus concluſus, fons ſignatus, ratione electorum. Qui cùm prima, atque optima pars ſint Eccleſiæ Chriſtianæ, imò verò regni cœlorum cum ſint principes, quamuis in terrena republica deſpicatiſſimi, ac contemptiſſimi, verè, ac iure ea, quæ in eos conueniunt, in totam Eccleſiam transferuntur. Quoniam, vt ex Ariſtotele etiam antè docuimus, id ciuitas, aut eſſe, aut facere dicatur, quòd in ea primarij, aut optimates, aut eſſe dicuntur, aut facere. Neque hoc loco, vbi à Lutheranis, vel maximè petimur, Lutheri teſtimonium negligendum eſt, quò intelligant hi rem eſſe, eam apertam, atque dilucidam, vt eam ne Lutherus ipſe quidem negare potuerit. [Is igitur cùm in concione quadam ad populum explicaret, quemadmodùm Eccleſia ſancta diceretur per ſynecdochen, docet Matthæum ſcripſiſſe, latrones blaſphemaſſe; cùm vnum eorum id feciſſe Lucas ſcribat. Sic vnus, & idem populus, vt ait, arguitur in Prophetis, cùm multi ſint inter eos boni: ru-

ſus

bus laudatur, cùm multi ſint inter eos mali. Et pulcherrimæ charitatis ea eſt figura, quæ communia faciat omnia bona: communia item omnia mala. Vt alter alterius onera portet, & ſic impleat legem Chriſti. Sic ciuitas, vel regio, vel domus feciſſe, aut paſſa eſſe dicitur, quod aliquot in ea fecerunt, aut paſſi ſunt. Hactenùs Lutherus. Hìc ego hæreticos vniuerſos appello, vt iam vel ipſi ſint iudices, num pudenter nobis opponant Eccleſiam hortum concluſum eſſe, fontem ſignatum, puteum aquæ viuæ, paradiſum cum pomorum fructibus, ſanctam, pulchram, perfectam, ſine macula,& ruga glorioſam; vt in ea nullum præſcitum, nullum infirmum, nullum improbum eſſe conficiant. Sed reſpondeamus ad ſingula. In ſeptimo argumento canticorum de Eccleſia encomium ponitur, cui abundè, vt reor, ſatisfecimus. Additur deinceps, in arca ſolos eos fuiſſe, qui ſalui facti ſunt: arcam autem Eccleſiæ imaginem extitiſſe. At ne quis in hunc errorem incideret, vt putaret omnes, qui per baptiſmum in Eccleſiam tranſeunt, eſſe ſaluos: idcircò Petrus cautè,& ſapienter adiecit, Quòd & vos nunc ſimilis formæ ſaluos facit baptiſma: non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio, &c. Alioqui etiam, quod Hieronymus aduerſùm Luciferianos ait, vt in arca omnium animalium genera, ità & in Eccleſia vniuerſarum gentium,& morum homines ſunt. Vt ibi pardus, & hœdi, lupus & agni, ita & hìc iuſti, & peccatores, id eſt, vaſa aurea,& argentea, cum ligneis,& fictilibus commorantur. Arca igitur in ea potiſſimùm Eccleſiæ typus eſt, quòd extra eam nullus ſeruatus eſt: non in eo, quòd omnes intra illam facti ſunt ſalui. Sed arcæ Sacramenta è Hieronymo in dialogo illo petantur. Nos pergamus ad reliqua.

Chriſtus, aiunt, non eſt alterius Eccleſiæ caput, niſi eius, cuius ſaluator eſt. Hoc primum non eſt adeò expeditum, Eſt enim caput angelorum Chriſtus: nec conſtat tamen, an eorum ſit propriè ſeruator. Certè ego non puto, quamuis contra ſit à nonnullis diſputatum. De qua re non eſt hìc locus differendi. Deindè, ea connexio infirma eſt, Chriſtus eſt Eccleſiæ ſaluator, ergo omnes, qui ſunt in Eccleſia, ſeruat. Eſt enim ſaluator omnium hominum, maximè fidelium: nec omnes tamen re ipſa ſaluos facit. Atque vt Chriſtus corpus ſuum, quod eſt Eccleſia, ſeruet: ſeruet, inquam, rei efficientia,& exitu: adhuc non ſequitur, eum omnes, qui ſunt in Eccleſia, ſeruare. Tum quoniam iam ſatis oſtenſum,& pateſactum eſt, quædam de Eccleſia verè dici, quæ ei non omnium, ſed quarundam partium ratione conueniunt. Tum quoniam totius, partiumque vocabula latiùs fuſa ſunt, quàm voces corporis, atque membrorum, quemadmodum paulò pòſt explanaturi ſumus. Ita non fit, vt ſi corpus Chriſti, omniaque eius membra ſeruantur? partes Eccleſiæ ſeruentur omnes. Nec verò Paulus ait, Chriſtum exhibere ſibi glorioſam Eccleſiam: ſolùm aſtruit ſeipſum tradidiſſe, vt eam exhiberet glorioſam. Quemadmodùm autem mortuus ille eſt, vt omnes viueremus, nec viuunt omnes tamen: ſic ſe tradidit pro Eccleſia, vt eam mundaret & glorificaret: nec tamen omnes, qui in Eccleſia ſunt, mundantur,& glorificantur. Tam etſi verè Eccleſiam ſuam ſibi exhibet glorioſam: ſed nec in omnibus partibus, nec in hoc fortaſſe tempore.

Porrò id, quod ſequitur, facillimum eſt. Nam, quamquam filij Dei aliquando ſecundùm prædeſtinationem nominentur: at propria, eademque frequens denominatio à præſenti iuſtitia fit: vt capite tertio explanatum eſt. Videmus autem verè filios exhæredari, ac iuſtè aliquando quidem. Non itaque colligitur, filius eſt, igitur percipiet hæreditatem: niſi illud ſimul ponas, & ius, quod accepit, non amiſit. Quoniam autem filius Dei non ſemper probus intelligitur, ſed is quoque interdùm, qui paterna bona prodegerit: etiam hoc diſtinguendum puto, Eccleſiam è Dei ſolùm filijs conſtare. Nam ſi filios voces, qui per baptiſmum ſunt Chriſto, & Eccleſiæ geniti: id nos aſſerimus. Sed in his ſunt improbi quidam, & ſtulti filij, quos patris, matriſque cura parturire iterum geſtit, donec formetur in eis Chriſtus. Sin filios Dei iuxta frequentiorē ſcripturæ vſum eos tantùm appelles, qui probi, & ſapientes ſunt: certè Eccleſia non ex his modò conſtituitur, ſed ex illis etiam, qui paternæ,& probitatis,& ſapientiæ effigiem eluerunt. Nam & in hos nomen filij quandoque diffunditur. Nonne inquit, ipſe eſt pater tuus? At generatio peruerſa erat, & infideles filij. Item, Filios enutriui,& exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. Item, Conuertimini filij reuertentes, & ſanabo auerſiones veſtras. Item, Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias? Quod de ſanctis Eccleſiæ viris dictum eſſe, omnes Chriſti fideles agnoſcunt. Vndè autem appellat ſpinas, niſi, vt Auguſtinus ait, propter malignitatem morum? Et eaſdem vndè filias, niſi propter communionem ſacramentorum? Bona erga filia in medio malarum eſt, in eademque paterna domo. Sed ouile Chriſti non niſi ex Chriſti ouibus conſtituitur. Quid tum? Quaſi non alias pecudes habeat paſtor. Habet ſanè capras, habet, & hœdos. Paſtori itaque non modò ouile eſt, ſed & caprile,& hœdile. Hœdi porrò,& agni in Dei cognitione, intelligentiaque diſcreti ſunt, in hominum ſcientia, & cogitatione confuſi. Dum hìc viuitur, diuerſi licèt greges, in vna tamen congregatione ſunt: adeòque permixti, vt ſegregari non poſſint, donec ille veniat, qui ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis,& ſtatuet quidem oues à dextris, hœdos autem à ſiniſtris. Sed vt argumento huic ſcholæ more preſſiùs, diſtinctiuſque reſpondeam, illud conſiderandum cenſeo, quòd vt nomen ouis non in eo ſolùm loco, ſed in ſacris ferè literis pro bonis, ac iuſtis accipitur: ſic ouile Eccleſiam in bonis, iuſtiſque deſignat. Quales ſunt, quemadmodùm ſuprà diximus, voces aliæ nonnullæ, vt exempli cauſa, amica, columba, immaculata, hortus concluſus, fons ſignatus, paradiſus cum pomorum fructibus quæ nimirùm voces eccleſiæ, vel propter iuſtos, vel etiam propter electos tribuuntur. Quocirca non fit, vt ſi in ouili non ſunt niſi oues, in eccleſia non ſint hœdi, quos ſponſa paſcere iuſſa eſt, quò ad eos ab agnis paſtor

ille ſummus ſegregauerit. Nonne etiam ouis malos nnonuuquam in eccleſia ſignificat, nedum probos. Hinc enim illa ſunt, Erraui ſicut ouis, quæ perierat. Et, omnes nos quaſi oues errauimus. Et, ſicut oues in inferno poſiti ſunt. Et, Iratus eſt furor tuus ſuper oues paſcuæ tuæ. Et in Euangelijs ouem errantem legimus, Et, Oues, quæ perierunt, domus Iſrael. Atque cum Dominus Petro commiſit oues, ſi nomen hoc pro ſolis bonis vſurpatum cenſeamos: verendum eſt vtique ne mali à Petri cura exiſtimeor ſe exemptos. Sanè verò quicunque fidei ſacramentum habent, Petro intelliguntur eſſe commiſſi: nec ab eo modò, requirendum, ſi gregem bonorum pauerit; ſed illa etiam, an, quod infirmum fuit, couſolidarit, & quod ægrotum, ſanarit, & quod confractum alligarit, & quod abiectum reduxerit, & quod perierat requiſierit. In quem ſenſum ouile Chriſti non eſt anguſtius, quàm eccleſia: ſed perindè vt illa cum ſanis morboſas etiam oues continet. Dominus autem Ioannis capite decimo in illum alterum ſenſum vocem ouis vſurpauit. Iam quod io hoc ſeptimo principali argumento demùm obijcitur, id iu promptu eſt refellere. Nam ſi ex diſcipulis pſeudoprophetæ exierunt, intùs ergo priùs, domique erant: nec enim aliter exire potuiſſent. At non erant, inquit, ex nobis. Hoc duobus modis exponitur. Initio ſignificat Ioannes fictos illos, & ſimulatos Chriſti diſcipulos fuiſſe: qui quaſi amici ad tempus, & ſocij menſæ, in die neceſſitatis receſſerint. Inter nos verſabantur, ait eandem nobiſcum menſam, cæteraque omninò ſacramenta habebant communia, ſed ſimulatio virtutis erat, venditatio, oſtentatio: Ideòque, quoniam non erant ex animo, & verè noſtri, non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent tales, quales nos ſumus, ex animo Chriſtiani, permanſiſſent vtique nobiſcum. Deindè de viris fortè Apoſtolicis loquitur, cùm ait, Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis. Nonnulli ſiquidem ſtatim à principio naſcentis eccleſiæ, nomine ſe Apoſtolorum venditarunt, cùm non eſſent Apoſtoli Chriſti veri, ſed Pſeudoapoſtoli. Quod igitur dicit, tale eſt: Ex nobis exierunt, hoc eſt, à noſtra ſchola, & ſocietate: ſed non erant ex nobis, id eſt, non verè erant Apoſtoli: ſi enim ij fuiſſent, nobiſcum profectò permanſiſſent. Veri enim Apoſtoli, quos ad euangelij munus delegit Chriſtus, non tum hoc, tum illud, ſed idem dicebant ſemper: eratque illis conſtans, ac perpetoa ratio, & veritatis, & vitæ. Hnc enim ad auctoritatem euangelij pertinebat, vt eius primi adminiſtri, quibus ſcilicet illud eſt creditum, odorem, ſaporemque Chriſti ſemper, & in omni loco ſeruarent. Contra verò, operarij ſubdoli, quamuis aliquando ſe traosfiguraſſent in Apoſtolos Chriſti, ſed inſipientia tandem eorum manifeſta erat omnib. & fiuis ſecundum opera ipſorum. Quamquam, ſi de prædeſtinatis, vt Hieronymo, & Auguſtino viſum eſt, Ioannes loqueretur: nihil adhuc hæretici conficerent. Nam quæ rerum conſequentia eſt. Non ſunt ex nobis, id eſt, non ſunt ex electis: non igitur ſunt iu domo Dei, quæ eſt Eccleſia? Quaſi verò in domo Dei non ſint cum vaſis electis in honorem, vaſa etiam non electa, nempè in contumeliam. Sed ad argumentum ſeptimum diximus multa. Nunc octauum diluamus.

Et ad teſtimonia quidem ex Canticis poſt ea, quæ dicta ſunt, nihil eſt neceſſe reſpondere. Illud autem, quod ex Apoſtolo obiectum eſt, D. Auguſtinus in libro ſecundo retractationum ita interpretatur, vt Eccleſiam deſcribat Apoſtolus, non quæ iam ſit, ſed quæ præparatur vt ſit, qoando apparebit etiã glorioſa. Et in libro de perfectione iuſtitię, Cùm enim ait, non tantùm Apoſtolus dixerit, vt exhiberet ſibi Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, ſed addiderit glorioſam: ſatis ſignificauit: quando erit ſine macula, aut aliquid huiuſmodi, tunc vtique quando glorioſa. Non enim modò in tantis malis, in tantis ſcandalis, in tanta permiſtione hominum peſſimorum, in tantis opprobrijs impiorum dicendum eſt eam eſſe glorioſam. Nam ſi Dominus ipſe non fuit glorificatus, niſi reſurrectionis gloria, quomodo dicenda eſt, ante reſurrectionem ſuam, Eccleſia eius eſſe glorioſa? Mundat ergo eam lauacro aquæ abluens peccata præterita, deindè perficiens eius ſanitates, facit eam occurrere in illam glorioſam ſine macula, & ruga. Hactenùs Auguſt. Cuius ſententiæ fuit non ſolùm D. Thomas, ſed etiam Hieronymus, ac Beroardus, in quem omninò ſenſum Eſaiæ teſtimonium idem Auguſtinus interpretatus eſt, in lib. con. Donatiſt. poſt collat. capite 8. Quamquam altera eſt eius loci commodior intelligentia, vt incircumciſus, & barbarus populus non ſit Eccleſiam Dei oppreſſurus, quemadmodùm opprimit qui pede calcat. Et cap. 9. docet, diſtinguenda eſſe tempora Eccleſiæ: & pro diuerſitate varia ſcripturæ loca, quæ partim Eccleſiæ puritatem, partim malorum permixtionem enunciant, eſſe concilianda. Memini me tamen ſic Pauli verba aliquando exponere, vt ad efficientiam baptiſmi etiam præſentem illa omnia referantur. Quod enim ait, Vt eam ſibi exhiberet ſine macula, hoc planum, & expeditum eſt: cùm ſine controuerſia omnes omninò maculas baptiſma deleat. Quod verò ſubiungit, Sine ruga, id certum ad baptiſmi nouitatem attinere, qui veterem hominem ſuſtulit, & abſumpſit. Renouatur quippè, vt aquilæ iuuentus noſtra per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè, &c. At, quomodo Eccleſia per baptiſmum glorioſa? Nempè tunc glorioſa ſponſa ſponſo ſuo exhibetur, cùm illi virgo genere, ac virtute clara, pulchra, munda, veſte pretioſa, auro, gemmiſque ornata exhibetur. Non autem regina illa, quę aſtitit à dextris regis in veſtitu deaurato circundata varietate, non Heſter regio fulgens habitu, & circundata gloria ſua, non in omni gloria ſua Salomon, ita glorioſi deſcripti ſunt: quin glorioſior Eccleſia ſua Chriſto fit recens baptiſmi initiata ſacramento. Nec enim minus in Eccleſiam, quàm in ſynagogam illa quadrant: Lauite aqua, & emundaui ſanguinem tuum ex te, & vnxi te oleo. Et veſtiui te diſcoloribus, & calceaui te hyacintho, & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus. Et ornaui te ornamento: & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa col-

lum

um tuum. Et dedi in aurem ſuper os tuum, circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo. Et ornatus es auro, & argento, &c. Quæ ſigillatim in baptiſmi efficientia explanare, erat facilè id quidem, ſed huius temporis non eſt. Non ergo cogimur ad futurum tempus ea effecta referre, quæ in preſenti baptiſmus Eccleſiæ præſtat. Omnia ſiquidem illa in duo hæc Apoſtolus contulit, vt Eccleſia ſit ſancta, & immaculata. Vt exhiberet, inquit, ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta, & immaculata. Qualem certè nunc etiam credimus eſſe: non in omni ſua parte quidem, nam id, quemadmodùm antè diximus, non eſt neceſſe: ſed in multis membris, quorum ſanctitas, & puritas facit, vt Eccleſia ipſa ſancta verè, immaculataque dicatur.

Sanè in paruulis, adultiſque, nunc primùm per baptiſmum lotis, nulla prorſus queſtio eſt, quin Eccleſia ſancta, & immaculata ſit. Sed eſſe ſine macula, vt Auguſt. docuit, non abſurdè etiam ille dicitur, qui, & criminibus caret damnabilibus, & ipſa peccata venialia non negligit mundare eleemoſynis. Hos enim immaculatos ſcriptura vocat: Ero, ait, immaculatus cum eo. Quomodo? Obſeruabo me ab iniquitate mea. Item, Beati Immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Non enim, qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt. In his ergò, qui ab iniquitate, & crimine mundi ſunt, ſunt autem plurimi, eccleſia immaculata eſt, quamuis imputitatis non nihil, hoc eſt, culpæ venialis ex leui, inconſtantique natura contrahant omnes.

Secundùm hanc interpretationem, quæ mihi, & verbis, & ſententiæ Pauli magis conſentanea videtur, patet: Eccleſiam etiamnum extare, in quibuſdam ſuis membris quidem prorsùs immaculatam, hoc eſt, ſine omni omninò macula: in quibuſdam verò ita parum, vt quiddam maculæ, leuis illius tamen, poſſit habere. Sic in quibuſdam Columba eſt, in quibuſdam perfecta. Perfectos autem pingui, vt aiunt, Minerua appellamus eos, quibus vita mortalis contenta eſt, qui aſſequuntur, quantum homines poſſunt optimam in terra viuendi rationem, & viam, tametſi in rebus minimis quandoque deficiunt. At omnis, qui peccat, non cognouit Deum: & omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit. Hunc locum Diuus Bernardus in concione de ſeptuageſima, cuius initium: Magna mihi conſolatio, accepit de filijs Dei ſecundùm prædeſtinationes, quos interpretatur, non peccare, id eſt, non permanere in peccato. Diuus autem Auguſtinus homilia quarta in hanc Ioannis epiſtolam, & ſecundo libro de baptiſmate paruulorum, capite octauo. Et libro ſecundo contrà Parmenianum, cap. 7. & vltimo, fuſiùs in lib. de perfect. iuſt. exponit, filios Dei non peccare ex hoc, quòd filij Dei ſunt: eos verò, qui peccant, non cognoſcere Deum, qua ratione peccant. Peccatum enim non à fide, & ſcientia, ſed ab ignoratione proficiſcitur. Fides contrà, & charitas, quibus filij Dei ſumus, non agunt perperam, ſed refutant omne peccatum. Quam ſententiam Diuus Thomas cum familia ſua ſequitur ſecunda ſecundæ, quæſtione vigeſima quarta, articulo vndecimo ad primum. Eandem ſecuti ſunt cum Auguſtino alij Epiſcopi Aphricani, vt patet in epiſtola quinque Epiſcoporum ad Innocentium.

Quemadmodùm enim Paulus dicere potuit, ſi autem quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum: Ità homo iſtus, ſi ex lege aliàs naturæ repugnantis leuiter aliquando deficiat, illud quoque verè dicet. Iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Quam interpretationem, quoniam ei, & huius epiſtolæ quædam loca, & viri clariſſimi conſentiunt, non audeo equidem improbare. Sed vt dicam ex animo, quod ſentio, mihi magis Hieron. ſententia placet, qui non putat Ioannem in genere de peccato loqui, ſed tantùm de mortali. Id quod in toto quaſi contextu epiſtolæ facilè cernitur. Hoc enim Apoſtolus ibidem agit, vt oſtendat nullam eſſe communicationem lucis ad tenebras, Chriſti ad Belial, nec miſcere poſſe iuſtitiam, & iniquitatem, crimina, & charitatem, Chriſtum, & Antichriſtum, non plus certè, quàm noctem, & diem. Nam fuere quidam hæretici, quales nunc ſunt ex Lutheranis plurimi, quibus ſatis fuit, ſi ſemel baptiſmo ſuſcepto fidem haberent etiam ſine operibus. Quem errorem à primo cap. Ioan. cœpit depellere, in hæc verba: Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Si dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur. Item cap. 2. In hoc ſcimus, quoniam cognouimus eum, ſi mandata eius obſeruamus. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit: mendax eſt. Item eodem cap. Qui dicit ſe in ipſo manere: debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit: in tenebris eſt. Item, Si quis diligit mundum, non eſt charitas patris in eo &c. Item cap. 3. Omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit. Scilicet, ne quis putaret de quolibet peccato etiam leui futurum eſſe ſermonem. Iniquitas enim graue peccatum eſt. Tunc ergo ſubiungit, Omnis, qui in eo manet, non peccat: & omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum. Nam eſt cognitio quædam, ſcientiaque de Deo, ijs familiaris, & propria, qui ſpiritum intellectus, ſcientiæ, ſapientiæ, conſilijque habent: quo nimirùm ſpiritu omnes improbi carent. Itaque, nec vident, nec cognoſcunt Deum. Quamlibet viſiones, & reuelationes Dei habere ſe prædicent. Item, Filioli, nemo vos ſeducat. Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt. Qui facit peccatum, nempè mortale, ex diabolo eſt. Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, videlicet quamdiù Filius Dei eſt, quoniam ſemen ipſius, hoc eſt, Charitas in eo manet: & vt arbor bona, niſi vitietur, non poteſt malos facere fructus: ſic Filius Dei crimen, & flagitium committere non poteſt, niſi Filius Dei eſſe deſierit: In hoc manifeſti ſunt Filij Dei, & filij diaboli. Qui iuſtus eſt, Filius Dei eſt: qui non eſt iuſtus, nec diligit fratrem ſuum, filius eſt diaboli. Item in fine epiſtolę, Omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat. Hoc eſt, non violat charitatem, ſed ſeruat mandata, quoniam generatio Dei conſeruat eum, &

malignus non tangit eum. Nimirùm quamdiù ſemen ille conſeruat, generatio Dei conſeruat eum, & malignus non tangit eum. At ſi volens ſemen illud abiecerit, ex quo ſemine natus eſt, tunc profectò filium diaboli effectum, iam malignus non ſolùm tanget, ſed vtetur eo etiam pro ſuo. Quem Hieronymi ſenſum Auguſtinus etiam amplectitur, homilia in hanc epiſtolam quinta, Atque vtinam hæc Apoſtoli doctrina noſtri ſeculi hominibus non eſſet neceſſaria. Sed videmus eſſe multos, qui cura fratrum ſuorum, & charitate neglecta, alijſque Euangelij, & naturæ preceptis omiſſis, preculis, meditatiunculis, non enim contemplationes dicam, die noctùque vocantes, mentiuntur ſe, & noſſe, & diligere Deum. At in hoc ſcimus, quòd cognoſcimus eum, ſi mandata eius obſeruamus. Qui enim non diligit, non nouit Deum. Hæc eſt autem charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus. Sanè qui tum ſecundam, tum maximè tertiam epiſtolam eiuſdem Apoſtoli legerit, intelligit euidentiùs, totum Apoſtoli ſermonem, eos coarguere, qui bonos, iuſtos, amicos, & filios Dei ſe eſſe ſine proximi charitate mentiebantur. Id verò grauiùs, quò maiori ſimulationis artificio fingebant ſe cognitioni Dei, & contemplationi vacare. Verùm de hoc argumento plura dicta ſunt, quàm fortaſsè ratio inſtituti operis poſtulabat.

Itaque ad illud ex epiſtola ad hebræos teſtimonium, ne moleſtum ſit plura dicere, dicemus nihil. Nec neceſſe eſt tamen aliquid dicere, cùm in eiuſmodi argumentis diluendis noſtra opera, & ſtudium minimè deſiderentur.

Illud etiam eſt facilè, quod in nono argumento primum opponitur. Iam enim demonſtratum eſt, vt Eccleſia ſancta ſit, non oportere omnes eos ſanctos eſſe, qui illius partes eſſe dicuntur. Non autem, quamuis id Hieron. fecerit, Eccleſiam dupliciter vſurpamus, & eam, quæ vndique ſancta, & tota corpus Chriſti ſit: & eam, quæ cum ſanctis malos habeat permixtos. Sed id docemus, populum chriſtianum verè ſanctum dici: licèt non omnes, qui in hoc populo numerantur, ſancti ſint. Nam argutias illas elegantiſſimas, quibus hoc impugnatum eſt, conſilium eſt negligere. Sophiſtarum quippè ſunt meræ nugæ, gerris, vt aiunt. Siculis vaniores. Præterquam quòd forſitan Eccleſiam ſanctam credimus, quia populus eſt Deo per baptiſmum dicatus, conſecratus, ſanctificatus, hos enim ſcriptura ſanctos appellare ſolet. Illud verò, quod ſtatim additur, diligenter expendendum eſt. Aliud porrò eſt partes Eccleſiæ eſſe aliud Eccleſiæ membra. Nomen ſiquidem partis latiùs diffunditur, nomen membri contractius eſt. Pars ad totum refertur, membrum ad animantis corpus. Ita pars ſine vita inuenitur, vt in lapide, ligno, ac cæteris eiuſmodi. Membrum, aut verè, & propriè ſine vita ne intelligi quidem poteſt. Quamobrem improbi, partes quidem Eccleſiæ ſunt: membra Eccleſiæ, aut Chriſti non ſunt. Sunt autem diaboli membra. At in Eccleſia eſſe cenſentur, ciueſque ciuitati huic, & annumerati, & adſcripti: ciues mali, & flagitioſi tamen. Quo verò pacto probi, atq; improbi eundem omninò populum conſient, nec ſit tamen ſocietas lucis ad tenebras, conuentio Chriſti ad Belial. D. Auguſt. egregiè explicat contra Dona. poſt colla. cap. 6. Quæ vna ex re cæteræ huius argumenti confirmationes extremis, quod aiunt, digitulis euertuntur. Siuè enim dicas corpus, ſiuè panem, ſiuè granum, ſiuè triticum, ſeù alia ſimilia quæuis: nomina ſunt, quæ bonis per ſe conueniunt quidem, ſed per bonos illi etiam populo, cuius boni primariæ ſunt partes. Hunc verò ſenſum omnia quoque Auguſtini verba præ ſe ferre notius eſt, quàm vt indicandum ſit. Negat enim malos in corpore Chriſti eſſe, nec poſſe habere Chriſtum membra damnata. Negat in columbæ membris computari. Negat ad illam Eccleſiam pertinere, quæ non habet maculam, nec rugam. Negat aſpectare ad compagem domus Dei, aut in ea etiam habitare, in qua vnanimes ſolùm habitant. Etenim hæc vniuerſa, vt perſæpè dictum eſt, tantùm probi ex ſe attribuuntur, & horum ratione attribuuntur Eccleſiæ. Quemadmodum ratione partis in toto ipſo inſignis, atq; præcipuè, quædam de toto enuntiari ſolent, quæ partibus ſingulis perindè conueniunt. Quamquam Auguſtinus illam fortaſſe Hieronymi partitionem ſecutus eſt, vt Eccleſiam bifariam deſtribueret: & eam, quæ omni ex parte bona, Chriſtique corpus ſit, & eam, quę ex bonis, maliſque conſletur. Qua verò fronte nobis Auguſtinum obijciunt, qui in libro retract. 2. cap. 18. & in Pſalmum 24. ac 23. & libro contra Peti. 3. cap. 12. & de vnitate Eccleſiæ cap. 13. & contra Donatiſt. poſt collat. à 4. vſque ad vndecimum cap. noſtram habet apertiſſimè, conſtantiſſimèque ſententiam? Nec dubium eſt Cyprianum, atque Hieronymum eadem nobiſcum concinuiſſe, illum in epiſtola ad Maximum, hunc in comment. epiſtola ad Galatas, & in dialogo aduerſùm Luciferianos. Ac de nono argumento hactenùs.

Decimo verò argumento ex his, quæ in 7. dicta ſunt, ſatis, vt arbitror, reſponſum eſt.

At vndecimo argumento hoc habeto reſponſum. Non abhorret à ſacrarum literarum conſuetudine, ſi eundem omninò populum nunc propter iuſtos fęlicem, beatumque dicamus, nunc propter improbos miſerum, & infęlicem. En Moyſes Iſraelem modò vocat populum electum, beatum, gentem ſanctam, populum Dei peculiarem: modò duriſſimæ ceruicis populum, ſtultum, & inſipientem. Atque Iſaias interdùm populum Gomorrhæ, interdùm etiam populum Dei appellat. Et reuera ſi ſcripturæ vſus eſt, quemadmodùm in confutatione ſecundi argumenti multis exemplis patefecimus, perindè populum repręhendere, ac ſi omnes mali eſſent, atque ità conſolari, vt ſi omnes eſſent boni, conſectarium eſt quoque, vt populus idem, & in repręhenſione, vituperationeque vocetur iniquus, & in conſolatione, ac laudatione ſanctus. Nec Auguſt. dubitauit, Eccleſiam nigram in malis, formoſam in bonis interpretari in 3. lib. de doct. Chriſt. cap. 32. Quin Origenes Eccleſiam propter eos, qui Columbas in illam vendunt, ſpeluncam latronum appellauit, tract. in Matth. 15. Quòd ſi hoc nos præſidium deficeret, habemus alterum:

rum: quòd in huiuſmodi maior quædam vis boni, quàm mali eſt. Pluſquam omoinò valent panci boni, vt plebs bona ſit, quàm multi mali, vt nominetur mala. Eccleſiam præterea ſanctam dicimus, quòd Deo peculiariter ſacra ſit: qua ratione, quamuis mali in ea ſint plurimi, Synagoga Sathanæ appellari nec debet, nec poteſt. Hinc enim in Concilio Conſtantienſi eius impudens maledicentia damnata eſt, qui Romanam Eccleſiam, Synagogam Sathanæ appellauit. De vndecimo autem argumento dictum eſt ſatis.

Duodecimum verò infirmum, & nugatorium eſt, tametſi Caluinos indè exultare non dubitet, vndè erubeſcere debuiſſet. Ratiocinatus ille quidem interdùm argutè, ſæpiùs eleganter: ſed quandoque adeò ineptè, inſulsè, frigidè, vt vix eum credas, non dico eruditionem, acumenue, ſed aut rationem omninò vllam, aut ſenſum etiam communem habuiſſe. Tantum hæreticus error, & cæca pertinacia poteſt, vt omnem protsùs doctrinam adimat, intelligentiæ lumen extinguat, & vniuerſam ingenij retundat aciem. Sed ad rem. Illud eſt verum, Græcos eſſe ſchiſmaticos, ideòque apud eos Eccleſiam non eſſe. Credimus enim vnam Catholicam Eccleſiam. Quare neceſſe eſt, vt qui ab vnitate ſe ſeparat, quoniam non eſt in vna Eccleſia catholica, ne in Eccleſia quidem ille ſit. Nec Græci ſolùm ſchiſmatici ſunt, ſed ſunt etiam hæretici: tum propter alia, tum hac præcipuè cauſa, quòd negant vnum totius Eccleſiæ paſtorem eſſe à Chriſto in B. Petro inſtitutum. Sed hæc importunè hoc loco, alibi opportunè diſſerentur. Quòd ſi qui à Chriſto vero Eccleſiæ capite ita deficiant, vt ei abrogent fidem; hos fateor, ac multò etiam magis priuilegium Eccleſiaſtici nominis amittere. Mortuo autem ſummo pontifice, vna ſine dubio Eccleſia manet, & manet in ea ſpiritus veritatis: ſed manca, & imminuta ſine Chriſti vicario, & Eccleſiæ catholicæ vno Paſtore relinquitur. Quocirca licèt veritas tunc etiam in Eccleſia ſit, at ſi controuerſiæ fidei, & religionis oriantur: Eccleſiæ iudicia ſine capite in terris non adeò certa erunt. Quæ perſequi, huius loci non eſt. Atqui Apoſtolus, cùm eo loco dedita opera Eccleſiæ vnitatem definire vellet, eius rei prorsùs oblitus eſt, à qua re nos dicimus vnitatem Eccleſiæ pendere. Sed mirari ſatis non poſſum iſtorum hominum futilitatem, qui cùm non ſeruarint vnitatẽ ſpiritus in vinculo pacis, ſed ab Eccleſiæ ſe corpore ſeiunxerint. Paulum eo loco nobis obijciunt, qui illis, vel aduerſiſſimus eſt. Nam ſi vnum corpus, & non duo Chriſtus habet, quo modo nos duas Eccleſias admittemus? Et ſi vna eſt fides: qui in fide, & religione diſcrepat, hic quomodo in vna Eccleſia eſt? Qui autem Chriſti vicarium contemnit, is ne vnum filium agnoſci? Certè qui cultum Dei pro ſuo ſibi arbitrio fingit, is nec ſpiritum vnum colit, nec patrem vnum ſuſcipit, nec in vna proindè Eccleſia eſt. Quæ ſine recta, & Catholica fide Deum vnum, nec colere, nec habere poteſt. Verùm iſthæc, quę extra cauſam, præterque inſtitutum inuitis occurrunt, paucis refellenda ſunt. Reliqua itaque perſequamur. In Græcis, aiunt, viri boni ſunt aliqui. Sanè, ſi ſunt aliqui, hi tantùm erunt, qui cum catholica fide conſentient, qui ab ſchiſmate alieni ſunt, qui vnum vnius corporis tenent caput, vnumque vnius ouilis paſtorem, non in cælis ſolùm, ſed etiam in terris. Sic enim Chriſto capiti noſtro, ac paſtori viſum eſt, vnum loco ſui Eccleſiæ relinquere: quem, ſimulatque fidelis abijceret, & corporis, & ouilis deſereret vnitatem. Quemadmodùm in Iſrael ſub Hieroboam quidam erant viri pij, ſed illi tantùm, qui in diuiſione regni nullam fidei, religionis, ſacerdotij diuiſionem meditabantur. Verùm hæc aliàs. Nunc illud admonendum puto, Apoſtolum eo loco Eccleſiæ perfectam vnitatem, communionemque deſcribere: nimirùm qualis in bonis, ſanctiſque viris reperitur. Meminiſſe enim opus eſt, corporis nomen proprium eſſe Eccleſiæ iuſtorum. Vnum igitur corpus vno primùm ſpiritu definitur, qui illud non modò quaſi anima viuificet, ſed tamquam ſpiritus membra eius ſingula ad finem ſuum quoque agat, moueat, inſtiget. Deindè vnum corpus, vnam quoque ſpem vocationis requirit. Vbi ſpei vox pro re, gloriaque ſperata vſurpatur, vt illo etiam loco, Spes autem, quæ videtur, non eſt ſpes. Vnum igitur finem, ſicut cæteræ, hæc etiam reſpub. habet: ad quem omnes eius ciues vocati, ac deſtinati ſunt, in quem proindè ſpectant omnia huius corporis membra. Tertio loco vna reſpub. vnum Dominum, vnum regem, vnum caput deſiderat. Nam ſi duo habeat capita, monſtroſa erit. Exigit præterea vnam fidem. Niſi enim huius reipub. ciues fideles ſint, Dei populum non conficient. Populus autem Dei intelligitur diuino cultui, ac religioni dicatus. Quòd niſi vna ſit omnium communis fides, ne vna quidem religio erit: atque adeò nec vna Dei Eccleſia. Quid, quòd ſi diuerſa credimus, cùm fides ſit quaſi huius corporis oculus: eundem ſcopum, & finem habere non poſſumus? Vna ergo fides neceſſaria eſt. Neceſſarium eſt denique præter hæc baptiſma vnum, in quo ineſt cæterorum ſacramentorum communicatio. Plebs quippè Chriſtiana non interiore ſolùm fidei communione, ac charitatis vinculo, ſed externa etiam fidei teſtatione, ſacramentorumque conſociatione conſtat. Ex quo fit, vt niſi in eodem baptiſmo, eiſdemque omninò ſacramentis membra exteriùs colligata ſint, in vnum Chriſti corpus, quod eſt Eccleſia, coire non queant. Fecit autem Apoſtolus ſolius baptiſmi mentionem, tum quoniam inter omnia ſacramenta, vel maximè eſt vnum: tum quoniam hoc Sacramentum Chriſtianæ gentis proprium ſignaculum eſt: quo videlicet non conſignamur modò, ſed etiam ſacramur. Id quod Synagogæ circumciſio præſtabat. Iam in verbis, quæ addit Paulus, Vnus Deus, vnus pater, &c. Eò, vt mihi videtur, reſpicit: ne vno huius reipub. Domino tyrannidem, ac dominationem ſubeſſe putaremus. Vnum itaque dominum cum dixiſſet, blandioribus vocibus dominatum mollit, ac mitigat. Ne te, inquit, terreat vnus Dominus: vnus enim Deus idem eſt, vnuſque etiam pater. In Dei porrò nomine bonitatem, ſuauitatem, prouidentiam numinis intellige. Beatus, ait, populus, cuius dominus Deus eius. Sed ille multò beatior, cuius Dominus

nus pater eius: in patre ſiquidem ſingularis amor, & cura minimè vulgaris deſignatur, vt non tam regnum, quàm patris vnam, filiorumque familiam intelligas. Sed neſcio quo pacto, dum Pauli verbis inſtitit, atque hæſit oratio, à propoſito longiùs excurri, inſtitutique mei penè immemor factus ſum. Dicebam, Apoſtolum perfectam corporis Eccleſiæ vnitatem cauſis ſuis omnibus definire. Eccleſiæ verò vnitas latiùs extenſa eſt, & in eis inuenitur, qui non ſeruant vnitatem ſpiritus in vinculo pacis: nec inter ſe per amorem cohæreſcunt, nec alij alios apprehendentes capiti ſuo conectuntur. Qui etiam partes quædam in hoc toto ſine fide iuſunt, vt hæretici occulti, quandiù ab Eccleſia non ſunt excluſi. In quibus ſatis eſt vnum baptiſma, ſacramentorumque eadem ſocietas, & communio, vt in vna Eccleſia eſſe dicantur. Nam ſummum Pontificem, Epiſcopos, cæteroſque Eccleſiæ miniſtros, poteſtate, ac iuriſdictione per hæreſim abditam, interioremque priuari: non modò non certum, ſed ne probabile quidem eſſe, maxima auctoritate Theologi affirmant. Rectores verò, ac magiſtratus, & reipub. omninò adminiſtros illos eſſe, qui reipub. huiuſmodi partes non ſint, ne cogitatione quidem informari poteſt. Ex quibus magna ſignificatio fit, non eſſe æquam in omnibus Eccleſiæ partibus vnitatem: ſed in quibuſdam valdè imperfectam. Id ſi minùs intelligitur, ex corpore naturali percipi poteſt. In quo ſic Spiritus, & anima exiſtit, vt partibus quibuſdam vim ſentiendi tribuat, quibuſdam vim creſcendi: alijs, vt videtur, ne vllam quidem, aut animalem, aut ſpirabilem facultatem: perindè vt ſi partes illæ nec animam, nec ſpiritum in ſe haberent. Quin etiam videmus, cum membrum aliquod ſenſu, & vita carens, areſcit in corpore, quoniam reliquis omninò partibus continuatur, motum quendam externum à ſpiritu participare: quamquam ſpiritus illi nihil interiùs, vitaleque communicat. Quem profectò modum ſpiritus Chriſti in corpore Eccleſiæ tenet, ac ſeruat. Quaſdam enim partes ita animat, & viuas facit, vt nihil illis deeſſe vitalium motionum videatur: in quaſdam ſic influit, vt non vitam eis quidem, ſed interiorem quandam ſpirationem quaſi vitalem conferat: alijs autem exteram vim ſuam, ſeu tactemque dimittat. Vt quamuis mortua prorsùs, & arida membra ſint, quia non ſunt tamen à corpore exciſa, à ſpiritu cum corpore moueantur. Quæ partium affectarum mirabilis continuatio, ac ſeries, licèt tenuis illa quidem, & modica ſit, at tantum in Eccleſia valet, vt propter locum, quem habent in corpore, nonnullæ partes, vel capita eccleſiaſtici corporis appellantur. Væ, inquit, vobis, qui opulenti eſtis in Sion, optimates, capita populorum. Membra videlicet aliquando, non ex vita, quam ſua ſponte, & natura vendicant, ſed ex ſitu, quem ſortita in corpore ſunt, per metaphoram transferri ſolent. Ita, qui locum primum in Eccleſiæ gubernatione tenet, caput Eccleſiæ ille dicitur: tametſi propriè, ac verè membrum corporis Eccleſiæ non eſt. Sed de his, quæ ad eccleſiæ vnitatem ſpectabant, quantum huic loco ſatis erat, dixiſſe videmur. Nunc de vniuerſitate Eccleſiæ dicamus, nam id in tertiodecimo argumento quæritur.

13. Arg. *Catholum* Græcè, ſi verbum verbo reddas, ſecundum totum interpretabere, *olon* enim totum eſt. Vndè catholica, vt Auguſtinus ait, nomen accepit: quòd in toto orbe iuxta prophetarum prædictiones diffuſa eſt. Quia verò in toto orbe vniuerſæ etiam gentes intelliguntur, indè adeò venit, vt eccleſia catholica, id eſt, vniuerſalis nominetur: quoniam in omni gente, populo, natione, ſexu, conditione, longè, lateque patet. Cuius vtriuſque rei extat inſigne illud oraculum, Poſtula à me, & dabo gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Atque hoc diſcrimine non ſolùm à Synagoga, ſed ab hæreticorum etiam conuenticulis, congregationibuſque diſtinguitur. Sunt etiam qui dicant, Eccleſiam propter communem fidem, vniuerſalemque doctrinam catholicam appellatam. Fides autem Eccleſiæ, atque doctrina multifariàm communis, & vniuerſalis eſt. Primum ratione hominum, iuxtà illud, Prædicate Euangelium omni creaturæ. Deindè ratione loci, quemadmodùm ſcriptum eſt, prædicauerunt vbique, & in omnem terram exiuit ſonus eorum. Præterea ratione temporis, quoniam Apoſtoli non tum hoc, tum illud, ſed idem dixere ſemper. Fidelis, inquit, Deus: quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo, eſt, & non; ſed eſt in illo, eſt. Item, narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua. Omnia mandata tua veritas. Et poſteriùs, in æternum Domine permanet verbum tuum, in generatione, & generationem veritas tua. Quòd igitur ab omnibus in omni, & loco, & tempore certò, atque conſtanter creditur, & docetur, id verè dogma catholicum nuncupatur. Et quæ huiuſmodi, dogmata, ac diſciplinam habet, ea verè Eccleſia catholica. Nam hæreticorum conciones, priuatas habent, peregrinas, inconſtantes, clandeſtinaſque doctrinas. Benè ergo, & prudenter Vincen. Lirinen. de propha. noua. In ipſa, inquit, catholica Eccleſia, ad quam non vna natio, non vnus angulus, ſed maris multitudo conuertitur: id teneamus, quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Hoc eſt enim verè, propriè que catholicum, quod ipſa vis nominis, ratioque declarat, quæ omnia hæc verè vniuerſaliter comprehendit. Quæ cum ita ſint, ille eſt verus, germanuſque catholicus, qui, quicquid vniuerſaliter antiquitùs Eccleſiam catholicam tenuiſſe cognouerit, id ſolùm ſibi tenendum, credendumque decernit. Quicquid verò ab aliquo deinceps vno præter omnes, vel contrà omnes nouum, & inauditum ſubinduci ſenſerit, id non ad religionem, ſed ad tentationem potiùs intelligat pertinere. Hactenùs Lirinen. Scio cauſas proferri alias ſolere, cur Eccleſia catholica ſit: ſed hæ mihi viſæ ſunt cognominis huius aſſerendi grauiſſimæ. Quibus poſitis, illud argumentũ facilè diluitur. Primũ enim Eccleſia non ita modò contracta eſt, & adducta in anguſtum, vt in orbe diffuſa non ſit. Quin noſtra memoria nouus orbis apparuit multò maximus, atque latiſſimus, in quẽ diſcipulorũ Chriſti ſonus exiuit, ne quiſpiam dicat, Hiſpanos, Gallos, Italos

Ger-

Germanos, cęteraſque nationes, in quibus Chriſti nomen, aut viuit, aut non omninò deletum eſt, minorem partem orbis occupare, Deindè ſatis eſt, Eccleſiam ſemel in totum mundum eſſe fuſam, vt etiamnum verè catholica dicatur. Nempè eadem Eccleſia eſt, eandemque fidem tenet, quam Apoſtoli in vniuerſa terra vulgarunt. Sanè verò fidei præſentis vniuerſitas ad eam vniuerſitatem referenda eſt, quæ tempore anteacto in Eccleſia fuit: & hæc ad illam tandem, quam apoſtoli in totum orbem ediderunt, quemadmodùm in ſecundo libro demonſtratum eſt. Ex quo efficitur, vt quamnis Chriſtiana fides in vnius fortè prouinciæ anguſtias redigeretur, nihilominùs catholica eſſet, & prouincia item, quæ eam fidem haberet, Eccleſia eſſet etiam catholica. Nam & Eccleſiæ ſingulæ ſub vniuerſali comprænhenſæ, catholicæ vocitantur, quoniam eam fidem habent, quam vniuerſalis tenet, tenuitque ſemper Eccleſia. Sed hæc, & ea quoque, quę reſtant, perſpicua ſunt omnia. Breuiter itaque expedienda ſunt.

Obijcitur ergo in quartodecimo argumento, fruſtrà omnium fidelium ſenſum expectari. Cui ergo argumento hæc breuiſſimè retulerim. Duo ſunt rerum genera, vt aliàs dictum eſt, quæ ab Eccleſia creduntur. Vnum, quod ad omnes æquè pertinet: vt Deum eſſe hominem, animum noſtrum eſſe immortalem. Et in hoc geoere non eſt valdè difficile, omnium fidem, ſenſumque cognoſcere. Non dico autem, vt ſeorsùm rogentur ſinguli, quod & permoleſtum eſſet, & oppidò quàm ridiculum, ſed ſingulorum fidem in huiuſmodi ſtatim ſeſe prodere: ſatiſque mediocri adhibita diligentia cognitam nobis, & perſpectam eſſe poſſe, præſertim ſi res in contentionem veniat, & vulgus ſuo more caleſcat. Alterum eſt genus earum rerum: quas cognoſcere non rudium, & imperitorum in Eccleſia, ſed maiorum, & ſapientium intereſt. Vt epiſtolam ad Hebræos eſſe canonicam, ac reliqua ſimilia quàm plurima. Quo in genere ſi vulgarem plebis ſententiam roges, perindè erit, vt ſi à cæco ſenſum colorum poſtularis. Cautè igitur, atque prudenter, cùm huiuſmodi fortaſsè res in ſermonem popularem incidunt, qui in vulgo paulò modeſtiores ſunt, nihil omninò affirmatè, aſſeueranterque pronunciant: ſed id ſe credere, ac ſentire in hiſce rebus profitentur, quod Eccleſia credit, ac ſentit. Quo profectò nomine ſapientes Eccleſiæ, maioreſque deſignant. Porrò ſiue in hoc, ſiue in illo genere quæſtio verſetur, populus quaſi de tribunali ſententiam dicere nec debet, nec verò poteſt. Quoniam, vt hìc pro certo, & probato ſumimus, ligandi, ſoluendi, iudicandique poteſtas in ſingulis fidelibus non eſt: ſed in Eccleſiæ præfectis, atque paſtoribus. De qua re alio loco diſſeremus. Nunc illud dicimus, in communi omnium controuerſia certum argumentum ex communi fidelium ſenſu depromi: quamuis non oporteat ſigillatim omnium ſenſum perſcrutari. In fide autem earum rerum, quę propriæ ſunt doctorum, atque ſapientum, ſolam horum ſententiam expetendam: vulgi, ne expectandam quidem. Nam illi certam fidem faciunt catholici dogmatis: hi faciunt nullam. At verò in vtrumque rerum decretis, ac legibus, nec vulgus, nec ſapientes omneis habere locum: ſed ij tantùm, qui ſunt Eccleſiæ paſtòres, quemadmodùm libris ſequentib. explicaturi ſumus. Ea verò argumenta, quibus paſtorum veritas, atque auctoritas impugnata eſt, in librum huic proximum diſferantur, vbi hæc, multaque id genus alia longè opportunis refutabimus.

Cæterum, quòd duo ſymbola Eccleſiæ internoſcendæ Caluinus ponit, nempè ordinem in verbo, & ſacramentis à Chriſto commendatum, ad quas omninò notas ceu ad Lydium lapidem omnis congregatio exigenda ſit, quæ Eccleſiæ nomen obtendat: benè profectò haberet, niſi hunc Lydium lapidem in manu habere ipſe vellet: cæteris negaret omnibus. Nos aſſerimus Lutheranos nec ſynceram euangelij doctrinam, nec legitimam ſacramentorum adminiſtrationem retinere. Illi contrà, nobis vtramque notam inurunt. Ecquis erit iudex? Negant apud nos Eccleſiam eſſe: apud ſe, vt nos dicimus, exiſtere mentiuntur. Ecqui ſunt ij tandem, quibus lapis iſte Lydius eſt certus, ſolidus, germanus, ad veram Eccleſiam explorandam? Arrius, Neſtorius, Macharius, Donatus, Pelagius, cæterique omnes hæretici, tum etiam, cùm Eccleſiæ bellum facient, eadem omninò inſolentia ſe habere præferent duas illas Eccleſiæ quaſi teſſeras. Quapropter in quacunque de fide cum hætetieis controuerſia Eccleſiæ notio periclitabitur. Excipient enim protinùs nos, aut in fidei errore verſari, aut Chriſti ſacramenta non perindè gerere, vt à Chriſto nobis inſtitutum, atque præſcriptum eſt.

Notior eſt Eccleſia, mihi crede, notior eſt: quam vt quibuslibet motis quæſtionibus eius non ſolùm auctoritas, ſed res omninò & nomen in dubium reuocentur. Verùm hoc loco Caluinus ſic inſulſus extitit, vt nihil aliud eius, niſi ipſa inſulſitas rideatur. Eccleſiam enim apud nos eſſe, modò ait, modò negat. Nunc Eccleſiam dicit numquam fuiſſe intermortuam, nunc contrà verbi puram prædicationem aſſerit aliquot iam ſęculis euanuiſſe. Tum affirmat ſub Romano Pontifice, quem Antichriſtum vocat, non eſſe Eccleſiæ nomen abolitum, ſed ſub eius quoque tyrannide Eccleſias manere: tum aſtruit, præſentes omnes catholicorum cœtus idololatria, impiaque doctrina contaminatos eſſe clauiumque proindè non habere poteſtatem. Quod ſi ita eſt, Chriſti Eccleſiæ, qui ſunt, Eccleſiæ catholicæ membra erunt. Porrò ſi membra ſunt veræ, catholicæque Eccleſiæ, nequeunt, vel idololatriæ probare ſcelus, vel errores Euangelio contrarios docere. Item niſi ſtultum mihi quoque ipſi videretur, exigerem ex illo, cogeremque, vt reſponderet: num viros aliquot probos in catholicorum concione eſſe arbitretur. Si nullos, quoniam, vt ait, omnes ad vnum ſunt idololatræ, & in impietate eſſe pius nemo poteſt: eadem profectò cauſa ante Lutherum vir bonus in catholicis nemo eſſet, quippè cùm eiuſdem criminis rei eſſent omnes, in eodemque errore verſarentur.

Eccleſia ergo Chriſti catholica iam ante Lutherum nulla in orbe erat. Et vbi nam ſunt illæ de æterno Chriſti regno promiſſiones,

nes, quas quoniam apertæ, claræ, perſpicuę ſunt, nulla iſte interpretatione potuit eludere? Sin autem verè pij inter nos ſunt aliqui, non eſt certè apud nos Eccleſia impia, ſed pia. A qua cùm ſe contentionis ſtudio Lutherani ſeparauerunt, exploratiſſimum, à vera eos Chriſti Eccleſia deſciuiſſe.

Quid? Anne ambiguum eſt Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Baſilium, Chryſoſtomum, cæteroſque optimos, ac præſtantiſſimos viros, quos catholici,& veneramur & agnoſcimus, vera Eccleſiæ Chriſti membra fuiſſe? At illi ſtant à nobis vniuerſi, Lutheranis vniuerſi repugnant. Quod facillimum eſt oſtendere. Sed quid ego ſtultus, qui ſuadere velim, Lutheranos hæreticorum more cum Eccleſia Chriſti bellare? Quaſi verò difficilè eſſet, cauſis euidentibus, ac neceſſarijs addicere, hos neque in apoſtolica, neque in Catholica, neque in ſancta, nec in vna Eccleſia eſſe. Nihil ſanè faciliùs eſſet, nihil explicatiùs, nihil promptiùs, ſi huius eſſet, aut loci, aut temporis. Nimirùm quibus omninò rebus cum Donatiſtis Aug. egit, vt eorum animos ad veram notionem Eccleſiæ vnius ſanctæ Catholicę: atque apoſtolicę reuocaret, ijſdẽ nos Lutheranos vincere nullo negotio, & labore poſſumus. Atque ſi res ipſæ, quæ tamen in manu noſtra ſunt, in hac nos pugna desererent: at cognomina Catholici, ac Lutherani apertiſſimè, planiſſimèque demonſtrant, veram, germanamque Eccleſiæ notam, & characterem habere nos, illos non habere: quamuis Eccleſiæ nomen fingant, ſimulent, obtegant. Sicubi ait Hieronymus, audieris eos, qui dicuntur Chriſti, à quoquam alio nuncupari: vt putà Marcionitas: Valentinianos. Pelagianos, &c. ſcito non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe ſynagogam. Quo eodem diſcrimine Auguſtinus, àtque Epiphanius hæreticos à Catholicis diſtinguendos eſſe docuerunt. Cùm itaque Lutherani cognomen ex Luthero traxerint, planum, & expeditum eſt, eos à communi fide, atque Eccleſia catholica, in priuatam,& ſingularem hæreſim abijſſe. Nobis autem ſuper terram nullus fidei magiſter eſt, vnus cæleſtis eſt Chriſtus: à quo Chriſtianorum cognomen eſt, quod habemus ex illo hæreditarium. In Chriſti igitur Eccleſia ſumus. De qua hæc vt breuiſſimè dici potuerunt, ita à me dicta ſunt. Nunc ad reliquos locos ex ordine inſtituto progrediar: meque ad meum munus, penſumque reuocabo.

LIBER

LIBER QVINTVS.

De Auctoritate Conciliorum, quæ quarto loco eſt poſita.

CAPVT PRIMVM.

Argumenta continet, quibus hæretici vtuntur, ad huius loci auctoritatem labefactandam.

POſt Eccleſiæ auctoritatem, auctoritas Conciliorum ſequitur, quam hæretici plurimis argumentis oppugnant.

Primum Arg. Illud eſt, quòd Eccleſia columna eſt, & firmamentum veritatis. At in ſynodum ſoli Cardinales, & Epiſcopi veniunt, qui & numero pauciores ſunt, nec auctoritatis pondere, hoc eſt, nec virtute, nec ſapientia grauiores; non ergo ſynodus regula credendi Eccleſiæ eſt, ſed contrà, Eccleſia ſynodo.

2. Arg. Deindè Pontifices, & Phariſæi collegerunt Concilium, cuius ſententia impia fuit, vt Ioannis 11. capitulo legitur: non ergo ſemper ſynodi ſacerdotalis iudicium probandum eſt. Sicut enim princeps Sacerdotum, & omne Concilium quærebant falſum teſtimonium contrà Ieſum, Matth. 26. & omnes principes Sacerdotum, & ſeniores populi aduersùs Ieſum Concilium inierunt, Matth. 27. ita & Epiſcopi, ac Pontifices noſtri contrariam Ieſu Chriſto ſententiam ferre poſſunt.

3. Arg. Prætereà, ſi veritatem Epiſcopi tenent, & falli non queunt, id ex diuino aliquo pacto proficiſceretur. At pacto hoc nuſquam apparet. Atque vt appareat, haud aliter interpretandum eſt, quàm illud, quod cum Leui olim, & poſteris eius Dominus iniјt. Pactum, inquit, meum cum Leui. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labijs eius; in pace, & æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate. Labia enim ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt. Vos autem receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege; irritum feciſtis pactum Leui, dicit Dominus exercituum. Item: Obſecro, Domine, cuſtodiens pactum cuſtodientibus mandata tua. In quorum verba Hieronymus. Non ergo, ait, quod pollicetur Dominus, ſtatim futurum eſt, ſed in eos ſua promiſſa complet, qui cuſtodiunt mandata illius. Vndè conſtat, pactum retinendæ veritatis quondam ſacerdotali tribu initum, per poſterorum culpas irritari. [Quò fit, vt ad eundem quoque modum, ſi Apoſtolis, & ſuccendentibus omninò Pontificibus veritas à Chriſto promiſſa eſt, eandem tamdiù ſint ſeruaturi, quamdiù id non ſuis peccatis egerint, vt veritate deſtitui mereantur. Alioqui, vt Hieronymus in hunc Malachiæ locum ait, ad ſacerdotum quidem pertinet diſciplinam, interrogatos reſpondere de lege, ſed ſi ignorantiam in cæteris diligentem, in ſcripturis ſanctis obtenderint negligentem: fruſtrà iactant dignitatem, cuius opera non exhibent. Atque idem etiam Hieronymus ſcribit, falsò ſacerdotes illa iactare. Non peribit lex à ſacerdote, nec conſilium à ſapiente, nec ſermo à Propheta, cùm ſcriptura dicat: In peruerſam animam non intrabit ſapientia. [Et per Ezechielem Dominus, Quærent, ait, viſionem de Propheta: & lex peribit à ſacerdote, & conſilium à ſenioribus. In quæ verba idem ipſe Hieronymus. Hæc autem, inquit, non ſolùm eo tempore, quando Babylonius contra Hieruſalem veniebat exercitus, à Prophetis, ſacerdotibus, & ſenioribus quærebantur, ſed quotidiè in Eccleſijs requiruntur. Quæ ſi viſionem, legem, conſiliumque perdiderint, fruſtrà Prophetas, & ſacerdotes, & ſeniores habere ſe iactat. [Adde huc illud Hieremiæ teſtimonium, Sacerdotes non dixerunt, Vbi eſt Dominus, & tenentes legem meam neſcierunt me: & paſtores præuaricati ſunt in me, & Prophetæ prophetauerunt in Baal. Quibus verbis vtendum eſſe aduersùs noſtri ordinis magiſtros, Hieronymus in commentarijs auctor eſt. [Adde illud etiam, Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi: canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia. Ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam, omnes in viam ſuam declinauerunt. Quibus ex rebus facilè intelligitur, non eſſe fidendum paſtorum, ſacerdotumque iudicijs, præſertim ſi illis Dominus iratus eſt. Si ergo illi ſolùm in Concilium coguntur, Concilium profectò errare poteſt.

4. Arg. Prætereà, Conciliorum auctoritas illo potiſſimùm teſtimonio probari ſolet, Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à patre meo. Vbi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. At hoc teſtimonium probaret æquè, prouincialium ſynodorum certa eſſe iudicia: quod à recta fide alienum eſſe cùm ex alijs, tum verò magis ex Concilio Carthaginenſi ſub Cypriano conſtat, in quo non duo, vel

tres, ſed octoginta Epiſcopi congregati contrà orthodoxam de vnico baptiſmo doctrinam errauere. Synodorum ergo veritas infirmo, aut nullo potiùs fundamento nititur. Atque in eo teſtimonio his tantùm Concilijs ſe affuturum promiſit Chriſtus, quæ in nomine ipſius conuenirent. Primùm ergo fidem faciant ſe coire in Chriſti nomine: nam fieri poteſt, vt improbi Epiſcopi aduersùs Chriſtum conſpirent. Deindè nihil verbo Dei addant, aut detrahant, illis enim hæc lex præſcripta eſt.

5. Arg. Ad hæc, Concilium Ariminenſe ſexcentorum Epiſcoporum errauit cum Ario, Epheſinum ſecundum etiam frequentiſſimum cum Dioſcoro, Conſtantinopolitanum verò trecentorum Pontificum cum Leone Imperatore. Concilia igitur quàmlibet generalia nullum argumentum firmum Theologis ſubminiſtrant.

6. Arg. Sexta item ſynodus apud Trullum celebrata non vnum, ſed multa peccauit, vt videre eſt canone ſecundo, tertio, decimotertio, quinquageſimo quinto, ſexageſimo ſeptimo. Errare igitur in fide, & moribus Concilia poſſunt.

7. Arg. Albertus inſuper Pighius vir doctus, & pius multis argumentis oſtendit, acta, quæ nomine ſextæ, & ſeptimæ ſynodi circumferuntur, varios errores continere. Non igitur Conciliorum etiam generalium fides adeò certa eſt, vt in dubium vocari non debeat.

8. Arg. Prætereà, Concilium Conſtantienſe definijt, Concilium eſſe ſuprà Papam, Florentinum autem ſub Eugenio quarto, & Lateranenſe ſub Leone X. contrarium dogma finierunt: Conciliorum ergo auctoritas infirma eſt.

9. Arg. Rursùm Concilium Baſileenſe definit, eſſe hæreticum, qui negauerint, Concilium eſſe ſuprà Papam, aut aſſeruerit Papam tranrferre in alium locum poſſe Concilium, aut in aliud tempus prorogare. Et tamen nemo tam inſanus poſt ea tempora fuit, vt ſententiæ contrariæ auctores hæreticos exiſtimauerit; Conciliorum ergo iudicia incertiora ſunt, quàm vt certam fidem facere poſſint.

10. Arg. Prætereà, Auguſtinus lib. 2. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 3. Plenaria Concilia, inquit, ſæpè priora à poſterioribus emendari. Id quod certè non fieret, ſi ſemper veritatem aſſequerentur. Sed & Iſidorus 50. diſtinct. capite, Domino. Quotieſcumque, inquit, in geſtis Conciliorum diſcors ſententia inuenitur, illius ſententia Concilij magis teneatur, cuius antiquior, & potior extet auctoritas. Non igitur Conciliorum decreta certa ſunt omnia, ſed interdùm varia ſunt, atque adeò inter ſe pugnantia.

11. Arg. Prætereà, cùm Concilium dicitur errare non poſſe, aut intelligitur mutilum ſine capite, aut integrum interueniente etiam capitis auctoritate. Si mutilum, errauit aliquando, vt catholici vltrò ipſi fatentur: ſin integrum, fruſtrà ad fidei quæſtionem finiendam congregabitur, cùm Romanus Pontifex ſine generali Concilio ritè de fide pronunciet, quemadmodùm loco proximo ſumus demonſtraturi. Aut igitur Conciliorum dogmata incerta ſunt, aut vanè profectò congregantur. Id quod Gregorius Nazianzenus in epiſtola ad Procopium, quæ eſt numero, 102. planè teſtatur in hæc verba. Quodcumque Epiſcoporum Concilium fugio, proptereà quòd hactenùs nullius omninò Synodi finem aliqua vtilitate præditum, & vndè res malè habentes non magis exacerbatæ, quàm curatæ fuerint, videre licuit.

12. Arg. Poſtremò, Oecolampadius argumentatur ex Concilio Romano ſub Nicolao, vbi Berengarius, vt inquit, coactus eſt adiurare in verba falſiſſima, quæ nec Roffenſis lib. 3. contra Oecolampadium cap. 12. nec Caietanus in libello de Cœna Domini ab errore liberare potuerunt. His, atque alijs argumentis contrà huius loci auctoritatem hæretici pugnare ſolent. Lutherus autem more ſuo, rem nulla argumentarione, ſed ſola aſſeueratione conficit inquiens: Sæpiùs errauerunt Concilia, præſertim Conſtantienſe, quod omnium impijſſimè errauit. Et in quadam ad populum concione Concilium primum, cui Apoſtoli, & eorum diſcipuli interfuerunt, erraſſe, ait, eò quòd ſenſerint legem, & opera neceſſaria eſſe ad ſalutem. Sed enim hunc nos locum, & confirmare, & tueri ſemper oportet, nec ex vera Eccleſiæ ſententia falſa vlla ratione moueri.

CAPVT II.

Docet, quidnam nomen, aut Synodi, aut Concilij hoc ſanè loco ſignificet.

Nihil dubium erat, quin Synodi, vel Concilij nomine, eadem quippè res eſt, patres ſemper noſtri intellexerint ſacerdotes, præſertim Epiſcopos, in locum vnum congregatos, vt cauſas eas ſcilicèt definirent, quæ ad Eccleſiæ, ſiue fidem, ſeu mores pertinerent. At Lutherani nouum Concilium volunt omnibus rerrò ſæculis inauditum, vbi de fidei quæſtione iudicent, non Epiſcopi, & Sacerdotes, ſed Rhetores, & Laicorum turba, qui non via, & ratione, ſed verbis, & clamore præualeant. Verùm huiuſmodi errorem facillimum eſt eripere.

Tota enim fidelium Eccleſia congregari non poteſt: & vt poſſet quidem, non expedit tamen, vt ad indiſciplinarum vulgus diſciplinæ noſtræ controuerſiæ referantur. Quod ſi ad rempublicam, vel in pace, vel in bello continendam ſtultum eſſet, concitatæ, & inerudiræ plebis conſilium requirere, ſtultum quoque eſt, ac multò etiam magis, velle vt in grauiſſimis de fide quæſtionibus populi conſenſionem, atque iudicium requiramus. Ac ſi populus in rebus temporarijs tutò, & prudentèr magiſtratuum curæ, diligentiæ, conſilio, ſeſe tradit, nec ferendis legibus, quicquam ſibi aut conſilij, aut auctoritatis vendicat, cur plebem hi Chriſtianam incitant, vt ſuis nolit rectoribus ſe committere, ſed pergat in conſeſſum illum admitti, vbi cauſæ omninò publicæ, non à priuatis hominibus, ſed à publicis Eccleſiæ magiſtratibus tranſigendæ ſunt? Non ſumus, inquiunt, adeò rudes, & tardi, vt velimus, aut totam plebem in Concilium cogi, quod eſſet amentiæ, aut doctrinæ quæſtiones ad indoctum vulgus referri,

quod

quod eſſet ſtultitiæ. Sed id cupimus, quod meritò, & optimo iure cupimus, vt nec ſacerdotes imperiti in Concilium veniant, & ſi qui laici ſacrarum literarum periti ſint, ſunt autem plurimi, hi ad Synodum euocentur: & ſiue ſacerdotes, ſiue laici, delegantur viri prudentia, ac ſapientia celebres, quorum conſilio res omnes Eccleſiæ, publicaque negotia gerantur.

Quoniam non decet, vt in his, quæ religionis ſunt, irreligioſus Epiſcopus laico pio anteferatur: aut in his, quæ ſunt doctrinæ, laico docto ante ſtet ſacerdos indoctus. Sed quod de ignaris Epiſcopis calumniantur, id in confutatione argumentorum explicabimus: nam in hoc primo iam capite inter cætera obiectum. Quod verò dicunt ſelectos è plebe viros in Synodum cogendos eſſe, errane in eo turpiſſimè, nec intelligunt qualis ſie Reip. Chriſtianæ facies, & forma à Chriſto inſtituta. Qua de re ſatis abundanter multis voluminibus ab Alberto Pighio, alijſque catholicis diſputatum eſt. Nunc verò cum Lutheranis ego non pugno, vtrùm omnes fideles ſacerdotes ſint, non vtrùm fœminæ à Chriſto ſint ad Eccleſiæ munia, & ſacrarum adminiſtrationem admiſſæ: quoniam huiuſmodi quæſtiones non ſunt præſentis operis, & inſtituti. Tantùm dico, non ſœminas, non laicos, ſed ſolos ſacerdotes, & Epiſcopos oportere in Concilium cogi. Veniam, inquie Dominus Moyſi, ad te in caligine nubis, ve audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum. Deſcende, & conteſtate populum, ne fortè velit tranſcendere terminos, & pereat ex eis plurima multitudo. Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, ſancticentur · & aſcendes tu, & Aaron tecum &c. In hanc ergo formam Chriſtus per Epiſcopos, & Sacerdotes populum Chriſtianum inſtituit: nec plebei aſcendere ad conſultaudum cum ſacerdotibus debent, ſed præſcriptis terminis contineri. Sed ais, Moyſes ſacerdos non erat, & tamen ille docebat populum, religioniſque quæſtiones finiebat. At primùm, nego Moyſen ſacerdotem non fuiſſe. Moyſes, inquit, & Aaron in ſacerdotibus eius, Pſalmo uonageſimo octauo. Item non modò obtulit Deo munera, & immolauit: verùm etiam Aaron, & filios eius conſecrauit. Sacerdos igitur erat. Illud Leuitici octauo diſertè explicatum eſt. Deindè dato mihi legislatorem alium, dato ducem, & prophetam à Deo conſtitutum, dato hominem, cuius verbis Deus tantùm auctoritatis dederit, & tunc ego fortaſsè dicam eiuſmodi virum, etiam ſi laicns ſit, cum ſacerdotibus conſulendum. Sed illnd vni Moyſi conceſſum eſt. Transferri itaque paſſim in alios non debet. Nam quid propriè in controuerſijs finiendis legislator ipſe præſcripſerie, planum in lege, & expeditum eſt. Si difficilè, ait, & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris, venies ad ſacerdotes Leuitici generis &c. ſequeriſque ſententiam eorum: nec declinabis ad dexteram, nec ad ſiniſtram. In ambiguis ergo quæſtionibus ad ſacerdotes populus habet currere, in eorumque iudicio requieſcere. Addè huc illud Aggæi, Interroga ſacerdotes legem. Addè etiam illud Malachiæ, Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt. Nec in veteri Teſtamento ſolùm ea, præſcripta forma eſt in controuerſijs fiuiendis, præcipiendaque doctrina: ſed in nouo etiam aſſeruatur, vt in vtraque iuxta re populus ab Epiſcoporum, ſacerdotumque labijs, & iudicio pendeat. Nam, quòd ab Epiſcopis percipienda Euangelij doctrina ſit, teſtis eſt Paulus ad Eph. 4. inquiens: Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem paſtotes, & doctores &c. Quo loco Paulus, cùm Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, quaſi in tres claſſes diſtribuiſſet, paſtores tamen, & doctores ſeuerè ſanè, atque prudenter re ipſa confuſos, ſola cogitatione diſtinxit, vt ijdem eſſe in Eccleſia, qui & paſcerent, intelligerentut. Sed in his verbis lapſa conſuetudo deflexit de via, ſenſimque eò deducta eſt, vt alios paſtores, alios doctores intelligerer, qua nulla pernicies maior chriſtianorum vitæ potuit afferri. Apoſtolus autem penès Epiſcopos, vt regendi, ità quoque paſcendi, ac dncendi auctoritatem eſſe voluit. Attendite, inquit, vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſauctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Et rurſùm ad Timotheum, & Titum, non alios Epiſcopos, alios doctores, ſed eundem Epiſcopum, doctoremque præſcripſit. Ac per Hieremiam Dominus. Dabo, inquit, paſtores, qui paſcent vos ſcientia, & doctrina. Doctrina igitur Euangelica à paſtoribus Eccleſię expectanda eſt, quos, & Epiſcopos eſſe, & doctores tradidit Paulus. At verò, quòd Epiſcoporum, ac Sacerdotum etiam ſit de fidei controuerſijs decernere, Act. 15. capite tradit Lucas. Cùm enim veniſſe Paulus, & Barnabas, & quidam alij Hieroſolymam, ſuſcepti quidem ſunt ab Eccleſia, quæ erae Hieroſolymis, ſed cùm propoſita eſſet quæſtio, conuenerunt, ait, non fœminæ, non iuuenes, non laici: ſed Apoſtoli, & Presbyteri videre de verbo hoc. Quòd ſi Petrus, ve mentes Antiochenorum dubitantium Synodi auctoritate firmarentur, non fideles omnes, ſed ſolos presbyteros cum Apoſtolis congregandos exiſtimauit, quid eſt, quòd nos in Eccleſiæ grauiſſimum cœtum mulierculas, lanios, coquos, ſartores, conuenire cupiamus? Scimus enim apud Lutheranos, huiuſmodi multos ſacrarum ſibi literarum ſcientiam aſſumere. Prætereà. cùm in dubium venit, quęnam paſcua ſint ouibus permitteuda, quæ contrà vitanda, paſtorum ea conſultatio eſt, non ouium. Eccleſiæ igitur paſtoribus huiuſmodi cauſas Dominus demandauit. Prætereà, claues regni cœleſtis Chriſtus non vulgò paſſim, ſed Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus conceſſit, vt in cap. Firmiter de ſum Trin. dicitur: nec enim, quæ alterius, & loci, & temporis ſnnt, ea nunc probare debemus, in clauium autem poteſtate eædem res ſunt, aperire, & ſoluere, clandere, & ligare, quemadmodùm, vel ipſe Chriſtus, Matth. 16. cap. explicuit. Soluere ergò quæſtinnes circa fidem extortas, ligateque fideles explero iam iudicio ad credendum non quorumlibet eſt, ſed eorum tantùm. qui vt claudendi, & aperiendi, ità ligandi, ſolueudique auctoritatem habent.

 Con-

Confirmat autem hoc, vel maximè, quòd ea impedimenta tollere, quibus ianua regni cœlorum clauditur, clauium munus eſt proprium. Ignorantiam igitur fidei, quæ ſine dubio in eiuſmodi impedimentis eſt, ij propriè tollent, quibus claues conceſſæ ſunt. Accedit ad hæc, quòd Apoſtolus ad Rom. 10. cęlos eſſe intellexit Apoſtolos: cum eis illud aptauit, In omnem terram, &c. Apoſtolorum ergo, & eorum, qui Apoſtolis ſucceſſere, proprium erit illuſtrare cæteros, ac vi ſua populum continere. Quòd ſi cæli illuſtrationes tollis, quibus omnia, quæ terra parit, maturata pubeſcunt: infœcunda hæc maneat neceſſe eſt, ac verè iuxta nomen ſuum arida. Atque etiam ſi tenebræ operient terram, & caligo populos, non has alij diſcutient, quàm quibus à Chriſto dictum eſt, Vos eſtis lux mundi. Qui verò, quod ſuperiorum eſt munium, inferioribus in Eccleſia tribuunt, hi ſimiles ſunt, vt ſi quæ, aut in terra vim illuſtrandi ponant, aut in pedibus vim cernendi. Sed quoniam de his fuſiùs, & accuratiùs ab alijs diſputatum eſt, ſatis fuerit hæc nos pauca breuiter attigiſſe. Nec eſt profectò, cur maiorem in hac re lucem deſideremus, quam non tantum modò, ſed perpetuus etiam Eccleſiæ vſus fecit eſſe perſpicuam. Non enim patrum memoria, niſi Epiſcopi, & presbyteri in Concilium vocantur. Nec hi omnes, ſed qui paſtores Eccleſiæ, & rectores ſunt. Epiſcopi enim, quos annulares noſtri vocant, ſine cauſa aliquando in Synodum ſunt admiſſi. Sed nihil mirum. Nam & ſine cauſa in Eccleſia ſunt. Verùm hæc aliàs. Nunc complectar quod propoſui breui. Sanè, niſi me opinio fallit, ſicut nec ſimplices presbyteri, ità nec annulares iſti Epiſcopi quidem in Synodum cogendi ſunt. Totum quippè Eccleſiaſtici Concilij negotium non ordinis, ſed iuriſdictionis poteſtate tranſigitur: Ferrè namque ſententiam, ſoluere, aut ligare, abſque iuriſdictione nemo poteſt.

Conſtat autem patres in Synodo, aut leges de moribus dare populo, aut de fidei quęſtionibus iudicare: quorum neutrum ſine ligandi, ſoluendique iure ſacerdos facit. Sed vtcumque hæc habeant, errant certè in media luce Lutherani, qui Synodum aliter, quàm Epiſcoporum, & Sacerdotum collectione definiunt. Errat quoque turpiter puerilitèrque Bucerus, cùm ait, in Synodum Eccleſię non debere cogi, niſi Dei filios. Primùm enim, ſi ſolùm Dei filij Synodum Eccleſiæ faciunt, quæro an conuenire debeant vltrò non vocati, an potiùs futurus ſit aliquis, cuius euocentur imperio. Si vocari in Concilium veniant, ecquis, rogo, ille futurus eſt, qui veros Dei filios interuoſcat? Sin vltrò venient, quiſque ergo de ſe iudicium feret, & ſuæ bonitatis opinione fretus in Concilium ſeſe ingeret? Sed vt de ſe coniecturam habeat, quomodo reliquos iuſtos eſſe, & ſanctos intelliget? Atque vt huiuſmodi hominum inſaniam apertiùs deprehendas, finge in Republica vna qualibet ciues, qui ſua, & ſponte, & auctoritate ſe congregent ad cenſendum de legibus, de magiſtratibus, de religione, idque eò quiſque audaciùs, quò magis virtuti ſuæ, & ſtudijs fidit. Num talis Reipub. forma, & ſpecies, non à Solone dico, aut Licurgo, ſed ab vllo omninò cordato homine probaretur? Non igitur ea confuſio, ac perturbatio in Eccleſiæ Synodum inferenda eſt, quam ne in vicinis quidem, & oppidulis homo ſanæ mentis admitteret. Niſi fortè in illam inſaniam recidamus, vt putemus, hominem, ſimul atque Dei filius eſſe deſijt, poteſtate quoque regendi, paſcendi, iudicandi, ligandi, ſoluendi eſſe deſtitutum. Quod quidem quale ſit, non eſt huius operis oſtendere, ſed in Repub. prophana animaduerti poteſt, vbi ciuium tamen, vel probitas, vel improbitas non adeò obſcura eſt, vt non queat aliquando facilè deprehendi. Id quod in chriſtiana republica non perindè facilè eſt, cuius ſcilicet præcipua virtus, qua filij Dei, & nominantur, & ſunt, occultiſſima eſt. Non enim, qui in manifeſto Iudæus eſt, nec quæ in manifeſto carne eſt circumciſio, ſed qui in abſcondito Iudæus eſt, & circumciſio cordis in ſpiritu, non litera, cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt. Quamobrem ſi charitate amiſſa, poteſtas item publica amitteretur, dici non poteſt, quantis tenebris Eccleſia eſſet circumfuſa. De quo argumento, & nos ſuperiore libro diſſeruimus, & alij plerique diſſeruerunt multò copioſiùs, non quaſi prætereuntes hæc diximus, vel lectores intelligant, quod ad præſentem locum ſatis eſt, Epiſcopos etiam malos in Synodum congregandos, vt qui poteſtatem paſcendi, iudicandi, ligandi, ſoluendi, non amiſerint. Lutheranos itaque ab hoc quidem ſermone remoueamus: ipſi autem intelligamus, Synodi Eccleſiaſticæ nomen non quoſuis, ſed paſtores, & Pontifices Eccleſiæ complecti in vnum locum congregatos, vt de cauſis Eccleſiaſticis, hoc eſt, de moribus, fide, religione pronuncient.

CAP. III.

In quo Synodorum varia genera ponuntur.

QVorum hominum conuentum Synodus Eccleſia præ ſe ferat, ſatis explicatum arbitror capite ſuperiore. Nunc vocabulum partiendum eſt, vt ſingula Conciliorum genera quidnam veritatis, & auctoritatis habeant, videamus. Et quidem Gratianus 3. diſt. cap. Regula, Synodus bifariam partitur, in generales, & prouinciales. Hac autem diuiſione, cùm præterire aliquid, maximum vitium in diuidendo ſit, vnum prætermiſſum eſt. Nec enim ſolùm generales, & prouinciales Synodi ſunt, ſed etiam Epiſcopales. Ità ſi placet nominemus, fabricemurque ſi opus erit, verba. Sunt enim rebus nouis, vt Cicero tradit, noua ponenda nomina. Quamuis hoc, recens quidem illud, ſed perceptum tamen vſu à noſtris, tritumque non à barbaris modò, verùm etiam à latinis. Concilia equidem generalia voco, quæ omnium chriſtianorum pontificum conuocatione celebrantur. Inter multos autem ſæpè diſceptatum eſt, an generalis conuocatio ſatis ſit, an etiam ſit neceſſaria congregatio generalis. Si enim Summus Pontifex, Concilium generale indiceret, non congregarentur tamen, niſi

ſoli

ſoli decem ex Italia Pontifices, huiuſmodi profectò Synodus non eſt cur generalis videatur. At contrà, ſi neceſſe eſt, Epiſcopos omnes congregari, primùm nullum fortè in Eccleſia tale adhuc Concilium fuit, in quod Epiſcopi vniuerſi conuenerint.

Deindè, peſſimus quiſque Epiſcopus, dum non ſolùm per negligentiam, ſed per malitiam Synodo adeſſe contempſerit, generalem non eſſe calumniabitur. Et princeps in repub. quilibet, ſi illi Synodus diſplicuerit, interturbare eam minimo negotio poterit, cauſarique Epiſcopos ſuos, vel morborum, vel tumultuum cauſa Concilio intereſſe non poſſe. Verùm, quoniam omnes huiuſmodi controuerſias perſequi non eſt operis inſtituti, huic quæſtioni breuiter reſpondemus. Non ſatis eſt quidem ad Concilium generale, ſi euocatio generalis eſt, quando adeò pauci congregantur, vt maior, meliorque prouinciarum pars relicta eſſe videatur: præſertim ſi cauſa legitima ſit, cur Epiſcopi Synodo non affuerint. At ſi per malitiam hominum peſſimorum vna, & item altera prouincia deſit, non propereà Concilij generalis nomen amittitur. Sed ne, ſi per negligentiam quidem, aut aliam occaſionem quamlibet Epiſcopi aliquot deſint, nominis ſui iacturam generale Concilium faciet, niſi in dubium vertimus, an Concilia illa quatuor, Nicœnum, Epheſinum, Conſtantinopolitanum, Chalcedonenſe, generalia ſint. Quamobrem, vt fideles, ità nos hoc loco loquimur, vt Synodum generalem omnium Epiſcoporum euocatione legitima finiamus, licèt non ſit omnium congregatio. Communi enim fidelium ſenſu agendum eſt, cum de rebus, vocibuſque Eccleſiæ loquimur. Idque eodem modo fecerunt ſapientes. Nec ſatis eſt tamen ad generale Concilium euocatio generalis, niſi ſit etiam generalis congregatio. Sed ad generalem congregationem omnium Epiſcoporum congregatio non requiritur. Neque hîc definimus, niſi id, quod frequens in Eccleſia eſt. Scimus enim Concilia generalia ſine euocatione celebrari aliquando poſſe, ſed id perrarum, atque adeò præter artem eſt. Verùm de his poſteà diligentiùs. Nunc ad reliquas partes propoſitæ diuiſionis reuertamur. Prouincialia Concilia ſunt, cùm à Metropolitano, vel Primates omnes vnius prouinciæ, aut etiam regni Pontifices euocantur. Epiſcopalia ſunt, Synodi Sacerdorum, quæ ab Epiſcopis ſingulis in ſua diæceſi haberi modò ſolent, ob priuatas ſingularum Eccleſiarum cauſas. Nam Synodi huiuſmodi, præſertim in Hiſpania, non erant in vſu olim, niſi ob eam cauſam, quæ 18. diſt. cap. poſtremò exprimitur.

Hac diuiſione poſita, & omnium aſſenſu approbata, altera aſſumitur, Conciliorum ſiuè generalium, ſiuè prouincialium, ſeù Epiſcopalium, quædam eſſe congregata Romani Pontificis auctoritate, alia verò non item. Rurſùm alia confirmata ab eodem Romano Pontifice, alia verò non ab eo confirmata. Nam Concilium Epheſinum ſecundum auctore Leone coactum eſt quidem, ſed non eſt à Leone, aut alio quouis Summo Pontifice comprobatum. Baſileenſe quoque Eugenius quartus indixit, nec tamen confirmauit. At Conſtantienſe, quamuis à principio nullius Romani Epiſcopi auctoritate congregatum fuerit, confirmauit illud tamen Martinus V. Pontifex Maximus. Concilium item Mileuitanum, quod & Iunocentius, & Cæleſtinus probauerunt, ſine auctoritate Summi Pontificis coactum ſuit. Cùm ergo, quam Gratianus duplicem putauit eſſe rationem, in tres partes diſtribui debere reperiatur, & ſingulæ trium, bis diſtribuuntur in duas: primum eſt de generali Concilio, ſed dupliciter: tum pari ratione de prouinciali, poſt de Epiſcopali differendum.

CAPVT IV.

Vbi concluſiones ponuntur, quibus loci huius auctoritas continentur.

His ſumptis, prima concluſio ſit, Concilium generale, quod auctoritate Romani Pontificis, nec congregatum, nec confirmatum eſt, errare in fide poteſt. Hanc concluſionem manifeſtè probat error Concilij Ariminenſis, & Conſtantinopolitani ſub Leone Imperatore: quem huius loci auctoritati in quinto argumento capitis primi objiciebamus. Id ipſum quoque oſtendit Gratianus 17. diſtin. cap. Regula, & capite, Multis. Iulij, & Pelagij clariſſimis teſtimonijs. Idem definit Damaſus in epiſtola ad Stephanum Archiepiſcopum, & tria Concilia Aphricana, quæ in epiſtola ad eumdem Damaſum hoc ipſum confeſſa fuerant. Non eſt quippè verum, ratumque Concilium, quod auctoritate Epiſcopi Romani caret: quemadmodùm non ij ſolùm Pontifices, ſed Concilia etiam ipſa tradiderunt. Tradit ſeptima Synodus, act. 6. tom. 1. & octaua Synodus, act. prima, & ſeptima, & Synodus Romana ſub Symmacho 96. diſtin. capite Bene, & Synodus 90. Epiſcoporum ſub Damaſo, hiſt. tripar. lib. 5. cap. 29. & Conciliorum Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſione vndecima, vbi eadem res dicitur in Synodo Alexandrina definita. Ità Socrates lib. 4. hiſtoriæ tripart. cap. 9. tradit, regulam Eccleſiaſticam iubere, vt Concilia eiuſmodi præter ſententiam Romani Pontificis non celebrentur. Id quod Iulius in epiſtola ad Orientales dixit fuiſſe à Nicæna Synodo definitum, & Marcellus in epiſtola ad Antiochenos, hoc ait, Apoſtolos ſtatuiſſe. Videlicet eiuſmodi Concilia non ſolùm infirma in Eccleſia fuere ſemper, ad fidem veritatis faciendam, ſed conuenticula propèmodùm fuere iniquitatis, & triſtes, atque adeò exitiales exitus habuerunt. Mentiri verò ait Bucerus eos, qui affirmant, non licere ſine Romani Pontificis aſſenſu, Concilium cogere. Id autem primùm Euſebij, & hyſtoriæ tripartitæ teſtimonijs confirmat.

Deindè eſt Canon, inquit, Nicæni Concilij de Synodis habendis. Sunt quoque Canones Apoſtolici, qui quotannis binas Synodos in prouincia qualibet præſcribunt. Aſſerit autem firmum, ac ratum eſſe quicquid in huiuſmodi Concilijs ſtatuitur pro veritate contrà mendacium, ita, vt ne à ſummo quidem Pontifice reſcindi poſſit.

Sed huius hominis impudentiæ, quis poterit

ceterit ſine ſtomacho reſpondere? Principio namque illud impudentiæ quantum eſt, quòd hyſtoriam Euſebij, & Tripartitam nobis objicit, in quibus contrà nos refertur nihil, pro nobis multa? Quid illud alterum? Quòd Nicænum Concilium, & Canones Apoſtolicos opponit, in quibus de Synodis prouinciarum ſermo eſt, quas Summi Pontifices pro recta Eccleſiarum inſtitutione, & adminiſtratione præſcripſerunt. Nos autem de ſynodis generalibus loquimur, quas ſine Summi Pontificis aſſenſu cogere non aliter accipiendum eſt, ac ſi regni primarij ſine principis aſſenſu, atque adeò illo repugnante cogerentur. Illud verò quale eſt? firmum eſſe velle quicquid in his ſynodis ſtatuitur? Pro veritate ait, contrà mendacium. Scilicet, ſi pro veritate eſt, vbicumque ſtatuatur, accipiendum eſt, ſed quis nos certiores reddet pro veritate eſſe quæcunque à ſynodis prouinciarum decreta ſunt? Verùm de his hactenùs. Nam in quarta concluſione fuſiùs iſthæc explicabuntur.

Secunda concluſio. Concilium generale, etiam congregatum Romani Pontificis auctoritate, errare in fide poteſt. Hæc demonſtratur apertè exemplo Concilij Epheſini ſecundi, vbi legatis Leonis repugnantibus, Epiſcopi fermè omnes Dioſcori hæreſi ſubſcripſerunt. Confirmat hanc luculentiùs Leo Papa, in epiſtolis retrò citatis, ad quintum argumentum, & ſynodus octaua actione ſeptima, & Nicolaus ad Michaelem Imperatorem, & Eugenius Quartus, in decreto ſuper vnione Iacobinorum, in quo poſteaquam Epheſinam ſecundam ſynodum ſub Leone congregatam condemnauit, quæ videlicet Eutychiano errore conſenſit: Suſcipit, ait, ſancta Romana Eccleſia omnes vniuerſales Synodos, auctoritate Romani Pontificis legitimè congregatas, ac celebratas, & confirmatas. Non dixit congregatas ſolùm, ſed celebratas, & confirmatas. Eadem res oſtenditur exemplo quoque Baſileenſis Synodi, cuius errorem in nono argumento capitis primi opponebamus. ſed de hac re in reſponſione ad hoc argumentum latiùs. [Præterea nullum Concilium ratum eſt, aut fuit, quod Romani Pontificis non fuerit fulcitum auctoritate, vt Iulius, Damaſus, Pelagius, alijque patres in prioris concluſionis confirmationem allegati, non obſcurè tradiderunt: at quamuis Concilium ſit, edicente Pontifice ſummo, coactum, ſi tamen non ſunt ab eo Concilij dogmata confirmata, ſed potiùs, vel is, vel eius legati pugnarunt, tum certè Synodus non eſt fulcita Apoſtolica auctoritate, non igitur rata, & firma erit, ac proindè ne idonea quidem, vt ex ea fidem faciamus. Sed hæc concluſio capite proximo fuſiùs explicabitur.

Tertia concluſio. Concilium generale confirmatum auctoritate Romani Pontificis certam fidem facit Catholicorum dogmatum. Quam quidem concluſionem ita exploratam habere opus eſt, vt eius contrariam hæreticam eſſe credamus. Primùm, quoniam redibunt aliàs hæreſes vniuerſæ Conciliorum generalium auctoritate damnatæ: & ſymbolum quoque Nicænum erit ambiguum, Concilij generalis auctoritate ſublata. Deindè, ſi Concilium huiuſmodi errare in fide poſſet, nulla profectò certa via eſſet reliqua, vt in fidei controuerſijs Catholicum dogma exploratemus. Qui enim Summi Pontificis, ac reliquorum omnium Eccleſiæ Paſtorum iudicium detrectat, is nullum viuum iudicem inuenturus eſt, à cuius tribunali non liceat diſcedere. Volunt Lutherani iudicem in Concilio ſcripturàm eſſe, quæ nec ſentit, nec intelligit, nec eloqui ipſa iudicium valet. Lutherus ipſe clamat illa verba, [Hoc eſt corpus meum,] propriè accipienda, Zuinglius contrà figuratè: quis ſententiam dicet? Num ſcriptura ipſa? an potiùs iudex Eccleſiæ ſummus cum Concilio Sacerdotum: quemadmodùm Deuter. 17. cap. ſcriptum eſt? Quòd ſi in iudicijs humanis viuos iudices quis recuſaret in Republica conſtitutos, & ad literas mutas, & inanimes confugeret, omnibus omninò modis exploderetur. Sed de his, & diximus multa aliàs, & multa ſæpè dicemus. Nunc ad propoſitum reuertamur. Sanè Conciliorum fide reiecta, ſcripturæ quoque bonam partem amittemus. Nam ſi quis epiſtolam Iacobi cum Luthero à literis Canonicis expunxerit, per ſcripturam hæc certè quæſtio definiri non poteſt. Viui ergo iudices conſtituantur oportet. Quod ſi paſtorem, detracto iudicio, ad aliud tribunal prouoces, nihil aliud profectò facies, quàm Chriſti, & Eccleſiæ declinare iudices, & pro diuinis humanos ſubſtituere. Quoſcunque nimirùm præter paſtores Eccleſiæ delegeris, humana illi, incertaque auctoritate pollebunt. [Ad hæc, vel populus fidelis tenetur ſtare definitioni Concilij, vel poteſt etiam repugnare. Si tenetur, iam errante Concilio populus in eodem errore verſabitur. Sin repugnare poteſt, vbi nam illud eſt, [Qui vos audit, me audit?] Vbi illud rursùm Super Cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, & Phariſæi, quæcumque dixerint vobis, facite?

Aiunt, Si, quæcumque dixerint nobis, ea facere iubemur: cur alio loco Chriſtus cauere voluit à fermento Phariſæorum? Nam illud Matthæus Phariſæorum doctrinam interpretatur. Cur rursùm eorum traditiones exemplo etiam proprio contemnere docuit? Aliquid ergo doctrinę proprię puritati Euangelij admiſcere poſſunt, in quo non ſolùm non ſunt audiendi, ſed ſunt etiam refutandi. Id ergo præcauit Chriſtus, ne plebs malis docentium exemplis ad contemptionem veræ doctrinæ inducatur. Tunc ergo quæ dixerint nobis Phariſæi, eadem facere iubet Chriſtus: cùm ſuper Cathedram Moyſi ſederint, hoc eſt, legem enarrauerint, docuerint, propoſuerint. Nam ſi ſua doceant, eos negligere non ſolùm poſſumus, ſed debemus. Quemadmodùm Auguſtinus in Ioannem non obſcurè interpretatus eſt. Nihil ergo paſtores Euangelicæ illæ ſententiæ iuuant. Quin cum de ſuo loqui poſſint, poſſunt à nobis, vel ſperni. Vndè Hieronymus in Matthæi decimo ſeptimo capite, ſuper illis verbis, Non omnis, qui dicit mihi, &c. Sicut ſuprà, inquit, dixerat eos, qui haberent veſtem vitæ bonæ, non recipiendos propter dogmatum nequitiam: ita nunc è contrariò aſſerit, ne his quidem accommodandam fidem, qui cùm polleant integritate fidei, turpiter viuunt, & doctrinæ integritatem malis operibus deſtruunt. Sed iſti quod de mercenarijs ab Auguſtino dici-

tur

tur, id ad veros Eccleſiæ paſtores vafrè, malitioſèque traducunt. Nec intelligunt, inter mercenarios veros ſemper in Eccleſia Paſtores eſſe, quorum voces audire oues oportet, præſertim ſi omnium eadem ſit. Tunc enim Paſtorum vox, Eccleſiæ quoque vox, atque adeò Chriſti eſt. Alioqui, quidnam illud ſibi vult, Obſecro vos, vt id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata? diuiſus eſt Chriſtus? Abſit. Non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis. Ac reuera, vt hoc argumentum conferamus in pauca, ſi oues omnium paſtorum vnam, eamdemque doctrinam ſequantur, nihil culpæ in ouibus erit. Sequantur ergo, ſic ita, & errantibus paſtoribus vniuerſis oues item omnes errabunt. Quod ſuperiore libro fieri non poſſe, demonſtratum eſt. Iam verò Hieronymus quid ſibi velit ſtatim indicat. Docet enim vtrumque Dei ſeruis neceſſarium eſſe, quo eis fides accommodetur: vt & opus ſermone, ſermo operibus comprobetur.

Prætereà Martinus Quintus in Concilio Conſtantienſi inter reliquas interrogationes, quibus ſuſpecti in fide ſunt examinandi, eam etiam proponit, Vtrum credant, quòd quodlibet Concilium generale vniuerſalem Eccleſiam repræſentet. Si igitur Concilium generale vniuerſalis Eccleſiæ habet auctoritatem, qui illam de medio tollit, totius Eccleſiæ auctoritatem eadem opera diſſoluit. Præclarum igitur illud Auguſtini eſt libro primo de Baptiſmo contrà Donatiſtas cap. decimo octauo, plenarij Concilij ſententiam, totius Eccleſiæ conſenſionem eſſe. [Prætereà, Paulo non alia via commodior viſa eſt ad veritatem in quæſtione exorta veſtigandam, quàm ſi ad Concilium Hieroſolymitanum controuerſia referretur. Eam igitur viam, quam Paulus ad fidei quæſtionem terminãdam aptiſſimam exiſtimauit, nos ingredi, & tenere debemus: eamque modeſtiam imitari, quę & in Iudæis, & in Gentibus à Luca Actorum quinto decimo capite deſcribitur. Poterant enim Gentes cum Concilio illo Hieroſolymitano expoſtulare, quòd libertatem ſibi à Chriſto datam eriperent, quoque cæremonias nonnullas humeris diſcipulorum tamquam neceſſarias, imponerent, quæ minùs neceſſariæ eſſe videbantur, cùm Chriſti fides eſſet ad ſalutem idonea. Sed ne Iudæi quidem repugnauere, qui tamen Concilij definitioni ſcripturam poſſent opponere dicentem: Homo, cuius caro præputij, &c. Tantùm itaque honoris Concilio deferentes, formam futuris ſeruandam ſæculis exhibuere, vt Synodis Petri, ſucceſſorumque eius auctoritate firmatis certa fides haberetur. Viſum eſt, inquiunt, Spiritui Sancto, & nobis: Concilij ergo ſententia, Spiritus ſancti ſententia ipſiſſima eſt. Accedit illa quoque cauſa, quòd Eccleſia Catholica Conciliorum generalium decreta ſemper accepit, ab ipſiſque habitos hæreticos, tales etiam eſſe ſine dubio exiſtimauit. Neceſſarium eſt igitur Conciliorum tenere fidem: ſi Eccleſiæ fidem tenere volumus. Quę res libro etiam ſuperiore magnis argumentis confirmata eſt.

Quarta Concluſio. Concilium prouinciale non confirmatum à Summo Pontifice errare in fide poteſt. Cuius rei exemplum habes in Concilio Mediolanenſi libro 10. hiſtor. Eccleſ. cap. 20. & in Concilio Antiocheno 90. Epiſcoporum lib. 4. hiſt. trip. cap. 9. & in Seleuciano lib. 1. tripart. cap. 34. & in Carthaginenſi, cuius inter arguendum mentionem fecimus. Hæc quoque concluſio non exemplis modò, ſed teſtimonio etiam Symmachi comprobatur, inquientis, Concilia Sacerdotum eccleſiaſticis legibus per prouincias decreta, quia præſentiam Papæ non habent, valetudinem perdiderunt. Ita leges, aut nimis duras, aut parùm rationi conſentaneas à Concilijs prouincialibus interdùm editas, non eſt negandum. Qualis illa fortaſsè fuit apud Aquiſgranum, quæ refertur trigeſima ſexta quæſtione ſecunda, cap. Placuit. Illa rurſùm non imprudenter modò, verùm etiam impiè, à Concilio Elibertino lata eſt de tollendis imaginibus. Quòd ſi generale Concilium, cui auctoritas Epiſcopi Romani deeſt, errare in fide poteſt, errabit aliquando, ac multò etiam magis Synodus prouincialis.

Quinta concluſio. Concilium prouinciale Summi Pontificis auctoritate firmatum in fide nequit errare. Multorum autem hæreticorum damnatio eſſet incerta, ſi hæc concluſio certa non eſſet. Plerique enim hæretici non per Concilia generalia, ſed per prouincialia ſunt damnati.

Vt, Priſcillianus in Concilio Toletano primo, Heluidius in Concilio Telenſi, Pelagius in Concilijs Mileuitano, & Carthaginenſi. Quamquam Pelagium in Synodo etiam Epheſina damnatum, de hæreſ. cap. Fraternitatis, Gregorius tradit. Sed hæc ſententia hodie apud Epeſinum Concilium non extat. Deindè nec expedit, nec tolerabile eſt, ſingulis hæreticis condemnandis ſingulas generales Synodos cogere. Cùm ergo Eccleſiæ ſuæ Deus proſpexerit in neceſſarijs, nimirùm ad hæreſes priuatas in prouincijs refutandas, Concilia prouincialia ſatis erunt, ſi erunt modò Summi Pontificis auctoritate roborata.

Prætereà, quoſcumque eiuſmodi Concilia damnauere, Eccleſia eos ſemper exploſit, errare igitur illa in fide nequeunt. Quòd ſi poſſent, vel vnum certè exemplum proferretur. At nullum omninò eſt. Nam, quod Oecolampadius adfert è Romana Synodo ſub Gelaſio, vbi definitum eſſe ait, ſubſtantiam panis in Euchariſtiæ Sacramento manere, id commentitium eſſe, loco proximo demonſtraturi ſumus. Nullius enim Synodi illa ſententia eſt, ſed ne Gelaſij quidem.

Prætereà, Symmachus Papa tradit Concilia prouincialia quotannis per Eccleſiæ leges decreta, quia præſentiam Papæ non habent, valetudinem perdidiſſe: ergo ſi præſentiam habet, valida erunt. In 7. item Synodo, actione 3. cùm Theodorus Concilia generalia recepiſſet, ſtatim ſubdit, Locales ſyonodos non auerſamur, ſed magis amamus, amplectimur, & recipimus. Earum etiam diuinitùs inſpiratas Canonicas conſtitutiones, correctiones, & legiſlationes ſumma obſeruantia colimus. Hanc autem epiſtolam Theodori, & Orientalium probat ipſa 7. Synodus. Atque 8. ſynodus ſeſſione poſtrema, Canone 1. Regulas, inquit, quæ Eccleſiæ ſanctæ, tam à ſanctis Apoſtolis, quàm ab Orthodoxorum vniuerſalibus, nec non & localibus Concilijs tra-

traditæ ſunt, ſeruare, ac cuſtodire profitemur. Sed & omnes, qui Chriſtiano cenſentur vocabulo, damnationibus, & iuſtificationibus, quæ per illas prolatæ ſunt, Canonicè ſubijci decernimus. Hactenùs 8. Synodus, Cuius verba in ijs maximè Concilijs locum habere intelligenda ſunt, quæ à Summo Pontifice ſunt confirmata. Summus enim Pontifex, vt ſequenti loco demonſtrabitur, in fidei iudicio errare non poteſt. Conciliorum ergo prouincialium decreta ad fidem pertinentia firma, & certa ſunt, ſi à Romano Pontifice confirmentur. [Id quod Actorum 15. capite explicatum eſt. Quod enim ibi congregatum legitur, hoc non generale, ſed prouinciale Concilium fuit. At non minor fides habita eſt Petro preſidenti, quàm ſi eſſet ſynodus generalis. Qua ex re Eraſmi calumnia retunditur. Cùm enim in annotat. ſuper epiſtolam ad Romanos, cap. 5. dixiſſet, ſe non vſque adeò aſtringi ſynodo Mileuitanæ, alijſque ſimilibus Concilijs prouincialibus, ſubdidit; Alioqui ſi quis vrgeat, eſſe ſeruanda quæcumque in illis decreta ſunt, proferam in illis dogmata quædam, quæ nunc Eccleſia damnat pro hæreticis. Hactenùs ille. Sed, vt diximus, Mileuitanum Concilium confirmatum eſt, ideò illo Chriſtianus vrgetur. Illa verò, è quibus dogmata hæretica proferentur, confirmata non ſunt. Ac de his aliam Concluſionem adijciemus.

Sexta concluſio. Ex Concilijs prouincialibus, licèt eis auctoritas Epiſcopi Romani deſit, probabile quidem argumentum ſumitur ad fidei dogmata ſuadenda. Huius rei, vel illud abundè magnum argumentum eſt, quòd ex innumeris Concilijs eiuſmodi vix quinque, aut ſex reperiuntur, quæ à recta definiendi ratione, ac via declinarint. Si ergo huiuſmodi concilia rectam, vt plurimùm fidem tenent, rarò deficiunt: probabiliſſimum ſine dubio eſt, quòd ex id genus Concilijs argumentum promitur. Atque certè, niſi ſint peculiariter reprobata, communi Eccleſiæ, vel ſilentio, vel etiam implicito conſenſu commendantur, ſi ad Eccleſiæ communem notitiam peruenerint. Non enim fit aliquo pacto vero ſimile, vt Concilij prouincialis toto orbe vulgati hæreſim Eccleſia diù diſſimulauerit. Error enim, cui non reſiſtitur, approbatur 83. diſt. cap. Error. Nec mihi Concilium Elibertinum obijcias. Nam in ea parte, qua errauit, ſemper à Catholicis exploſum eſt. Hæc ergo cauſa eſt, vel maxima, cur Toletana, Arelatenſia, Hiſpalenſia, & alia ſimilia antiqua Concilia, licèt non expreſſè, implicitè tamen probata ab Eccleſia videantur. Nam Ancyritanum, Neocæſarienſe, Gangrenſe, Sardicenſe, Aphricanum, & Carthaginenſia à Leone Quarto confirmata ſunt, 20. diſt. cap. De libellis. Trullana quoque Synodus quædam Concilia prouincialia probauit, ſed quantum hæc Trullana approbatio valeat, poſtea ſumus fusè diſputaturi. Nunc illud ſolùm aſſerimus, Concilia, quæ à Summo Pontifice comprobata non ſunt, non certum quidem illud, ſed probabile tamen argumentum ſuppeditare ad fidei dogma corroborandum. Id quod ex Innocentio colligitur, 20. diſt. cap. De quibus.

Septima concluſio. Concilia epiſcopalia, ſi à Romano Pontifice in decretis fidei confirmentur, certum argumentum veritatis exhibent. Si enim Toletana Synodus, Præſidente, & confirmante Petri ſucceſſore in fide errat, non videtur cauſa eſſe, cur Romana Synodus errare non poſſit. Item Concilium prouinciale à Summo Pontifice confirmatum certæ auctoritatis eſt, ergo, & ſynodus Epiſcopalis. Sed non venit in mentem, alia Epiſcopalis ſynodus in iudicio fidei à Romano Epiſcopo confirmata, præter Complutenſem ſub Alphonſio Carrillo Archiepiſcopo Toletano, vbi damnatus eſt magiſter quidam Oxomenſis, qui falsò de clauibus Eccleſiæ, & pœnitentiæ ſacramento ſentiret.

Poſtrema Concluſio. Synodus Epiſcopalis per ſe quidem in iudicio hæreſis probabilem fidem facere poteſt, certam non poteſt. Illud priùs expedire debemus, nam hoc poſteriùs ſatis expeditum eſt. Illud ergo oſtenditur ex cap. Ad abolendam, de hæreticis, vbi à Lucio tertio, vinculo perpetui anathematis innodantur ij, quos vel Romana Eccleſia, vel ſinguli Epiſcopi per Diœceſes ſuas cum Concilio clericorum, vel etiam, ſi oportuerit, vicinorum Epiſcoporum, hæreticos iudicauerint. Non ergo leuis coniectura accipietur ex huiuſmodi ſynodorum iudicijs, quæ Lucius tanti fecit, vt pro excommunicatis habendos eſſe decreuerit, quos eædem ſynodi hæreticos definierint. Nec me clàm eſt, quòd quidam viri docti hanc Lucij decretalem de depræhenſis in manifeſta hæreſi interpretantur. Alioqui ius negant Concilio Epiſcopali, atque adeò prouinciali de hæreſi iudicandi. Id probant, quòd fides res eſt omnibus communis, quare poteſtas cenſendi de fide, hæreſique contraria, non penès priuatas Eccleſias, ſed penès vniuerſalem Eccleſiam erit. Idem ſuadent id ex cap. Maiores, de Baptiſ. & ex cap. Quoties, 24. quæſt. 1. vbi eiuſmodi cauſę ad ſolam Sedem Apoſtolicam dicuntur eſſe referendæ, cùm illi ſpeciali priuilegio à Domino reſeruatæ ſint. Ac poſt verba citata idem Lucius hoc videtur confirmare inquiens: Præſenti nihilominùs ordinatione ſancimus, vt quicumque manifeſtè fuerit in hæreſi depræhenſus, &c.

Loquitur ergo Pontifex in caſu, quo hæreſis eſt manifeſta. Sed mihi ſemper longè probabilior illorum ſententia viſa eſt, qui putant, eos planè, & ſimpliciter anathematis vinculo per hanc Lucij decretalem alligari, quos vel Romana Eccleſia, vel ſynodus prouincialis, aut etiam Epiſcopalis, hæreticos iudicauerint, quamuis non ſit hæreſis omnibus manifeſta. Primum enim non dixit textus, Quos hæreticos declarauerint, ſed, Iudicauerint. Alioqui, ſi declaratio illa rei manifeſtæ erat, non verum in cauſa fidei iudicium, quorsùm eam rem ad Epiſcopum cum Concilio clericorum, & non magis ad Theologos Lucius retulit, vt ſcilicet eos anathemate percelleret, qui à Theologis eruditis hæretici declararentur? Deindè, ſi Lucius non propriè verbum illud, iudicauerint, vſurpauit, ſed impropriè, pro eo, quod eſt, rem manifeſtam exponere: cùm idem omninò verbum ſimul, & ad Eccleſiam Romanam, & ad Epiſcopum cum clericis ſuis referatur, conſequens fieret, vt etiam pari modo per Eccle-

ſiam

ſiam Romanam non hæreticos iudicatos, ſed declaratos excommunicati à Lucio intelligeremus. At conſtat, vocem illam de Eccleſia Bomana propriè, & ſimpliciter intelligi:non eſt igitur, cùm ad ſynodum Epiſcopi refertur, in alium ſenſum detorquenda. Adde, quòd multifatiàm cauſa eius, qui hæreſeos inſimulabatur, ad id genus ſynodos referri poterat. Primò ex Sedis Apoſtolicæ commiſſione peculiari, vt de cauſa Priſcilliani cognouit Concilium Toletanum primum: & de cauſa Magiſtri cuiuſdam Oxomenſis cognouit ſynodus Complutenſis, ſub Domino Alphonſo Carrillo Archiepiſcopo Toletano. Mox ſine commiſſione Pontificis ſpeciali, id, quod inquiſitores modò faciunt, in hæreſi quidem manifeſta, ſed vbi non erat manifeſtum, an reus eſſet hæreticus, vel quia non erat probatum, & notum eum propoſitionem hæreticam aſſeruiſſe, vel certè, quia, etſi aſſeruiſſet, nondum erat comperta pertinacia, ſiue qua hæreticus nullus eſt.

Poſtremò in hæreſi non proindè manifeſta, vt omnibus paſſim eſſet expoſita: ſed tali tamen, vt non eſſet neceſſe, aut ad Concilium generale, aut ad Apoſtolicam Eccleſiam referre eam: quòd periti Theologi hæreſim eſſe conſentirent. Et in his omnibus caſibus ius, & olim habebat Synodus, & nunc habent ij, quibus fidei cognitio eſt mandata, pronunciandi, ac iudicandi de cauſa fidei. Tametſi huiuſmodi tribunalium iudicia non adeò explorata ſunt, vt falſa eſſe non poſſint, non in re dubia ſolùm, interque viros doctos controuerſa, quo caſu ſynodi locales non habent de hæreſi pronunciare: ſed etiam in re, quæ omnibus prouinciæ Theologis viderentur manifeſta, quo caſu ſine crimine vſurpati iudicij de cauſa fidei pronunciant. In his ergo tribus caſibus, licèt iudicia hęc certa,& firma in Eccleſia non ſint, expedit tamen, vt, quoniam ſunt valdè probabilia, maximi à fidelibus habeantur. Nec enim erit parùm Eccleſiæ noxium,ſi non interim ab his perindè, vt ab excommunicatis caueat, quos non Eccleſia Romana modò, verùm etiam ſynodus,aut prouincialis, aut Epiſcopalis hæreticos iudicarint.Sed primam obiectionem videamus. Cauſa, inquiunt, fidei omnibus communis eſt, atque adeò priuatis iudicibus non licet de ea ſententiam ferre. Et læſæ maieſtatis,ac proditæ reipublicæ crimen ciues vniuerſos tangit, & priuati tamen iudices de eo cenſere ſolent. Nam capitalia illa, quæ afferunt, intelligenda ſunt, cùm res inter ipſos Epiſcopos, & viros Theologos eſt ambigua: quemadmodum Pelagius explicuit 17. diſtin. cap. Multis. Qui etiam ſenſus ex Deut. 17. cap. manifeſtiùs habetur: Si difficilè, inquit, & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris, & iudicium intra portas tuas videris verba variari, ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus, &c.

Nam illud quidem, quod Lucius addit, nihil militat aduersùm nos. Non enim dixit, Quicumque fuerit in manifeſta hæreſi deprænenſus: ſed, Quicumque manifeſtè fuerit in hæreſi deprænenſus. Vult autem, quod ibidem perſpicuum eſt, vt nemo tradatur brachio ſæcularis, niſi hæreticum eſſe conſtiterit. Eiuſmodi enim pęnę, vt executioni mandentur, probationes exigunt luce meridiana clariores. Sed de Conciliorum auctoritate dictum eſt ſatis.

CAP. V.

Vbi nodi quidam ſoluuntur, quibus interdùm homines, etiam docti illigari ſolent.

QVibus rebus expoſitis, nihil aliud supereſſe videbatur, niſi vt argumenta refellemus, quam à principio ſunt poſita. Sed paranti mihi eas obiectiones repellere, obiecerunt ſe ſcrupuli aliquot, quos priùs conuenit excutere, quàm ad alia pergamus, ne in via, quam ſuperiore capite aperuimus, ſint Theologis impedimento.

Primum igitur dubium illud excutiendum eſt, an Concilium per legatos Summi Pontificis celebratum, firmam, certamque habeat auctoritatem: an potiùs Epiſcopi Romani confirmatio expectanda ſit, vt certa habeantur decreta Concilij. Ac Caietanus quidem, qui ſine controuerſia de auctoritate Papæ, & Concilij accuratiſſimè diſputauit, quemque nos correctione quadam adhibita potiſſimùm ſecuti ſumus, multa hic disertè dicit, quæ à præſenti inſtituto videntur eſſe aliena: ſed affirmat denique id, quod ad pręſentem locum,& quæſtionem attinet,Concilium per legatos Pontificis actum errare in fide poſſe. Supereſt enim adhuc ille, pro cuius fide rogauit Chriſtus, ille inquam, ad quem fidei ſumma tandem referenda eſt.Quare niſi definitiones Conciliorum per Summos Pontifices, & probentur, & confirmentur, certas,firmaſque eſſe non oportet.Idem etiam Cardinalis Turrecremata ſenſit libro tertio, cap. ſexto, octauo, & trigeſimo octauo, quibus locis fuſiſſimè oſtendit, omnia retrò antiqua Concilia à Summis Pontificibus confirmationem dogmatum petijſſe: non id profectò acturа, niſi exiſtimaſſent neceſſarium. Nam quòd confirmatio Pontificis ad fidei quoque dogmata referatur, liquet ex epiſtola Nicęnæ ſynodi ad Syluestrum Papam. Quicquid, aiunt, conſtituimus, precamur, ve veſtri oris conſortio confirmetur. Syluester eidem ſynodo reſcribens, Confirmo, inquit, ſigoque ad doctrinam veſtram reclamantes de vnitate Trinitatis. Et paulò pòſt, Probo, ait, vera fuiſſe, quæ in veſtrum, noſtrumque manauere myſterium, &c. Et patres Concilij Chalcedonen. in epiſtola ad Leonem, Omnem, inquiunt, vobis geſtorum vim inſinuauimus, ad comprobationem noſtræ ſynceritatis, & ad eorum, quæ à nobis geſta ſunt, firmitatem, & conſonantiam. Et Leo Papa in epiſtola ad Concilium Chalcedonen. quæ eſt in ordine 59. Ne ergo, ait, dubitabile videatur,vtrum,quæ per vnanimitatem veſtram de fide ſtatuta ſunt, approbem,&c. & poſteà dicit ſe approbationem geſtorum ſynodalium in ſola cauſa fidei mittere,propter quam ſcilicet Concilium congregatum eſt. Idem patet ex epiſtola Leonis huius nominis tertij, qua confirmat ſextam ſynodum generalem.

Adde huc,quòd Eccleſia ante ipſius Pontificis confirmationem, numquam firmum ha-

buic, & ratum, quod à legatis Concilio præſidentibus deſinitum eſt. Hinc enim Martianus Auguſtus à Leone contendit, vt Concilij Chalcedouenſis de fide iudicium approbaret. Et Lo ob hanc quoque cauſam Martiano commendauit, vt confirmatio, approbatioque Concilij ad omnes Eccleſias perſerretur, quemadmodùm epiſtola 57. ad eundem Martianum ſeribitur. [Prætcrea Concilium ſine legatis errare poteſt, at Summus Pontifex uon transfert in legatos ſuæ fidei ſoliditatem, quam ſcilicet ſibi ſoli priuatim vendicat, eò quòd Chriſti Vicarius, eſt Paſtor Eccleſiæ vniuerſalis, & petra, ſupra quam Chriſtus ſuam fundauit Eccleſiam. Legati ergo ſimul cum Concilio errare poterunt. Non enim pro legatis Petri, ſed pro Petro rogauit Chriſtus, &c.

Adhæc, Concilium prouinciale, cui Legati Summi Pontificis adſint, errare in fide poteſt: uon autem ſi à Summo Ponrifice confirmatum eſt. Non igitur Legati eam habent in fidei dogmatis auctoritatem, quam Summus ipſe Pontifex habet. Quocirca, infirma adhuc erunt decreta Concilij, quamuis per legatorum iudicium confirmata.

Prætereà Concilium Epheſ.II.errauit cum Dioſcoro, & tamen legitimè, auctore Leone. congregatum eſt: non ergo firmum, & ratum eſt Concilij decretum, niſi ſit à Summo Pontifice confirmatum. Nec valet dicere, Legatos Pontificis, & paucos quoſdam alios repugnaſſe. Non enim oportet omnes Patres ſynodali ſententiæ ſubſcribere, vt generale Concilij iudicium habeatur. Quoniam ne omnes quidem Epiſcopi iudicio Nicænę Synodi ſubſcripſerunt. Ac ſi Legati ipſi, vt docti omnes conſentiunt, errare poſſunt, nihil obſtaret, quò minùs alijs Epiſcopis errantibus conſenſiſſent. Legatus demùm Pontificis aderat, cùm in ſecunda, & tertia ſeſſione Concilij Baſileenſis vehementer erratum eſt, errori quoque cæterorum Legatus ipſe ſubſcripſit, non ergo ſatis eſt Concilium eſſe coactum Pontificis auctoritate, & legatos Concilij ſententiam approbaſſe, vt firma, & certa eſſe in Eccleſia exiſtimetur.

At contrà. viri quidam doctiſſimi ſentiunt, Concilium generale legitimè congregatum etiam abſente Papa, ſolidam, certamque habere auctoritatem, priuſquàm à Summo Pontifice confirmetur. Cuius ſententiæ dvas potiſſimùm cauſas reddere poſſunt. Vnam, quòd eiuſmodi Concilium per Legatos Epiſcopi Romani celebratum, Eccleſiam vniuerſalem repræſentat, quoniam eſt Concilium Eccleſiæ generale, non ergo errare in fide poteſt, ſicut ne Eccleſia quidem vniuerſalis. Quòd autem omne Concilium generale Eccleſiam vniuerſalem repræſentet, definitum eſt à Martiuo Quinto in fine Concilij Conſtantien. Altera cauſa eſt, quòd Concilium generale legitimè congregatum, in Spiritu ſancto congregatum eſt, quare habet ſpiritum aſſiſtenrem, cuius præſentia freti, poſſunt vtique Patres, cùm aliquid definiunt, dicere, Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.

Confirmat autem hoc, vel maximè teſtimonium Iulij ad Orientales Epiſeopos inquientis. Regula veſtra nullas habet vires, quoniam Romanæ Eccleſiæ Legatus non interfuit canonibus præcipientibus, ſine eius auctoritate concilia fieri non debere: nec vllum ratum eſt Concilium, quod eius non fuerit fulcitum auctoritate. Hactenùs Iulius. Sentit ergo ſine dubio, Concilium habere vires, ratum eſſe, Romanæ Eccleſiæ niti auctoritate, ſi Romanæ Eccleſiæ Legatus interfuit. Hac difficili quęſtione explicanda, illud ponimus, quod rerum geſtarum exprimento conſtat, Summi Pontificis Legatos non ſolere ad Concilium accedere, vbi quæſtio de fide agitanda eſt, niſi inſtructos priùs, & monitos de Eccleſiæ Romanæ fide circa ea, quæ ſunt in Concilio finienda. Solere, inquam, non item oportere. Nam Legati in Concilium Tridentinum non potuere commodè de quæſtionibus differendis antè inſtrui, quoniam erant propemodùm infinitæ. Sed cætera ferè Concilia ad vnam, aut alteram fidei tractandam cauſam coacta ſuut, ideòque Legati de Apoſtolicæ Eccleſ.fide priùs inſtructi acceſſerunt.

Principiò igitur illud ſtatuo, poſſe Concilium legatorum doctrinæ, & inſtructioni repugnare, atque è contrario Legatos poſſe repugnare Concilio, quo caſu decreta Concilij non ſolùm non ſulcita Apoſtolica auctoritate, ſed erunt potiùs refutata. Sicut enim congregatio Concilij, reclamaute vero, certoque Eccleſiæ Pontifice, vana eſt, & irrita, ſic doctrina, cui vel præſens Poutifex per ſe, vel abſens per Legatos ſuos contradicit, incerta eſt, & imbecilla: Idque eodem prorsùs argumento, quoniam vtrique auctoritas Epiſcopi Romani deeſt, ſine qua nec Concilium, nec Concilij decreta rata ſunt. Quòd ſi qui exiſtiment, Concilium ſemel ritè, ac legitimè congregatum errare tum etiam non poſſe, cùm legati Pontificis repugnant, reſpondeant illi argumento, velim, quo ſecundam concluſionem cap. 5. probabamus, Concilij Epheſini ſecundi exemplum proferrentes, vbi ab omnibus penè Epiſcopis erratum eſt.

Non fuit liberum Concilium, inquiunt, ſed ſententia à Dioſcoro, arte, minis, & terroribus extorta eſt. Video, Sed ſi ſecundum hominem loquimur, qui metu frangitur, is cupiditate etiam frangatur neceſſe eſt. Quocirca, ſi per metum vera, & legitima Synodus errat, cauſabuntur hæretici, reliquas etiam omnes Pontificum, & Imperatorum cupiditatibus inſeruiſſe. Ita fiet, vt nullius Synodi explorata auctoritas habeatur. Quantò grauiùs illud nos aſſerimus, Concilium Apoſtolica auctoritate firmatum, nullis humanis affectibus à vera poſſe fidei diſcedere. Vt ne Eccleſia quidem, quamuis deſcendat pluuia, veniant flumina, irruant venti, cedere loco poteſt, fideique ſtationem deſerere. Sed Concilij reliqua pars quàmlibet maxima, ſi Pontifex, & Legati pugnent, infirmari affectu poteſt. Huc enim illud pertinet, Tu, ò Petre, confirma fratres tuos. Sed ais, Quid ſi Legatus doctrinam, quam à Pontifice accepit, deſerat, & multitudinis ſenſum amplectatur? Primùm, nullum huiuſmodi exemplum proferetur, niſi fortè ex Concilio ſub Michaele Imperatore, vbi Radoaldus, & Zacharias Michaeli, & Phocio conſenſerunt aduersùs Nicolai inſtructionem, atque mandata: vt videre eſt in epiſtola Nicolai ad Patriarchas, Metropolitas, ac reliquos Epiſcopos.

pos. Deindè ſi Legatus contrà inſtructionem agit, non cenſentur ex poteſtate delegata agere, atque adeò non eſt, cur eo modo acta ſuperioris auctoritate probata eſſe credantur.

Indè enim Agatho Papa, vt patet actione 4. ſextæ Synodi, Auctoritatem, inquit, eis, hoc eſt, Legatis dedimus, in quantùm eis dumtaxat iniunctum eſt, vt nihil præſumant augere, minuere, vel mutare, ſed traditionem huius Apoſtolicæ Sedis ſynceriter enarrare. Et Leo epiſt. 73. ad Pulcheriam Auguſtam, Lucentium, inquit, Epiſcopum, & Baſilium presbyterum dirigere præparaui, qui diſpoſitiones meas ſecundùm eas, quas acceperunt, regulas, exequantur. Decreta igitur, ſi quæ à Legato contrà Sedis Apoſtolicæ traditionem approbentur, non habent Romanæ Eccleſiæ auctoritatem: nec aliter ſe habent, quàm ſi à Concilio ſine Legatis prodiiſſent. Quid verò, ſi legati ſine Apoſtolicæ Sedis inſtructione ad Synodum acceſſere? Num Synodi iudicium firmum erit, & certum, priùs, quàm à Summo Pontifice comprobetur? Certè in his, quæ ad fidem non attinent, ſed ad eccleſiaſticam gubernationem, eiuſmodi Synodorum decreta non oportet à Spiritu ſancto proficiſci. Quare non ſunt omninò valida, niſi Romani epiſcopi conſenſione firmentur. Vt videre eſt in Epiſtola 51. Leonis ad Anatholium, 52. ad Martianum, 53. ad Pulcheriam, & 59. ad concilium Calced. Sed ne in cauſis fidei quidem adeò exploratam auctoritatem habent, vt qui ea in dubium vocet, hæreticus ſit.

Tum quia auctores nobiliſſimi, quos antè diximus, Caietanus, & Turrecremata, non ſolùm citra hæreſeos crimen, ſed probabiliter etiam conſentiunt, nihil firmi dogmatis ab eiuſmodi ſynodis proficiſci, quouſque per Chriſti vicarium approbentur. Tum, quia, vt antè dictum eſt, ſolidam auctoritatem, quam in confirmandis, & fratribus, & dogmatis Petrus habet, in legatos transferre non poteſt. Tum, quia ſi legati, qui inſtructionem ab Apoſtolica ſede acceperunt, diſcedere ab illa poſſunt, illi etiam, qui ad concilium ſine inſtructione accedunt, poterunt cum ſedis Apoſtolicæ doctrina pugnare. Quare eorum confirmatio eſt. Quid, quòd legatus Iulianus concilij Baſileenſis doctrinæ conſenſit, quam nullus Theologus ita ſolidam, & certam exiſtimat, vt hæreticos Nec credat, qui ab ea doctrina diſſentiunt? contraria argumenta quicquam efficiunt. Nam primum ſic refellitur: Fateor equidem quodcunque concilium generale vniuerſalem Eccleſiam repræſentare, ſicut omnes proceres, & procuratores ciuitatum, cùm de rebus publicis tractaturi conueniunt, regnum totum repræſentant. Sed dum vrges, Eccleſiam errare non poſſe: Verum eſt id in eo ſenſu, qui à fidelibus accipitur, intelligimus enim totam ſimul Eccleſiam, hoc eſt, fideles omnes non errare. At nihil obſtat, cur maior Eccleſiæ pars non erret. Sic igitur non ego admitto, vt totum concilium cum legatis errare poſſit. At errare poterit maior pars concilij, & erranti illi poterunt legati ſubſcribere. Atque id eſt, quod nos in præſentia dicimus, iudicium maioris partis, etiam ſi legati ſequantur, non eſſe certum. certum autem eſſet, ſi à ſummo Pontifice confirmaretur. Nec enim opus eſt, quemadmodùm paulò antè docuimus, ſententiam concilij omnes ſimul patres approbare. Secundo verò argumento hoc habeto reſponſum: Concilium vtique generale, cui legati præſunt, in ſpiritu ſancto congregatum eſſe, quoniam auctore Chriſti vicario, eodemque legitimo Eccleſiæ principe coactum eſt. Sed Eccleſiæ quoque vnum corpus eſt, cuius ſpiritus Deus eſt, qui Eccleſiæ ſemper aſſiſtit. Quemadmodùm ergo, quod toti pariter Eccleſiæ viſum eſt, id Spiritui ſancto etiam viſum eſt: ſed non continuò, quod maior Eccleſiæ pars iudicarit, hoc Spiritus ſancti iudicium eſt. Ita, ſi quid omnibus quidem Epiſcopis iudicatum fuerit, à ſpiritu profectò Dei iudicatum eſt: at non ſtatim, ſi plures concilij patres in vnam ſententiam conuenerint, Spiritus ſancti ea ſententia credenda erit, niſi per ſummum Pontificem confirmetur. Ad quem nimirùm ſpectat patrum lites, diſſidiaque componere. Iam Iulij teſtimonium explicatu facillimum eſt. Tacet enim, quòd manifeſtum erat concilium illud ſummi Pontificis præſentia caruiſſe, ponit autem ne legatos quidem Eccleſiæ Romanæ affuiſſe. E quibus duobus altero tacito, altero expreſſo, colligit nullam prorsùs Eccleſiæ Romanæ auctoritatem in eo concilio interceſſiſſe. Quare irritum, & vanum eſſe. Alioqui, ſi quis ruſticè ſanè eo nos teſtimonio vrgeat, is nullo negotio exploditur. Nihil enim valet illa collectio, ſi concilium legatos non habuit, infirmum eius iudicium fuit, ergo ſi habuit, fuit firmum. Sed de prima quæſtione dictum eſt ſatis.

Sequitur altera, an patres concilij verè iudices ſint, an potiùs conſiliarij? Sunt enim auctores non omninò peſſimi, qui conciliorum auctoritatem non in iudicanda, & finienda cauſa fidei, ſed in quærenda, & inueſtiganda veritate ſitam eſſe velint. Omnem quippè iudicij vim ad vnum Eccleſiæ principem, eundemque Chriſti vicarium reuocant, qui fidei cauſa decernenda eò vel plures, vel Pauciores in concilium adhibet, quò cauſa vel grauior, vel facilior eſt. Huius verò rei primum argumentum promitur, quòd in ſex libris Decretalium, & Clementinis, non patribus, ſed ſummo pontifici ſententia tribuitur, ſacro tamen approbante concilio: Vnde Clemens V. Concilio Viennen. præſidens, nos, inquit, ad tam præclarum teſtimonium, ac ſanctorum patrum communem ſententiam, Apoſtolicæ conſiderationis (ad quam duntaxat hæc declarare pertinet) aciem conuertentes, ſacro approbante concilio, declaramus, &c. Solùm ergo ad ſedem Apoſtolicam iudicium pertinet, patrum verò non iudicium, ſed conſilium eſt. Præterea, cùm Pontifex Eccleſiæ Romanæ presbyteros in conuentum cogit, vt cauſa aliqua fidei iudicetur. De fratrum, inquit, noſtrorum concilio, &c. Conſulunt ergo, non iudicant. Adhæc, Deuter. 16. Si difficile, & ambiguum, &c. venies, ait, ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, &c. Et pòſt: qui autem ſuperbierit, inquit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo,

ex decreto iudicis morietur homo ille. Ecce imperium non omnibus, ſed ſummo ſacerdoti aſſiguatur, & decrerum, non iudicium, ſed iudicis eſſe dicitur. A conſilijs ergo ſunt reliqui ſacerdotes, non ſunt iudices. A contraria veró parte facit, quòd in concilio illo primo Hieroſolymitano non ſolùm Petrus, ſed reliqui etiam Apoſtoli, & ſentiores iudices eſſe dicnntur. Propter quod ego iudico, Iacobus ait, non inquierari, &c. Actor. 15. Et poſteriùs cap. eodem, præcepta concilij vocat Paulus præcepta Apoſtolorum. Et cap. 16. dicit, ea dogmata eſſe decreta ab Apoſtolis, & ſenioribus.

Ad hanc quæſtionem perfacilis eſt, & expedita reſponſio. Epiſcopos concilij in fidei cauſa non modò conſiliarios eſſe, verum etiam iudices. Alioqui non ſolùm epiſcopi ad ferendam ſententiam ſynodalem adhiberentur, ſed etiam docti Theologi, & viri in Eccleſia prudentes. quod inauditum eſt, contràque formam Actorum 15. preſcriptam, vbi Apoſtoli tantùm cum presbyteris de fidei quæſtione iudicarunt. Cùm igitur Eccleſiæ perpetuo vſu ſoli paſtores in concilio ſedeant, conſequens fit, cenſores eos eſſe, non modò conſultores. Nam ſi vt conſulerent, aduocarentur, ijs epiſcopis, qui Theologiæ rudes, & imperiti eſſent, nullus eſſet omninò in concilio locus, quando Theologiæ quęſtio veniret in dubium. Præterea, non Romanus epiſcopus modò, verùm reliqui etiam epiſcopi claues regni cæſtis habent, ergo in cauſa fidei ligandi quoque, ac ſoluendi poteſtatem. Viſum eſt, inquiunt, Spiritui ſancto, & nobis, nihil vltrà vobis imponere oneris, quàm hæc neceſſaria, &c. Omnes ergo epiſcopi onus, præceptumque imponunt, omneſque ſimul ſententiæ ſynodalis auctores ſunt. Atque conſiliarij, qui non ſunt ſimul iudices, non ſolent iudicio, ſententiæque ſubſcribere. At in ſynodali ſententia non Pontificis ſolùm, ſed cæterorum Epiſcoporum ſubſcriptiones adponuntur. Sunt igitur ſine dubio iudices.

Verùm ſcrupulus hic exiſtit, qui malè quoſdam habet. Nam ſi omnes Epiſcopi ſunt iudices, ſummus nimirùm pontifex tenebitur in ferenda ſententia maiorem partem iudicum ſequi, eorumque doctrinam approbare. In omni enim recto, & benè inſtituto tribunali is, qui præſidet, plurium iudicium confirmare debet, paucorum negligere. Hac ſoluenda quæſtione Cardinalis Turrecremata lib. 3. ſummæ Eccleſiæ, capite 64. & 65. iuriſperitos ipſe ſequens multa dicit, quę mihi non probantur omnia. Nec eſt animus tamen ſingula perſequi, & cuiuſque opiniones refutare. Acutè enim diſputantis, vt Cicero tradit, illud eſt, non quod quiſque dicat, ſed quid cuique dicendum ſit, videre. Quod igitur aſſumptum eſt, patres concilij non modò conſiliarios eſſe, verùm etiam iudices, id inficias ire, nec poſſumus, nec debemus. Nam patres Nicænæ ſynodi à Syluestro contendunt, vt quicquid conſtituerunt, confirmet. Et Leo, quæ à concilio Chalcedonen. de fide ſtatuta ſunt, ea dicit ſe probare. Et concilium ipſum ad Leonem, Decretis, inquit, tuis noſtrum honora iudicium. Et 6. Synodus actione 18. Anathematizamus, inquit, Theodorum, Sergium, Cyrum, &c. Et paulò poſt, his omnibus, ait, à ſancto hoc concilio conſtitutis, & per ſubſcriptionem noſtræ fortitudinis confirmatis, ſancimus, vt nullus aliud quicquam de fide ſatagat, &c. Num verba hæc conſulentis ſunt? An potius iudicantis? Atque in cæteris patres, non vt conſiliarij, ſed vt iudices loquuntur. Caput enim tertium Nicænæ ſynodi ſic habet, interdixit per omnia magna ſynodus, &c. Scrupulum verò, qui nunc opponitur, facilè eximo. Nego enim, cùm de fide agatur, ſequi plurimorum iudicium oportere. Nec hic vt humanis, vel electionibus, vel iudicijs, ex numero ſuffragiorum ſententiam metimur. Scimus frequenter vſu venire, vt maior pars vincat meliorem, ſcimus non ea ſemper eſſe optima, quæ placent pluribus, ſcimus in rebus, quæ ad doctrinam pertinent, ſapientium ſenſum eſſe præferendum. Et ſapientes pauciſſimi ſunt, cùm ſtultorum infinitus ſit numerus. Quadringenti Prophetæ Achab mentiti ſunt: ex ore verò Michææ ſolius quidem, & contemptibilis, veritas egreſſa eſt. Non ſunt igitur diuina iudicia humanis rationibus moderanda. In paucis aliquando citiùs, quàm in multis ſaluat Dominus. Maior quippè pars Epheſini concilij ſecundi in Dioſcori ſententiam venit, nec legati tamen plurium iudicio ſubſcripſere. Quocirca ſummus Pontifex maioris partis ſententiam non tenetur amplecti. Immò ſiue pauci, ſiue plures ad errorem deflexerint, munus eſt apoſtolici antiſtitis ad veram eos fidem reuocare: iuxta illud, quod Petro dixit Chriſtus, ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua, & tu non vnum, & item alterum, ſed ſiue paucos, ſeu multos, confirma fratres tuos. Ita Damaſus ſcribens ad epiſcopos per Illyricum conſtitutos, numerum concilij Ariminenſis magna libertate contempſit, illique tantæ multitudini vnum Vincentium, & alios paucos oppoſuit, qui contra illius concilij ſententiam dixerunt. Et Leo, cùm Anatholius decretum Chalcedonen. Synodi de eccleſiæ Conſtantinopolitanæ primatu, ſexcentorum triginta patrum conſenſione præferret, quaſi, inquit, refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo. Nulla ſibimet de multiplicatione congregationis concilia blandiantur: nec trecentis illis decem, atqueocto copioſior numerus ſacerdotum comparare ſe audeat, vel præferre, cùm tanto diuinitùs priuilegio Nicæna ſit ſynodus conſecrata, vt ſiue per pauciores, ſiue per plures Eccleſiaſtica iudicia celebrentur, omni penitùs auctoritate ſit uacuum quicquid ab illorum fuerit conſtitutione diuerſum. Hactenus Leo.

Non itaque, quod in humanis conceſſionibus fit, plurium apud nos ſententia præualet. Quòd ſi ſemel fidei cauſam ad humanas coniecturas, prudentiamque deducimus, verendum eſt ſanè, ne Eccleſiæ negotium ex diuino humanum faciamus. Quin etiam certum eſt, qui probabili multorum iudicio nituntur, eos fidei noſtræ firmitudinem labefactare. Secundum quippè concilium generale centum quinquaginta patrum numero conſtitit, quartum verò patres habuit ſexcentos triginta: vtrumque tamen pari veneratione ſuſcepit eccleſia. Non enim numero hæc iudican-

dicantur, ſed pondere. Pondus autem conciliis dat ſummi Pontificis, & grauitas, & auctoritas: quæ ſi adſit, centum patres ſatis ſunt: ſin deſit, nulli ſunt ſatis, ſint quàmlibet plurimi. Nec ſi maior pars patrum verè ſentiat, ſummus Eccleſiæ Pontifex repugnabit. Id enim ad peculiarem Chriſti procurationem pertinet, ſemperque pertinuit, ne eccleſia in factiones duas diuidatur. Nec Romanus vnquam epiſcopus, ſi exemplum quæritur, contrà patres concilij verè ſentientes dixit. Ad ſecundam autem quæſtionem nihil eſt, quod addere debeamus, nam argumenta ex aduerſo poſita ex his, quæ diximus, facilè diluuntur.

Alia quæſtio etiam exiſtit, quæ non eſt ad exponendum facilis. Si enim concilium ſummi Pontificis auctoritate firmatum, Spiritu ſancto regitur fidei cauſis iudicandis, eius ergo definitiones ad ſacram ſcripturam pertinebunt. Nam ſcriptura ſacra vocatur, quæ Spiritu ſancto afflante ſcripta eſt.

Huius verò argumenti concluſionem vir apprimè doctus, & qui tantos habebat in Theologia progreſſus, vt cum excellentibus Theologis compararetur, non eſt veritus me præſente concedere. Atque in hanc opinionem Gratianus quoque videtur deſcendiſſe. Diui Auguſtini teſtimonio confirmatus 19. diſtin. cap. In Canonis, vbi ſummorum Pontificum epiſtolas decretales canonicas ſcripturas eſſe dicit: eadem igitur ratione concilij decreta in Canonicis ſcripturis habebuntur. Sed & Innocentius de celebra. miſs. ca. Cùm Marthæ, eandem ſententiam videtur amplecti. Ait enim ſcripturam ſacram aſſerere, quòd iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre. Hoc autem teſtimonium alicuius nimirùm, vel Pontificis, vel concilij eſt. Ratio item his teſtimonijs conſentit. Fides enim catholica nihil credit, niſi quod eſt à Deo reuelatum, quòd ſi concilij decreta tenemur certa ſecundùm fidem habere: ea ſunt certè à Deo reuelata, atque ex conſequenti ſcriptura canonica.

Adhæc opinatio, quàm ſit inconſiderata, lector, vel me non docente, intellecturus eſt. Nam ſi ſymbolum Athanaſij, concilijue Nicæni inter ſacras literas refertur, cur nec in Codicem ſacrorum bibliorum redigitur, nec cum libris canonicis annumeratur? Iam libros, qui decretales Pontificum epiſtolas, ſynodorumque iudicia continent, in ſacris, & canonicis habere, abſurdum eſt. Duplex enim diſcrimen inter ſacros auctores, & ſummum Pontificem, parteſque concilij reperitur. Vnum, quòd auctores ſacri ex proxima Dei reuelatione, vel inſpiratione ſcribunt catholica dogmata. Nec enim egent externis ad ſcribendum incitamentis, aut humana ratiocinatione è ſcripturis alijs argumentantur, diſquirunt, colligunt. At Concilium, & pontifex humana via incedunt, rationemque ſequuntur: atque argumentando verum à faſo diſcernunt. Non enim exiſtimandus eſt ſummus Pontifex eam habere facultatem, quæ in Apoſtolis, Prophetis, & Euangeliſtis inerant, vt propoſita vnaqualiber de fide quæſtione, protinùs dignoſcere poſſit, vtra quæſtionis pars vera, falſaue ſit. Sed adhibere prius conſilium neceſſe eſt, & expendere vtriuſque partis argumenta: tum deindè ſequitur auxilium Dei, quod videlicet opus eſt, vt ſummus Pontifex in recta fide contineatur. In Concilijs itidem nòn habent patres, mox quaſi ex auctoritate ſententiam abſque alia diſcuſſione dicere. Sed collationibus, & diſputationibus re antè tractata, precibuſque primùm ad Deum fuſis, tum verò quæſtio à Concilio ſine errore finietur, Dei videlicet auxilio, atque fauore, hominumque diligentia, & ſtudio confluentibus.

Nam & Apoſtolis, & presbyteris in ſynodum Hieroſolymitanam congregatis, non ſtatim reuelatum eſt, quid eſſet in fidei cauſa decernendum: ſed facta eſt priùs, vt Lucas ait, magna conquiſitio. Et in Nicæna ſynodo, vt Ruffinus tradit, per ſingulos dies agitabatur conuentus: nec facilè, aut temerè de re tanta ſtatuere audebant patres. Euocabatur frequenter Arius in Concilium, & aſſiduo tractatu aſſertiones eius diſcutiebantur, & quid aduersùm hæc teneri deberet, aut ſtatui, ſumma cum liberatione quærebatur. Ita poſt diutinum, multumque tractatum firmiſſima omnium ſententia Arius condemnatus eſt. Ex quo perſpicuum eſt, non dormientibus, & oſcitantibus patribus Spiritum Sancto aſſiſtere, ſed diligenter humana via, & ratione quærentibus rei, de qua diſſeritur, veritatem. Alterum autem diſcrimen eſt, quòd ſcriptoribus ſacris, quemadmodùm primo loco fuſiùs explicuimus, Dei ſpiritus adeſt in ſingulis. Etiam ne in minimis rebus? Etiam. At patribus ſynodi Spiritus veritatis non eſt præſens in omnibus, ſed in rebus ſolùm ad ſalutem neceſſarijs. Quod enim in ſymbolo Athanaſij dicitur, carnem, & animam vnum eſſe hominem, id non oportet verum eſſe, quamuis cum Athanaſio Concilium Nicænum conſenſiſſet. Nam vtrum homo partes illæ complexæ ſint, an non ſint, ad Philoſophiæ rationem pertinet, non fidei: quare Philoſophorum quæſtio eſt, non fidelium. Synodus autem prouincialis ſub Stephano huius nominis ſeptimo, per errorem omnes ordinationes factas à Bonoſo irritas eſſe decreuit, quod in ſynodo Romana ſub Ioanne nono iure reprobatum eſt. Sed iudicium rerum geſtarum erat, non religionibus, fideique decretum. Huiuſmodi ſunt ea, quæ in Clement. Paſtoralis, de ſent. & re. iudic. tranſiguntur. Non enim ad fidem, & religionem attinent. Quocirca, licet errasset Clemens, quod Bucerus contendit, nihil indè Concilij auctoritas labefactaretur. Tametſi Clementina illa Clementis eſt, non Concilij. Verùm Pontificum, & Conciliorum eadem cauſa eſt. Sixtus quartus docuit, Diuam Catherinam Senenſem ſtigmata non habuiſſe, non deſuit qui contrà iudicarit. Neutrius Pontificis iudicium ad Chriſti Eccleſiam ſpectat, vtrumque, aut probare, aut improbare ſine fidei diſcrimine poſſumus. Sed valeant ſtulti, qui de rebus nihili digladiantur. Nos enim hic exempla ponimus, vt lector intelligat, aliter auctores ſacros eſſe habendos, aliter Conciliorum patres. Illos vbique vera dicere: hos poſſe in paruis errare: Ita, quod Chriſtus Eccleſiæ ſuæ pollicitus eſt, ſpiritum eam docturum omnem veritatem, hoc ad fidei veritatem referendum eſt, vt disertè Auguſtinus

do-

docet, & in commentatijs ſuper Ioannem, & in actis contrà Felicem libro ſecundo. Nec enim rogauit Chriſtus, ne deficeret Petro, aut Philoſophiæ, aut rerum geſtarum cognitio, & veritas, ſed ne deficeret ei fides.

Forſitan quiſpiam dixerit, Nonne igitur Concilij Hieroſolymitani decreta Sacra Scriptura ſunt? Facta eſt enim magna conquiſitio: dictum eſt autem, Scripturæ Sacræ auctoribus minimè conuenire, vt diſquirant, & humanitùs ratiocinentur.

Item, nam & hoc dicet aliquis, Si ſummus Pontifex, & Concilia, niſi diligentiam adhibeant: errare poſſunt: cùm nobis non conſtet, an ſummus Pontifex, patreſque Concilij præſtiterint ſe diligentes, & induſtrios, vt via, & ratione procederet inquiſitio, ne conſtabit quidem an errauerint. Ita quęcunque definierint, erunt incerta.

Ac primus quidem ſcrupulus faciliùs eximitur. Quemadmodùm enim verba Pilati ad canonem pertinent, non quà Pilatus dixit, ſed quà ſcripſit Euangeliſta: ſic & concilij Hieroſolymitani definitio ſacra ſcriptura eſt, quòd Lucas eam reliquis hiſtoriæ, ſiue partibus contexuerit. Vt è contrario verba Petri, quæ refert Clemens, non ſunt de canone, quoniam Clemens ſcriptor ſacer non fuit. Quæ cauſa idonea eſt, vt canones Apoſtolorum, quos idem Clemens ſcripſiſſe fertur, in libris canonicis non habeantur: tamen Damaſcenus lib.4.cap.18. in catalogum, vt videtur, ſacrorum librorum referat, & Epiphanius hæreſi poſtrema reſellenda, Apoſtolorum conſtitutiones diuinam Scripturam vocet. Loquitur autem ſine dubio de his conſtitutionibus, quæ in ſacris Biblijs ſcriptæ non ſunt. Sed alia eſt illa, cùm veritas ipſa limatur in diſputatione, ſubtilitas: alia cum obiter, & in tranſcurſu ad vulgarem quandam opinionem accommodatur oratio. Quamobrem vt ſapientes, ita nos hoc loco verbis Eccleſiaſticis vtimur, vt eos ſolùm, qui Spiritu dictante ſcripti ſunt libri, ſacros, & canonicos appellemus.

Alter verò ſcrupulus ita Sylueſtri animo reſidet, vt vix eum indè pellere potuerit. Meliuſque fuiſſet occulere, quàm ſtimulare cæteros, quo ipſe ſcrupulo pungebatur. Ac ſunt etiam, qui non obſcurè dicant, quòd ſi quando Romanus Pontifex in definitione fidei errauit, indè euenire potuit, quòd non tantam, quantam debebat, adhibuit diligentiam, antequam ſententiam proferret. Quoniam vel rem non plenè examinauit, vel non eos, quos oportebat, conſuluit. Quib. ſi obijcias, apoſtolicam ſedem errare in fide non poſſe: fatentur id quidem, ſed aiunt, ſedis apoſtolicę nomen non ſolùm ſummum Pontificem ſignificare, ſed ipſum, vt facit ea, quæ ad cathedram ſpectant: hoc eſt, quatenùs non ex ſuo, ſed ex concilio bonorum virorum, & doctorum procedit. Ita ſedis apoſtolicæ iudicia intelligi, non quæ occultè, malitioſè, inconſultè, per ſolum Roma. Epiſcopum, aut etiam cum paucis ſibi fauentib. proferuntur: ſed quæ ab eo ex conſilio plurimorum virorum ſapientum plenè priùs re examinata prodeunt. Quæ res vt de Concilijs quoque dicatur, ſubſunt omninò cauſæ eædem, quas dixi paulò antè. Non enim exiſtimare debemus, ſummum ſolum Pontificem, cùm dormierit, errare: cùm non dormierit, verum dicere: patres autem, ſiue dormiant, ſiuè vigilent, ſemper recta ingredi, & clauſis, quod aiunt, oculis, vel in tenebris obſcura cernere. Commune eſt, crede mihi, omnibus Eccleſiæ iudicibus: vt, ſi decreta ediderint temeritate quadam ſine iudicio, repentino quaſi vento incitati, nihil omninò conficiant, quod ſolidum, quod graue, quod certum habetur. Ea, pat eſt, & grauia, & certa in Eccleſia haberi, quæ iudicio, conſideratè, conſtanterque edita ſint. Quamobrem qui ſiue pontificum, ſeu Conciliorum diligentia fidei cauſa ſuienda in dubium vocaut, eos neceſſe eſt omnia pontificum iudicia, ad Conciliorum infirmare. Nos igitur ſcrupulum illum poſteriorem, ſi cui infixus eſt, aliter ex animo euellemus. Nam Deus ſuauiter diſponit omnia, ſimulque proſpicit, & finem, & media ad fidem neceſſaria. Si enim promittet eniquam æternam vitam, mox conferret etiam ille bonarum gratiam actionum, quibus eam vitam conſequeretur. Videlicet quos glorificauit, eoſdem & iuſtificauit, & vocauit, vt ad Romanos 8. capite dicitur. Sic omninò, cùm Eccleſiæ fidei firmitatem fuerit pollicitus, deeſſe non poteſt, quo minùs tribuat Eccleſiæ preces, cæteraque præſidia, quibus hæc firmitas conſeruatur. Nec verò dubitari poteſt, quod in rebus naturalibus contingit, idem in ſupernaturalibus quoque vſu venire: vt qui dat finem; det conſequentia ad finem. Quod quoniam Philoſophorum pronunciatum eſt, & Theologorum etiam ore teritur, permittant mihi obſecro Latiniores, interdùm cum noſtris noſtra loqui. Nam etſi ornatiùs, quàm hi ſolent, nos plerunque diſſerimus, ſed nonnunquam quas ſententias à ſcholaſticis accepimus, eiſdem verbis efferre volumus: ne dicendi forma penitùs immutata, diſceſſiſſe à ſchola videamur.

Itaque præſtat ſemper Pontifex, quod in ſe eſt, præſtatque Concilium, cùm de fide pronunciant: caditque cauſa, ſi quis è noſtris aliter exiſtimat. Quemadmodùm enim, ſi Chriſtus Petro diceret, Ego rogaui pro te, ne deficiat charitas tua; certò certiùs intelligeretur diligentiam, curam, vigilias, preces, cæteraque auxilia opportuna illi impetraſſe, quæ ſunt ad charitatis conſeruationem neceſſaria: ita cùm dixit; Ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua, proculdubio intelligimus, id à patre ſuo conſecutum, vt quæ ad rectum de fidei quæſtione iudicium oporterent, ea adeſſent Petro omnia, ſiue à Deo, ſiue ab homine expectarentur. Quòd ſi Deus in ſequentem annum frugum abundantiam polliceretur, ecquid ſtultiùs eſſe poſſet, quàm dubitare, an ne homines ſemina terræ mandaturi ſint? Certè ſi ſeruerint, metent: ſi non ſeuerint, non metent. Sed ex Dei Pollicitatione colligimus, nō ſolùm proprias cæli conuerſiones, quibus omnia, quæ terra gignit, vberiora proueniunt, ſed agricolarum etiam curas, operas, diligentiam. Non enim frugum abundantia illa promiſſa, niſi arantibus, ſeminantibus, laborantibuſque continget. Quibus ex rebus facilè compræhenditur, cum Spiritum veritatis Chriſtus Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus in fidei iudicio promiſerit,

ſerit, nihil omninò illis drſuturum, quod fidei controuerſiijs finiendis fuerit neceſſarium. Ac ſi ſimel hæreticis hanc licentiam permittimus, vt in quæſtionem vocent, num Eccleſiæ iudices eam diligentiam & curam exhibuerint, quæ opus erat, vt quæſtio via, & ratione finiretur: ecquis adrò cæcus eſt, qui non videat, omnia mox Pontificum, conciliorumque iudicia labeſactari? Porrò ſi illud in quæſtionem veniat, nec certis argumentis confirmari poſſit: at hæc res tamen Theologis conſtituta ſit, ac definita, Concilia, quoquo modo ſe habent, ſi à ſummo Pontifice confirmata ſunt, errare in fide non poſſe, Quamquam, me quidem iudice, abſurdum eſt, ad finem aliquem, niſi perconſentanea media peruenire. Ita numquam ego admittam, aut Pontificem, aut Concilium diligentiam aliquam neceſſariam quæſtionibus fidei decernendis omiſiſſe.

Id quod priuato cuicumque alteri homini accidere poteſt, vt nec diligentem nauet operam ad diſquirendam veritatem, & vt nauauerit, integrumque ſeſe in ea re præſtiterit, erret adhuc tamen, quamuis error ſine culpa ſit. Error autem, vel inculpatus, ab Eccleſia Dei longiſſimè abeſt, quemadmodùm libro ſuperiore conſtituimus. Quæ res abundè magno argumento eſt, vt nec Pontifex, nec Concilia neceſſarium quicquam in deliberando prætermiſerint. Fac enim quidpiam ex neceſſarijs omiſſum eſſe. Tum rogo, an fideles his, qui de fidei quæſtione iudicarunt, tantiſper parere debeant, dum illorum negligentia innoteſcit Eccleſiæ. Parere debent, aiunt. Iam igitur eo tempore, errantibus iudicibus, errabit Eccleſia. Sine vitio ſuo, inquis, Eccleſia tunc errabit. Agnoſco. Sed, vt dictum eſt, ne hunc quidem errorem admittere in Dei Eccleſia debemus. Quid, quòd ſi ſemel de diligentia iudicum dubitamus, nouum examen, iudiciumque ſemper recens poſtulabitur, vt de diligentia adhibita, vel non adhibita cenſeatur. Concedamus ergo iudicibus à Deo in Eccleſia conſtitutis nihil eorum deeſſe poſſe, quæ ad rectum, verumque iudicium ſunt neceſſaria. Quibus explicatis, facilè intelligitur, vt ad tertiæ huius quæſtionis caput recurramus, nec Pontificum, nec Conciliorum decreta, ſacræ ſcripturæ partes eſſe: id quod in primo argumento obijciebatur.

Dicamus igitur ad ea, quæ in ſecundo argumento ſunt dicta. Vbi Gratianus Auguſtini ſententiam non eſt aſſecutus. Cui errori cauſam fortaſſe præbuit codex quiſpiam deprauatus. Auguſtini enim vera lectio ſic habet, in canonicis ſcripturis Eccleſiarum catholicarum quamplurimùm auctoritatem ſequatur. Inter quas, ſcilicet Eccleſias, ſanè illæ ſunt, quæ Apoſtolicas Sedes habere, aut epiſtolas accipere meruerunt. Eſt autem ſenſus huiuſmodi, in iudicio librorum canonicorum primùm videndum eſſe, quid Eccleſię catholicæ ſentiant. Sed inter catholicas Eccleſias illorum eſſe teſtimonium præferendum, quæ vel fuere Sedes Apoſtolorum, vt Hieroſolymitana, vel ab Apoſtolis aliquam epiſtolam acceperunt, vt Corinthia, Galatia. Non itaque Auguſtinus loquebatur de epiſtolis Pontificum decretalibus, vt Gratianus falsò exiſtimauit. Id quod ante nos quidam etiam alij viri diligentiſſimi deprehenderunt.

Tertio verò argumento occurri poteſt in hunc modum: Leges pontificias quandoque ſacras appellari, vt à legibus principum diſcriminentur. Atque hoc ſenſu ſacram Scripturam vocauit Innocentius. Sic forſitan diuina lex vocatur canonica, humana verò ciuilis, de iuram. calum. cap. 1. vt Hoſtien. Andreas, Siculus, Cardinalis Barba, & alij iuriſperiti notauerunt, & Gloſſa cap. Ex diligenti de Simonia. Atque adeò Innocentius 4. cap. Cùm de diuerſis, de priuil. in 6. non obſcurè ius canonicum diuinum vocat, ciuile autem humanum. Et legem canonicam, ſacram, ac diuinam appellat Iuſtinianus in authen. vt clerici apud proprios Epiſcopos. §. Si verò. Quam rem ſciolus fortaſsè quiſpiam ignorans 20. dict. cap. De quibus, vbi lectio vera habebat. Ad diuina recurrite ſcripta canonica, loco huius poſtremæ vocis ſubſtituit Græca. Nihil enim minùs Innocentius eo capite agebat, quàm in Eccleſiaſticis cauſis iudicandis, ad Græca Bibliorum exemplaria iudices mittere.

Alioqui cur non etiam ad Hebræa? Nec veroſimile eſt, in cauſis Eccleſiæ decernendis ſcripta canonica eſſe ab Innocentio prætermiſſa. Quin poſt diuinam ſcripturam in ſecundo ea loco poſuit etiam ante ſanctorum ſcripturas. Et hoc erat Gratiani in ea diſtin. proprium inſtitutum. Nihil igitur nobis mirum eſt, ſi ſcriptura canonum, ſacra, & diuina quandoque nuncupetur. Sed nos alio ſenſu de ſcriptura ſacra loquimur. Quamquam ab Innocentio teſtimonium citatum quidem Auguſtini eſt, de verbis Apoſtoli, inquientis: Iniuria eſt pro martyre orare, cuius debemus precibus commendari.

At poſtremum argumentum ſic facilimè refutatur. Duplex concluſionum genus poſſe in Concilio definiri. Vnum earum, quæ ſunt propriæ Theologicæ facultatis, quoniam vel ex duobus principijs per fidem creditis, vel alio credito, alio lumine naturæ cognito colliguntur. Alterum autem genus eſt earum, quas Spiritus ſanctus ipſe reuelauit quidem Apoſtolis, Euangeliſtis, aut Prophetis, ſed quoniam non erat id perindè manifeſtum, à Synodo declaratur. Quæ ſunt prioris generis, ad fidem ſpectant ſecundariò, &, vt ita dicam, mediatè. Quare, quod ſuo poſtea loco fusè ſumus explicaturi, qui eas negauerit, hic hæreticus erit, quòd ex conſequenti negat principium, vndè illæ conficiuntur. Quæ verò ſunt poſterioris generis, propriè, & per ſe ad fidem pertinent: nec has à Pontificibus, aut Concilijs nouas expectare debemus.

Id enim etiam, atque etiam aſſerimus, nullas alias Scripturas ſacras Eccleſiam, aut habere nunc, aut deinceps habituram, præter ſcripturas populorũ, & principum horum, qui fuerunt in ea. Non ſunt, aut erunt, ſed fuerunt. Omnia ſiquidem, quæ pater filio ſuo vnigenito Eccleſiæ declaranda commiſit, primùm ipſe filius Apoſtolis reuelauit, deindè eadem, vt inuulgarent, iuſſit. Vos, inquit, dixi amicos, quia omnia, quæ audiui à patre meo, nota feci vobis, Ioan. 15. Et rurſùm, Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis, Ioan. 14. Et

iterum,

iterum, Cùm venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, Ioan. 16.

Hi enim fuere noui Teſtamenti miniſtri, qui reuelata facie gloriam Domini ſpeculati ſunt, 2. ad Corinth. 3. Hi fuere miniſtri ſermonis, vt Lucas capite Euangelij primo teſtatur. His quoque dictum eſt, Docete omnes gentes ſeruare, quæcumque præcepi vobis, Matthæi vltimo. Omnem ergo fidei veritatem, vel à Chriſto dum in terra degeret, vel à Spiritu ſancto Apoſtoli poſteà acceperunt, eamque iuxta præſcriptam legem, aut verbo Eccleſiæ tradiderunt. Hinc enim eſt, quod Irenæus, Hieronymus, Auguſtinus, aduersùm hæreticos ſemper id agunt, vt videant, an illorum noua dogmata congruant cum antiqua traditione, & fide. Et ſi quas ſcripturas nouas hæretici proferant, ſi ſe Apoſtolos, aut Prophetas confingant, ſtatim nouitatis odio exploduntur. Itaque poſt Apoſtolos, & eos, qui ab Apoſtolis probati ſunt, nullos auctores ſacros expectamus. Sed ſiuè Summus Pontifex, ſeù Concilia, primùm de vero ſenſu, & interpretatione ſcripturarum iudicant, vt in Concilio Tridentino, ſeſſione tertia definitur. Et abſurdum eſt ſanè, vt Eccleſia auctoritatem habeat diſcernendi verba Dei à verbis hominum: ſenſum Dei ab humano ſenſu non habeat. Id igitur ante omnia Concilijs tribuamus. Deindè, & illud, quòd veras, & legitimas Chriſti, & Apoſtolorum traditiones via, & ratione inueſtigant. Rurſùm, quænam conclusiones his cohæreant, quæ contrà diſſideant, certa complectione, & connexione conficiunt.

Conſulunt autem in huiuſmodi rebus finiendis non ſacras literas modò, verùm etiam Apoſtolorum inſtituta, priora concilia, ſummorum Pontificum decreta, Sanctorum veterum ſcripta, ſcholaſticorum Theologorum dogmata, rectam Philoſophiæ rationem. Breuiter, cauſam, de qua diſſeritur, in eos locos conijciunt, de quibus liber hic noſter inſtituitur. Nec enim ex alijs fontibus argumenta deriuare poſſunt ad fidei, Theologiæuè ſoluendas quæſtiones. Nouas autem reuelationes, & Scripturas ſacras quærere, Iudæorum eſt, qui recentes etiamnum Prophetas præſtolantur.

Alia etiam quęſtio valdè difficilis ex his, quæ diximus, oritur. Si non omnia in Concilijs certa ſunt, nec enim in ſingulis Spiritus ſanctus Concilijs aſſiſtit, ecqua via, & ratione veſtigabimus Conciliorum certa in fide decreta? Principiò namque in Clemen. vnica de ſumma Trinitate, & fide cath. ea opinio tamquam probabilior eligitur, quæ habet, in baptiſmo gratiam, & virtutes infundi. Pari ergo cauſa, & in alijs Conciliorum decretis dicere poſſumus probabiles opiniones eligi, non res exploratas definiri.

Deindè in cap. Firmiter, de ſumma Trinitate, & ſide catholica patres Concilij Lateranenſis, Firmiter, inquiunt, credimus, & ſimpliciter confitemur, quòd vnus eſt ſolus verus Deus, creator omnium, viſibilium, & inuiſibilium, ſpiritualium, & corporalium, qui ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam. At non eſt fidei aduerſum, Angelos ante mundum corporeum creatos. Id enim aſſerunt Gregorius Nazianzenus in prima oratione de natali Domini, Baſilius in exam. congreſſione prima, Damaſcenus 2. lib. c. 3. Ambroſ. in exam. lib. 1. cap. 5. Hieronymus in comment. ſuper 1. caput epiſtolæ ad Titum, Caſſianus collat. 8. cap. 7. Vndè, nec Auguſt. libro de ciuit. Dei 11. cap. 32. nec D. Thomas 1. par. quæſt. 61. art. 3. hanc opinionem fidei eſſe contrariam putauerunt. Ac Concilium illud Lateranen. Thomas viderat, imò in illud ipſum caput ediderat commentaria: non ergo Conciliorum, aut definitiones, aut fidei confeſſiones certæ ſunt, ſed patres, etiam cùm aſſerunt ſe firmiter quicquam, & profiteri, & credere, nihil omninò definiunt, quod fideles ſequi teneamur.

Huic quæſtioni illud primum dandum eſt, non ſat eſſe, vt Conciliorum, & Pontificum iudicia firma eſſe credantur, in diuino officio publicè à tota etiam Eccleſia celebrare. Nec enim hyſtoriæ, quibus martyrum, & confeſſorum geſta narrantur, quamuis per Summum Pontificem, aut Concilium approbatæ ſint, fidei decreta ſunt: ſicut ne opuſcula quidem doctorum Eccleſiaſticorum, quæ probantur à Synodo Gelaſij Papæ 15. diſtin. cap. Sancta Romana.

Illud item damus, ac libenter quidem, non ſtatim, ſi quicquam iuris Canonici volumine continetur, fidei dogma eſſe credendum. Nam vt libro huic proximo apertiùs oſtendemus, nonnulla habentur in epiſtolis decretalibus, quæ fidei catholicæ decreta non ſunt. Idque ipſum nunc ex Clementina vnica de ſumma Trinitate diſertè oſtendebamus. Quod non in hac ſolùm Clementina exiſtimandum eſt interueniſſe, ſed idcircò hic admoneti nos, vt in alijs quoque locis ſimile quippiam credamus poſſe contingere. Id verò, tùm maximè, cùm aut verbis opinandi vtuntur iudices, aut reſponſa non ad totam vniuerſalem Eccleſiam, ſed ad priuatas Eccleſias, & Epiſcopos referuntur. Intelligendi ſunt enim eo tantùm caſu de fide pronunciare, vbi iudicium in omnes Chriſti fideles ſpectat, omnes ligat. Certitudo quippè fidei iudicibus à Deo conſtitutis, non propter Eccleſias priuatas promiſſa, & conceſſa eſt, quę ſingulæ errare poſſunt, ſed propter Eccleſiam vniuerſalem, quæ errare non poteſt.

Itaque Summorum Pontificum, conciliorumque doctrina, ſi toti Eccleſiæ proponatur, ſi cum obligatione etiam credendi proponatur, tum verò de fidei cauſa iudicium eſt. Sed animaduertendum eſt diligentiùs, & quæ natura rerum ſit, de quibus iudicium eſt, & quæ verborum proprietas, & pondus.

Nimirùm enim Eccleſiaſticæ doctrinæ, quam amplecti etiam tenemur, non idem eſt gradus, nec omnia iudiciorum decreta eodem loco habenda ſunt. De qua re, quoniam in duodecimo libro ſumus longè, latèque diſputaturi, nunc dicere non eſt operæprecium.

Id dicimus, nec omnia, quæ, aut iuris, aut conciliorum volumina continent doctrinæ Chriſtianæ eſſe iudicia, nec omnia rurſum doctrinæ iudicia, fidei cenſuras eſſe. Multa ſiquidem ad ſanam Eccleſiæ diſciplinam attinent, quæ fidei decreta non ſunt.

Nonnè

Nonnè igitue, dixerit quis, erit aliqua nota, qna Conciliorum de fide iudicia internoſci qneant? Erit planè.

Prima, & ea quidem manifeſta, ſi contrarium aſſerentes pro hæreticis iudicentur. cnius rei exempla habes cap. Damnamus, de ſumma Tcinitate, & cap. Vnieo de ſumma Trinitate, in 6. & Clement. vnic. de ſumma Tcinitate §.2.

Altera nota eſt, eum in hanc focmam Synodus decreta præſeribit, ſi quis, hoc aut illud ſenſerit; Auathema ſit: qualia permulta ſunt in Concilio Toletano ptimo,& in Synod. Trident.

Tertia eſt, ſi in eos, qui contrà dixerint, excommunicationis ſententia ipſo iurc feratut. Exemplum eſt, de hæreticis, cap. Cùm Chriſtus, &e. Ad abolendam. In Concilio tamen Trident. ſeſsion. habita 18. Octobris, Anni 1551. de Euchariſtiæ Saeramento definitum eſt; confeſſionem Saetamentalem Euchariſtiæ præmittendam eſſe, ſi conſeientia peccati mottalis grauar. Er ptotinùs, ſi qnis, ait Synodns, eontrariam doeere, prædieare; vel pertinaciter aſſerete, ſeu etiam publicè diſputando defendete præſumpſerit, eo ipſo excommunreatus exiſtat.

Sed hoc propter periculum cautum eſt, erat enim opinio contraria pernicioſa. Ideòqne excommunicario illa ad publicam doctrinam, vel maximè refertut.

Nam, quòd ſententia Caietani non fuerit pro hæretica condemnata, & nos teſtes ſumus, qni Coneilio interfuimus, & contextus ipſe demonſtrar. Haber cnim Canon. 11. idemque poſtremns in hune modnm: Si quis dixerit, ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum ſanctiſſimæ Encharistiæ Sacramentum; Anathema ſit. E veſtigiò autem adduntur mutata dieendi forma hæc verba. Et ne tantnm Sactamentum, &e. Vbi vides Caierani ſententiæ Anathema non dici, ſed quoniam non ſolùm falſa, ſed noxia etiam etae, reprobari, & ptopter periculum publicam pcæſertim prædicationem, & diſputationem interdici.

Quarta, ſi quicquam expreſsè, & ptoptiè à fidelibus firmiter ctedendnm, ant tamquam dogma fidei Catholicæ accipiendnm dieatur, vel alijs ſimilibns verbis aliquid eſſe Enangtlio, doctrinæue Apoſtolotum contrarium. Dieatut, iniquam, non ex opinione, ſcd eerto; & firmo deereto. Licèe enim opinio Durandi reprobetur, eap. Gaudemus, de diuortijs.

Sed qui dixit; Vetùm abſonum hoc videtur, & inimicum fidei Chtiſtianæ, is noluit hæreſeos illum condemnare. Verbnm enim: Videtur, iudiciorum infirmat eertiendinem. Porrò autem, quæ in Conciliorum, vel Poncifieum deeretis, vel explicandi gratia inducuntur, vel vt obiectioni reſpondeatur, vel etiam obiter, & in tranſcurſu prætet inſtitutum ptæcipuum, de qno erat poriſſimùm controuerſia, ea nou pertinent ad fidem, hoc eſt, non ſunt Catholicæ fidei iudicia. Exempli cauſa, ponamus aliquid, quod poſitum in vna re, transferri per mnltas poſſit. Quod in capire; firmiter, de ſumma Trinitate dicitur, angelos eſſe incorporeos, id non fidei decretum eſt, cùm poſt decretalem illam nonnulli, & philoſophi, & Theologi falsò qnidem, ſed citrà hæreſeos notam, contrarium aſſeruerint.

At enim, vt explicaret Synodus id, quod fides Catholica renet, Deum eſſe creatorem omnium viſibilium, & innſibilium, adiecir, corporalium, & incorporalium. Quas particulas expouendi, nou definiendi graria adiectas eſſe conſtat. Ac quemadmodum Concilium ſumpſie id, quod & verum, & longè, longèque plurimnm probabile erat, angelos, vt inuiſibiles, ità quoque incorpoceos eſſe: ſic fortè, & illud accepit. Angelos, & Mundum ſimul eſſe eongeniros.

Non enim eo temporis hoc agebatur, vt Gregorij Nazianzen. & aliorum hune ſequentium opinio damnarctur. Nec ego tamen is ſum, qui opinationem hanc rueri in præſentia velim. Nou enim dubito, eam hoc ſanè tempore temerè, & inconſiderarè, ne quid pretetea dicam, defendi.

Sed id ago, qua iu re opetæ pretium me Theologis facturum exiſtimo, non omnia, quæ eriam abſolntè, & ſimpliciter in Concilijs affirmantut, fidei decrera eſſe. Cuius rei exempla, ſi opus eſſet, permulta facilè prometem, ſed nolo eſſe longus iu ſingulis axplieandis. Nam de quarta quæſtione ſatis.

Poſtrema verò quæſtio animum pulſat; An Coneilia in moribus errare poſſint. Nam ſi quis, ait, habet in primis argumentum illud, qnòd Dominus ſolùm rogauit pro Perro ne defieeret fides eius, in alijs crgo, quæ non ad fidem, ſed ad mores attinent, errare Eccleſia poterit.

Deindè nihil à Catholieis certa fide ereditur, quod non ſit idem diuinitùs Eccleſiæ reuelatum, quicquid crgo definiat Synodus, ſi non ad fidem, ſcd ad mores attiuet, non oporter eerta fide credi.

Præterea in Cauonizatione Sanctornm, ſic enim noſtri vocant, fidem Eccleſiæ detrahete ſine fidei diſcrimine poſſumus. Compertum eſt autem, eam tem ad mores ſpectare; crrare igitur Eccleſia in morum iudicio poteſt.

Illnd verò Thomæ, & Antonini teſtimonio eomprobatnr, qui non aiunt certò, & firmiter, ſed piè eredendnm eſſe, Eccleſiam in re huiuſmodi non errare. Nam, quòd abſolutè poſſit, illa ratio confitmat, quòd in id genus iudicijs Eccleſia, hominum eorum teſtimonijs inniritut, qui & fallere, & falli poſſunt. Iam ſi Coneilium, cum de Theologiæ dogmate cenſet, non certis, & exploratis atgumentis, ſed ptobabilibus niteretnr, fidem certè dogmatis illius indubitatã non faeeret. Fides crgo ambigua Summo Pontifiei habebitur, vt qui cum hominem qnemuis in diuorum numerum tefert, incertis medijs, & argumentis nititut. Ordinnm approbatio tandem, in quibus ſub diuerſis inſtitutis, & regulis vatia hominum genera Chriſto militare dicuntut, ad mores haud dubiè pertinet. At dubium non eſt, aliquos ordines non modò inutiliter, verùm noxiè etiam amprobatos, Etenim in tam multis, & ordinibus, & inſtitutis, vſque adeò religioni incommodatum eſt, vt intet teliqua malorum remedia, hoc etiam à Synodo generali iure, ae meritò ex-

pectarent viri pij, vt paucis quibuſdam ſeleċtiſſimis retentis ordinibus, cæteri omnes exploderentur.

Falſum eſt ergo aliquando, & imprudens de moribus Eccleſiæ iudicium. Siquidem id quandoque approbat, quod non approbaſſe oportuiſſet. His argumentis quidam auctoritatem Eccleſiaſticam infirmare pergunt, tantùm in iudicio morum, nam in fidei decretis firmam eſſe nobiſcum etiam conſentiunt.

Sed quoniam quædam Eccleſiæ de moribus iudicia ſine dubio certa ſunt, quæ ſunt illa, repetendum altiùs videtur.

Omnis de rebus Theologicis duplex eſt quæſtio. Vnum genus eſt, quod ad contemplationem, & rerum cognitionem pertinet; alterum, quod poſitum eſt in morum præceptis, quibus in omnes partes vſus vitæ confirmari poſſit.

Atque etiam alia diuiſio eſt Theologicæ quæſtionis. Nam & vna eſt, cuius cognitio, & explicatio ad ſalutem eſt neceſſaria; eſt & altera, cuius ignoratio ſine pietatis, ſalutiſque iactura eſſe poteſt. Non enim in Theologia ſemper de neceſſarijs agitur, ſed interdùm etiam de his, quæ vtilia eſſe videantur, quamuis non ſint adeò neceſſaria.

Multa ſunt autem, & in ſuperioribus libris, & in hoc etiam aduerſum eos diſputata, qui de Eccleſiæ auctoritate in fidei iudicijs parum rectè ſentirent: atque in ſequenti libro nonnulla quoque diſputabuntur. Eccleſiæ verò auctoritatem eam nunc appello, quæ Synodorum etiam generalium, ac Summi Pontificis eſt.

Hæc enim eſt vna res prorsùs; vt non differat multùm inter Eccleſiæ, Conciliorum, Sediſque Apoſtolicæ iudicia; propterea quòd connexa hæc, & colligata ſunt, quemadmodùm eſſe videmus humanum corpus, & caput.

Itàque, quæ erant Eccleſiaſticæ auctoritatis in fidei decretis propria, locis ſuis, aut dicentur, aut dicta ſunt. Quæ autem pertinent ad iudicium morum, de quibus iam diù loquimur, nunc dicenda ſunt.

Sit igitur prima concluſio. Eccleſia in morum doctrina eorum, qui ad ſalutem neceſſarij ſunt, errare non poteſt. Exempli cauſa, ponatur aliquid, quod pateat latiùs. An fideles laicos Euchariſtiæ Sacramentum ſub vtraque ſpecie accipere oporteat, an panis potiùs ſpecies ſola ſatis, quæſtio eſt earum rerum, ſine quibus ſalus eſſe non poteſt. In hac ergo, & alijs id genus controuerſijs, Eccleſiæ decretum certum eſt.

Itàque ſi quid neceſſariò, vel agendum, vel vitandum firmo iudicio definit, in hoc errare nequit, ſicut ne in fide quidem. Deus enim non deficit in neceſſarijs, vt ſæpè antè dictum eſt, in doctrina ergo morum, eorum, qui ſunt ad ſalutem neceſſarij, Iudices, & Doctores Eccleſiæ à Deo dati errare nonqueunt. Confirmat autem illud, vel maximè quòd Dominus Petro, inquit; [Paſce oues meas,] & Paulus, dediſſe Deum Paſtores, & Doctores, ait, ad conſummationem ſanctorum, vt non circumferamur omni vento doctrinæ. At ſi errarent in moribus eiuſmodi, non paſcerent ſalubriter oues. Non enim moralis doctrina minùs exigitur ad paſtum ouium Chriſti ſalutarem, quàm fidei diſciplina. In his igitur Eccleſiæ Paſtores errare non poſſunt.

Addè, quòd Dominus apud Ioannem pollicitus eſt, Spiritum docturum Eccleſiam omnem veritatem, ſcilicèt ad vitam æternam conſequendam neceſſariam. At vtraque veritas neceſſaria eſt, & quæ ad contemplationem pertinet, & quæ ad actionem, in vtraque ergo definienda ſpiritus docet Eccleſiam.

Præterea, Apoſtolus in priore ad Timotheum epiſtola cap. 3. Hæc inquit, ſcribo tibi, vt ſcias, quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis.

Ea autem, quæ ibi ſcribebat Paulus, ad morum veritatem magna ex parte ſpectare perſpicuum eſt. Eſt ergo Eccleſia firmamentum non eius veritatis ſolùm, quæ in contemplatione cernitur, ſed illius etiam, quæ aliquid molitur, vt faciat. Nimirùm, vt ſciamus, quomodo oporteat nos in domo Dei conuerſari.

Præterea, ſi Eccleſiæ Paſtores, in Concilium præſertim congregati, leges, & præcepta vitæ ſiniſtrè interpretarentur, vt videlicet, quæ eſſent ad ſalutem neceſſaria, ea non neceſſaria dicerent, aut quæ contrà, minimè eſſent neceſſaria, hæc eſſe neceſſaria definirent: cum Chriſtus dixerit, ſuper Cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, & Phariſæi, quæcumque dixerint vobis facite, & rursùm: Qui vos audit, me audit; Eccleſia certè Paſtores errantes ſequens iuxta quod illi præſcriptum eſt, huius erroris Chriſtum præcipuum haberet auctorem.

Ad hæc, ſi lex Euangelica manca, & imminuta non fuit, vt reuera non fuit, eos omninò mores præfiniuit, qui eſſent ad ſalutem neceſſarij. Imperfectus enim legiſlator eſt, niſi ea præſcribat, ſine quibus reipub. finis conſtare non poteſt. At Spiritus veritatis Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus ſuggerit, quæcumque Chriſtus dixit nobis: in præceptis ergo vitæ neceſſarijs errare illi non poſſunt.

Item Matthæi 16. [Tibi, inquit, Dominus Petro, dabo claues Regni Cœlorum,] Regnum autem Cœlorum vtraque ignoratione clauditur, & fidei, & morum; Eccleſia ergo vtraſque quæſtiones aperire Chriſto auctore poteſt, vtroſque nodos ſoluere, ſiue ad fidem, ſiue ad mores attineant. Huc enim illud accedere credendum eſt. [Quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta, & in Cœlis. At, inquis, intelligitur claue non errante. Benè volo.

Sed aliud eſt de priuatis Paſtorum iudicijs differere, quæ negligere etiam aliquando poſſumus, aliud de Eccleſiæ communibus, quæ perindè, vt Eccleſiæ decreta habemus amplecti.

Et quidem cùm Pontifex, quicumque ille ſit tandem, quicquam priuatim agit, ſoluitque, aut ligat, errare per ignorantiam, aut etiam malitiam poteſt, & abuti clauium poteſtate.

At cùm publica ſunt totius Eccleſiæ iudicia, eaque in rebus ad ſalutem neceſſarijs, Eccleſiæ totius communes iudices, quales ſunt

Con-

Concilij Patrés, errare nequeunt, ne pee huiuſmodi errorem Chriſtiana tota plebs in ignoratione veritatis ad vitam inſtituendam neceſſeriæ verſetur.

Prętereà, Concilinm Conſtantienſe ſeſs.13. condemnat, vt hæteticos eos, qni dixerint, Eccleſiam errare in conſuetudine adminiſtrandi populo Euchariſtiam ſub vna ſpecie rantùm.

Ea Martinus V. in literis, quibus Concilium approbauit, qni hoc Eccleſiæ inſtitutum damnant, eos definit tamquam hęreticos, vel ſapientes hęreſim, coercendos: Eccleſia igitur in motum huiuſmodi iudicij non errae, arque couſequenti ne Concilia quidem Summi Pontificis auctoritate fitmata.

Huius verò concluſionis, & altera conſectaria eſſe videtue, Eccleſiam, cùm in re graui quidem, & quæ ad Chriſtianos mores formandos apprimè conducat, leges toti populo dicit, non poſſe iubere quicquam, quod aut Euangelio, aue rationi naturę contrarium ſit. Non ego hìc omnes Eccleſiæ leges approbo: non vniuerſas pœnas, cenſuras, excommunicationes; ſuſpeuſiones, irregularitates, interdicta, commendo. Scio nonnullas eiuſmodi leges eſſe, iu quibus ſi nen aliud prętereà quicquam, at prudentiam certè, modumque deſideres. Id ergo dico, Summorum Pontificum, Conciliorumque præcepra, ſcita, ſanctiones, omnibus nobis probatum iri, ſi moribus fidelium inſtituendis ſint neceſſaria. Si enim Eccleſiæ conſuetudo, quod modò ex ConcilioConſtantienſi aſſerebamus, Euangelio aduerſari non valet, ergo ne Eccleſiæ quidem lex Euangelio aduerſabitur.

Deindè Eccleſia non poteſt definire quippiam eſſe vitium, quod honeſtum eſt, aut contrà, honeſtum eſſe, quod eſt turpe; ergo nec ſua edita lege probare quicquam, quod Euangelio, rationique inimicum ſie.

Si enim Eccleſia, vel expreſsè iudicio, vel lege lata turpia probaret, aut teprobaret honeſta, hic iam nimirùm error uon ſolùm fidelibus peſtem, ac perniciem afferret, ſed fidei etiam quodammodò aduerſaretut, quæ omnem vittutem probat, vniuerſa vitia condemnae. Accedunt illa: [Quęcumque dixerine vobis, facite, & qui vos audit, me audit.] Quibus pręcipimur Eccleſiæ legibus obtemperare. Ità ſi etat illa, Chriſtus nobis ertoris auctor eſt. Quæ qui videat, non modò indoctè verùm etiam impiè faciat, ſi Eccleſiam in morum doctrina errare contendae, pręſertim ſi mores, & præcepta viuendi ſine ad ſalutem neceſſaria. Quæ autem ratio id de Eccleſia conuincit, eadem conuincit de Concilio, in quo vniuerſalis Eccleſiæ auctoritas teſidet. Quare quemadmodùm Concilium falſa plebi credenda proponere nequit, ſic nec mala poteſt proponere facienda. Proponere, inquam, fitmo cettoque decteto, quo omnes, & ad ctedendum, & ad faciendum, ſub æterna pœna obligentur.

Sed an ſit hæteticum aſſerere, vel aliquam Eccleſiæ conſnetudinem eſſe malam, vel alignam ipſius legem iniuſtam, non auſim definire. Nam licet Concilium Conſtantienſe ſeſs.13. ſtatuerie, eos pro hæteticis condemnandos, qui affirmarint, Eccleſiam errate in mote communicandi plebem ſub vna ſpecie cantùm: at eo tempore ſtatuit, quo ſine capite erat.

Contendit autem Caietanus in opuſ. de auctoritate Pap. & con. & in apolog. cap.20. & 21. Turtecremata irem lib.3. cap.32. & 33. Concilium mutilum ſine capite in decreris fidei ferendis nullam habere certam auctoritatem. Et quamquam id multis quidem argumentis ſuadere nituntur: ſed apud me illud eſt maximum, quòd ſicue Deus non deficit in neceſſarijs, irà non abuudat in ſuperfluis. Cùm ergo ſola anctoritas deponendi Pontificem hæreticum, & aut eligendi, aut decernendi Catholicum ſit Eccleſiæ neceſſaria, in caſibus, quibus Eccleſia Concilium ſiue capite eogere iure ſuo poteſt: nihil cauſæ eſt, cut ampliorem poteſtatem Concilio imperſecto ttibuamus.

Reliqua ſiquidem per integrum Concilium expediri poſſunt, vel electo Pontifice Catholico, qui non erat, vel definito certo, cum inter mulros quiſnam eſſet verus Pourifex, dubiu n erat. Adde quòd, vt ſuprà dictum eſt, Concilij dogmara non ſunr firma, niſi à Romano Pontifice confirmentur. Quando ergo Concilium ſine capite eſt, uon habee dogmatum certitudinem.

Prætereà Martinus V. in literis, quibus Concilium probat, non ſimpliciter probat illum articulum: ſed ſolùm definit eos, qui docuerint, Eccleſiam in conſuetudine einſmodi errare, eſſe vel ve hæreticos, vel vt ſapientes hæreſim condemnandos. Quod ergo Martinus Concilio præſidens non eſt auſus nomine hæreſeos condemnare, id ergo graniore cenſura accuſare non audeo, nec debeo. Quòd ſi in more ad ſalutem neceſſario, qualis ille videtue eſſe, de quo iu Concilio Conſtantienſi etat controuerſia, tanta fuir Martini medeſtia, qnantò nos modeſtiores eſſe oportet in alijs erroribus condemnandis, qni conſuetudini Eccleſiæ minimè ad ſalutem neceſſariæ refragantur? Morem circumgeſtandi ſolemni proceſſione, pee vias publicas, Euchariſtiæ Sacramentum, Lutherani teprobant. Si originem etroris, & principium ſpectes, hæreſis tibi erie. Nam ideò illi morem hunc circumferendi Sacramenti rident, quia veram Chriſti pręſentiam in Sacramento negane. Sed ſi ipſum in ſe errorem contempleris, hæreſim ſapit, temeritas, & imprudentia eſt: (Quamuis enim multis nominibus hic ettot eſt notandus) non tamen eſt hęreſis: cùm etiamſi in hac conſuetudine erraret Eccleſia, non proindè in grauioribus rebus eius periclitaretur auctoritas. Quæ cauſa Concilio Tridentino fuit, vt Canonem ſextum de Euchariſtiæ Sacramento cautè formarit in hæc verba; Si quis dixetit, in ſancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum non eſſe cultu latriæ etiam extetno adorandum, atque ideò, nec feſtiua peculiari celebritato venerandum, nec in proceſſionibus ſecundùm laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem ſolemnitee circumgeſtandum, Anathema ſit. Non enim eos Anathemate ſimpliciter pellit Synodus, qui ritum illum Eccleſiæ reprehenderint, ſed qui idcircò hoc faciunt, quia nec pręſentiam corporalem Chriſti in Euchariſtia admittunt, atque adeò ne ipſius quidem adorationem, & cultum. Atque hæc eadem fortaſſè cauſa Martinum V. im-

impulit, vt qui reprehenderent Eccleſiaſticam illam conſuetudinem impartiendi Euchariſtiam populo ſub vna ſpecie, eos non vt hæreticos, ſed vt ſapientes hæreſim condemnarit. Cum enim ſub vtraque olim ſpecie, plebs Sacramentum Euchariſtiæ acceperit, idque Apoſtolorum auctoritate, & vſu confirmata, non erat hæreticum in dubium vertere, an vetus ille Eccleſiæ mos nouo eſſet præferendus. Sed quoniam Wicleffiſtæ idcircò aſſerebant Eccleſiam errare, quia exiſtimabant neceſſarium eſſe plebi ad ſalutem, vtramque Sacramenti ſpeciem ſumere, huc detorquentes illa Domini verba: Niſi manducaueritis, &c. Prudentiſſimè Martinus V. vituperationem Eccleſiaſtici noui moris, non dixit hæreſim eſſe, ſed hæreſim ſapere. Eſt quoque illud argumentum graue, cur huiuſmodi erroribus hæreſeos nota non inuratur: quod, vt poſteà dicemus, non eſt hæreticum credere Eccleſiam hominibus in Diuos referendis errare poſſe. At iubet Eccleſia interdùm Diuos, quos huiuſmodi honore afficit, peculiari die feſto, & cultu colere: non eſt igitur hæreſis aſtruere, in hac de vno, aut altero Diuo colendo lege, ac conſuetudine Eccleſiam errare. Sed intelligendum eſt, Eccleſiæ mores quoſdam à Chriſto, & Apoſtolis Eccleſiæ traditos, in quibus, qui Eccleſiam errare diceret, hic erroris eius Chriſtum, & Apoſtolos auctores faceret. Quamobrem hęreticus cenſeretur: Vt Iconomachi, qui Eccleſiam in veneratione, & cultu imaginum errare aſſeruerunt. Alij verò mores ſunt poſt Apoſtolos inducti, in quibus quamuis Eccleſia erraret, non propterea fides periclitaretur. Sine periculo igitur hæreſeos teneri poteſt, Eccleſiam in aliqua lege, & more poſſe errare. Sed de ſecunda concluſione hactenùs. Sit tertia concluſio,

In moribus non toti Eccleſiæ communibus, ſed qui ad priuatos homines, vel Eccleſias referuntur, errare per ignorantiam Eccleſia poteſt: non in iudicio ſolùm rerum geſtarum dico, ſed in ipſis etiam priuatis præceptis, & legibus. Cùm quis enim occultè vna vxore habita, alteram ducit publicè, iubet illi Eccleſia, vt priore relicta, poſteriorem accipiat. Qua in re ſine dubio fallitur, & id præcipit homini, quod rationi, Euangelioque aduerſum eſt.

Huius verò concluſionis veram, & idoneam cauſam Innocentius III. reddidit in capit. A nobis, de ſentent. excommun. in hæc verba: Iudicium Dei, veritati, quæ non fallit, nec fallitur, ſemper innititur: iudicium autem Eccleſiæ nonnumquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſępè contingit, & falli: propter quod contingit interdùm, vt qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus: & qui liber eſt apud Deum, Eccleſiaſtica ſit ſententia innodatus. Hactenùs Innocentius.

Hæc autem, quæ perſpicua eſſe videntur, breuiter, & ſine diſceptatione dijudicanda ſunt. Nec enim omnia nos, vt quæramus, exponimus: ſed vt explicemus. Hoc itàque loco non tam concluſio, quàm concluſionis cauſa conſideranda eſt. Nam indè liquet id, quod eſt animaduerſione digniſſimum, certa, & firma Eccleſiæ decreta eſſe non poſſe, quæ non certis, & firmis principijs, ac fundamentis innitantur. Quocirca, ſi vel vnum ex his, à quibus Eccleſiæ iudicium pendet, incertum eſt, certum Eccleſiæ decretum eſſe non poteſt: ſiue quæſtio ſpeculatiua ſit, ſeu practica, ſic enim noſtri loqui ſolent.

Concluſio quippè, vt in dialecticorum prouerbio eſt, debiliorem partem ſequitur, & ſi vnum quodlibet principiorum claudicat, eam quoque ex illa parte debilitari neceſſe eſt. Qua ex re facilè intelligitur, Eccleſiæ iudicia, quæ ab incertis hominum teſtimonijs proficiſcuntur, infirma eſſe ad certam, & exploratam faciendam fidem. Quale illud eſt, quo ſanctum aliquem Diuorum catalogo aſcribendum cenſet. Nec tamen impunè licet huiuſmodi decreta in dubium reuocare. Quin temerarium, & irreligioſum eſt, in Diuis conſecrandis Eccleſiæ abrogare fidem. Iniuriam enim facit Martyri, qui orat pro Martyre, vt capite. Cùm Marthæ, de celeb. miſs. Innocentius tradit: iniurius ergo eſt, ac multò etiam magis, qui Martyrum cathalogo aſcriptum è Diuorum numero reijcit. Id quoniam temerè, & inconſideratè faciet iure profectò ab Eccleſia punietur.

Mox etiam, ſi vnum aliquod huius generis decretum in quæſtionem veniat, certè Hieronymi, Ambroſij, Auguſtini, ac reliquorum ſanctitatem, ſine crimine in quæſtionem vocare poterimus: atque adeò aſſerere illos cum dæmonibus condemnatos. Ità poſſes eos maledictis concidere, ac vexare contumelijs, quæ omnia aures ſanè fidelium perhorreſcunt. Quòd ſi viris iuſtis in Diuorum cathalogum reponendis Eccleſia errat, nimirùm non eſſet valdè abſurdum, Diuorum omnium cultum ab Eccleſia explodere eorum, qui poſt Clementem conſecrati ſunt. Quo quid aut ſtultiùs, aut impudentiùs dici poteſt? Item multùm refert ad communes Eccleſiæ mores, ſcire quos debeas religione colore: quare ſi in illis erraret Eccleſia, in moribus quoque grauiter falleretur. Nec differt, diabolum colas, an hominem condemnatum? Atque ſi Eccleſia abſtinentiæ legem rogaret, quæ vel rationi, vel Euangelio aduerſa eſſet, turpiter ab illa profectò erraretur: turpiter ergo etiam errabit in doctrina morum, ſi legem ferat de colendo Diuo, quem colere, ſi Diuus non eſt, & cum ratione, & cum Euangelio pugnat. Ne igitur tantus error in Eccleſia ſit, Deus peculiariter prouidere credendus eſt, ne Eccleſia, quàmlibet hominum teſtimonia ſequatur, in ſanctorum Canonizatione erret. Cuius peculiariſſimæ prouidentiæ abundè magnum argumentum eſt, quòd numquam infirmata eſt fides ab humanis teſtibus ſemel in huiuſmodi iudicijs ſuſcepta. Quod in cauſis ciuilibus ſępè accidit. Quæ ſi ſingula fortè non mouent, vniuerſa certè tamen inter ſe connexa, atque coniuncta mouere debebunt, vt qui fidem in his Eccleſiæ detrahunt, eos non hæreticos quidem, ſed temerarios, impudentes, irreligioſos eſſe credamus. Quibus rebus expoſitis, primum, ſecundum, ac tertium argumentum facilè refelluntur.

Nam quæ de poſtremo diſputari poſſunt, illa nobis alio tempore, atque ad aliud inſtitutum, ſi facultas erit, explicabuntur.

Nunc

Nunc illud breuiter dici poteſt, qui Summi Pontificis omne, de re quacumque, iudicium temerè, ac ſine delectu defenduot, eos Sedis Apoſtolicæ auctoritatē labefactare, non fouere: euertere, non firmare. Nam vt ea prętereamus, quæ paulò ante in hoc capite explicata ſunt, quid tandem aduersùm hęreticos diſputando ille proficiet, quem viderint non iudicio, ſed affectu patrocinium auctoritatis Pontificiæ ſuſcipere, nec id agere, vt diſputationis ſuæ vi lucem, ac veritatem eliciat, ſed vt ſe ad alterius ſenſum, voluntatemque conuertat? Non eget Petrus mendacio noſtro, noſtra adulatione non eget. Ordines igitur, vel probare, vel refellere, quoniam non ſcientia id ſolùm, ſed etiam è prudentia pendet, non ad ea pertinet, in quibus Summus Pontifex errare nequit. Atque iam vel in Concilio Lateranenſi aduertebatur religionum nimiam multitudinem, quam nunc eſſe videmus valdè Eccleſiæ Chriſti incommodare.

Concilium quoque Lugdunen. fatetur, quòd importuna petentium inhiatio contrà Synodi decretum aliquarum Religionum confirmationem extorſit.

Vndè quoſdam Ordines per Sedem etiam Apoſtolicam approbatos, tamquam Eccleſiæ vel noxios, vel inutiles abolendos eſſe decreuit, vt nullum deinceps ad eorum profeſſionem admitterent.

Et Cœleſtinus V. ſtatum, vitamque Fratricellorum ſuo priuilegio confirmauit: quod tamen confirmationis priuilegium Io. XXII. apertè infirmatum eſſe dixit: quòd Bonifacius ex certis rationabilibus cauſis, ea, quæ Cœleſtinus conceſſerat, viribus penitùs euacuaſſet.

Paulus item III. Ordinem, quem in Italia Frater Baptiſta Cremenſis inſtituit, literis ſuis probaſſe dicitur: at nuper & Ordo ille à Venetis eſt edicto publico exploſus, & Baptiſtę doctrina, cui illius Ordinis homines inhærebant, Romæ eſt condemnata.

Imbecillum itàque eorum argumentum eſt, qui ex huiuſmodi priuilegijs, quæ his facilè temporibus vel conceduntur, vel potiùs extorquentor, nouas Religiones, non aliter, ac de Cœlo lapſas, excipiendas eſſe confirmant: eas quoque, quæ nullam Regulam ex approbatis habent, nullam vel à ſuis editam profitentur. Nec eius generis priuilegia certa ſunt Sedis Apoſtolicæ iudicia, quibus ſcilicèt omnes Fideles aſtringantur. Satis fuerit, ſi eam habeant auctoritatem, quam epiſtolæ decretales. Quarum nonnullas conſtat à poſterioribus meliore conſilio refutatas: quoniam non ex firmo decreto, ſed ex Pontificum opinione prodierunt.

Et quidem antè diui Thomæ tempora, adeò reſtrictè, & grauiter noui Ordines admittebantur, vt ex tam graui, auguſtoque iudicio probabile argumentum prudentis conſilij ſumeretur.

Noſtro verò hoc ſeculo tam multæ ſunt Religiones à Pontificibus conſirmatæ, vt qui eas omnes tueri voluerit tamquam Eccleſiæ, vel vtiles, vel neceſſarias; hic imprudentiæ, ne dicam ſtultitiæ, nomine iure optimo, ſummiſque rationibus arguatur. Sed iàm liber de Conciliorum auctoritate concludendus eſt. Si priùs tamen eorum conatum refuremus; qui in huius loci firmiſſimam ſoliditatem impetum facere, & incurſionem voluerunt.

CAPVT POSTREMVM.

In quo refelluntur argumenta capitis primi.

PRimum igitur aduerſariorum argumentum ex his, quæ ſuperiore libro dicta ſunt, promptiſſimè refellitur. Oſtendimus enim Eccleſiæ nomen Principibus, & maioribus ſolere tribui: & in illis reipublicæ ſitam eſſe auctoritatem, quos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Ac ſi Eccleſia columna eſt, & firmamentum veritatis. Apoſtoli etiam ſunt Eccleſiæ fundamenta, vt ad Epheſios cap. 2. & Apocal. 21. dicitur: [Corporis quoque robur, & firmitas à capite pendet, quod ſi tollas, cadat corpus neceſſe eſt.] Epiſcopi verò populorum capita ſunt, & Petrus Eccleſiæ caput eſt; quemadmodùm ſequenti libro demonſtraturi ſumus. At ſunt idiotæ Epiſcopi. Valentinus olim, & ſimiles imperitiam ſanctorum Presbyterorum arguerunt, non contemplantes quantò pluris ſit idiota Religioſus à blaſphemo, & impudente ſophiſta: quemadmodùm Irenæus ait lib. 5.

Sabinus quoque idem obiecit Concilio Nicæno, vt lib. 2. hiſtor. trip. cap. 8. ſcribitur. Sed & Apoſtoli idiotæ erant: per quos tamen Deus ſapientes huius Mundi confudit. 1. Corinth. 1. [Videte, inquit, vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes, &c.] Sed quę ſtulta Mundi ſunt, elegit Deus, vt confunderet ſapientes. Non propter ſapientiam maiorem Paſtores Eccleſiæ firmi in fide, & doctrina ſunt, ſed propter peculiarem Chriſti procurationem, ne Paſtoribus, & Doctoribus vacillantibus, populus fluctuet, circumferaturque omni vento doctrinæ. Quid verò ſi ſancti Epiſcopi non ſunt? An ſoluendi, & ligandi poteſtatem amittant? Nùm paſcendi auctoritate carent? [Super Cathedram, inquit, Moyſi, ſederunt Scribæ, & Phariſęi: quodcumque dixerint vobis, facite: ſecundùm autem opera eorum nolite facere. Quoniam verò, cùm ab alijs pleriſque, tùm ab Auguſtino maximè oſtenſum, & patefactum eſt, per malos etiam adminiſtros Chriſti radios in Eccleſiam fundi; ſuperuacaneum erit ei nunc argumento pluribus reſpondere, cui antè per nos abundè reſponſum eſt.

Secundum arg. refellitur ad id quoque, quod deinceps ſequitur, nõ eſt difficile reſpõdere. Nàm Sacerdotum veterum acta quidem Chriſto aduerſa fuerunt, ac ſententia hominum alioqui peſſimorum non ſolùm veriſſima, ſed reipubl. etiam vtiliſſima fuit. Quin Diuinum oraculum fuiſſe Ioannes Euangeliſta teſtatur. Cùm enim poſt longam, variamque concilij deliberationem, Caiphas, qui, vt ſummus Pontifex concilij præſidebat, ſententiam illam, cui omnes fermè conſenſerunt, dixiſſet: Expedit nobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Mox Euangeliſta ſubiecit: Hoc autem à ſemet-

met-

metipſo non dixit, ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetauit. Qua ex re fit, vt ex noſtrorum Pontificum vita quidem, & opera contraria fortè ſint Domino Ieſu, ſed eorum iudicia, quæ videlicet à ſummo Pontifice comprobata ſint, & vera erunt, & Chriſtianis vtilia, vt quæ ad populi ſalutem ſint Diuinitus inſtituta. Immò adeò à Spiritu ſancto erunt ob eam cauſam, quam ab Euangeliſta didicimus, quia ſcilicet Eccleſię Chriſti Pontifices ſunt. Ac de ſecundo argumento ſatis.

Tertium verò argumentum ſic refellitur. Nego, nullum Chriſti pactum cum Eccleſiæ Sacerdotibus eſſe. Eſt enim primum cum Petro, cæteriſque, qui illi in Pontificatu ſucceſſunt, vt Matth. 16. & Lucæ 22. videre eſt. Promiſit item Apoſtolis, eorumque proindè ſucceſſoribus Chriſtus ſpiritum veritatis. Ioannis 14. 15. & 16. Pactum quoque veritatis cum Eccleſia initum, ad Eccleſiæ tandem Paſtores, & Doctores referendum eſt. Nun enim Eccleſiam ſuam Deus aliter, quàm Orbem adminiſtrat, vbi infima per media, media per ſuprema geruntur, quemadmodùm Dionyſius admonuit. Pacta verò, & conuenta illa vetera longè alia, ac noſtra ſunt. Illa enim temporaria erant, ſicut & lex, & Sacerdotium. Ablatum eſt quippè à Iudæis Regnum, ablata lex, translatum Sacerdotium.

Sacerdotalia autem & veritas, & auctoritas paulò antè aduentum Chriſti labefactari cœperunt. Nàm, quod antiquatur, & ſeneſcit, ac propè interitum eſt, id debilitetur oportet, atque infirmum fiat.

Prophetæ igitur ij, vel maximè, qui Chriſti aduentui proximiores fuerunt, idemidem hanc legis, veritatis, auctoritatis, Sacerdotij, ſceptrique ruinam, Iudaico populo annunciabant. Eorum hac de re oracula ſi quis ad Chriſti Eccleſiam referre, niſi ex parte velit, illa prorsùs ignorat: Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.

Item: Hic eſt Deus noſter in æternum, & in ſeculum ſeculi ipſe reget nos in ſecula.

Item: In miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui. Dixit Redemptor tuus Dominus. Sicut in diebus Noe iſtud mihi eſt, cui iuraui, ne inducerem aquas vltrà ſuper terram: ſic iuraui, vt non iraſcar tibi. Montes enim commouebuntur, & colles contremiſcent: miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur. Iſaiæ 54.

Item: Feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum, non ſecundùm pactum, quod pepigi cum patribus veſtris: quod irritum fecerunt, &c.

Et paulò poſt: Hæc dicit Dominus, qui dat Solem in lumine diei. Si defecerunt leges iſtæ coràm me, tunc & ſemen Iſrael deficiet, vt non ſit gens coràm me cunctis diebus, &c.

Item: Feriam eis pactum ſempiternum, & timorem meum dabo in corde eorum, vt non recedant à me.

Item: Percutiam illis fœdus pacis, pactum ſempiternum erit eis, cęteraque in nouo Teſtamento ſimilia: Regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis.

Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque in conſummationem ſeculi.

Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, qui maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis.

Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Hic eſt ſanguis noui, & æterni Teſtamenti.

Reprehenſiones igitur, comminationeſque illæ Prophetarum generales, ad tempus Dominicæ paſſionis potiſſimùm referendæ ſunt, vt Hieronymus ipſe non ſemel teſtatur. Quid ergo ſibi vult, cùm, quæ aduersùm antiquos Sacerdotes dicta ſunt, ea in noſtros torquet omnia? Nempè, omnia in figura contingebant illis, ſcripta ſunt autem propter vtilitatem noſtram. Ea igitur, quæ Prophetæ in illo populo reprehendunt, ad nos quoque pertinent, ſeruato tamen Synagogæ, Eccleſiæque diſcrimine, vt illa ad tempus, hæc perpetua eſſe intelligatur. Compertum eſt autem ſine lege, & doctrina, ſine Sacerdote, & Doctore, ſine Chriſto, & Spiritu veritatis, Eccleſiam nullo poſſe modo conſiſtere. Quod quoniam alijs locis abundè ſatis explicatum eſt, non eſt fruſtrà petendum.

Nàm & nouæ Legis Sacerdotibus conferre veteres, Scripturarum ignoratio eſt. Hieremiæ 3. & 23. Ezechielis 34. ſecunda ad Corinthios 3. & 4. Cui autem aliquando veterum dictum eſt: [Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi, &c.] Et rursùm: [Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua?] Quibus verò Synagogæ Sacerdotibus, & Paſtoribus Spiritus veritatis promiſſus eſt, qui cum ipſis in æternum maneret, & in omni inſtitueret veritate?

Hieronymus itàque nec de Sacerdotum Concilio loquitur, nec de omnibus ſimùl Eccleſiæ Paſtoribus.

Ad ſingulas Eccleſias, priuatoſque & Pontifices, & Sacerdotes, verba Prophetarum refert, in Eccleſiam Catholicam, eiuſque aut Sacerdotium, aut veritatem nihil dicit.

At verò illud mouere quempiam poterit, quod Eſaiæ 22. cap. ſcriptum eſt: [Expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam te. Et vocabo ſeruum meum Eliakim, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manus eius, & erit quaſi pater habitantium Hieruſalem, & domui Iuda. Et dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius, & aperiet, & non erit, qui claudat: & claudet, & non erit, qui aperiat. Et figam illum paxillum in loco fideli, & erit in ſolio domus patris ſui, &c. Quæ de translatione Sacerdotij veteris Legis in nouum Chriſti Sacerdotium prophetata eſſe, in dubium vocari non poteſt. Quod autem ſequitur, videtur ſenſui noſtro eſſe contrariū. Auferetur paxillus, qui fixus fuerat in loco fideli, & frangetur, & cadet, & peribit, quod pependerat in eo, quia Dominus locutus eſt. Si enim Chriſtus Dominus, qui tamquam paxillus in Eccleſia fixus eſt, auferatur, & qui ex eo fide antè pependerant, poſteà peribunt, & & cadent, quomodò nos Eccleſiæ in fide firmitatem perpetuam pollicemur?

Quomodò etiam aſſerimus, Chriſtum Eccleſiæ ſemper Paſtoribus affuturum? Hoc Hieronymus in commentarijs ità ſoluit, vt ad dies nouiſſimos referatur, cùm refrigeſcet

chari-

charitas multorum, & locum habebit illud. Putas filius hominis veniens inueniet fidem ſuper terram? Quod, quemadmodùm libro ſuperiore diximus, non ſic intelligendum eſt, quaſi nulla tunc Eccleſia futura ſit, nulla Chriſti fides, nullum myſticum fidelium corpus, nullus veritaris in eo corpore ſpiritus, quæ omnia ſacris ipſis literis aduerſarentur: ſed vſu ſcripturarum, quod in comparatione aliorum minimum eſt, nullum eſſe dicitur. In tantum ergo in illis diebus Fidelium numerus minuetur, vt Chriſtus de medio Eccleſiæ ſublatus eſſe videatur. Sed non auolabit à paucis illis, qui reſidui erunt, Doctor ſuus, dabit eo quoque tempore Chriſtus Paſtores, & Ductores, qui dat eos, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.

Occurremus enim nos, qui viuimus, qui relinquimur in aduentum Domini, & ſimul cum Domino erimus.

Eccleſia igitur, eiuſque ſpecies, & forma in finem vſque ſeculi permanebit, permanebitque adeò cum ea & Chriſtus, & Spiritus veritatis, ſine quibus conſtare illa non poteſt.

Atque Hieronymus illam Eſaiæ vaticinationem ad Chriſtum ſecundùm anagogem refere. Nàm ſenſum hiſtoricum, & literalem libro Commentariorum 5. explicuerat.

Ex ſenſu autem anagogico nullum certum argumentum trahitur. Sanè verò illud etiam conſiderandum eſt. Propheticas illas reprehenſiones non ſic in omnes eius temporis Paſtores, & Sacerdotes conuertendas, vt nullus intelligatur exceptus. Concionatoribus ſiquidem hoc permiſſum eſt, vt quod pleroſque tangit, id ità enuucient, quaſi tangat omnes.

Sic aliquando totus ille populus ab Eſaia reprehenditur, tamquam in eo à planta pedis, vſque ad verticem capitis non ſit inuenta ſanitas: & tamen idem Propheta pios aliquos iuſtos relictos eſſe fatetur, inquiens: [Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, &c.]

Sic Helias in omnes inuehitur, quaſi relictus ſit ſolus, ac dicit illi Diuinum reſponſum: [Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ſua Baal.] Sed de tertio argumento ſatis multa diximus. Nàm & ex his, quæ ſuperiore libro reſponſa ſunt, poterat abundè confutari.

Ad quartum verò reſpondeo primùm, Conciliorum auctoritatem illi teſtimonio nõ inniti. Nihil enim de Eccleſiæ Concilijs præfinire videtur eo loco Chriſtus, ſed vnitatis conſenſionem commendare, cuius ad impetrandum magna vis eſt.

Quod ſi propter Innocentium diſtin. 20. cap. de quibus; & propter Synodum 6. act. 17. & propter Synodum Chalcedonen. in epiſtola ad Leonem, de Synodis locus ille intelligatur; aliter deindè reſpondere poſſumus, quod quemadmodùm in nomine Principis Concilium aggregatur, cum eius auctoritate indicitur, ſic Synodus Eccleſiaſtica in Chriſti nomine cogitur, cum indicente Chriſto, vel eius Vicario cogitur.

Concilia itàque, quæ præter auctoritatem Romani Pontificis fiunt, non oportet Chriſtum in medio habeant. Talis autem Synodus illa Cypriani fuit. Tametſi ne omnes quidem viri iuſti, qui in nomine etiam Chriſti congregantur, quamvis Chriſtum in medio habeant, ad hunc ſemper effectum habent, vt veritatem quæſtionis propoſitæ decernere, & tenere poſſint.

Sed ſi fuerit res ad ſalutem neceſſaria; hoc fiet illis à patre Cœleſti, vt vel ab eo, in cuius nomine, & auctoritate congregati ſunt, probentur, ſi vera dixerint: vel doceantur, ſi vera non dixerint. Id enim ſatis eſt, vt preces illorum exauditæ dicantur, iuxtà præſcriptum Matthæi teſtimonium. Illæ verò, quæ ſequuntur, friuolæ ſunt Caluini calumniæ: quibus non eſt opere precium reſpondere. Nàm priori quidem nunc ſatisfeciſſe mihi videor. Poſteriori autem, & in capitis ſuperioris tertia quæſtione, ad poſtremum argumentum, & in tertij libri capite vltimo ad quartum reſpondimus. Sed de quarto argumento hactenùs.

Porrò ad quintum reſponſio antè oculos eſt ex his, quæ dicta ſunt. Nàm Concilium Ariminen. inuito Liberio Papa hæreticorum opera coactum fuit, vt & in hiſtoria Eccleſiaſtica, & in epiſtola Damaſi ad Africanos Epiſcopos, & in diſtinct. 15. cap. ſancta Romana, ex Gelaſio refertur.

Epheſinum quoque ſecundum, licèt auctore Leone congregatum fuerit; ſed Dioſcori cùm minis, cùm fauoribus corruptum eſt, Pontificis Legatis, & quibuſdam alijs bonis viris repugnantibus. Ità nuſquam fuit confirmatum, ſed damnatum potiùs à Leone, & Synodo Chalcedonenſi: Conſtantinopolitanum denique iſtud, repugnante Eccleſiæ Pontifice, coactum eſt, reprobatumque poſteà in ſeptima Synodo generali 367. Patrum, qui apud Niceam conuenerunt. Quo ex loco manifeſtè refelluntur ij, qui Concilij auctoritate retenta, Summi Pontificis exiſtimant non eſſe tenendam.

Quid enim cauſæ eſt, cur Concilium Conſtantinopolitanum primum 150. Patrum tamquam vnum ex Euangelijs habeatur, hoc autem alterum Conſtantinopolitanum, vbi multo plures fuerunt Epiſcopi, habeatur pro nihilo? Nempè Conciliorum robur ab illo eſt, pro quo rogauit Chriſtus, ne deficeret fides eius, quò fratres ſuos poſſet in fide firmare. Sed de his ſequenti libro diligentiùs.

Nunc ſextum argumentum diluamus. In quo non parua quæſtio eſt, nùm canones Trullani Eccleſiaſticam habeant auctoritatem. Nàm quòd habeatur, his argumentis ſuadetur. Primùm, quòd Gratianus nomine ſextæ Synodi hos canones perpetuò citauerit, vt patet diſtin. 16. cap. placuit, &c. quoniam, & de conſecr. diſtin. 1. cap. Iacobus, & de con. diſtinct. 2. cap. didicimus, & diſtinct. 27. qu. 1. cap. Si quis Epiſcopus.

Sexta verò Synodus ſine dubio Eccleſiæ auctoritatem habet, vt paulò poſt demonſtraturi ſumus. Triullanos ergo canones Catholici probare debemus.

Deindè id ſuaderi poteſt ex Innoc. III. de ætat. & qualit. Ordin. cap. A multis, qui in ſexta Synodo conſtitutum eſſe dicit, vt ſi quis eorum, qui ad clerum accedunt, nuptiali iure mulie-

mulieri voluerit copulari, hoc ante ſub diaconatus ordinem faciat. Conſtat verò hunc eſſe cauonem 6. inter Trullanos.

Præterea Adrianns Papa hos Canones, & Synodum, à qua ſunt editi, probat, & recipit, vt cernere eſt 16. diſt. cap. ſexram, & de con. diſtinct. 3. capit. ſextam. Non igitur de Trullanis canonibus dubitare Catholico licet.

Quartò loco, id ipſum demonſtratur ex 7. Synodo act. 3. vbi Tharaſius: Eiuſdem inquit, ſexta Synodi rectè, & diuinè decreta edita, tradiroſque canones recipio.

Et action. 4. Petrus Epiſcopus dixit: Habeo codicem ſextæ ſacræ Synodi canones continentem. Sanctiſſimus autem Patriarcha Tharaſius ſubiecit: Quæ eſt hæc ignorantia, qua plerique laborant circa hos Canones? Scandalum enim eſt dubitare, num ſint ſextæ Synodi.

Et action. 6. Epiphanius, qui loco Synodi reſpondebat Iconomachis, ſacra, ait, ſexta Synodus, poſteà quam ſententiam ſuam de vna voluntate Chriſti ſub Conſtantino pronunciaſſet, iterùm vnanimiter omnes Diuina voluntate poſt 4. aut 5. annos congrrgati, duos & centum canones edidere. Quòd ſi Diuina voluntate vnanimiter illi canones à Patribus ſunt editi, probati vtique ſunt ſeptimæ etiam Synodi teſtimonio.

Atque eadem ſeptima Synodus: Definierunt, inquit, ſextæ Synodi ſancti Patres, conuentum per ſingulas Prouincias ſemel in anno fieri.

Hunc ergo canonem & nos renouamus. Anctoritatem ergo finiendi Patres illi habuerunt, & ſi ſancti fuerunt, vt hìc dicitur, nihil ſibi vſurparunt contra Eccleſiæ regulas.

At ſi præter ſententiam Romaui Pontificis coactum illud Concilium eſt, aduerſùm Eccleſiaſticas regulas coactum eſſe conſtat, habet igitur Trullana hæc Synodus ſolidam auctoritatem, ſi ſeptimæ Synodo credimus.

Accedit his, quòd ſeptima Synodus act. 5. & 6. Nicolaus in epiſtola ad Michaelem Imperatorem, Concilium Florentinum ſeſſione 5. horum canonum auctoritate vtuntur.

Sed mihi rem hanc diligentiùs conſideranti, contraria opinio, & probabilior, & grauior videri ſolet. Cuius ſententiæ auctores habeo Anaſtaſium Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarium, in proœmio in 8. Synodum, ad quam iuſſu Hadriani II. venit, nàm erat vtriuſque linguæ Græcæ, & Latinæ peritiſſimus, vt diſt. 63. cap. 2. dicitur.

In eadem opinione eſt Theophanes Græcus hiſtoricus, & Humbertus Siluæ Candidæ Epiſcopus, Apocriſarius Leonis IX. in libello contrà epiſt. Michaelis Patriarchæ Conſtantinopolitani. Qui liber citatur à Gratiano, vt liber Leonis IX. contrà epiſtolam Nicetæ Abbatis.

Sed & à Latinis non recipi hos canones referunt Theodorus Balſamon, & Matthæus Monachus, maximi Latinorum detractores, ille in interpretatione eorumdem canonum, hic in hiſtoria Conciliorum, & virorum illuſtrium.

Sunt autem argumenta, quæ hanc ſententiam confirment, irrefragabilia.

Primùm, quòd ſexta Synodus ſub Conſtantino Imperatore, contrà Monothelitas ab Agathone congregata, à Leone II. comprobata, nullos ediderit canones.

Illa verò Synodus, quæ ſub Iuſtiniano Imperatore poſteà coacta eſt, cur ſexta Synodus appelletur, nulla eſt cauſa. Sed de nomine nihil moror. Hoc ſolùm aſſero, ei Concilio nec Romanum Pontificem, nec eius Legatos interfuiſſe.

Subſcriptiones Epiſcoporum videantur, & res fiet manifeſta.

Iuſtinianus primùm ſubſcripſit, deindè Epiſcopi, qui ſextæ Synodo affuerant, ſed nec numero pares, nec nominibus omninò ſimiles, vt Theophanes, & Anaſtaſius euicerunt.

Romani verò Pontifices, aut Legarorum eius nulla ſubſcriptio eſt.

Alterum argumentum eſt, quòd Iuſtinianus bis Synodum apud Conſtantinopolim coegiſſe legitur, priùs ſub Sergio Romano Pontifice, poſteriùs ſub Ioanne VII. eodem quoque Epiſcopo Romano.

Et de priore quidem Beda de natura rerum cap. 67. ait, Iuſtinianum, Romanæ Eccleſiæ Pontificem Sergium, quia erraticæ ſuæ Synodo, quam Conſtantinopoli fecerat, fauere, & ſubſcribere noluiſſet, iuſſiſſe Conſtantinopolim deportari, qui tamen ob culpam perfidiæ, Regni gloria poſteà priuatus, exul in Pontum ſeceſſit.] Hactenùs Beda.

Et Platina in vita Sergij: [Iuſtinianus, inquit, Synodum habuit, in qua nonnulla approbata ſunt Orthodoxæ fidei nequaquam congruentia.]

Eadem quoque Sergij Apocryſarius, qui tùm Conſtantinopoli erat, ſubſcriptione ſua ſtolidè nimiùm confirmauit. Verùm cùm poſteà Romam delata à Sergio exploderentur, ità percitus Iuſtinianus Zachariam miſit, qui Sergium ad ſe vinctum traheret.] *Hactenùs* Platina.

De poſteriore autem idem Platina in vita Ioannis VII. ità ſcribit: [Iuſtinianus eadem ſtultitia vexarus, qua fuerat antè amiſſum Imperium, Sergio Ponrifici duos Metropoliranos Romam miſit, qui Ioannem adhortarentur, vt habita Synodo, quæ de homouſio crederent Orientales, eadem etiam Occidentales affirmarent, propoſitis libellis, in quibus ei ſubſcribendum erat. Homines tamen re infecta ad Imperatorem Pontifex remiſit. Hæc ille.

Ac ſi quis Trullani Concilij verba velit expendere, ſtatim deprehendit, quale illud Concilium fuerit. Sic enim habent. Quoniam ſanctæ vniuerſales Synodi quinta, & ſexta de myſterio fidei pleniſſimè diſputãtes, Canones non fecerunt: Propterea nos conuenientes in hanc Imperialem Vrbem ſacros Canones conſcripſimus. Oportebat enim, vt Synodus vniuerſalis Canones Eccleſiaſticos promulgaret. Hactenùs Concilium.

Principio autem, ſi in Conſtant. Vrbem conueniſtis, dicite mihi, ecquo euocante conueniſtis? Annè Romanus aliquis Epiſcopus vobis Concilium indixit? Minimè id quidem.

At Romanus Pontifex eo tempore certus erat, Catholicus erat, addo etiam, probus erat. Primates autem Eccleſiæ ſine Principis

cipis Eccleſiaſtici, & veri, & Carholici, & pij volunrate cogere, hoc non eſt Synodum velle facere, ſed aduersùs Eccleſiæ Principem conſpirare.

Quemadmodum ſi Regni proceres ad Beſpublicas pertractandas ſine Regis arbirrio conueniane, coniurario illa potiùs, quàm congregatio exiſtimabitur.

Iuſtinianus, inqnis, eos ſecir conuenire. Benè profectò narras, nam iſtum improbnm fuiſſe, & Eccleſiæ Romanæ inimicum, memoriæ prodirum eſt. Qualem autem Synodum à tali viro profectam eſſc arbitramnr? Sed audiamus cauſam conuentus ſaciendi. Quoniam ſanctæ vniuerſales Synodi quinra, & ſexra Canones non fecerunt, propterea nos in hanc Imperialem Vrbem conuenientes, Canones conſcripſimus. Oportebat enim, vr Synodus vniucrſalis Canones Eccleſiaſticos promnlgarer.

Iràque hæc Trullana Synodus ſupplementum duarum eſſc dicirur, & quod deerat quintæ, & ſextæ, id nimirùm addidiſſc. Ideò cnim oec ſexta, aiunr, propriè numeratur, ſed *penthecti*, id eſt, quiniſexra. Scilicèe nominc ſextæ Synodi Trullana ſc ptiùs venditare volebat.

At nunc oec ſexta; nec quinra, nec ſeptima eſt, ſed monſtram quoddam quiniſexta. Illud verò quis ferae, quod inſimulant Patres hi duo grauiſſima Concilia ramquam murila, & imminura, vr cauſa congregationis neceſſaria videarur? Enimuerò Concilinm generale Eccleſia ne vnum quidem habuit, vbi cauſa, aut hæreſis, aur ſcbiſmaris nulla eſſer.

Trullana hæc Synodus ſola eſt, quæ non ad profligandam bæreſim, non ad tollendum ſchiſma, ſed ad Canones cdendos cogirur.

Ecquid aurem crat opus, Paſtores Eccleſiarnm omnium ſuis ſedibus eleri, vr poſt innumeros ferè Canones Apoſtolicos, Nicænos, Ancyriranos, Neocæſarienſes, Anriochenos, aliorumque plurimorum, & Marryrum, & Confeſſorum, qui canon. ſecundo Trullano comprobantur, alij cenrum duo ab his Patribns ederentur? Quanrò verò grauiùs ſexta Synodus egit, quæ. cauſa fidei, ob quam conucnerar, abſolura, noluit Eccleſiam Canonibus ouuſtam diſcedere. Non igirur neceſſc erar Canones condere, ſed ſi verum ſateri vulris, alia Iuſtiniano cauſa veſtræ congregationis fuir, nimirùm, vr Larinos, Sedemque præſertim Apoſtolicam inſectaretur, vrque quod Platina air, aliqua veſtra auctorirare probaret Orrhodoxæ fidei nequaquam congrucnria.

Nam, ſi, vt ipſi diciris, poſt quatuor, aur quinque annos à ſexra Synodo exacta, ſub Iuſtiniano filio Conſtantini Cooſtanrinopoli conueniſtis, certè (compnrare rempora) hęc illa eſt erratica Synodus, cui auctore Beda, Sergius nolnir ſubſcribere.

Sed iam videamus, vr reliqua, quæ nunc non exranr, diſſimulenrur, cur his centum duobus veſtris Canonibus ſubſcribere Sergius nec voluerit, nec verò debuerie?

In Canone ſecnndo ſuſcipiris, & confirmatis 8. Canones Apoſtolorum; hos Sedes Apoſtolica non recipir, vr Auctor eſt Iſidorus 16. diſtinction. capir. Canones, id quod cum ex Leone IX. cap. Clementis cad. diſtin. oſtcudi poteſt, cum verò magis ex Gelaſio XV. diſtinction. cadem Sancta Romana. Cur autem Sedes Apoſtolica prober 84. Canonem, quem vos probaris, vbi tres Machabæorum libri contra omnium conſenſum Eccleſiarum admirtunrur? Atque in eodem ſecundo Canone Synodum Cypriani, de rebaptizandis hæreticis comprobaris, quaſi ſecundùm rraditam Aphris conſuerudinem lex illa conſtiruta ſir, & non magis aduerſetur omnibus Eccleſijs Dei.

Nec enim deeretum illud Cypriani explicari poreſt ad normam 95. Canonis Trullani, & 19. Nicæni.

Quoniam Canoo Cypriani de omnibus in vniuerſum hæreticis præſcriptus eſt, maximè Donariſtis, quos conſtat in nomine Trioiraris baptizaſſe. Decretum ergo Cypriani ab vniuerſali Eccleſia ſimpliciter reprobatum Sergius approbare oon debuit, quod Trullana Synodus ſecir.

In Canone rertio Eccleſiæ Romanæ legem de bigamis non ordinandis Summum ius appellaris, & cx rigore auſterum, Sedis aurem Conſtanrinopolitanæ mollities, ac diſſolutio benignitaris vobis eſt. Mediam quaſi ex duabus componiris, ſed ralem, qualem Eeeleſia Larina ſemper exploſit.

Iure igitur, hanc veſtram Synodum exploſir Sergius.

Canon. 13. iubet, vr Hypodiaconi, Diaconi, Presbyteri, à ſuis legirimis vxoribus uon ſeparcntur. Ee conſuerudo apud Græcos quidem inualuir, ſed Synodus generalis eam rori Eccleſiæ contra Larinorum vſum malè pręſcripſir. Benè ergo Sergius veſtros Canones reprobanir.

Canone 6. decerniris, vr thronus Conſtanrinopoliranæ, æqualia priuilegia cum Apoſtolica Sede obrinear, & Alexandrinæ, Anriocheuæ, ac Hieroſolymiranæ præferatur.

Scitis aduersùm hnnc Canonem olim à ſancto Papa Leone pugnarum. Et quamquam ratione pugnatum eſt, ar ſequentes Romani Ponrifices Conſtanrinopolicanæ huic ambirioni, & vnirari conrrà dicere noluerunt. De priuili. Anriqua.

Canone 62. præcipiris, in omnibus diebus quadrageſimæ pręter ſabbatum, & dominicam nullas nouas hoſtias conſecrari, ſed vt apud nos in die Paraſceues, fieri præſanctificararnm ſacrificium.

Hoc veſtris Gręcis pręcipire, ſi vultis, Romanus enim Epiſcopus hoc in totam Eccleſiam decrerum non probarer.

Iam Canone 55. nulla noſtra conſutarione eget, abſurdus cnim per ſe eſt, manifeſtè in Romanam Eccleſiam iniurius. Ipſum audiamus.

Quoniam inteileximus in Romanornm ciuitare in ſanctis quadrageſimæ diebus, in cius ſabbatis ieiunare pręter Eccleſiaſticam traditam conſuerudinem: ſanctæ Synodo viſum eſt, vr in Romanorum Eccleſia ſi quis ſuerit inuenrns ſabbato ieiunans, clericus deponarur, laicus ſegregetur. Num tibi videtur à Romano aliquo Ponrifice hunc Canonem probarum iri? Minimè verò genrium. Quid 67? Vide ne probandus ſir. Sacra, inquiunt, Scriptura nobis pręcepit, vr abſti-

neamus à ſanguine, & ſuffocato. Meritò igitur damnamus eos, qui euiuſcumque animalis ſanguinem arte aliqua condiunt, & ſic comedunt. Ecqua autem maior ſcripturarum ignoratio eſſe poterat, quàm exiſtimare, præceptum illud Apoſtolicum ad ea vſque tempora perduraſſe? Quantò veriùs Latini decretum Hieroſolymitanum, quò ad ſanguinem, & ſuffocatum attinebat, ad breue tempus tantiſper manere interpretati ſunt, quandiù Iudæorum, & Gentium conſuetudo coaleſceret: quamdiùque ſynagogam Eccleſia cum honore quodam ſepeliret. Abeat nunc Gratianus, & ſextæ Synodo Canones Trullanos tribuat.

Innocentius verò decretum Gratiani eodem nomine retulit, quo erat à Gratiano citatum, id quod & diuo Thomæ, & alijs quoque viris doctis aliquando accidit, vt Gratiani diligentia fiſi, capita decreti ementitis auctoribus, & titulis referant.

Idem quoque Gregorio IX. contingit, qui titulo de conſtitutione nomine Hieronymi commentaria in prouerbia retulit, quæ Hieronymi non eſſe certum eſt. Caput autem illud, quod Innocentius citat, habetur 32. diſtinction. capit. Siquis eorum, nomine ſextæ Synodi.

Hadrianum verò Trullanos Canones recepiſſe, tantùm abeſt à veritate, vt nihil magis veritati poſſit eſſe contrarium. Verba ſiquidem illa reperiuntur in epiſtola Tharaſij ad Hadrianum, non, ſicut Gratianus memoria lapſus exiſtimauit, in epiſt. Hadriani ad Tharaſium.

Tharaſius itàque recepit illos, non Hadrianus: vt patet actione 2. & 3. ſeptimæ Synodi.

Hadrianus ſiquidem verba Tharaſij refert, vt Conſtantinopolitanos proprio mucrone confodiat. Si enim, inquit, vos fatemini Canones illos diuinos, & legales eſſe, canone autem 82. imaginem Chriſti venerandam eſſe conceditis, quid nunc contrà ſacras imagines depugnatis? Quòd ſi ſeptima Synodus vno Canone vtitur, vt ipſorum Græcorum teſtimonio, imagines eſſe venerandas comprobet, ecquid indè argumenti promitur, vt cæteros item Canones approbarit? Quaſi totum Menandrum, Aratum, aut Epimenidem confirmarit Paulus, quòd horum aliquando ſit teſtimonijs vſus. Nec verba illa, quæ ex 7. Synodo retulimus, ipſius Synodi ſunt, ſed Tharaſij.

Petri Epiſcopi, Epiphanij. Quæ non erat eius temporis, & inſtituti expendere. Non enim id tum agebatur, an Trullana Synodus probanda eſſet, ſed an eſſent imagines venerandæ. Quamobrem, quæ obiter, & præter inſtitutum à priuatis hominum in Concilio dicebantur, ne nouæ lites ſuborirentur, illa ſapienter à Patribus diſſimulata ſunt; eo vel maximè, quòd in cauſa præcipua, de qua ibi erat Controuerſia, Trullanæ Synodi auctoritate libenter vtebantur.

Id ne comminiſci videamur, Nicolaus nimirùm eſt Auctor adhibendus, qui in epiſtola ad Michaelem Imperatorem cùm ad quamdam cauſam ſuadendam Synodi huius Trullanæ, Canone quodam vellet vti, in hunc modum diſſerit: Prouidè hoc Conſtantinopolitana Synodus Canonum ſuorum ſexto dignoſcitur prohibere capitulo. Quod tamen non apud nos inuenitur, ſed apud vos haberi perhibetur. Verùm nouimus Apoſtolicis imbuti documentis, etiam ſententijs veterum paganorum, quantò magis Chriſtianorum, & contrà ipſos, quorum nec vitam ſequimur, nec mentem erroneam imitamur. Deindè Apoſtolus Paulus de libris Paganorum aliqua in ſuis ſcriptis poſuit, numquid ideò etiam cuncta recipienda ſunt, quæ cum his pariter ſunt prolata? Hactenùs Nicolaus.

Non itaque ſi, aut Innocentius, aut 7. Synodus, aut Nicolaus, aut Concilium Florentinum horum auctoritate Canonum abutuntur, probato vno, aut item altero, reliquos probauerunt. Quamquam Patres Synodi Florentinæ hos 102. citaſſe Canones, me omninò præterit. Nam, quod action. 5. refertur, id non ea Synodo, vbi hi Canones ſunt editi ſub Iuſtiniano, ſed ex ſexto Concilio vniuerſali ſub Conſtantino illius Patre depromptum eſt, vt action. 17. eiuſdem ſcati Concilij patet.

Sed quoniam, & hæc Synodus apud Trullum Regium Palatium ſcilicet celebrata eſt, quod de hac dicitur, hoc per errorem ad Trullanos Canones creditum eſt pertinere. Quorum auctoritas ideò à nobis labefacta eſt, ne quiſquam falsò errore deceptus, eos veris, legitimiſque Concilijs opponeret.

Video autem dubitari poſſe, cur inter reliquos canones Eccleſiæ Romanæ contrarios non & 82. notauerimus, vbi prohibitum eſt, ne Chriſtus deinceps ſub figura agni pingeretur. Sed nolui equidem has Trulli regulas inimicè inſectari. Nego itàque in 82. canon. ſecundùm veram lectionem tale aliquid prohiberi.

Quin potiùs in eo pictura illa veneranda, qua Agnus digito Præcurſoris demonſtratur, & ſuſcipitur, & deinceps conſeruari in Eccleſia iubetur.

Id quod colligere licet ex epiſtola Hadriani ad Tharaſium Syn. 7. act. 2. & ex act. 4. eiuſdē 7. Synodi. De Trulli igitur canonibus, atque adeò de ſexto argumento hactenùs.

In argumento verò ſeptimo, Pighij contentio pertinax coarguenda eſt, qui, vt opinionem, quam ſemel induerat, tueretur, Synodos Eccleſiæ decreto ſuſceptas vanis coniecturis infirmare peteret. Tantùm ſtudium certandi, vbi ſemel efferbuit, & dura pertinacia poteſt. Mihi verò non eſt hoc loco opus pro ſexta Synodo, vndè emerſit certamen, depugnare, quam Agatho coegit, & Leo II. confirmauit, quam & Beda lib. de tem. rat. cap. 56. & cæteri poſt eum Catholici probauerunt, quam & Concilium Florent. ſeſs. 5. recipit, & Eugenius IV. in decreto ſuper vnione Iacobinorum veneratur; Alij pro 6. & 7. Synodis Apologiam edant, ſi diligentia illis Franciſci Turenſis non adhuc facit ſatis. Nos enim in dogmate fidei, & decretis ad ſalutem fidelium neceſſarijs Conciliorum auctoritatem aſſerimus, in rerum geſtarum iudicio, & ordine non aſſerimus. Nec in his, quæ parùm vel certè nihil ad nos attinent, tempus, & operam ſumimus.

Ad octauum ergo argumentum Caietanus in opuſculo de auct. Pap. & Conc. cap. 8.

reſpondet, Concilium Conſtantienſe, quo tempore illud decretum edidit, non fuiſſe vniuerſale, & integrum. Erat enim tum ſchiſma in Eccleſia ſub tribus Pontificibus, Ioanne XXIII. Gregor. XII. & Benedicto XIII. Vndè aſſerere, quòd id temporis illud Concilium erat generale, nihil aliud eſt, quàm reuocare antiquum ſchiſma, alioſque damnare, qui Benedictum, & Gregorium ſequebantur. Quod tamen fuit, eſtque ſemper ambiguum.

Quòd ſi obijcias, Martinum V. in vltima ſeſſion. approbaſſe omnia, & ſingula decreta in materijs fidei, quæ priùs à Concilio Conſtantienſe prodijſſent: reſpondet idem Caietanus id propriè ad fidem pertinere, & tamquam fidei decretum à Martino probari, quod aduerſùm hæreticos fuiſſet definitum, vt in 8. 15. & 21. ſeſſ. factum eſt. Quòd autem Martinus V. ea ſolùm probet, patet primùm; quoniam ad petionem oratoris Regis Poloniæ illa approbatio facta eſt, qui hoc tantùm exigebat, vt acta in Concilio contrà hæreticos confirmarentur. Patet etiam, quia Martinus dicit ſe omnia ſic conciliariter facta approbare, & non aliter, nec alio modo. Supponebat enim quædam non conciliariter acta. Nam in illa 4. & 5. ſeſſione, vt idem Caietanus admonet, nec diſputatio, aut diſquiſitio aliqua interceſſerat, nec delecti fuerant adhuc viri docti ad diſſerendum, & tractandum ea, quæ in fidei doctrina eſſent conſtituenda: ſed id cautum poſteà à Concilio fuit in ſeſſ. 6.Ità ſi quis tradita in ſeſſ. 4. diligenter expendat, inueniet ea non formam habere decreti, quo videlicet, aut fideles obligentur, aut contrarium ſentientes explodantur. Patet demùm ex literis Martini V. in quibus errores Ioannis Wicleffi, Ioannis Huſſi, & Hieronymi Pragenſis expreſsè damnantur, nulla de ea re, an Concilium ſit ſuprà Papam, facta mentione. Sed quoniam quæ de Concilio Conſtantienſi in dubium verti ſolent, ea pulcherrimè explicantur à diſcipulis Diui Thomæ, maximè à Caietano viro in noſtra familia excellentiſſimo, nos de hac re ne verbum quidem vllum prætereà faciemus. De octauò igitur argumento tantùm.

In nouo verò, miror equidem illorum cæcitatem, qui Concilium Baſileenſe tueri volunt: cùm manifeſtum ſit: illud, licèt à principio, Eugenio IV. conſentiente, fuerit congregatum, poſteà tamen ab eodem primùm Ferrariam, deindè Florentiam tranſlatum, vbi Baſileenſes conatus publica Eccleſiæ auctoritate repreſſi ſunt. Nam & vnio Armenorum, & Græcorum populi Chriſtiani conſenſione approbata, non in Concilio Baſileenſi: ſed in Florentino facta. Et Eugenium Eccleſia etiam poſt illam depoſitionis Baſileenſis ſententiam, pro verò Pontifice habuit, Felicem autem illum in Synodo electum contempſit. Quorsùm ergo attinet mordicùs Concilium Baſileenſe tenere? Quorsùm fauere hæreticis, qui Conciliorum in hæreticos iudicia infirma eſſe contendunt, quòd Concilium Baſileenſe eos hæreſis nomine damnarit, qui etiamnum Catholici iudicantur? Quæ qui non ſentiat, is nihil omninò ſenſurus eſſe videatur. Quocirca non dubito eſſe nunc grande piaculum pro Concilio Baſileenſi ſtare velle; cum ſchiſma illud iam extinctum, non alia ratione magis denuò poſſit accendi. Et Nicolaus V. apertè ſentit, Felicem illum non fuiſſe verum Eccleſiæ Paſtorem, ſed nominatum. Nec verum Concilium & generale, ſed congregatum vocat nomine Concilij generalis. Eugenium verò fęlicis recordationis prędeceſſorem ſuum honorificentiùs appellat. Ità in literis ſuis non probat, niſi beneficiorum collationes, ſic loqui ſolent, & huiuſmodi cętera, quæ ſi irrita haberentur, populus mutatis, aut Paſtoribus, aut officialibus multùm incommodi acciperet. Atque Leo X. in Concil. Lateranen. ſeſſ. 11. planè definit, Concilium Baſileenſe non fuiſſe legitimè celebratum. Et poſteà, cùm de quadam ſanctione ageretur à Concilio Baſileen. edita. Sicut Leo, inquit, ea, quæ in ſecunda Epheſina Synodo temerè contrà iuſtitiam, & Catholicam fidem geſta fuerant, poſtmodùm in Chalcedonenſi Concilio fecit reuocari, ità nos à tàm nephariæ ſanctiones reuocatione retrahi, ſalua conſcientia, & Eccleſiæ honore non poſſumus. Cùm ea omnia, poſt tranſlationem eiuſdem Concilij Baſileen. per fęlicis memoriæ Eugenium Papam IV. prædeceſſorem noſtrum factam, à Baſileenſi Conciliabulo, ſeu potiùs conuenticulo facta extiterant, ac proptereà nullum robur habere potuerint. Cùm etiam ſolùm Romanum Pontificem, tamquam auctoritatem ſuper omnia Concilia habentem Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſſoluendorum, plenum ius, & poteſtatem habere, non ſolùm ex ſacræ Scripturæ teſtimonio, dictis ſanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum decretis, ſed propria etiam eorundem Conciliorum confeſſione manifeſtè conſtet. Hactenùs Lateranenſe Concilium. Probat autem ea, quæ dixerat multis & teſtimonijs, & exemplis, quæ nos, ne ſit longum, prætermiſimus. Sed prouocauerunt Doctores Pariſien. à Concilio Lateranen. & appellatio nomine academiæ circunfertur.

Quorum illa fuerit, ego hìc non diſputo: illud autem, non ſine Eccleſiæ ſcandalo, atque pernicie circumferri.

Extat anathema Pij II. in eos, qui ad futurum Concilium appellauerunt. Et ſine Pij cauſis, quas multas ſuis literis reddidit, manifeſtum eſt, rem hanc, & hæreticorum omnium ſummum patrocinium eſſe, & feneſtram, vel maximam aperire ob obedientiæ Eccleſiaſticæ iacturam, ac perniciem veræ pietatis. Sed de his non eſt huius loci, temporiſque diſſerere.

Verùm obijcis ea, quæ in ſeſſione 2. Concilij Baſileen. decreta ſunt, à legitimo Concilio eſſe decreta, vt patet ex literis Eugenij, quæ lectæ ſunt ſeſſione 16. eiuſdem Concilij.

Sed nos huic quæſtioni breuiter reſpondemus, non approbaſſe Eugenium decreta edita, ſed ſolùm Concilium generale Baſileen. a tempore inchoationis ſuæ legitimè continuatum fuiſſe.

Deindè, Concilium in ſeſſione 2. non erat plenum, quia maior pars Epiſcoporum deerat, immò pauciſſimi aderant. Quarum inchoatione quidem generale erat, ſed nondùm erat verè, & perfectè re ipſa generale.

Præterea, Legatus ſine commiſſione proceſſit ad ea decreta ferenda, vt ex literis Eugenij ad Iulianum colligitur.

Adde, quòd cùm grauis, atque difficilis ſemper fuiſſet inter Catholicos altercatio, quibuſdam dicentibus Papam ſuprà Concilium eſſe, alijs contrà aſſerentibus, Concilium eſſe ſuprà Papam, nulla conquiſitione facta, nullo examine præcedenti, poſitum eſt id, quod erat ambiguum. Quare non fuit decretum fidei, ſed ſimplex quædam commemoratio eius doctrinæ, quæ erat in Concilio Conſtantienſi tradita. Id quod videntes huius Synodi Patres, rursùm in ſeſſione 33. rem eandem aliter tractauerunt, definientes ea tamquam fidei decreta eſſe deinceps amplectenda. Sed tunc omnis Legatorum poteſtas erat abolita, & Synodus Florentiam translata. Quare nihil mirùm, ſi turpiter, & pueriliter errauerit, eos pro hæreticis condemnando, qui nunc ſine controuerſia Fideles habentur.

Ad decimum verò argumentum reſponſio eſt facilima, plenaria Concilia à Summo Pontifice maximè confirmata, per alia legitima, & probata emendari. At quòd plenarium Concilium Summi Pontificis auctoritate firmatum per aliud poſteriùs emendetur, exemplum ne vnum quidem proferri poteſt.

Nàm & huiuſmodi Concilia Auguſtinus non infirmat, ſed tuetur eiuſdem libri cap. 4. [Quamquam Auguſtinus non videtur loqui de emendatione fidei, ſed emendatione legum, quæ ad res ſcilicet, vel geſtas, vel gerendas referuntur: [Ipſa plenaria, inquit, Concilia priora à poſterioribus emendantur, cum aliquo rerum experimento aperitur, quod clauſum erat. Quod ad fidei veritatem referri vix poteſt, quæ non rerum experimentis innoteſcit. Leges ergo nonnullæ, in quibus per imprudentiam falli Concilia poſſunt, nihil obſtat, quò minùs à poſterioribus Concilijs emendentur. Iſidoro autem ex his etiam reſpondetur. Non enim ſunt nobis explicanda ſingula.

Ad vndecimum diximus ſæpè Concilia integra, & capitis auctoritate perfecta ea eſſe, quæ nos ab errore vendicamus.

Nec ſi Summus Pontifex firmus in fidei cauſa Iudex eſt, Concilia fruſtrà coguntur.

Primùm enim, vt capite ſuperiore admonebamus, Romanus Pontifex non temerè, & ſtultè, ſed conſideratè, atque ſapienter habet fidei controuerſias definire, aduocando ſcilicet Conſiliarios, vel plures, vel pauciores, iuxtà rei, de qua diſſeritur, grauitatem. Iuuant enim Patres Concilij Summi Pontificis fidem, atque doctrinam.

Vndè in Concilio Hieroſolymitano, cùm facta eſſet magna conquiſitio, Petruſque ſententiam dixiſſet nullo ſacrarum literarum teſtimonio fulcitam: Iacobus probauit eam quidem, additis teſtimonijs Prophetarum.

Adiecit item quaſi de ſuo legem maximè neceſſariam, de abſtinentia ab idolothitis, fornicatione, ſuffocatis, & ſanguine.

Ità enim Diuina procuratio in Eccleſiam ſe fundit, vt membra præcipua, tametſi à capite ipſa pendeant, caput tamen tueantur, & iuuent.

Facit quoque Concilium plauſibiliorem populo fidem, propter acceptiſſima multorum teſtimonia, atque iudicia. Nàm & leges, quę communi optimatum conſenſu & rogantur, & fruuntur, libentiùs populus accipit, quàm ſi à Rege ſolùm ederentur.

Quamobrem Beda libro retract. in Actis Apoſtolorum, prudenter ſanè monuit, Paulum contuliſſe cum Apoſtolis alijs Euangelium, quod prædicabat in gentibus, ſolerter in Concilio diſquirens, an rectè de legalium ceſſatione doceret: [Non quòd ipſe de hac re, inquit, aliquid dubitaret, ſed vt mentes dubitantium Apoſtolica Synodi auctoritate firmarentur.]

Gregorius autem de Synodis Prouincialibus locutus eſt, quæ in cauſa fidei vix quicquam obtinere potuerunt, niſi eſſent Summi Pontificis auctoritate roborata. Illa expertus eſt Gregorius, hæc non eſt expertus. Quamquam & illo tempore Concilij Nicæni vtilitas nondùm erat ſatis explorata.

De poſtremo argumento difficile dictu eſt. Quid Theologi ferè opinentur, video,

Hoc tamen verè licet dicere, Romanum illud Nicolai Concilium locutum eſſe multò ad ſenſum Fidelium accommodatiùs. Concilij verba priùs audiamus, poſteriùs expendemus, verane, an falſa ſint: [Profiteor, inquit, Berengarius, non ſolùm Sacramentum, ſed verum etiam Corpus Chriſti manibus Sacerdotum tractari, frangi, & Fidelium dentibus atterri.]Hęc Berengario præſcripta à Synodo confeſſionis forma. Vbi alterum poteſt habere dubitationem: An Corpus Chriſti ratione ſacramentalium ſpecierum, verè & tractari dicatur, & frangi.

Alterum dubitari non poteſt, quin in ſeipſo Chriſtus nec tractetur à Sacerdotibus, nec frangatur.

Atque alij dicent, fortè pro ſuo arbitratu quiſque, nos autem hoc quidem tempore, & in hac quæſtione ſequimur potiſſimùm Thomam Vualdenſem, qui in libro Sacramentalcit. 4. cap. 24. docet, eiuſmodi loquendi formulas, & eſſe veriſſimas, & eſſe etiam olim à Patribus vſurpatas.

Refert in hoc Dionyſium cap. 3. lib. de Eccleſia Hier.

Refert quoque Chryſoſtomum in Matth. hom. 83.

Retulerat autem & cap. ſuperiore Paſchaſium in libro de Corpore, & Sanguine Chriſti.

Fideles ſanè cùm ſpecies Sacramentales viderint, Chriſtum ſe vidiſſe teſtantur, eundemque cùm illas tetigerint, tetigiſſe. Quod magnum profectò argumentum eſt, cur ità eſſe credamus: A Fidelium vulgo, inquis, iſta ſumis. Metuebam ne à lenonibus diceres. Chriſtiani rudes diſſerunt iſto modo: Benè profectò narras. Nàm in quęſtione fidei communis Fidelis populi ſenſus haud leuem facit fidem. Quæro enim ex te, quando de rebus Chriſtianæ fidei inter nos contendimus, non de Philoſophiæ decretis, vtrùm potiùs quærendum eſt, quid Philoſophi, atque Ethnici, an quid homines Chriſtiana & doctrina, & fide inſtituti ſentiant. Præſertim cùm huic ſententiæ conſenſerint Patres, etiam veteres, quem-

quemadmodùm paulò antè demonſtratum eſt.

Præterea motis ſpeciebus Sacramentalibus id, quod inter doctiores ferè conuenit, Chriſtus item per accidens quidem, ſed mouetur tamen: nihil igitur obſtat, quin viſis, tactiſque ſpeciebus, Chriſti Corpus & videatur, & tangatur. Nàm nec ipſa ſubſtantia ſenſibilis, niſi per accidentia, ſentiri poteſt. Adhæc, cùm ſpecies panis, vinique miſcentur, Eccleſia fatetur Corporis, & Sanguinis Domini mixtionem fieri: ergo cùm videntur, & tanguntur ſpecies, Corpus Chriſti & videtur, & tangitur.

Quid multa? Sic mihi perſuaſi, ſic ſentio, Chriſti Corpus in locum panis ità ſucceſſiſſe, vt præter ea, quæ fidei huius Sacramenti repugnant, omnia ſibi vendicet, quæ panis antè ratione accidentium vendicabat. Alioqui, qui ſpecies panis manducaret, is Chriſti Corpus non ederet, nec ille biberet Sanguinem, qui vini ſpecie potaretur.

Atqui ſcriptum eſt: [Accipite, & comedite: Hoc eſt Corpus meum.]

Et rursùm: [Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, &c.]

Et iterùm: [Qui manducat indignè, iudicium ſibi manducat, non dijudicans Corpus Domini.]

Quòd ſi Caro Chriſti in Sacramento editur, certè frangitur, dentibuſque Fidelium atteritur. Vtrumque enim ei cibo, quem edimus, eſt & coniunctum, & proprium.

Quid? quod per Lucam, ſi Græci ſermonis habetur ratio, Dominus ait: [Accipite, hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis frangitur?] Nec verò nobis diuus Thomas in 4. ſentent. obijci debet, cùm in 3. par. quæſt. 77. artic. 7. ad 3. argum. noſtræ huius ſententiæ auctor fuerit, vel præcipuus, quem quis non præferat ſexcentis Oecolampadijs?

De poſtremo igitur argumento diximus ſatis, ſatiſque proindè de quarto loco diximus. Ad ſequentem deinceps tranſeamus.



LIBER

LIBER SEXTVS.

De Eccleſia Romana Auctoritate, qua quinto loco continetur.

CAPVT PRIMVM.

Vbi ponuntur argumenta, quibus huius loci auctoritas impugnatur.

IN cum locum incidimus, quem longè, latèque patentem Theologi, præſertim iuniores, copioſè tractare ſolent, propterea quòd Sedis Apoſtolicæ non auctoritas modò, & grauitas, verùm etiam omnis omninò vis, & facultas, cùm ſemper ab hæreticis impugnata eſt, tum multò magis hoc tempore à Lutheranis impetitur, quorum in Romanam Eccleſiam contentio pertinax, & odium æternum eſt. Sed non ego perſequar quæſtiones infinitas de Romani Pontificis poteſtate, tantùm de auctoritate dogmatum videamus. Nolo autem agere confusè, vt id explicemus hac diſputatione, quod quæritur. Itàque eorum in primis argumentationes exponemus, qui locum impugnant. Deindè loci nos vim, & auctoritatem cum Catholica Eccleſia conſeruabimus. Poſthæc aduerſariorum argumenta diluemus. Quæ ſi longior fuerit oratio, cum magnitudine vtilitatis comparata, fortaſſis etiam breuior videbitur. Qui igitur locum hunc infirmare pergunt, his argumentis, vt ſibi videtur, efficiunt.

Primò, Ioannes vigeſimus ſecundus publicè docuit, iuſtorum animas non videre Deum vſque ad iudicij diem: cauitque ne Pariſijs Theologiæ gradum quiſquam conſequeretur, niſi priùs in hanc ſententiam iurauiſſet. Errare igitur ſummus Pontifex, atque adeò Sedes Apoſtolica in fide poteſt.

Secundò, Cœleſtinus III. definiuit, quòd cum alter coniugum labitur in hæreſim, diſſoluitur matrimonium, vt patet de diuortijs, cap. Quanto. Super quo affirmat Hoſtienſis, Cęleſtini epiſtolam decretalem habitam olim in corpore iuris. Errauit igitur in fide Cœleſtinus. Nam definitio illa Euangelio contraria eſt.

Tertiò, Alexander Tertius de ſponſa duorum, cap. Licet, aſſerit, quoſdam ſuos prædeceſſores iudicaſſe: quòd ſi poſt matrimonium contractum per verba de præſenti, non conſummatum tamen, aliud nouum matrimonium conſummetur, primum dirimitur, ſecundum eſt validum. Hic autem error eſt ſine dubio in fide, & moribus manifeſtus.

Quartò, idem Alexander Tertius, cap. Cùm eſſes, de teſtam. definit, alienum eſſe, & à generali eccleſ. conſuetudine, & à diuina lege, & Sanctorum Patrum inſtitutis, vt teſtamenta, niſi quinque, vel ſeptem teſtium fuerint ſubſcriptione firmata, penitùs reſcindantur. Conſtat autem ciuilem legem, quæ eiuſmodi teſtamenta minùs ſolemnia irritat, à viris hodiè eccleſiaſticis comprobari. Falſus eſt igitur in fide Alexander, vt qui pronunciet legem aliquam eſſe diuinæ contrariam, quæ re vera contraria non eſt.

Quintò, Innocentius Primus in epiſtola ad Rufum, & Euſebium, cap. 1. Qui viduas, inquit, acceperunt vxores, ad ſummum Sacerdotium agnoſcimus perueniſſe. Quod contra legis eſſe præcepta, nullus ignorat: cum Moyſes clamet, Vxorem virginem ſacerdos accipiat, contrà quod præceptum diuina auctoritate ſubnixum, nulla defenſio opponitur, niſi conſuetudo veſtra, quæ ex ignorantia profecta eſt. Et Innocentius Tertius, cap. Per venerabilem, qui filij ſint legitimi, cum quandam legem Deut. retuliſſet. Sanè, ait, cùm Deuteronomium ſecunda lex interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, vt quod ibi decernitur, in nouo Teſtamento debeat obſeruari. At decreta veteris Legis debere à nobis obſeruari, ſacris etiam literis, non modò Concilio Florentino aduerſatur.

Sextò, Nicolaus Tertius in extrauag. Exijt qui ſeminat, de verborum ſignificatione, decernit, abdicationem proprietatis, omnium rerum tam in ſpeciali, quàm in communi Chriſtum Dominum, & verbo, & exemplo docuiſſe. Quod erroneum eſſe Io XXII. docet in extrauag. Tum inter nonnullos.

Septimò, Nicolaus ad conſulta Bulgarorum, refertur que de conſec. diſt. 4. c. quodam Iudæo, definit, quòd ſi in nomine Chriſti aliquis baptizetur, rebaptizari non debet. Cuius oppoſitum Pelagius Papa determinat, in epiſtola ad Gaudentium Epiſcopum, referturque eadem diſt. cap. Multi, &c. Si re vera, quæ ambo capitula ex eadem epiſtola ſunt de-

deptompta. Conſentit, & cum Pelagio Zacharias Papa, cap. In Synodo, eadem diſt. Aut Nicolaus igitut, aut Pelagius falsò de fidei quæſtione decreuit.

Octauò, Diuus Gregotius in epiſtola quadam ad Auguſtinum Cantuarienſem Atchiepiſcopum, Gtegorius quoque Tertius in epiſtola ad Bonifacium Epiſcopum, ex Apoſtolicæ, Romanæque Eccleſiæ auctoritate pronunciarunt, quòd ſi mulier infirmitate aliqua fuerrit correpta, nec voluetit debitum marito ſuo reddere, maritus quidem aliam vxorem ducere poteſt, ea lege tamen, vt ſubſidij opem coniugi priori non ſubtrahat: Quòd autem vit ab vxore, quæ per infirmitatem, debitum reddere non valet, diſcedere poſſit, atque ad ſecundas nuptias tranſire, doctrinæ Euangelicæ, Apoſtolicęque aduerſum eſt, vt Gratia. 32. q. 7. dixit.

Nonò, Gelaſius contrà Eutychen, & Neſtorium definit, in altaris Sactamento, facta etiam conſecratione, panis, vinique ſubſtantiam manere. Id quod à fide Catholica alienum eſt.

Decimò, Romani Pontifices literas ſæpè ſacras falsò expoſuernnt. Nam vt ea loca pręte rmittam, quæ Caietanus tefert in opuſculo 27. quęſtionum, q. vltima, certè Gelaſius Papa cum Concilio ſeptnaginta Epiſcoporum, & refertur ſub nomine Pelagij 21. diſt. cap. quamuis, atque Anacletus 22. diſt. cap. Sacroſancta, probant, Romanam Eccleſiam cęteris eſſe prælatam, illa Euangelica voce Domini Saluatoris: [Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Quod idem plures etiam alios Pontifices ſenſiſſe conſtar. Ridiculum autem videtur eſſe, Euangelicum teſtimonium in eum ſenſum velle flectere. Ad eundem quoque modum plerique ſummi Pontifices ad probandum maiores Eccleſiæ cauſas ad Sedem Romanam eſſe referendas, inducunt illud ex Luca: [Ego rogaui pro te, Petre, ne deficiat fides tua. Quod quàm ineptum ſit, vel ex eo liquere aiunt, quòd ibi Dominus Petro ſolùm, non item poſteris loquebatut. Subdit enim: [Et tu aliquaudo conuerſus, confitma fratres euos.] Quæ verba ſi ad poſteros referantur, nimirùm Romanos Pontifices, priùs auerſos fuiſſe oporreret, vt aliquando conuerſi confitmarent fratres ſuos. Cùm itaque Romani Epiſcopi ſacras literas falsò interptetarentur, falli, & fallere in fidei dogmate poſſunt. Nam ex ſacrarum Literarum recta intelligentia vera dogmata, ex obliqua verò falſa trahuntur.

Vndecimò, ſi Apoſtolica Sedes in fide errare non poſſet, id maximè ex priuilegio Petri; Luc. 22. [Ego rogaui pto te, Petre, vt non deficiat fides tua.] At, Petri fides defecit, iuxtà id, quod Ambroſius ait: Fidelior factus eſt Petrus, poſtquàm fidem ſe perdidiſſe deſicuit. Multò ergo magis cęteri ſucceſſores errare in fide potuerunt. Ve errauit certè Anaſtaſius 19. diſt. cap. Anaſtaſius. Erraui t quoque Honotius, vt in con. 6. Conſtan. actio. 13. & 18. definitut.

Poſtremò, Hieronymus in epiſt. ad Euagrium, cùm illi obijceretur Romanæ Eccleſiæ conſuetudo. Si auctotitas, inquit, quęritur; orbis maior eſt Vrbe. Vbicumque fuetit Epiſcopus, ſiue Romæ, ſiue Conſtantinopoli, ſiue Alexandriæ, eiuſdem meriti, eiuſdem eſt, & ſacerdotij. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiotem Epiſcopum non facit. Cæterùm, omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt. Quid ergo mihi profers vnius Vrbis conſuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum eſt ſupercilium, in leges Eccleſiæ vindicas? Hactenùs Hieronymus. Et Ambroſius lib 3. de Sacram. cap. 1. cùm Romanam conſuetudinem ſibi opponeret. In omnibus, ait, cupio ſequi Eccleſiam Romanam: ſed tamen, & nos homines ſenſum habenius: ideò quod alibi rectiùs ſeruatur, & nos rectè cuſtodimus. Ipſum ſequimur Apoſtolum Petrum; ad hoc Eccleſ. Romana quid reſpondet? Vrique ipſe auctor eſt nobis huius aſſertionis Petrus Apoſtolus, qui Sacerdos fuit Eccleſiæ Romanæ. Quòd ſi Hieronymus, & Ambroſius Eccleſ. Romanæ inſtitura facilè reijciunt, certè non eſt cur Apoſtolicæ Sedis præſcriptam in moribus regulam ſequi debeamus. Eò, vel maximè, quòd Trullana Synodus canone 55. aſſerit, Romanam Eccleſiam pręter Eccleſiaſticam traditam conſuetudinem Sabbatis quadrageſimę ieiunare: corrigitque hunc Eccleſiæ Romanæ morem, qui contrà Apoſtolorum canonem 65. inoleuerit.

His potiſſimùm argumentis hunc locum quidam infirmum eſſe contendunt. Credunt enim Sedem Apoſtolicam errare poſſe, etiam cùm de fidei quęſtione iudicat. Inter Pariſienſes Gerſon, & Almain huius ſenteutiæ pręcipui auctores habentur. Eandem ſequitur Hadrianus in 4. ſent. de confir. quæſt. vlt. Ac Thomas quidem Wal. lib. 2. doctr. fid. ant. cap. 19. eandem videtur ſequi, tametſi in lib. de ſacramentalibus, doctina 10. longè aliter ſentit. Grariauus 19. diſt. 5. Hoc autem intelligendum eſt, eidem opiuioni videtur etiam aſſentiri. Nec ab hac, vt appatet, alienus eſt Cardinalis Turrectem. l. 4. par. 2. cap. 16. Quamuis in lib. 2. cap. 109. 110. contrariam ſententiam, & tenuerit, & oſtenderit. Hanc Eraſmus libenter amplectitur ſuper epiſt. Hietonymi ad Damaſum de nomine Hypoſtaſis. Quin in libro de ratione veræ Theologiæ feneſtram dicit aperire ad perniciem veræ pietatis eos, qui doceant, Romanum Pontificem ettare non poſſe, quoties de moribus, aut fide pronunciat. Huic Lutherus ſubſcribit, huic Wicleſiſtæ, atque adeò omnes hæretici ſubſcribunt libentiſſimè.

CAP. II.

In quo redditur cauſa, cur Sedes Apoſtolica quintum locum obtineat.

HOrum ergo opinionem ex academijs Theologicis exploſurus ſum. Efficiamque, vt ſpero, vi argumentorum meorum, ſi integris animis expendantur, remotis contentione, & odio, quibus omne iudicium exocculari ſolet. Vt autem euidentiùs intelligatur, quàm ſit magnus huius opinionis error, fingamus animo vnum eſſe Lutherum,

in

In quem ſtylus hic noſter acuatur. Nam errantium multitudo non parit errori patrocinium. Sit ergo primus, idemque ſolus, qui audeat affirmare, ſummum Pontificem, eccleſiamque Romanam in fidei controuerſijs decernendis poſſe contra Euangelium errare. Niſi ego probauero certioribus argumentis, id eſſe erroneum, quàm probent Catholici, aut purgatorium eſſe, aut indulgentias Pontificias diuina auctoritate conſtare, auctoritas hæc mea, quantula cacumque eſt, apud lectores periclitabitur. Illud verò meliùs oſtendo, ſi ad locum hunc firma ratione conſtabiliendum, altiùs huius rei fundamenta iacio. Sed antè tamen cur hunc locum quintum fecerimus, paucis explicandum eſt. Erunt enim fortaſsè quidam, quibus aptior ordo videretur, ſi priorem, quo conciliorum auctoritas continetur, hic locus antecederet. Quin etiam ſi aberrant à coniectura, video tamen quid ſequantur. Nempè Sedis Apoſtolicæ auctoritate ſublata, Concilia quæcumque non ſolùm vacillare, ſed cadere: at Sedem Apoſtolicam per ſe etiam ſine Concilijs ſuam habere auctoritatem. Priorem itaque eſſe Eccleſiæ Apoſtolicæ, quàm Conciliorum auctoritatem. Rebus autem ſuum cuique ſeruare locum natura iubet. Quemadmodum locus elementis ſuus eſt cuique proprius, vt terra infimum teneat, hanc inundet aqua, ſuperior æther, ignibus altiſſima ora reddantur.

Quibus breuiter reſpondemus; nos homini ingenij habita ratione, naturæ ordinem ſæpè negligere. Eſt autem hominibus comparatum, quod Ariſtoteles non ſemel admonuit, vt à notioribus ad ea, quæ minùs ſunt nota, proficiſcantur. Quamobrem, cum Conciliorum auctoritas pleriſque ſit, & acceptior, & notior, nihil mirandum eſt, ſi naturæ ordinem anteuerterimus. Præterquàm quòd Concilia Eccleſiam repræſentant, & ab Eccleſia Catholica Concilia Catholica ſeiungere, non erat ſatis ex ordine. Meritò igitur Eccleſiæ Concilia hærere fecimus. Sed de his hactenùs. Iam id, quod erat inſtitutum, perſequamur.

CAP. III.

Tria pronunciata continet, quibus efficitur Petri in fide firmitatem ad ſucceſſores quoque deriuari.

Etſi non ſum neſcius, quàm ſit ſcholaſtica diſputationis forma quibuſdam inuiſa: ſed non debeo tamen aliam inire diſputandi rationem, præter eam, quam & viris clariſſimis probatam eſſe intellexi, & ad errores omnes refellendos ſemper aptiſſimam exiſtimaui. Certè quæ Auguſtinus contra aduerſarios Eccleſiæ diſſeruit, tametſi, & inuenta ſunt acutiùs, & dicta ſubtiliùs, quàm vt quiuis ea poſſit agnoſcere, ad euincendas tamen hæreſes eò aptiora iudicantur, quò tenuiùs ad viuum reſecata ſunt. Demonſtraturus igitur Apoſtolicam eademque Romanam Sedem errare in fide non poſſe, Scholæ more tres propoſitiones habeo ponere; in quibus huius quæſtionis cardo vertitur.

Prima propoſitio. Petrum Apoſtolum fuiſſe à Chriſto inſtitutum Paſtorem Eccleſiæ vniuerſalis.

Hanc probat apertè illud apud Ioannem teſtimonium, [Paſce oues meas.] Qui enim non diſtinxit inter has oues, & illas, alienam à ſuo demonſtrauit ouili, quæ Petrum paſtorem non recognoſceret: vt Innocentius, de maiorit. & obed. cap. ſolitæ, & Bernardus lib. de conſ. ad Eugen. cap. 6. euidentiſſimè argumentantur. Nec dubitari poteſt ad Petrum eam curam ſpecialiter pertinuiſſe, quem Dominus priuſquam oues illi committeret, interrogauit, nec id ſemel, aut bis, ſed tertiò etiam, Simon Iona diligis me plus his? Vbi non expreſſit ſolùm Simonis proprium nomen, ſed patris etiam nomenclaturam adiecit, ne vlla poſſet ambiguitate Petri poteſtas eludi, aut peruersè in alium torqueri.

Atque idem rursùs ex altero apud Matthæum teſtimonio declaratur: [Beatus es, inquit Dominus, Simon Bar-Iona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in Cœlis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & quodcumque ſolueris ſuper terram, &c.] Vbi notandum in primis illud, quod cùm omnes Diſcipuli rogati fuiſſent, cæteris tacentibus, vnus Petrus reſpondit. Deindè & illud aduertendum, quòd & nomen Petri antiquum Chriſtus ſeruauit, inquiens, [Beatus es Simon, & patris etiam nomen addidit, ne ad Cananæum poſſent verba referri. Nomen quoque nouum indidit, quod Petro non commune cum reliquis Apoſtolis eſſet, ſed proprium, [Et ego dico tibi, ait, non Ioanni, non Iacobo, ſed, tibi, tu es, non ſolùm vocaris, ſed es, Petrus, hoc eſt, ſaxum.] Vnde & Ioannis primo cap. Cephas, id eſt, petra ingens, ſeu rupis magno ferendo ædificio idonea, à Domino vocatus eſt. [Et ſuper hanc petram, inquit, ædificabo Eccleſiam meam, id eſt, ſuper te ò Petre,] Vt exponit Hilarius ſuper Matthæum. Ambroſius ſermone 47. de fide Petri, Cyprianus in epiſtola ad quintum, Hieronymus 1. lib. contra Iouinian. & ſuper Matthæum, & in epiſtola quadam ad Marcellam, & Eſai. 2. & 16. cap. quamuis in concione quadam de Pentecoſte aliter expoſuerit. Chryſoſtomus homil. 55. in Matth. Cyrillus lib. 2. in Ioannem cap. 12. Origenes homil. 1. in Matth. & homil. 5. ſuper Exodum. Theophylactus Lucæ 22. Gregorius in quadam epiſtola ad Mauritium Auguſtum, & in alia ad Eulogium Alexan. Epiſcopum 6. lib. epiſtola 37. Leo concione 2. de Apoſtolis Petro, & Paulo. Sed & in epiſtola ad Flauianum, Petrus, inquit, à principali petra ſoliditatem, & virtutis traxit, & nominis. Atque in epiſt. 67. ad Epiſc. Viennen. id apertiùs exponit, 19. diſt. cap. Ità Dominus. Tertullian. lib. de præſcr. hære. Epiphanius in lib. Ancoratus, Dionyſius item in epiſt. ad Timoth. Petrum dicit à Paulo vocatum fundamentum Eccleſiarum. Et Concil. Chalced. vocat Petrum petram, & crepidinem Catholicæ Eccleſiæ, atque ex conſequenti fatetur, Eccleſiam Catholicam ſuper Petrum ædificatum.

tum. Nec me latet, Auguſt. ſuper Ioannem homil. vltima, & de verb. Domini homil. 13. Id veritum eſſe concedere. At lib. 1. retract. cap. 21. hunc communem Sanctorum ſenſum non reprobat. Nec reprobari ſanè is poterat, quem non ſummi modò Pontifices, verùm Concilia quoque probant, quemadmodum ex his, quæ poſteà dicemus, perſpicuum erit.

Sed non eſt opus, rem alioqui lucidiſſimam externis admoris luminibus illuſtrare. Quorsùm enim dicit Dominus Simoni filio Ionæ, Tu es *Petros*, hoc eſt, ſaxum, niſi vt intelligeremus, cum eueſtigio addit, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, ipſiſſimum Petrum eſſe, ſuper quem eſſet Eccleſia ædificanda? Cùm verò idem ſit ſecundùm metaphoram domus fundamentum, quòd ſeruata corporis analogia caput; maniſeſtè colligitur, Petrum, vt Eccleſiæ caput, ità etiam fundamentum eſſe. Cur autem nomen capitis in Petro vereamur, ſi rectorem ouium Chriſti eum negare non poſſumus? Nam populi rectores,capita dicũtur, Amos 6. & Saul, quoniam Rex erat, caput populi dicitur, 1. Regum 15. Sed teſtimonia Patrum Bucerus quærit, negatque Petrum ab vllo vnquam caput Eccleſiæ vocatum. Impudentiſſimè verò negat.

Quoniam Euariſtus, Alexander huius nominis Primus, Pius etiam Primus, Calixtus Primus item, Gregorius, Athanaſius, Chryſoſtomus,Patres Concilij Chalcedonenſis, Conſtant. ſeptimæ ſynodi. Petrum, ac ſucceſſores eius caput Eccleſiæ non obſcurè appellauerunt. Quorum teſtimonia paulò poſt adſcripturi ſumus. Fateamur igitur, Petrum, & caput, & fundamentum, & rectorem, paſtoremue eſſe à Chriſto conſtitutum Eccleſiæ vniuerſalis. Hæc enim omnia adeò ſibi cohærent, vt ſi vnum ex illis tollas, reliqua tollere neceſſe ſit. At Clemens 6. diſp. li. Petrus, Iacobus, & Ioannes, inquit, quamuis à Chriſto fuerint omnibus penè prælati, tamen non ſibi vendicabat primatus gloriam,ſed Iacobum, qui diecbatur iuſtus,Apoſtolorum Epiſcopum ſtatuunt.

Non igitur Clementi Petrus erat Paſtor Eccleſiæ vniuerſalis. Huiuſmodi ſcilicet teſtimonia hinc inde venantur hæretici, vt luci tenebras offundant. Dionyſius 3. cap.de diuin. nomin.Petrum dicit ſupremum fuiſſe decus, & Theologorum columen. Euſeb. lib. 2. Eccl. hiſt. cap.14. Petrum ſcribit, probatiſſimum omnium Apoſtolorum, & maximum, fideique magnificentia primorum principem. Epiphan. hæreſ.51. affirmat Chriſtum elegiſſe Petrum, vt eſſet dux ſuorum Diſcipulorum. Leo in epiſt. ad Epiſc. Viennen. Euangelici muneris ſacramentum, ait, ità Dominum ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluiſſe, vt in beatiſſimo Petro omnium Apoſtolorum ſummo principaliter collocaret.

His, nam alios enumerare longum eſt; his inquam, tam multis, & idoneis teſtibus non credunt hæretici, & volunt nos vni Clementi credere, qui dicat Iacobum Apoſtolorum Epiſcopum inſtitutum eſſe. Hieroſolymorum Epiſcopus Iacobus agnoſcitur; Apoſtolorum Epiſcopus non agnoſcitur. Quamquam Apoſtoli ædificationis gratia, cùm erant Hieroſolymis, Iacobo ſanè plurimùm deferebant: quò poſteris Epiſcopis exemplo eſſent,vt tamquam ſubditos in aliena Eccleſia ſe gererent. Sed benè habet, quod non aſſerit Clemens Dominum ſtatuiſſe; ſed Apoſtolos modeſtiæ cauſa. Nos verò hac prima propoſitione aſſerimus,Petrum à Domino paſtorem Eccleſiæ Catholicæ inſtitutum. Quod, quoniam Caietanus in libel.de auctorit.Papæ, & Concilij, & fuſiùs adhuc in altero de Eccleſiæ Romanæ primatu plurimis, maximiſque argumentis oſtendit,nos breuiter demonſtraſſe ſufficiat.

Secunda propoſitio, Petrum, cùm Eccleſiam docebat, aut oues in fide firmabat, errare non potuiſſe. Hæc primùm oſtenditur ex illo teſtimonio, Lucæ 22. [Simon, Simon, ecce Satan expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.] En cùm dixiſſet Dominus, [Satan expetiuit vos, non ait, Ego rogaui pro vobis,ſed, pro te, nec dixit, Et vos aliquando conuerſi, ſed; Tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.] Cùm autem oratio Chriſti, vt auctor eſt Paulus, ſemper fuerit exaudita, quod Chriſtus orauit, id certè conſecutus eſt, ut Petri fides deficeret, vt fratres poſſet in fide firmare. Deindè hanc etiam demonſtrat illud Matth. 16. [Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.]

Quæ verba explicans homil 1. in Matth. Origenes air: Manifeſtum eſt, etſi non exprimatur, quòd nec aduersùs Petrum, nec aduersùs Eccleſiam portæ præualere poterunt inferorum. Nam ſi præualerent aduersùs petram, in qua Eccleſia fundata erat, contra Eccleſiam item præualerent. Petrus ergo firmus ſtabat in fide, ne fabrica ſuper ipſum fundata rueret. Præterea ſi Petro peculiari ratione, & priuilegio, Claues non vnius Cœli, ſed Cœlorum datæ ſunt, quemadmodùm homil.6. in Matth. annotauit Origenes, Claues autem Cœlos aperiunt, conſequens ſit, vt omnia Cœlorum impedimenta tollant. At ex parte intellectus ingreſſum in Cęlos impedit ignorantia fidei, ſicut ex parte voluntatis affectio praua; data eſt igitur Petro poteſtas, non minùs ad tollendam ignorantiam, quàm ad tollenda peccata. Quęcumque itaque ſoluiſſet, & quæcumque ligaſſet, ſiue ſpectarent ad intellectum, ſiue ad affectum, ea ligata fuiſſent, ſolutaque in Cœlis. Quamobrem, quæſtiones in fide difficiles ſoluere iure ſuo Petrus poterat, ligareque proindè ſuo iudicio, vt id tenerent fideles, quod ipſe decerneret.

Atqui falsò de fide iudicio fideles ligari non queunt. Quòd ſi diuinatio in labijs Regis, & in iudicio non errabit os eius, vt Prouerb. 16. c. dicitur, cur nos exiſtimabimus, Petrum Regni Cœlorum principem à Deo conſtitutum, in grauiſſimo de fide iudicio errare potuiſſe? Etſi Caiphas, vir in ſynagoga impius, cùm eſſet Pontifex anni illius, quia Pontifex tamen erat, prophetauit, nonne magis Petrum ſummum à Chriſto Pontificem Eccleſiæ datum, diuino ſpiritu ad veritatem finiendam agi credemus? Si paſtor denique omnium fidelium Petrus eſt à Deo conſti-

ſtitutus, Doctor ergo, & Magiſter Eccleſiæ ſupremus effectus eſt.

Quòd ſi paſcua doctrinæ ſalubris ouibus Chriſti non daret, ſed poſſet eas erroribus falſis, ac pernicioſis paſcere, nimirùm non eſſet à Chriſto Eccleſiæ prouiſum. Prouiſum eſt autem ſine dubio, niſi Petrus ipſe nos fefellerit, inquiens: [Viri fratres, vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus, Deus vos nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere. Petrum ergo peculiariter inter cæteros elegit Chriſtus, vt eum gentes in fidei controuerſia non audirent ſolùm loquentem, ſed etiam crederent. Ita enim cùm Petrus ſententiam edixiſſet, tacuit omnis multitudo Petro definienti conſentiens, vt Actorum 15. à Luca refertur.

Tertia propoſitio. Petro defuncto, diuino iure eſſe, qui illi ſuccedat in eadem auctoritate, & poteſtate. Nam cùm oues Chriſti eſſent vſque ad conſummationem ſeculi futuræ, deſipiet profectò, qui Chriſtum exiſtimabit, ouili perpetuo paſtorem temporarium ſuffeciſſe. Quod igitur Dominus inſtituendo paſtorale Eccleſiæ munus primo paſtori contulit, id ordinariè cuilibet ſucceſſori intelligitur contuliſſe, vt Caiet. de primatu Eccleſ. Rom. cap. 12. eruditiſſimè comprobauit. Prætereà, Regnum Chriſti futurum erat æternum, ergo & Eccleſiæ principatus non fuit temporalis, quod libro etiam ſuperiore probatum eſt. Alioqui, ſi Petri poteſtas ad poſteros non eſt tranſlata, ne cæterorum quidem Apoſtolorum poteſtatem ad ſuccedentes Epiſcopos tranſmiſſam agnoſcemus. Ità nunc in Eccleſia, nulla aut Epiſcoporum, aut Sacerdorum poteſtas erit. Qui eſt error in fide manifeſtus.

Vtitur etiam Bernardus ad Eugen. lib. 2. cap. 6. in huius rei confirmationem, illo Exod. teſtimonio: Eſto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt oſtendas populo ceremonias, & ritum colendi, viamque, per quam ingredi debeant. Prouide autem de omni plebe viros ſapientes, qui iudicent populum omni tempore. Quicquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipſi minora tantummodò iudicent. Si hoc feceris, implebis imperium Domini: Quibus auditis, Moyſes fecit omnia, quæ Ietro ſuggeſſerat. Quòd ſi Ietro conſilium, & optimum fuiſſe conſtat, & Synagogæ maximè neceſſarium, vt vnus eſſet ſummus iudex, ad quem maiores cauſæ, & quæſtiones referrentur; nullo pacto veriſimile fit, Chriſto Domino huiuſmodi conſilium defuiſſe, quod Eccleſiæ erat ſimiliter neceſſarium. Non ergo Petro ſolùm ea poteſtas collata eſt à Domino, ſed ad poſteros quoque tranſijt, niſi Deus maiorem ſynagogæ curam habuerit, quàm Eccleſiæ.

Confirmat eam rem, vel maximè alterum legis veteris teſtimonium, quo vſus eſt Innocentius Tertius, cap. Per venerabilem, qui filij ſunt legitimi. Si difficile, inquit, & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris, & iudicium intrà portas tuas videris verba variari ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quæcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus: & docuerint te iuxtà legem eius, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. In quibus verbis illud primum aduertendum eſt, non quaslibet cauſas ad Metropolitanum iudicem, ſummumque ſacerdotem eſſe referendas, ſed difficiliores, quàm vt minorum iudicum auctoritate abſolui poſſent.

Deindè, & illud admonendum, ſupremum illud Tribunal, à cuius ſententia iuxtà legis normam, nulla prorsùs erat appellatio, ſenatum ſuum habuiſſe quidem Leuitarum, & Sacerdotum, ſed vnum eſſe primum iudicem, ſummumque vnum ſacerdotem, qui in ſententia ferenda, vel ſolus ſignificatur habere auctoritatem. Qui autem ſuperbierit, inquit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat, vel præſidenti ad miniſtrandum, vt ſeptuaginta tranſtulerunt. Et rursùm: Ex decreto iudicis morietur homo ille. Non ait, Sacerdotum, & iudicum: ſed, Sacerdotis, & iudicis. Nec illud prætereundum, quòd non iubet Dominus, Concilium ex tota ſynagoga congregari, ſed Concilium adhiberi iubet ſacerdotum, & Leuitarum, qui ſenatus loco ſummo ſacerdoti in ciuitate matricia ſemper adeſſent.

Quia enim in promptu erat, vt id genus quæſtiones, & controuerſiæ identidem orirentur, paratum, & aditu facile oportebat eſſe tribunal: id quod non eſſet, ſi frequens cogendum eſſet ex omni ſynagoga Concilium, vt vniuerſas controuerſias definiret. Sed ne id quidem negligendum eſt, legislatorem abſolutè præſcribere, vt poſt ſacerdotis præſidentis iudicium omnes ſuis opinionibus cedant, Facies, ait, &c. ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, aut ſiniſtram. Nec iniuria id quidem præſcribit legislator, quoniam ante, vt ſecuros diſceptantes redderet, fuerat pollicitus, iudicium illius ſenatus, ad quem conſultatio referretur, verum eſſe futurum, Qui iudicabunt, inquit, tibi iudicij veritatem. Sed, ait Bucerus, vera erunt hæc, ſi protulerit ſecundùm legem. Sic enim habet Moyſes: Facies quæcumque docuerint te iuxtà legem eius.

Hic primum, quod illi ſæpè contra nos faciunt, reuocare nos libet ad Hebraicam veritatem. Septuaginta quippè hoc modo verterunt: Facies ſecundùm verbum, quod nunciauerint tibi ex loco, quem elegerit Dominus Deus tuus. Et cuſtodies valde, vt facias ſecundùm omnia, quæ ſancita fuerint tibi, ſecundùm legem, & iuxtà iudicium, quod dixerint tibi, facies. Et ſanctus Pagninus ità reddidit: Facies ſecundùm ſermonem verbi, quod annunciabunt tibi: & cuſtodies faciendo iuxtà omnia, quæ docebunt te. Iuxta ſermonem legis, quem docebunt te, & ſecundùm iudicium, quod dicent tibi, facies. Vbi non præcipit Moyſes, vt ſacerdotibus credant, ſi iudicarint ſecundùm legem, ſed potiùs, vt quæ ſacerdotes docuerint, ea pro lege habeantur. Alioqui ſi de legis, ac religionis

con-

controuerſia ad ſenatum recurrentibus hanc anſam liceret arripere, nulla vmquam eiuſmodi quæſtio finiretur.

Semper enim ille locus dubitandi eſſet reliquus, an ſacerdotes proferrent iuxtà legem: cuius dubitationis nullus eſſet index inſtitutus. Sed de his diſputatum eſt alio loco ſatis, vt arbitror, diligenter. Nunc autem id ſolùm agimus, Deum poſt tempora etiam Moyſis, quamdiù ſynagoga futura erat, inſtituiſſe maximi Pontificis vnum tribunal ſummum, è cuius iudicio priuati omnes ciues, ac iudices etiam minores penderent. Quid ergo? Moyſes prouidit ſynagogæ, & Chriſtus non prouidit Eccleſiæ? An volumus, vt his diebus non ſit iudex in Iſrael, ſed vnuſquiſque quod ſibi videatur bonum, id & faciat, & ſentiat? Volumus, inquiunt, Euangelij libertatem. An ne eſt libertas Ciuitati, nullum habere, à quo regatur? Eſt libertas naui, ſine gubernatore vndis, ventoque permitti? libertas ergo erit, vt quidam ait, nullum eſſe in ſchola Præceptorem, nullum in humano corpore caput, nullam mentem in homine, ſed ſolis cupiditatibus turbari, ac miſceri omnia, pro libidine.

Id verè ne pecudes quidem cuperent, quarum intereſt paſtores habere, à quibus deducuntur in Paſcua, atque in eis defendantur ab iniuria ferarum. Non, itàque vt ad propoſitum reuertamur, domus vna ſine Patrefamiliàs, vna Ciuitas ſine Rectore, ouile ſine Paſtore, vno mortuo Petro relictum eſt, ſed eſt aliquis, qui illi in regendi, ac paſcendi oues auctoritate ſuccedat. Quòd ſi obijcias, ex typo, & figura non ſumi idoneum argumentum, memineris, quæ in veteri populo illo, quaſi delineata ad illius ſpeciem, & ordinem pertinerent, ea ad ſpeciem Eccleſiæ, & ordinem referri oportere. Nec nos ex figura argumentamur, & typo, ſed à minori ad maius argumentamur, euidenti ſanè ratione. Incredibile eſt enim, Synagogam componendis de fide, lege, & religione controuerſijs Iudicem, & Senatum Deo auctore habuiſse, Eccleſiam non habere: præſertim cùm Eccleſiæ id ſit multò etiam magis neceſsarium. Quæ cùm ex tam varijs nationibus, linguis, ingenijs, inſtitutis, emerſerit, neceſse eſt, vt plures, grauioreſque habeat de fide, & Religione controuerſias.

Quas niſi huius Reipublicæ Princeps valeat componere, Eccleſiæ profectò forma, & ſpecies turpiſſima eſt, & ſors multò, quàm Synagogæ deterior. Sed Eccleſiæ, ac Synagogæ omiſſa comparatione, ex fine certè præſcribitur auctoritas, quæ Principi in vnaquaque ſocietate congruat. Non enim æqua eſt auctoritas cuilibet imperanti: ſed alia Patriſamiliàs, alia Præfecto, alia Regi conuenit: vnicuique verò horum tanta, quanta ad cuiuſque ſocietatis finem neceſſaria erit. Vt eam Patriſamilias preſtemus auctoritatem neceſſe eſt, quam ad finem domeſtici conuictus neceſſariam eſſe, ratio recta, & doctrina præſcripſerit. Quoniam in vna domo, eodemque recto, vbi varia eſt hominum natura, & officium cuiuſque diuerſum, non aliter viui omninò poteſt.

Tantam ergo habet ſummus à Chriſto inſtitutus Pontifex in Eccleſia auctoritatem, quanta ad continendos Chriſtianæ Reipublicæ ciues in fide, Religione, officio, eſt neceſſaria. Suboriri autem inter nos neceſſum eſt de fide, ac Religione controuerſias, quibus componendis, ſi nullus eſt à Chriſto datus Iudex, ad quem referretur tandem, eiuſmodi quæſtio omnis ſine fine eſſet, perpetuaque diſſenſio, rotque, tamque diſſonantes de fide, ac Religione ſententiæ, quot ſunt in Eccleſia, & quàm ſunt diuerſa capita. Quas ob res ſi Eccleſiæ vnitatem, charitatem, conſociationem conſeruare oportet: neceſſe eſt profectò, vt vnus ſit relictus à Chriſto Princeps, qui non aliter, ac Petrus diſſidentium lites, dirimere, ſoluereque quæſtiones poſſit. Videmus enim Principi, cuiuſque alteriùs ſocietatis id conuenire, vt ſi inter ſocios aliquæ controuerſiæ oriantur, præſertim, quæ ad finem illius ſocietatis propriè pertineant, dirimere eas valeat, cum adiuncto ſibi ſeniorum, prudentiumque conſilio.

Atque hęc demùm propoſitio tertia definita eſt in Concilio Conſtanſienſi. Nam 8. ſeſs. ille error Wicleffi damnatur, Papa non eſt proximus, & immediatus Vicarius Chriſti. Et ſeſſ. 15. ſeptimus error damnatus eſt huiuſmodi, Petrus non fuit, nec eſt Caput Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ. Et tertiusdecimus, Papa non eſt manifeſtus, & verus ſucceſsor Petri. Et 27. error. Non eſt ſcintilla apparentiæ, quòd oporteat eſse vnum Caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa militanti Eccleſia conuerſetur, & conſeruetur. Et in Bulla Martini quinti eidem Concilio præſidentis. Vtrum credat, quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ſit ſucceſsor Beati Petri, habens ſupremam poteſtatem in Eccleſia Dei. Neque hoc nouum ſanè fuit. Quin Eccleſia ſemper vnum Summum Pontificem, ac totius Eccleſiæ Paſtorem Petro ſuccedentem agnouit. Quòd ſi reliqua omnis poteſtas Petro conceſsa, ſiue ad remittenda peccata, ſiue ad quæcumque alia Reipublica. Chriſtianæ neceſsaria munia, non ad Petrum ſolùm, ſed ad ſucceſsores pertinet: certè, quod dictum eſt. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam: illud rurſùm: [Tibi dabo claues Regni Cœlorum:] Illud item: [Paſce oues meas·] illud denique: Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, ad Summos Pontifices, qui Petro in Eccleſia ſuccedunt, eſt referendum. Priuilegium quippè in fide non errandi, ob Eccleſiæ vtilitatem Petro conceſsum eſt. Ideò enim, cùm dixiſset Chriſtus: [Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, ſubdidit protinùs. Et tu confirma fratres tuos.] Verùm hæc in genere dicta ſint, iàm in ſpecie, quæ ad hanc controuerſiam pertinent, ea euidentiùs explicabuntur.

C A P. IV.

In quo oſtenditur, quòd Romanus Epiſcopus ille ſit, qui Petro, & in fidei firmitate, & in componendis Religionis controuerſijs, diuino iure ſuccedat.

SEquitur, vt doceamus Romanam Sedem eam eſse, vbi Petri, & ſoliditas, & auctoritas, Deo auctore, collocata ſint. Quod, quoniam non hæretici modò impudenter, verùm etiam Catholici nonnulli imprudenter inficiati ſunt, diligentiſſimè eſt nobis corroborandum. Tam enim diligenter, etſi minùs verè, ſed tamen accuratè non modò fundatam, verùm etiam extructam opinionem, non eſt facilè diruere, Si opinio tamen dicenda eſt, quæ adeò certis argumentis refelletur. Et quidem hac de re quamuis plura dicta ſunt à Caietano, cùm alijs in locis, tùm in libello de Romanæ Eccleſiæ primatu, quia tamen, vel ob ſtyli quaſi ingenitam obſcuritatem, vel ob id forſitan, quòd minùs attentè à pleriſque legitur, nihil etiam num viris doctis, & ingenioſis perſuaſit: oportebit nos de rebus eiſdem iterum diſputare. Explicabuntur autem hæc fortaſsè ieiunius, his enim vbertas orationis adhiberi vix poteſt. Veruntamen de rebus grandioribus, atque ad exponendum difficilibus, omne, quod dilucidè dicitur, egregiè, & præclarè dicitur. Locum igitur arduum explanaturi, teſtibus primùm id faciemus, quorum audita teſtimonia, locum dubitationi non relinquant. Nolo autem quàm plurimis poſſum teſtimonijs lectorem onerare: ſed grauiſſima, & apertiſſima ſolùm adſcribam. Ordiar autem ab ipſis Summis Pontificibus, quorum de hac re clara iudicia, & certa ſunt. Simpliciter autem adſcribentur, ne, inquit, & ait, ſæpiùs interponantur.

Anacletus in epiſtola 1. de oppreſſione Epiſcoporum: Difficiliores quæſtiones, & maiores cauſæ ad Sedem Apoſtolicam referantur: quoniam Apoſtoli hoc ſtatuerunt iuſſione Saluatoris, vt maiores, & difficiles quæſtiones ſemper ad Sedem deferantur Apoſtolicam, ſuper quam Chriſtus vniuerſam conſtruxerit Eccleſiam, dicente ipſo ad Beatum Principem Apoſtolorum: [Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.]

Et in 3. epiſtola de Patriarchis, & primatibus explicat, quidnam per Sedem Apoſtolicam intellexerit in hæc verba: Hæc Sacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia, non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas Eccleſias, ac totum Chriſtiani Populi gregem aſſecuta eſt, ſicut ipſe Beato Petro Apoſtolo dixit: [Tu es Petrus, &c.]

Euariſtus. Ad Sedem Apoſtolicam, tamquam ad Caput, ſunt dubia referenda. Id verò dixit Euariſtus Epiſcopis Aphricanæ regionis, cùm illum de fidei quæſtione conſulerent. Dixit etiam eos in hoc normam Patrum ſecutos. Ab ineunte igitur Eccleſia Romanus Pontifex magiſter fidei eſt agnitus. Quod erat Petri proprium munus.

Alexander huius nominis primus in epiſt. ad omnes orthodoxos. Huius Sanctæ, & Apoſtolicæ Sedis apici ſummarum diſpoſitiones cauſarum, & omnium negotia Eccleſiarum ab ipſo Domino tradita ſunt, quaſi capiti. Probat verò hoc eodem Matth. teſtimonio: [Tu es Petrus, &c.]

Sixtus primus ad Gallicanas Eccleſias, & Eleutherius ad eaſdem affirmant, à Sanctis Apoſtolis eſſe inſtitutum, vt Epiſcoporum iudicia, ad Sedem Apoſtolicam referantur. Scilicet, quia maiores Eccleſiæ cauſæ, &c.

Pius primus in epiſt. ad omnes Eccleſias. Hanc ſanctam Sedem Apoſtolicam omnium Eccleſiarum Caput Dominus eſſe præcepit, dicens Principi Apoſtolorum Petro: Tu es Petrus, &c.

Victor in epiſt. ad Theophilum, ad Romanum Epiſcopum, Epiſcoporum omnium cauſas ab Apoſtolorum tempore pertinere definit. Probatque illo teſtimonio. [Quæcumque ligaueris, &c.] Citat etiam in hoc inſtitutum Apoſtolorum, in quo Romana Sedes vocatur vniuerſalis Apoſtolica Eccleſia. Eundem quoque Apoſtolicum canonem nomine Eccleſiæ refert in hoc ipſum Sixtus II.

Zepherinus in epiſt. ad Epiſcopos Sicilianos. Maiores Eccleſiæ cauſę à Sede Apoſt. & non ab alia, ſicut Apoſtoli ſtatuerunt, ſunt terminandæ, iuxtà illud: [Quecumque ligaueris, &c.]

Marcellus ad Epiſcopos Antiochenæ Prouinciæ, idem confirmat ex illo: [Tu es Petrus, &c.] Aſſerit etiam ex diuina iuſſione, & Apoſtolorum traditione ad Eccleſiam Romanam, tamquam ad caput, referenda maiora Eccleſiæ negotia.

Euſebius ad Epiſcopos Campaniæ, & Tuſciæ, cum affirmaſſet Romanam Eccleſiam Petri priuilegio eſſe donatam, ſubiecit: Prima ſalus eſt, rectæ fidei regulas cuſtodire, & à conſtitutis Patrum nullatenùs deuiare. Nec poteſt Domini noſtri prætermitti ſententia, dicentis: Tu es Petrus, &c.] Et hæc, quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus. Quia in Sede Apoſtolica extra maculam ſemper eſt Catholica reſeruata Religio.

Melchiades in epiſt. ad Hiſpaniarum Epiſcopos. Priuilegium Epiſcopos iudicandi, Dominus beato clauigero Petro ſua vice ſolummodò commiſit. Quod eius prærogatiuum ſuæ concedit ſedi futuris hæreditandum temporibus. Quod vtique priuilegium à temporibus Apoſtolorum ſtatutum eſt ſeruare: & illæſum manet, vſque in hodiernum diem: Ne quando membra à ſuo diſcrepent capite, & ſchiſmata oriantur.

Marcus ad Athanaſium. Sancta Romana Eccleſia, quæ ſemper immaculata manſit, & Domino prouidente, & Beato Petro Apoſtolo opem ferente, in futuro manebit ſine vlla hæreticorum inſultatione firma, & immobilis. Hæc Apoſtolorum viua traditio. Hæc Sancta, & Apoſtolica Mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia, quæ per omnipotentis Dei gratiam, à tramite Apoſtolicæ traditionis

nis numquam erraſſe probatur, ſed illibata hucetenùs manet, ſecundum ipſius Domini pollicitationem: Ego pro te, rogaui Patre,vt non deficiat fides tua.Quo eodem teſtimonio probat idem Lucius ad conſulta, Epiſcoporum Gallorum, & Hiſpanorum: & Felix ad Benignum.

Iulius in epiſt.ad Orientales Epiſcopos. Conciliorum conuocandorum iura, & maiores cauſas ad Sedem Apoſtolicam Euangelicis, Apoſtolicisque inſtitutis referri oportet. Id à Sanctis Apoſtolis, & ſucceſſoribus eorum: id à Nicæna Synodo definitum eſt. Affert verò hic Pontifex ad illud confirmandum, teſtimonium Chriſti à cæteris repetitum: Tu es Petrus, &c.] illam quoque rationem, ne membra à ſuo capite diffidcant.

Idem quoque Iulius in Epiſtola ad Epiſcopos congregatos Antiochiæ, Sanctam Romanam Eccleſiam, & Apoſtolicam ipſe Dominus decenter allocutus eſt, inquiens: [Tu es Petrus, &c.] Habet enim poteſtatem ſingulari priuilegio ſibi conceſſam, & Domini ore ſacrata, atque deſuper exaltata eſt. Et ſicut Beatus Petrus primus fuit Apoſtolorum omnium, ità & hæc Eccleſia ſuo nomine conſecrata,Domino inſtituente,prima, & Caput eſt cæterarum, vt ad eam,quaſi ad Matrem,& apicem omnium, maiores Eccleſiæ cauſæ referantur. Aſtruit verò in Nicæna Synodo eſſe definitum, non debere præter ſententiam Romani Pontificis vllo modo, aut concilia celebrari, aut Epiſcopos damnari; cui maiora Eccleſiarum negotia ab ipſo Domino ſpeciali priuilegio tradita ſunt.Citat verò in huius rei confirmationem 18. caput Nicæni Concilij in hæc verba: Omnes Epiſcopi in grauioribus cauſis liberè Apoſtolicam appellent Sedem, atque ad eam quaſi ad matrem confugiant: cuius diſpoſitioni omnes maiores Eccleſiaſticas cauſas antiqua Apoſtolorum auctoritas reſeruauit. Citat rurſùm 19. caput eiuſmodi Nicæni Concilij in hæc verba:Quãquam accuſati Pontificis cauſam comprouincialibus Epiſcopis ſcrutari liceat, non tamen inconſulto Romano Pontifice definire: cùm Beato Petro Apoſtolo,non ab alio,quàm ab ipſo Domino dictum ſit: [Quæcumque ligaueris ſuper terram,&c.] En Nicęnum Concilium non obſcurè, quæ poteſtas Beato Petro à Domino data eſt, eam in Romanum Pontificem aſſerit eſſe tranſmiſſam. Nec obſtat ſanè, quod hæc capitula in noſtris nunc exemplaribus non habentur.

Tum, quoniam Iulius ipſe ſub graui iuramento teſtatur, ea in ſcrinio Romanæ Sedis haberi. Fuit autem Iulius huius nominis primus, qui hoc teſtimonium perhibet,vir integra, & incorrupta fide.

Tum, quoniam aduersùs eos ſcribebat epiſtolam, quorum plerique Nicæno Concilio ipſi interfuerunt: nec vllo pacto fieri poteſt vero ſimile, quòd canones ijs obiecerit, qui facilè probare poſſent fuiſſe à Pontifice confictos.

Tum, quoniam id etiam teſtantur Athanaſius, & Pontifices Ægyptiorum, Tebaidis, & Libię in epiſtola ad Felicem, qui Concilio quoque eidem præſentes fuerunt. Scimus, inquiunt, in Nicæno magna ſynodo ab omnibus concorditer eſſe roboratum, non debere abſque Romani Pontificis ſententia Concilia celebrari, nec Epiſcopos damnari.

Tradunt autem in eadem epiſtola eiuſmodi capitula, & alia plura neceſſaria ab hæreticis incenſa, nobiſque ſublata. Eundem item canonem nomine Nicæni Concilij, protulerunt in ſexta Synodo Carthaginenſi Fauſtinus, Philippus,& Aſellius, Apoſtolicę Sedis Legati ex literis Zozimi Romani Pontificis.

Teſtatur etiam Athanaſius in epiſtola ad Marcum Papam, fuiſſe 70. capitula Nicæni Concilij,id quod Marcus ipſe eidem reſcribens planè confirmat.

Et Felix Papa in epiſtola ad Epiſcopos Ægyptios, queritur, ea capitula, de quibus nunc agimus, hęreticos expunxiſſe.

Sed & Pelagius 17. diſt.cap. Multis, id quod nos probare nitimur, dicit Sanctam Synodum ſtatuiſſe, Nicænam videlicet intelligens.

Quod expreſſit Innocentius I. ad Victricium, ſeu Victorinum cap. tertio, & Leo ad Theodoſium Iuniorem. Non ergo dubitari poteſt, quin noſtra hęc ſententia fuerit à Nicęno Concilio definita, quemadmodùm Iulius Pontifex aſſeuerauit.

Damaſus ad trium Conciliorum Aphricanorum Epiſcopos, Summas cauſarum definiri abſque Sedis Romanę auctoritate non licet. Synodumque ſine eius auctoritate fieri, non eſt Catholicum. Nec vlla Cõcilia rata leguntur,quę nõ ſunt fulta Apoſtolica auctoritate. Eſt enim firmamentum à Deo fixum, & immobile omnium Epiſcoporum, Apoſtolica Sedes, & vertex Eccleſiarum: ſuprà quam Chriſtus vniuerſalem conſtruxit Eccleſiam, ait enim. [Tu es Petrus, &c.] Vide eundem quoque in epiſtola ad Proſperum, & cæteros Numidiæ orthodoxos Epiſcopos.

Innocentius primus in epiſtolis ad Concilia duo Carthaginenſe, & Mileuitanum. Congruè Apoſtolicæ Sedis arcana conſulitis antiquæ regulæ formam ſecuti, quam toto ſemper ab Orbe noſtis eſſe ſeruatam, præſertim quoties ratio fidei ventilatur. Breuiter, quoniam omnium verba referre moleſtiſſimum eſſet; Idem omninò confirmant Leo epiſt. 54. ad Anaſtaſium, & epiſt. 67. ad Epiſcopos Viennenſis Prouinciæ, Gelaſius ad Anaſtaſium Auguſtum, & in decretis, quæ cum 70. Epiſcopis tulit, & in epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ, Vigilius in decretis ſuis cap. vltimo, Pelagius II. ad Epiſcopos, qui conuenerant in Ciuitatem Conſtantinopolitanam, Diuus Gregorius in epiſtola ad Auguſt. Anglorum Epiſcopum, alijque multi Pontifices, quorum teſtimonia habes 12.diſt. & 17. & 19. & 20. & 21. & 22. & 80. diſt. c. Vrbes, & 96. diſt. c. benè. Et 24. quæſtio. 1. per multa capita, & 25. quæſt. 1. & de electione. capit. Significaſti, & de Priuileg. cap. Antiqua; & de Baptiſ. cap. Maiores; & de elect. in 6. cap. Fundamenta; & in extrauag. Vnam Sanctam. Quam extrauagantem renouauit, & approbauit Concil. Lateranenſe,ſub Leone decimo.

Cùm ergo omnes Epiſcopi, Petro in Eccleſiæ Romanæ Sede ſuccedente, vnanimi conſenſione aſſeruerint, fidei ſoliditatem Petro collatam, ad Romano Pontifices, tamquam ad legitimos ſucceſſores, pertinere,cer-

tè

tè ſi Irenæi Canon verus eſt, qui hoc negauerit; Eccleſiæ auctoritatem ipſe negat. Quæ cauſa idonea fuit, vt ſi quæ Eccleſiæ à Romana Sede defecerint, non aliter à Summis Pontificibus ad vnionem Eccleſiaſticam fuerint receptæ, quàm ſub huiuſmodi confeſſionis forma.

Prima ſalus eſt rectæ fidei regulam cuſtodire, & à conſtitutis Patrum nullatenùs deuiare. Et quia non poteſt Domini noſtri Ieſu Chriſti prætermitti ſententia dicentis: [Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,] & hæc quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apoſtolica extrà maculam ſemper eſt Catholica ſeruata Religio: anathematizamus omnes, qui contrà Sanctam Romanam, & Apoſtolicam Eccleſiam ſuas erigunt ceruices, ſequentes in omnibus Apoſtolicam Sedem, in qua eſt integra, & vera Chriſtianæ Religionis, & perfecta ſoliditas: Profitemurque ſequeſtratos à communione Eccleſiæ Catholicæ, ideſt, non conſentientes Sedi Apoſtolicæ eorum nomina inter ſacra recitanda non eſſe myſteria, qui videlicet Sanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ Priuilegia caſſare nituntur. Hanc confeſſionis normam præſcripſit Bonifacius ſecundus in epiſt. ad Eulalium Carthaginen. Epiſcopum, hanc Ioannis Conſtantinopolitanus Epiſcopus fecit, cum Eccleſia Conſtantinopolitana Romanæ, à qua Acatio auctore defecerat, vniretur. Eandem Hormiſda Papa ad Epiſcopos Hiſpaniæ miſit, vt ſi qui ex ſchiſmate venientes, eccleſiaſticam communionem ab eis expoſcerent, ſecundum illam profeſſionis formam admitterentur. Hanc denique Adrianus Papa dedit ad 8. Synodum generalem. Satis igitur perſuaſum eſſe debet, niſi valdè ſumus pertinaces, in Romana Sede Petri auctoritatem, & firmitatem eſſe ſitam.

C A P. V.

Vbi concluſio eadem oſtenditur Sanctorum veterum teſtimonijs manifeſtis.

NEc verò audiendi ſunt illi, qui reprehendunt, & irrident, quòd eorum hìc teſtimonia referamus, quorum tamquam in propria cauſa iudicium merito, & optimo iure detractare aduerſarij poſſunt. Non enim Pontificum Romanorum cauſa iſthæc propria, ſed Eccleſiæ, gentiumque omnium communis. Atque in ijs teſtibus quidam Latini erant, alij Græci, partim Hiſpani, partim Aphricani, partim Galli, & Germani, quibus ferè hominibus Eccleſiæ Romanæ cauſa non ſolùm propria non erat, ſed erat etiam aliena.

Fuerunt quoque in his viri plurimi adeò graues, integrique doctrina, vita, moribus, vt eorum fides ſuſpecta eſſe nec debeat, nec verò poſſit. Accedit, quòd nonnulli ex his, vel Apoſtolorum fuere diſcipuli, vel illi certè ſeculo proximi, cui nullam fictionis notam inurere, niſi impijs, & perfrictæ frontis hominibus permiſſum eſt. Sed ne vllus tergiuerſandi locus relinquatur, liber quoque ſanctorum veterum, qui Romani Pontifices non fuere, teſtimonijs vti. Nã ij cauſam cur, aut ignorarẽt, aut fingerent, nullam profectò habuerunt.

Irenæus lib. 3. aduersus hæreſes capit. 3. Sed quoniam omnium Eccleſiarum numerare ſucceſſiones valdè longum eſt: maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ Eccleſiæ, eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, peruenientem vſq; ad nos, indicantes confundimus omnes eos, qui præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt vndique fideles, in qua ſemper conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio. Hactenus Irenæus.

Qua re perſuaſus Auguſtinus contrà epiſtolam Manichæi, capitulo 4. Multa ſunt, ait, quæ in Eccleſiæ gremio me iuſtiſſimè tenent. Tenet ab ipſa ſede Apoſtoli Petri, cui paſcendas oues ſuas Dominus commendauit, vſque ad præſentem epiſcopatum, ſacerdotum ſucceſſio. Hanc etiam agnoſcit idem Auguſtinus in epiſt. 162. ad Glorium, & Eleuſium, & in epiſt. 106. ad Paulinum, & in Ioann. tract. 56. & lib. 2. contrà Pelag. & Celeſt. & lib. 2. contrà Donatiſt. c. 1.

Cyprianus lib. 1. epi. in epiſtola ad Cornelium, & lib. 4. in epiſt. ad Pupianum, & in tract. de ſimpl. Præl. eandem ſententiam apertiſſimè tenet.

Ambroſius quoque eiuſdem rei teſtis eſt clarus, in lib. de exceſſu fratris ſui Satyri. cap. 7. & ſermone 47. de fide Petri.

Cyrillus apud D. Thom. in libello contrà errores Græcorum multò euidentiùs, quàm auctores cæteri, huic veritati teſtimoniũ perhibet. Nec mireris, quòd in libris Theſau. è quibus illa à Diuo Thoma referuntur, ea nunc reperire non licet. Detruncarunt enim hæretici librum illum, & quæ in eo ad Romani Pontificis auctoritatem pertinebant, hæc eraſerunt omnia. Quod idem in commentarijs Theophilacti ſuper Ioannem hæreticos feciſſe, à viris hodiè catholicis, & deprehænſum, & patefactum eſt. Quamquam non omnes libri Theſau. latini facti ſunt. Nam in ſynodo 6. citatur 32. liber, qui nobis non eſt redditus.

Maximum quoque refert Diuus Thom. eandem ſententiam non aſſerentem modò, verùm etiam eo argumento confirmantem, quòd Paulus Apoſtolus ad Petri magiſteriũ venit, formam videlicet futuris præſtans, vt ad Petri ſucceſſores Romanus Pontifices ſimili cauſa recurrerent.

Hieronymus inſuper in epiſtola ad Damaſum de nomine Hipoſtaſis, huius rei teſtis locupletiſſimus eſt. Cuius verba retulit Gratianus 24. quæſtione 1. capit. Quoniam vetuſto. Nam quod ea cauſa, & quæſt. capit. Hæc eſt fides, refertur, ex explanatione Symboli ad Damaſum, conſultò prætereò: quoniam Eraſmus eam epiſtolam Hieronymi eſſe negat. Sed benè habet, quòd illa ad Damaſum de nomine hypoſtaſis Hieronymi, ſine controuerſia eſt. Adde, quòd lib. 1. apolog. aduesùs Ruffinum, pro eodem habet,

quem-

quempiam Romanam fidem tenere, & catholicum eſſe.

Bernardus quoque à nobis facit in epiſtola 131. ad Mediolanenſes, & 160. ad Innocentium, & 189. ad eumdem, & 237. ad Eugenium, & 242. ad Romanos. Referrem alios, niſi hi ſatis abundè eſſent ad eius re faciendam fidem.

Quid enim tot, tantorumq; patrum conſentiens, conſpirans, continuataque ſententia, quem non coget ea, quæ dicuntur, comprobare? Prætérquam quòd ea ſentiunt, quæ ſanctarum etiam ſynodorum teſtimonia confirmant, id quod capite ſequenti demonſtrabitur.

CAP. VI.

Vbi conciliorum clariſsima teſtimonia referun tu, quibus Eccleſiæ Romanæ vis, & auctoritas comprobatur.

HIs duobus capitibus ſuperioribus, nec ſummorum omnium verba Pontificum, nec veterum ſanctorum adſcripſimus, ne longior, atque adeò moleſtior fieret oratio. Tantùm loca indicauimus, quæ cum videat lector, tum planè intelligat, nihil nos obſcurum, nihil ineptum, aut quod ad rem non faceret, attuliſſe. Nunc ſynodica hac de re non iudicia ſolùm, ſed verba quoque referemus: vt aduerſarij nube etiam horum teſtium grauiùs opprimantur.

Primum igitur ſit conſilij Nicæni teſtimonium, quod, quoniam capite quarto adſcriptum eſt, non eſt operæpretium hìc reſumere.

Alternm ſit Concilij Chalcedonenſis, quod retulit D. Thomas in opuſculo contrà errores Græcorum, in hæc verba: Veneramur ſecundùm ſcripturas, & canonum definitionem ſanctiſſimum antiquæ Romæ Epiſcopum, primum eſſe, & maximum Epiſcoporum. Et infra: Si quis Epiſcopus prædicatur infamis, liberam habeat ſententiam appellandi ad Beatiſſimum Epiſcopum antiquæ Romæ: quia habemus petram refugij, & ipſi ſoli libera poteſtate loco Dei ſit ius diſcernendi, ſecundùm claues à Domino ſibi datas: & omnia ab eo definita teneantur, tamquam à Vicario Apoſtolici Throni.

Ac re vera in huius Synodi actione 1. Leo dicitur Apoſtolicum gubernare thronum, & ſedes Romana caput omnium Eccleſiarum. Et actio 2. cum eſſet lecta epiſtola Leonis, Patres clamauerunt, Anathema, qui ità non credit: Petrus per Leonem locutus eſt.

Et in actio. 3. Romanum Epiſcopum Dominum noſtrum vocant, eique acclamantes Apoſtolicum, & vniuerſalem appellant; & eius doctrinam, vt Beati Petri amplectuntur, atque vniuerſa concilij dogmata optant Sedis Apoſtolicæ auctoritate confirmari. Et cum Leo Dioſcorum condemnaſſet, Synodus ait, Sanctiſsimus Archiepiſcopus magnæ Romæ vnà cum ter beatiſſimo Petro, qui eſt petra, & crepido catholicæ Eccleſiæ, & ille, qui eſt rectę fidei fundamentum, nudauit eum epiſcopatus dignitate.

Et in epiſtola ſynodali ad Leonem gratulantur Patres, quòd tantum antiſtitem Apoſtolicæ Sedi, vndè Religionis noſtræ fons, & origo manat, Dominus dederit. Atque hæc in Concilio Chalcedonenſi quidem, ea verò, quæ D. Thomas refert in huius temporis exemplaribus non habentur. Sed ab hæreticis eraſa Gregorius quæritur lib. 5. epiſt. 14. ad Narſetem comitem.

Tertium teſtimonium extat in Synodo quinta generali, apud Conſtantinopolim celebrata. In ſententia ſiquidem illa, quam contra Anthymum pronunciauit Menas Cōſtantinop. Archiepiſcopus, cui videlicet omnes Concilij patres ſubſcripſerunt, hæc verba ipſe idem Menas adiecit: Nos Apoſtolicam Sedem ſequimur, & obedimus, ſicut charitas veſtra ſcit, & ipſius communicatores communicatores habemus, & condemnatos ab ipſa, & non condemnamus. Synodus ergò quinta generalis, Menæ iudicio ſubſcribens, Apoſtolicæ Sedis decreta tamquam certa amplectitur. Non enim aliter eos in vniuerſum Catholicos haberet, qui Romanæ, Apoſtolicæque fidei communicaſſent, nec illos damnaret omnes, quos Apoſtolica Sedes damnauiſſet.

Aliud teſtimonium grauiſſimum habes in ſexta Synodo generali, actione quarta. Vbi ſcribitur profeſſio fidei, quam Agatho Romanus Epiſcopus ad Concilium miſit. Quam etiam repetit Agatho idem in ſuggeſtione ſynodica, ſic enim ibi appellatur, cui innumerabiles Epiſcopi ſubſcripſerunt. Atque hæc ſuggeſtio, ne quis calumnietur, probata eſt ab omnibus Concilij Patribus, actione 8. 13. & 17.

Verba autem profeſſionis ſynodicæ hoc modo habent: Beati Apoſtoli adnitente præſidio, hæc Apoſtolica eius Eccleſia, numquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt. Huius auctoritatem, vtpotè Apoſtolorum omnium principis, ſemper omnis catholica Chriſti Eccleſia; & vniuerſales Synodi fidelitèr amplectentes in cunctis ſecutæ ſunt: omneſque venerabiles patres Apoſtolicam eius doctrinam ſunt amplexi, per quam, & probatiſſima Chriſti luminaria claruerunt, quam, & Sancti Doctores orthodoxi venerati, & ſecuti ſunt: hæretici autem falſis criminationibus, ac detogationum odijs inſecuti.

Hæc enim Apoſtolica Chriſti Eccleſia per Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis numquam erraſſe probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit: ſed vt ab exordio Chriſtianæ fidei percepit ab auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus, illibata finetenùs permanet: ſecundùm ipſius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, [Petre, Petre, ecce Sathan expetiuit vos, &c. Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua. Et tu confirma fratres tuos. Quod Apoſtolicos Pontifices, meos prædeceſſores, confidentèr feciſſe ſemper eſt cognitum.] Hactenùs Agatho Romanus Epiſcopus. Et actione 18. ipſa ſynodus apertè profitetur, Romanum; Epiſcopum Agatho-

nem

nem ſucceſſorem eſſe in ſede Principis Apoſtolorum,

In ſeptima etiam ſynodo generali act. 2. lecta eſt epiſtola ſynodica Adriani Primi, qua definit Eccleſiam Romanam caput eſſe omnium Eccleſiarum. Recepta verò epiſtola eſt, atque probata à Concilio generali, vt patet ead. actio 2.

In octaua quoque ſynodo generali habetur libellus Adriani huius nominis ſecundi, ab ipſa Synodo acceptus, & confirmatus, qui illam fidei confeſſionem continet, quam in capitis quarti fine poſuimus.

Patres verò huius 8. Synodi, Romani Pontificis doctrinæ in hæc verba conſentiunt. Sequentes in omnibus Apoſtolicam ſedem ſpetamus, vt in vna communione, quam Sedes Apoſtolica prædicat, eſſe mereamur: in qua eſt vera, & integra Chriſtianæ religionis ſoliditas. Quare non conſentientes Sedi Apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra myſteria non ſunt recitanda. Hactenùs Patres. In eadem rursùm ſynodo approbata eſt epiſtola Ignatij Conſtantinop. Patriarchæ ad Adrianum, vbi eadem hæc res apertè docetur. Approbatus quoque eſt libellus Eccleſiæ Romanæ, & Synodus item Nicolai, in quibus eadem doctrina eſt, ſed, & in poſtrema ſeſſione canone 21. Romanam Sedem vocat Synodus Sedem Petri Principis Apoſtolorum.

Synodus Romana inſuper ſub Symmacho aſſeuitur, Romanæ Sedis præſulem, meritò beati Petri Apoſtoli per vniuerſum orbem primatum obtinere ſacerdotij, & ſtatutis Synodalibus ſolere tribuere firmitatem.

Præterea, Synodus alia vniuerſalis, cui Nicolaus præſidet, Si quis, ait, dogmata, vel decreta pro catholica fide, aut Eccleſiaſtica diſciplina, à Sedis Apoſtolicæ præſule promulgata contempſerit; anathema ſit. Quam ferè ſententiam Lucius. 3. accepit cap. Ad abolendam de hæreticis.

Leo quoque huius nominis nonus in epiſtola Synodica ad Petrum Antiochenum Patriarcham aſtruit, ſanctam Romanam, & Apoſtolicam Eccleſiam caput eſſe omnium Eccleſiarum, ad quam maiores cauſas eſſe referendas. Concilia, inquit, omnia, & Sanctus Sanctorum, rex regum confirmant.

Præterea, Conciliũ Lateran. ſub Innoc. III. ſic habet: Noluimus quicquam Abbati Ioachim derogari, cùm omnia ſcripta ſua aſſignari mandauerit, Apoſtolicæ Sedis iudicio approbanda, uel etiam corrigenda, firmiter confitens ſe illam fidem tenere, quam Romana tenet Eccleſia, quæ, diſponente Domino, cunctorum fidelium mater eſt, & magiſtra.

Quod idem Concilium Lugdunenſe ſub Gregorio docuit. Ex Domini itaque inſtitutione Romana Eccleſia fidelium magiſtra eſt, ac proindè Romanus Epiſcopus Petro ſuccedit in Eccleſiæ magiſterio. Idem tradit Concilium Lugdunenſe ſub Innocentio IV. Idemque omninò tradit Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. in hæc verba: Si quis dixerit, in Eccleſia Romana, quæ omnium Eccleſiarum mater eſt, & magiſtra, non eſſe veram de baptiſmi ſacramento doctrinam; Anathema ſit.

Concilium verò Lugdunenſe ſub Gregorio dicit, Romanum Pontificem eſſe Vicarium Ieſu Chriſti, Succeſſorem Petri, Rectorem Eccleſiæ vniuerſalis.

At Concilium Vienenſe ſub Clemente aſſerit, dubia fidei declarare ad ſedem Apoſtolicam dumtaxat pertinere.

Præterea, Patres Concilij Florentini; Definimus (inquiunt) ſanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum: & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere: & ipſi in beato Petro paſcendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam, à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſse: ſicut in geſtis Oecumenicorum Conciliorum continetur. Hactenùs Concilium Florentinum. Sed Conciliorum teſtimonia ſatis multa retulimus, rationibus modò Theologicis ea, quæ poſuimus, corroboranda ſunt: idque magis Romanum Pontificem, cùm de fide iudicat, errare non poſſe.

C A P. VII.

Rationibus Theologiæ probat, Romanum Pontificem fidei controuerſijs finiendis errare non poſſe.

Romanum Pontificem in Petri locum, fidem, auctoritatemque ſuccedere, Eccleſia ab Apoſtolorum tempore ſemper agnouit. Quod, quoniam totius Orbis conſenſione, vſque firmatum erat, ne Ariani quidem negare potuerunt, vt Sozomenus lib. 4. hiſt. trip. cap. 15. & 16. prodidit. Ad Romanam porrò Sedem Epiſcopos Eccleſiarum in cauſis quibuſque grauiſſimis prouocaſſe, ab illius ore fideles, fidei ſemper oracula petijſſe, illius iudicium catholicos omnes in religionis controuerſijs expectaſse, illius deniq; & vim, & auctoritatem ſacra omnia efflagitaſse concilia, adeò certum, & manifeſtum eſt, vt ſim ego ineptus, ſi velim oſtendere. Quibus ex rebus, quoniam negari non poſſunt, conflatur, & efficitur id, quod quærimus argumentum, quo ex multis, magniſque haud facilè quis dixerit aliud, aut euidentiùs, aut certiùs.

Si enim legum Chriſti interpres nullus ſanior eſt, quàm perpetuus Eccleſiæ vſus, Eccleſia verò in fidei, religioniſque quæſtione, ac cæteris grauiſſimis controuerſijs non ad Antiochenum, Alexandrinum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Mediolanenſem, Pariſienſem, Colonienſem, Toletanum, aut Bracharenſem Epiſcopos, ſed ad Romanum omni ſemper ætate recurrit: quis dubitet, hunc eſſe, quem vt ſucceſſorem Petri, ita quoque doctrinæ Apoſtolicæ magiſtrum, quæſtionumque de fide iudicem habemus? Nam ſi aliquem eiuſmodi poſt Petrum, Eccleſia inſtituenda, atque in veritate continenda reliquit

Chri-

Chriſtus; nimirùm aut hic eſt, aut nullus eſt. Quippè cum de aliarum eccleſiarum Epiſcopis nulla quęſtio ſit, quin non fuerint loco Petri, vniuerſalis Eccleſiæ Doctores, Paſtoreſque à Deo dari. Romanus igitur Epiſcopus, Eccleſiæ vſu interpretante, ille eſt, cui Dominus in Petro ait: [Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & Tibi dabo claues Regni Cœlorum: &, Quodcumque ſolueris, &c. ac rurſùm, [Paſce oues meas: & iterum, Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu confirma fratres tuos.]

Quid? quòd ipſo etiam rerum experimento comperimus, Chriſti de Petro, & ſucceſſoribus vaticinia in Eccleſia Romana manifeſtiùs impleri? Hanc enim conſtat, fixam, & immobilem, Orbe etiam toto omni illam machinarum genere quatiente, in fide, & auctoritate Petri permanſiſſe. Et cùm cęteras Apoſtolorum Eccleſias, vel ab infidelibus occupatas, ſine fidei veſtigio, vel ab hereticis aliquando affectas viderimus: at aduerſùm hanc vnam Romanam Sedem, nec Pagani, nec heretici pręualere potuerunt.

Pugnatum eſt ſiquidem vehementer, non à Gręcis ſolùm, ſed ab alijs pleriſque totius Orbis Epiſcopis, vt Romanæ Eccleſiæ priuilegium labefactaretur. Atque habebant pro ſe illi quidem, & Imperatorum arma, & maiorem eccleſiarum numerum: numquam tamen efficere potuerunt, vt vni Romani Pontificis poteſtatem abrogarent, aut in alium transferrent Epiſcopum. Quinimmò, qui à Romana quidem Sede defecerunt, hi ſchiſmarici ſemper in Eccleſia ſunt habiti: qui verò huius Sedis de fide iudicia detrectarunt, hæretici.

Quæ profectò omnia ſatis oſtendunt, non humano, ſed diuino decreto Eccleſiam Romanam, & cęteris eſſe prępoſitam, & Petri priuilegia iure ſibi ſuo vendicaſſe, & eam demùm petram eſſe, ſuprà quam Chriſtus vniuerſalem conſtruxit Eccleſiam, aduerſus quam portæ inferi pręualere non poſſunt. Quod ni ita eſſet, quì potuiſſet Eccleſia Romana tot, tamque magnis principibus repugnantibus, tam multis hereticis contradicentibus, tam varijs Eccleſijs defectionem molientibus, obſiſtere? Quòd ſi commentitia, vanaque opinione hoc Romani Epiſcopi priuilegium Theologi aſſeruiſſent, non tam ſtabilis ſententia permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec vnà cum ſeculis, ætatibuſque hominum inueteraſſet. Etenim videmus opiones fictas, atque vanas, viris prǽſertim eruditis aduerſantibus, diuturnitate extabuiſſe.

Opinionum enim commenta delet dies, fidei iudicia confirmat. Adde, quòd Apoſtolicarum traditionum ſynceritas, non poſſet ad nos vſque ſeruari, aliàs Eccleſiis hæreticis Epiſcopis toties occupantibus, niſi vna Sedes Apoſtolica, inter tot Orbis tumultus, fixa, intemerataque conſiſteret. Ad hæc cùm Concilia, & Prouincialia, & Generalia ſine Romani Pontificis auctoritate nonnunquam errauerint, nonnunquam autem, ſi Romani Epiſcopi auctoritate firmata ſunt, ſatis perſuaſum eſſe debet, Conciliorum, atque adeò totius Eccleſiæ firmitatem à Romano Pontifice deriuari.

De quo, quoniam in loco ſuperiore multa diximus, illinc lector aſſumet, quæ ad huius argumenti explicationem pertinebunt. Atque ſi definienda fidei quęſtione Romanus Epiſcopus errare poſſet, redderitur ſtatim incerta nobis multarum herefum condemnatio: pleręque enim non ſunt damnatæ per Generalis Concilij, ſed Romanæ Eccleſiæ iudicium, & decretum.

Pręterea, ſi inter patres Concilij eſt controuerſia, vel de intellectu ſacrarum literarum, vel vno quolibet libro, an canonicus ſit, nec ne, vel de alia huius generis quęſtione, ad hanc litem componendam iudicem ponere neceſſe eſt, cuius tamen, ſi errare poſſit, incertum iudicium erit. Iudex autem inter patres Concilij diſſidentes nullus in Eccleſia, niſi Romanus Epiſcopus eſt agnitus.

Pręterea, Eccleſiæ conſuetudo hoc manifeſtè declarat. Numquam enim admiſſa eſt appellatio in cauſis fidei à Sede Romana, ſed hęreticos ab ea iudicatos, Eccleſia ſemper hęreticos etiam iudicauit. Et certè ſi Romanæ Sedis iudicium fallax eſſet, Concilij verò eſſet verax, & certum, naturæ rationi, verèque Theologiæ aduerſaretur, qui appellationem à Pontifice ad Concilium denegaret.

Quo vno argumento oſtendit Gelaſius, Sedem Apoſtolicam de tota Eccleſia iudicare, ipſam verò ad nullius pertinere iudicium. Iam illiuſmodi appellationes, in fidei prǽſertim dogmate, Eccleſia neſcit, nam ijs hęretici ſolùm vtuntur. Quòd ſi ad ſingulos hęreticos condemnandos opus eſſet congregare Generale Concilium, tum id ſæpè numero non modò difficile, verùm etiam impoſſibile ſit, licebit profectò interim hęreticis impunè viuere, donec Synodus è tota Eccleſia cogatur. Id ſi alienum eſſe conſtat à Chriſti prouidentia, fateamur potiùs Romanæ Sedis auctoritatẽ ſatis eſſe ad hereſes reuincendas. Ita fiet, vt huius tribunalis de fide iudicium certũ omninò habeatur. Quid, quòd non ſolùm Eccleſiam Catholicam credimus, ſed etiam Apoſtolicam? At Eccleſia Romana patrum, fideliumque conſenſu Apoſtolica dicitur: cùm reliquæ omnes iam indè à multis annis hoc cognomen amiſerint.

Sed quæris; Erit ne hęreticum aſſerere, Romanam Eccleſiam degenerare quoque, vt cæteras poſſe, & Apoſtolicam etiam Sedem à fide poſſe Chriſti deficere? Huic quęſtioni breuiter reſpondemus. Noluimus hic nos Eccleſiæ ſententiam prǽuenire, ſed ſi ad generale Concilium referatur, hęreſeos notam errori illi inureret. Nec enim video, cur, quid ipſe ſentiam de hac re, non audeam dicere. Quam eo meliùs cernere mihi videor, quò & eam propiùs, diligentiùſque contemplor, & ſine affectu, perturbationeque contemplor. Quòd ſi in hoc erro, quòd Romanæ Sedis priuilegia à Chriſto illi conceſſa, & tueor, & contradicentes hęreſeos nomine condemnandos eſſe credo, non ſolùm tutò, ſed libenter erro: nec mihi errorem vtilem, quo etiam delector, ſine rationis prǽſertim vi extorqueri volo. Nam me non ſolùm ratio, ac diſputatio impulit, vt ità crederem, ſed nobilitas etiam ſummorum Theologorum, & auctoritas. Hieronymus prophanum eſſe, & periturum dicit, qui Cathedræ Petri, & Ro-

manæ Sedis fidem non fuerit ſecutus. Cyprianus alienum ait eſſe, prophanum eſſe, hoſtem eſſe, qui vniuerſalis Eccleſiæ non tenet vnitatem, hoc eſt, lumen vnum, vndè multi radij, radicem vnam, vndè multi rami, fontem vnum, vndè multi riui, petram vnam, ſuprà quam Eccleſia ædificata eſt: vnum Pontificem, qui cæteros omnes ſua, & vi, & auctoritate contineat. A quo, ſi radium tollas, extinguatur: ſi frangas ramum, intereat: ſi præſcindas riuum, areſcat. Sic enim ille declarat. At, qui in fidei controuerſia Apoſtolicæ Sedis fidem, iudiciumque detractat, is nec vnitatem tenere poteſt, nec lumen, nec radicem, nec fontem. Atque Cyprianus idem: Qui Cathedram, inquit, Petri, ſuprà quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe non confidat. Ambroſius pro eodem penitùs habet, Catholicum eſſe, & cum Romana Eccleſia conuenire. Gregorius ſic Sedis Romanæ auctoritatem in religionis, fideique cauſa exiſtimat eſſe amplectendam, vt qui noluerint, ab eius petræ, ſuprà quam Chriſtus vniuerſalem fundauit Eccleſiam, ſoliditate conuellantur. Leo exortem diuini myſterij eum eſſe affirmat, qui auſus fuerit à Petri ſoliditate recedere, & impiam præſumptionem, quæ Petræ iſtius firmitatem, Deo ædificante, conſtructam nititur, violare.

Nicolaus finit, quòd qui Romanæ Eccleſiæ priuilegium ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum Capite Chriſto traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæreſim labitur. Nam fidem, inquit, violat, qui aduerſùs illam agit, quæ eſt mater fidei. Hanc verò Nicolai ſententiam noli quæſo lector contemnere. Quæ ſcilicet actione 1. & 7. Synodi octauæ confirmata eſt. Vbi, & condemnati ſunt Photius, & Michael, qui hoc Sedis Romanæ priuilegium patefacere nitebuntur. Quòd ſi in hæreſim labitur, qui Romanum Epiſcopum Petro ſucceſſiſſe negat, & Eccleſiam proindè Romanam cæteris eſſe præpoſitam: ecquid de illo ſentiendum eſt, qui priuilegia Petro ob Eccleſiæ vtilitatem à Chriſto data, priuilegia, inquam, quæ Petro, vt Pontifici, Doctori, & Paſtori conceſsa ſunt, ea ad ſucceſſores quoque pertinere negauerit? At enim, doctrina ſana oues paſcere, fratres in fide confirmare, vniuerſas gentes per os illius audire verbum Euangelij, & credere, ſuprà illum ædificare Eccleſiam, vt portæ inferi non præualerent aduerſùs eam, non Petro, vt priuato homini, ſed vt Reip. Chriſtianæ profectò congruebant. Quocirca ambigi inter Catholicos nec debet, nec verò poteſt, quin Romanæ Sedis de fide, & religione iudicia certa ſint. Pręterea, qui negaret in ligando, atque ſoluendo eandem poteſtatem in Romano nunc Epiſcopo ineſſe, quam Petro Chriſtus contuliſſe creditur, is iure, ac meritò haberetur hęreticus: qui ergo firmitatem Petri ad fratres in fide confirmandos, his, qui Petro ſuccedunt, denegauerit, hic hęreticus iudicandus erit. Adhæc faciamus, ambiguam eſſe aliquam inter fideles de religione controuerſiam. Tum quęrimus, ſi Romana, eademque Apoſtolica Sedes, vt diſſidentium eccleſiarum lites, diſceptationeſque componat, è Petri Cathedra, tribunalique pronunciet: an ſequi illius ſententiam debeamus, an non? Si ſequimur, Rom. Sede errante, Eccleſ. tota in illius errore verſabitur. Si non ſequimur, vbinam illud eſt; [Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in Cœlis?] Vbinam rurſùm illud, Deus elegit in nobis per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere? Quod igitur, ſaltem in rebus ambiguis, ligauerit ſucceſſor Petri, id ligatum erit, & quod in quęſtione de fide propoſita docuerit, hoc gentes non audire habent modò, verùm etiam credere. Non hic refero, quæ Leo in huius rei confirmationem dicit 20. diſt. cap. de libellis, non quæ Damaſus, & Adrianus 25. quæſt. 1. cap. Violatores, & cap. Generali. Illud referam, quòd in Concilio Complutenſi confirmato à Sixto IV. condemnatus eſt Petrus Oxomenſis nomine etiam hęreſis in eo, quod aſſeruit, Eccleſiam Vrbis Romæ errare poſſe. Quem item errorem eodem quoque hęreſis nomine damnauit Sixtus idem, in extrauaganti aduerſùm Petrum Oxomen. edita. De qua, quoniam in relectione de pœnitentia ſatis multa diximus, eò lector reuocandus erit.

Coactus eſt igitur ille ſententiam recantare in hanc formam: Conſentio ſanctæ Matri Eccleſiæ Romanæ, & Sedi Apoſtolicæ, & ore, ac corde confiteor illam me fidem tenere, quam Dominus Sixtus Papa auctoritate Apoſtolica, & Euangelica tenet. Et omnes, qui contra hanc fidem venerint, dignos æterna damnatione pronuncio. Hactenùs ex Conc. Compl. Martinus verò V. in fine Concilij Conſtant. Sacro, inquit, approbante Concilio, mandamus Archiepiſcopis, Epiſcopis, &c. vt qui de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini, vel de baptiſmate, ſeu peccatorum confeſſione, pœnitentię pro peccatis inunctione, vel reliquis Eccleſiæ Sacramentis, ſeu fidei articulis, aliter ſentit, ac docet, quàm ſacroſancta Romana Eccleſia docet, & obſeruat, eos tamquam hęreticos iudicetis. Concilium ergo Conſtantien. illos eſſe hæreticos iudicauit, qui Romanæ Eccleſiæ fidei, & doctrinæ refragarentur. Illud poſtremò addam. Cùm ex traditionibus Apoſtolorum, ad euincendam hæreſim argumentum firmum, certumque trahatur: conſtet autem, ſi teſtimonia, rationeſque hoc loco poſitas cum ijs regulis conferas, quas in 3. lib. poſuimus, Romanos Epiſcopos Petro in totius Eccleſiæ Pontificatu, & fidei magiſterio ſucceſſiſſe, ab Apoſtolis eſſe traditum, cur non audebimus, aſſertionem aduerſam tamquam hęreticam condemnare? Sed, vt dixi, nolo ego Eccleſiæ iudicium anteuertere. Quamquam non videor anteuertere: cùm iam ipſius Eccleſiæ ſermo, noſtram omnem comprobarit de Romanæ Sedis auctoritate ſententiam. Sed hoc vix ægrè dico propter viros quoſdam, & doctos, & pios, qui nobis contradixerunt. Illud aſſero, ac fidenter quidem aſſero, peſtem eos Eccleſiæ, ac perniciem afferre, qui aut negant Romanum Pontificem Petro in fidei, doctrinæque auctoritate ſuccedere, aut certè aſtruunt Summum Eccleſiæ paſtorem, quicumque tandem ille ſit, errare in fidei iudicio poſſe.

Vtrumque ſcilicet hæretici faciunt, qui verò illis in vtroque repugnant, hi in Eccle-

ſia

ſia Catholici habentur. Quamobrem non quidem intelligo, quònam Concilio fideles quidam hæreticorum, quàm Catholicorum opinionibus fauere malint, nam hæretici viden, quid ſequantur: Nempè viuendi, docendique licentiam, & in his omnibus impunitatem. Volunt ſine capite corpus, vt neque pes, neque mens ſuum officium faciant. Volunt ſine paſtore vno oues, vt cùm lupi ipſi ſint, Paſtores tamen eſſe videantur. Volunt ſine Iudice lites, vt diſſidiorum nullus finis ſit. Atque ità cùm amoro arbitrio aduersùs doctos dimicent, victores à turba iudicentur. Turbari demùm omnia volunt, quoniam, vt in Hiſpanorum prouerbium eſt. Turbatum flumen piſcatorum eſt lucrum, nos autem communem Catholicorum ſententiam ſequamur, tutò enim ſequimur, quoniam communis Catholicorum eſt. Præterquam quòd ea ſentiunt, quæ ſacrarum etiam literarum teſtimonia confirmant, Pontificum decreta ſiniunt, veterum Sanctorum chorus concinet, Conciliorum Patres affirmant, Apoſtolorum traditio probat, perpetuus Eccleſiæ vſus obſeruat. Quapropter, ſi ea, quæ dixi, ſole ipſo illuſtriora, & clariora ſunt, ſi omnia dixi hauſta ex Eccleſiæ, ſcripturæque fontibus, ſi tota oratio noſtra certis Theologiæ rationibus, integriſque, & incorruptis teſtibus omnem ſibi fidem confirmat, aſſentiamur tandem, ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate, firma Theologos argumenta ſumere, ad fidei, Theologiæque dogmata comprobanda. De quinti igitur loci firmitate tantùm dixerimus. Nunc aduerſariorum argumentationes refellamus.

C A P. VIII.

Vbi argumenta capitis primi refutantur.

Atque in illis argumentis, quæ à principio ſunt poſita, Theologi nonnulli, minimè mali illi quidem, ſed non ſatis acuti, quo quo modo poſſunt, tergiuerſantur. Romanam quippè Eccleſiam à Romano Pontifice diſcernunt: aiuntque hunc in fide errare poſſe, illam non poſſe. Sic ſibi videntur omnia propemodùm argumenta diluere. Nam pleraque, ex illis non Eccleſiæ Romanæ, ſed Summi Pontificis fidem impugnant. Atqui, Eccleſiam Romanam iſti, non Romanum Epiſcopum ab errore vindicant. Verùm ſi de errore in fidei iudicio, atque decreto loquimur, vt verè loquimur, nullum ego diſcrimen inter Apoſtolicam Sedem, & Apoſtolicæ Sedi inſidentem inuenio. Primùm, quoniam, cùm ad Sedem Apoſtolicam accedimus fidei oracula poſtulaturi, non ſingulos Romanæ Eccleſiæ fideles interrogamus, nec Eccleſiam ipſam Romanam in Concilium cogimus, ſed Pontificis maximi iudicium quærimus, eiuſque ſententiam expectamus.

Rurſùm, quoniam non Romanus populus eſt, qui Eccleſiam vniuerſalem docet ea, quæ ad fidem attinent, ſed Romanus Epiſcopus. Nec poteſtas iudicandi de cauſis fidei, ligandi, ſoluendi, paſcendi, in Populo Romano eſt, ſed in Romano Paſtore Vicario Ieſu Chriſti. Concilia quoque non exigunt confirmationem, & robur ab ipſa Romana plebe, ſed à plebis Romanæ antiſtite.

Præterea, priuilegium infirmitatis, vt antè probatum eſt, Petro fuit peculiariter datum. Ego, inquit, rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua, & tu confirma fratres tuos. Et iterum: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Quocirca ſi veræ Theologiæ rationem ſequimur, quæ capite tertio explicata eſt, & in Petro, & ſucceſſoribus primùm firmam, certamque doctrinam aſſeremus, mox verò in Eccleſia Romana, cuius Petrus cum ſucceſſoribus, & caput, & fundamentum eſt. Atque illud etiam animaduerto, quòd ſicut omnibus ſimul Epiſcopis docentibus errores falſos, neceſſe eſſet ſanè totam Eccleſiam vario errore verſari: ità ſi Paſtor Eccleſię Romanæ errorem fidei contrarium decerneret, oues quoque, errante Paſtore, diſpergerentur. Teſtimonia demùm, quæ retulimus, id ferè probant, ſummum Eccleſiæ Pontificem, Petri ſucceſſorem, & Chriſti Vicarium, cùm de fide pronunciat, errare non poſſe. Quò magis illos reprehendendos iudico, qui ſe dirempturos controuerſiam putauerunt, ſi Apoſtolicam Sedem ab Apoſtolico Præſule ſecernerent. Non recipit iſtam reſponſionem ratio, aſpernatur, repellit. Illud potiùs ſumit, errorem eſſe duplicem: alterum perſonalem, alterum iudicialem. Nec enim ſcholæ propria vocabula, etiam ſi minùs Latina ſint, auerſari debemus, ſed malle, quod Auguſtinus ait, apertos, quàm nitidos habere ſermones. Error itàque perſonalis priuatus eſt cuiuſque error, iudicialis eſt publicus. Edidit Innocentius huius nominis IV. in libros decretalium commentaria, ſi in his quicquam errati eſt, hominum nimirùm eſt, non Pontificis, quamuis ea commentaria à Pontifice edita ſint. At ſi idem Innocentius in iudicio de fidei quęſtione definiret quippiam, quod reuera falſum eſſet, iam hic error à publico Eccleſiæ cenſore proficiſceretur, eſſetque proindè iudicialis.

Qua ex re primum argumentum facilè refellitur. Nec enim hiſtoria fide digna docet Ioannem vigeſimum ſecundum poſt ſummum adeptum Pontificatum, de eiuſmodi re aliquid definiſſe, quin potiùs cum ad huius rei definitionem ſepararet: vt Benedictus vndecimus in extra. ſua ait: morte præuentus definire nequiuit. Nec, ſi, antequam eſſet Pontifex, errorem illum habuerit, hęreticus cenſendus eſt: ſicut nec Irenæus, nec Chryſoſtomus, nec Theophylactus, nec Bernardus, quos re nondùm expreſsè per Eccleſiam definita, illius opinionis fuiſſe, ſunt qui contendant: verè ne, an falsò contendant, non eſt dici, locique huius diſputare.

Ad ſecundum etiam eodem modo reſpondetur. Non enim Cęleſtinus quicquam definiuit. Verba quippè Innocentij tertij ſic habent: Licèt quidam prædeceſſores noſtri, ſenſiſſe aliter videantur. Senſiſſe, ait, non Definiuiſſe. Sed ne Innocentius quidem definit quicquam, ſed explicat ſententiam, & opinionem ſuam inquiens. Non credimus, quòd in hoc caſu is, qui relinquitur, poſſit ad ſecundas nuptias tranſire. Quod profectò verum eſt, quamquam per illam Innocentij decretalem non firmiter definitum. Nec enim ſta-

ſtatim, ſi aliquid iuris volnmine continetur, fidei dogma eſse credendũ eſt. Quòd penultimo ſuperioris libri capite latiùs explicatũ eſt.

Tertio verò argumento nullum negotium eſt reſpondere. Nam verbum, Iudico, frequenter in ea ſignificatione vſurpatur, vt idem ſit, quod ſentio, ſeu opinor. Quomodo Alexander accipit, cùm ait, quoſdam prædeceſſores ſuos aliter iudicaſſe.

At quartum argumentum longè difficillimum eſt, nec poteſt ità breuiter expediri. Apertè enim Alexander docet, conſuetudinem illam ciuili etiam lege confirmatam, quæ teſtamenta minùs ſolemnia reſcindit, & à Diuina lege, & à Patrum iuſtitutis, & à generali Eccleſię conſuetudine alienam. Quòd autem ex auctoritate Pontificis hoc ſanè loco pronunciet, illud eſt euidens argumentum, quòd ſub interminatione anathematis prohibet, ne quis eiuſmodi audeat reſcindere teſtamenta. Vndè, & capite proximè ſequenti iudicibus mandat, vt in id genus cauſis tres, duoſuè ſolummodò teſtes exigant, nec ciuiles leges, ſed Canonica decreta ſequantur. Si ergo iuſſit Eccleſiæ Pontifex, & anathematis interminatione iuſſit, vt nemo ea irritet teſtamenta, quæ duorum, vel trium teſtium ſunt teſtimonio firmata: nimirùm non vt priuatus quiuis homo, ſed vt publicus Eccleſiæ Iudex eam quæſtionem definiuit. Atqui non eſt Dei, Euangelijque præceptum, quod tamen Alexander videtur aſtruere, vt omnes cauſæ tribus, duobusue tantùm teſtibus abſoluantur.

Alioqui, non ſolùm Leo quartus, ſed Sylueſter etiam in Synodi Romanæ cap. 3. legem Euangelio, Deoque contrariam edidiſſent. Decreuerunt enim, vt, niſi in 72. teſtibus, non damnaretur Epiſcopus. Qua ex re intelligitur, legem ciuilem, quæ tollendis è Republicæ fraudibus cauet, vt teſtamenta non valeant, niſi quæ ſeptem fuerint teſtibus obſignata, non eſſe legi Euangelicæ aduerſam: quemadmodùm ne illa quidem, quæ vt conflatæ in Epiſcopos inuidiæ occurreret, ſtatuit, vt ad Epiſcopi condemnationem duo ſolùm teſtes non ſufficerent. Atque ſi mortalium vita eſset mediocriter inſtituta, moreſque ad naturam, non auaritiam compoſiti, duorum hominum teſtimonium idoneum profectò erat, vt quæcumque in iudicio cauſa finiretur. Sed ſicut iuramentum à malo eſt, nnn illius, qui iurat, ſed eius, qui verum dicenti non credit, ſic plures, quàm duos teſtes requirere, à malo quidem fuit, non requirentis legis, ſed hominis defraudantis. Sed hæc diſserere non eſt huius, aut loci, aut temporis. Illud propriè huc pertinet, an Alexander errauerit.

Et quidem in decretis Pontificijs duo cum primis diſtinguenda ſunt. Vnum eſt, tamquam intentio, concluſioque decreti: alterum quaſi ratio, & cauſa à Pontifice reddita eius rei, quam conſtituerit. Atque in concluſione Pontifices ſummi errare nequeunt, ſi fidei quæſtionem ex Apoſtolico Tribunali decernant. Sin verò Pontificum rationes neceſſariæ non ſunt, ne dicam aptæ, probabiles, idoneæ, in his nihil eſt, videlicet immorandum. Nnn enim pro cauſis nos à Pontificibus redditis, tamquam pro aris, & focis depugnamus. Alexander igitur non definit, conſuetudinem illiuſmodi eſſe diuinæ legi contrariam, ſed, quod iuris peritis ferè placere video, iubet, vt in legatis pijs duo, vel tres ſolùm teſtes à Iudicibus exigantur. Hæc decreti huius concluſio eſt, hic finis: nec dubium eſt, quin rem eam Pontifex iure quodam ſuo potuerit præſcribere. Sed ſi in eius præſcripti confirmationem Deuteronomij lege vtitur, hanc quippè Diuinam nuncupat, ſi ad Canonum ſtatuta reuocat, ſi Eccleſiæ morem affert, non eſt operæ pretium rationes illas ad viuum reſecare. Quemadmodùm ſi Concilia quædam definiant, duas eſſe in Deitate perſonas, Patrem, & Filium, afferantque in hoc illud quoque Gene. teſtimonium: Pluit Dominus à Domino, non protinùs in fidei iudicio errant, quamuis ex illo loco parùm aptè Trinitas comprobetur. Extat item Synodus, vbi de perpetua Mariæ virginitate pronunciatum eſt. Ea re ſuadenda referunt Patres portam apud Ezechielem clauſam. Irrideat ſi quis vult, ſed ridebit tamen fruſtrà. Non enim ſemper Patres in fidei quæſtione cauſas afferunt neceſſarias, ſed interdùm vero ſimiles. Quòd ſi etiam Pontifices huiuſmodi ponendis cauſis quandoque falluntur, ne calumniandi ſunt quidem, tantùm abeſt, vt indè loci huius auctoritas infirmetur.

Porrò autem, ſi valere quicquam iudicium meum poteſt, neque in concluſione Alexander, neque in cauſis errauit. Nam ſuis in vtroque foro ſubditis ferebat leges, Hoſtienſibus nempè Ciuibus, ac Iudicibus Vellenen. Non ergo legem ciuilem, qua Imperatores in Regionibus ſuæ ditioni ſubiectis vtuntur, improbare voluit Alexander: ſed voluit Iudices etiam laicos in Eccleſiæ patrimonio non ſecundùm Imperatorum leges, ſed ſecundùm ſtatura Canonum de teſtamentis iudicare. Nec enim æquum eſſe cenſet, vt in rebus temporarijs adiudicandis, tam ſunt ſoliciti ſacri Canones, quàm ſunt leges ciuiles: honeſtiuſque eſſe credit, in Ciuitatibus, & oppidis, quæ in Eccleſiæ iure, ac dominio ſunt, non legis ciuilis, ſed Canonum conſuetudinem obſeruari. Quod fit, vt ſi decretalis huius ratio preſſius teneatur, non ſolùm in terris Romanæ Eccleſiæ ſubiectis, ſed in quibuſcumque alijs, quæ ſub Epiſcoporum, Eccleſiarumque dominio ſunt, lex hæc Alexandri debeat ſeruari, non in his modò, quæ pietatis cauſa Eccleſiæ relinquuntur, verùm etiam in alijs quibuſque Legatis. Honeſta ergo Alexandri lex eſt, ſancta, legitima. Sed ne in cauſis errauit quidem. Nam licèt non ſint neceſſariæ, non ſunt tamen prorsùs ineptæ. Conſuetudo, inquit, quæ plures, quàm tres, duoſue teſtes poſtular, primùm aliena eſt à Diuina lege, veteris, ſcilicet inſtrumenti, quæ duos ſolùm, treſue, vt plurimùm, teſtes exigebat: aliena etiam à Patrum inſtitutis, hoc eſt, à more, iureque Canonico, vbi in rebus pręſertim tẽporarijs duo teſtes ſufficiũt: aliena demùm à conſuetudine Eccleſiæ generali, quæ in eiuſmodi cauſis duobus, vel tribus teſtibus eſt contenta. Aliena autem, non quaſi contraria, ſed tamquam noua, & extranea:

nea: ob idque parùm in Eccleſiæ iudicio probanda. Quòd ſi hanc animi ſynceritatem, dextramque de teſtibus opinionem, ſi hanc veteris legis, ac iuris canonici conſuetudinem Princeps ſeculi in Tribunalibus ſuis ſequi nolint, ſed, vt fraudes tollant, maiorum teſtium nume: · in teſtamentis Ciuium ſuorum exigan. ſuo quidem iudicio liberè poſſunt vti, nihi. enim Alexander impedit per illam epiſtolam decretalem: quæ uimirùm eos ſolùm ligat, qui Eccleſiæ in vtroque foro fuerint ſubiecti. Sed de quarto argumento ſatis, ſuperque dictum eſt.

Quintum verò facillimè diluitur, ex ijs, quæ in quarti argumenti refutatione ſunt dicta. Cauſas enim Pontifices quandoque afferunt, non quæ cogant, ſed quæ ſuadeant. Nam, quia leges quaſdam Synagoga olim à Deo habuit, non modò ad gubernandum vtiles, & accommodas, verùm etiam ad plebis cuiuſque mores, ac Religionem inſtituendam propemodùm neceſſarias: Eccleſia eas Chriſti in ſuum vſum vendicauit. Quamobrem, & Summi Pontifices, & Iuris periti horum auctoritate confirmati, leges aliquot veteres probatas rursùm, ac denuò reſtitutas ab Eccleſia, diuinas vocant. Non quòd Dei nunc præcepta ſint, cùm lex illa vetus ſit abolita, ſed quòd Dei præcepta fuerint, ſeruanda etiamnum à nobis, non ex vi quidem veteris legis, quod falsò Pontificibus doctiſſimis impingebatur, ſed ex Eccleſiæ noua inſtitutione. Quæ tamen noua Eccleſiæ inſtitutio, ſeù reſtitutio potiùs, ex veteri diuina lege probabiliter ſuadetur.

Ad ſextum argumentum Turrecremata reſpōdet lib. 2. c. 112. nullam eſſe inter Pontifices illos pugnam. Quin Ioannes exponit Nicolaum. Nam poſt verba prædicta Nicolaus ſubiunxit. Nec his quiſquam putet obſiſtere, quòd interdùm Chriſtus loculos dicitur habuiſſe: infirmorum enim perſonam Chriſtus ſuſcepit in loculis. Id verò eſt, quod Ioannes vigeſimus ſecundus definiuit, nempè hæreticum eſſe, negare, Chriſtum, & Apoſtolos aliquid habuiſſe in communi: quod contrarium ex Lu. 22. Ioan. 4. & 13. Act. 4. conſtaret.

Ad ſeptimum, primùm dicitur, quòd neuter ibi Pontifex definiuit eiuſmodi controuerſiam. Reſpondent enim ſæpè Pontifices ad priuatas huius, aut illius Epiſcopi quæſtiones, ſuam opinionem de rebus propoſitis explicando, non ſententiam ferendo, qua fideles obligatos eſſe velint credendum. Certè, vt de Pelagio taceamus, Nicolaus nihil eo loco, quod ad hanc quidem quæſtionem attineat, decreuit. Non enim illi propoſita fuerat quæſtio: An baptiſmus in nomine Chriſti collatus eſſet validus: ſed An baptizatus à Pagano, vel Iudæo verum baptiſmi ſacramentum ſuſcepiſſet. Obiter autem, & in tranſcurſu, cùm huic quæſtioni propoſitæ reſponderet, de ſuo, non interrogatus, adiecit, baptiſma in nomine Chriſti conferri. Qua in re falli ſine dubio potuit. Immò adeò falſus eſt, vt in 4. ſent. libro magnis argumentis oſtendimus.

Deindè duo hi Pontifices fortaſsè non pugnant. Nam Nicolaus intelligitur docuiſſe, quòd in ſimili neceſſitate, qualis Apoſtolorum tempore fuit, ſi cætera paria ſint, baptiſmus in nomine Chriſti nunc etiam ratus erit. Pelagius autem definit, circà eiuſmodi neceſſitatem non valere. Quemadmodùm ſi nunc deeſſet balſamum, aut liber, & Calix, qui tangeretur, & Confirmationis, & Ordinis Sacramenta manu ſolùm impoſita conficerentur, vt ætate Apoſtolorum à principio ſtatim fieri conſueuit. At vbi non eſſet ſimilis neceſſitas, nec Ordinatio fortè, nec Confirmatio ſine eiuſmodi Sacramentorum materia valeret. Hæc autem de baptiſmo in nomine Chriſti, communem ſecuti opinionem, diximus. Primùm enim nuſquam, vt ego quidem ſentio, baptiſma in eam formam adminiſtratum eſt, Ego te baptizo in nomine Chriſti. Quod, & D. Ambroſius, & plerique alij videntur intellixiſſe. Sed ſi qua eiuſmodi forma Apoſtoli vſi ſunt, ea fuit: Ego te baptizo in nomine Ieſu Chriſti. Act. 2. 10. & 19.

Deindè, non neceſsè eſt Apoſtolos ſub alterutra illarum forma, Baptiſmi Sacramentum contuliſſe. Nec ſi ſcriptura dicit, quicquam in Chriſti nomine fuiſſe geſtum, ſtatim cogimur exiſtimare, his conceptis verbis rem geſtam, adminiſtratamque fuiſſe. Exempla ſunt in diuinis literis plurima. Illud eſt in promptu, in te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nos.

Item, Cæſis denunciauerunt ne omninò loquerentur in nomine Ieſu. Act. 5.

Item, Paulus dicitur fiducialiter egiſſe in nomine Ieſu Act. 9. Hebræis porrò id in alicuius nomine fit, quod auctoritate, ac virtute cuiuſpiam, tranſigitur. Quare qui Regis loco, & tamquam illius miniſter quidpiam agit, hic in nomine Regis eam rem dicitur agere. Rectè igitur, qui tamquam Chriſti adminiſtri, in aqua, & ſpiritu homines ſanctificabant, eos in nomine Chriſti Baptiſmi gratiam exhibuiſſe interpretamur. Non ergo neceſſe eſt ſentire, quòd Apoſtoli Baptiſmi formam à Chriſto præſcriptam immutarunt. Nam & hodie nos verè in Chriſti nomine, hoc eſt, loco, vi, & auctoritate, Baptiſma conficimus. Ac ſi præſcripta illa formula nominis Ieſu Chriſti Apoſtoli baptizarunt, non putandi ſunt tamen Spiritus ſancti, Patriſque nomen omiſiſſe: ſed in nomine Patris & Filij eius Ieſu Chriſti, & Spiritus ſancti baptizaſſe. Quod alterius loci eſt demonſtrare. De ſeptimo igitur argumento ſatis.

In octaui argumenti explicationem multa quidem dici poſſent, ſed nos in pauca conferemus. Sanè Gratianus 32. quæſt. 7. audaciùs ſanè multò, quàm diſertiùs ait, illam Gregorij ſententiam Euangelicæ, & Apoſtolicæ doctrinæ eſſe contrariam. A quo ego longè diſſentio. Nam, vt Romanorum Pontificum auctoritatem negligamus, non poſſumus tamen vtriuſque Gregorij, & Primi, & Tertij contemnere definitionem, cùm fuerint ambo tùm doctiſſimi, tum etiam ſanctiſſimi. Itaque non errarunt, quod Gratianus falsò exiſtimauit, ſed locuti ſunt potiùs de ea, quę ante matrimonium per infirmitatem inepta erat ad copulam coniugalem, hoc eſt, vt ſcholæ verbis vtamur, quæ erat impotens ad ſoluendum debitum. Cuius ſimile exemplum habes de frigidis, cap. Conſultationi. Atque

ipſe

ipſe idem Gregorius hoc modo ſententiam ſuam explicat, in epiſt. ad Rauennatem Archiepiſcopum, refeturque à Grat. 33. qu. 1. cap. Requiſiſti. Nec deſunt huic argumento aliæ etiam reſponſiones, ſed hæc & planior & expeditior eſt. Quam quoque Gloſ. ſequitur 20. diſt. cap. De libellis, in verbo Iunioris.

In nono argumento nobis Lutherani, præſertim Oecolampadius, Bucerus, & Caluinus inſultant. Sed pueriliter tamen. Quoniam librum illum Gelaſij Romani Pontificis non eſſe, magnis argumentis à me, & animaduerſum, & patefactum eſt.

Primùm enim Auctor opuſculi dicit, eſſe recentem altercationem de veritate duarum naturarum in Chriſto. Non autem erat recens tempore Gelaſij, ſed olim profligata à Leone, & Concilio Chalcedonen. vbi Eutychis, & Neſtorij exploſa ſententia eſt.

Rursùm in toto libro, nec Leonis, nec Concilij Chalcedonenſis meminit. Id quod maximè feciſſet, ſi auctor eſſet Gelaſius. Nam in epiſtola ad Fauſtum, huius Concilij auctoritate libenter vtitur, libentiùs hic vſurus, vbi aduerſarios poſſet tantæ Synodi teſtimonio reuincere. Ac certè cùm Damaſum contrà Arrium citauerit, citaſſet, ac multò magis etiam Leonem contrà Eutychem, ſi poſt tempora Leonis ſcripſiſſet. Atque Gelaſius multis annis fuit Leone poſterior. Quid quòd auctor ille Damaſum nomine Epiſcopi Romani nullo alio honoris titulo retulit, quod à more poſteriorum Pontificum, cùm priorum teſtimonia referunt, valdè eſt alienum. Præterea eius operis auctor ad probandam vtriuſque naturæ in Chriſto veritatem, inter Magiſtros Eccleſiæ catholicos cenſet Euſebium Pamphili, eiuſque teſtimonijs vtitur. Quem tamen apertiſſimum impietatis Arrianæ propugnatorem fuiſſe, Hieronymus affirmat in epiſtola ad Pammachium, & Oceanum, cuius initium eſt, Schedulæ. Quin etiam tamquam Arrianus, Euſebius hic cum ſuis operibus damnatus eſt, act. 5. & 6. ſeptimæ Synodi generalis.

In aſſerenda item Chriſti vtraque natura, è Patribus Latinis auctor ille ſolùm Ambroſium refert: qui ſi eſſet Gelaſius, Hilarij, Hieronymi, Auguſtini teſtimonijs vteretur, nec quoſdam Græcos ibi ſcriptores excitaſſet, qui Latinis demortui ſemper, & ſunt, & fuerunt. At Gelaſius ſcripſit de vtraque Chriſti natura aduersùs Eutychem, & Neſtorium. Non inficiamur, ſed quinque libros ſcripſiſſe legitur, non hoc paruum opuſculum, quod ementito titulo circumfertur.

Gennadius quoque contrà Eutychem ſcripſit, cur magis hoc opus Gelaſij, quàm Gennadij fateamur? Fuit etiam Gelaſius quidam Epiſcopus Cæſareæ Palæſthinæ, quem Hieronymus tradit, quædam eo tempore ſcripſiſſe, ſed celaſſe. Huic ego opuſculum tribuerem, niſi quòd purum, & politum ſermonem dicit eum Hieronymus habuiſſe, qualem in hoc libello equidem non agnoſco. Niſi bono, & eleganti auctori contigit malus, & impurus interpres. Falluntur autem, qui opus hoc Gelaſio Pontifici Romano tribuunt, ex verbis illis, cùm Sedem Apoſtolicam veſtra dilectio vnanimiter teneat, conſtanter prædicet, ſapienterque defendat, quo loco legendum eſſe fidem Apoſtolicam, vel me non demonſtrante, lector probaturus eſt. Nec nouum eſt ſanè, vt nomine Pontificum Romanorum, libri eiuſmodi proferantur. Nam actione 5. Synodi 7. Iconomachi duos libellos prodiderunt auctore Vigilio Romano Pontifice. Sed falsò tamen. Atque, vt opus conſtaret eſſe Gelaſij, nihil tamen affertur. Cùm enim edunt libros de re qualibet Romani Pontifices, ſententiam ſuam, vt homines alij docti, exprimunt, non tamquam Eccleſiæ iudices de fide pronunciant.

Nonum igitur argumentum ſatis, vt arbitror, euidenter confutatum eſt.

Decimo autem refutando, quæ Caietanus in illo 27. quæſtionum opuſculo dixit, non ſunt hìc ea nobis reſumenda, ne acta agamus, quod vetamur veteri prouerbio. Quod nunc inſtat, id diligenter explicandum eſt, quid videlicet conſequentiæ ſit, vt ſi ſuper Petrum Chriſtus Eccleſiam ædificauit, Romana ſtatim ſedes cæteris eſſe præpoſita diuino iure intelligatur. Indè enim plana quoque erit illa collectio, Si Petri fides iuxtà Chriſti orationem non defecit, maiores Eccleſiæ cauſæ ad Romanum Epiſcopum ſunt referendæ. Video autem, eiuſmodi res planè, & perſpicuè expedire non poſſe, niſi doctum, & intelligentem virum. Cuius rei tantæ, tamquam difficilis facultatem conſecutum eſſe me non profiteor, ſecutum eſſe præ me fero. Ea enim exponenda in hoc me opere ſuſcepiſſe conſtat, non quæ eſſent peruia, & omnium ſermone trita, ſed quæ vix adhibita etiam diligentia à doctiſſimis quibuſque intelligerentur. Quòd ſi ſuccedat conatus, iure eſt laudandus: ſin verò non ſuccedat, non eſt certè repræhendendus. Sed hæc hactenùs. Rem iam ipſam explicemus.

Primùm autem illud commemorandum eſt, quod aliàs ſæpè diximus, quæ Petro dicta in Euangelio à Chriſto ſunt, non vt homini priuato, ſed vt Eccleſiæ Præfecto, ea ad ſucceſſores quoque ſine vi aliqua, aut literæ inuerſione pertinere. Quemadmodùm, quæ Dominus Apoſtolis commendauit, æquè congruentia fidelibus vniuerſis, eadem futuris Chriſtianis omnibus in ſenſu literali commendata: iuxtà id, quod Chriſtus ipſe Marci 13. explicuit, inquiens: [Quod vobis dico, omnibus dico: vigilate.] Vigilare quippè ad omnes æquè pertinet: quare, etiam ſi Chriſtus id non adeò disertè fuiſſet interpretatus, vt ille explicuit, ita nos quoque neceſſariò explicaremus.

Pari item ratione, quæ Dominus Apoſtolis locutus eſt ad ipſos quidem ſpectantia, quatenùs Eccleſiæ Sacerdotes: hæc non ad fideles omnes, ſed ad reliquos futuros in Eccleſia Sacerdotes catholici referimus. Quale illud eſt Luc. 22. [Hoc facite in meam commemorationem.] Cùm enim Dominus, pane, & accepto, & fracto, eleuatiſque in Cœlum oculis, Deo gratias egerit, calicemque ſimul, & acceperit, & leuauerit, ſine dubio Euchariſticum ſacrificium, hoc eſt, gratiarum actionis, Iudæorum ritu obtulit: niſi ſtultus fuit, & ingratus, qui, cùm referre patri ſummam gratiam poſſet, quæ ab illo nobis acceperat ſumma dona eidem referendo, minimè retuliſſet.

Digitized by Google

liſſet. Iubens itàque Apoſtolis ſuis Chriſtus, vt hoc ipſi facerent, quod ſcilicet illum videbant facere, nimirùm id præcepit, vt hoſtiam Euchariſtiæ, & gratiarum actionis offerrent.

Quod & Cyprianus ad Cecilium, & Irenæus lib.4.cap.35.diuinè expoſuerunt, Quia ergo ſacrificium facere, ſacrificorum, & Sacerdotum proprium munus eſt, quod eo loco Dominus Apoſtolis commendauit, id propriè ad futuros Eccleſiæ Sacerdotes ſpectat: non ad vulgus etiam mulierecularum, quod hæretici credidere. Porrò, quæ iiſdem Chriſtus, quia Paſtores Eccleſiæ futuri erant, mandaſſe legimus, hæc ipſa Epiſcopis, & Paſtoribus ſuccedentibus ad literam credamus eſſe mandata. Huius rei exemplum eſt illud Matthæi 18. [Quæcumque alligaueritis, &c.] Et illud item Ioann.20. [Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum ſanctum, &c.] Hanc verò regulam ſi ſacris literis explicandis tenuerimus, vitabimus procul dubiò permixtam illam, & tenebricòſam confuſionem, quam in Scripturæ intelligentia hæretici patiuntur. Quorsùm hæc? Nempè, vt ea, quæ Petro in Euangelio dicta ſunt, aptè, ac prudenter diſtinguamus: & ſi quid illi, vt priuato, congruit, hoc ad ſingulos fideles ſpectare exiſtimemus. Cuiuſmodi illud eſt: [Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum inter te, & ipſum ſolum, &c.] Sin verò quicquam illi conuenit, vt Apoſtolorum Principi, & Eccleſiæ Paſtori, hoc citrà controuerſiam putemus ad ſuccedentes in Eccleſiæ Pontificatu eſſe referendum, idque in genuino literæ ſenſu. Nam & quæ Legiſlator ciuilis ſuis delegaris præſcribit, non ad eum ſolùm, cui viua voce loquitur, ſed ad cæteros, qui illi in eodem officio ſuccedunt, referuntur.

Deindè illud quoque magnoperè aduertendum eſt, Romanum Pontificem Petro ſuccedere, non eſſe per ſe quidem in ſacris literis reuelatum, ſed aliundè conſtare: ex eo ſcilicet, quòd hiſtoriæ grauiſſimæ prodidere, Petrum Apoſtolum, ſuam Cathedram Romę demùm collocaſſe, ibique cùm eſſet Epiſcopus, fuiſſe defunctum. Hoc Velenus, hoc Sebaſtianus Francus, hoc Hæretici quidem alij negant: quinetiam aiunt Petrum, ne Romam quidem inuiſiſſe. Quod tamen, cùm hiſtorici omnes graues prodiderint, malitioſè negatur. Non enim exiſtimandi ſunt iſti, quod verbis negant, id mente ſentire: niſi pueri, & pueri ſtulti eſſe credantur. Quid enim tam ſtultum, tamque puerile dici poteſt, quàm ſi ea non eſſe olim in Rep. geſta negemus, quæ geſta eſſe vir quiſque ante nos grauiſſimus affirmauit? Quòd ſi eius rei, de qua diſſerimus, auctores quæris, Dionyſius vnus eſt in epiſt. ad Timoth. Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus alter eſt apud Euſeb. lib.2. Eccleſ. hiſtor. cap. 25. Tertius reſtis eſt Clemens in epiſt. 1. Quartus eſt Anacletus in epiſtola de ordinatione Epiſcoporum. Quintus eſt Marcellus, 24.quæſt.1.cap.Rogamus. Sextus Leo in concione prima de feſto Petri & Pauli. Septimus eſt Gelaſius cum concilio 70. Epiſcoporum. Octauus eſt Innocentius III. in cap. Per venerabilem, qui filij ſunt legitimi. Nonus eſt Nicolaus III. cap.Fundam. de elect.in 6. Decimus, eſt Leo IX. in epiſt. Synodica ad Petrum Antiochenum Patriarcham. Vndecimus, Conſtantinus in edicto ante Nicænum Synodum 69. diſt. cap. Conſtantinus. Duodecimus, Epiphanius hæreſi 27. quæ eſt Carpocratis. Tertius decimus, Irenæus lib. 3. cont. Valent. cap.3. Quartus decimus, Tertullianus lib. 4. aduerſus Marcionem, & lib. de præſcr. hæret. Quintus decimus, Ambroſius in orat. contrà Auxentium de Baſil.trad. Sextus decimus, Hieronymus in lib. de viris illuſtr.in Petro. Decimus ſeptimus, Egeſip. lib.3. de exci.Hieroſol.cap.5. Decimus octauus, Auguſtinus lib.1. contrà Iul. Pelag. Poſtremus, Euſeb.lib.3.Eccleſ.hiſt.cap.14. & 18. lib. quoque 3. cap. 2. & 25. Quibus locis etiam refert, Origenem, Caium, Papiam. Tam verò multis, & incorruptis teſtibus, qui non credit, is aut ſtultum, aut hæreticum certè ſe eſſe demonſtrat: vt publicam Romanæ vrbis vocem, loca item ipſa Vrbis prætereamus, quæ etiamnum vitæ, mortique Petri teſtimonium perhibent.

His itaque poſitis, difficilis, & perobſcura quæſtio facilè explicatur: quæ quidem, vt dixi, doctiſſimos viros ità implicuit, vt ſe expedire non valuerint. Quòd enim Paſtor poſt Petrum à Chriſto in Eccleſia ſuffectus, poteſtatem Petri ordinariam habeat, ac cætera priuilegia propter Eccleſiam Petro conceſſa, ex Euangelio habetur: iuxta ea, quæ primo documento animaduerſa nobis, & demonſtrata ſunt. Quòd verò ille, quem Chriſtus Petro mortuo ſuffecit, Romanus fuerit Epiſcopus, è re geſta colligitur. Nam ſi Petrus ſemper Antiochiæ ſediſſet, vt cœpit, ſine dubio Epiſcopus Antiochenus illi legitimè in Pontificatum ſucceſſiſſet.

Sed & id poſtremò conſiderandum, eſt enim res magna, ac diligenti contemplatione digniſſima, non illud modò ad doctrinam Catholicam pertinere, quod Apoſtolis expreſsè reuelatum eſt, verùm hoc etiam, quod ex altera propoſitione reuelata, & altera certa in lumine naturali, ſyllogiſmo, collectioneque euidenti conficitur. Vt Chriſtum Dominum habere voluntates duas, duoſque intellectus, vtriuſque item actiones, & creatam, & increatam, aut Chriſtum etiam ridere ſuaptè natura, vt homines cæteros poſſe: in ſacris fortè literis non habetur expreſſum. Sed quoniam traditum in illis eſt, filium Dei eſse hominem, & naturali ratione conſtat, omnem hominem habere voluntatem, intellectumque creatum, operationeſque vtriuſque potentiæ etiam creatas, omnem item hominem, vt flere, ità quoque ridere poſse; qui vnumquodlibet horum negauerit, is hæreticus iudicabitur. Propterea, quòd negando conſequens, ſcilicet filium Dei habere intellectum, intellectionemque creatam, negat proindè antecedens, ex quo illud colligebatur, hoc eſt, filium Dei eſse hominem. Eſto aliud exemplum. Concilium Nicænum in fide non erraſse, aut Chalcedonenſe, aut Epheſinum, nec in ſacris libris, nec in Apoſtolorum traditionibus explicatum eſt. Sed id ſolùm, Concilia in Spiritu ſancto legitimè congregata errare non poſse. At, quòd Concilium Nicęnum, Chalcedonen. Epheſ. legitimè fuerint coacta, ex diuina reuelatione non creditur. Creditur tamen ex humana fide, & traditione hiſtoriæ fide dignæ, per quam habemus,

mus,

mus, eas Synodos indicentibus, & confirmantibus veris Eccleſiæ Paſtoribus ex vniuerſo Orbe conueniſse.

Vndè licèt earum rerum certitudo, ac veritas, quæ in eiuſmodi Concilijs definitæ ſunt, ex duobus quaſi principijs pendere videatur, quorum alterum reuelatum à Deo eſt, Concilia videlicèt legitimè congregata certiſſimæ veritatis eſſe: alterum verò ſola certitudine naturali credatur, per ea, quæ ſcriptores graues, & incorrupti memoriæ prodidere. At hęreticus erit, qui negarit earum Synodorum ſcita, atque decreta, non aliter, ac ſi negaret Euangelium. Eſto quoque aliud exemplum apertiſſimum. Quòd ſacerdotes noſtræ huius ætatis à veris Epiſcopis ritè fuerint conſecrati, non eſt ſacris literis proditum: ſed res geſta potiùs eſt, quæ ex verbis, & animo conſecrantium pendeat. Ex hoc igitur principio, quod humana certitudine tenemus, videlicèt hos ſacerdotes ritè initiatos eſſe, illud pendere neceſſe eſt, an in Eccleſia nunc ſit verum Euchariſtiæ Sacramentum. Quod qui inficiatetur, hunc Eccleſia exiſtimaret hęreticum.

Tametſi ſolùm enunciatio vniuerſalis per reuelationem accepta ſit, omnes veros Sacerdotes, ſi rectam intentionem habeant conſecrandi, verum Euchariſtiæ Sacramentum conficere. Sed, quòd ij, qui modò viuunt, ſint eiuſmodi, non Euangelium ſolùm, ſed grauis, & conſtans naturæ ratio ſimul cum Euangelio probat. Ad eundem profectò modum, qui negauerit Romanum Pontificem eandem habere poteſtatem, quam Petrus à Chriſto accepit, fidei aduerſarius cenſendus eſt, quamuis ex Euangelio nihil aliud proximè colligatur, quàm Petri ſucceſſores eundem habere cum Petro principatum. Quia ſi huic Euangelicæ concluſioni illam addas, Epiſcopum Romanum eſſe Petri ſucceſſorem, quam ex hiſtorijs à traditione virorum grauiſſimorum accepimus, manifeſtè colligitur, Romanum Epiſcopum, & cęteris Epiſcopis ſuperiorem eſſe, & eandem habere in Eccleſia poteſtatem, & auctoritatem, quam habuit Petrus. Aptè igitur ſummi Pontifices, atque prudenter teſtimonia illa Euangelica, ad Romanum Epiſcopum, ſedemque Apoſtolicam retulerunt.

Quòd ſi ſententia hęc noſtra minùs viris doctis fuerit probata, quanquam haud ſcio, cur probetur minùs, habemus tamen adhuc aliam huius rei explicandæ formam: vndè liqueat, Pontif. Rom. ex diuina inſtitutione fuiſſe Petri in Eccleſiæ totius Pontificatu ſucceſſorem, atque adeò Romanis Epiſcopis ea teſtimonia conuenire, quæ Petri probant, & primatum, & fidem. Diximus quippè retrò, fidem noſtram non ſolùm ſcripto, ſed etiam traditione contineri. Ità, licèt Romanos Epiſcopos Petro ſuccedere, in ſacris libris non habeatur ſcriptum, ab Apoſtolis tamen Eccleſiæ, quaſi per manus traditum eſt. Iam, quòd hæc fuerit Apoſtolorum viua traditio, ex his ſcilicet vijs manifeſtè conſtat, quas in tertio libro nos, vel aperuimus, vel indicauimus. Non enim ſigillatim ſunt nobis explicanda omnia, ne longa oratione negotium lectori faceſſamus. Certè huius rei illud eſt euidens argumentum, quòd non ante Phocam modò, & Conſtantinum, non ante Nicęnam ſolùm Synodum, verùm etiam ante quemcumque poſt Neronem Imperatorem, ante quodcumque Eccleſiæ Concilium, ante quoſcumque poſt Petrum Pontifices Maximos, ſemper à viris Eccleſiaſticis Romanus Epiſcopus Petri ſucceſſor eſt agnitus. Atque Apoſtolicam traditionem fuiſſe, non obſcurè tradit Anacletus Petri diſcipulus, in epiſtola prima de oppreſſione Epiſcoporum. Sixtus I. ad Gallicanas Eccleſias, Eleutherius ad eaſdem, Victor in epiſtola ad Theophilum, Sixtns II. in epiſt. ad Gratum Epiſcopum, Zepherinus in epiſt. ad Epiſcopos Sicilianos. Marcellus ad Epiſcopos Antiochenæ Prouinciæ, Melchiades ad Epiſcopos Hiſpaniarum, Marcus in epiſt. ad Athanaſium, Iulius ad Orientales Epiſcopos. Nec veroſimile ſit, vt rem tam neceſſariam ad Eccleſiæ vnitatem continendam, Chriſtus Dominns Apoſtolis ſuis non reuelarit. Si enim Moyſi locus ille reuelatus eſt, quem Dominus elegerat, vt indè à Iudęis diuina oracula peterentur, quantò magis credendus eſt Chriſtus Petro manifeſtaſſe, quiſnam eſſet ille locus, vbi conſtituerat Regni ſui, & Principatum, & Sedem collocare? Atque ſi, vt transferretur Eccleſia Hieroſolymitana in Ciuitatem Pellam, voce Domini ſunt Apoſtoli admoniti, vt Euſebius 3. lib. Eccleſ. hiſt. cap. 5. & Epiphanius lib. 3. con. hęret. cap. vlt. referunt, multò magis credemus, vt è Ciuitate Antiochena Romam emigraret Petrus, Cathedramque indè transferret, Dominicis otaculis fuiſſe commonitum. Quod ſi ita eſt, vt reuerà eſt, nec aliud, niſi abſurdiſſimè credi poteſt, iam hinc fideles intelligant, vndè illa vox Lutheranorum fuerit, qua inter cæteros articulos Wormatię propoſitos, hunc etiam poſuere, vt abrogaretur Romani Pontificis poteſtas, quam ſibi ſumit ſupra cęteros Epiſcopos, intelligant rurſùm, quidnam illi moliantur, qui Romani Epiſcopi monarchiam aſſerunt fuiſſe poſt Diui Hieronymi tempus exortam. Nam, qui Phocam ſcribunt inſtituiſſe, Romanam Eccleſiam omnium eſſe Eccleſiarum Caput, piè quidem fortaſsè id, nullius enim animum ego iudico, ſed imprudenter tamen ſcripſerunt, intelligant etiam, vndè Diuus Thomas lib. 4. aduersùs gentes cap. 76. affirmat, eorum pręſumptuoſum errorem eſſe, qui ſe ſubducere nituntur ab obedientia. & ſubiectione Petri, ſucceſſorem eius Romanum Pontificem, vniuerſalis Eccleſiæ paſtorem non recognoſcentes. Intelligant demùm, qua ratione Leo X. Lutheri art. 25. condemnauerit in hęc verba: Romanus Pontifex Petri ſucceſſor, non eſt Chriſti Vicarius ſuper omnes totius mundi Eccleſias, ab ipſo Chriſto in beato Petro inſtitutus. Decimo igitur argumento, quoniam in eo exponendo difficultas erat maxima, non potuit à nobis verbis paucioribus reſponderi.

Ad vndecimum verò ſic reſpondeo, Non eſt profectò admittendum, fidem, etiam perſonalem Petri defeciſſe. Nam Petri iudicium in fide publicum falſum aſſerere, hęreſis eſt manifeſta. Sed cum Apoſtolorum nemo in fidei doctrina errare poſſet, id peculiare Petri priuilegium fuit, vt eius ne perſonalis quidem fides deficere potuiſſet.

Quod

Digitized by Google

Quod enim quidam aſſerunt; Chriſtum Dominum recumbentium vndecim exprobaſſe incredulitatem, &c. hoc Petrum Apoſtolum ne tangit quidem. Nam cùm Lucas cap. 24. ſcripſiſſet: Mulieres vndecim Apoſtolis, ea, quæ à Domino audierant, annunciaſſe, nec illos credidiſſe mulieribus, ſed earum verba deliramenta iudicaſſe, protinùs ſubdidit, Petrus autem cucurrit ad monumentum. Non enim cucurriſſet, niſi credidiſſet. Et coniunctio aduerſatiua, qua Euangeliſta vſus eſt, ſatis oſtendit, Petro verba mulierum non eſſe viſa deliramenta. Atque oratio Chriſti pro Petro fuſa, id apertè demonſtrat, Petri fidem non defeciſſe. At exponunt aduerſarij, oraſse Dominum, ne fides Petri deficeret finaliter, ſic enim loquuntur, ſed nullius diſcipuli fides hoc modo deficit. Ita oratio Chriſti non in ſingulare Petri priuilegium cederet, quod non ſolùm Chryſoſtomo, Theophylacto, Ambroſio, & Bedæ, ſed contextui etiam contrarium eſt. Cùm verò Ambroſius Petrum fidem amiſiſse ait, nomen fidei pro fidelitate accipit, quam ſcilicet amico ſuo Chriſto non ſeruauit. Quamquam illud etiam eſt frequens, vt fides pro fidei confeſſione vſurpetur.

At ridiculum eſt, vt ſi Chriſtus collegium Apoſtolicum increpaſse dicitur, ſingulos increpaſse intelligitur. Quaſi verò non à Prophetis ſæpè populus arguatur, in quo multi eſsent, ad quos reprehenſio nullo modo attineret. De qua re libro quarto vberiùs diſputatum eſt. Id verò, quod de Anaſtaſio, & Honorio additur, non paruam ingerit quęſtionem. Quoniam ſi oratio Chriſti non ad Petrum modò, verùm ad poſteros quoque Romanos Epiſcopos referenda eſt, qua ratione Petri fides, nec publica, nec priuata deficere potuit: eadem etiam nullius ſucceſsoris deficiet fides, nec in iudicijs publicis, nec in colloquijs, aut conſenſione priuata. Sin verò, cùm ad poſteros oratio illa refertur, intelligenda ſolùm eſt de fide publica, ſcilicet in quæſtionibus fidei decernendis: temerè profectò, & inconſtanter eo teſtimonio videmur Petri fidem, etiam perſonalem, vindicaſse.

Huic loco Albertus Pighius Campenſis non aliter potuit occurrere, quàm omnes Romanos Pontifices erroris nota liberando. Irà contendit nullum vnquam in hęreſim incidiſſe. Atque vt Anaſtaſium in libertatem aſſereret, Gratianum vexauit contumelioſiſſimè, Iuriſperitis turpiſſimè maledixit. Vt verò Honorium tuetur, ſexta generalis Synodi exemplaria falſarios corrupiſse, multis coniecturis ſuadere niſus eſt. Deindè etiam in eam opinionem inclinauit: vt crederet epiſtolam Honorij ad Sergium à Græcis de more fuiſse vitiatam: Synodum autem in eo iudicio deceptam. Quin adeò duorum Conciliorum ſexti, & ſeptimi acta omnia calumniatus eſt, ac pro ſua certè virili amborum labefactauit, & auctoritatem, & fidem.

Hęc verò Alberti opinatio, noua quidem in Eccleſia eſt, ſed ea etiam ratione confirmari poteſt, quod non eſt veroſimile, vt homini, qui hęreticus eſſe poſſit, fidei ſummam Dominus commiſerit. Rectum enim eſt regula ſui, & obliqui, vt Ariſtoteles docet, quare ſi fides Romani Pontificis dirigere ipſum non valet, multò minùs, vt videtur, alios in fide rectos efficiet. Quid, quod imbecilliùs in fide, fratres in fide confirmare nequit? Si igitur Romanus Epiſcopus iuxtà Chriſti pollicitationem fratres ſuos confirmaturus eſt, firmum ipſum eſse oportebit. Quamuis autem multis in locis dicat Pighius, ſicut hic dicit, ſatis probabiliter de ſummi Pontificis auctoritate: tamen non id ſpectandum eſt, quid dicat, ſed quid conſentaneum ſit ei dicere: cui veritatem tueri, ac retinere ſententia eſt. Dicit itaque ille multa multis locis de hac re quidem, ſed aqua hęret, vt aiunt. Defendat Liberium Pighius, quem tædio victum exilij in prauitatem hęreticam ſubſcripſiſse, auctor eſt Hieronymus in Chronicis. Excuſet Marcellinum, quem timore fractum, idolis ſacrificium obtuliſse, memoriæ proditum eſt. Victorem vindicet, quem Paulianiſtæ ſuum eſse mentiti ſunt, vt ſcribit Euſeb. 3. lib. eccl. hiſt. cap. 2.

Anaſtaſium liberet, quem ſine certo, & probabili teſtimonio Gratianus hęreſeos inſimulauit. Ac, Honorium quomodo ab errore vindicabit? Quem hęreticum fuiſse, tradit Pſellus in carmine de ſeptem Synodis, Tharaſius ad ſummos Sacerdotes Antiochiæ, Alexandriæ, ſanctæ Vrbis, vt 7. Synodo act. 3. ſcriptum eſt, Theodorus cum Synodo ſua Hieroſolymitana in confeſſione fidei, quæ habetur eadem actione tertia, Epiphanius reſpondens hæreticis in conſpectu Concilij eiuſdem actione 6. tomo 2. tota demùm ipſa 7. Synodus actione vltima, & in epiſtola ad omnes ſacerdotes, & clericos. Hadrianus quoque Romanus Pontifex in actione 5. Synodi octauæ generalis: De Romano, inquit, Pontifice, quemquam iudicaſse non legimus: licèt enim Honorio ab Orientalibus poſt mortem Anathema ſit dictum, ſciendum tamen eſt, quòd fuerat ſuper hęreſi accuſatus: propter quam ſolùm licitum eſt minoribus maiorum ſuorum motibus reſiſtere. Hactenus Hadrianus.

Vbi etiam addit, ſententiam in Honorium latam ex Romani Pontificis conſenſu fuiſse. Id, quod exploratum eſt in ſexta Synodo generali, actione quarta. Vbi Agatho in epiſtola ad Concilium, Honorium ipſum anathematizat. Beda item, de natura rerum cap. 67. in ſexta Synodo, ait, Macharius cum ſuis ſequacibus ſimul, & præceſſoribus, Ciro, Sergio, Honorio, Pyrrho, anathematizatus eſt. In libro prætereà Pontificali refertur Leo Secundus ſextam Synodum ſuſcepiſse, in qua condemnati ſunt, Cirus, Honorius.

Atque in fine ſextæ Synodi ponitur epiſtola Leonis ad Conſtantinum, vbi poſt ſuſceptum, confirmatumque Concilium, Anathematizamus, inquit, Cirum, Sergium, necnon, & Honorium, qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ traditionis doctrina luſtrauit, ſed prophana proditione immaculatam fidem ſubuertere conatus eſt.

Prætereà illud caput: Si Papa; 40. diſtinct. quod pro nihilo habet Campenſis, nos maximi habere debemus. Quoniam ille vnus caſus, in quo oues paſtorem ſuum iudicare poſſunt, ſcilicet cùm fuerit hęreti-

cus, habetur, vt alia loca prętercam, in quinta Synodo Romana 218. Epiſcoporum, in hæc verba: A multis anteceſsoribus noſtris ſynodaliter decretum, atque firmatum eſt, vt oues paſtorem ſuum nec repræhendere, niſi à fide exorbitauerit, præſumant. Idem tradit Anacletus in epiſtola 3. de Patriarchis, & primatibus, inquiens: Paſtor Eccleſiæ, ſi à fide exorbitauerit, erit à fidelibus corrigendus: ſed pro reprobis moribus magis eſt tolerandus, quàm diſtinguendus, quia rectores Eccleſiæ à domino ſunt iudicandi.

Idem Euſebius docet ad Epiſcopos Ægyptios. referturque 2. quęſt. 7. cap. Oues. Idem Ioannes Papa in epiſt. ad Zachariam. Idem in 8. Synodo traditum eſt, vt nunc referebamus. Refert etiam Burchardus lib. 1. cap. 13. 138. 139. Calixtum, Clementem, Gagum, in hanc eandem ſententiam. Non eſt igitur negandum, quin ſummus Pontifex hæreticus eſse poſſit, cuius rei exemplum vnum, & item alterum forſitan proferetur, at quòd in fidei iudicio contrà fidem definierit, ne vnum quidem proferre poteſt. Itaque obiectioni poſitæ hoc reſponſum habeto: Aliud eſt in Petro, quod ſpectat ad hominis priuatam excellentiam: aliud, quod pertinet ad communem Eccleſiæ vtilitatem.

Quòd negarit Chriſtum, hominis erat; quòd confirmarit fratres, erat Eccleſiæ. Illud proprium, hoc commune erat. Similiter, quòd fides Petri propria ſemper interiùs ſeruaretur, hominis priuilegium erat; quòd verò alijs confirmandis ſolidam fidem proponeret, nec in fidei iudicio deficeret, Eccleſiæ publicum priuilegium erat. Romanus igitur Epiſcopus non fuit hæres, aut priuilegiorum, aut culparum Petri propriarum; quæ videlicèt ex accidenti, publicæ Petri poteſtati coniungebantur, ſed ſucceſſit in his, quæ ſpectabant ad Eccleſiæ communes, & neceſsarias commoditates. Nam priuilegia Apoſtolis à Chriſto conceſsa, aliter ad ipſos, aliter ad ſucceſsores referuntur. Quippè in Apoſtolis fuerunt etiam priuilegia perſonalia amplioris gratiæ, quàm in poſteris. Vt, verbi cauſa, per illa verba: [Quæcumque ligaueritis ſuper terram, &c.] & per illa: [Sicut miſit me pater, & ego mitto vos, &c.] intelligimus, poteſtatem generalem in vniuerſum Orbem Apoſtolos ſuſcepiſse.

Ita pares Petro dicuntur 21. diſtinct. cap. In nouo & 24. quæſt. 1. cap. loquitur. Sed Epiſcopi poſteriores non ſucceſſere Apoſtolis in poteſtate generali extraordinaria, ſed in ordinaria, quam ſinguli in ſuis Eccleſijs Apoſtoli habuerunt. Vt Simeon Iacobo in Eccleſia Hieroſolymitana, &c. Eſto aliud exemplum. Ex verbis illis: [Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis: rectè quidem Theologi colligunt, Apoſtolos poſt Spiritus ſancti aduentum in gratia confirmatos. Cæterùm non ita tranſijt hic Spiritus in Epiſcopos ſuccedentes, vt in eis æternum maneat per gratiæ confirmationem. Quod Apoſtolis ex priuilegio perſonali donatum eſt, ſed id ſolùm tranſijt ad poſteros Eccleſiæ paſtores, quod neceſſarium erat ad Eccleſiæ communem vtilitatem. Sic omninò priuilegium fidei indeficientis, quod in Petro perſonale etiam fuit, ad Epiſcopos Romanos traſmiſſum eſt, non in eo, quod Petri erat peculiare, ſed in eo, quod commune erat Eccleſiæ.

Vndè, & aliæ obiectiones repelluntur, quæ pro Alberti ſententia poſitæ ſunt. Non enim fides interior Romani Pontificis Eccleſiæ eſt neceſſaria: nec illius occultus, & priuatus mentis error Eccleſiæ Chriſti nocere poteſt. Quapropter non eſt neceſſe, vt interioris fidei conſeruatione Romanis Pontificibus Deus ſemper aſſiſtat. At, quòd, dum ea decernunt, quæ fidelibus credenda ſunt, dumque Eccleſiam Chriſti in fide dirigunt, non deficiant, ſed diuina manu teneantur: id Eccleſiæ opus eſt, idque proindè Romanis Epiſcopis etiam imbecillis, & aliàs priuatim errantibus, non negabitur: ne videlicèt per publicæ poteſtatis errorem Eccleſiam faciant in communi veritatis ignoratione verſari.

Vndecimum igitur argumentum abundè, ni fallor, confutatum eſt. At poſtremò argumento refutando illud, non ſunt lectores admonendi, eſt enim in promptu, malos vrbis mores, ſi quos fortè vrbs maior habeat, non eſſe huius loci defendere. Non ſumus tam rudes, & ſtupidi, quàm Lutherani nos eſſe calumniantur. Oculos etiam nos eruditos habemus, ſed modeſtos tamen. Scriptum eſt enim, quòd Patris nudata verenda boni filij auerſi veniendo texerunt. Auerſari autem id dicimur, quod reprobamus. Quid autem eſt, filios verenda patris ſuperiecto dorſis pallio auerſos operuiſse, niſi vt Gregorius ait, bonis ſubditis ſic præpoſitorum ſuorum mala diſplicere, vt tamen hæc ab alijs occultent? Operimentum, inquit, auerſi deferunt, quia iudicantes factum, & venerantes magiſterium, nolunt videre, quod tegunt. Sic magiſtrorum vitam Diſcipuli probi iure apud ſe taciti reprehendunt, & eos, etiam cum diſplicent, venerantur. Super Cathedram, inquit Chriſtus, ſederunt Scribæ & Phariſæi, quæcumque dixerint vobis, facite, ſecundùm verò opera eorum nolite facere. Sed hæc hactenùs.

Illud eſt potiùs lector admonendus, vt animaduertat, Romanas conſuetudines alias eſse Romæ cum tota Eccleſia communes: quas videlicèt ex Apoſtolorum Petri, & Pauli traditione creditur accepiſse. De quibus Auguſtinus in epiſt. ad Ianuarium, num. 118. multa, ſed plura fuſiùs Innocentius Primus in epiſtola ad Decentium tradit. Aliæ verò ſunt conſuetudines, quas Eccleſia Romana, vel à ſe habuit priuatim inſtitutas, vel à Petro quidem Apoſt. accepit, non tamen in vniuerſum Orbem promulgandas. De quibus Auguſtinus diſertè loquitur in epiſt. 86. ad Caſulanum, & in epiſt. 118. 119. ad Ianuarium. Priores igitur conſuetudines, quas Eccleſia Romana non modò tenet, verùm etiam ab vniuerſa Eccleſia docet eſse ſeruandas, omninò tenere debemus: vt Iulius 11. diſt. cap. Nolite: Innocentius ead. diſt. cap. Quis neſciat: & Calixtus 12. diſt. cap. Non decet: & Gregorius ead. diſt. cap. Preceptis: docue-

docuerunt. Poſteriores verò Eccleſiæ Romanæ conſuetudines non oportet priuatas Eccleſias ſequi, vt Diuus Auguſtinus locis poſitis tradidit, & Nicolaus 12. diſt. cap. Scit: & Gregorius ead. diſt. cap. Nouit. Idemque omnioò traditur 31. diſt. cap. Quoniam, & cap. Aliter. In vna enim fide nihil officit ſanctæ Eccleſiæ conſuetudo diuerſa: vt habetur de con. diſt. 4. cap. De trina: Atque de huiuſmodi conſuetudinibus, & Ambroſius, & Hieronymus intelligendi ſunt in ijs locis, quæ ſunt obiecta. Illud verò, quod ex Trullana Synodo affertur, facilè diluitur. Quoniam, vt ſuperiore libro latiùs explicaıum eſt, Synodus hæc nullaoı habet in Eccleſia auctoritatem, in his præſertim, in quibus contrà Eccleſiam Romanam Græca ſe contentione erexit. Nec Conciliorum conatus de legibus, aut ferendis, aut abrogandis quicquam valet, niſi ſummi Pontificis decreto, & ſententia confirmetur. Et conſuetudinem illam de ieiunio Sabbati ex his eſſe conſtat, quas in poſteriore genere collocauimus: vt etiam Ambroſius ditit, 12. diſt. cap. illa. Quocirca vanè de hac re à Concilio Trullano Eccleſia Romana reprehenditur. Sextus igitur liber hunc in modum abſolutus ſit, quem plùs fortaſſè nimiò longum fecimus: tametſi non ſunt longa, quibus nihil eſt, quod demere poſſis.

MICHAELIS
DE ANINYON

Decretorum Doctoris Cæſarauguſtani, & S. Officij Conſultoris.

TRACTATVS
DE VNITATE OVILIS, ET PASTORIS.

Michael de Aninyon Aragonius natus eſt honeſtis, ſed non multùm locupletibus parentibus. Eius Patria fuit Cæſarauguſta, quam in ſuis carminibus egregiè, & fusè commendat, dicens eam olim vocatam Salbudam, poſteà Auguſtam ab Auguſto Cæſare, Metropolim Regni, ſecundam poſt Romam in Reliquijs Sanctorum poſſidendis innumeris, in ea eſſe Templum dictum Pilare ædificatum manibus ipſis S. Iacobi Apoſtoli, circumdari velut terreſtrem Paradiſum omnibus effluentem quatuor fluuijs Xalon, Gallico, Orba, & Ibero, in ea haberi cuſtodiam Corporis Chriſti valoris mille talentorum argenti ſculpti, & perfecti, & alia multa encomia congerit. In ea Metropoli ortus amænioribus Poeſis ſtudijs animum inclinatum dedit, ex quo factus Poeta ſuorum temporum non inelegans poterat dicere cum Ouidio, quidquid conabar ſcribere verſus erat, omnia etenim in verſus transformabat, etiam opus ſuum legale; Poſt poeſim meliori iudicio animum tranſtulit ad hiſtorias Eccleſiaſticas, quibus aliquo tempore inſudauit. Cùm interim Pater vitam duceret cauſis agitandis, eamdem viam, vt moris eſt, docuit filium, extractumque inuitum à ſtudio hiſtoriarum ſacrarum tranſtulit ad ſtudium iuris, imperio agens paterno; & primum lac iuris ebibit Salmanticæ, vt Bibliopola Dominicus à Portonarijs verſibus de eo factis teſtatur, Iuuenis factus forenſi ſtudio totum ſe deuouit, nec aliam ſcientiam præter iuriſprudentiam voluit, niſi Philoſophiam moralem, quæ valdè cognata eſt cum ipſa lege, imò ſecundùm Sapientiores ſub eodem obiecto concluduntur, iiſdemque limitibus coarctantur. Iuriſconſultus Aragonius, & in Bononienſi S. Clementis Hiſpanorum Collegio Sodalis, Decretorum Doctor Cæſarauguſtanus. Cùm autem eſſet peritus in hiſtorijs Eccleſiaſticis eum S. Officij Conſultorem Hiſpana Inquiſitio libentiſſimè elegit, in qua quindecim continuis annis egregiè deſudauit. Eo in munere exiſtens ſæpiſſimè alloqui debebat cum aduenis, qui infecti hæreſi impugnabant acerrimè Primatum Petri, & vnitatem Eccleſiæ Catholicæ, ruſtici ipſi, Mulierculæ nedum diſputabant, ſed & quaſi triumphantes ſuperbiebant, vnde ipſe coactus eſt edere librum complectentem vltrà rationes deductas ex Scriptura, Iure, hiſtoria Eccleſiaſtica, rationes etiam naturales; & philoſophiam moralem. Compoſiturus hunc librum ſuum denuò reliquit Curiam, & negotia forenſia, & renouauit cognitionem antiquorum dogmatum, vt ipſe fatetur in epigrammate de reditu in Curiam libri ſui. Nullum inueni Auctorem hoc ſcrupuloſiorem in ſuo opere edendo; Non ſolùm ſeruauit

præ-

præceptum Horatij de non promendis libris, niſi in nonum annum, ſed & fatetur ſe examinaſſe, legiſſe, & perlegiſſe centum vicibus, trepidus ſcripſit ad Illuſtriſs. D. Don Gaſparem de Quiroga Archiep. Toletanum Hiſpaniarum Primatem, & Conſiliarium Regis in ſupremi Status negotijs, cui librum dedicauit, vt examinaret, an ſaltem modicè eſſet vtilis liber ille, ſin ſecùs in ignem proijceret, vt ſi in votis eſſet permitteret ſine vllo Auctoris nomine in publicum comparere. Sed Magnatibus, & Pontificibus placuit liber ille, ſtylus & ordo, vnde editus eſt Cæſarauguſtæ ex Officina Dominici à Portonarijs de Vrſinis Sacræ Catholicæ Maieſtatis, & Regni Aragoniæ Typographi Anno 1588. cum priuilegio Regis, illique appoſitus eſt Titulus: Tractatus de vnitate Ouilis, & Paſtoris editus per Michaelem de Aninyon Decretorum Doctorum Cæſarauguſtanum, S. Officij Conſultorem. Extat etiam inter Tractatus Doctorum volum. 13. Adiungitur iſtis Compendium factum carmine omnium eorum, quæ continentur in hoc opere, ad Titulum Inſtitutionum de Actionibus. Hic liber placuit Curiæ, nec amiſit fructum intentum animarum, vt nempè reduceret ad Ouile oues diuulſas, & ſeparatas, nec fructum temporalem, quippè cùm non ampliùs poſset viuere ex agitatione cauſarum forenſium, plus illi germinauit pax Chriſtiana, quàm pugna forenſis. Floruit iſte Auctor, ſeculo præterito, & mortuus eſt in illius fine poſt multos annos compoſitionis libri, quem in lucem edidit Anno 1575. vt fatetur illis duobus verſibus. Iamque vale Aprilis ſexto, & milleſimo in anno, ſeptem & quingentos ſeptuaginta ſuper. Meminit autem huius quamuis breuiter Bibliotheca Hiſpana, alijque, qui hunc fidiſſimum Romano Pontifici deprędicarunt, & doctiſſimum, nam ſuo tempore apud Doctos appellabatur Doctor omnibus bonis artibus, & literis eruditus. Inſcripſit autem de vnitate Ouilis, & Paſtoris inſcriptione ad finem ſuum accommodatiſſima, cùm enim intenderet conuertere quoslibet infideles etiam ruſticos, & fœminas, nulla clarior nota eſt vnitate, hanc enim demonſtrat neceſſatiam in rebus omnibus ſupernaturalibus, in naturalibus, & in politicis, ex quibus mille argumenta deſumit pro neceſſitate vnius Paſtoris, & vnius Ouilis, & ex ipſis viſceribus rei rem demonſtrat, nempè ex Eccleſia ipſa.

CAPVT PRIMVM.

In quo ad vnitatem hanc faciliùs perſuadendam, commemorantur aliqua ex pluribus, & immenſis beneficijs, quæ Deus optimus contulit hominibus præſertim Chriſtianis.

SVMMARIVM.

1 *Ad vnitatem Ouilis, & Paſtoris faciliùs perſuadendam plurimum valet recordatio beneficiorum, quæ Deus contulit humano generi.*

2 *Chriſtus commendaturus hanc vnitatem à commemoratione iſtorum beneficiorum exorditur.*

3 *Deus, qui bonorum noſtrorum non indiget, fecit nos ad imaginem ſuam in magnum ſuæ in nos dilectionis argumentum.*

4 *Simile ſimili ſemper amicum, quia ſinguli ſemper feruntur ad ſibi ſimile.*

5 *Ethnici, & infideles cognouerunt hanc hominis ad Deum ſimilitudinem.*

6 *Hominis cauſa creauit Deus reliquas creaturas, quibus præeſſet nomina eiſdem imponens homo.*

7 *Homo faciem ad Cælum, quò tendit, erectam habet, cætera verò animalia versùs terram.*

8 *Deus eſt, per quem viuimus, mouemur, & ſumus.*

9 *Deus habet magnam de hòmine ſollicitudinem, & prouidentiam.*

10 *Anima, licèt vna ſit in eſſentia, tres tamen habet potentias diſtinctas ad ſimilitudinem Trinitatis diuinæ, quæ in eſſentiæ vnitate, & perſonarum Trinitate conſiſtit.*

11 *Animam capacem Dei quicquid Deo minus eſt non implebit, ſicut nec ſigillati vacua implentur, donec ſigillatū ſigillo vniatur.*

12 *Homo libero arbitrio decoratus eſt, vt ſi ſuſcepto baptiſmate nullum primæ gratiæ obicem paret, maioris meriti efficiatur, quàm ſi impeccabilis creatus fuiſſet.*

13 *Homini priori datum fuit adiutorium ſibi ſimile, & permiſſum, quod de omni ligno Paradiſi comederet, excepto ligno ſcientiæ boni, & mali.*

14 *Peccato priori perpetrato, & natura humana corrupta mirabile dictu eſt, quot remedia præparauit Deus homini, vt ab originali, & actualibus peccatis reſurgat.*

15 *Homo ſi conuertatur ex toto corde ad Deum cum contritione cordis, oris confeſſione, & operis ſatisfactione Deus pollicetur ſe non recordaturum iniquitatum eius.*

16 *Deus, vt conuertatur peccator emittit occultas inſpirationes ſtat ad oſtium hominis pulſans, dat propriæ conſcientiæ teſtimonium ſignans lumen vultus ſui ſuper eum.*

Arge-

Digitized by Google

17 *Angelis mandauit Deus, vt cuſtodiant nos in omnibus vijs noſtris faciens eos adminiſtratorios ſpiritus, ſanctorum exempla proponit, qui numquã à ſeculo Abel iuſti vſque in præſens defuerunt in Eccleſia.*

18 *Apoſtolos dedit quoſdam, alios Euangeliſtas alios paſtores, & Doctores, vt eorum doctrina, & exemplis inſtrueremur.*

19 *Chriſtum Dominum, quamuis verum Deum, quia tamen, & verum hominem poſſumus cum ipſius adiutorio imitari in actibus noſtris.*

20 *Sanctorum interceſſiones nos adiuuant, quas negare eſt, negare ſacram Scripturam.*

21 *Aduocatum habemus apud Deum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & eius Virginem matrem.*

22 *Teſtimonium amoris (quod nobis Chriſtus oſtendit in paſſione ſua, Sacramentorum inſtitutione, & miſſione Spiritus ſancti in Apoſtolos primos Euangelicæ legis prædicatores) contemplandum eſt.*

23 *Vnici Ouilis, & Paſtoris beneficium nobis donatum non minori deuolutione, quàm cætera beneficia Dei conſiderari debet pro fidei tuitione, & Catholici Gregis conſeruatione.*

1 EXplicaturus (Chriſtiane Lector) quàm grata ſit, & accepta Deo ſanctiſſima huius vnici ouilis, & paſtoris vnitas (de qua nobis agendum eſt in hoc opuſculo: & quam Deus fidelibus ſuis ſub præcepto reliquit.) Operæpretium exiſtimaui, noſtri tractatus initio recenſere aliqua ex ijs, (quæ Deus optimus humano generi contulit) beneficia, quando multa (nedum omnia, quæ infinita ſunt) nequeant hominum ingenijs comprehendi, vt eorum ſaltim, quæ enarrare debemus magnitudine piè conſiderata, conſideremus etiam, quàm obnoxios ſibi nos habeat diuina clementia: quantaque opera, ſtudio, & ſollicitudine debeamus inniti, vt intrà huius vnici ouilis ſepta, & ſub vnici huius paſtoris præſidio maneamus immobiles, non ſapientes vltrà quàm ſapere oporteat, poſtquam illi in ea re gratiſſimum noſtræ ſeruitutis obſequium
2 impendemus. Sic Chriſtus Dominus noſter (cuius actio noſtra eſt inſtructio) cõmendaturus hanc vnitatẽ Ioan. 10. antẽ illa verba, [alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor] (à quibus verbis tractatus iſte nomen aſſumpſit, & titulum) præmiſit aliqua beneficia, quæ generi humano conferre volebat dicens, [Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant, & ego ſum paſtor bonus, bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis, ego cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ, vt commemoratis ſimilibus beneficijs, nemo ſit tam expers rationis, qui non deſideret eſſe de ouibus tam benefici paſtoris. Vndè non erit extrà propoſitum, ſi Chriſti ordinem, & doctrinam ſequentes, & quaſi pro præludio operis beneficia iſta recenſeamus.

3 Principio ergo meditari nos oportet. Deum ipſum (qui bonorum noſtrorum non eget Pſalm. 15.) ipſum eſſe, qui fecit nos: & cuius manus nos plaſmauerunt. Iob. 10. & Pſalm. 94. [Ploremus coràm Domino, qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius, qui non vtcumque, nec ad imaginem cuiuſcumque, ſed faciamus, inquit, hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram Geneſeos 1. & Eccleſiaſt. 17. & Sapien. 2. & Auguſt. libr. quæſtionum veteris teſta. quæſt. 45. in cap. hæc Imago.
4 33. quæſt. 6. In magnum profecto ſuæ in nos dilectionis argumentum, ſolent enim ſimilia ſimilibus gaudere iuxtà illud Platonis in Lyſide, ſimile ſimili neceſſario ſẽper amicum, & 6. de legibus, ſinguli ſemper feruntur ad ſibi ſimile, quam etiam hominis ad Deum ſimilitudinem plures Ethnici cognouerunt, vt ex Cicerone colligitur lib. 1. de natura deorum in diſputatione, quam cotte, & velleio inſcripſit, & vt ait Poeta igneus eſt illi vigor, cœleſtis origo, relatus à Gloſa in l. Iuſtiſsimè ff. de edilitio edicto, & in §. fin. Inſtit. de iure naturali, & Imperator in l. ſi quis in metallum C. de pœnis, ait hominem eſſe figuratum ad imaginem pulchritudinis cœleſtis, & Trimegiſtus, Miraculum, inquit, eſt homo ad ſimilitudinem Dei factus. Huius hominis cauſa creauit, & reliquas creaturas, quibus præeſſet. Geneſ. 1. §. partus, Inſtit. de rerum diuiſione, & Plinius cap. 1. lib. 7. natural. hiſtoriæ ait, quòd cauſa hominis cuncta videtur genuiſſe natura, & eſt finis omnium, teſte Ariſtotele Ethicorum 2. & dedit ei poteſtatem eorum, quæ ſunt ſuper terram. Eccleſ. 17. & Pſalm. 8. [gloria, & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, & ſuper vniuerſas creaturas homini contulit principatum. Clemen. ſi dominum. de reliq. & venera. ſanct. & Plinius cap. 1. lib. 7. natural. hiſtoriæ ait, Homo eſt animal cunctis imperans: & cæteris animantibus excellens, & Ariſtoteles lib. 1. & 2. de animalibus ait, nobiliſſimum, & altiſſimum animal eſt homo, & 1. Politicorum, Animal hoc prouidum, ſagax, tutum, memor, plenum rationis, & conſilij, præclara quadam conditione generatum eſt, propter iſtud imperium ſuprà cęteras creaturas factum eſt, vt primus homo nomina rebus imponeret tamquam Dominus earum, Geneſeos 2. quam hominis dignitatem infideles etiam confitentur l. iuſtiſſimè ff. de edilitio edicto l. in pecudum ff. de vſuris l. 2. ff. de ſtatu hominum, hanc etiam creaturam oſſibus, & neruis compegit membra eidem fabricans, ſenſus; & organa corpori neceſſaria, Iob 10. de quorum membrorum excellentia, & proprietate videndus eſt Cellius lib. 1. & 2. ſuarum antiquarum lectionum, & teſtante Ouidio lib. 1. Metamorphoſeos, quem refert gl. in §. partus. Inſt. de rer. diuiſi, & in §. fin. Inſti. de iure natura. in l. iuſtiſſimè ff. de edil. edict. & in ſignum cœleſtis habitationis, & æternæ manſionis, ad quam tendimus, & creari ſumus.

Pro.

7 *Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,*
Os homini ſublime dedit, cęlumque videre
Iuſsit, & erectos ad ſidera tollere vultus,
Et Si llius Italicus dicebat,
Nonne vides hominem celſos ad ſidera vultus
Suſtulerit Deus, ac ſublimia finxerit ora?
Cum pecudes, volucrumque genus, formaq; ferarum
Segnem atque obſcenam paſsim ſtrauiſſet in alium.

8 Per eum etiam viuimus, mouemur;
& ſumus (ſicut quidam poetarum dixerunt,
auctore Beato Paulo in oratione, quam
ad Athenienſes habuit, Actuum 17. & Au-
guſtino in capit. non obſeruetis 2. quæſt. 7.
9 Meditanda eſt etiã prouidentia, & ſolli-
citudo, quam de homine Deus profitetur
habere, Matth. 6. [dico vobis ne ſolliciti
ſitis, quid manducetis, neque quid indua-
mini, reſpecite volatilia cœli, quoniam
non ſerunt, neque metunt, neque congre-
gant in horrea, & pater veſter cęleſtis paſcit
illa, nonne vos magis pluris eſtis illis? &
de veſtimentis quid ſolliciti eſtis? conſide-
rate lilia agri, quomodo creſcunt, & non
laborant, neque nent. Nolite ergo ſollici-
ci eſſe dicentes, quid manducabimus, aut
quid bibemus, aut quo operiemur. Hæc
enim omnia gentes inquirunt, ſcit pater
veſter: quia his omnibus indigetis,] &
cap. 10. eiuſdem Matth. [veſtri capilli capi-
tis omnes numerati ſunt,] & ideò Dauid
Pſalmo 39. [Ego autem mendicus ſum, &
pauper Dominus ſollicitus eſt mei.] &
Pſal. 33. cuſtodit Dominus omnia oſſa co-
eorum, vnum ex his non conteretur.
10 Hanc ſibi ſimilem creaturam, vltrà
pulchritudinem, & corporis elegantiam
dotauit anima rationali, & tribus illis po-
tentijs intellectu, memoria, & voluntate:
quæ quamuis in ratione potentiæ tres ſint
diſtinctæ, vnum tamen ſunt in eſſentia
videlicet anima, ad ſimilitudinem Trini-
tatis diuinæ, quæ in perſonarum Trinita-
te, & eſſentiæ vnitate conſiſtit.
11 Ex qua cum Deo ſimilitudine colligi
poteſt, quòd homo non ſatiabitur, donec
ei appareat gloria Dei, Pſalmo 16. ſicut vi-
demus, quòd ſigillati vacua nunquam im-
plentur, donec ſigillatum ſigillo vniatur,
vndè eleganter Bernardus ſuper Euangelio,
[Ecce nos reliquimus omnia &c.] dicedat,
ad imaginem Dei facta anima rationalis
cæteris omnibus occupari poteſt, repleri
omninò non poteſt, capacem enim Dei,
quicquid Deo minùs eſt, non implebit.
12 Hanc præterea libero arbitrio deco-
rauit relinquens eam in manu conſilij ſui,
& apponens ei ignem, & aquam, Eccl. 15.
vt ſi bonum eligamus, nullum primæ gra-
tiæ poſt baptiſma ſuſceptum parantes obi-
cem, meritum noſtrum augeatur, & po-
ſteà in cœlo gloriæ gradus conferatur ma-
ioribus cumulis, quàm ſi creati impecca-
biles bonum operaremur.
13 Hunc hominem ſtatim, quo eum
creauit Deus poſuit, & collocauit in
Paradiſum voluptatis dans ei adiutorium
ſibi ſimile, & permittens ei ex omni li-
gno, quod erat pulchrum quidem viſu,
& ſuaue ad veſcendum, comedere, excepto
ſolo ligno ſcientię boni, & mali. Geneſ. 2.
Poſt tranſgreſſionem autem pręcepti hu-
ius, in quo primus homo miſerè lapſus eſt
calliditate ſerpentis, & fragilitate mulieris
ſibi dilectæ, & in nihilo metuentis ſerpen-
tem, quam omnis fœmineus ſexus abhor-
14 ret, (mirabile dictu eſt) quot remedia,
& medicamentorum genera nobis Deus
præparauit, vt tam ab originali peccato
(quod natura ipſa contrahimus) quàm
etiam à delictis actualibus emundare-
mur.

Nam vt de originalis peccati repara-
tione, & medicina taceamus (quæ omni-
bus nota eſt, & loquitur tex. Ioannis 3. &
in cap. quod autem, & capit. ex quo de
conſecrat. diſt. 4.) contemplanda eſt miſe-
ricordia eius, qui iuſtificandi peccatoris
gratia, & ad delenda crimina actualia
pollicetur: ſe non recordaturum ampliùs
15 peccatorum, & iniquitatũ hominis (quam-
uis multæ ſint) ſi ex toto corde conuerta-
tur ad dominum, contritione cordis, oris
confeſſione, ſatisfactione operis concur-
rentibus, quarum vna deficiente, non po-
teſt dici ex toto corde conuerſio, cuius
gratia emittit quotidie occultas inſpira-
16 tiones, & Spiritus Sancti vocationes in-
ternas, vt per Auguſtin. ad donatiſtas epi-
ſtola 96. in Can. quod errauerat 23. qu. 6.
Stat ad oſtium, & pulſat, vt dicitur Apo-
calypſis 3. Signauit ſuper nos lumen vul-
tus ſui. Pſal. 4. Dedit propriæ conſcientiæ
teſtimonium, de quo Paulus 2. ad Corin-
thios 1. & Auguſtinus ad Secundinum Ma-
nichæum in cap. ſenti. 11. qu. 3. & Gregor.
Epiſt. 14. in cap. in cunctis, ad cor pro-
17 prium eſſe recurrendum, dixit 11. quæſt. 3.
fecit angelos ſuos adminiſtratorios ſpiri-
tus, teſte Paulo ad Hebræos 1. vt cuſtodiant
nos in omnibus vijs noſtris, &c. Pſal. 15. &
Matth. 4. & eſt gloſ. in l. cognitionum, ver-
bo, dignitatis ff. de varijs, & extra ordin.
cognit. proponit imitanda Sanctor. exem-
pla, capit. de quibus 12. diſtinct. qui num-
quam a ſeculo Abel iuſti, vſque in præſens
ſæculum defuerunt, vt per Gregorium, Ho-
mil. 19. ſuper Matthæum, contemplemur
etiam fructiferos palmites, quos in vinea
ſuæ Eccleſiæ plantauit, alios enim dedit
Apoſtolos, alios Euangeliſtas, alios pa-
ſtores, & Doctores, ad Epheſios 4. & pri-
mæ ad Corinthios 12. Et ad Romanos 12.
& capit. primo 80. diſtinctione, vt eorum
quamuis iam in cæleſti gloria collocato-
19 rum doctrina, ſanctitate, & exemplis in-
ſtrueremur.

Et quia ſi ipſum Chriſtum caput no-
ſtrum (quamuis verum hominem, quia ta-
men, & verum Deum confitemur) imita-
ri videretur difficile, ſanctorum tamen (qui
fuerint homines dumtaxat, & ex eadem
corruptibili materia compoſiti, ſicut &
20 nos) veſtigia ſequeremur.

His adde interceſſiones Sanctorum,
qui pro nobis Dominum deprecantur,
quicquid garrulent hæretici huius tempo-
ris,

ris, Cum contrà eos adſint variæ auctori-
tates ex Teſtameuto Veteri, & Nouo, uam
Hiertmiæ 15. Dicit Dominus, Si ſteterint
coràm me Moyſes, & Samuel, non eſt ani-
ma mea ad populum iſtum, & Iacob Ge-
neſeos 28. dixit, & inuoeetur nomen meum
ſuper eos, & nomina patrum meorum
Abraham, & Iſaac, & Pſalm. 31. Pro hac
orabit ad te omnis ſanctus in tempore op-
portuno.

Et Apocalyp. 5. quòd Seniores illi ha-
bebant phialas aureas plenas adoramento-
rum, quæ ſunt orationes ſanctorum, &
Apocalypſis 8. dicitur, quòd data ſint illi
Angelo incenſa multa, vt daret de oratio-
nibus ſanctorum, & ità negare interceſſio-
nes Sanctorum, eſſet negare ſacram ſcriptu-
ram, ſed quid in hoc immoror? nonne
21 pinguius nobis contulit beneficium, teſte
Ioann. c. 2. primæ ſuæ Canonicæ, vbi aduo-
catum, inquit, habemus apud Patrem Do-
minum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſi quis
peccauerit? & ad Roman. 8. Chriſtus inter-
pellat pro nobis, & ad Hebræos 7. Virgi-
nem etiam matrem nobis contulit aduoca-
tam, vt canit Eccleſia, Eia ergo aduocata
noſtra, &c. Accedit etiam, quòd nec ten-
tari nos patitur, vltrà quam reſiſtere va-
leamus, teſte Paulo, & ſic in magnam no-
ſtri confuſionem vincimur, quando vinci-
mur, & peccamus.

22 Contemplemur præterea ſtupendum
illud diuini in nos amoris teſtimonium.
Pro ſalute enim noſtra miſit Deus fi-
lium ſuum factum ſub lege, vt noſtram
naturam aſſumeret, triginta, & tribus an-
nis videretur in terris, & cum hominibus
conuerſaretur. Ex quibus tres vltimos præ-
dicando, docendo, infirmitates etiam ini-
micorum ſuorum curando, & animas à
peccatis conuertendo tranſegit, & tandem
pro redemptione mundi mortem ſubije
acerbiſſimam, diuina illa in remiſſionem
peccatorum inſtituit ſacramenta, promit-
tens ſe nobiſcum futurum vſq; ad conſum-
mationem ſæculi, Matth. vltim. [Et de cœlo
ad fideles ſuos paracletum Spiritum San-
ctum emiſit, vt eius gratia confirmati pri-
mi legis Euangelicæ prædicatores, & pa-
tres noſtri annunciarent nobis beatam
ſpem, & viam ſalutis æternæ, quam præ-
parauit Deus diligentibus ſe, & de qua
non poſſunt fragiles homines loqui perfe-
ctè, nec ſentire, ſed tantùm per fidem, &
bona opera fruitionem eius negotiari, fa-
uente gratia Dei.

Poſtremò verò, vltrà beneficia relata,
& alia innumera, quæ per nos miſeros pec-
catores (tanta eſt illorum copia, & immen-
ſitas) nequeunt explicari, non minori de-
uotione conſiderandum eſt donum hoc in-
æſtimabile vnici ouilis, & paſtoris, à quo
miſeri hæretici, eorum ſuperbia intume-
ſcente, receſſerunt.

Voluit enim Chriſtus Ieſus Dominus
noſter rediturus ad patrem pro ſalute om-
nium, pro Chriſtianæ fidei propagatione,
pro vera Euangelicæ veritatis intelligen-
tia, pro ſpe tutiſſimo ſuæ vineæ, pro val-
lo, & aggere ſuæ Dauidicæ turris, pro
muro ſuæ ciuitatis, & cuſtodia, pro ſecu-
tiſſima huius ſacræ nauis anchora, pro pe-
tra firma, & ſolido fundamento ſancti hu-
ius ædificij, pro ſui denique gregis con-
ſeruatione, voluit inquam, vt fieret vnum
ouile, & vnus paſtor, Ioannis 10. vnum
inquam, intrà quod oues eius ſe reciperent,
& per paſtorem iſtum vnicum à truculenta
luporum rabie defenderentur.

CAP. II.

In quo oſtenditur nihil gratum, & acceptum poſſe hominem retribuere Deo, à quo tot beneficia ſuſcepit, ſi extrà hanc vnitatem diuagetur.

SVMMARIVM.

1 *Calicem ſalutaris accipere, & nomen Domini inuocare ad retribuendum Deo pro omnibus, quæ retribuit nobis nemo poteſt niſi hanc vnitatem obſeruet.*

2 *Calix iſte vnus, de quo omnes, teſte Paulo, participamus omnem prorsùs indicat vnitatem, ſicut vinum, quod antea erat in multis racemis, & modò vnum eſt.*

3 *Homo non eſt particeps corporis, & ſanguinis Chriſti, niſi priùs efficiatur in baptiſmate membrum Chriſti, & viuat in vnitate Corporis Chriſti.*

4 *Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti ſignum eſt pietatis, & vnitatis, quia tanta eſt Eccleſiæ vnitas in Chriſto, vt vnus vbique ſit calix ſanguinis, & corporis eius.*

5 *Calix iſte vnitatis nos debet inebriare, vt inhabitemus in domo Domini in longitudinem dierum.*

6 *Vnitatem Eccleſiæ, qui non tenet, hoſtis eſt, & prophanus, nec proſunt ei orationes ſuæ, nec paſſio etiam pro Chriſti nomine ſuſcepta, vidè hic multa ſanctorum elegantia teſtimonia contrà eos, qui ab hac vnitate ſegregantur.*

7 *Exordium noſtræ retributionis ad Deum eſt vnitas Eccleſiæ, & permanſio conſtans ſubiecta Chriſto paſtori primitiuo, & Romano Pontifici Vicario eius.*

EX his & pluribus alijs diuinæ bonita-
tis beneficijs (quorum numerus infi-
tus tacere nos cogit) apertiſsimè conſtat,
quàm ſibi obnoxios nos habeat diuina cle-
mentia. Oportet ergo ſi ingratitudinis
omnium aliarum ingratitudinum iniquiſ-
ſimè notam euitare voluerimus, vt alterna-
tim nos ipſos interogemus dicentes cum
Regio Propheta Pſal. 115. Quid ergo re-
tribuam Domioo pro omnibus, quæ retri-
buit mihi?

1 Retributiones enim eius immenſæ ſunt,
& inæſtimabiles, de quibus dicitur Pſ. 102.
Benedic anima mea Domino, & noli obli-
uiſci omnes tetriburiones eius, quæ ergo
poterit eſſe retributio noſtra, qui nulla pro-
pria

Digitized by Google

pria virtute ſubſiſtimus, qui nihil ex nobis ipſis præſtare poſſumns, nec cogitare, qnaſi ex nobis. Sed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, Pauli 2. ad Corinth. 3. [& ſi aliquid ei præſtare nos permiſir, ipſe eſt, qui dedit nobis iſtud poſſe præſtare. Quid ergo rettibuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?] Ad hoc Regius Propheta eodem Pſalmo 115. & incontinenti reſpondet, [calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.]

2 Qui enim hanc vnitatem obſeruat, non qui extrà eam eſt, poterit dicere, [calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo,]dicente Paulo 1. ad Corinth. 10. [omnes quidem de vno calice participamus,] & Auguſtino ad Catheeumenos in cap. quia paſſus de conſecrat diſt. 2. vbi ait eleganter, [Calix iſte indicat vnitatem, ſicut vinum, quod in multis racemis fuit, & modò vnum eſt in ſua natiuitate, calix poſt preſſuram torcularis, & vos in nomine Chriſti iam tamquam ad calicem veniſtis, & ibi in menſa, & in calice nobis cum eſtis, ſimul enim hoc ſumimus, ſimul bibimus, quia ſimul viuimus, & in ſermone de infantibus ibidem relatus, dicit, ità Dominus noſter Ieſus Chriſtus nos ad ſe pertinere voluit, myſterium pacis, & vnitatis noſtræ in menſa conſecrauit, qui accipit myſterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non miſterium accipit pro ſe, ſed contrà ſe.

3 Nulli eſt aliquatenùs dubitandum vnumquemque fidelium corporis, & ſanguinis Domini tunc eſſe participem, quando in baptiſmate membrum efficitur Chriſti, nec alienari ab illius panis, caliciſque conſortio, etiam ſi antequam panem illum comedat, calicemque bibat, de hoc ſeculo migrauerit in vnitate corporis Chriſti conſtitutus. Sacramenti quippè illius participatione, ac beneficio non priuabitur, quando in ſe hoc (quod illud ſacramentum ſignificat) inuenitur, & idem Auguſtinus loquendo de ſacramento corporis, & Sanguinis Domini in hoſtia, & calice exiſtenti, dicit, in cap. hoc ſacramentum de conſecrat. diſt. 2. tract. 26. ad cap. 5. Ioann. pietatis ſignum eſt, & vnitatis, & Auguſt. in cap. ipſa pietas 34. quæſtio. 4. ait, conuiuium Chriſti eſt vnitas corporis Chriſti, non ſolùm in ſacramento altaris, ſed in vinculo pacis, & Leo Papa in homilia ad 12. caput Ioannis, ait, omnes differentias hoſtiarum vna corporis, & ſanguinis Chriſti implet oblatio, vt ſicut vnum eſt pro omni victima ſacrificium, ita vnum de omni genere ſit regnum, & B. Greg. Papa in homil. paſchali, aliàs 22. Euangel. c. quid ſit ſanguis, de conſecr. diſt 2. inquit, tanta eſt Eccleſiæ vnitas in Chriſto, vt vnus
4 vbique ſit panis, & vnus ſit calix ſanguinis eius. Iſte calix Domini (qui omnem prorsùs indicat vnitatem) nos debet inebriare, iuxtà illud Pſalm. 22. Calix Domini inebrians, quàm præclarus eſt, & miſericordia tua ſubſequetur me omnibus die-
5 bus vitæ meæ. Et vt inhabitem in Domo Domini in longitudinem dierum.

Fundamentum ergo, & ianua eorum quæ Deo retribui poſſunt, & offerri, eſt vnitas calicis iſtius, & ouilis, auctore Cipriano in cap. alienus eſt. 24. q. 1. t. act. 3. de ſimplicitate prælatorum, hoſtis eſt, pro-
6 phanus eſt, qui non tenet vnitatem vniuerſalis Eccleſiæ, & non tribuit Deus multitudini, ſed vnitati deprecantium, nec poteſt enim aliquo conuenire, qui cum corpore Eccleſiæ, & vniuerſa fraternitate non conuenit, & ſicut ab arbore fractus ramus germinare fructus non poterit. Et ſicut riuus à fonte præſciſſus areſcit, ſic etiam erit. qui ab Eccleſiæ vnitate diuiſus fuerit, vt per eundem Ciprianum in cap. loquitur 24. q. 1. eodem tract. & teſtante Auguſtino in cap. nihil 11. quæſt. 3. tract. 27. ad caput 6. Ioannis, nihil ſic debet formidare Chriſtianus, quàm ſeparari à Corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, ſi enim ſeparatur à corpore Chriſti, non eſt membrum eius, & ſi non eſt membrum eius non vegetatur ſpiritu eius.

Et idem Auguſtinus in cap. teneamus, prima quæſt. 1. tract. 3. ſuper Ioann. teneamus, inquit, fratres mei Eccleſiæ vnitatem, præter vnitatem etiam qui facit miraculum, nihil eſt, præter vnitatem erant magi Pharaonis, & faciebant ſimilia Moyſi: & Symon magus etiam fecit multa, & tamen non erat in vnitate.

Et idem Auguſtinus ad Petrum Diaconum capit. 27. dicebat in capit. firmiſſimè 1. quæſt 1. firmiter tene, & nullatenùs dubites, extrà Eccleſiam baptizatos (ſi ad Eccleſiam non redierint) baptiſmo cumulare perniciem, tantùm enim valet Eccleſiaſticæ ſocietatis communio ad ſalutem, vt baptiſmo non ſaluetur, cum ibi non datur, vbi oportet, vt videtur. Et Pelagius Papa in cap. pudenda 24. quæſt. 1. ait, qui eſt ab vnitate diuiſus Epiſcopus, nec conſecrat, nec conſecratur, dicente hoc ipſomet nomine conſecrare, quod tamen intellige, vt declarat Archidiaconus in cap. ſchiſma 28. quæſt. 1. quantum ad ſeipſum non conſecrat, quia ſibi non prodeſt, ſed quantum ad Sacramentum, verum eſt ibi ſacramentum, & ità intelligenda ſunt verba illius text. in capit. pudenda, non conſecrat quò ad ſe ſcilicet, dicente nomine conſecrare, quod eſt ſimul ſacrare, & ab Eccleſiæ viſceribus diuiſus ſibi execrat potiùs, & non conſecrat, & iure execratus poterit dici, quem ſimul ſacrare in vnitate non agnoſcit Eccleſia. Et Gregorius in cap. quia lib. 6. moralium cap. 35. Et Hieronymus in cap. quoniam 24. qu. 1. ad Damaſum dicebant, quòd ſicut innenti extrà archam Noe perierunt, regnante diluuio, ſic peribunt, qui fuerint extrà Eccleſiã.

Vndè Auguſtinus in cap. multæ, 1. quæſt. 1. libr. 3. de baptiſmo ca. 18. declarando illud Pauli primæ ad Corinthios 12. Omnia autem hæc operatur vnus, & idem Spiritus, dicebat, Charitas (quæ operit multitudinem peccatorum) donum proprium eſt catholicæ vnitatis, & pacis, nec eſt in omnibus donum eius, quia nec omnes ſunt eius, & idem in cap. remiſſionem 1. quæſt. 1. lib. 3. de bapt. cap. 18. dicebat, Foris, id eſt extrà vnitatẽ Eccleſiæ: vt ibi gloſ.

expouic uec ligari, nec abſolui quis poteſt, ad quod facit illud Pauli primæ ad Coriuthios 5. de his, qui foris ſunt, nihil ad nos tranſumptiuè, in cap. gaudemus de diuortijs, & in cap. multi 2. quæſt. 1. adeò, quòd nec cum iſtis (qui foris ſunt) permittit Paulus iu illo cap. vel cibum ſumere, quia, Eccleſiam non audieus, habendus eſt vt Etbnicus, & publicamus, Matthæi 17.

Et Beda ſuper Matth. iu c. quicumq; 24. quæſtio. 1. ait, quicumque ab vnitate fidei ſe ſegregauerint, tales uec poſſunt à vinculis peccatotum abſolui, nec iauuam ingredi regni cæleſtis, quibus uec proderit dicere, quòd eundem Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum (quem nos veneramur) adorant, quouiam Chore, Datan, & Abyton eundem nouerant Deum, quem Moyſes, ſed quia diuiſi fueruntab vuitate, viui etiā fuernut iu terra deglutiti. Et Ciprianus in c. neque ad Cain. 90. diſt. tract. 3. de ſimpl. prælato, dixit, Hi, qui extrà Chriſti Eccleſiam colliguntur, tales etiam ſi occiſi in confeſſioue nominis Chriſti fuerint, macula iſta, nec ſanguine abluitur, neque paſſione purgatur. Iſtum ergo calicem præclatum, & inebriantem nos ad hanc vnitatem accipere debemus, vt ſic offeratur Domino aliquid, quod poſſit retribui pro omnibus, quæ retribuit nobis, poſtquam, auctore Cypriano, vnitati deprecantium potiùs quàm multitudini tribuit Deus, Iſte eſt calix vnitatis in manu Domini vini meri plenus mixto, Pſalmo 74. quia (vt infrà dicemus) quantum ad Domiuum (qui ſcrutator eſt cordium,) & in manu eius (cui ſoli reſeruatum eſt ſcire quis amore dignus ſit, aut quis gratiam conſeruet) vinum merum eſt in iſto calice vnitatis, ſed tamen quò ad noſtram fragilitatem calix iſte plenus eſt mixto, & de quo bibune peccatores terræ, donec in die iudicij ſex eius ſie exinanita.

Eccleſia enim iſta conſtat ex iuſtis ſimul, & iniuſtis, dummodo fidem catholicam Chriſtianorum credant, & venerentur,
quia peccatores rite baptizati ſi fidem nou
perdiderunt, vt hæretici, intrà Eccleſiam
7 conſtituti ſuue, vt infrà latiùs explicabimus, Exordium ergo, & noſtræ gratitudinis, & retributionis ad Deum, debet eſſe vnitas calicis huius, & permanſio conſtans in hoc ouili, quam couſeruabimus ſubijcientes nos Chriſto Ieſu paſtori principali huius ouilis, & capiti primitiuo Eccleſia noſtræ, necnon, & Vicario eius ſanctiſſimo Romano Pontifici, & ſucceſſori legitimo beati Petri Apoſtolorum Principis, recipientes, quod in Eccleſia receptum inuenimus, & omnes nouitatum inuentores, vt peſtem fugientes, qui noua ſibi confingunt capita, ſectas perditionis imaginantes, dominationem, & obedientiam contemnentes, ſacræ ſcripturæ ſententias à ſanctis Patribus interpretatas, & receptas per mille annos, & vltrà nunc peruertentes, magiſtros errorum ſuis auribus prurientes, & ad ſua deſideria coaceruantes, carnalibus deſiderijs pro ſua libidine ſeruientes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſpemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectioue, ſiue pace criminatores, incontineutes, immites, proditores, proterui, tumidi, voluptatum amatores, magis quàm Dei, habentes denique ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, ſemper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Non ſic, qui intrà huius vnici ouilis, & paſtoris vnitatem conſtituimur. Captiuamus enim intellectum in obſequium fidei, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, noleutes ſapere pluſquàm oporteat ſapere, humilitatem, & obedientiam profitentes, ſublimioribus poteſtatibus corda noſtra ſubijcientes, & denique obſeruantes, quod ſancta Romana Eccleſia, vt genitrix noſtra præceperit obſeruaudum.

C A P. III.

In quo explicatur per ouile ouium ſignificari Eccleſiam Dei, & vndè parabola hæc ad Eccleſiam relata ſit.

S V M M A R I V M.

1 *Chriſtus frequentiſsimè vſus eſt parabola hac de ouibus, paſtore, & ouili.*
2 *Ouile ouium ſignificat Ecclesiam Dei, nam quemadmodùm oues ſe habent in ouili, ſic parabolicè fideles ſe debent habere in Eccleſia Dei.*
3 *Epiſcopi baculus, qui in pontificalibus habetur, ad normam baculi paſtoralis eſt confectus, vide ibi cauſam.*
4 *Epiſcopi, & paſtoris officium in quo conſiſtat.*
5 *Chriſtus quare ſub parabola ouium Eccleſiam Petro commendauerit in vltimis verbis, quibus cum diſcipulis loquutus fuit magis, quàm ſub alia.*
6 *Petrus quare fuit de amore erga Chriſtum examinatus priuſquam paſtura ouium Chriſti ſibi decerneretur.*
7 *Paſtor Eccleſiæ quando eligitur. licèt debeat examinari de amore erga Chriſtum, non tamen propterea, quòd paſtor deficiat, debemus ei obedientiam denegare.*
8 *Oues ſicut paſtori ſuo, quicumque ille ſit debent obedire, ità, & nos paſtoribus noſtris obedientiam ouilem exhibere debemus, non curantes quid illi faciant, ſi malè faciunt.*

INtet cæteras parabolas (in quibus Chri-
ſtus Dominus nnſter aperuit os ſunm lo-
quens propoſitiones ab initio, Pſalm. 77.
1 fræqnentiſſima eſt hæc de ouibus, paſtore,
& ouili, præſertim Ioannis cap. 10. intelli-
gendo per oues Chriſti fideles, per paſtorem
præpoſitum, & Pontificem eorum, & per
ouile (quod ſignificat locum, in quo oues
morari ſolent, ſeu ad quem ſe recipiunt)
Eccleſiam Dei, Nam in illo cap. 10. Ioau-
2 nis in tribus partibus nominatur ouile.

Primò, dùm dicitur: [Amen, Amen, dico vobis, qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliundè fur eſt, & latto.]

Et

Et paulò inferiùs, [alias oues habeo; quæ non ſunt ex hoc ouili,& illas me opotlet adducere, & fiet vnum onile, & vnus Paſtor, nam de ouibus, & Paſtore, quaſi tertio quoque verbo fit mentio in toto illo capite 10. Ioannis, & Pſalmo 94. [Et nos populus Paſcuæ eius, & oues manus eius.]

Et Matth. 20. de ſeipſo dixit: [Percutiam Paſtorem, & diſpergentur oues:] Et Matthæi 11. [Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael:] Et Matth. 25. [Et ſtatuat oues à dextris, &c.] Vide Hieremiæ 23. & Ezechielis 34. vbi ad finem dicit Dominus; [Vos autem greges Paſcuæ meæ, homines eſtis, & ego Dominus Deus veſter, plena eſt ſacra Scriptura auctoritatibus de hac ouium, & Paſtoris parabola loquentibus, quod autem per ouile Eccleſiam vniuerſalem Dominus intellexit in illo capite Ioannis 10. declarat Auguſtinus in capit. quòd errauerat 23. quæſtione 4. vbi ad Donatum ſic ait: [Et vos oues Chriſti eſtis, ſed erratis, & peritis, non ideò vobis diſpliceamus, quia reuocamus errantes, & querimus perditos: Meliùs enim voluntatem Domini facimus. Si vos ad ouile dominicum redire cogamus.]

Et Micheæ 2. dicitur: [Pariter ponam illum quaſi gregem in ouili, & quaſi pecus in medio caularum:] Et Abachuc. 3. [Abſcindetur de ouili pecus, & non erit armentum in Præſepibus:] Et Cyprianus ad Quintinum, de hæreticis dicebat, ſi hæreticus poſtmodùm, peccato ſuo cognito, & errore digeſto, ad veritatem redeat, ſatis fit in pœnitentiam manum imponere, vt quia ouis iam fuerat, hanc ouem abalienatam, & errabundam in ouile ſuum Paſtor recipiat, & in hymno Petri dicitur: [Cuſtos ouilis, Doctor Orbis pariter, &c.] Et nota terminum hunc, ouile, nam dicitur propriè locus, ad quem oues ſe recipiunt, vt per Liuium lib. 6. de bello punico, ibi datum ſecreto tempus cum his alloquendi in ouile, oues enim ibi pariunt fœtus ſuos, ibi tondentur, curantur à morbis per Paſtores, ibidem à truculenta Luporum rabie defenduntur, errantes per diuerſa loca illuc redeunt, in vnum congregatæ ſeruantur, indè exeunt ad prata ſibi conſtituta, & à Paſtore ſignata, etſi tranſgrediantur prata illa, & terminos conſtitutos, baculo curuo à Paſtoribus retrahuntur, & quandoque cuſpide baculi pungun-
3 tur, ad cuius normam, & ſimilitudinem videmus factos eſſe baculos, quibus Epiſcopi in Pontificalibus vtuntur, & de quibus dicebat ille, curua trahit; quos recta regit, pars vltima pungit.

Epiſcopus enim, qui Paſtoris typum tenet, regit oues parte recta, curua autem ad caulas, & ouile reducit errantes, & delinquentes, ac obſtinatè reſiſtentes parte vltima, hoc eſt cuſpide pungit & Paſtor, qui aliter paſcit gregem ſuum, reprehendi-
4 tur à Domino per Ezechielem capit. 34. dicentem: [Væ Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos, nonnè greges à Paſtoribus paſcuntur, lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis. Gregem autem meum non paſcebatis, quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum, non ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis, quod perierat, non quæſiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis, & cum potentia.]

Vide obſecro, totum illud caput 34. Ezechielis: Vbi de Paſtoribus, ouibus, & locis, in quibus paſcere, & accubare debent greges, copioſè tractatur in figuram Eccleſiæ noſtræ. Et etiam Hieremiæ 24. quamuis non tam latè.

Vide Gregorium Paſtorem ſanctum Eccleſiæ in ſuo Paſtorali, & in homilia ſuper Euangelio: [Ego ſum Paſtor bonus, vbi eleganter ponderat, quòd qui non ex accidenti dono, ſed eſſentialiter bonus eſt, dicit: Ego ſum Paſtor bonus, bonus Paſtor animã ſuam ponit pro ouibus ſuis, quibus verbis oſtenſa nobis eſt de contemptu mortis via, quam ſequamur, appoſita eſt forma, cui imprimamur, primùm nobis eſt, exteriora noſtra miſericorditer ouibus eius impendere, poſtremùm verò, ſi neceſſe eſt etiam pro eiſdem ouibus miniſtrare vitam noſtram. A primo autem hoc minimo peruenitur ad poſtremum maius.

Et paulò inferiùs non Paſtor, ſed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oues dominicas, ſed ad temporales mercedes paſcit, mercenarius quippè eſt, qui locum Paſtoris tenet, ſed lucra animarum non quærit, terrenis commodis inhiat, honore prçlationis gaudet, temporalibus lucris paſcitur, impenſa ſibi ab omnibus reuerentia lçtatur, vide obſecro homiliam illam, neque enim tantos mente furores concipio, vt Paſtoribus, & Epiſcopis ſanctis, homo peccator, & ſubditus illorum audeam prçdicare, ſed vt ad inſtitutum redeamus, ponderemus obſecro, quàm pleno ore Chriſtus, ſe Paſtorem ouium appellauerit dicens, ego ſum Paſtor bonus.

Et paulò inferiùs, alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas, quaſi laborando oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus Paſtor, ex quibus omnibus intelligemus, quòd Chriſtus Saluator noſter profecturus ad Patrem, vltima verba, quæ protulit in ſuorum fidelium, & Eccleſiæ ſanctæ commendationem ad hanc parabolam de ouibus (qua nulla eſt proprior Eccleſiæ militanti) voluit referre, non vineæ appellatione vſus eſt, ſicut antea, non ſage-
5 næ miſſæ in mare ex omni genere piſcium congregantis, non cœnæ, aut conuiuij, nec alterius cuiuſcumque parabolæ ſignificationem accepit, non etiam Regnum Cçlorum vocabulum ſanè dulciſſimum, & quod multotiens ad Eccleſiam hanc militantem retulerat, dixit:

Sed Simon Ioannis, Paſce oues meas, paſce agnos meos, idque non ſemel, aut bis, ſed ter, & trina priùs interrogatione præmiſſa, & trina etiam Petri reſponſione expectata, num diligeret Chriſtum Petrus plùs cæteris Apoſtolis, in quibus verbis contemplari debemus cum Auguſtino ibi, quòd redditur negationi trinæ trina confeſſio, ne minùs amori lingua ſeruiat,

quàm timori, & ſit amoris officium paſcere gregem, ſi fuit timoris negare Paſtorem, & Chryſoſtomus ibidem dicit, quòd per illa verba Chriſtus Petro contulit præpoſituram dicens, loco mei prępoſitus eſto, & caput fratrum tuorum omnium, licèt enim non dixerit omnes oues, tamen, vt ait Bernardus lib. 3. ad Eugenium, non deſignaſſe aliquas, & deſignaſſe omnes.

Contemplari etiam oportet, vt ſatagamus magis eſſe de ouibus, quàm de hędis illis collocandis à ſiniſtris, Meditari, inquam, nos oportet, quanta ſollicitudine, ſtudio, & repetitione ille, qui omnia nouerat, & qui amorem, de quo interrogauit, meliùs intelligebat, quàm is, cuius reſponſionem expectabat.

Sic enim & Petrus replicabat: Domine tu omnia noſti, tu ſcis, quia amo te. Ille denique voluit de amore erga eum, & propter amorem, quem ipſe ad oues habebat, priùs Petrum (quem pro ſe relinquebat Paſtorem iſtarum ouium) examinare, & tam enixè, ac intensè, ne dicam importunè, vt ipſemet, qui de iſto amore examinabatur, Petrus contriſtaretur, quaſi dicens, Domine non eſt meum, qui corda aliorum ignoro, iudicare, ſi te amo plùs his, quod meum eſt, hoc tibi reſpondeo, quod & tu meliùs ſcis, quàm ego, nempè quia amo te, & hoc iam ſemel, & bis reſpondi, & propterea contriſtor de tertia interrogatione, & nihil aliud reſpondebo, ſi de hoc ſeptuagies ſepties interroges me,
6 tu omnia noſti, tu ſcis, quia amo te.

Hæ duæ propoſitiones pręmiſſæ veriſſimæ ſunt, & quòd tu omnia noſti, & quòd tu ſcis, quia amo te, quod amplius à me petis, ſi te amo plùs his, tu ſolus, & non alius ſcire, inferre, & concludere debes ſcrutans Deus corda, & renes omnium, Magnum ergo profectò, & rigoroſum examen Petrus, cui Eccleſia commendabatur, ſubijt, ſed in magnum, & euidens teſtimonium amoris Chriſti ad oues, quas non vt oues cuiuſuis, ſed paſce, inquit, oues meas, paſce agnos meos, & non cuicunque commiſit, ſed ei, qui Chriſtum diligeret plùs cæteris omnibus, nec quandocumque, nec vtcunque, ſed in poſtrema hora (quod vltimum vale appellare ſolemus) quando amicus longè profecturus amico grauiora negotia, & rem ſibi dilectiſſimam multa verborum exaggeratione commendat, nec relinquit oues ſuas Paſtori crudeli, & auſtero, ſed ei, qui ad vocem ancillæ defecerat, vt in ſua culpa diſceret, qualiter aliorum miſereri debuiſſet, & ex propria infirmitate cognoſceret, quàm miſericorditer alienas infirmitates tolerare deberet, vt eleganter aduertit beatus Gregorius in capit. conſiderandum 50. diſtinct. homilia 21. Euangeliorum.

Et iſto exemplo etiam intelligimus,
7 & nos, quòd quamuis oporteat in electione Paſtoris de ſanctitate, vita, moribus, & denique de amore eius ad Chriſtum inquirere, ſicut & Chriſtus Petrum ad eligendi, & eligere debentium inſtructionem examinauit, quia tamen nullum hominem fecit impeccabilem (de ſolo enim Chriſto dictum eſt, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, Iſaiæ 53.) non propterea, quòd deficiant, & peccent miniſtri Chriſti, & prępoſiti noſtri, debemus eis obedientiam denegare, ſed vt oues manſuetæ, & benignæ eiſdem obtemperemus, facientes, quæcumque nobis dixerint, non facientes, quæ faciunt, ſi male faciunt, vt infrà latiùs explicabitur; ſicut oues, quę Paſtori ſuo, quicumque ille ſit, ſe ſubijciunt.

8 Neque enim eſt noſtrum inquirere, an Paſtor nobis conſtitutus, ſit in gratia, necne, cum id ſoli Deo reſeruetur, etiam de vnoquoque noſtrum, nec cenſuram Paſtoris noſtri, ſed obedientiam ei pręſtandam nobis Dominus commendauit, vndè Paulus ad Hebręos vltimo dicebat, obedite præpoſitis veſtris, ſubiacet eis, ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animalibus veſtris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis, & Chriſtus Matth. 23. loquens ad populum de Phariſæis, qui ſedebant ſuper Cathedram Moyſi, dixit: Omnia quæcunque vobis dixerint, facite, ſecundùm opera eorum nolite facere. Ad commendandam ergo hanc ouilem obedientiam, quæ nobis tam neceſſaria eſt, vſus fuit parabola ouium in vltima hora potiùs, quàm alia.

Vndè Baſilius cap. 23. de conſtitutionibus Monaſticis, dicebat Monachis ſuper illis verbis Chriſti ad Petrum, paſce oues meas, paſce agnos meos, quemadmodùm Paſtori ſuo oues obtemperant, & viam (quãcumque ille vult) ingrediuntur, ſic qui ex Deo pietatis cultores ſunt, moderatoribus ſuis obſequi debent, nihil curioſiùs eorum iuſſa perſcrutantes.

Et ſumma obedientia, ac manſuetudo Chriſti per ouium, & agnorum parabolam, ſeu obedientiam declaratur Iſaiæ 53. tamquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & tamquam agnus coram tondente ſe obmuteſcet.

Meritò ergo fidelium conuocatio, & obedientia per ouium parabolam explicatur, de quibus dicebat Ælianus lib. 6. cap. 35. de hiſtor. animal. quòd oues omnium quadrupedum mitiſſimæ ſunt, & faciliores ad parendum, etenim ad verba Paſtoribus obediunt, & canibus obtemperant, & luporum inſidijs minùs oues patent, quòd non ità ſeparatim ab alijs ſegregantur, & teſte Alberto ibi relato per Ælianum, oues ſe inuicem amant, & vna condolet alteri, nam ſana ſi alteram videt imbecillam, pro ea ſoli ſe obijcit, & vmbram ei obtendit, quæ omnia rationales homines præſertim Chriſtiani, ſi attenderemos, charitas fraternitatis, manſuetudo, & debita Paſtoribus obedientia firmiùs in nobis conſeruarentur.

CAP.

Digitized by Google

CAP. IV.

De proprietate vocabuli huius Eccleſiæ per ouile ſignificatæ.

SVMMARIVM.

1 *Eccleſia varijs modis accipi ſolet.*
2 *Eccleſia, græca vox eſt, quæ latinè ſonat conuocatio, ſeu multitudo in vnam ſocietatem conuocata.*
3 *Eccleſia & in malam, & in bonam partem, ſecundùm genericam ſignificationem accipi poteſt.*
4 *Eccleſiam in bonam partem aſſumpta duplex eſt, triumphans, & militans.*
5 *Eccleſia militans, quæ eſt Fidelium collectio, ſemper fuit in Mundo, ſed in Lege veteri Synagoga vocabatùr ſuorum Fidelium congregatio.*
6 *Chriſtus ſuorum Fidelium collectionem, quare Eccleſiam, & non Synagogam, prout in Lege veteri voluit appellari.*
7 *Conuocari eſt hominum, congregari verò eſt pecorum terrenorum.*
8 *Deus in lege veteri hominibus terrena, vt plurimùm promittebat.*
9 *Chriſtus in lege gratiæ Cæleſtia pollicetur ſuæ legis obſeruatoribus; in cuius ſignum tribus Apoſtolis in Transfiguratione gloriam ſuam manifeſtauit.*
10 *Hebræi, vt plurimùm rudes literam, & non ſpiritum ſequuntur.*
11 *Sacramenta legis Euangelicæ in ſanguine mediatoris Dei, & hominum Chriſti Ieſu veri Dei, & veri hominis offeruntur.*
12 *Sacrificia legis veteris in ſanguine hircorum, & aliorum animalium offerebantur.*
13 *Eccleſia iſta miſerans num quam claudit gremium redeunti ad ſe, eſt enim plena miſericordiæ, ſicut Sponſus eius, & in miſerationibus Domini in ſpem habet, & qui intrà eam ſunt, alter alterius commiſereri debent, ſi ſaluari cupiunt.*

1 CVm igitur per ouile ouium parabolicè ſignificetur Eccleſia, & cœtus Fidelium (vt in præcedenti capite dictum fuit) operæ pretium erit nunc diligentiùs inueſtigare, quid vocabulum hoc, Eccleſia, denotet, quo frequentiſſimè vtimur Chriſtiani in lege noua, cum in veteri lege, id, quod nos Eccleſiam vocamus, Synagoga dicebatur.

Præmittendum eſt ergo, quòd licèt
terminus iſte, Eccleſia, varijs modis accipi
ſoleat, quos refert Gloſs.notab.in cap.querelam,verb.Eccleſiam,ne Prælati vices ſuas;
& Ioannes de Sylua in tractat. de beneficio
in 11.quæſt. 1.part. tamen quò ad propoſi-
2 tum noſtrum, Eccleſia græca vox eſt, quæ,
vt dicebat Hugo relatus à Silueſtro in ſumma ſua, verb. Eccleſia, idem latinè ſonat
conuocatio, ſeu miſerans.

3 Eſt ergo ſecundùm primam acceptionem, & genericam multitudo conueniens, & conciliata in aliquam ſocietatem; & ità iuxtà generalem iſtam acceptionem poteſt dari mala Eccleſia, & bona Eccleſia; de mala Eccleſia dicebat Dauid Pſalm. 25. Odiui Eccleſiam malignantium, ideſt, in qua ſoli malignantes reperiuntur, vt infideles, qui numquam Deum verum cognouerunt; & hæretici, qui à fide apoſtatarunt.

4 De hac tamquam maligna, & peſtifera nihil ad titulum, nec ad ouile noſtrum. Eccleſia autem in bonam partem relata poteſt conſiderari dupliciter: Vno modo, prout eſt Deo coniuncta per gloriam, quam triumphantem appellamus, quia ibi exiſtentes coronas triumphales de manu Domini habere meruerunt, nempè reportato triumpho, & victoria conſequuta de inimicis ſuis.

De hac etiam non eſt nobis agendum in hoc opuſculo, ſed tantùm ſuper ea orandus eſt Deus, vt per gratiam ipſius ad illam aſcendere mereamur, ſatagentes facere certam vocationem noſtram per fidem, & bona opera.

Altero modo ſumitur, & communiùs, pro Eccleſia militante, & cœtu Fidelium, quia in ea exiſtentes, & conſeruantes fidem, & Sacramentorum communiorem militamus aduerſùs carnem, & ſanguinem, principatus, poteſtates, Mundi rectores; & aduerſùs ſpirituales aſtutias, quia teſte Iob 7. Militia eſt vita hominis ſuper terram; & Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Eccleſia igitur, prout hìc accipitur, eſt nomen græcum, & ſecundùm primam acceptionem interpretatur conuocatio, quia in ea omnes conuocantur ad Dei cultum, iuxtà leges, & Sacramenta nobis tradita.

5 Es propterea dicitur Eccleſia Fidelium
collectio in cap. Eccleſia, de conſecr.diſt.1.
Et licèt iſta Fidelium collectio, ſic in genere conſiderata, ſemper in Mundo fuerit ab
initio primi hominis, vt dicetur cap. ſequ.
Et licèt apud Hebræos Synagoga, ideſt
congregatio, diceretur frequentiùs ſuorum
6 Fidelium collectio. Chriſtus tamen Dominus noſter Cœtum hunc ſuorum Chriſtianorum voluit appellare dictione græca
Eccleſiam, quæ interpretatur conuocatio,
abolito termino illo, ſcilicèt Synagoga,
quæ latinè ſonat conuocatio.

Et quamvis parùm differre videantur termini iſti, conuocatio per Eccleſiam deſignata, & congregatio per Synagogam ſignificata. Voluit tamen Chriſtus Dominus, vt in ipſis vocabulis, & eorum proprietate legis nouæ excellentia, & Fidelium ſuorum denotaretur ſuprà legem veterem, & eius profeſſores.

7 Nam, vt dicit Hugo, relatus à Silueſtro in dicto verbo Eccleſia, conuocari eſt hominum, congregari autem eſt pecorum.

Vndè Auguſtinus Pſalmo 81. dicit, [Populi Iſraelitici Synagoga dici ſolet, quamvis & Eccleſia aliquando dicta ſit; noſtram verò Apoſtoli numquam Synagogam dixerunt ſiue diſcernendi cauſa, ſiue, quòd inter congregationem, vndè Synagoga, & conuocationem: vndè Eccleſia nomen accepit, diſtat aliquid, quòd pecora congregari ſolent, conuocari autem magis

eſt

eſt vtentium ratione, ſicut homines.

Et Hieronymus, ac Beda idem dicunt cap. 5. Prouerbiorum. Et ideò populo illi
8 tamquam terreno terrena, vt plurimùm, promittebantur in remunerationem obſeruationis præceptorum illius legis antiquæ, vt eris longæuus ſuper terram, & terram hanc dabo tibi, & ſemini tuo, &c.

9 In Lege autem noua Chriſtus (qui Cęlos venerat aperire) Cœleſtia pollicitus eſt Fidelibus ſuis, dicens: Quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum, & merces veſtra copioſa eſt in Cœlis, Matthæi 5. Et ità Fideles ſuos modò filios, modò fratres, modò iàm non ſeruos, ſed amicos vocabat, tamquam genus electum, gentem ſanctam, & populum acquiſitionis, primæ Petri 2. in cuius rei manifeſtiſſimum teſtimonium, tempore Transfigurationis tribus dilectiſſimis Apoſtolis pignus gloriæ ſuæ reuelauit; & Stephano Protomartyri Eccleſiæ, Cœlos apertos oſtendit; & Paulum ex præcipuis legis Euangelicæ prædicatoribus vnum; vſque ad tertium Cœlum arripuit, vbi vidit arcana Dei, quæ non licet homini loqui.

10 Populus etiam ille tamquam rudis, vt plurimùm literæ ſenſum occidentem, & non ſpiritum viuificantem ſequebatur, vt in illo Ioann.8. Quinquaginta annos nondùm habes, & Abraham vidiſti. Et Matt.5. Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum, & in intellectu illorum verborum. Ioannis 2. Soluite Templum hoc, & in tribus diebus reædificabo illud, vt in multis alijs ſacræ Scripturæ auctoritatibus legi poterit; & lex Moyſi data fuit in tabulis lapidcis, nobis autem in viſceribus cordis noſtri.

Hierem.3. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus eorum ſcribam eā; quę verba non ad legem Moyſi iàm datā; ſed ad noſtram, quæ nondùm data erat, referuntur. Et in lege veteri vocabatur Deus vltionum, Pſalmo 93. At in Lege noua: Benedictus Deus, & Pater miſericordiarum, Deus totius conſolationis. 2. Pauli ad Corinth. 1. Et lex illa neminem duxit
11 ad perfectum in ſanguine hircorum, & thaurorum, ſicut noſtra, cuius Sacramenta conferunt gratiam in ſanguine mediatoris Dei, & hominum Chriſti Ieſu. Et propter perfectionem Sacramentorum noſtræ legis, qui in Sanguine Chriſti veri Dei, & veri hominis offeruntur, præcipuè Euchariſtiæ, in qua verus Deus, & verus homo continetur, & ſumitur, cùm in lege veteri quaſi
12 omnia ſacrificia immolabantur in ſanguine hircorum, thaurorum, & aliorum animalium, quo mediante, erat impoſſibile auferri peccata, vt dicit Paulus ad Hebræos 10.

Ideò fortaſſis Fidelium collectio in lege veteri nomine congregationis, quæ ad pecora propriè refertur, quæque ipſi eo tēpore immolabant, dicebatur Synagoga. Noſtra autem Fidelium collectio nomen conuocationis accepit, quod hominibus rationalibus, & Sacramentis eius magis erat conueniens.

13 Et quia Eccleſia iſta plena eſt miſericordiarum potiſſimè exhibitarum, & largitarum nobis in paſſione Chriſti Domini noſtri, & tamquam mater miſtrans filiorum ſuorum os maternum præbet paruulis ſuis; vt per Auguſtinum in cap. Mater Eccleſia, de conſecrat. diſtinct. 4. de remiſs. peccatorum, cap.25. lib.1. & nemini redeunti ad ſe claudit gremium. Epiſtola inter claras, de ſumma Trinit. & cap. ſuper eo, de hæret. lib.6.

Ideò ſecundùm alteram acceptionem dicitur Eccleſia, non ſolùm populus conuocatus, ſed etiam miſerans, & plena miſericordiæ, ſicut Sponſus eius, & caput Chriſtus, vt militantes in ea per arma miſericordiæ, & in contemplatione propriæ vniuſcuiuſque miſeriæ; & in miſerationibus Domini noſtri Ieſu Chriſti ſpem reponentes, ſtudeamus certam facere vocationem noſtram per fidem, & bona opera, & de inimicis triumphum obtinere, Deo miſerante noſtri, ac altero alterius commiſerante, & onera ſupportante.

Qui igitur intrà hoc ouile ouium manere voluerit, ſciat, & intelligat ſe vt ſpiritum rationis, & intelligentiæ ad Eccleſiam hanc conuocatum, & non tamquam pecus congregatum, & Catholicam fidem, quam ſancta Romana Eccleſia tenet, profiteri debere.

Et vt iſte introitus, & manſio in hoc ouili ſanctiſſimo ſibi redundet ad gratiam, qua mediante, vitam conſequatur ęternam, debere etiam ibi per bona opera virtutum omnium, præcipuè miſericordiæ, pacis, manſuetudinis, ſimplicitatis, & obedientiæ (quam plùs cæteris animalibus oues repræſentant) gratiam Domini noſtri negotiari, & conſeruare.

CAP. V.

De antiquitate, ortu, & progreſsibus huius Almæ Eccleſiæ, per ouile ouium ſignificatæ.

SVMMARIVM.

1 *Eccleſia noſtra Chriſtianorum in Paſſione Chriſti, & in ea hora, qua latus Domini lancea perforatum eſt, ſumpſit exordium.*

2 *Aqua vera, & non flegma exiuit de latere Domini lancea perforato, & ità in aqua baptiſmi regeneramur.*

3 *Sacramentorum ianua eſt baptiſmus, & remittit omnia peccata originalia, & actuali, etiam ſine pænitentia exteriori.*

4 *Eccleſia in genere conſiderata, ab initio creati hominis exorta eſt, & cœpit filios fideles Domino procreare.*

5 *Fides eſt glutinum Eccleſiæ, quam conſeruarunt primi parentes, licèt peccauerint.*

6 *Abel fuit appellatus iuſtus à Chriſto Domino, qui de gregibus ſuis obtulit in ſacrificium Agnum, in figuram Agni pro peccatis omnium immolandi.*

7 *Eccleſiæ ætates commemorantur infantia ab Adam.*

Adam, vſque ad Noe, pueritia à Noe, vſque ad Abraham, adoleſcentia ab Abraham, vſque ad Moyſem, iuuentus à Moyſe, vſque ad Chriſtum, virilitas verò, & ætas perfecta à Chriſto, vſque ad finem mundi, & ſenectam illius.

8 *Eccleſia ſemper fuit vna, & in fide Chriſti fundata, licèt tempore antiquo in fide Chriſti paſſuri, & tempore legis gratiæ in fide Chriſti iàm paſſi, & exindè fuit differentia Sacramentorum veteris, & nouæ legis.*

9 *Vna, & eadem res propter magis, & minùs non recipit diuerſitatem in ſubſtantia generis.*

10 *Ciuitas non proptereà, quòd vno anno regatur modo diſtincto ab alio, amittit nomen Ciuitatis, nec genericam vnitatem.*

11 *Homo idem eſt, licèt diuerſis veſtibus induatur hodie, quàm heri.*

12 *Acies exercitus, populus, & nauis eadem eſt, licèt ex alijs militibus, & carins hodie conſtet, quàm antea.*

13 *Grex ſimiliter idem eſt, licèt aliæ oues in locum aliarum de mortuarum ſubſtituta reperiantur.*

14 *Vinea ſimiliter eadem eſt, licèt alij noui palmites inſerantur veteribus, & areſcentibus amputatis.*

15 *Filius repræſentat perſonam Patris mortui, quòad genericam familia conſeruationem.*

16 *Lex vetus Euangelio eſt coniungenda non dilaniauda.*

17 *Euangelium eſt apud nos, pro lege veteri, pro Hieruſalem Cœlum, pro Circumciſione Baptiſmus, pro manna Corpus Chriſti, pro aqua petræ, ſanguis Domini, pro baculo Moyſi Crux Chriſti, pro Agno filius Dei.*

18 *Sacramentalia legis veteris, licèt ceſſauerint, tamen moralia remanſerunt.*

19 *Adam, & Noe tempore, non erant tot ſacrificia, & ritus, quot tempore Abraham, nec apud Abraham, tot, quot tempore Moyſi, & tempore legis Euangelicæ nobiliora Sacramenta Chriſtiani celebramus.*

20 *Deus Paterfamilias appellari dignatus ad excolendam vineam hanc omni tempore, & miſit, & mittit operarios ſuos.*

21 *Petro, & Apoſtolis poteſtas ligandi, atque ſoluendi peccata, quæ ſoli Deo reſeruata erant, fuit collata, & opitulandi animabus Purgatorij.*

1 CONſiderando Eccleſiam hanc dumtaxat pro fidelium Chriſtianorum collectione in ſpecie iuxtà Ritus, & Sacramenta nouæ legis, exordium eius fuit, & initium in Paſsione Chriſti, & ab ea hora formata eſt virgo hęc, & Sancta Mater Eccleſia Coniux Chriſti, qua emiſſo ſpiritus latus Domini lancea perforatum eſt profluentibus vndis aquæ, & ſanguinis, ſicut de latere primi hominis ſoporati Eua ſibi in coniugium eſt formata, vt ſic certè figuræ primi, & veteris Adæ (qui eſt forma futuri in noſtro nouiſſimo Adã Chriſto) veritas reſponderet, verba ſunt, Clementis V. in Clem. I. de Sum, Trin. & fide Cathol.

2 Et ſicut ſanguis fuit verus, & ſpiritus verus, ità procul dubio vera fuit aqua, cum
Chriſtus ſit veritas, & à veritate omnis
ſallacia ſit pœnitus aliena, nam ſi nõ fuiſ-
ſet aqua, ſed flegma, quod de latere Salua-
toris exiuit, ille, qui vidit, & teſtimo-
nium veritati pehibuit, profectò non
aquam, ſed flegma dixiſſet, nec in hoc
verum Sacramentum regenerationis fuiſ-
ſet oſtenſum, cum per Sacramentum Ba-
ptiſmi non regeneremur inflegmate, ſed in
aqua, vt dicit text. in cap. in quadam. de
celebr. miſſarum, quia vt dicebat Domi-
nus Ioannis III. Niſi quis renatus fuerit
ex qna, & Spiritu Sancto, non intrabit in
Regnnm Cœlorum, in cap. firmiſsimè, de
conſecrat. diſtinctione quarta, & cap. maio-
res, de baptiſmo, & proptereà baptiſmus
3 dicitur fundamentum, & ianna aliorum
Sacramentorum, & Eccleſiæ noſtræ, cap.
cum itàque, de conſecrat. diſtinct. quarta,
& remittit omnia peccata, tàm originalia,
quàm voluntaria, cap. regnante, & cap.
ſine pœnitentia, de conſecr. diſtion. 4. etiã
ſine pœnitentia exteriori, vt in d. cap. ſine,
licèt interior pœnitentia in adultis requiri
videatur, iuxtà illud Petri Actuum 2. Pœ-
nitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſ-
que veſtrum, & ità Chriſtianorum Eccleſia
in Paſſione Chriſti ſumpſit exordium, &
oſtium introitus eius eſt baptiſmus, & qui
non intrat per iſtud oſtium in ouile, fur
eſt, & latro, Ioan. X. vbi optimè Auguſti-
nus ait, Dominus de grege ſuo, & de oſtio,
quo intratur ad ouile, ſimilitudinem pro-
poſuit, non enim eſt cuiquam ſpes vera,
niſi agnoſcat vitam, & per ianuam intret
in ouile. Sed conderando Eccleſiam in
genere, pro fidelium collectione ſociata ad
Dei Cultum iuxtà legem, & Ritus, quos
homines ab ipſo Deo diuerſis temporibus
4 acceperunt. Eccleſia hæc generice aſſum-
pta ab initio creati hominis Adam, ſeu vt
alij volunt à iuſto Abel exorta eſt, & cæpit
filios fideles Domino procreare, & primi
parentes, quamuis peccato illo mortali, &
originalì naturam corruperint, & à Para-
5 diſo proiecti fuerint, fidem tamen conſer-
uarunt, quæ eſt glutinum Eccleſiæ (vt in-
frà dicemus) & ſpem veniæ acceperunt à
miſericordiſſimo Deo in ſanguine media-
toris Dei, & hominum Chriſti Ieſu Agni
immaculati pro peccatis omnium offe-
rendi.
6 Et ipſi quidem poſteà genuerunt fi-
lios, quorum vnus Abel iuſtus à Chriſto
Domino appellatus Matth. 23. de adipibus,
& Primogenitis Gregis ſui Deo obtulit Sa-
crificium, Agnum videlicet, vt multi vo-
lunt, in figuram Agni, pro redemptione
7 humani generis immolandi. Huius Ec-
cleſiæ ætates, & progreſſus commemorat
Albertus Pighius in ſua Eccleſiaſt. Hierar-
chia lib. 1. cap. 1. Inſantiam videlicet ab
Adam, vſque ad Noe, Pueritiam à Noe,
vſque ad Abraham, adoleſcentiam ab Abra-
ham, vſque ad Moyſen, iuuentutem à
Moyſe, vſque ad Chriſtum, virilitatem
verò, & ætatem perfectam à Chriſto, vſque
in ſeculi conſummationem, & ſenectam
illius.

Hæc

8 Hæc enim Eccleſia in ratione fidelitatis Deo præſtandæ ſic in genere conſideratæ, & iuſtificationis conſequendæ per Chriſtum Ieſum, ſemper fuit vna, licèt diuerſos Ritus, cœremonias, & Sacramenta diuerſis temporibus habuerit, tempore antiquo Chriſtum paſſurum credendo, & tempore legis gratiæ Chriſtum iàm paſſum confitendo, exindè enim diuerſitas Rituum exorta eſt, nam in lege veteri omnia in figura contingebant, & quicquid ibi colebatur, vmbra erat futurorum bonorum, & Sacramentorum, quibus fruimur in lege Euangelica: Vndè eleganter Ambr. in cap. reuera, de confeſ. diſt. 2. cap. 9. in lib. de his, qui myſterijs initiantur, potior eſt lux, quàm vmbra, veritas, quàm figura, Corpus Chriſti, quàm manna de Cœlo, nec tamen diuerſitas iſta Rituum, & Sacramentorum habentium ſe vt figura, & figuratum (poſtquam illa omnia ab vno Deo inſtituta, & ordinata fuerunt) diuerſitatem in ſubſtantia fidelitatis Deo præſtandæ conſtituit, nec alterat vnitatem iſtam genericam (de qua loquimur) in obſequio vniuſmet Dei fundatam. Omnes enim, qui ſalui per Chriſtum ſunt, & ex illa lege veteri, & ex noſtra ſunt Ciues Sanctorum ſuper ædificati ſuprà fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, quem Prophetæ prænuntiauerunt venturum, Patriarchæ expectauerunt paſſurum, quem Ioannes Baptiſta digito demonſtrauit, & Apoſtoli iàm paſſum, & crucifixum prædicauerunt, & ideò dicitur facere vtraque vnum ad Epheſios 2. Vndè licèt ſecundùm priorem conſiderationem, & in ſpecie, noſtra Chriſtianorum Eccleſia dici poſſit noua Hieruſalem deſcendens de Cœlo, parata à Deo, ſicut Sponſa ornata viro ſuo, Apocal. 21. & diſtincta à Synagoga legis veteris in ratione Chriſti, tunc paſſuri, & nunc iàm paſſi, & propter diuerſitatem Sacramentorum, quę apud nos ſunt multò nobiliora, & perfectiora, & denique excedentia, ſicut lux tenebras, & veritas figuram antecellit.

9 Secundùm tamen genericam conſiderationem fidelitatis vni, & eidem Deo pręſtandæ, vna poterit dici Eccleſia, quæ propter magis, & minùs, non recipit diuerſitatem in ſubſtantia generis. l. fin. ff. de fun-
10 do inſtructo. Sicut in qualibet Ciuitate, & Republica poſſumus contemplari, quæ licèt diuerſis moribus, & legibus, & per diſtinctos Principes gubernetur hodie, quàm anno præterito, non propterea genericam
11 vnitatem eiuſdem Ciuitatis amittit, vt in l. ſicut §. fin. ff. quod cuiuſque vniuer. nomine. Et vna, & eadem Perſona, licèt diuerſis omninò veſtibus amicta ſit hodie, quàm heri, non prætereà generica eius vnitas alteratur, ad quod alludebat Dauid Pſal. 44. de noſtra Eccleſia legis Euangelicæ dicens: Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere Populum tuum, & domum Patris tui, & concupiſcet Rex decorem
12 tuum: Sic etiam acies, exercitus, & legio eadem eſt, licèt ex ea multi receſſerint, in quorum locum alij ſubiecti fuerunt, & Populus idem eſt, qui ab hinc centum annis fuit. Et nauis, quamuis in tantum refecta ſit, vt nulla tabula eadem permaneat, quæ noua non ſit, eadem tamen exiſtimatur, verba ſunt text. in l. proponebatur, ff. de iudicij, quem textum ad propoſitum hoc,
13 allegat glo. in cap. recurrat. verbo, ſociet. 32. q. 4. & ne ab ouilis parabola recedamus idem grex dicitur permanere, ſicut antea, licèt priores oues mortuæ ſint, & in earum locum aliæ ſubſtitutæ reperiantur, vt dicit tex. in l. ſi grege, & in l. grege legato, ff. de leg. 1. & in l. rerum mixtura, ff. de vſucapio.
14 Et vinea (quæ paſsim in Sacra Scriptura typum, & figuram tenet Eccleſię) non deſinit eſſe vna vinea, & eadem in genere, proptereà quòd palmitibus veteribus illius areſcentibus, & amputatis, noui, & fœcundiores palmites inſerantur eidem trunco, de quo Dauid Pſal. 79. dicebat: Domine Deus virtutum conuertere, & reſpice, vide, ac viſita vineam iſtam, & perfice eam, quam plantauit dextera tua, non dixit in totum eradica, combure, ſed perfice, ac renoua vineam iſtam rorantibus Cœlis deſuper, & nubibus pluentibus iuſtum, aperiente ſe terra, & germinante Saluatorem, in quo nouiſsimè diebus iſtis loquutus eſt
15 Deus nobis, ſicut olim in Prophetis. Et denique ſicut videmus de iure filium repręſentare perſonam Patris, ità quòd Pater, quam vis mortuus, per filium viuere videatur, quòad genericam familiæ conſeruationem, l. fin. c. de impub. & alijs ſubſt. l. cum ſcimus. §. fin. Cod. de agricolis, & cenſitis, & Ariſtoteles lib. 5. Ethicorum, & Hieronymus in epiſtolam Pauli ad Philemonem, ſuper illis verbis, tu autem ſuſcipe illum, ideſt mea viſcera, & illud Eccleſiaſtici 30. Mortuus eſt Pater eius, & quaſi non eſt mortuus, ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe, ſic in noſtra Eccleſia poſſumus dicere illud Pſal. 44. Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram, memores erunt nominis tui in generatione, & generationem, propterea Populi confitebuntur tibi in ſeculum, & in ſe-
16 culum ſeculi, & prout dicit eleganter Ioan. Faber tractat. 42. art. 1. §. 3. lex vetus Euangelio eſt coniungenda non dilanianda in totum, vt Marcio, & Manichęus hæretici garrulabant, ſolum Euangelium ſuſcipiendo, & dicentes vetera tranſierunt, ecce noua facta ſunt omnia, nam, vt dicit Hiero-
17 nymus cap. 11. in Eccleſiaſtem, pro lege eſt Euangelium, pro Hieruſalem, Cœlum, pro Circumciſione, Baptiſmus, pro manna, Corpus Chriſti purisſimum, pro aqua petræ, ſanguis Domini, pro Baculo Moyſi, ſeu Aaron, Crux Domini, pro Agno, filius Dei, & ad hoc Hieronymus pōderabat ibi illud, Dabo vobis pluuiam temporaneā, & ſerotinam, teſtamentum ſcilicet vetus, & nouum, & vtroque vos imbre rigabo. Et vt declarat idem Hieronymus in Ezechielem cap. 1. qui vidit rotam in rota, iuncturam ſcilicet duorum teſtamentorum, & ſcalam Iacob, forcipem Eſaiæ, & gladium bis acutum, & apud non eſt Gloſſa notab. in can. non eſt peccatum, §. his itàque, 6. diſt.

vbi

vbi dicit, quòd licet ſacramentalia, & cę-
18 remonialia ceſſauerint, moralia tamen re-
manſerunt, nec quantùm ad hæc mutatio-
nem accepit lex veteris teſtamenti, & hoc
glutinamentum moralitatis, & compactio
vnius legis cum alia ſufficit ad conrigni-
tatem genericam huius ouilis, & Eccleſiæ
conſeruandam, quam dicimus habuiſſe
exordium iuxta hanc conſiderationem ab
initio mundi, & fuiſſe continuatam, & con-
tinuari debere vſque ad ſeculi conſnma-
tionem ratione fidelitatis Deo præſtandæ
à fidelibus pro lege, cultu, Sacramentis, &
ceremonijs, quas pro ſuo tempore illi ha-
bebant, & nos habemus.
19 Neque enim tempore Adam, & Noe
habebant homines tot præcepta, & ritus,
quot Abraham, & ſui poſteri receperunt,
& etiam Moyſi plura data fuerunt. Et poſt
paſſionem Chriſti meliora, & nobiliora
Sacramenta veneramur, quam in ſeculis
anterioribus tradita fuerint. Et nihilomi-
nus, qui antea in limbo expectabant re-
demptionem à Chriſto conſumandam,
nunc autem iam conſumatam ſalui facti
fuerunt per Chriſti paſſionem, vt homines
ſuorum ſui temporis rituum, & præcepto-
rum Dei obſeruatores. Eccleſia igitur ſic
in genere aſſumpta ab initio mundi aſſum-
pſit originem, prout & Dauid Pſalm. 73.
ſub parabola ouium ſimiliter recenſebat
dicens, vt quid repuliſti in finem Deus,
iratus eſt furor tuus ſuper oues paſcuæ tuæ,
Memor eſto congregationis tuę, quam poſ-
ſediſti ab initio (ab initio inquam mun-
di) licet ritus, & præcepta diuerſis tempo-
ribus variata, addita, vel renouata fuerint
à Domino. Et licet lex noſtra Euangelica,
ceſſantibus legalibus vmbris teſtamenti ve-
teris, & figuris per aduenientem veritatem
abſorptis, perfectiùs ſacerdotium, & no-
biliora Sacramenta contineat Deus, tamen
omnipotens paterſamilias appellatus ad
20 excolendam vineam hanc, ideſt vniuerſalem
Eccleſiam, ſic in genere conſideratam con-
duxit, & conducit ſemper operarios, mane,
hora tertia, ſexta, nona, & vndecima,
Matthæi 20. vbi teſtante Gregorio, mane,
ſignificat tempus ab Adam vſque ad Noe,
hora verò tertia à Noe vſque ab Abraham,
ſexta quoque ab Abraham vſque ad Moy-
ſen, nona autem à Moyſe vſque ad aduen-
tum Domini, vndecima verò ab aduentu
Domini vſque ad finem mundi, & quaſi ad
excolendam vineam ſuam nullo tempore
deſtitit operarios mittere, quia & priùs per
patres, & poſtmodùm per legis doctores,
& prophetas, ad extremum verò per Apo-
ſtolos, dum plebis ſuæ mores excoluit, quaſi
per operarios in vineæ cultura magnoperè
laborauit, operator mane, hora tertia,
ſexta, & nona antiquus ille hebraicus po-
pulus deſignatur, qui in electis ſuis ab ip-
ſo mundi exordio, dum recta fide Deum
ſtuduit colere, quaſi non deſtitit in vineæ
cultura laborare.

Ad vndecimam verò gentiles vocan-
tur, quibus & dicitur quid hìc ſtatis tota
die otioſi? Magna eſt ergo antiquitas Ec-
cleſiæ huius ſic in genere conſideratę, licet
maiorem auctoritatem adepta fuerit poſt
Chriſti paſſionem propter caput, & ſpon-
ſum eius Chriſtum Ieſum iam paſſum, pro-
pter redemptionem humani generis con-
ſumatam iuxtà illa vltima verba Chriſti
in paſſione quando dixit, conſumatum
eſt, propter nobiliſſima Sacramenta for-
mata in pectorato latere Chriſti, propter
Cælorum aditus veris Chriſtianæ legis ob-
ſeruatoribus reſeratos, & denique propter
miniſtros, & primos Euangelicæ doctrinæ
prædicatores Spiritu ſancto in die Pente-
coſts repletos, quibus antea Chriſtus in-
ſufflando dixerat Ioan. XX. Accipite Spi-
ritum ſanctum, quorum remiſeritis pecca-
ta, remittuntur eis, & quorum retinueri-
tis, retenta ſunt, ex Matth. 18. Quæcunque
ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in
cœlo &c. & Petro tamquam capiti, vt in-
frà dicetur, tibi dabo claues regni cœlo-
rum, quodcumque ligaueris ſuper terram
erit ligatum, & in cœlis &c. Matthæi 16.
21 quibus per illa verba, & remiſſio peccato-
rum, quæ ſoli Deo reſeruata erat, & po-
teſtas ligandi, atque ſoluendi, quaſi in cæ-
leſtibus iuriſdictio collata fuit, quique &
ſacrificijs, & ſuffragijs ſuis opitulantur ani-
mabus purgatorij, vt celeriùs purgationem
compleant peccatorum, quicquid hæretici
noſtri temporis inſaniant negantes librum
Machabæorum, & eius auctoritatem pro-
pter illud piiſſimum Iudæ Machabæi exem-
plum, quod legitur 2. Machabæorum 12.
de animabus purgatorij, nam præter hoc,
quòd eſt liber authenticus, ſicut alia ſacrę
Scripturæ volumina, adeſt illa auctoritas
Tobiæ, 3. ad filium dicentis inter cætera,
Panem & vinum ſuper ſepulturam iuſti
conſtitue (iuſti inquam) cui aliquid pur-
gandum reſtat, & illud Lucæ 12. Ne fortè
iudex mittat te in carcerem, amen dico ti-
bi non exies donec reddas nouiſſimum
quadrantem, quæ verba Ambroſius ad pur-
gatorium referenda concludit, cum in in-
ferno nulla ſit redemptio, ſed confutatio-
nem hæreticorum ſuper hoc articulo, quem
firmiter cum Eccleſia Romana credimus,
Theologis dimittamus, Eccleſiæ noſtrę vni-
tatem proſequentes.

CAP. VI.

De laudibus, excellentia & titulis, quibus noſtra hæc ſancta mater Eccleſia dicta ouile ouium reperitur decorata in ſacra Scriptura.

SVMMARIVM.

1 *Eccleſia varijs titulis decorata reperitur in ſacra Scriptura, videlicet malo granati, vineæ, meridiei, lunæ, Virginis, & matris, ſororis, & ſponſæ, eſt terra lacte, & melle manans, archa Noe, columba, domus magna, ſagena miſſa in mare, magna familia, nauis, rubus ardens, petra firma, & ciuitas.*

2 *Eccleſia eſt corpus Chriſti, & ipſe caput*

eius, & membra de membro, & regnum cælorum.

3 *Eccleſia regitur magiſterio Spiritus ſancti, & cum ea promiſit Chriſtus eſſe vſque ad conſumationem ſeculi.*

4 *Chriſtus pro Eccleſia rogauit patrem, & eſt aduocatus eius.*

5 *Eccleſia, quæ eſt Dei viui columna, & firmamentum veritatis errare non poteſt.*

6 *Eccleſia militans ad exemplar triumphantis condita eſt.*

7 *Eccleſia militantis conuenientia cum triumphanti multùm adiuuat opinionem Canoniſtarum dicentium nouem ordines clericorum eſſe in Eccleſia, ſicut ſunt nouem ordines Angelorum contra eos, qui dicunt non eſſe niſi ſeptem ordines clericorum.*

8 *Eccleſia militans tunc conſiſtit decentiſſimo ordine cum illi triumphanti ſupernę comparatur ex Dionyſio.*

9 *Angeli, quamuis omnes cuſtodiant nos, Michael tamen cuſtodit Eccleſiam. qui Princeps eius appellatur, ſicut olim ſynagogæ.*

10 *Apoſtoli ſunt protectores Eccleſiæ, & vide multas figuras ſuper numero duodenario illorum.*

11 *Apoſtolis, non Virgini matri fuit conceſſa facultas remittendi peccata licèt ipſa dignior fuerit Apoſtolis vniuerſis.*

12 *Eccleſia edocta fuit per quatuor Euangeliſtas præfiguratos in quatuor animalibus Ezechiel, & per quatuor doctores Eccleſiæ inter alios, & per tot martyres, Virgines pueros, & puellas, vt non poſſit dubitari de vijs eius.*

13 *Eccleſia, nec falli, nec fallere poteſt, & durabit vſque ad finem mundi.*

NOn me latet Ioannem Fabrum Catholicum, & doctiſſimum plures titulos congeſſiſſe in vnum, quibus hæc ſancta fidelium collectio in ſacra Scriptura fuerit honorata, vt per eum videre licet in titulo de clauium Eccleſię collatione, §. ſexto, quos
1 ego, ne videar alieni laboris vſurpator,
breuiter percurram nonnullis additis. Comparatur itàque, dicit Faber malo granato Canticorum 8. vt per Ambroſium libro 3. Hexameron cap. 13. quia bonum fidei fulgorem, confeſſioniſque oſtendit Chriſti cruore dorata, & martyrum ſanguine ſpecioſa, plurimoſque fructus ſub pomi munitione conſeruat ad vſum, & exercitia virtutum, comparatur vineæ, Eſaiæ 5. & Pſalm. 79. & Hieremiæ 2. dicitur etiam meridies per Ambroſium Pſalm. 118. quæ in primordijs mundi deſponſata, in paradiſo præfigurata, in diluuio annunciata, per legem vocata, per prophetas dicitur redemptionem hominum, & Euangelij decorem, ac dilecti expectaſſe aduentum, impatiens amoris in oſcula ruit dicens, oſculetur me oſculo oris ſui: Canticor. 1. vocatur & luna, Pſalm. 88. Luna teſtis in cœlo fidelis, vt per Hieronymum 4. cap. ſuper Amos Propheta, quia ſolis iuſtitiæ Chriſti Ieſu illuſtratur radijs ab ea parte, qua ei vicina eſt, vel plus, vel minùs lucis pro varietate temporum accipiens, & eſt ſpecioſa ſicut luna: fulget enim non ſui: ſed Chriſti lumine, & ſplendorem ſibi accerſit de ſole iuſtitiæ, vt per Ambroſium libro 4. Hexameron cap. 8. dicitur, Virgo & mater, vt per Ambroſium lib. 1. de Virginitate dicentem, Virgo eſt caſtitate, mater eſt prole, parturit itàque nos Virgo non viro plena, ſed Spiritu, parit nos Virgo non cum dolore membrorum, ſed cum gaudio Angelorum, nutrit nos Virgo non corporis lacte, ſed Apoſtoli, quo infirmam adhuc creſcentis populi lactauit ætatem, quę igitur nupta plures habet liberos, quam ſancta Eccleſia? quæ Virgo eſt, & ſacris mater eſt populis, vt Eſaiæ quarto, quàm plures filij deſertæ, quàm eius, quæ habuit virum: appellatur etiam ſoror, & ſponſa, vt per Hieronymum aduersùs Iouinianum, ſponſa, ſoror, & mater, & quæcumque alia putaueris vocabula vnius Eccleſiæ congregatio eſt, quæ numquam eſt ſine ſponſo, fratre, & filio, vnam habet fidem, nec conſtupratur dogmatum varietate, nec hæreſibus ſcinditur, Virgo permanet, quòcumque vadit Agnus, illum ſequitur, vide Fabrum vbi ſupra: & eſt terra lacte, & melle manans: arcba Noe: columba: domus magna: ſagena miſſa in mare: magna familia, nauis, rubus ardens, & non comburens, petra firma, & ciuitas, hactenùs Faber, & appellatur ouile ouium Ioannis 10. vt ſuprà latiùs fuit explicatum. Apoſtolus etiam nominauit eam corpus Chriſti, ad Epheſios quarto. Omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſuper omnem Eccle-
2 ſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo
eius.

Et primæ Corinthiorum 12. Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro. Similiter nominatur regnum Cœlorum Matthæi 20. & 22. & 25. Simile eſt regnum Cælorum homini Patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios, &c. Et ſimile eſt regnum Cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo, &c. Simile eſt regnum Cœlorum Decem Virginibus, &c. cum illa promiſit ſe futurum vſque ad conſumationem ſeculi, Matthæi vlt. Regitur
3 præterea Eccleſia magiſterio Spiritus ſan-
cti, Ioannis decimoquarto. Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, & Ioannis decimotertio, adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò, cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Ro-
4 gauit pro ea Chriſtus, Ioann. decimoſepti-
mo. Pater ſancte ſerua eos in nomine meo, quos dediſti mihi, non autem pro his tantùm rogo, ſed pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me, & Ioan. cap. 2. primæ ſuæ canonicæ legitur, Aduocatum habemus apud Patrem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & ad Romanos 8. Chriſtus interpellat pro nobis, & ad Hebręos 7. accedens per ſemetipſum ad Deum viuum ad interpellandum pro nobis, & propterea confitemur, quòd errare non poteſt Eccleſia, quæ eſt Dei viui columna, & firma-
5 mentum veritatis, primæ ad Timoth. 3.
6 Formata eſt etiam ad ſimilitudinem Eccle-
ſiæ triumphantis, iuxtà illud Apocalypſis 21.

ſis 1 1. vidi ſanctam Hietnſalem nouam deſcendentem de Cælo patatam à Deo ſicut ſponſam ornatam viro ſuo, & Exodi 25. & Pauli ad Hebt. 7. Inſpice, & ſac ſecundum exemplar, quod tibi monſtratum eſt in monte, & in otatione Dominica quotidiè dicimus, Fiat voluntas tua ſicut in Cælo, & in terra, & Dauid Pſalm. 86. Fuudamenta eius in montibus ſanctis tranſumptiuè, in cap. fundamenta, de elect. lib. 6. & in can. ad hæc 88. diſt. dicitur, cæleſtium militiarum exemplar nos inſtruit.

Vnde Bernardus ſetmone 27. diccbat, ſicut de diuerſis ouium gregibus vnnm facere voluit, vt ſit vnum ouile, & vnus Paſtor, ità cum haberet ſpouſam inhęrentem ſibi à ptincipio multitudinem Angelorum, placuit ei, & de omnibus conuocare Eccleſiam, atqne vnire illi, quæ de Cœlo eſt, vt ſit vna Sponſa, & Sponſus vnus, & vnam facit uunc couſormitas in deuotione, poſteà verò, & in pari glotia.

Et ideò dicebat elegantet Hoſtienſis in Rubric. de ordinatis ab Epiſcopo, qui renuntiauit Epiſcopatui §. 1. quòd ſicut in Eccleſia ttiumphanti ſune nouem choti Angelorum, ſic in noſtra Eccleſia militanti ſunt nouem ordines Clericorum, annumerand o Epiſcopatum, & Pſalmiſtatum inter ordines vltrà Theologos, de quo etiam per Gloſs. in ptoœmio lib. 6. vetbo, Epiſcopus;
7 & certè hæc conuenientia militantis Eccleſiæ cum triumphanti multùm conſitmat Canoniſtatum ſententiam, pręcipuè cum teſte Dionyſio in lib. de Eccleſiaſtica Hietatchia (quem refert Clictoueus in ſuo
8 Antilutero lib. 2. cap. 2.) Sancta Eccleſia nilitans tnnc conſiſtit de centiſſimo otdine, & habet congtuentiſſimum ſui ſtatus tenorem, cnm illi triumphanti in ſuperna Ciuitate Hietuſalem Cœleſtium Spirirnum principatui confirmatur, ac euadit perſimilis in ſuis ſunctionibus, & operibus.

9 Cuſtuditut etiam per Angelos, qui nmnes ſunt, teſte Paulo ad Hebræos 1. Ad. miniſtratorij Spiritus in miniſterium miſſi, & Pſalm. 40. Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, præcipuè tamen per beatum Michaelem Archangelum, qui Princeps Synagogæ erat antea, nunc verò Eccleſiæ noſtræ iuxtà illud Danielis 1. in fine. Nemo eſt adiutot meus in omnibus his, niſi Michael Princeps veſtet. Et Danielis 10. Ecce Michael vnus dt primis Principibus, primus venie in adiutorium meum, habuit etiam, & habet Eccleſia Protectotes, & Rectores ſuos
10 dnodecim Apoſtolos in die Pentecoſtes repletos Spiritu ſancto, & miſſos à Chriſto prædicare Euangelium omui creaturæ, de quibns dicitur Apocalypſis 21. Poſtquam actum fuetat de noua Hieruſalem deſcendenre de Cœlo, & murus Ciuitaris babens ſundamenta duodecim, & ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum, & agni. & Pſalm. 44. Conſtitues eos Principes ſupet omnem terram, qui pręfigutati fuerunt per duodecim filios Iacob vno Patre genitos omnes, Geneſcos 35. Et per duodecim fontes aquarum, qnos in deſerto elim inuenetunt filij Iſrael, Exod. 15. Et Num. 33. Et per duodecim lapides precioſos, quos pręcepit Dominus ponere in veſtibus ſummi Sacerdotis Aaron, Exodi 28. Et per duodecim Priucipes electos ſingulos de ſingulis tribubus Iſrael, Ioſue 3. Et per duodecim duriſſimos lapides, quos Ioſue pręcepit poni in loco caſttorum, vbi fixit tentotia, Ioſuæ 4. Et per duodecim panes propoſitionis, qui ponebantur ſuper menſam in conſpectu Domini, Lenitici 24. & Exod. 25. Et per duodecim exploratores, qnos miſit Moyſes ad conſiderandam terrã, quam daturus erat Dominus filijs Iſrael. Num. 13. Et per dnodecim pręfectos, quos poſuit Salomon ſuper omnem populum Iſrael, 3. Regum 4. capite. Et per duodecim lapides, quos tulit Helias inxtà numerum filiorum Iſrael ad ædificandum altare de lapidibus Domino, 3. Regum 18. Et pet duodecim ſtellas fulgentes in corona Sponſæ, Apocalypis 12. Et per duodecim portas Ciuitaris Hieruſalem, quas vidit Ioann. Apocalypſis 21. Quibus etiam ſuit conceſſa poteſtas temittendi peccata hominibus iuxtà illud Ioann. 20. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & claues Regni Cœlorum, hoc eſt poteſtas ligandi & ſoluendi ſuper
11 terram ſuerunt eis commiſſę, Matth. 18. Et Pǽtro vt Principi aliorum Matth. 16. & Ioann. vlt. vt diximus capite pracedenti, de quibus ponderat tex. in capit. noua quędam; de pœnitent. & remiſſione; quòd licèt beatiſſima Virgo Maria dignior, & excellentior ſuerit Apoſtolis vniuerſis, non tamen illi, ſed iſtis Dominus claues Regni
12 Cœlorum commiſit, Edocta etiam fuit Eccleſia per quatuot Euangeliſtas Matthęum, Marcum, Lucam, & Ioannem, quorum Euangelijs nutritur, & recreatut, qui ſimul inter Apoſtolos connumerantur, c. vnico de reliquijs, & vener. ſanct. lib. 6. Et pręfigurati fuerunt per illa quatuor animalia, hominem, leonem, vitulum, & aquilam, Ezechielis 1. Erudierunt etiam illam, & condecorarunt intet alios illi quatuor Eccleſiæ Doctores, Gregorius, Hieronymus, Ambroſius, & Auguſtinus, quorum perlucida & ſalutaria pręcepta, vt dicit tex. in capit. vnico; de reliquijs, & veneratione Sanctorum lib. 6. Eccleſiam illuſtrarunt, & virtutibus informatunt, & qui in Eccleſia Dei tamquam ſplendor fulgent iu firmamento, & velut ſtellæ permanſuri ſuut in perpetuas æternitates, cap. ſuper ſpecula de magiſtris, & quorum ordinem quaſi pręcipuum in Eccleſia dixit text. in cap. cum ex iniuncto; de hęret. Habet etiam Martyres, Virgines, Confeſſotes, & Sanctos, quorum patrocinijs defenditut, triumphis gloriatur, veſtigijs denique, & exemplis prouocatur, quod Auguſtinus in libris de doctrina Chriſtiana conſidetans, dicebat eleganter: O anima Chriſtiana euigila, Domini tui imitare veſtigia, conſidera quot millia Martyrum tritam tibi fecetunt viam, tranſietuut pueri, & puellæ, & times? Sed in iſtis ampliùs immorari, eſſet à propoſito noſtræ vnitatis euagati.

13 Fateamur etgo Eccleſiam noſtram tot pręſidijs, & titulis decoratam, nec ſalli,

oec fallere poſſe, & vſque ad ſeculi conſu. mationem duratutam, quoniam de ea legirur Zachariæ 13. Sedebit Hieruſalem ſecura, & Eſaiæ 33. Hoc eſt tabernaculum, quod nequaquam trausferri poterit, nec auferentur claui eius in ſempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur, & poterit cum Pſalmiſta dicere Pſalm. 128. Sępè expugnauerune me à iunentute mea, eteninnon potuerunt mihi, qnia prout dicit Chryſoſtomus in ſermone de Pentecoſte, Eccleſia impugnari poteſt, expugnari non poterir, tela mittuntut cootra eam, ſed eius machina non perforatur, Machioæ pręparanrur, ſed tuttis dauidica oon elidirur, & Hilarius lib. 7. de Trinitate. Proptium eſt Eccleſiæ, vt tunc vincat, cum lęditur, tunc ſecura ſit, cum deſeritur, tunc obtineat, cum ſuperata videtur, & teſte Auguſtino, contra murum ioexpugnabilem Eccleſiæ quiſquis arietauerit, ipſe potiùs confingetur, & Ambroſius in lib. 15. de Salomone, inquit, Eccleſia ctebris ventorum fluctibus, ideſt tentarionum plagis, & verberibus fatigatur, quam turbidi fluctus, hoc eſt poreſtas huius ſeculi conatur ad ſaxa perducere, & quamuis vndarum fluctibus, aut procellis ſæpè vexatur, tamen numquam poteſt ſuſtinere naufragium, quia in arbore eius, ideſt in Cruce, Chtiſtus erigitut, io puppi reſidet pater, reſidet gubetnator, proram Paracletus ſeruat Spiritus, hanc per anguſta huius mundi ſreta duodeni in portu remiges ducunt, ideſt duodecim Apoſtoli, & ſimilis numerus Prophetatum, & Hieronimus in lib. de 42. manſionibus ad Fabiolam ardenti rubo, & non comburenti comparat, inſlamatur enim perſecutionibus, ſed, loquente Domino, non dtſetitur, & Hieronymus in Eſaiam cap. 37. dicit de Eccleſia, ego Ciuitas firma, ego Ciuitas, quæ oppugnatut, Magna eſt ergo glotia Eccleſiæ huius, gloriam, & magnum decorem impoſuit Dominus ſuper eam, contra quam legimus inſutrexiſſe Tyrannos Impetatores, vt Neronem, Decium, & id genus alios Arrium, Neſtotium, & ſimiles hęreticos, & tamen illa firma perſeuerat tantis de Cœlo radiata fulgoribus, vnde elegantet Richardus lib. 1. de Ttinitate, vtinam attenderent Iudæi, vtinam attenderent Pagani cum qnanta conſcientiæ ſecuritate pro hac parte ad diuionm iudicium potetimus accedere, nonne cum omni fiducia poterimus Deo dicere, Domine ſi ertor fuiſſet, ptout non eſt, à te ipſo decepti eſſemus, nàm iſta tantis ſignis, & prodigijs confirmata ſunt, & talibus, quæ non niſi per te fieri poſſunr, & certè à ſummę ſanctitatis viris ſunt oobis cum ſumma, & authentica atteſtatione ptobâta, re ipſo cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.

Et Leo Papa in ſermonem de Apoſtolis, ait: Præcioſa in conſpectu Domini mots ſanctorum eius, nec vllo crudelitatis genere deſtrui poteſt Sacrameoto Ctucis Chriſti fundata religio, oec minuitut perſeqnutionibus Eccleſia, ſed augetur, & ſemper Dominicus ager ſegete ditiore veſtitur, dum grana (quæ ſingula cadnnt) moltiplicata naſcuntut, vnde duo iſta, ptæclara diuinæ germinis ſemina quantam ſobolem germinarint, beatorum millia exempla prnreſtantur, qui Apoſtolicornm emnli triumphorum Vrbem noſtram purpuratis, & longè, latèque retuliranttibus populis ambierunt, & quaſi ex multarum honore gemmarum, cooſerto vno diademate cotonarunt, hactenùs Leo.

CAP. VII.

De perſonis, quæ intrà hanc ſanctam Eccleſiam, ſeu ouile ouium continentur.

SVMMARIVM.

1 *Eccleſia conſtat ex bonis, & malis, iuſtis, & peccatoribus modò nou ſint hæretici, aut ſchiſmatici.*

2 *Fides ad manendum in hoc ouili eſt neceſſaria.*

3 *Eccleſia eſt ſicut corpus humanum, quod conſtat ex bonis, & malis humoribus, & ſicut meſſis, quæ paleas cum granis permixtas tenet.*

4 *Archa Noe, quæ figura fuit Eccleſiæ, animalia munda, & immunda continebat.*

5 *Eccleſia dicta eſt area, quæ palcas, & grana continebit, donec Dominus in die iudicij veniat cum ventilabro ad mundandam illam.*

6 *Peccatores dicuntur palea, quia leuiter cadunt vento cuiuslibet tentationis expoſiti.*

7 *Eccleſia comparatur decem Virginibus, quarum quinque erant prudentes, & quinque fatuæ, & conuiuio illi, in quo vnus ſedebat non habens veſtem nuptialem, & domui, in qua ſunt vaſa aurea, & fictilia, & quædam in ornatum, quædam verò in contumeliam.*

8 *Eccleſia habet bonos, & malos, ſicut in Cælo Angeli boni cum malis ad mixti fuerunt donec Michel fecit victoriam cum Angelis eius.*

9 *Sicut coniugio Adæ, & Euæ nati fuerunt Cayn malus, & Abel iuſtus, & in vtero Rebeccæ fuerunt Iacob electus, & Eſau reprobatus, ſic in Eccleſia ſunt boni, & mali.*

10 *Peccatores publici per cenſuras Prælatorum repelluntur ab Eccleſia, quò ad ſuffragia, non quò ad fidem, ſicut ſcabioſa.*

11 *Vnitas triplex reperitur in Eccleſia, ſcilicèt corporalis habitationis, communionis Sacramentorum, & gratiæ.*

Iuſti, & per gratiam Deo coniuncti habitant in penetralibus Eccleſiæ, & interioribus atrijs domus Domini, & ſunt magis ſecuri.

Triplex funiculus difficile rumpitur.

Excõmunicati ſi fidem conſeruant, pertinent ratione ſolius fides ad Eccleſiã, licèt quò ad Sacramentorum communionem, & ſuffragia non ſunt de Eccleſia, hæretici autem, nec ſchiſmatici nullo modo.

12 *Eccleſia erit glorioſa, & non habens maculam, aut rugam in futuro, & in Cæleſtibus,*

bus, non autem in hoc mundo.
13 *Verba, quæ ad vnum, & idem tempus refe-
runtur, vnica determinatione reguntur.*
14 *Qualitas adiecta alicui termino debet intel-
ligi ſecundùm tempus illius termini, cui
adiungitur.*
15 *Peccatores Presbyteri baptizant, & conſe-
crant, ſicut, & Cayphas, quia erat Ponti-
fex anni illius prophetauit.*
16 *Peccatores ſi fidem conſeruant, licèt quò ad
gratiam non recipiant influxus à Chriſto
capite, quia quò ad illam mortui ſunt, ta-
men, quò ad conſeruandum glutinum fi-
dei, quo Eccleſia colligantur, non ſunt
mortui.*
17 *Eccleſia ſimilis ſagenæ miſſa in mare, & ex
omni genere piſcium congreganti in om-
nes nationes, & gentes extendit vela, &
retia ſua.*
18 *Deus noſter non eſt acceptor perſonarum.*

1 CAtholica hæc & vniuerſalis Eccleſia,
quam profitemur, conſtat ex bonis,
& malis Chriſtianis, iuſtis, & peccatoribus,
modò non ſint vt hæretici, aut ſchiſmatici,
ab hoc ſancto conſortio, proiecti, quia iſti
extrà Eccleſiam ſunt. Non ergo ad con-
2 ſeruandum nos in hoc ouile neceſſarius eſt
ſtatus gratiæ, & charitatis, quia etiam
peccatores modò ſint fideles, dicentur eſſe
membra huius Eccleſiæ, ſicut videmus in
corpore humano, quod conſtat ex bonis,
& malis humoribus ſimul, & meſſis paleas
3 cum granis mixtas complectitur, vt per
Auguſt. in lib. de baptiſmo, & in can. eſt
vnitas de conſecr. diſt.4. vbi dicit, eſt vni-
tas Eccleſiæ, quæ latè patet in ſacramento-
rum ſocietate, & communione, quæ com-
plectitur cum granis etiam paleas, quan-
do eas corporaliter mixtas ità patitur, vt
neque illas iuſti vitent, neque ab illis iuſti
vitentur. Sic ſunt in Eccleſia homines
mali, vt in corpore humano humores ma-
li, qui interdùm exeunt ex corpore, & idem
Auguſt. eodem libro in cap. quomodò,
5. induunt eadem diſtinct. Induuntur autem
homines ipſum Chriſtum aliquando vſque
ad ſacramenti perceptionem, aliquando
vſque ad vitæ ſanctificationem, atque illud
primum, & bonis, & malis poteſt eſſe com-
mune, hoc autem proprium eſt bonorum,
& piorum, quod etiam comprobatur ex
parabola illa Matthæi 13. de ſagena miſſa
in mare, & ex omni genere piſcium con-
greganti, quam, cum impleta eſſet, educen-
tes, & ſecùs littus ſedentes, elegerunt bo-
nos in vaſa ſua, malos autem foras miſe-
runt. Sagena enim iſta typum, & figuram
habet Eccleſiæ, vt in capite præcedenti di-
ximus, & hæc bonos, & malos continet in-
tra ſe, & continebit, donec veniat dies ele-
ctionis, diſcretionis, & iudicij, in qua (vt
ipſemet Chriſtus Dominus parabolam in-
terpretatur) Angeli ſeparabunt malos de
medio iuſtorum, ſagenam in conſuma-
tione ſeculi euacuando, vt per Auguſt. in
lib. contrà donatiſtas poſt collationem
4 cap.10. Sic etiam in archa Noe (quæ figu-
ra fuit Eccleſiæ huius) animalia non ſo-
lùm munda, ſed etiam immunda fuerunt,
habuit enim homines, & habuit ſerpentes,
vt per Hieronymum ad Gerontiam, &
idem Hieronymus aduersùs Luciferianos
ait: In Archa Noe paucæ, id eſt octo animę
ſaluæ factæ ſunt per aquam, quæ & nos,
nunc ſimilis formæ ſaluos fecit per baptiſ-
mum, & vt in illa omnium animalium ge-
nera: Ita & in hac vniuerſarum gentium,
& morum homines ſunt, & vt ibi pardus,
& hedi, lupus, & agni: ità & hic iuſti, &
peccatores, id eſt vaſa aurea, & argentea
cum ligneis, & fictilibus commorantur, &
per Auguſtin. de fide ad Petrum cap. 43.
vbi ait: Firmiſſimè tene, & nullatenùs du-
bites Archam Dei eſſe Catholicam Eccle-
5 ſiam, & intrà eam vſque in finem ſeculi
frumento mixtas paleas contineri, hoc eſt
bonos, & malos Sacramentorum commu-
nione miſceri, & in omnium profeſſione,
ſiue Monachorum, ſiue Laicorum bonos
eſſe ſimul, & malos, nec pro malis bonos
eſſe diſcernendos, ſed pro bonis malos to-
lerandos, & Hieronymus lib. 1. aduersùs
Iouinianum ait, Archa Noe, iuxtà Apo-
ſtolum Petrum, typus fuit Eccleſiæ, in
qua octo animæ ſaluatæ ſunt, & Archa
hæc plures habuit manſiones, & nidulos,
& bicamerata, & diuerſas beſtias, & pro
qualitate animalium habitationes quo-
que maiores, & minores. Et tamen, quia
omnia animalia munda, & immunda
erant intrà Archam, & obedientiam exhi-
bebant Noe rectori illius Archæ, fuerunt à
diluuio liberata, vt per Gregorium in cap.
quia ex ſola 24. quæſt. 1. dicentem, vndè,
& aqua diluuij Archam quidem ad ſubli-
miora ſubſtulit, omnes autem, quos extra
Archam inuenit, extinxit, & Hieronymus
in cap. quoniam vetus 24. quæſt. 1. ſi quis
in Archa Noe non fuerit, peribit, regnante
diluuio, & Auguſt. lib. 2. contrà Creſco-
nium Grammaticum, in Scriptura ſancta
(quæ neminem fallit) Area dicta eſt Ec-
cleſia Dei, dominumque ipſum cum venti-
labro eſſe venturum, & mundaturum
aream ſuam, vt frumenta recondat in hor-
reo, paleas autem comburat igne inextin-
guibili.
6 Dicuntur autem mali, & peccatores
paleæ, quia leuiter cadunt vento tentatio-
nis, vt per gloſſ. in can. eſt vnitas de con-
ſecration. diſtinct. 4. & ibidem Auguſtinus,
laborandum nobis eſt, vt frumentum eſſe
poſſimus, & cum cœperit importari fru-
mentum dominicis horreis, tandem fru-
ctum pro opere noſtro, & labore capia-
mus, donec ergo veniat ventilabrum Do-
mini, & importatio frumenti in horrea
dominica, paleæ cum granis in area per-
7 mixtæ tolerantur, iſtud ipſum dici vide-
mus de Regno Cœlorum, quod eſt Eccle-
ſia, aſſimilato decem virginibus Matth 25.
Quarum quinque erant prudentes, quin-
que autem fatuæ, quæ omnes expectabant
ſponſum cum lampadibus ſuis, ſed adue-
niente ſponſo in die iudicij, non intraue-
runt cum eo quinque fatuæ, quæ non ha-
bebant oleum, ſed à prudentibus expoſce-
bant. Ante diem ergo iudicij fatui, &
prudentes admiſcentur, & Matthæi 22. de
eodem Regno Cœlorum, id eſt militanti
Eccleſia per illud conuiuium ſignificata
om-

omnes quidem inuitati ſedebant in nu-
ptijs ad menſam, etiam is, qui non habe-
bat veſtem nuptialem, & ibi remanebat
accumbens donec intrauit Rex præfigu-
rans, vel diem vniuerſalis iudicij, vel par-
ticularis, quod tempore mortis vniuſcu-
iuſque ſumitur. Et quia vidit eum non
habere veſtem nuptialem, imperauit mi-
niſtris, vt ligatis manibus, & pedibus mit-
terent eum in tenebras exteriores, & teſte
Apoſtolo ſecundæ ad Timotheum 2. in
domo magna, quæ etiam typum gerit Ec-
cleſiæ, vt capite præcedenti diximus, non
ſolùm vaſa ſunt aurea, & argentea, ſed &
lignea, & fictilia, & quædam quidem in
honorem, quædam autem in contumeliam.
8 Et ſicut in Cœlo antequàm Michael face-
ret victoriam, & imperſcrutabile Dei iudi-
cium adueniſſet, Angeli boni cum malis
admiſcebantur, & ſicut ex coniugio Adæ,
& Euæ priorum parentum nati ſunt Abel
9 iuſtus, & Cayn fratricida malus, Gene-
ſeos 4. Et ſicut ex vtero Rebeccæ duo filij
prodierunt ſimul, Iacob electus, & Eſau re-
probatus, ſic etiam in vtero Eccleſiæ no-
ſtræ boni, & mali, iuſti, & peccatores, mo-
dò fidem conſeruent, reperiuntur, & intrà
eam exiſtunt, etiamſi fuiſſent excommuni-
cati, ſi tamen fidem Catholicam profitean-
tur, & conſeruent, quia ratione fidei per-
tinebunt ad Eccleſiam, licèt quò ad ſuffra-
giorum participationem ab Eccleſia ſit
ſegregatus excommunicatus, & ideò in
eum faciliùs dæmon ſeuit, quia inuenit il-
lum deſtitutum ſuffragijs, & orationibus
10 confidelium, vt per Echium in titul. de
excommunicatione in Enchiridione, &
Couarruuiam in cap. Alma mater, de ſen-
tentia excommunic. in princip. libri ſexti.
Vndè apud nos dicebat Archidiaconus
noſter in cap. recurrat 32. quæſt. 4. quòd
eſt triplex vnitas Eccleſiæ, ſcilicet vnitas
corporalis habitationis, vnitas communio-
nis Sacramentorum, & vnitas gratiæ, &
charitatis, in prima, & ſecunda ſunt boni, &
mali permixti, in tertia verò tantùm boni;
Omnes ergo, qui per ianuam Sacramen-
torum, ideſt baptiſmum ſemel Eccleſiam
introierunt, ſi non agnoſcamus hæreticos,
aut ſciſmaticos, debemus inter fratres, &
membra Eccleſiæ reputare, quò ad reliqua
remittentes eos ad Dominum, qui ſcruta-
tur corda, & renes hominum.

Hoc ſolum diſcrimen reperitur, quòd
iuſti, & per gratiam Deo coniuncti, quo-
11 rum ſtatum ſolus Deus agnoſcit, non vt-
cumque ſunt in Eccleſia, ſed habitant in
penetralibus, & atrijs interioribus Eccle-
ſiæ, de quibus dicebat Paulus, qui adhæret
Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo, & vbi Do-
minus eſt, illic, & miniſter eius erit, qui fa-
cit voluntatem Domini ſui, & cum ſit in
Eccleſia per fidem, opera, & gratiam, ac
triplex funiculus difficilè rumpatur, Ec-
cleſiaſtes 4. & cap. 1. de tregua & pace;
difficulter etiam ab Eccleſia ſeparabitur,
guſtauit enim, quàm ſuauis eſt Dominus
his, qui rectò ſunt corde, & quàm dilecta
ſint tabernacula virtutum: qui verò per ſo-
lam fidem, & fidelium communionem con-
ſeruantur in Eccleſia, licèt peccatis morta-
libus irretiti, ſunt quidem intrà Eccle-
ſiam, & domum iſtam, ſed habitant infe-
riores partes iſtius domus cum viliſſimis
famulis expoſiti periculo naufragandi in
fide, & cuilibet vento tentationis, quæ eos,
præcipuè obſtinatos, aliquando ab Eccleſia
exire compellat, & in hæreſes trahat, ſi non
reſipiſcant, à peccatis reſurgentes. Excom-
municati autem licèt fidem conſeruent, &
propterea pertinere dicantur ad Eccleſiam
ſunt tamen per excommunicationem tra-
diti in ampliorem ſathanæ poteſtatem, vi-
de Couarruuiam in dict. cap. Alma ma-
ter, & Roffenſem aduerſùs Lutherum
art. 23. & Caſtrum de hæreſibus cap. 7. de
excommunic. Nec quòd Eccleſiam ex bo-
nis, & malis conſtare aſſeueramus, repu-
gnat auctoritati beati Pauli ad Epheſ. 5.
dicentis: Tradidit ſe Chriſtus pro Eccle-
ſia, vt illam ſanctificaret mundans eam
lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet
ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non haben-
tem maculam neque rugam, aut aliquid
12 huiuſmodi, ſed vt eſſet ſancta, & immacu-
lata, quia verba illa intelliguntur de futu-
ro ſtatu, quando ſcilicèt exhibunt Ange-
li, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum
in littore maris, tunc enim erit ſine macu-
la, non autem inſpecto ſtatu præſenti,
quando decolorata æſtu tenet fideles ſuos
in acie, & militia, vt eleganter Hierony-
mus intelligit ſuper Hieremiam cap. 31.
dicens: Vide quomodò illud Apoſtoli-
cum, vt ſit ſine macula, & ruga, in futuro,
& in cœleſtibus ſeruetur, & Auguſtinus ad
Valentianum cap. 34. inquit, non ſolùm
omnia peccata, ſed omnia hominum mala
prorſùs Chriſtiani lauacri ſanctitate tol-
13 luntur, quo mundat Eccleſiam ſuam Chri-
ſtus, vt exhibeat eam ſibi, non in iſto ſecu-
lo, ſed in futuro, non habentem maculam,
aut rugam, aut aliquid huiuſmodi. Et
profectò ſatis Apoſtolus, iudicio meo, ſei-
pſum expoſuit, dum dixit, vt exhiberet ſibi
glorioſam Eccleſiam non habentem ma-
culam, aut rugam, verba enim ibi ad vnum,
& idem tempus referuntur, & vnica deter-
minatione reguntur; ergo eodem tempore,
& modo debent æqualiter determinari,
l. iam hoc iure, ff. de vulg. quando ergo
14 erit glorioſa, tunc erit ſine macula, & ru-
ga: & quia qualitas adiecta alicui termino
debet ſecundùm tempus illius termini, cui
adiungitur, determinari l. 3. §. hæc verba,
ff. quod quique iuris, §. proximus. Inſtit.
de legit. agnat. ſucceſſione. Glorioſa au-
tem in hoc mundo eſſe non poteſt, ſed gra
tioſa, & placens Deo propter electos, qui
intra eam ſunt conſtituti, quamuis rugas,
& maculas peccatorum hominum habeat
intra ſe cum bonis admixtas, vt corpus
humanum humores bonos, & malos con-
tinens intra ſe.

Nec etiam altera hæreticorum cauil-
latio Catholicam hanc veritatem offendit.
15 Dicunt enim ſi Eccleſia Corpus Chriſti
eſt, & Chriſtus caput eius, quomodò pec-
catores, qui vitæ ſpiritualis expertes ſunt,
& pro mortuis reputantur, poterunt eſſe
membra corporis huius? Nam reſponde-
tur, quòd glutinum, & colligatio horum
mem-

membrorum eſt identitas fidei, per quam boni, & mali, ſi Catholici aliàs ſint, intra Eccleſiam conſeruantur, licèt quò ad gratiam, & charitatem mortuus ſit peccator, vt declarar eleganter Albertus Pighius
16 lib. 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ cap. 1. ſicut in ſimili videmus, quòd presbyteri peccatores baptizant, & conſecrant, ſicut & Cayphas Pontifex, quamuis iniquorum iniquiſſimus, prophetauit, Io. 11. & per Auguſtinum in cap. prophetauit 1. quæſt. 1. Sic fideles de Eccleſia ſunt, quamuis peccauerint, ſi fidem non amiſerunt, quæ licèt ſine operibus mortua ſit, teſte Iacobo, quò ad gratiam, & vitam ſpiritualem, tamen quò ad conſeruandum glutinum illud fidei, quo ligatus erat peccator Eccleſiæ, non eſt omninò mortua, ſicut non eſt mortua quò ad miniſterium baptiſmi, & conſecrationis, quod exercet Sacerdos peccator, qui verè conſecrat, & baptizat, & ſicut videmus in corpore humano, quòd membrum licèt ſit aridum, tamen interim, quo non à corpore ſeparatur, ſpem habemus, quòd ex compactione aliorum membrorum conſolidabitur, & palmes in vitæ maneus antequam ab ea præſcindatur, faciliùs recuperabit virtutem fructum faciendi, quàm ſi iam præciſus ſit: Sic etiam Matth. 9. & Marci 2. qui paralyticum offerebant, nudauerunt rectum, vt in domo, in qua erat Ieſus, mitteretur, qui videns fidem illorum, dixit paralytico, remittuntur tibi peccata tua, vide quomodò propter aliorum fidem, hominem paralyticum in domo Ieſu poſitum, hoc eſt in Eccleſia, ſanauit Chriſtus Dominus, & denique, vt dixi ſuprà, ſunt mali cum bonis in Eccleſia, ſicut paleæ, & zizania inter grana meſſis, ſicut humores mali in corpore humano, & ſicut folia vana arboris permixta cum fructibus, ſciendum eſt præterea Eccleſiam hanc comparatam ſagenæ miſſæ in mari, & ex omni genere piſcium congreganti, non eſſe reſtrictam ad hanc, vel illam prouinciam tantùm, ſed in omnes nationes, quæ ſub Cœlo ſunt extendere vela, & retia ſua, ſicut dicebat Petrus Act. 10. In veritate compe-
18 ri, quia non eſt Deus acceptor perſonarum, ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Et ad Rom. 2. ad Epheſ. 6. & ad Colloſſ. 3. Ita quòd ex quacumque natione veniant homines, ſi voluerint, poterunt hanc ſanctam Eccleſiæ vnitatem introire, & Marci vltimo. Præceptum fuit Apoſtolis ire in Vniuerſum mundum, & prædicare Euangelium omni creaturæ, & ſenes, iuuenes, paruuli, qui lacte potantur infantiæ, ſi baptiſmatis lauacro fuerint purificati, omnes de quacumque natione venerint in hac magna Eccleſiæ domo, & ouili recipientur, etiam hæretici, qui ab ea receſſerunt, cap. ſuper eod. de hæret. lib. 6. Si verè conuerſi hæreſes abiurauerint.

CAP. VIII.

De vnitate huius ouilis, & de varijs auctoritatibus veteris Teſtamenti ad eam confirmandam.

SVMMARIVM.

1 *Vnitas fidelium omni tempore fuit ſub præcepto, & ſciſſura, ac diuiſio condemnata.*
2 *Vnica Eua formata in coniugium Adæ, & de latere eius ſoporati deſignauit vnitatem Eccleſiæ.*
3 *Vnica etiam Archa Noe.*
4 *Vnica domus ad agni comeſtionem deſignata.*
5 *Vnica etiam columba.*
6 *Vnica, & terribilis caſtrorum acies ordinata.*
7 *Vnitas hæc vltrà figuras relatas, varijs Pſalmorum, & Prophetarum auctoritatibus comprobatur.*
Chriſtus orauit pro vnitate Eccleſiæ, quam vnicam ſuam appellauit.
8 *Vnitas iſta repræſentat in nobis Dei ſimilitudinem, vt ſicut ab vno Deo omnes per creationem ſic ab vno Adam per propagationem in carne deriuamur.*
9 *Diuiſiones Dominus puniuit in teſtamento veteri.*
10 *Vnitas linguarum per ſpiritum ſuperbiæ ſciſſa eſt in conſtructione Babylonis, ſed Hieroſolymis per gratiam Sancti ſpiritus linguarum varietas fuit in humilibus Apoſtolis adunata.*
11 *Diaboli, & inferni eſt diuidere inter fratres, quia Dominus ædificans* Hieruſalem, *diſperſiones Iſraelis congregauit.*

ANteà quàm ſigillatim declaremus, in quibus conſiſtat vnitas iſtius ouilis, oportebit priùs in genere probare, quantum Deus dilexerit vnitatem fidelium in Teſtamento Veteri, & Nouo, quantumque diuiſiones, & ſciſſuras opinionum fuerit deteſtatus, ac nouitatum inuentores. Concluſum ergo fuit in præcedentibus vnicam fuiſſe Eccleſiam hanc, & futuram, ab initio creati hominis vſque ad ſeculi conſumationem, quamuis in lege veteri alia præcepta, ritus, & ſacramenta habuerunt fideles in fide Chriſti, quem expectabant, & alia longè meliora, & perfectiora in lege Euangelica teneamus in fide Chriſti, qui iam aduenit, quæ præceptorum diuerſitas, cum ad vnum Chriſtum referatur, & in vnico fidelitatis Deo præſtandæ glutino, & fundamento conſiſtat, nullam Eccleſiæ ſciſſuram inducit, nec genericam diuidit vnitatem Deo dilectiſſimam, ſed & tam in cuſtodienda lege veteri, & præceptis, quæ pro ſuo tempore habebant illi, quàm in obſeruanda lege noſtra fuit vnitas ſub præ-
1 cepto relicta, & ſciſſura, ac diuiſio condemnata, vt varijs vtriuſque teſtamenti auctoritatibus comprobatur, quarum plures congerere, & referre decreui, vt cognito quantum Deo ſemper placuerit hęc vnitas

tas

tas, ex locis ſcripturæ citandis cognoſca-
mus, & nos quantum etiam vnitatem dili-
gere debeamus, ſi ad Deum noſtrum volu-
mus pertinere. Et licèt vnitas in genere
conſiderata in duas ſpecies poſſit diuidi,
vt per Bernardum ſerm.5. de Aſſumptione,
quædam enim eſt vnitas Sanctorum, alia
verò facinoroſorum, de qua intelligitur il-
lud Pſalm. 2. Aſtiterunt Reges terræ, &
Principes conuenerunt in vnum aduersùs
Dominum, & aduersùs Chriſtum eius, de
hac tamen vnitate malorum nihil ad titu-
lum noſtrum, & licèt vnitas bonorum du-
pliciter etiam contempletur ab eodem
Bernardo ibidem, vna, quæ glorificat, alte-
ra, quæ iuſtificat, & licèt idem Bernardus
in ſerm. 44. in paruis, octo ſpecies vnitatis
recenſeat, videlicèt naturalem, carnalem,
virtualem, moralem, ſpiritualem, ſocialem,
& principalem: vt ibi per eum, & licèt
Archidiaconus noſter in cap. recurrat 32.
quæſt. 4. recenſeat triplicem vnitatem Ec-
cleſiæ, nos tamen hìc de vnitate fidei prin-
cipaliter agere intendimus, per quam in-
tra hoc ouile conſeruamur, non quòd illa
ſufficiat ad iuſtificationem conſequendam,
quia ad hoc neceſſaria eſt vnitas gratiæ, &
charitatis cum vnitate fidei, ſed quia vni-
tas fidei Catholicæ intrà hoc ouile nos
conſeruabit iuxtà inſtitutum, quod in hoc
libello prætendimus. Hanc igitur vnita-
tem Eccleſiæ deſignauit in primis, teſte
Clemente Quinto. in Clement. prima de
2 ſumma Trinit. hiſtoria illa Geneſ. 2. Sicut
enim de latere primi hominis ſoporati for-
mata eſt vnica Eua ſibi in coniugiũ. ſic di-
cit Clemens, de Chriſti latere profluentibus
aqua, & ſanguine formata eſt vnica, & im-
maculata ſancta mater Eccleſia coniux
Chriſti, & Auguſtinus de ciuitate Dei, li-
bro 12. cap. 21. dicebat, quòd ideò Deus
formauerat Euam ex coſta Adæ, vt intelli-
gerent debere ambos viuere in vno, & ama-
re ſe vt vnum, & Theodoretus ſuper Ge-
neſim dixit, quòd ideò ab vno Adam fuit
noſtra generatio, & principium, vt vnitas
facilius nobis perſuaderetur, & in tantum
Deo placuit vnitas hæc, quòd Moyſes,
quando Geneſeos primo recenſet opera,
quæ Dominus fecerat primo, tertio, quar-
to, quinto, & ſexto diebus, de ſingulis di-
xit, & addidit, & vidit Deus, quòd eſſet
bonum, de opere autem in ſecundo die
confecto non repetijt verbum illud, & vi-
dit Deus, quòd eſſet bonum, quia opus il-
lud duplicem numerum continebat, vt ele-
ganter ponderat Hieronymus lib. 1. contra
Iouinianum, & apud nos in cap. nuptiæ 32.
quæſt. 1.

Hanc etiam vnitatem ſignificauit vni-
3 ca archa Noe per aquam diluuij ad ſubli-
miora ſublata, Geneſeos 6. & 8. vt ſicut re-
gnante diluuio, perierunt omnes, qui extrà
illam archam inuenti fuerunt, credamus, &
perituros eos, qui extrà ſanctam Eccle-
ſiam, & catholicam fidelium collectionem
reperientur, & quando Deus de agni ho-
ſtia comedẽda præcepit Iſraelitis Exod. 12.
4 In vna, inquit, domo comedetis, & non
afferetis de carnibus eius extrà fores, vt per
beatum Gregorium in cap. quia ea ſola,
24. quæſt. 1. has duas hiſtorias ad Eccleſiæ
vnitatem ponderantem, & per beatum Hie-
ronymum ſimiliter in cap. quoniam vetus
24. quæſt. 1. & ſic vnitatem Eccleſiæ vnica
Eua, vnica archa Noe, & vnica domus ad
agni comeſtionem deſignata deſignauit
auctoritate iſtorum Patrum, & Salomon 6.
Canticorum dicebat de Eccleſia, vna eſt co-
5 lumba mea, vna eſt perfecta mea, vna eſt
Matri ſuæ electa genitrici ſuæ, de qua eo-
dem capite paulò anteà dixerat, terribilis,
vt caſtrorum acies ordinata, quia ſi vnum
ducem non agnoſcat, & in vnitate non
permaneat, inordinata profectò ſemper
erit, & confuſa dicetur, quam Cantico-
6 rum auctoritatem ad Eccleſiam applica-
tam inuenies per Cyprianum in cap. loqui-
tur, 24. quæſt. 1. & per Hieronym. in cap.
omnibus, & per Pelagium Papam in cap.
pudenda, eadem cauſa, & quæſt. & per Au-
guſt. in cap. aliud, de conſecr. diſt. 4. vbi
dicit, per hanc ſtat vnitas Eccleſiæ, quæ
ſignificatur in columba, de qua dictum eſt
Canticor. 6. Vna eſt columba mea, & me-
ritò Eccleſia comparatur columbæ, ſicut,
& oui, quia fideles intra eam exiſtentes de-
bent totis viribus laborare, vt ſint inno-
centes, & miſericordes, ſicut columba in-
fellita, & immaculata, quæ & nobis ſimpli-
citatem oſtendit, cap. ex merito 6. qu. 1. &
cap. ſi cupis 16. qu. 1. & gemendo à mole-
ſtijs quærit volare, vt iuſtus diſcat velle eſ-
ſe cum Chriſto, cap. aduerſitas 7. quæſt. 1.
propterea Dauid poſtulabat pennas colum-
bæ dicens. Pſal. 54. Quis dabit mihi pen-
nas ſicut columbæ, & volabo, & requie-
ſcam. Et ideò legimus Spiritum ſanctum
in figura columbæ apparuiſſe, Ioann. 1. &
dicto cap. aliud, & regius Propheta, ad
hanc vnitatem alludens dicebat Pſal. 132.
Ecce quàm bonum, & quam iucundum
habitare fratres in vnum, & Pſal. 67. Deus
qui habitare facit vnanimes in domo, &
Pſalm. 125. Hieruſalem, quæ ædificatur vt
7 ciuitas, ideſt ciuium vnitas, cuius parti-
cipatio eius in idipſum, & Pſalm. 105. Sal-
uos nos fac Domine, & congrega nos de
nationibus, & Pſalm. 106. dicant, Qui re-
dempti ſunt à Domino, quos redemit de
manu inimici, & de regionibus congrega-
uit eos, & Pſalm. 73. Vt quid Deus repu-
liſti in finem, iratus eſt furor tuus ſuper oues
paſcuæ tuæ, memor eſto congregationis
tuæ, quam poſſediſti ab initio; quæ verba
ponderanda ſunt pro antiquitate iſtius ſan-
ctę vnitatis, vt capite præcedenti dicebam,
& Pſal. 77. Et ædificauit ſicut vnicornium
ſanctificium ſuum ſuper terram, quam
fundauit in ſecula, ſed inter alias Pſalmo-
rum actoritates pondera quid Regius Pro-
pheta in perſona Chriſti oret Pſalm. 21.
Erue à framea Deus animam meam, & de
manu canis vnicam meam, quem verſum
eleganter Bonifacius Papa ad hanc Eccle-
ſiæ vnitatem retulit in extrauag. vnam
ſanctam de maiorit. & obed. dicens, Ora-
uit enim Chriſtus in illis verbis pro anima
ſua, ideſt pro ſeipſo, capite ſimul, & cor-
pore, quod corpus vnicam meam nomi-
nauit, ideſt Eccleſiam, vide etiam quid
Eſaia 45. dicat, Dicit Dominus congre-

gami-

gamini, venite & accedite ſimul, qui ſal-
uati eſtis, & cap. 52. Et præcedit Deus, &
congregabit vos,& cap.55. Deus, qui con-
gregat diſperſos Iſrael, & 1. Eſdræ 3. & 2.
Eſdræ 8. Ad audiendam legem, & ſacrifi-
candum Deo ponderat Scriptura, quòd
congregatus eſt omnis populus quaſi vir
vnus deſignando vnitatem in obſeruatione
legis, & ſacrificij neceſſariam, & Iudi-
cum 20. Congregatus fuit populus quaſi vir
vnus, & vnius ſermone reſpondit, & Nee-
mias 2. Machabeorum 1. Orabat Domi-
num dicens, Congrega diſperſionem no-
ſtram, & Eccleſiaſtici 25. dicebat Sapien-
tia, in tribus beneplacitum eſt ſpiritui
meo, quæ ſunt probata coram Deo, & ho-
minibus, concordia ſcilicet fratrum, amor
proximorum, & vir, & mulier ſibi benè
conſentientes, & ſi vltrà auctoritates re-
latas voluerimus hanc vnitatem, & eius
vtilitatem in principijs iuris naturalis,
& experientiæ fundare videatur, obſe-
cro.

Albertus Pighius lib. 2. ſuæ Eccleſia-
ſticæ Hierarchiæ cap. 2. vbi rationibus na-
turalis, & Diuini iuris comprobat, quaſi
per omnes naturæ partes diſcurrens, quan-
8 tum omnia mundi entia ad ſui conſerua-
tionem appetant vnitatem, & vltrà cum
nota, quòd reſte Auguſtino in capit. hæc
imago trigeſimatertia quæſt.6. Vnitas iſta
repræſentat in nobis Dei ſimilitudinem, vt
ſicut à Deo omnes per creationem, ſic ab
vno homine Adam per propagationem in
carne deriuemur, ex quibus auctoritatibus
ſupra citatis intelliges quantum Deus di-
lexerit ſemper vnitatem, & ſatis apertè
demonſtrat proprietas vocabuli, quo in
Lege veteri vtebantur, ſynagogam enim,
quæ latinè ſonat congregatio, appellabant
ſuorum fidelium collectionem, congrega-
tio autem nihil eſt, niſi multorum in ali-
quid vnum vnitas, & conuentus.

Ex eo igitur vocabulo comprehende-
mus vnitatem Deo dilectiſſimam per fide-
les in Lege veteri, & iuxtà eius præcepta
fuiſſe obſeruatam in ijs, quæ ad Deum, &
9 ritum colendi pertinebant, & ſciſſuras, ac
diuiſiones vehementer puniuit Dominus
in Teſtamento veteri, vt eſt videre 3. Re-
gum 12. & 13. quemadmodùm ponderat
Cyprianus in cap. denique, 7. quæſt. 1. cp. 6.
ad Magnum, dicens denique, quàm ſit in-
ſeparabile vnitatis Sacramentum, & quàm
ſine ſpe ſint, & perditionem ſibi maximam
de indignatione Dei acquirant, qui ſchiſ-
ma faciunt, declarat Scriptura diuina in li-
bris Regum, vbi à Tribu Iuda, & Benia-
min decem Tribus ſciſſæ ſunt, & indigna-
tus eſt, inquit, Dominus omni ſemini
Iſrael, & demoliuit eos, & dedit eus in di-
reptionem, donec abijceret eos à facie ſua,
quia diſſipatus eſt Iſrael à domo Dauid, &
conſtituerunt Regem ſibi Hieroboam, in-
dignatum eſſe, dixit, Dominum, quia ab
vnitate antiqua diſſipati fuiſſent, & non
obſtante, quòd Roboam Rex fecit malum
coram Domino, 2. Paralyponienon 12.
indignatus eſt Dominus contra decem
tribus, quia ſe ab eius obedientia ſubtra-
xerant, & pondera, catholice lector, quòd
plures fuerunt diſſipati, quàm in vnione
permanentes.

Decem enim tribus ſeparatunt ſe, &
duæ vnitatem conſeruarunt, vt non turbe-
ris, etiam ſi videas plures eſſe diuiſos, &
hæreticos, quàm catholicos, ſemper enim
fuerunt plures mali, quàm boni in mundo,
ſicut in arbore plura ſunt folia, quã fructus,
& plures ſunt vocati, pauci verò electi, & vt
ad inſtitutum redeamus tanta indignatio
Domini fuit, & eſt aduerſùs eos, qui ſe
ab vnitate ſeparant, vt etiam homo Dei,
3. Regum 13. qui miſſus erat ad exprobain-
dum hoc peccatum, prohiberetur in terra
illa comedere panem, & aquam bibere.
Et quia hoc non cuſtodiuit, diuina cenſura
percuſſus eſt morſu leonis, & in itinere oc-
ciſus.

Refert etiam Cyprianus ibidem hiſto-
riam Numeris 16. de Chore, Dathan, &
Abyron, quos propter ſimilem ſciſſuram
ab vnitate, quæ erat ſub Aaron, terra vi-
uos abſorpſit quo genere mortis nullum
crudeliùs fuiſſe refert Plutarchus apud Ro-
manos, qui ſic Veſtales Virgines pro deli-
ctis puniebant, vt refert Viues in additio-
nibus ad Auguſtinum libro 3. de ciuitate
Dei cap.5.

Conſideremus etiam hiſtoriam Gene-
ſeos 11. quia quando terra erat labij vnius,
& ſermonum eorumdem placebat Deo, ſed
in pœnam ſuperbi ædificij, quod molie-
bantur gigantes, deſcendit Dominus, vt
confunderet linguam eorum, ità vt vnuſ-
quiſque non audiret vocem proximi ſui, vt
10 ibi ponderat Scriptura, & ideò Beda Mar-
ci 5. eleganter dicebat, benè in Babylonis
cõſtructione linguarum vnitas per ſpiritum
ſuperbiæ ſciſſa eſt, & in Hieroſolyma per
gratiam ſancti Spiritus linguarum varietas
eſt adunata, & benè illa confuſio, hæc viſio
pacis interpretatur, quia videlicet electos
in pluribus linguis, & gentibus vna fides,
ac pietas toto Orbe pacificandos confir-
mat, reprobos autem plures ſectæ, quàm
linguæ diſſociando confundunt, & Oſeç 13.
legitur, quòd diaboli, & inferni eſt inter
fratres diuidere, Dominus autem ædifi-
cans Hieruſalem, id eſt iſtam ciuium vni-
tatem, & viſionem pacis, diſperſiones Iſrae-
lis congregabit, Pſalm. 146. & Pſalm. 101.
dicitur: Vt annuncient in Sion nomen Do-
11 mini, & laudem eius in Hieruſalem, in
conueniendo populus in vnum, & reges vt
ſeruiant Domino. Paueat ergo, qui in Ec-
cleſia Dei, quæ ſemper vna fuit, ſciſſuram
tentat inducere, & diſpergere congregatos
in Domino.

CAP. IX.

De varijs noui Teſtamenti auctoritatibus hanc ouilis vnitatem comprobantibus.

SVMMARIVM.

1 *Chriſtus intensè, & enixè pro hac vnitate Patrem orauit, & cum magna verbo-*

rum repetitione, vt ſint vnum dicendo.
2 *Chriſtus quaſi dolens lamentabatur de hac vnitate non ſeruata dicens, Hieruſalem Hieruſalem quoties volui congregare, &c.*
3 *Chriſtus ſeipſum in premium promittit ſeruantibus hanc vnitatem dicens, ibi ego ſum in medio eorum.*
4 *Liberalitas ſingularis eſt, vbi donator venit in donum, & datum eſt idem penitùs cum datore.*
5 *Pacem vnitatis germanam ſæpiùs Chriſtus in Euangelio commendauit.*
6 *Chriſtus laborauit vſque ad mortem pro hac vnitate.*
7 *Vnitatem hanc deſignauit tunica Chriſti inconſutilis deſuper contexta per totum.*
8 *Chriſtus congregatis in vnum apparuit poſt Reſurrectionem, & Spiritus ſanctus ſuper congregatos in vnum deſcendit.*
9 *Apoſtoli docuerunt nos hanc vnitatem varijs exemplis.*
10 *Paulus in epiſtolis ſuis deprecans nos humilibus verbis, & quaſi inferiorem ſe nobis conſtituens poſtulat à nobis pro nobis hanc vnitatem docens nos eam conſeruare.*
11 *Vnitatem nihil eſt, quod magis offendat, quàm obliuiſci Prælatorum noſtrorum per inobedientiam, & audire nouas, & peregrinas doctrinas.*
12 *Vnitas hæc tamquam articulus fidei fuit explicata in Symbolo, & ex quatuor ſignis Eccleſiæ potiſſimùm eſt eſſe vnam.*
13 *Ordo literæ, & ſcripturæ facit primò nominatum præſumi magis dilectum.*
14 *Vnitas eſt præcipua dos Eccleſiæ.*

QVantum in Lege noua Chriſtus Dominus noſter commendauerit hanc vnitatem, facilè intelliget, qui legerit Ioann.17. vbi patrem orans pro hac vnitate,
1 ſic ait, Pater ſancte ſerua in nomine tuo
cos, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos, & paulò inferiùs: Non pro eis tantùm rogo, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum ſint, ſicut & tu pater in me, Et ego in te, & vt ipſi in nobis vnum ſint, & credat mundus, quia tu me miſiſti, & ego charitatem, quam tu dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus, ego in eis, & tu in me, vt ſint conſumati in vnum, pondera obſecro, catholice lector, quàm intensè, & enixè Chriſtus Patrem orauerit pro hac vnitate, & quotiens in prædicta oratione repetierit verba illa, vt ſint vnum, ſicut & nos, & cum illa dictione, ſicut, quæ eſt, teſte Alberico in dictionario, aliquando plusquàm ſimilitudinaria, & licèt hic non poſſit denotare omnimodam ſimilitudinem, ſicut nec in illis verbis Matthæi 5. [illegible]te perfecti, ſicut & pater veſter, qui in [illegible] is eſt, iuxtà gloſ. in l.cuſtodiam, ff. de [illegible]o rei venditæ, vbi allegat illud Mat[illegible] tamen ex tanta repetitione illorum verborum, vt ſint vnum, & toties geminando dictionem, ſicut denotatur, quàm [illegible]cè Chriſtus diligat hanc vnitatem ouium [illegible]rum, neque enim ob aliam cauſam cre[illegible]bes repetita toties illa verba, niſi [illegible] ſalus noſtra ab hac vnitate ſumit exordium, ſuper hac vnitate; etiam ſi piè vis
2 contemplari, quaſi dolens lamentabatur
Matth.23. dicens, Hieruſalem Hieruſalem
3 quoties volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas, & noluiſti. Inſuper, qui patrem orabat pro hac vnitate, & qui quaſi ſuper ea non ſeruata dolebat, vide, quid ſeruantibus eam promittat in præmium. Ait enim Matth.18. ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re, quam petierint, fiet vobis, vbi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum.

O vnitas ineſtimabilis, pro qua non ſolùm Chriſtus orat, & lamentatur, ſed & ſeipſum promittit in præmium ſeruantibus, illam, non vtcumque, nec vbicumque, ſed in medio ipſorum, inquit, ſum, O ſingularis, & admiranda liberalitas, vbi donator venit in donum, & datum eſt idem pœnitùs cum datore, quàm larga, & pro-
4 diga largitas, cum tribuit quis ſeipſum, vt
verbis Vrbani Papæ vtar in Clem. ſi Dominum, de reliquijs, & veneratione Sanctorum, licèt ad propoſitum Sacramenti Euchariſtiæ dicta fuerint. Confundantur ergo, & auertantur retrorſùm, qui nouos errores ſuſcitant diſtinctos, & diſſonantes ab illa vnitate, quam ſemper ſequuta eſt vniuerſalis Eccleſia cernentes quantum Chriſtus dilexerit vnitatem.

Aduertamus etiam, quando Chriſtus ad Cœlos parabat aſcenſum, quomodo
5 pacem vnitatis noſtræ germanam Diſcipu-
lis commendauerit dicens multoties, pax vobis, pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Ioannis XII. tranſumptiuè in cap. niſi bella 23.quæſt.1. vide etiam Ioannis X. quantum ſuper hac vnitate laborauerit, dicens: Et ego animam
6 meam pono pro ouibus meis, & alias oues
habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus Paſtor, à quibus vltimis verbis tractatus iſte titulum, & nomen aſſumpſit.

Hoc etiam prophetauit, & Cayphas, quamuis malus, quia tamen erat Pontifex anni illius teſtante Ioanne cap. 11. Euangelij, quando dixit: expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo, dicit enim Euangeliſta: Hoc tamen ex ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet Pontifex anni illius, prophetauit, quia Ieſus erat moriturus pro gente, & non tantùm pro gente, ſed vt Filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum.

Hanc etiam vnitatem deſignauit tunica illa Chriſti inconſutilis, deſuper contexta per totum, Ioannis 19. vt ponderat
7 Hieronymus in cap. quoniam, 24.quæſt.1.
& Paſcalis Papa in cap. ſicut, 16. quæſt. 7. dicens: ſicut Domini veſtimentum ſciſſum non eſt, ità nec Eccleſia ſcindi debet, & per Bonifacium Papam in extrauag. vnam ſanctam de maiorit. & obedient. & Auguſtinum Ioann.19. & in epiſtola ad Seuerinum, & Cyprianum in epiſtola de vnitate Eccleſiæ.

Hanc etiam vnitatis dilectionem oſtendit, quando poſt Reſurrectionem, Ioannis

nis

Digitized by Google

nis 20. apparuit Diſcipulis congregatis in
vnum dicens: pax vobis, & accipite Spiri-
8 tum ſanctum, &c. nec Thomæ Apoſtolo ab
eis ſeparato voluit apparere, donec cum
alijs eum congregatum inuenit, & in die
Pentecoſtes Actuum 9. non deſcendit Spi-
ritus ſanctus ſupra Diſcipulos, niſi quando
erant omnes pariter in eodem loco, vnde
Alexander Papa eleganter dicebat in cap.
audiuimus. 24. quæſt. 1. non niſi congrega-
tis in vnum dictum eſt: accipite Spiritum
ſanctum, nec niſi ſuper cõgregatos in vnum
deſcendit Spiritus ſanctus in die Penteco-
9 ſtes. Hanc etiam vnitatis dictionem do-
cuerunt nos Apoſtoli, de quibus dicitur
Actuum 4. multitudinis autem credentium
erat cor vnum, & anima vna, & Actuum 5.
Et erant omnes vnanimiter in eodem loco,
& Actuum 1. Hi omnes erant perſeueran-
tes vnanimiter in oratione cum mulieri-
bus, vnde Auguſtinus ſuper Ioannem ſer-
mone 24. & in libro de vera pœnitentia,
Spiritus ſanctus multas animas facit vnam
animam, & plura corda vnum cor, ſuper hac
10 ſimiliter vnitate audi vas illud electionis
beatum Paulum in diuerſis epiſtolis loquẽ-
tem, & eam, ſupra quam dici poteſt, com-
mendantem, qui ad Ephæſios 4. ſic depre-
catur nos. Obſecro itàque vos, vt dignè
ambuletis ſolliciti ſeruare vnitatem in vin-
culo pacis, vnum corpus, & vnus ſpiritus,
Sicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis ve-
ſtre, vnus Dominus, vna Fides, vnum Bap-
tiſma, vnus Deus, & Pater omnium.

Pondera hìc terque, quaterque repiti-
tam, & commendatam vnitatem, & ad Phi-
lippenſes 2. vide, quibus verbis tam humili-
bus poſtulat à nobis pro nobis hanc vnita-
tem dicens: ſi qua ergo conſolatio in Chri-
ſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi quę ſo-
cietas ſpiritus, ſi quę viſcera miſericordiæ,
ſeu miſerationis: Implete gaudium meum,
vt idem ſapiatis eandem charitatem haben-
tes vnanimes id ipſum ſentientes. ponde-
ra, obſecro, ſingula iſta deprecatoria ver-
ba, & vim illorum, vt intelligas, quibus
precibus, qua humilitate quaſi ſe nobis in-
feriorem conſtituens, qua denique verbo-
rum exageratione poſtulet à nobis, vt intrà
vnitatem maneamus immobiles, & primo
ad Corinth. 12. Etenim in vno ſpiritu om-
nes nos in vnum corpus baptizati ſumus,
& paulò inferiùs, non ſit ſchiſma in corpo-
re, ſed in ipſum pro inuicem ſollicita ſint
membra. Et idem, vos eſtis corpus Chriſti,
& membra de membro, & ad Romanos 12.
multi vnum corpus in Chriſto ſumus, &
ſtatim addit, id ipſum inuicem ſentientes.
Et ad Philippenſes 1. Euangelio inquit, di-
gnè conuerſamini, vt ſiue cum venero, &
videro vos, ſiue abſens audiam de vobis,
quia ſtatis in vno ſpiritu vnanimes, & ad
Philippenſes 3. Idem ſapiamus, & in eadem
permaneamus regula, & 1. ad Corinth. 1.
deprecatur nos pro eadem vnitate, ſic di-
cens: obſecro autem vos fratres per nomen
Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum di-
catis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata,
ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in
eadem ſcientia, & 2. ad Corinthios 13. Id
ipſum ſapite, & pacem habete, & Deus di-
lectionis, & pacis erit vobiſcum.

Vide etiam, quibus quaſi præſidijs, &
muris doceat nos conſeruare hanc vnita-
tem, qui ad Hebræos 13. poſtquam dixe-
rat, charitas fraternitatis maneat vobiſcum,
paulò inferiùs dicit: mementote Præpoſi-
torum veſtrorum, qui vobis loquuti ſunt
Verbum Dei, quorum intuentes exitum
conuerſationis, imitamini fidem, doctrinis
varijs, & peregrinis nolite abduci.

Nam profectò ſi rectè conſideramus,
11 nihil eſt, quod magis hanc vnitatem of-
fendat, quàm præpoſitorum noſtrorum, qui
nobis loquuntur Verbum Dei, obliuiſci per
inobedientiam, & contemptum, & audire
nouas, varias, & peregrinas doctrinas pro
vnius cuiuſcumque libito, & libidine ima-
ginatas, abſque approbatione Sedis Apo-
ſtolicæ, & eorum, qui vices ipſius gerunt in
vnaquaque Prouincia. Et ad Timotheum
primæ vltimo, ò Timothee depoſitum cu-
ſtodi, deuitans prophanas vocum nouita-
tes, & appoſitiones falſi nominis ſcientiæ,
quam quidam promittentes, circa fidem
exciderunt, & 2. ad Thimotheum 3. Tu verò
permane in his, quæ didiciſti, & ad Titum
cap. fin. admone illos Principibus, & Pote-
ſtatibus ſubditos eſſe, ſtultas autem quæ-
ſtiones, & pugnas legis deuita, hæreticum
hominem poſt vnam, & ſecundam corre-
ctionem deuita.

Et beatus Iudas Apoſtolus in ſua ca-
nonica, neceſſe habui ſcribere vobis depre-
cans ſuper certari ſemel traditæ ſanctæ fi-
dei, & propterea in vicina Synodo fuit ad-
ditum Symbolo Apoſtolorum verbum il-
12 lud: Et vnam ſanctam Catholicam, & Apo-
ſtolicam Eccleſiam, vt tamquam verum ar-
ticulum fidei credamus, & confiteamur
vnitatem Eccleſiæ, & huius ouilis, quorum
verborum auctoritate dicebat eleganter Pe-
trus à Soto, quem refert Hoſius Cardinalis
in titulo de Catholica Eccleſia in 2. tomo
fol. 481. quòd vnitas eſt ſignum magis cer-
tum Eccleſiæ, quia ex quatuor ſignis, & at-
tributis, quæ ibi dantur, primum eſt vnitas
in ordine ſcripturæ. Ità enim dicitur, & vnã
ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Ec-
cleſiam. Pro qua conſideratione fuit apud
nos, quod dicitur, vt de pluribus nomina-
13 tis in eadem ſcriptura, primo loco nomi-
natum præferendum ſit, 1. quoties ff. de
vſufructu, quem allegat gloſſa in cap. lo-
quitur 24. quæſt. 1. & eſt text. in l. genera-
liter 5. ſi quidem, ff. de fidei comm. liber.
vbi ſi teſtator legat certum pretium pro re-
dimendis duobus ſeruis ab eo nominatis, ſi
pretium non ſufficiat omnibus, redimen-
dus erit primò nominatus tamquam ma-
gis dilectus, vide Dominicum in cap. fin.
de offic. delegat. in 6. Bald. in l. 2. ff. de
vulg. & Felinum in cap. cum dilecta num. 4.
de reſcriptis per illa etiam verba Symboli
dicebat Hoſius in eod. tit. fol. 483. quòd
vnitas eſt præcipua dos Eccleſiæ, nam vt
14 ait Auguſtinus epiſtola 152. qui ab vni-
tate Eccleſiæ diſiungitur, quamuis lauda-
biliter viuat, hoc ſolo ſcelere, quo ſe ab vni-
tate ſegregat, non habebit vitam.

CAP. X.

De diuerſis ſanctorum Patrum doctrinis in commendationem huius tam neceſſariæ vnitatis, & de proprietatibus eius.

SVMMARIVM.

1 *Vnitatis perturbatores varijs pœnis, & crudeliſſimo interitu Dominus percuſſit, fuerunt etiam, qui panem in terra ſchiſmatica comederunt.*

2 *Vnitatem Eccleſiæ, qui non tenet, quiſquis ille ſit, prophanus et hoſtis eſt, nec poteſt habere Deum patrem.*

3 *Diuiſio ab hac vnitate ſceleratior eſt, quàm idololatria, & prophetici libri exuſtio, quia grauiùs fuit à Domino punita.*

4 *Vnus Petrus pro pluribus reſpondit Matthæi 16. vni Chriſto, vt vnitas in omnibus obſeruaretur.*

5 *Vnitas ſocialis eſt forma conuerſationis Angelici, & in rebus creatis nihil gratioſiùs audiri, nec delectabiliùs concupiſci, nec vtiliùs poſsideri ſolet.*

Vnum præponitur multis, quia multa ab vno, non vnum à multis procedunt.

6 *Vnitas, & pax tam firmiſsimo colligatæ ſunt vinculo, vt vna ſine altera, nec diſſolui, nec ſeruari poſsit.*

7 *De vnitate eſſentiæ Dei, etiam apud Philoſophos fuit habita fides; Trinitate penitùs ignorata;*

8 *Vnitatis gloria magna eſt, quæ ab æterno in eſſentia Deitatis collocata eſt.*

9 *Vnus de vno naſcitur, & ſplendor lucis vnus eſt, & vnum eſt verbum cordis, nec in numerum pluralem defluit incorporea generatio, nec comparationem aliquam poteſt habere, quod vnicum eſt.*

10 *Chriſtus, ſicut vno Patre in æterna generatione genitus eſt, ità & in temporali ſecundùm carnem vnica Matre natus eſt ſine alterius coniunctione.*

11 *Naturæ ratio edocet omnem multitudinem ab vno proficiſci, & natura agit in omnibus, quod optimum eſt, & perfectum ſecundùm ſpeciem ſingulorum.*

12 *Vnitas principium eſt omnium rerum, & ei dualitas ſubiecta eſt, & vnitas exordium eſt bonorum, dualitas verò malorum.*

13 *Vnitas in boni portione conſtituitur. Dualitas in parte malorum, & in omnium rerum genere id optimum eſt, quod vnicum, vitioſa verò plurima ſunt, & eſt fons, & origo numerorum.*

14 *Pacis laudes multæ.*

15 *Vnitatem ſi habent decem, vnus illorum non vnus dicitur, ſed decuplus, & eodem modo vnitas de vno facit millenum.*

16 *Mundus eſt maximus omnium viſibilium, ſicut inuiſibilium maximus eſt Deus.*

17 *Mundus ſicut vnus eſt, in quo omnes continentur, ſic Eccleſia vna, in qua omnes fideles comprehendantur.*

18 *Vnicam appellamus rem, quam plurimi æſtimamus, & propterea Romanæ delitiæ nominarunt ab vnitate vnionem gemmam pretioſam raram, & ſingularem, quarum nulli duo in chonchis reperiuntur.*

19 *Sapientia, cùm ſit vna, omnia poteſt.*

20 *Vnum aliquid ſatiùs eſt, inſigniter facere, quàm plura mediocriter.*

21 *Vnum omnium naturam volens conſtituere Deus, ab vno creaturæ principio incæpit, ideò non duo viri, nec vir, & mulier à principio, ſed vnus tantùm vir creatus fuit.*

22 *Chriſtus initium ſignorum, quæ fecit, ad vnitatis miraculum retulit.*

QVamquam vnitas hæc tot ſacræ Scripturæ auctoritatibus comprobata, vlteriori confirmatione non indigeat, tamen ad conſolationem Chriſtiani, & Catholici Lectoris viſum eſt mihi hoc capite aliquas ſanctorum Patrum auctoritates referre, vt cognito quantum ſancti iſti Martyres, & Confeſſores huic vnitati detulerint, perſeueremus in ea, credentes magis doctrinæ vitæ, & ſanctitati eorum, quàm ſuperbiæ, temeritati, & libidini reproborum, & diſcolarum, qui vt ſuis voluptatibus ſubſeruirent, nudiùs tertiùs nouas ſciſſuras, & noua phantaſmata in populo fabricarunt.

1 In primis, vt de beato Cypriano loquamur, vide canonem eius, qui incipit denique 7. quæſt. 1. cuius verba retuli ſupra cap. 6. ad finem, vbi ponderat pœnas populi Iſraelitici, eò quòd ſe ab vnitate ſeparauerit, & mortem illius Prophetæ, qui panem manducauerat in terra illa ſchiſmatica, & ab antiqua vnitate diuiſa, refert etiam crudeliſſimum interitum Chore, Dathan, & Abyron, eò quòd ſe ab vnitate ſacerdotis Aaron diuiſerant, tranſgredientes officium ſuum, vide etiam eundem beatum Martyrem in cap. Nouatianus, & in cap. factus eadem cauſa, & quæſt. vbi dicit, qui ergo nec vnitatem ſpiritus, nec coniunctionem pacis obſeruat, & ſe ab Eccleſiæ vinculo ſeparat, nec vnitatem vult habere, nec pacem.

Et qui Eccleſiæ non tenet vnitatem,
2 quiſquis ille fuerit, de ſe multùm iactans, & plurimùm ſibi vendicans, prophanus eſt, alienus eſt, foris eſt, & adulter eſt, cùm ſit à Chriſto vna Eccleſia per totum Mundum in multa membra diuiſa. Et idem ſanctus in cap. alienus eſt 24. quæſt. 1. dixit, & addidit, alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt, habere non poteſt Deum Patrem, qui vniuerſalis Eccleſiæ non tenet vnitatem. Et cùm Dominus vnanimitatem diſcipulis ſuaderet in illis verbis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint, &c. Oſtendit non multitudini, ſed vnanimitati deprecantium plurimùm tribui, quomodo enim poteſt ipſe
3 cum aliquo conuenire, qui cum corpore ipſius Eccleſiæ, & cum vniuerſa fraternitate non conuenit.

Et idem ſanctus in cap. loquitur 24. quæſt. 1. ſic ait, loquitur Dominus ad Petrum. [Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.] Super vnum, inquit Cyprianus

nus ædificat Eccleſiam, vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem auctoritate ſua diſpoſuit, & exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia Chriſti vna eſſe monſtretur, & paulò inferiùs, quàm vnitatem tenere firmiter, & vendicare debemus, maximè nos ipſi, qui in Eccleſia Dei præſidemus, vt Epiſcopatum quoque ipſum vnum, & indiuiſum eſſe probemus, nemo fraternitatem fallat, Epiſcopatus vnus eſt in Eccleſia, vna eſt, quæ in multitudine latiùs incremento fœcunditatis extenditur, quomodo multi radij ſunt, ſed vnum lumen, & rami arboris multi ſunt, ſed vnum robur tenaci radice fundatum. Et quomodo de fonte vno riui plurimi defluunt, & numeroſitas licèt diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen integra ſeruatur in origine, auelle radium Solis à corpore, diuiſionem vnitas non capit, ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit, à fonte præſcinde riuum, præſciſſus areſcet.

Sic & Eccleſia Per totum Orbem diffuſa Domini luce radios ſuos porrigit, vnum tamen eſt, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur, vnum caput eſt, & vna origo, & vna mater copioſæ fœcunditatis, adulterari non poteſt Sponſa Chriſti, incorrupta eſt, & pudica, vnam domum nouit, vnius cubiculi ſanctitatem in caſto pudore cuſtodit, hæc nos Deo ſeruat, hæc filios Regno, quos generauit aſſignat, quiſquis ab Eccleſia ſegregatur, adulteræ iungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur, nec pertinet ad Chriſti præmia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti, alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt, habere non poteſt Deum patrem, qui non habet Eccleſiam matrem, ſi potuit euadere, qui extrà Arcam Noe fuit, & qui extrà Eccleſiam foris fuerit euadet, monet Dominus, & dicit, qui non eſt mecum, aduersùs me eſt, & qui non mecum colligit, ſpargit, qui pacem Chriſti, & concordiam rumpit, aduersùs Chriſtum facit, qui alios præter Eccleſiam colligit, Chriſti Eccleſiam ſpargit, dixit Dominus, Ego & Pater vnum ſumus, & iterùm de Patre, & Filio, & Spiritu ſancto hi tres vnum ſunt, & quiſquis credit hanc vnitatem de diuina firmitate venientem, ſacramentis cœleſtibus cohærentem ſcindi in Eccleſia poſſe, & voluntatem colligentium diuortio ſeparari, hanc vnitatem non tenet, Dei legem non tenet, Patris, & Filij vitam non tenet, nec ſalutem, hæc Cyprianus martyr, cuius verba non potui non tranſcribere, quia eleganter in eis noſtram comprobat vnitatem, vide etiam eumdem Cyprianum in cap. neque ad Cayn. 90. diſt. vbi ait. Neque ad Cayn, neque ad munera eius reſpexit Deus, neque enim placatum Deum habere poterat, qui cum fratre pacem non habebat, ſic hi, qui extrà Eccleſiam colliguntur, opinantur ſecum eſſe Chriſtum, cùm collecti fuerint, tales etiam ſi occiſi in confeſſione nominis Chriſti fuerint, macula iſta, nec ſanguine abluitur, nec paſſione purgatur.

Ponderemus ergo verba ſancti martyris, & paueamus pœnas, quas nobis minatur, fugientes nouitates, & illuſiones iſtorum, qui à tam ſancta, & antiqua vnitate recedunt. Patres etiam Concilij Toletani in cap. nihil 1. quæſt. 1. dicebant, cùm ſimus omnes vnum in Chriſto, nihil contrarium perſonarum diuerſitas format, vbi efficaciam proſperitatis vnitas fidei repræſentat, & Aug. in cap. quia paſſus de conſecrat. diſtinct. 2. dicebat ad Cathecumenos. Ecce quod accepiſtis, quomodo ergo vnum eſt, quod factum eſt, ſic & vos vnum eſtote diligentes vos, tenentes vnam fidem, vnam ſpem, & indiuiduam charitatem; quia hæretici, quando hoc accipiunt teſtimonium, contra ſe accipiunt, quærunt enim diuiſionem, cùm panis iſte indicet vnitatem, vide ea, quæ ſupra capite ſecundo retulimus. Beatus etiam Hieron. in cap. non afferamus 24. quæſt. 1. ait, tempore, quo Dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cauenda monſtrauit, idolum fabricatum, atque adoratum eſt, propheticus liber ira Regis contemptoris incenſus, & ſchiſma tentatum, ſed idololatria gladio punita eſt, exuſtio libri bellica cede, & peregrina captiuitate, ſchiſma autem hiatu terræ, ſepultis auctoribus viuis, & cæteris cœleſti igne conſumptis, quis iam dubitauerit hoc eſſe ſceleratiùs commiſſum, quod eſt grauiùs vindicatum? Hæc Hieronymus, qua doctrina inſtruimur ſceleratiorem eſſe ſciſſuram ab hac ſancta vnitate, quàm ſit idololatria, & prophetici libri combuſtio: vide etiam eumdem Hieronymum in cap. quoniam Ambroſium, cap. aduocauit Gregorium In cap. quia ex ſola: Bedam in cap. omnis, & alios ſanctos Patres in diuerſis canonibus 24. quæſt. 1. quorum verba tranſcribere timor prolixitatis, & moleſtiæ lectori futuræ perturbat, ſed gloſſam ordinariam Matth. 16. tacere non
poſſum, quæ ſuper illis verbis reſpondens
4 Simon Petrus, &c. ſic ait, vnus reſpondet,
& vni reſpondetur, vt in omnibus vnitas
obſeruetur, & Caſſiodorus ſuper Pſalmos
5 dicebat habeatis vnitatem in vinculo pa-
cis: Nec enim inueniri poteſt forma expreſſior conuerſationis Angelicæ, quàm vnitas ſocialis, & Auguſtinus de Ciuitate Dei libro decimonono in cap. 11. quem refert Guillelmus Benedictus in capit. Raynuntius, verbo mortuo itaque teſtatore, el primo numero 218. de teſtamentis, Tale bonum eſt bonum vnitatis, & pacis, vt in rebus creatis nihil gratioſiùs ſoleat audiri, nihil delectabiliùs concupiſci, & nihil veiliùs poſſideri.

Sicut enim ſpiritus humanus numquam viuificat, niſi membra ſimul vnita. ſic Spiritus ſanctus numquam viuificat Eccleſiæ membra, niſi fuerint in pace vnita. Sed ſuper omnia hæc, quamuis optimè, & multùm eleganter fuerint à ſanctis Patribus iſtis conſiderata, audi ſanctam temeritatem beati Hilarij libro ſexto de Trinitate loquentis de iſta vnitate ad Deum, & de ijs, quæ à ſanctis Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus ab antiquo tempore edoctus fuerat, qui dicebat. His immedicabiliter imbutus ſum, ignoſce omnipotens Deus, quia in his commori poſſum, emendari non

poſ-

poſſum. O diuinam,& humilem audaciam. O propoſitionem ſuperbam, & obediētem, Dei poteſtati quaſi reſiſtentem, & ipſi Deo ſimul obedientiſſimam, Deo enim, & miniſtris Dei ſe obedire promittit, & ſimul Deo, ideſt qui falſo nomine Dei contraria imperet, vſque ad mortem reſiſtere profitetur tam ſanctis præceptis, & doctrinis immedicabiliter imbutus, & vnitatis amore inebriatus, cuius vnitatis ardore vtinam omnes inebriaremur.

Pondera etiam verba Richardi, quæ ſupra retuli capite ſexto ad finem ibi, Domine ſi error eſt, à te ipſo decepti ſumus, & reliqua, quæ ad hoc propoſitum ibi adducit. Conſeruemus ergo hanc ſanctam vnitatem Deo placentem, & quam Patres noſtri annunciauerunt nobis ex vtriuſque diuini teſtamenti auctoritatibus collectam, de qua dicebat Auguſtinus ſuper illis verbis Lucæ 10. porrò vnum eſt neceſſarium, & Maria optimam partem elegit, vnde meliorem? quia Marta circa multa, Maria verò circa vnum, & præponitur vnum multis, non enim à multis vnum, ſed multa ab vno, & paulò inferiùs, tranſit labor multitudinis, & remanet charitas vnitatis, vide etiam in commendationem vnitatis orationem habitam in Concilio Lateranenſi ſeſſione 5. ſub Iulio Papa II. in 4. tomo Conciliorum, vbi inter cætera dicitur, neque enim ſeruari iuſtitia poteſt, niſi & iuſtitiæ vnitas, & vnitati concordia copuletur, vbi eleganter probat, nullum Regnum, Ciuitatem, Domum, nauim, congregationem, & cœtum poſſe ſtare, atque permanere diù abſque hac vnitate, tanta eſt enim inquit, inter pacem, & vnitatem neceſſitu-
6 do, & ſocietas, vt cum arctiſſimo, & firmiſſimo colligatæ ſint vinculo, nullo modo vna earum ſine altera diſſolui valeat, aut ſeruari.

Sed attende obſecro ad alias diuinæ noſtræ vnitatis proprietates, & excellentias, ex quibus etiam intelliges, quantum Deus illam amauerit, quantoque ſtudio, & ſollicitudine eam nos conſeruare teneamur. In primis enim vt ab ipſo ſummo Deo, & eius æternitate incipiamus. Con-
7 templari nos oportet, Deum ipſum in eſſentia vnum eſſe, quod apud Chriſtianos, & legis euangelicæ profeſſores probare non oportet, cùm Chriſtus Ioannis 17. vt dixi capite præcedenti, orauerit Patrem pro fidelibus ſuis dicens, vt ſint vnum, ſicut & nos, & Ioannes in ſua Canonica dixerit, tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt, & Geneſeos 18. Abraham tres vidit, & vnum adorauit, quæ omnia citari ſolent ad Trinitatem Perſonarum, & diuinæ eſſentiæ vnitatem comprobandam.

Sed & ex gentilibus Philoſophis, qui Doctores habebantur, teſte Auguſtino libro 4. de Ciuitate Dei cap. 11. & ibi Ludouico Viues in additionibus ad eum, dixerunt, Deum vnum eſſe, qui licèt Trinitatem Perſonarum non credebant, vnitatem tamen eſſentiæ pleno ore fatebantur: vt Ariſtoteles, qui dixit Deus eſt ens vnum, & maximè bonum, & Plato vnum Deum Principem aliorum credidit, vt per eumdem Ludouicum in additionibus ſuis ad Diuum Auguſtinum de Ciuitate Dei cap. primo lib. 5. Macrobius etiam de ſomno Scipionis relatus à Tiraquello de iure primigeniorum, quæſt. 24. dicebat, quòd monas, ideſt vnitas ad ſummum Deum refertur, eiuſque intellectum, & ſequentium rerum, & poteſtatem numero ſequeſtrat, nec in inferiori gradu fruſtrà eam poſt Deum deſideraueris. Et teſte Trimægiſto, quem idem Tiraquellus refert ibi, hæc illa eſt mens, quæ è ſummo nata Deo, vices temporum neſciens, in vno ſemper æuo conſiſtit, & ad animam refertur, quæ aliena à contagione materiæ tantùm ſe auctori ſuo, ac ſibi dedens, ſimplicem ſortita naturam, cum ſe animandæ immenſitati vniuerſitatis infundat, nullum iniјt cum ſua vnitate diuortium.

8 Magna eſt ergo gloria vnitatis, quæ ab æterno in eſſentia Deitatis collocata eſt, quam benè ipſa de ſe ipſa dicere poſſet, quod de ſapientia inquit Salomon Prouerbiorum 8. [Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio, ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret, nondum erant abiſſi, & ego iam concepta eram, & reliqua.] O admiranda, & ineffabilis vnitas, quæ vt proprietas eſſentiæ Dei à multis Gentilibus cognita fuit, Trinitate diuinarum Perſonarum ab eiſdem penitùs ignorata. Contemplare etiam verba Symboli Apoſtolici, & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dominum noſtrum, de quo etiam Paulus ad Epheſ. 4. Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptiſma, vnus Deus, & Pater omnium. Vnus enim Deus Pater vnicum filium Deum generat, & à Patre, & Filio vnicus Spiritus ſanctus procedit. Super quo beatus Cyprianus in expoſitione illius Symboli, & Articuli huius aiebat, per hoc docemur, quod ipſe Chriſtus vnicus filius Dei ſit, &
9 Dominus noſter, vnus enim de vno naſcitur, quia ſplendor vnus eſt lucis, & vnum verbum cordis, nec in numerum pluralem defluit incorporea generatio, nec in diuiſionem cadit, vbi qui generatur, à generante non ſeparatur, vnicus eſt, vt menti ſenſus, vt ſapientia ſapienti, cordi verbum, vt forti virtus.

Et paulò inferiùs, & ideò rectè vnicus dicitur, vnicus enim eò ſolus eſt, quia ſolus natus ſit, nec comparationem aliquam poteſt habere, quod vnicum eſt. Vide, obſecro, Cyprianum ibi. Vnitas ergo incredibilem auctoritatem ſibi acquiſiuit ab eſſentia, generatione, & proceſſione diuina. Quòd ſi ab ea volueris ad temporalem in carne generationem Chriſti Domini noſtri
10 deſcendere, contemplare vnitatem illius, qui vnicum, & ſingularem naſcendi modum, ex vtero Virginis prodiens, & vnitatis amator, elegit, vnam matrem in terris aſſumens ſine patre terreno, ſicut vno patre in æterna generatione genitus eſt ſine alterius commixtione, vſque adeò diligens vnitatem, vt in ſeipſo vnico Chriſto, & in vni-

Google

vnica ſua hipoſtaſi copulauerit diuinam
naturam omnium rerum creatricem cum
natura humana creata, qui iuſtitiam, & mi-
ſericordiam fecit deoſculari, pacem, & vni-
tatem inter eas componens, qui factus eſt
pax noſtra, & fecit vtraque vnum, vt duos
condat in ſemetipſo, in vno homine nouo
ſonens pacem, vt reconciliaret ambos Deo,
per Crucem interficiens inimicitias in ſe-
metipſo, qui pacem euangelizauit his, qui
longè, & his, qui propè, quoniam per ip-
ſum habemus acceſſum in vno Spiritu ad
Patrem, Paulus ad Epheſios 2. qui denique
virginitatem, & maternitatem in ſola vna
Maria ſupra naturæ ordinem vniuit in Or-
be terrarum. Sed vt iam ad terrena, & na-
turalia ipſa conuertamur, vnitatis excellen-
tia per ea, quæ facta ſunt viſibilia, compro-
batur.

Nàm vt dicebat Patricius relatus à
11 à Tiraquello vbi ſupra numero 16. naturæ
ratio edocet omnem multitudinem ab vno
proficiſci: agit enim natura in omnibus,
quod optimum eſt, perſectumque ſecun-
dum ſpeciem ſingulorum, vt Philoſophi
omnes tradunt, reſque ipſa ſatis compro-
bat. Sed vnitas ipſa, quæ à Græcis monas
dicitur, eiuſmodi eſt, vt ex ea omnia fieri,
omniaque iterùm in eam reſolui veteres ſa-
pientes putauerint.

Cuius ſententiæ auctorem Laertius cir-
cà initia librorum, quos de vitis, ſenten-
tijſque Philoſophorum conſcripſit, fuiſſe
tradit Muſeum Athenienſem Eumolpi fi-
12 lium, qui longo interuallo præceſſit Home-
rum. Pithagoras etiam Samius principium
omnium rerum monadem, ideſt vnitatem
dicit, & ei dualitatem ſubiectam eſſe que-
madmodùm, & Plutarchus in libro de do-
gmatis Philoſophorum, & Alexander in
libro de ſucceſſionibus Philoſophorum, &
Laertius in libro de vitis, & ſententijs Phi-
13 loſophorum dicunt, vbi vnitatem bonorum
exordium appellant, dualitatem verò ma-
lorum principium, vnitatis enim natura
iuſcia circumſerentiæ, Cœlo temperiem,
animis virtutem, corporibus ſanitatem,
domibus, & Ciuitatibus pacem, & animo-
rum gignit concordiam: At dualitas di-
uerſa omnia, aeri enim tempeſtatem tri-
buit, animis malitiam, ęgritudines cor-
poribus, Ciuitatibus, & domibus ſeditio-
nes, & diſſidia inducit, omne ſiquidem
malum ex diſpari inoritur voluntate, &
proindè Homerus vnitatis naturam in bo-
ni portione conſtituit, in mali verò duali-
tatem.

Et Pithagoras, vltrà Tiraquellum in
ſuis relationibus, ex parte boni ponebat
vnum, & ex parte mali pluralitatem.

Galenus etiam lib. 2. de ſanitate tuen-
da, licèt falsò à Tiraquello allegetur lib. 6.
ſcriptum reliquit in omnium rerum genere,
quod optimum eſt, id vnicum eſſe, vitioſa
verò plurima eſſe.

Et ideò Plato in timæo omnia produ-
cit ab vno, in philebo omnia vno metitur:
in æpinomi de omnia reducit ad vnum,
vſque adeò Philoſophi etiam gentiles, &
in ſolo lumine naturali ratiocinantes dile-
xerunt vnitatem.

Vide etiam Tiraquellum ibidem, vbi
& à Mathematicis mutuat dignitatem vni-
tatis, quam fontem, & origenem nume-
rorum appellarunt, & initium, ac finem
omnium, vt apud nos Gloſſa ſenſit in §.
Affinitatis inſti de Nuptijs, & in lib. ſi quis
antè ff. de acquirem; poſſe, & ibi Bart. &
Baldus in cap. cum in iure de electione, &
Angelus conſilio 56. quod incipit, quæ
reformatio, & beatus Bernardus lib. 2. de
conſiderat. ad Eugenium, inquit, vbi vni-
tas ibi perfectio, reliqui numeri perfectio-
nem non habent, ſed diuiſionem, receden-
tes ab vnitate.

Boetius etiam dicebat in libris de
conſolatione, quòd vnitas pertinet ad ra-
tionem boni, & quòd omne, quod eſt, tàm
diù erit, quàm diù vnum erit, & tunc de-
ſinet, quando vnum eſſe deſierit, & Origi-
nes homilia 9. ſuper Ezechielem aiebat,
quòd principium malorum eſt multitudo,
ac diuiſio, principium verò bonorum vni-
tas, & à multitudine in vnitatem reductio;
& prout dicebat Gregorius in moralibus
relatus apud nos à Guillelmo Benedicto
in repetitione cap. Raynūtius de teſtamen-
tis verbo, mortuoque teſtatore 1. num. 236.
ſicut noxium eſt, ſi vnitas deſit in bonis, ità
perniciosum eſt, ſi non deſit in malis, per-
uerſos quippè vnitas corroborat, dùm con-
cordat. Et hoc eſt, quod dicebat Domi-
nus Lucæ 12. non veni pacem mittere in
terram, ſed ſeparationem, à malis videli-
cèt.

Et Eſaias 58. diſſolue colligationes
impietatis, & faſciculos deprimentis: Et
inter hoſtes procurare diſcordias, ſapientis
eſt ducis ſecundùm Vegetium de re mili-
tari cap. 10. & Saluſtius in iugurtino, inter
bonos amicitia, cui fauendum eſt, inter ma-
los factio eſt, quæ poſſetemus, diſſolui de-
bet: Vnitas hæc pacem procreat animo-
rum, & concordiam inter homines, de qua
dicebat Dominus Zachariæ 8. & tranſum-
ptiuè in cap. ieiunium 76. diſt. dies plan-
ctus, & ieiuniorum, quas hactenùs habui-
ſtis in luctus, ſciatis, quia ego cogitaui, vt
benefaciam Iſrael, domui Iuda, & vobis,
conuertam in lętitiam, & gaudium, ità
dumtaxat ſi veritatem diligatis, & pacem,
14 quam Dominus in Teſtamento ſuo reli-
quit dicens, pacem meam do vobis, pacem
meam relinquo vobis, Ioann. cap. niſi bel-
la 23. quæſt. 1. quæ pax, Chriſto naſcente,
fuit per Angelos decantata, quando dixe-
runt, gloria in altiſſimis Deo, & in terra
pax hominibus bonæ voluntatis, Lucæ 2.
cap. de hymnis cap. hi duo de conſecrat.
diſt. 2. de qua Chriſtus Marci 9. dicebat ad
Diſcipulos ſal. & pacem habete inter vos,
cap. ſit rector 43. diſt. & Paulus ad Roman.
12. ſi fieri poteſt, quòd ex vobis eſt, pacem
habete cum omnibus hominibus, quæ ver-
ba declarat optimè beatus Gregorius in
cap. inter verba 11. quæſt. 3. dicens, hoc
difficilè eſſe perſpiciens, præmiſit Paulus, ſi
fieri poteſt, & ſubiunxit, quod fieri poteſt,
cum dicit, quod ex vobis eſt, quia ſi nos in
mente charitatem erga odientes ſeruare
cupimus, & ſi illi non habeant, nos ſine du-
bio habemus, & Saluſtius in iugurtino:

con-

concordia paruę res creſcunt, diſcordia au-
tem, & maximę dilabuntur, & Valerius
Maximus dicebat, ſicut placidum mare ex
aſpeto, cœlumque ex nihilo, ſerenum hilari
aſpectu ſentitur, ſic bellum pace muta-
tum plurimum gaudij affert.

Et teſte Catone relato à Benedicto
vbi ſupra, ira odium generat, concordia nu-
trit amorem, vnde Dominus appellatur
Deus pacis 1. ad Corinth. 14. & pax to-
ganda eſt iuxtà illud Pſalm. 121. togate
quæ ad pacem ſunt Hierosalem, vide mul-
ta alia per Ludouicum Romanum conſilio
ſua. & Guillelmum Benedictum in repr.
ca. Raynuntius verbo, mortuo itàque teſta-
tore el 1. num. 222. cum ſequentibus. Ex
iſta etiam vnitate, & pace proficiſcuntur
quaſi omnia virtutum genera, vt chari-
tatis exercitia, patientia in tribulationi-
bus, & alia multa, quæ Chriſtiano lecto-
ri contemplanda relinquo, quia teſte Ber-
nardo ſerm. 5. de aſſumpt. ſuper illis verbis,
porrò vnum eſt neceſſarium, niſi opus
tuum in vnitate ſectris Deo, qui vnus eſt,
acceptum profectò non erit, & pauld infe-
riùs, omnis quippè creatura, & maximè ra-
tionalis debet ſuum principium imitari, ſi
ergo Deus vnus eſt, dicente Moyſe, audi
Iſrael, Deus tuus vnus eſt, debemus, & nos
quiſque vnus eſſe ſibi per integritatem vir-
tutis, & vnum cum proximis per vinculum
dilectionis, vide multa in laudem vnitatis
ibi per Bernardum.

De hac vnitate dicebat eleganter pro
more ſuo beatus Chryſoſtomus homilia,
15 licèt eum Zaſius in conſilio 1. num. 7. in 2.
tomo corruptè alleget homilia 110. quòd
ſi in vnitate ſint decem, vnus, iam non eſt
vnus, ſed decuplus quiſque eorum fit, &
oſtendens vnum illorum, tamquam decem
oſtendens reputatur, & horum quiſque vi-
ginti manus habet. Et totidem pedes, ac
oculos, & eodem modo ſi ſint centum, aut
mille, & ſic eſt mirabile dicit ipſe, quòd
vnum facit millenum, quid referam am-
pliùs de vnitate niſi, quòd quælibet res,
quantò eſt magis vna, tantò in maiori pre-
cio, & eſtimatione reputatur, vt Sol vnus,
vna Luna, vna auis Phænix. Vnus Mun-
dus, de quo mundo dicebat eleganter bea-
tus Auguſtinus cap. 4. lib. 11. de Ciuitate
Dei, quòd viſibilium omnium maximus eſt
16 Mundus, & inuiſibilium omnium maximus
eſt Deus, ſed Mundum eſſe conſpicimus,
Deum eſſe credimus, & ibi Viues refert va-
rios Philoſophos varia in ornatum mundi
Philoſopharos, & propterea quòd vnicos
eſt mundus, & ornatiſſimus, dictus eſt mun-
dus ab ornatu, abſolutaque elegantia eius,
vt ex Plinio lib. 2. cap. 1. & 4. & ex Cicero-
ne in libro de finibus bonorum, & malo-
rum colligitur, quemadmodùm ergo Deus
vnus eſt, & Mundus ab eo factus, ſub quo
17 continetur quicquid ſub toto Cœli ambi-
tu factum eſt, ſic vna Eccleſia debet eſſe, in
qua fideles omnes vniantur.

Si vis etiam vnitatis excellentiam in-
telligere, conſidera, quòd quando rem pre-
18 rioſam, & nobis dilectiſſimam volumus ſi-
gnificare, ſtatim hoc per nomen vnitatis
exponimus dicères vnicè Res eſt, vnicè di-
ligo te, vnde Plautus in Bachide aiebat, im-
mò vnicè vnum plurim pendit, hinc dice-
bat apud nos eleganter Budeus in annota-
tionibus ad pandectas in lib. ſi ſeruus ſer-
uum §. ſi. ff. ad legem Aquiliam, quòd qui-
buſdam Margaritis, & gemmis deliriæ Ro-
manæ impoſuerunt nomen vnitatis, appel-
lando eas vniones propter earum rarita-
tem, & ſingularitatem, quia, etiam teſte
Plinio lib. 9. cap. 35. nullæ duæ in chon-
chis reperiuntur, Vide obſecro, quanti fue-
rit ſemper vnitas eſtimata, vt ab ea res pre-
tioſſimæ nomen acceperint.

19 Et de ſapientia dicebat Salomon, &
cum ſit vna, omnia poteſt, quaſi iſtam po-
tentiam vnitati attribuens.

Et teſte Platone, quem refert Pariſius
Conſilio 6. num. 22. vol. primo, eſt indiui-
ſibilis, & de virtute vnita, dicunt Philoſo-
phi, quod eſt fortior ſeipſa diſperſa, cap. 1.
de treuga, & pace, & teſte Plinio iuniore
lib 9. epiſtolar. ad Ruſticum, ſatiùs eſt vnum
aliquid inſigniter facere, quàm plura me-
20 diocriter, & vnum magnum præualet plu-
ribus paruis lib. ſi is qui §. ſi. ff. de excuſa.
tutorum, & vt dicit Molina de primoge-
nijs Hiſpanorum lib. 1. cap. 11. allegando
Tiraquellum, vbi ſupra, omnis dualitas ad
deſtructionem ſubiecti, & vnitas ad con-
ſeruationem eiuſdem ordinatur, & antè
eum Lucas de Penna in l. quicunque C. de
exactoribus lib. 12. cod. licèt eum non
alleget Molina, dicebat, quòd vnitas con-
ſeruat res, quas dualitas annihilat, ex qui-
bus omnibus, & alijs multis, quæ doctiſſi-
mus lector conſiderare voluerit, facilè de-
prehenditur vnitatis excellentia, & quòd
Deus elegit eam, & prælegit eam, & ha-
bitare fecit eam in tabernaculo ſuo dile-
ctiſſimo, tamquam medium Deo ipſi om-
nium auctori conformius, & rebus pretio-
ſiſſimis ab eo creatis, in quibus lampas hæc
vnitatis reſplendet conuenientiſſimum.
Vnde apud Platonem Ciuitas illa iuſtiſſimè
ordinata vocatur, in qua proprios quiſque
neſcit affectus, ſed communes, & vnitos, vt
refert Gratianus in cap. 1. 8. diſt. & vt di-
cit Ambroſius in cap. nec illud 33. quęſt. 5.
ideò Eua ex coſta Adæ formata eſt, vt ſci-
remus in viro, & muliere vnã eſſe naturam,
vnum fontem generis humani, ideò non
21 duo à principio facti vir & mulier, nec duo
viri, nec duæ mulieres, ſed primùm vir, &
deindè ex eo mulier, vnam enim hominum
naturam volens conſtituere Deus, ab vno
principio creaturæ hoc incipiens, multa-
rum, & diſparium naturarum tripuit fa-
cultatem.

Et eleganter Auguſtinus de hæreticis,
& ab hac vnitate ſeparatis loquens, ait in
cap. odit 1. quęſt. 1. odit Deus ſacrificia
eorum, & à ſe proijcit, deteſtatur enim fœ-
torem eorum, & claudit nares ſuas. Et
inter cætera, propter quæ Chriſtus inuita-
tus ad nuptias venit, Ioann. 2. crederem
fuiſſe, vt vnitatem diuerſorum corporum,
& animorum, quam nuptiæ denotant, vt
ſupra cap. 8. diximus, confirmaret, & ſua
22 corporali preſentia decoraret, etiam ope-
rando in eis initium ſignorum eius, quaſi
quoddam miraculum vnitatis, aquam ſci-
licet

Google

licet in vinum conuertendo, & duas diuerſas, ac diſtinctas naturas in vnam coniungendo.

Quod etiam vnitatis miraculum tempore Theodoſij Imperatoris factum legimus de duabas cathenis beati Petri Hieroſolymitana, & Romana, quæ ſic inter ſe vnitæ fuerunt. Vt non duæ, ſed vna ab eodem artifice confecta reputetur.

CAP. XI.

De vnitate paſtoris gubernantis hoc Sanctum Ouile.

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum controuerſia hæc eſt, vtrum Eccleſia ſit penès illos, an penès nos.*
2 *Chriſtus eſt paſtor primarius huius Ouilis.*
3 *Chriſtus cælos aſcendens voluit paſtorem viſibilem, & quem fideles agnoſcerent, relinquere pro ſe.*
4 *Eccleſia, quæ ab initio creati hominis ſemper fuit vna, ſemper gubernatu fuit per vnū præſidem viſibilem vices Dei gerentem.*
5 *Pontifex ſummus ſemper fuit vnus in lege veteri, quem alij reuerebantur.*
6 *Chriſtus magis debuit prouidere ſuæ Eccleſiæ de Pontifice, quàm Moyſes ſynagogæ.*
7 *Argumentum de figura ad figuratum, & de vmbra ad veritatem, & de lege minùs perfecta ad legem perfectiorem (vt quæ illic tamquam nobiliu tenebuntur, à fortiori tenentur in lege perfectiori) validum eſt.*
8 *Vno ouili dato, neceſſariò dandus, & præſupponendus eſt vnus paſtor ſupremus, quem alij reuerentur, & ex vnitate regni infertur ad vnitatem regis, & è diuerſo.*
9 *Chriſto ad cælos aſcendente, & cum hominibus ampliùs facie ad faciem in hoc mundo non debente conuerſari, relinquendus erat ouibus paſtor pro eo viſibilis, ſicut in l. veteri, quia Deus non poterat ab hominibus videri, datus fuerat alius paſtor pro Deo viſibilis.*
10 *Argumentum ab identitate rationis validum eſt.*
11 *Pontifici ſummo mortuo in lege veteri, ſtatim eligebatur alter in locum eius, qui dicebatur ſedere ſuper Cathedram Moyſi.*
12 *Pontificis conſtitutio in lege veteri non ad vitum Moyſi tantùm reſtricta fuit, ſed ad durationem illius legis, & ſinagogæ.*
13 *Sacerdotes licèt multi fuerint in lege veteri vnus tamen præſidebat ſupra alios, qui reſponderet iudicij veritatem.*
14 *Hæreſes, ſchiſmata, & omnes confuſiones naſcuntur ex inobedientia, & contemptu huius ſupremi ſacerdotis.*
15 *Nouitates quaſi vipera, & Baliliſcus in negocijs fidei ſunt vitundæ.*

Cognito iam quòd vnum eſt ouile, & vna Eccleſia vniuerſalis, ſupereſt etiam vnitatem paſtoris, & quis iſte paſtor ſit, cognoſcamus: nam, vt dicit Auguſtinus

1 contra Donatiſtas, controuerſia hæretico-
rum hæc eſt, vtrum Eccleſia Chriſti ſit pe-
nès illos, an penès nos, & propterea oporet intelligere, quis ſit paſtor huius Eccleſiæ,
& vnici ouilis, & breuiter notoria, quę nec
hæretici negant, percurrendo, omnes confitemur paſtorem primarium huius ouilis,
& præcipuum caput Eccleſiæ eſſe Chriſtum
2 Ieſum Dominum noſtrum. Nam vltra
auctorirates ſupra allegatas, ipſemet de
ipſo dixit Ioan. X. Ego ſum Paſtor bonus,
bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis, & illud, percutiam paſtorem, & diſpergentur oues, Matthæi 26. & Lucæ 12.
dixit ad diſcipulos. Nolite timere puſillus
grex. Et ad Hebreos vltimo dicitur, Deus
autem paſtor, qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ouium in ſanguine teſtamenti æterni Dominum noſtrum Ieſum
Chriſtum, aptet vos in omni bono. Sexcentas potuiſſem in eā rem auctoritates adducere, quas conſultus omitto, vt communes, & manifeſtas. Sed quando iſte bonus
3 paſtor poſt conſumatam redemptinuem
humani generis ad Cœlos parabat aſcenſum, licèt Matthæi vlt. promiſerit diſcipulis dicens, ego vobiſcum ſum vſque ad conſumationem ſeculi, & licèt Ioannis 14. dixerit. Non vos relinquam Orphanns, vado, & venio ad vos, &c. nihilominùs, quia
Cœlos aſcendebat, & cum hominibus in
hoc mundo corporaliter, & facie viſibili
ad faciem conuerſari non debebat, ſicut
quando in terris viſus eſt triginta, & tribus annis. Idcò paulò ante eius aſceuſionem voluit relinquere loco ſui vniuerſalem
Vicarium. Cui totius Domini gregis prę-
cipua cura demandaretur, & quem, vt vices eius tenentem fideles agnoſcerent, quēque facie ad faciem, & corporalirer alloquerentur, conſulentes eum tamquam præſidem ſuper omnibus dubijs, quæ pro tempore ipſis fidelibus occurrere potuiſſent.

Ad comprobandam ergo huius vnici
paſtoris, & pro Chriſto Vicarij vnitatem,
ponderanda ſunt fundamenta, & conſiderationes ſequentes. In primis, quòd ſancta
4 hæc fidelium collectio quæ, vt ſupra diximus, ab initio creati hominis ſemper fuit
vna, ſemper etiam fuit gubernata per vnū
præſidem viſibilem, & hominem Dei vices
gerentem, vt eſt videre in lege veteri, quæ
figura eſt legis noſtræ, quamuis enim Deus,
cui nihil eſt impoſſibile, nec difficile, poterat liberare à diluuio multis alijs vijs
octo animas, & cætera animalia, voluit tamen, vt iſtud fieret, mediante vna archa,
quæ typum Eccleſiæ vniuerſalis gerebat, &
quòd in illa archa vnus Noe eſſet dux, &
rector, & cum ipſo tamquam illorum prę-
ſide loquebatur Deus, & mandato ſolius
Noe dimiſſus eſt coruus, & poſteà Columba, & ſic Deus omnia pertinentia ad ſalutem animarum intrà archam exiſtentium
operatus eſt mediante Organo, & imperio
vnici Noe, ad eum enim ſolum dixit Deus
Geneſis 6. finis vniuerſæ carnis venit ad
me, fac tibi archam de lignis leuigatis, &
poſteà finito diluuio cap. 8. recordatus eſt
Dominus Noe, & dixit ei egredere de archa tu, & filij tui &c.

Et à ſimili, quando populum iſraeliticum de Ægypto voluit educere, poterat quidem Deus, cui omnia ſunt facilia, momento populum in terram promiſſionis transferre, vel capillo capitis, ſicut Danielis vltimo fecit cum Abachuc propheta, miniſterio tamen vnius hominis Moyſi vſus eſt ad hoc, & vnus Moyſen ingrediebatur ad Pharaonem, & ad vnius Moyſi vocem operatus eſt tot prodigia, & mortuo Moyſe, vnius Ioſuæ ducatu, & præſidentia vſus eſt ad expugnandum terram illam, quam promiſerat filijs Iſrael, ſic Reges, ſic duces, ſic Principes ſacerdotum elegit, ità quòd vnus ſemper præeſſet alijs, quemque cæteri reuererentur, vt ſuperiorem, & eos, qui ab eius obedientia ſe ſubtrahebant, vel etiam contra eum murmurabant, ſupplicijs caſtigauit horrendis, vt eſt videre de Chore, Datan, & Abyron, & de Maria ſorore Moyſi numerorum duodecimo, & 16. lege etiam teſtamentum vetus & videbis, quòd licèt multi ſacerdotes fuerint, vnus tamen fuit ſemper ſummus Pontifex, & Princeps Sacerdotum, vt legitur Iudith. 15. Ioachim autem ſummus Pontifex venit de Hieruſalem in Bethuliam cum vniuerſis presbyteris ſuis, vt videret Iudith. & Marci decimoquarto dicitur, & adduxerunt Ieſum ad ſummum ſacerdotem, & paulò inferiùs, exurgens autem ſummus Sacerdos ſcidit veſtimenta ſua, &c. & actuum 23. Princeps autem Sacerdotum Ananias iuſſit percutere os Pauli, & reſpondente Paulo, percutiat te Deus paries dealbate, dictum eſt ei, ſummum Sacerdotem Dei maledicis? & Paulus, neſciebam fratres, quia Princeps eſt Sacerdotum, ſcriptum eſt enim, Principem populi tui non maledices.

5 Semper ergo fuit in lege veteri, & Synagoga vnius ſummi ſacerdotis dignitas continuata, qui in dubijs conſuleretur, & reſponderet, Deuteronomij 17. cuius verba
6 ſtatim exponenda referam, ſi ergo, vt eleganter Nazianzenus ponderat, Moyſes Synagogæ prouidit de vno Sacerdote Principe aliorum, cur Chriſtus Eccleſiæ ſuæ magis dilectæ non prouideret? Nazianzenum allegat Æchius in enchiridione titulo de Primatu Petri, concludens eſt hoc argu-
7 mentum, quod de figura ad figuratum, de vmbra ad veritatem, & de lege veteri minùs perfecta ad legem Euangelicam, multò perfectiorem aſſumitur, vt per Ambroſium
8 in capit. reuera de conſec. diſt. 2. Et illo vtitur frequentiſſimè beatus Paulus, præcipuè in epiſtola ad Hebræos capit. 9. & 10. Vide etiam regium prophetam Pſalm. 77. ne ab ouilis parabola recedamus, qui, poſtquam dixerat, & ædificauit ſicut vnicornium ſanctificium ſuum in terra, quam fundauit in ſecula, dicit, & elegit Dauid ſeruum ſuum de gregibus ouium, de poſt fœtantes accepit eum, paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam, & pauit eos in innocentia cordis ſui.

Et profectò ſi vnum ouile confitendum eſt, vt ſupra probauimus, probatum remanet, quòd vnus pro Chriſto paſtor, & Vicarius illud regere debet, vt Ezechielis 34. poſtquam de ouili iſto facta fuerat mentio, & de ouibus Iſrael, dixit Deus. Et ſuſcitabo ſuper eas paſtorem vnum, qui paſcat ea, ſeruum meum Dauid, ipſe paſcet, & ipſe erit eis in paſtorem, ego autem Dominus ero eis in Deum, & ſeruus meus Dauid Princeps in medio eorum, & Ezechielis 37. & erit Rex vnus omnibus imperans, & non erunt vltra duæ gentes, nec diuidentur in
9 duo regna, ex quibus verbis facilè colligitur, quòd ex vnitate regis infert Deus ad vnitatem regni, & ex remotione dualitatis regnorum infertur etiam vnitas regis, ſi ergo vnũ eſt ouile, vt ſuprà concluſimus, neceſſe eſt, quòd vnus ſit viſibilis paſtor eius, & pro Chriſto, à nobis in mundo, Vicarius, poſtquam Chriſtus viſibiliter, & corporaliter iam videri non poterat interris, neque enim videbit me homo, & viuet, dicebat Dominus ad Moyſen exodi 15. & Ioan. 16. modicùm, & videbitis me, & iterum modicum, & non videbitis me, quia vado ad patrem, & interpretando verba hæc dixit paulò inferiùs, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis, quæ verba de viſione beatifica in gloria intelliguntur.

Neceſſariò ergò relinquendus erat, Chriſto ad Cœlos aſcendente, & ampliùs conuerſari non debente viſibiliter cum fidelibus ſuis in hoc mundo, paſtor, & Vicarius vniuerſalis pro eo ad ſuorum conſolationem, & confirmationem in dubijs, quę potuiſſent occurrere. Si enim in lege veteri, eò quia Deus in mundo à ſuis videri non poterat, vt & ipſemet aduerterat Moyſi conteſtare populum, ne fortè velit tranſcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat, Exodi 19. & 20. vbi ad ſolas voces, & lampades, & montem fumantem dicebat populus Moyſi, loquere tu nobis, & non loquatur Dominus, ne fortè moriamur, ſi propterea inquam, voluit Dominus in lege veteri gubernari populum ſuum per vnum Moyſen, & per vnum ſuccedaneum paſtorem viſibilem loco ſui.

Militante hac eadem ratione in Chriſto Ieſu Domino noſtro, qui cælorum excelſa tranſcendit, & ſedet à dextris Dei, cur obſecro, in ouili hoc tam dilecto non debuit vnus paſtor, & Vicarius viſibilis pro eo relinqui, qui conſolaretur nos in omni anguſtia, & dubitationibus noſtris certiſſimum pręberet oraculum, ſicut erat in Synagoga illa? Valet enim argumentum ab identitate rationis, l. ſi ſocer. ff. ſolut. ma-
10 trim. & in auth. multò magis. C. de ſacros Eccleſ. Et ſi fortè hæreticus replicet. Noe, & Moyſen, & Dauid tenuiſſe figuram ſolius Chriſti Ieſu, & in eo conſumatas fuiſſe figuras illas, replicamus, & nos ad hoc, nonne Moyſe, Dauide, Aarone, & denique vno-
11 quoque illo vno mortuo, voluit Deus, quòd alter viuus, & viſibilis in locum demortui regeret Synagogam, qui ſummus Sacerdos erat, & vt Matth. 18. dicebat Chriſtus, ſuper Cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ &c. Nonne etiam Oſeæ primo legitur, congregabuntur filij Iuda, & filij Iſrael pariter, & ponent ſibimet caput vnum. Quem textum ad hoc propoſitum citat gloſſa in, C.

ad noſtram, verbo Eccleſiæ de hæreticis, licèt ſub nomine Iohelis cum ſit Oſeæ, nonne denique ex his probatur in lege veteri fuiſſe vnius capitis conſtitutionem, & vnius ducis præſidentiam in Orbe terrarum, ſic ergo, Chriſto in Cœlum aſcendente, debebat vnus pro eo Vicarius conſtitui, qui regimen dilectiſſimæ Eccleſiæ ſuſciperet.

Quando enim Chriſtus, & pro tempore, quo Chriſtus in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt, tunc nullus alius regebat puſillum illum, & Apoſtolicum gregem, quia licèt Petro promiſſus erat Matth. 16. non tamen collatus fuit, niſi paulò ante aſcenſionem, Ioannis vlt. vnde
12 Deuter. 17. non ad ſolam vitam Moyſi, & Aaron, ſed vſque ad durationem Eccleſiæ ſuæ dictum fuit, ſi difficile, & ambiguum iudicium apud te eſſe perſpexeris, & iudicium intra portas tuas videris variari, ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quęreſque ab eis, qui iudicabit tibi veritatem iudicij, facieſque quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram, qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrabit Domino tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael, cunctuſque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Pondera, obſecro, Catholice lector verba illa ad tuam confirmationem, & in ſanctę huius vnitatis perſeuerentiam.

In primis enim, ſicut ſupra dicebam, Deus omnipotens, cui omnia ſunt poſſibilia, potuiſſet facillimè omnibus dubijs populi ſui multis alijs modis ſatisfacere, & tamen hoc medium tamquam magis conſonum rationi naturali elegit, ſcilicet ſacerdotum reſponſa, qui in continuo Dei miniſterio aſſiſtunt, & noſtram obedientiam præfatis ſacerdotibus præſtanda, vt populi ſit obedire, & ſacerdotum diffinire iuxta id, quòd piè, & Catholicè reſpondens pro vniuerſo populo Iſrael, dixit Sechenias ad Eſdr. 1. Eſdr. 10. ſurge, tuum eſt diſcernere, nos erimus tecum. Pondera etiam, quòd etſi verba illa pluralitatem ſacerdotum prœmittant, tamen vnius iudicis vnitatem, & vnius ſacerdotis imperium ſupra alios præſupponitur. Inquit enim, venies ad ſacerdotes leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore. Ecce iudicis vnitatem cum pluralitate ſacerdotum admixtam, & ad oſtendendum magis iſtam vnitatem, dicit, quęreſque ab eis in plurali, & ſtatim in ſingulari, qui iudicabit tibi iu-
13 dicij veritatem, Quare enim ei, qui à multis quærebat, reſpondet vnus? qui iudicabit, inquit, tibi iudicij veritatem, niſi, vt iſtius vnici Pontificis ſupra alios vnitas, & auctoritas deſignetur, vt & poſtea in ſingulari dicit, qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, ex decreto iudicis morietur.

Nota pœnam inobedientiæ huius, & vnici Sacerdotis contemptum, morte, inquit, morietur, & æterna, & temporali. Et ſtatim addit, & auferet malum de Iſrael, malum, inquam, à quo cętera mala deri-
14 uantur, quia ex ſolo contemptu iſtius ſupremi Sacerdotis hæreſes, ſchiſmata, confuſiones, bella, & id genus alia multa reſultant. Si enim huic vnico Pontifici debitam obedientiam præſtaremus, omnia iſta mala ceſſarent, quia, vt proſequitur auctoritas illa, cunctus populus audiens, timeret, & nullus intumeſceret ſuperbia, delirans ſe quoque habere ingenium ad intelligendas ſcripturas pro ſenſu ſuo: & hinc fit, vt trahatur vnuſquiſque ad deſideria ſua, & ad ea inuenit magiſtros prurientes auribus ſuis, & ſic incidit in malum, quod eſt ſuper omne malum.

Tu autem Catholice Lector depoſitum cuſtodi, deuitans prophanas vocum nouitates, & appoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt, primo ad Timothęum vltimo, quam auctoritatem vide Catholicè, & eleganter declaratam à Pighio lib. 1. c. 5. ſuæ Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, ait enim. O Timothee (in primis exclamatio iſta magni aliquid prætendit, & legentem excitat ad grande aliquid, magnique momenti) depoſitum cuſtodi, id, quod tibi creditum eſt, non à te inuentum, quod accepiſti, non quod excogitaſti, rem non ingenij, ſed doctrinæ, non vſurpationis priuatæ, ſed publicæ traditionis, rem à te perductam, non à te prolatam. In qua non auctor eſſe debes, ſed cuſtos, non inſtitutor, ſed ſectator, non ducens, ſed ſequens, deuitans quaſi viperam, aut Baſiliſcum prophanas vocum no-
15 uitates, ideſt dogmatum, & opinionum nouitates, quæ ſunt vetuſtati, quæ ſunt vnitati contrariæ, lege, obſecro Pighium ibi, vt & permaneas in ijs, quæ didiciſti, & credita ſunt tibi.

Et nota, quid de ſapientia Salomon dixerit Sapientiæ 7. & cùm ſit vna, omnia poteſt, & in ſe permanens omnia innouat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert, pondera, obſecro, rationem cauſalem, nempè, quòd ab vnitate eius deriuetur, & quòd omnia poſſit, & animas ſanctas in ſe transferat per nationes, auctoritas enim iſta ad vnitatem Paſtoris etiam pertinet, ſicut & ad vnitatem Ouilis ſuprà retulimus.

CAP. XII.

De multis alijs fundamentis, quibus hæc vnici paſtoris vnitas comprobatur.

SVMMARIVM.

1 *Eccleſia militans quantò magis aſſimilatur triumphanti, tantò perfectior erit in his, in quibus ſimilitudo dari poteſt.*

2 *Primo perfectiſſimo principio quantò aliquid magis adhæret, tantò perfectius, & nobilius erit.*

3 *In Eccleſia triumphanti ſicut omnes Spiritus vnum Deum reuerentur, ità in militanti omnes debemus revereri vnum pro Deo paſtorem.*

4 *In vnitate bonitas conſiſtit, & tantò aliquid magis de vnitate participat quantò magis in vnitate fundatur.*

5 *Vnum eſt ex parte boni, & plura ex parte mali.*

6 *Vnus Princeps ſupremus dandus in Spiritualibus, quia principatuum multitudo mala eſt.*

7 *Vnitas pertinet ad rationem boni.*

8 *Vnio, & à multitudine in vnum reductio, eſt principium bonorum, ſed diuiſio principium malorum.*

9 *Vnus Princeps eſt in apibus, & Grues vnam ſequuntur.*

10 *Roma condita duos fratres habere non potuit, & ſic fratricidio dedicatur.*

11 *Regnum omne ab vnius Principis vnitate diuiſum, fuit deſolatum.*

12 *Vnus etiam præſidens inter Spiritus Angelicos eſt.*

13 *Michaelem Eccleſia paradiſi præpoſitum, & primatem cæleſtis exercitus appellat.*

14 *Lucifer propter diuiſionem incidit in ſcandalum ſcandalorum.*

15 *Michaeli, vt præſidi tribuit Victoriam ſcriptura in illa auctoritate, Michael pugnauit, & fecit victoriam, licèt ipſe, & Angeli eius cum Dracone pugnaſſent.*

16 *Sol inter ſeptem ſyderum Orbes conſtitutus eſt tamquam Imperator omnium, à quo ſydera lumen accipiunt.*

17 *Hominis membra ab vno capite pendent, pro cuius ſalute non dubitant alia membra proprio periculo ſe exponere.*

18 *Regni ſocietas numquam, aut cum fide cæpit, aut ſine cruore deſit.*

19 *Ciuitas vna non Epiſcopos plures quaſi monſtra debet habere.*

20 *Pontifices plures eligere, eſt contra illum articulum fidei, vnam ſanctam Catholicam Eccleſiam.*

21 *Argumentum de parte quò ad partem valet de toto quò ad totum.*

22 *Romani poſt varios modos regiminum inuenerunt rebus dictantibus eſſe neceſſarium reipublicæ, per vnum conſuli.*

23 *Æquales multi de facili diſſentiunt.*

24 *Tutela per vnum faciliùs exercetur, & ſegniùs expediunt commiſſa negotia plures.*

25 *Miraculum eſt, quod rarò accidit.*

26 *Deus communiter operatur per cauſas ſecundas, & media ordinaria ab eo conſtituta.*

27 *Vnitas hæc paſtoris, & Monarchica gubernatio magis neceſſaria erat in Spirituali, & Eccleſiaſtica republica.*

29 *Reſpublica Eccleſiaſtica excellit temporalem, ſicut Sol Lunam.*

30 *Præſcriptio nulla, etiam immemorialiſſima, currit contra obedientiam Papæ.*

QVàm conformis, & conſentanea Eccleſiæ Triumphanti, & Cœleſti Hieruſalem ſit vnica hæc vnici Paſtoris, & pro Chriſto Vicarij gubernatio, facilè intelliget, qui mente, & Spiritù contemplari voluerit, Hieruſalem illam cœleſtem regi vnius veri Dei, & ſupremi Domini diſpoſitione, vt ad eumdem modum intelliga-
1 mus Eccleſiam hanc in vnius Rectoris adminiſtratione fundatam, quia quantò gubernatio Militantis Eccleſiæ magis aſſimilatur Triumphanti in ordine ſui regiminis, & in his, in quibus ſimilitudo, & conuenientia cadere poteſt, tantò magis perfecta erit, & ſecura.
2 Et quantò aliquid plus adhæret primo, & perfectiſſimo principio, tantò nobiliùs erit, vt dixit gloſs. not. in §. cumque ante, verbo altiori Inſt. de bono poſs. vbi dicit, quòd altior eſt, qui proximior Domino eſt, & iuxtà eum ſedet, quam gloſſam ſequitur Baldus in l. obſeruare, §. antequam, ff. de officio pro conſ. Ioannes de Imola in l. qui ſoluendo Ia 2. ff. de hæredibus inſtit. Felinus in rub de maiorit. & obed. & alibi ſæpè Doctores, pro qua gloſſa facit, quòd Darius Rex promiſit 3. Eſdræ cap. 4. Zorobabel, & proximus mihi ſedebis, & Geneſis 41. Pharao ad Ioſeph, ad tui oris imperium cunctus populus obediet, vno tantùm regni ſolio te præcedam, & ne mendicata ſuffragia quæramus, facit illud, quod de ſancto Dionyſio retulimus ſuprà cap. 6. ad finem, ſcilicet quòd Eccleſia Militans tunc conſiſtit decentiſſimo ordine, & habet congruentiſſimum ſui ſtatus decorem, cùm illi triumphanti in ſuperna Ciuitate Hieruſalem cœleſtium ſpirituum principatui conformatur.

Quòd autem Eccleſia iſta militans facta ſit ad ſimilitudinem triumphantis, apertè demonſtrat auctoritas illa Apocalypſis 21. Ecce ego Ioannes vidi ſanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de Cœlo, &c. Et Pauli ad Hebræos 7. dictum eſt ad Moyſen: Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quòd tibi monſtratum eſt in monte;
3 & alia multa, quæ ſuprà diximus cap. 6. ex quo ſequitur, quòd ſicut ibi vnum Deum, & Dominum omnes Spiritus reuerentur, cuius beatifica viſione conſruuntur, ità etiã in hac militanti Eccleſia vnum pro Deo Paſtorem viſibilem, & Chriſti Vicarium conuerſabilem habeamus, & veneremur, vt quantum fieri poſſit, Hieruſalem noſtra militans aſſimiletur in his, in quibus ſimilitudo cadere poteſt illi Cœleſti Hieruſalem triumphanti, vnde deſcendit, teſte Ioanne; & ſicut Deus, per quem omnia facta ſunt, vnus eſt teſte etiam philoſopho, qui dixit. Deus eſt ens maximè vnum, & maximè bonum. Et Ioannes cap. 5. ſuæ primæ canonicæ, tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt; & Ioannis 11. vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. ſicut ſupra retuli.

Ità etiam, qui nos in terris regere debeat pro Deo, & vt Chriſti Vicarius viſibilis, ſi, vnus, quem ſubditi videant, tractent, & alloquantur.

Gubernatio enim tantò erit magis bona, quantò erit magis vna, quia appropinquat ad id, quod eſt ſummè vnum,
4 ſummè bonum, & ſummè perfectum, & ſic optima bonitas in vnitate conſiſtit, & tantò magis aliquid de bonitate parti-

participat, quantò magis in vnitate fun-
5 datur. Et Pirhagoras in ſuis relationi-
bus ex parte boni poocbat vnum, & ex
parte mali ponebat plura,& Ariſtoteles 12.
methaphiſices dicebat propè finem. Entia
nolunt malè diſponi, & Principatuum
multitudo mala eſt, & ſic vnus Princeps.
Et Ethicorum 3. &8. concludit, Monar-
chiam, quæ eſt Principatus voius iuxta
gloſs. in cap. fundameuta §. ne aurem ver-
bo, Monarchiam de electio,lib.6. meliorem
eſſe, & Boetius de cooſolatione dicebat,
quòd vnitas pertinet ad rationem boni, &
Origenes homilia 9. ſuper Ezechielem,
6 priucipium malorum multitudo, & diui-
7 ſio, priucipium verò bonorum vnio, & à
8 multitudine in vnitate reductio. Quibus
fundamentis oeceſſe eſt confiteamur vni-
cum debere eſſe ſupremum pro Chriſto Vi-
carinm, & Paſtorem huius ouilis, licèt iſte
ſanctiſſimus Paſtor habeat, & habere de-
beat ſub ſe alios Paſtores, & miniſtros
partem ſollicitudinis Paſtoralis, vt in-
frà ſuo loco dicemus. Nam pernicio-
ſa fuiſſet, & peſtiſera Dyomachia, hoc
eſt multitudo Principum, & Paſtorũ vnius
ouilis habentium æqualem ioter ſe poteſta-
tem hro eodem tempore.

Hanc etiam vnici, & ſupremi pro
Chriſto Paſtoris viſibilis vnitatem compro-
9 bar Hieronymus ex apum congregatione
dicens in cap. in apibus 7. quæſt.1. In api-
10 bus Princeps vnus eſt:Grues vnam ſequun-
tur; & Roma condita duos fratres habere
non potuit, & ſic fratricidio dedicatur.
In vtero Rebeccæ, Eſau, & Iacob exiſten-
tes, bella geſſerunt. Hæc Hieronymus.

Et certè ſi legas hiſtorias, & autiquas,
& nouiſſimas, Eccleſiaſticas, & ſeculares,
intelliges varias ſeditiones, confuſiones, &
ſcandala proueniſſe ex Principum multitu-
dine pro eodem tempore æqualem pote-
11 ſtatem habentium, & quomodo omne Re-
gnum ab vnius Principis vnitate diuiſum,
ac ſegregatum fuerit deſolatum, quod
etiam ſeditionis genus: & io Cœlo ante
12 Angelos in gratia cõfirmatos,Lucifero illi,
13 qui erat Angelorum nobiliſſimus conti-
giſſe videmus, factnm eſt enim ſilentium
magnum in Cœlo,dum Draco committeret
bellum, dicens: Ero ſimilis Altiſſimo,&c.

Michael autem, quod interpretatur,
quis ſicut Deus, & Angeli eius pugnabant
cum eo, & fecit victoriam Apocalypſis 5.
14 Propter quam ſeditionem incidit lucifer
in ſempiternum ſcandalum ſcaodalorum,
& hunc triumphum, & victoriam Michae-
li Duci, & Principi exercitus Angelici at-
tribuit Scriprura ſacra.

Sic enim dicitur. Et Michael fecit vi-
ctoriam, cum ipſe,& Angeli eius cum Dra-
15 cone pugnauerint,voluit enim Deus mini-
ſterio Michaelis Angelorum preſidis vti ad
hanc victoriam obtinendam,ſicut de Moy-
ſe dicebamus capite ſuperiori. Et ſic etiam
ioter Spiritus Angelicos voum pro Deo
præſidem, & Ducem Michaelem Deus con-
ſtituit. Sic enim de illo canit Eccleſia Mi-
chael præpoſitus paradiſi, quem honorifi-
cant ciues Angelorum; & in hymno illius
dicitur, ſed præcipuè primatem Cœleſtis
exercitus Michaelem in virtute contineren-
tur Zabulon.

Quòd ſi vltra Deum vnum optimum,
& maximum,& vltra vnum prepoſitum Spi-
rituum Angelicorum ad ipſa celeſtia cor-
16 pora te conuertas, inuenies etiam ibi So-
lem ipſum inter ſeptem illos errantium ſy-
derum Orbes medium conſtitutum tam-
quam Ducem, & Imperarorem illorum, à
quo &ipſa ſydera lucem accipiunt,et quaſi
motuum, & progreſſuum ſuorum ordina-
tionem, vt eleganter hoc ponderar Pighius
lib.5. cap.5. ſuæ Eccleſiaſticæ Hierarchiæ,
vbi etiam aduerrit:

Et in vno homine reperiri quandam
dualitatem, & eam ab vnitate vnius homi-
17 nis gubernari, & rursùm omoia corporis
membra ab vno capite pendent, pro cuius
ſalute, & conſeruatione non dubitant cæ-
tera membra proprio periculo ſe expone-
re. Etiam in animalibus brutis ductis
quodam inſtinctu naturæ io amorem, &
cooſeruationem capitis proprij vniuſcu-
iuſque.

Vndè eleganter Baſilius ad religioſos
dicebat,Planetæ inferiores ſubſunt ſuperio-
rioribus, & animalia bruta Ducem ſequun-
tur, auis item vna cunctas ducit, apes io
miniſterio Regi obediunt, io corporibus
quoque animantium cætera membra tuen-
tur, & venerantur caput, & in partibus
animæ rationi appetitus ſubijcitur, quòd
ſi ab eo deſciſcat, in preceps non ſolùm
animam, ſed & corpus trahit, & Cypria-
nus de idolorum vanitate dicebat, quando
regni ſocietas, aut cum fide cœpit, aut ſi-
18 ne cruore deſijt? Sed Thebanorum germa-
nitas rupta,& permaoens,Regibus diſſiden-
tibus,etiam in morte diſcordia fuit, & Ro-
manos geminos voum non cæpit Regnum,
quos vnum vteri cæpit hoſpitiũ, Pompeius,
& Cæſar affines fuerunt, oec tamen oeceſſi-
tudinis fedus in æmula poteſtate tenuerũt.

Et idem Baſilius in Gordium marty-
rem, naturæ lex inoata apibus eſt, vt niſi
Rex priùs agmen præcedat ab aluearibus
numquam diſcendant; vide, obſecro, Pi-
ghium vbi ſupra, quaſi per omnes naturæ,
& Mundi partes philoſophantem, & pro-
bantem omnia acclamare,& dicere,io quo-
cumque regimine voius Principis vnitatem
eſſe oeceſſariam. Et Homerus in 2. iliados
dicebat,noo bona multorum ditio,Rex im-
peret vnus; & Quintus Curtius de geſtis
Alexandri Magni aiebat, Imperium, quod
ſub vno ſtare poteſt, dum à pluribus ſuſti-
netur, ruit; & Lucanus, nulla fides Regni
ſocijs,omniſque poteſtas impatiens conſor-
tis erit, vt refert Archid. in cap. in api-
19 bus 7. quæſt. 1. & ideò Innocentius III. in
cap. quoniam, qui eſt textus Concilij La-
teranen.de offic.Ordinarij, dicebat, prohi-
bemus ne vna, & eadem Ciuitas, vel Diœ-
ceſis diuerſos Pontifices habeat, veluti cor-
pus diuerſa capita, quaſi monſtrum, &
gloſs. io cap. non autem 7. quæſt. 1. dice-
bat, quòd eligere duos Summos Pootifices
20 pro eodem tempore eſſet contra illum ar-
ticulum fidei, vnam ſanctam Catholicam
Eccleſiam, quam ſingularem appellauit
Panor. in cap. quoniam, & Archid. io d.
can.

Digitized by Google

can. non autem in principio, dicit, quòd
beatus Auguſtinus, qui viuente Valerio
Hiponenſi Epiſcopo, Cocpiſcopus cum eo
fuit creatus, dicebat de ſeipſo adhuc in cor-
pore poſito, Patre meo ſene Valerio Epiſco-
pus ordinatus ſum, & Sedi cum illo quò ad
Concilio Nicæno prohibitum eſſe neſcie-
bam, nce ipſe ſciebat, ſed ſpeciale ibi fuit,
proptec eximiam beati Auguſtini probita-
ecm, & ſcientiam, vt ibi per Archid. Simi-
liter, & beatus Clemens Papa in cap. in
illis 80. diſt. refert, quòd beatus Petrus in
ſingulis Ciuitatibus ſingulos Epiſcopos,
& non plures conſtitui pręcepit. Ex quo
etiam infertur, quòd ſicut in qualibet par-
ticulari Dięceſi reputatur monſtrum plura-
21 litas Epiſcoporum, ità & in hoc vniuerſali
ouili. Quod enim iuris eſt de parte quò
ad poteſtatem, debet eſſe de toto quò ad
torum, l. quæ de tota, ff. de reiuendi cap. l.
an pars ff. pro derelicto l. qui ſcit. ff. de
vſur. & apud noſtros iuris conſultos habe-
tur in lib. 2. §. nouiſſimè ff. de origine iuris,
22 vbi Pomponius poſt recitatos varios mo-
dos regiminum, quos Romani experti fue-
rant, dicit, nouiſſimè autem rebus dictanti-
bus euenit, vt eſſet neceſſarium Reipublicæ
23 pce vnum conſuli. Nam multi æquales de
facili diſſentiunt, vt per Oldradum in con-
ſil. 6. quæſt. 1. & textum in leg. 1. ff. quod
cuiuſque vniuerſit. nomine pręſertim,
cùm humana natura de ſeipſa prona ſit ad
diſſentiendum, l. quia poterat ff. ad trebell.
l. Item ſi vnus, § final. ff. de arbitr. cap. quia
diuerſitatem de conceſs. præb. & de admi-
niſtratione tutelæ dicebat iurius conſultus
in l. 3. §. apparet ff. de adminiſtratione tu-
torum. Apparet igitur prætori curæ fuiſſe
ne tutela per plures adminiſtretur, ſanè
enim vnus faciliùs exercet, & excipit, ne
24 per multos tutela ſpargatur, & facit ver-
ſus, quem ibi allegat gloſa. Segniùs expe-
diunt commiſſa negocia plures, quæ omnia
neceſſariò debent intelligi, quando eſſent
plures, qui non recognoſcerent vnum in
ſuperiorem, ſed vellent eſſe inter ſe æqua-
les, & paris poteſtatis, quia ad iſtos refe-
runtur ſupradicta, & illud Euangelij, omne
Regnum in ſe diuiſum, deſolabitur.

Et Lucas de Penna in l. fin. Cod. de
delatoribus lib. 10. Cod. dicebat, quod Do-
minus dicitur quaſi domi vnus, & caput
vnius corporis. Si enim plures eſse vellent
Domini, gubernatio œconomica periret,
ſicut cum plures magiſtri nauis eſſe vel-
lent. Et Tullius libro primo de officijs,
dicebat ſic: Facere eos, qui inter ſe con-
tendunt, vter eorum rempublicam guber-
nent, vt ſi nautæ certarent in medio maris,
& periculi, quis eorum nauim potiſſimùm
regeret, & Ariſtoteles 2. Politicorum, ait,
Politiannius optima eſt, ſed multorum dif-
ficile eſt, vt ſit bona. Vnitatem ergo Pon-
tificis, & Paſtoris pro Chriſto Vicarij con-
fiteri neceſſe eſt, & hanc tamquam guber-
nationem communem ordinariam, & iuri
diuino conformem elegit Deus, & præele-
git eam, & fecit illam habitare in taber-
naculo ſuo, qui dignatus eſt populum ſuum
regere, & conſeruare per media ordinaria,
& rationi naturali conſentanea. Neque
enim miraculis agendum erat ſemper, quæ
Deus non operatus eſt, niſi vrgente cauſa,
quam imperſcrutabilis diuini conſilij di-
ſpoſitio ſola ſciebat. & ideò à petentibus
miracula tentari dicitur, vt refert gloſa or-
dinaria Matth. 4. & ipſemet Chriſtus ten-
tatori reſpondit, quando petijt, vt deor-
ſùm ſe mitteret, quia Angelis ſuis Deus
mandauit, &c. Non tentabis, inquit, Do-
25 minum tuum, vnde dicebat gloſs. in cap.
legimus 93. diſt. quòd miraculum dicitur
quia raro accidit, quod certè ratione na-
turali fundatur non enim eſt petendum re-
medium extraordinarium, quando adeſt
ordinarium l. in prouinciali ff. de noui
ope nuntia, & l. in cauſæ ff. de minoribus.
26 Si igitur prima cauſa cauſarum, hoc eſt
Deus communiter operatur per cauſas ſe-
cundas, & miniſterio illarum, quæ ſunt
magis communes, & ordinariæ, & ad gu-
bernationem cuiuſcumque rei publicæ vi-
demus de iure naturali, & diuino Monar-
chiam, id eſt, Principatum vnius magis
conuenire propter confuſiones, & ſcanda-
la, quæ ex multitudine, etiam dualitate,
vt ità dixerim, duorum principum pro eo-
dem tempore æqualem poteſtatem haben-
tium prouenire ſolent, profectò in Eccle-
ſiaſtica Hierarchia, & Chriſtiana Repu-
27 blica vnitas hæc Paſtoris vnici magis ne-
ceſſaria erat, quia vbi maiùs vertitur peri-
culum, ibi cautiùs prouidendum erat, cap.
vbi periculum de electio lib. 6. & hic agitur
de gubernio animarum, & directione ſpi-
rituum ad Deum, quæ eſt ars artium, teſte
28 Gregorio cap. 1. ſui Paſtoralis, & cap.
cum ſit ars artium regimen animarum de
præb. lib. 6. pręſertim cum tanta ſit diffe-
rentia inter ſpiritualia, & temporalia,
quanta inter Solem, & Lunam reperitur,
29 cap. ſolitæ de maiori, & obed. & Pontifi-
catus eſt luminare maius, quod præeſt
diei, & poteſtas ſecularis eſt luminare mi-
nùs, vt ibi dicitur. Monarchia ergo iſtæ
in ſpirituali Republica magis conueniens
erat, quàm in temporali dominatione, &
& propterea optimo iure fuit ſtatutum,
quòd contra obedientiam iſtius ſanctiſſimi
Vicarij, nulla etiā immemorialiſſima præ-
30 ſcriptio currat Cod. cum non liceat à ca-
pite membra recedere de præſcrip. quia in
his nemo poteſt eſſe acephalus, & tamen,
vt ibi notatur, videmus contra Imperato-
ris, & Principis ſecularis obedientiam
currere pręſcriptionem, vt de multis ciui-
tatibus intelligimus iuxta notata in l. ho-
ſtes de captiuis, & poſtliminio reuer. cum
vulg., quæ ab obedientia Imperatoris ſe
ſubtraxerunt titulo præſcriptionis, quod
aſſerere in ſpiritualibus, & reſpectu obe-
dientiæ debitæ huic vnico Chriſti Vicario,
eſſet hęreticum, & omninò deteſtabile,
quia, vt dicit Cyprianus in c. loquitur 24.
qu. 1. nemo fraternitatem fallat, Epiſcopa-
tus vnus eſt.

CAP.

CAP. XIII.

De neceſſitate huius vnici Paſtoris, & pro Chriſto Vicarij, quo in particulari egebamus ad veram Euangelicæ legis intelligentiam, & ad conuincendos Hæreticos, quos Chriſtus futuros eſſe prædixerat.

SVMMARIVM.

1 *Catholicum gregem varia inimicorum, & perſequutorum genera quotidie circumdant.*

2 *Chriſtum ſicut tentatum per omnia oportuit pati, & ità intrare in gloriam ſuam, ità & nos tentari oportet, vt in gloriam ipſius intremus.*

3 *Homo, licèt rectus creatus fuerit à Deo, ipſe tamen multis ſe implicat quæſtionibus.*

4 *Chriſtus indicens bellum fidelibus ſuis, arma eius neceſſaria ad bellum reliquit, quibus pugnarent, & ſic ad exemplum eius Paulus Ephæſijs, quibus pugnandum dixit, arma miniſtrauit.*

5 *Duces, & Principes exercitus erant deſignandi, quorum exemplo, & doctrina firmarentur infirmiores.*

6 *Acies benè ordinata tunc dicitur, quando habet vnum ſupremum ducem, quem cæteri inferiores reuereantur.*

7 *Hæreſum perſequutio, & ſchiſmatum contentio deteſtabilior eſt Eccleſiæ, quàm reliquæ.*

8 *Chriſtus veritas ipſa, & Paulus prædicator veritatis, mirabile dictu eſt, quoties, & quanta verborum exaggeratione de hæreticis futuris, & fugiendis nos admonuerint.*

9 *Hæretici ſuo ventri ſeruiunt, & per dulces, ac meloſos ſermones, & falſas benedictiones, teſte Paulo, ſeducunt corda innocentium.*

10 *Vnitate iſtius paſtoris ſuccurri debuit molatam peſtifero, & Deo in hæreſum, & ſchiſmatum remedium vnus fuit præpoſitus, ne vnuſquiſque ad ſe trahens, Chriſti Eccleſiam rumperet.*

11 *Vnitatis vincula rumperentur, ſi diuerſa capita eſſent in Eccleſia Dei non recognoſcentia vnum caput viſibile ſupremum:*

12 *In vnitate, & vnanimitate populi conſiſtit pax, ſalus, & bonum ipſius populi ad quam conſeruandam neceſſarius eſt vnus gubernator, multis enim exiſtentibus paribus rectoribus in vna vniuerſitate, & quolibet prauidente, quod ſibi foret delectabile, vniuerſitas deſtrueretur.*

13 *Hæreſes, & ſchiſmata exborta ſunt licita, quia vni ſacerdoti Dei non obtemperatur, & dum ille ſuperba quorumdam præſumptione contemnitur.*

14 *Magiſtri plures nec debemus, nec poſſumus eſſe.*

15 *Hæretici propter vnius Sacerdotis Dei obedientiam denegatam experiuntur diuerſos errores, & prauas Sacræ ſcripturæ interpretationes.*

16 *Pontifex ſupremus, & vnus in lege veteri datus fuit propter hoc malum euitandum.*

17 *Intrinſeca ab vno, quem illuminet gratia Sancti Spiritus, reuelanda ſunt.*

18 *Paſtor iſte in his, quæ ad fidelium directionem pertinent, errare non poteſt.*

19 *Vnitate hac vnici paſtoris nihil tranquillius, & melius poterat inueniri ad ſedanda hæc mala, & ideò fuit donum, & inuentio Dei.*

QVàm neceſſarius erat iſte vniens Pa-
ſtoe, & pro Chriſto Vicarius viſibilis
ad veram ſacræ Scripturæ interpretatio-
nem, & con fundendos Hæreticos, qui in
veſtimentis ouium tamquam lupi rapaces
catholicũ gregem perſequuturi erant facilè
intelliget, qui ſpiritu, & experientia ipſa
conſiderare voluerit, quot inimicorum
1 exercitus non circumdant, quot perſequu-
tionum, & tentationum genera experimur
quotidiè, colluctatio enim eſt nobis aduer-
sùs Principes, & poteſtates, aduersùs Mun-
di rectores tenebrarum harum, contrà ſpi-
ritualia nequitiæ in Cœleſtibus, ad Ephæſ.
vltimo; vt quemadmodùm caput noſtrum
2 Chriſtum tentatum per omnia oportuit pa-
ti, & ità intrare in gloriam ſuam, ſic & nos
pati, & tentari oporret, vt in gloriam ip-
ſius intremus. Ipſe enim hoc dixit: Si me
perſequuti ſunt, & vos perſequentur.
Conſtitutis ergo nobis in tam pericu-
loſo, & aſſiduo certamine, & contendere
habentibus cum Diabolo, & Angelis eius,
cùm propria concupiſcentia, & libidinoſa
vniuſcuiuſque ſenſualitate, quæ prona eſt ad
malum, C. omnis ætas 12. qu. 1. §. ſi quis
igitur, in authent. de Monach. col. 1. quia
3 natura noſtra imitatrix eſt vitiorum, cap.
procliuis 20. quæſt. 3. & quia homo, licèt
eum Dominus rectum creauerit, tamen ipſe
multis ſe implicat quæſtionibus Eccleſ. 7.
4 Æquum erat, & rationi conueniens, vt
Chriſtus Dux, Caput, & Princeps noſter
aſcendens in Cœlum, & nobis indicens in
terris bellum terribile muniret, exercitum
ſuorum Fidelium aggere vallo, & armis
neceſſarijs ad faciendum in tentatione
prouentum, 1. ad Corinthios 10. ſicut ad
exemplum, & imitationem Chriſti fecit
Paulus Epheſijs ſuis, qui in eodem capite
poſtquam eis pugnandum prædixit, arma
etiam miniſtrauit, dicens: Proptereà acci-
pite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in
die malo, & in omnibus perfecti ſtare, ſtate
ſuccinti pedes in præparationem Euangelij
pacis in omnibus ſumentes ſcutum fidei,
in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea
extinguere, & galeam ſalutis aſſumite, &
gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei per
omnem orationem, & obſeruationem oran-
tes omni tempore, &c.
5 Si ergo arma, & omnia ad obtinen-
dam victoriam neceſſaria nobis Deus do-
nauit, Duces etiam, & Principes in iſto
exercitu deſignandi erant, quorum exhor-
tatione, induſtria, imitatione, & exemplo
firmarentur infirmiores, & debiliores con-
ſoli-

ſolidarentur, ac Tribuni, Centuriones, quinquagenarij, & Decani præficiendi erant, ſicut Iethro conſuluit Moyſi, Exod. 18. qui militum inferiorum curam haberent, ſicut in omnibus exercitibus, & bellorum agminibus ſemper factum fuiſſe legimus, & fieri videmus.

6 Si igitur exercitus vnus eſt, & fuit ſemper, vt ſuprà declarauimus, & Canticor. 6. dicitur de Eccleſia, quòd eſt terribilis, vt caſtrorum acies ordinata, quis obſecro, non intelliget caſtrorum aciem ordinatam, licèt in ea ſint multi Duces, & Centuriones, referri tamen totam ad vnius Principis, & ſupremi Ducis obedientiam, quem cęteri miniſtri exercitus, & particulares milites reuereantur? Et quando vel Imperator, vel Rex perſonaliter non aſſiſtit in exercitu ſuum tamen Capitaneum, & Vicarium generalem conſtituit, in cuius obedientia à reliquis eidem præſtanda conſiſtit aciei, & exercitus congrua ordinatio.

7 Inter cæteras autem perſequutiones, & contentiones, quę contra Fideles armantur, vna fuit, eſt, & erit deteſtabilior cæteris, hæreſum ſcilicet, & ſchiſmatum abominatio, teſte Auguſtino contrà Donat. lib. 6. cap. 44. vbi ait: Hæreticum hominem peiorem eſſe quouis Ethnico, quantumcumque malo, quia execrabilior eſt, qui ſub ſpecie mutui amoris prodit amicum.

8 De qua non ſolùm Paulus, & cæteri Apoſtoli, ac ſancti Patres nos ſæpè ſæpiùs aduerterunt, verùm mirabile dictu eſt, quoties & de illis futuris, & fugiendis nos in Euangelio ipſo præmonuerit Chriſtus Dominus noſter, qui Matthæi 24. ſic ait ad Diſcipulos: Videte, ne quis vos ſeducat; multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent.

Et paulò inferiùs: Et multi Pſeudo-prophetæ ſurgent, & ſeducent multos.

Et ſtatim tunc: Si quis vobis dixerit: Ecce, hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere. Surgent enim Pſeudo-prophetæ, & Pſeudo-chriſti, & dabunt ſigna magna, ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi, pondera, obſecro, Chriſti exaggerationem. Ecce prædixi vobis, conſidera dictionem. Ecce, quæ non modicam aduertentiam poſtulat poſt tantam de futuris Pſeudo-prophetis monitionem. Si ergo prædixerint, ecce in deſerto eſt, nolite exire, ecce in penetrabilibus eſt, nolite credere.

Lege obſecro, totum illud caput Matthæi, & videbis quanta verborum exaggeratione, & hæreſes futuras prænunciet, & fugiendum ab eis præmoneat.

Vide etiam iſta eadem verba Marci 12. & Lucæ 21. quaſi in ſubſtantia. Sic etiam dixerat Chriſtus: Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, interinſecùs autem ſunt lupi rapaces.

Vide etiam ad Galatas 1. Paulum mirantem, & in hæc verba clamantem: Miror, quòd ſic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Chriſti, in aliud Euangelium, quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Chriſti, ſed licèt nos, aut Angelus de Cœlo euangelizet vobis, præterquam quod Euangelizauimus vobis, anathema ſit, ſicut prædiximus, & nunc iterùm dico, ſi quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit.

Vide quibus verbis nos admoneat fugere ab Hæreticis, quaſi Angelos de Cœlo contrarium docentes anathematizans, ſi fieri poſſet, vt & Chriſtus dixit, poteſt, quòd etiam in errorem ducantur electi, ſi fieri, tales enim exaggerationes non fierent per Chriſtum Dominum noſtrum, nec per illud Vas Electionis Cœlorum ſcrutatorem, & conſcium arcanorum Dei, niſi grauitas, & periculum materiæ ſubiectæ poſtularet.

Et ad Romanos cap. fin. Vltimum vale
dicens, ità exhortatur: Rogo autem vos
fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones,
& offendicula præter doctrinam, quam vos
didiciſtis, faciunt & declinate ab illis,
huiuſmodi enim Chriſto Domino noſtro
9 non ſeruiunt; ſed ſuo ventri, & per dulces
ſermones, & benedictiones ſeducunt corda
innocentium, veſtra enim obedientia in
omni loco diuulgata eſt. Vide obſecro,
quàm benè depingit nebulones iſtos noſtri
temporis. Vide ad Timotheum, ad
Titum, ad Epheſios, ad Corinthios,
quaſi in omnibus epiſtolis videbis præceptum de fugiendis Hæreticis, & Schiſmaticis, qui ab huius ouilis, & Paſtoris vnitate recedunt, quid referam Petrum, Ioannem, Iacobum, & Iudam, qui omnes in ſuis epiſtolis malum hoc præcauendum, quia futurum annunciauerunt.

Oportet enim, inquit Paulus, hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis, ideſt appareat vnuſquiſque, quàm tenax, & quàm fidelis ſit Catholicæ fidei conſeruator, vt & Deuteronomij 13. dicitur, quia tentat vos Dominus, an diligatis eum, an non, & vt hoc palàm fiat.

Huic malo tam peſtifero nihilo me-
10 liùs prouidere potuit, quin ſancti huius
Paſtoris, & pro Chriſto Vicarij viſibilis
vnitate præmiſſa, vt dicit beatus Hierony-
mus in cap. legimus diſt. 93. vbi ait, quòd
vnus electus eſt, qui cæteris præponeretur,
in ſchiſmatis remedium factum eſt, ne
vnuſquiſque ad ſe trahens, Eccleſiam Chri-
ſti rumperet. Et gloſſa Matthæi 16. ſuper
illis verbis: Tibi dabo claues Regni Cœ-
lorum, dicit, quòd ideò Principem Apo-
ſtolorum fecit Petrum, & Paſtorem Eccle-
ſiæ, vt Eccleſia vnum Chriſti haberet Vica-
11 rium, ad quem diuerſa membra recurre-
rent, ſi fortè inter ſe diſſentirent, quia di-
uerſa capita ſi eſſent in Eccleſia, vnitatis
vincula rumperentur, vbi Hieronymus ait,
ex duodecim vnus eligitur, vt, capite con-
ſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio.

12 Albericus etiam noſter in prima conſtitut. ff. veteris allegando Dantem: & fratrem Ægidium de regimine Principum, dicit, quòd in vnitate, & vnanimitate populi conſiſtit pax, ſalus, & bonum ipſius populi, teſtante Caſſiodoro, qui ait, omni quippè Regno deſiderabilis debet eſſe

eran-

tranquillitas, in qua & populi proficiunt, & vtilitas cuſtoditur, & multitudo ſibi ipſi diſſentiens, oneroſa eſt, & nil habens honeſti, §. penult. in authenr. de referenda. Et ad eandem gubernandam opus eſt, quòd ſit vnus gubernator.

Proberbiorum 11. Vbi non eſt gubernator, populus corruet; & ideò regimen quantò efficaciùs fuerit ad vnitatem conſeruandam, tantò erit vtiliùs.

Hoc autem commodiùs fieri poteſt per vnum, quàm per plures, in pluribus enim requiritur quædam vnio ad hoc, vt modo debito regere poſſint, vnici verò dicuntur plura per appropriationem ad vnū, multis enim exiſtentibus paribus in vna vniuerſitate rectoribus, & quolibet prouidente, quod ſibi foret delectabile, vniuerſitas de facili deſtrueretur, & vnitas non poſſet in ſeipſa ſubſiſtere. Verba ſunt Alberici, vbi allegat Philoſophum 12. Metaphiſicæ, Dantem, fratrem Ægidium de regimine Principum; & Magiſtrum Ioannem Pariſienſem in libro de poteſtare Papali, & Imperiali; & illud Ezechielis cap. 38. Seruus meus Dauid Rex erit, & Paſtor ę vnus omnium illorum.

Vide, obſecro, Albericum ibi, & eleganter Innocentius IV. in cap. 1. de homic. lib. 6. dicebat, quòd ideò Dominus vnum Vicarium viſibilem loco ſui reliquit in terris, ne gregem pretio ſui Sanguinis glorioſi redemptum, aſcenſurus poſt reſurrectionem ad Patrem, abſque Paſtore deſereret, & vt ſuæ ſtabilitate fidei cæteros in Chriſtiana religione firmaret, eorumque mentes ad opera ſalutis accenderet deuotionis ardore.

13 Et Cyprianus in epiſtola ad Cornelium dicebat, nec aliundè nata ſunt ſchiſmata, quàm cum Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia Sacerdos vice Chriſti cogitatur, cui ſi ſecundùm magiſteria Diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, non diſſidio vnitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet.

Et in epiſtola ad Florentium ait: Indè enim ſchiſmata oriuntur, dùm Epiſcopus, qui vnus præeſt, ſuperba quorumdam præſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus indignus hominibus iudicatur.

Et idem in epiſtola ad Gratianum: Hæc, inquit, ſunt Hæreticorum initia, & ortus, atque conatus Schiſmaticorum malè cogitantium, vt ſibi placeant, & præpoſitum ſuperbo tumore contemnant, ſic de Eccleſia receditur, ſic altare prophanum foris collocatur, ſic contra pacem Chriſti, & ordinationē, atq; vnitatem rebellatur. Hęc Cyprianus martyr, & Doctor egregius.

14 Hic eſt, qui poteſtate ſibi tradita lupos venientes in veſtibus ouium arcere debet, & perſuadentibus Chriſtum eſſe in domo, & in deſerto, & penetralibus obuiare auctoritate ſcientiæ ſibi donatæ, neque enim plures magiſtri eſſe poſſumus, teſte Iacobo, nec doctrinis variis, & peregrinis abduci, nec ſe duci debemus, ad Hebræos vlt. nec fluctuantes, omni vento doctrinæ moueri debemus.

Sunt enim difficilia quædam in ſacra Scriptura, vt de epiſtolis Pauli dixit, beatus Petrus 2. Petri 17. & teſte Paulo 2. ad Corinth. 4. Opertum eſt Euangelium ijs, qui pereunt; & teſte Hieronymo in epiſtola ad Algaſiam, omnis epiſtola Pauli ad Romanos, nimis obſcurationibus inuoluta eſt.

Et in lege veteri difficilia erant, & ambigua, quamvis lex data, & ſcripta fuiſſet in tabulis lapideis, ad quorum ſolutionem neceſſaria erat ſummi Sacerdotis auctoritas.

Noſtra autem lex non fuit data in ſcriptis per Chriſtum à principio, vt infrà dicemus, & iſto reſpectu magis indigebamus Paſtore, & Pontifice viſibili.

Sed dicant hoc Hæretici ipſi, ſi fateri volunt veritatem, quòd ſecta ſectas perditionis, quòd errorum diuerſitates, quod prauorum interpretationum ad ſacram Scripturam confuſiones experiuntur quotidiè, quod enim vnus ſeminauit hodie, cras alter conatur euellere, nouam ſuperſeminans zizaniam.

Et Ezechielis 13. legitur: Vę Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident.

15 Vnico ergo viſibili magiſtro in terris
opus erat nobis poſtquam miraculoſam
Dei reſponſionem ad dubia, quæ occurrere
potuiſſent non meremur, vt ipſe nobis cer-
16 tiſſimum præberet oraculum, quemadmo-
dùm in lege veteri prouiſum extiterat in
illa auctoritate Deuter. 13. ſuperiùs declarata.

Et Deuter. 13. aduertitur: Si ſurrexit in medio tui Propheta, aut, qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum, atque portentum, & euenerit, quod loquutus eſt, & dixerit tibi: eamus, & ſequamur Deos alienos, quos tu ignoras, & ſeruiamus eis, non audies verba Prophetæ illius, aut ſomniatoris, quia tentat vos Dominus, vt palàm fiat, an diligatis eum, an non.

Quis ergo nobis dicet, ſi eſt ſomniator, an non, maximè cùm videamus portentum illud, quod fecit, & eueniſſe, quod loquutus eſt, vt vbi dicitur: Quis, inquam nobis poterit ſatisfacere, qui ſumus infirmi, & omni vento doctrinæ circumferimur, ſi non ſtatuamus vnum Archimagiſtrum, & pro Chriſto Doctorem, cuius obedientiæ, & reſponſo tenaciter inhęreamus, præſertim cùm tot Pſeudo-prophetas, & Hæreticos veritas ipſa Chriſtus.

Et Paulus Prædicator Veritatis venturos prædixerint? Quem obſecro infirmorum non decepiſſet tot prodigijs Simon Magus, ſi Simon Petrus ei non obuiaſſet?

Si Paulus dicit: Nolite omni ſpiritui credere; opus eſt ergo, quòd aliquis Spiritus certus, & infallibilis circa rem tam neceſſariam præſupponatur in terris, cui credere debeamus? Si 1. ad Corinthios 8. & ad Coloſſenſes 2. dicitur: Nemo vos decipiat in ſublimitate ſermonū per philoſophiam, & inanem fallaciam, nonne oportet eſſe aliquem vnum, qui nobis ediſſerat illam eſſe inanem fallaciam cum ſermonum ſublimitate permixtam, & iſtum eſſe falſum Prophetam, qui licèt oculis ſimplicibus appareat

pateat veſtitus veſtimentis ouium, lupus tamen rapax eſt intrinſecus;

17 Intrinſeca ergo ab aliquo vno, quem illuminet gratia Spiritus ſancti, reuelanda ſunt, quemque nos viſibilem agnoſcamus reſponſorem, poſtquam miraculoſam Dei, & Chriſti Ieſu reſponſionem, neque meremur, neque expectamus, niſi per ſacram iſ-eius vnici Paſtoris, & pro Chriſto Vicarij doctrinam, & monitionem, qui lac paruulis, & eſcam alijs ſuo tempore miniſtrabit.

Vndè Hieronymus eleganter in dicto cap.legimus, diſtinct.93. dicebat, quòd autem vnus electus eſt, in ſchiſmatis remedium factum eſt, ne vnuſquiſque ad ſe trahens, Eccleſiam Chriſti rumperet.

Et idem Hieronymus aduersùs Luciferianos ait: Eccleſiæ ſalus in ſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exors quædam, & ab omnibus eminens poteſtas detur, tot in Eccleſia efficientur ſchiſmata, quot Sacerdotes.

18 Hunc ergo vnicum Paſtorem ſequi, & venerari debemus, & eidem in omnibus, quæ præceperit, humiliter obedientes confiteamur, cùm in his, quæ ad ouilis gubernationem pertinent, errare non poſſet, qui ſicut eſt pro Chriſto Vicarius, ità & ab ipſo Chriſto regitur in his, quæ vt Chriſti Vicarius operatur, & diſponit ad gregis ſibi commiſſi directionem: & hoc ſundamento ſolido, & Catholico præmiſſo, neque oues huic Paſtori obedientes errabunt, neque Deus, ſtante lege, eas de tali obedientia reprehendet, quia, qui fecit eas oues huius ouilis, voluit eas eſſe humiles, & obedientes Paſtori eiuſdem ouilis; & poterunt dicere cum beato Hilario: His immedicabiliter imbutus ſum, in his commori poſſum, emendari non poſſum, & pabulum mihi à tuo Paſtore, & Vicario miniſtratum, à te miniſtratum Deus meus agnoſco, magis volo ouis tua de illa obedientia, quam mihi præcepiſti tibi ſatisfacere, quàm de ſacrificio, iuxtà conſilium ſerui tui Samuelis 1.Regum 15. cap. ſi qui ſunt Presbyteri diſtinct.81. & cap.illud, de maior.& obedient. eligat Paſtor à te conſtitutus prata, in quibus depaſcere debeam, quia nociua eſſe non poterunt; & ſi potuiſſent nocere, quod eſt, & erit impoſſibile, non ab oue obedienti, ſed à Paſtore tuo, quem mihi dediſti, rationem ſuæ villicationis petere debes iuxtà legem à te conſtitutam; quæ omnia ſi rectè conſiderantur, omnis cura, omnis hæſitatio, omnis denique Hæreticorum ſuggeſtio à nobis procul abeſſet, & ſecuri intrà hoc ouile recumberemus, nihil ſolliciti, niſi Chriſto, & eius Vicario obedire, ſcientes, quòd ſi magiſtri eſſe plures voluerimus, maius iudicium ſumimus in nobis, vt dicit beatus Iacobus in ſua Canonica. Et beatus Paulus ad Hebræos 13. hoc nobis inſinuat, dicens: Obedite præpoſitis veſtris, ipſi enim peruigilant, quaſi reddituri rationem pro animabus veſtris.

19 Qua tranquillitate nihil nobis tranquilliùs, & iucundiùs ad paſtus ſecuritatem poterat excogitari.

Donum quidem Dei, & inuentio fuit ad tollendas confuſiones, & ſcandala, quæ ex Magiſtrorum pluralitate proficiſcuntur.

Hæc volui ex ſacris literis, & ſanctis Patribus in commendationem huius vnitatis congerere teſtimonia; & licèt aliqua ex illis ad vnitatem charitatis, & gratiæ applicentur, vt oratio illa Chriſti, Ioann.10. vt ſint vnum, ſicut & nos, iuxtà textus in cap. damnamus, de ſumma Trinitate, vbi textus dicit, cùm veritas pro Fidelibus ſuis orat ad Patrem, volo, inquiens, vt ſint vnũ, ſicut & nos vnum ſumus. Hoc nomen vnum pro Fidelibus accipitur, vt intelligatur vnio charitatis in gratia.

Tamen & ex ipſis poteſt hæc fidei, & ouilis vnitas comprobari, teſte enim Gregorio ſuper Ezechielem, niſi priùs fides teneatur, nullatenùs ad ſpiritualem amorem attingitur, non enim charitas fidem, ſed fides charitatem præcedit. Et, vt dicit Ambroſius libro de Cain, & Abel, fides eſt radix omnium virtutum. Et Auguſtinus de fide ad Petrum, fides eſt humanæ ſalutis initium, ſine hac nemo ad filios Dei poteſt peruenire, ſine hac omnis labor vacuus eſt. Ideò auctoritates illæ ad vnitatem huius fidei, & ouilis, tamquam ad fundamentum, & radicem aliarum virtutum comprobandam adducuntur.

CAP. XIV.

In quo monſtratur primum pro Chriſto Vicarium, & Paſtorem huius Ouilis fuiſſe Beatum Petrum Apoſtolorum Principem, & eidem à Chriſto fuiſſe promiſſum hunc paſtoratum.

SVMMARIVM.

1 *Paſtoratus iſte fuit promiſſus Petro in illa auctaritate Matthæi 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c.*

2 *Filiationem adoptiuam Dei, vt conſequerentur homines quantumcumque Sancti, neceſſe fuit, iuxtà Domini diſpoſitionem, Deum hominem factum mori, non ſic in Chriſto filio vero Dei viui.*

3 *Petrus appellatur Bariona, hoc eſt filius columbæ, quaſi filius Spiritus Sancti, Hieronymo teſte.*

4 *Paſtoratus Petri confirmatur Lucæ 22. vbi Chriſtus ad Petrum dixit, ego rogaui pro te, vt non deficiat fides, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.*

5 *Petri nomen primo loco præponitur ab Euangeliſtis ante nomina aliorum Apoſtolorũ.*

6 *Petrus per aquam venit ad Chriſtum, alijs nauigio venientibus, in ſignum maioris Pontificij, teſte Bernardo.*

7 *Petro dictum eſt, duc in altum rete, alijs, quòd laxent retia, in teſtimonium maioris poteſtatis, teſte Ambroſio.*

8 *Petro ſoli dictum eſt, vt ſoluat didrachma pro Chriſto, & pro ſe, tamquam patrefamilias deſtinato pro Chriſto.*

9 *Petro ſoli dictum eſt, vt hamo piſcet, intelligendo per hamum ferrum iuriſdictionis,*

qua

qua Petrus alijs præeſſe debebat, teſte Ambroſio.

10 *Petrus tamquam dux aliorum reſpondit Chriſto Ioan.6. Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes, nos credimus, & cognouimus, quia verba vitæ æternæ habes*

11 *Petrus de omnibus diſcipulis curam habens dixit, ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te, quid ergo erit nobis?*

12 *Petro dicitur tamquam capiti, ſi peccauerit in te frater tuus, corripe eum, &c. & ipſe reſpondet interrogans, quoties debeat hoc facere?*

13 *Petro impoſitum eſt nomen Cephas, quod interpretatur caput, & ipſe quaſi inſtructionis aliorum curam gerens dicit, ediſſere nobis parabolam hanc.*

14 *Petrus præ cæteris increpatur, quando Chriſtus inuenit dormientes, quaſi ex commiſſo officio debuerit plùs vigilare.*

15 *Petrus humilitate magna reſiſtebat humilitati Chriſti in lotione pedum dicens, tu mihi lauas pedes, & non lauabis mihi pedes in æternum.*

16 *Petrus tamquam dux illorum, qui Ieſu Chriſti partes agebant, eduxit gladium, & amputauit auriculam Malchi feruens amore magiſtri, quem vinctum, & à ſuis derelictum aſpiciebat.*

17 *Petrus licèt conſuluiſſet Chriſtum eo tempore dicens, Domine ſi percutimus in gladio nullam tamen reſponſionem expectauit eius amor inflammatus.*

18 *Chriſtus multis verbis, & rationibus perſuaſit flammato amori Petri, vt ab armis, & impedimento tam neceſſariæ paſſionis deſiſteret.*

19 *Petrus tam amare fleuit propter negationem, vt in eius facie callos haberet, per quos lachrimæ decurrebant.*

20 *Petro per verba illa Matthæi 16. promiſſus fuit paſtoratus, quæ erant de futuro.*

21 *Electione facta, etiam in concordia, de aliquo ad dignitatem, opus eſt, vt poſteà confirmatio ſubſequatur.*

1 POſtquam in ſuperioribus oſtendimus vnitatem huius ouilis, & paſtoris pro Chriſto Vicarij eſſe de neceſſitate ſalutis, & à Chriſto Domino noſtro traditam ſub præcepto. Supereſt nunc iam intelligere, quis ſit iſte Vicarius, & quis primo fuerit huic paſtoratui deſignatus poſt Chriſti ad Cœlos aſcenſum.

Et quidem, ſi ſanis, & ſimplicibus oculis id inſpiciamus, non tumidis, aut ſuperbis, luce clariùs inueniemus beatiſſimo Petro Apoſtolo fuiſſe primo loco demandatam hanc prouinciam. Nam in primis adducitur inſignis ille tex. Matth. 16.
1 quando ſcilicet Chriſtus interrogabat diſcipulos ſuos, quem dicunt homines eſſe filium hominis, reſponderunt ipſi, Alij Ioannem Baptiſtam, alij Heliam, aut vnum ex Prophetis, & dicente Chriſto, vos autem, quem me eſſe dicitis? reſpondit Simon Petrus, tacentibus alijs, fide plenus, vt verbis Hilarij vtar lib. de Trinitate, in cunctorum Apoſtolorum ſilentio, Dei filium reuelatione Patris intelligens, vltrà humanæ infirmitatis modum, & dixit: Tu es Chriſtus filius Dei viui, per quæ verba, filiús Dei viui, veram diuinitatem confeſſus fuit.

2 Nam prædeſtinati homines, & Sancti, etiam ſi filij Dei nominentur, & ſint, teſte Ioanne, tamen hanc filiationem adoptionis, vt conſequerentur, neceſſe fuit Deum fieri hominem, & ſic factum hominem mori. At Chriſtus Dominus noſter veram, non adoptiuam filiationem Dei viui ab æterno habuit, nec pro illa conſequenda oportuit Deum fieri hominem mortalem. Confeſſus eſt etiam Petrus veram Chriſti humanitatem, vt Lyra ponderat in illis verbis, Tu es Chriſtus &c.

In remunerationem ergo tam ſublimis, & glorioſæ confeſſionis meruit à Chriſto audire, beatus es Simon Barjona, qui caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portę inferi non præualebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cęlis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cęlis. Mercedem recepit vera confeſſio, inquit, Hieronymus, ibi, Beatus es Simon Bariona, quia non reuelauit tibi caro, & ſanguis, quod caro, & ſanguis reuelare non potuit, Spiritus Sancti gratia reuelatum eſt, ergo ex confeſſione ſortitur vocabulum, quòd reuelationem ex Spiritu Sancto habeat, cuius, & filius appellandus ſit, ſiquidem Bariona in noſtra lingua ſonat filius Columbæ, quibus ver-
3 bis Hieronymus Petrum quaſi filium Spiritus Sancti nominare videtur, vt intelligas lector, propter tam glorioſam confeſſionem, quem titulum audire meruit. Et ego dico tibi, cuius dicere, facere eſt, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Per iſta verba fuiſſe Petro primatum hunc promiſſum dumtaxat, teſtantur tot Sacri doctores relati à Roffenſe articulo 25. à Pighio lib. ſecundo de eccleſiaſtica Hierarchia, & ab Echio in Enchiridione, & libris etiam de primatu Petri, quòd eos recenſere non eſſet, niſi tranſcribere verba eorum, videbis Cyprianum, Irenęum, Dionyſium, Originem, & pleroſque alios, tàm antiquos, quàm nouiſſimos, quibus quanto maior fides ſit adhibenda, quàm hæreticis noſtri temporis, ſatis oſtendit vicinitas eorum ſæculis Apoſtolorum, ſanctitas vitæ, martyrium Dionyſij, & Cypriani, & eruditio illorum ſanctorum Patrum collata cum libidine, ſuperbia, & noua chimera iſtorum, qui vt voluptatibus ſuis, & carnalibus deſiderijs ſubſeruirent, noua hæc, & à tanta ſanctitate, & eruditione diſſonantia phantaſmata ſuſcitarunt, contrà veritatem Eccleſiæ, & proprietatem verborum, tàm apertè primatum hunc comprobantium.

4 Citatur etiam, & illud Lucæ 22. teſtimonium, vbi Chriſtus dixit Petro. Simon ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret

ret ſicut triticum, ego autem rogaui pro
te, vt non deficiat fides tua, & tu ali-
quando conuerſùs, confirma fratres tuos,
tranſumptiuè in cap. 1. 21. diſt. & in cap.
maiores de Baptiſmo, vbi nominatim, &
diſiunctim ab alijs, eum vocat, & commu-
nem omnium tentationem prædixit ibi, ex-
petiuit vos, & tertiò ad Petrum ſpecia-
liter, ego rogaui pro te, non dixit pro
vobis, vt non deficiat fides tua, non dixit,
veſtra, & in præſentia aliorum dixit, & tu
confirma fratres tuos, ego tui, & tu illo-
rum curam habentes. Quid obſecro aper-
tiùs, & clariùs poteſt adduci auctoritate
iſta, in qua pro Petro rogat Chriſtus, & pe-
tit indefectibilitatem fidei, & poteſtatem
confirmandi fideles, vide, quos ſuprà cita-
ui conferentes, quaſi eoſdem ſanctos Pa-
tres, ſuper hoc teſtimonio.
5 Allegatur etiam in comprobationem
huius primatus, quòd Matthæi 10. Marci 3.
& Lucę 6. Apoſtolorum nomina recitantur,
& ſemper à primo Petro incipit nomina-
tio, vt ponderant Hieronymus, & Chry-
6 ſoſtomus ibi relati, & quod Ioannis 21.
legitur, quando ſolus Petrus per aquam
venit ad Chriſtum, alijs nauigio venienti-
bus, vt ponderat Bernardus, in ſignum
ſingularis Pontificij lib. 2. de conſideratio-
7 ne ad Eugenium ibi relatus, & Lucæ 5. alijs
Diſcipulis dicitur, quòd laxent retia, ſoli
Simoni dicitur, duc in altum, vt per Am-
broſium in cap. non turbatur 24. qu. 1. vbi
ait, & ſi alijs imperatur, vt laxant retia, ſoli
tamen Petro dicitur, duc in altum, hoc eſt in
profundum diſputationum, quid enim, tam
altum, quam altitudinem diuitiarum vide-
re, id eſt ſcire Dei filium, & profeſſionem
diuinæ generationis aſſumere, quam licèt
mens nequeat humana plenæ rationis in-
ueſtigatione comprehendere, fidei tamen
plenitudo complectitur.
Et Matthæi 17. ſoli Petro in præſentia
8 aliorum Diſcipulorum præcipitur, vt ſol-
uat didrachma pro Chriſto, & pro ſe ipſo
Petro, tamquam ſuperiore aliorum, vt etiā
9 ponderant Sancti Patres ab Echio, & alijs
congeſti, & ei dicitur. Mitte hamum, quo
genere Apoſtolico piſcandi ſolus Petrus
piſcari iubetur, vt ponderat Ambroſius in
cap. eſt aliud 24. quæſt. 1. intelligendo per
hamum, ferium iuriſdictionis, qua Petrus
præfuit alijs, vt ibi declarat gloſ. notab.
10 Adducitur etiam illud inſigne teſti-
monium de fide Petri Ioannis 6, quo feruor
amoris eius ad Chriſtum inſpi citur. Quan-
do, dicente Domino, niſi manducaueritis
carnem filij hominis, & biberitis eius ſan-
guinem, non habebitis vitam in vobis, mul-
ti ex diſcipulis abierunt retrorsùm, & non
iam cum Ieſu ambulabant, dixerant enim,
durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum
audire, & conuersùs Chriſtus ad duode-
cim dixit, numquid, & vos vultis abire?
reſpondit Petrus vnus, vt ibi gloſſa dicit,
pro omnibus, & tamquam Dux omnium
deſtinatus, Domine, quo ibimus? verba
vitæ æternæ habes, & nos credimus, & co-
gnouimus, quia tu es Chriſtus filius Dei.
11 Et Matthæi decimonono, quo tem-
pore iam erat ſibi promiſſa Eccleſię guber-
natio, tamquam curam gerens aliorum, in-
terrogauit. Ecce nos reliquimus omnia,
& ſequuti ſumus te, quid ergo erit nobis?
& ſimiliter Matthæi decimo octauo reſpi-
ciens Ieſus in Diſcipulos ſuos dixit Simo-
12 ni Petro, tamquam capiti. Si peccauerit
in te frater tuus, etc., & ipſe reſpondit
interrogans, ſi vſque ſepties deberet corri-
gere, quæ omnia poſt promiſſum primatum
hunc contigerunt, & ad hunc primatum
comprobandum ponderat ea ibi Chry-
ſoſtomus eleganter. Quid prætereà refe-
ram, quando impoſitum eſt ſibi nomen Cę-
13 phas, quod interpretatur caput, & prin-
cipium Apoſtolatus, teſte Anacleto in capi-
te Sacroſancta vigeſima ſecunda diſt. quid,
quando Matthæi decimoquinto, & Lucæ
decimo octauo, dixit, Domine ediſſere no-
bis parabolam hanc, quaſi inſtructionis
aliorum curam habere profeſſus? quid, quā-
14 do Marci decimo quarto, Dominus reuer-
ſus eſt ad Diſcipulos tres, & inueniens eos
dormientes, Petrum prę cęteris increpat di-
cens. Simon dormis non potuiſti vna ho-
ra vigilare mecum, quaſi ex commiſſo ſibi
officio debuerit plùs reliquis vigilare.
Quid commemorem, quod factum fuit in
lotione pedum tempore Cœnæ, quando
venit primo loco, vt ad præſidem aliorum
ad Simonem Petrum, qua admiratione,
qua humilitate Chriſti humilitati reſiſte-
bat dicens: Domine tu mihi lauas pedes,
tu, quem ego confeſſus ſum filium Dei viui,
lauas immundos pedes mihi, qui ſum pul-
uis, & cinis? non lauabis mihi pedes in
æternum, & replicante Domino, ſi non la-
uero te, non habebis partem mecum: Ti-
more tantæ pœnæ replicat Petrus, Domi-
ne ne à tuo conſortio ſeparer, non tam pe-
des, ſed manus, & caput, & ſic cæteri ta-
cuerunt, tamquam capite deſtinato eiſdem
iam confutato. Quid etiam rememorer
tempora paſſionis, quando tanto amore
accenſus, & inflammatus promiſit, quod
poſteà per fragilitatem adimplere non po-
tuit. Et ſi oportuerit me commori tecum,
non te negabo, a qua promiſſione ſi ad vo-
cem ancillæ defecit, vide, quid priùs con-
tra fortiſſimum militem aggreſſus fuit,
quando traditor Iudas dux eorum, qui
comprehenderunt Ieſum cum miniſtris, fa-
16 cibus, & armis acceſſit ad Chriſtum, &
oſculatus eſt eum, cæteri verò iniecerunt
manus in Ieſum, & Diſcipuli omnes, reli-
cto eo, fugerunt. Solus autem Petrus tam-
quam dux eorum, qui Ieſu Chriſti partes
agere debebant, eduxit gladium, & percuſ-
ſit Pontificis ſeruum, auriculam eius præ-
ſcindens, & mortis periculo tam notorio
ſe ſolus exponens contra tot aduerſarios
feruens amore magiſtri, quem ligatum, &
oppreſſum, ac à ſuis derelictum aſpicie-
bat. Nec myſterio vacauit auriculæ hu-
ius abſciſſio, teſte Gregorio in cap. ſi Pe-
trus 24. quæſt. 1. vbi ait, ſi Petrus volens
percuſſit aurem, docuit, quòd aurem in
ſpecie habere non deberent, quam in mini-
ſterio non habebant, ſed bonus Dominus,
& ipſi refundit auditum ſecundùm pro-
phetica dicta demonſtrans, & ipſos, ſi con-
uertantur, poſſe ſanari, qui in paſſione
Chri-

Chriſti vulnerati ſunt, eò quòd omne peccatum in miniſterio fidei abluatur. Tollit ergo Petrus aurem, quare Petrus, quia ipſe eſt, qui accepit claues Regni Cœlorum. Ille enim condemnat, qui & abſoluit, quoniam ligandi, & abſoluendi ipſe eſt, qui accepit poteſtatem, tollit autem aurem malè audientis, tollit gladio ſpirituali au-
17 rem interiorem malè intelligentis, & licèt priùs Dominum conſuluiſſet dicens. Domine ſi percutimus in gladio, nullam tamen potuit eius amor inflammatus reſponſionem expectare, nec quamuis ſolus erat, timuit tantum concurſum, & multitudinem armatorum, nec à propoſito deſti-
18 tiſſet, quamuis trucidandum ſe videbat à tantis, ſi & Chriſtus non dixiſſet. Mitte gladium tuum in vaginam, Calicem, quem dedit mihi pater, non vis, vt bibam illum? an putas, quia non poſſum rogare patrem modò, & exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum? quomodò ergo implebuntur Scripturæ? Vide, quot rationibus, & verbis oportuit Chriſtum perſuadere flammato amori beati Petri, vt ab armis, & impedimento tam neceſſariæ paſſionis deſiſteret, & deſtitit Petrus, vt Chriſto obediret, & ne iterum audiret, vade poſt me Sathan, Matth. 16. vbi Sathan fuit appellatus, quia auſus fuit dicere, Domine non erit tibi hoc, & ſic Petrus conuertit gladium in vaginam, & tamen non per hoc præceptorem deſeruit, ſed continuò ſequutus eſt eum vſque ad fragilem negationem, pro qua poſteàquam amare fleuerit, referunt Euangeliſtæ, refert etiam bea-
19 tus Clemens eius diſcipulus, quòd quotidianam fletus amarè pro illa negatione pœnitentiam agebat, adeò, vt in eius facie callos, per quos lachrymæ decurrebant, quiſquis aſpiceret. Quibus omnibus auctoritatibus facilè, & apertiſſimè conuincentur omnes, niſi qui Spiritui ſancto obſtinatè reſiſtant credere primatum hunc fuiſſe Petro conceſſum in pręmium tam glorioſæ confeſſionis. Et eumdem beatum Petrum à Chriſto fuiſſe deſtinatum, & electum in paſtorem, ac pro Chriſto Vicarium huius ouilis, pręcipuè Matth. 16.
20 dum ſibi dictum eſt. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues Regni Cœlorum, quodcumque ſolueris ſuper terram, &c. quæ verba cum omnia ſint de futuro, non eſt mirùm, ſi gloſſa in cap. in nouo 21. diſt. verbo, Tu es, & in can. conſiderandum l. diſtin. & Panormitanus in cap. ſignificaſti de electione, & in alijs multis locis dixerint alij Canoniſtæ, promiſſione, & deſtinatione fuiſſe per illa verba electum beatum Petrum, præſertim cum per verba de præſenti tam aperta, & manifeſta primatus iſte, vel collatus, vel confirmatus fuerit, Ioan. vltimo, quando dictum eſt ei: Paſce oues meas, non ergo negaut Canoniſtæ Catholici (prout hæretici contrà eos cauillantur) locum illum Matth. 16. non probare primatum Petri. Immò concludentiſſimè illum probat, prout, & in varijs decretis adhoc citatur textus ille, ſed tantùm dicunt per illa verba probari electionem, & deſtinationem à Chriſto factam de Petro ad huius dignitatis apicem. Collationem autem, ſeu confirmationem accepiſſe Ioan. vltimo paulò antequam Chriſtus Cœlos aſcenderet. Nam vt ſæpè diximus, pro tempore, quo Chriſto viſibili, & affabili ſecundùm præſentiam humanæ conuerſationis fruebatur ille puſillus, & Apoſtolicus grex, nullo alio paſtore, & dore indigebat, qui in carne videbat, & facie ad faciem alloquebatur regem regum, doctorem doctorum, & dominum dominantium. Fuit ergo Petrus per illa verba ſecundum Canoniſtas, electus in paſtorem, & pro Chriſto Vicarium, collatus autem actualiter, & confirmatus per illa verba: Paſce oues meas, ſicut & experientia nos docet, & quotidiè videmus de iure, & de facto ſeruari, nam in dignitatibus, tam eccleſiaſticis, quàm ſecularibus vltrà electionem, & nominationem, etiam in concordia factam de aliquo, quamtumuis benè meritò, interponitur confirmatio adminiſtrationi neceſſaria, iux. cap. cupientes de elect. lib. 6. cum multis ſimilibus, & iuxtà illud Pauli, nemini citò manum imponas. Sed ſiue per illa verba: Tu es Petrus, &c. electus fuerit tantùm, ſeu (vt alij volunt) primatum acceperit, vtcumque ſit, & deciſioni Sedis Apoſtolicæ tamquam magiſtræ veritatis totum id relinquendo, locus ille pro primatu Petri ab omnibus, & Theologis, & Canoniſtis vniformiter allegatur tamquam ſolidiſſimum huius Cathedræ fundamentum. Sed audiamus, obſecro, & perpendamus textum illum Ioan. vltimo, in quo ſecundùm Canoniſtas actualis collatio, confirmatio, & realis inueſtitura Petro facta per Chriſtum Dominum paulò antequam Cœlos aſcenderet, irrefragabiliter probatur.

CAP. XV.

In quo probatur Paſtoratum, & iſtum pro Chriſto Vicariatum fuiſſe Petro collatum poſt reſurrectionem, paulò antequam Chriſtus Cœlos aſcenderet.

SVMMARIVM.

1 *Petrus, & Ioannes auditis mulieribus, licèt ambo cucurrerint ad monumentum, & licèt Ioannes præcucurriſſet citiùs Petro, tamen Petrus introiuit primus in monumento, tamquam Pontifex aliorum in ſancta ſanctorum.*

2 *Petro ſoli, nulla facta de Ioanne mentione, attribuit Lucas iter ad ſepulchrum, non quòd Ioannes ibi non fuerit, ſed quia de ſolo prælato dicitur, profectus eſt ad talem locum, nulla de comitibus eius facta mentione.*

3 *Diſcipuli Emaùs reuerſi inuenerunt alios loquentes de apparitione facta Petro, & dicentes; ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni tamquam capiti eorum ad inſtru-*

inſtructionem noſtram, vt de nulla do-
ctrina loquamur tàm certè, ſicut de illa,
quam Chriſti Vicarius, vel ſibi reuela-
tam, vel à ſe approbatam dicat.

4 *De Petri apparitiane dicitur: ſurrexit Do-*
minus verè, & apparuit Simoni.

5 *Angeli in reuerentiam Petri dixerunt mu-*
lieribus, ite, dicite Diſcipulis eius, &
Petro.

6 *Petrum ſequentes Diſcipuli, etiam quando*
vadit piſcari, meruerunt videre Domi-
num.

7 *Petrus poſt reſurrectionem videns Dominum,*
in mare ſe miſit, non timens profundita-
tem eius, nec veatum.

8 *Chriſtus Ioan. 21. ad omnes dixit: afferte*
mihi de piſcibus, ſed ſolus Petrus tam-
quam illorum paterfamilias traxit rete
plenum magnis piſcibus.

9 *Petri rete, licèt in aliqua parte diſſuatur,*
numquam tamen in totum rumpetur.

10 *Petra confertur paſtoratus iſte Ioan. vlt. per*
illa verba: Paſce oues meas, quæ ſunt de
præſenti.

11 *In Cathedra, & Bibliotheca Petri, in qua*
Ioannes concludit ſuum Euangelium, re-
conduntur omnes libri de actibus Chriſti,
qui ſi ſcribendi fuiſſent, nec mundus ca-
pere poterat eos libros, teſte Ioanne ibi.

12 *Ioannis Euangeliſtæ dignitas recenſetur, qui*
ſolus huiuſmodi paſtoratus collationem
teſtificatus eſt.

13 *Thoma præſente, qui de reſurrectione dubi-*
tauerat, confertur paſtoratus, ne de ea du-
bitaretur, & propterea ſit particularis
mentio, ibi de Thoma Dydimo.

14 *Pontifex licèt peccet, non propterea deficit*
in eo poteſtas Pontificalis.

15 *Paſtoris eſt paſcere, & noſtrum eſt obedire*
paſtori, ac Chriſti Vicario.

16 *Chriſtus ter interrogauit Petrum de amore,*
& trinam eius reſponſionem expectauit,
vt quia tertiò negauerat, tertiò quoque
Petrus confiteretur.

17 *Chriſtus ampliorem curam de Petro, quàm*
de alijs geſſit, quia illi ſpeciatim dixit
ſequere me.

18 *Paſcere verbum in ſacra Scriptura ſignificat*
regere.

POſt glorioſam Domini noſtri Ieſu
Chriſti reſurrectionem fuiſſe Petro, vt
præſidi aliorum à cæteris Apoſtolis habi-
tam reuerentiam, quamuis Chriſtum nega-
uerat, plura indicant teſtimonia. In pri-
mis memorandum illud documentum
beati Ioannis, quem diligebat Ieſus, quan-
do Petrus, & ipſe. Ioan. 20. auditis mulie-
ribus, venerunt ad monumentum, ambo
quidem cucurrerunt ſimul, & Ioannes præ-
1 cucurrit citiùs Petro, & primus ad monu-
mentum venit, non tamen introiuit, donec
veniret Simon, & Petrus primò in monu-
mentum introiuit, quaſi aliorum Pontifex
in ſancta ſanctorum, & ibi vidit linteami-
na poſita, & ſudarium, quod fuerat ſuper
caput Ieſu. Tunc ergo introiuit, & ille
diſcipulus, qui primus venerat ad monu-
mentum, & vidit, & credidit. Hoc teſti-
monium ſi non eſt reuerentiæ Ioannis ad
Petrum præcipuè præcedentibus ſuprà ci-
tatis auctoritatibus? ignoto prorsùs, quid
ſit, maximè cum ille diſcipulus tantùm di-
ligeretur à Chriſto, vt matrem dilectiſſi-
mam ei commendauerit, & qui ſuprà pe-
ctus Domini in Cœna recubuit, vbi diuinæ
fluenta doctrinæ potauit, inter quæ prima-
tus huius articulum perfectè hauſiſſe cre-
dendus eſt, cum ipſemet ſit auctor, ipſemet
ſcribat hoc, & denique ipſemet Ioannes te-
ſtificatus fuerit collationem huius prima-
tus, quæ Petro ſoli poſteà facta fuit, vt ſta-
tim declarabimus. Et pondera, quòd nec
Ioannes, nec alij Apoſtoli audierant adhuc
Chriſtum remittentem Petro negationis
peccatum, nec viderant aliud teſtimonium
niſi quòd Petrus fleuerat amarè, & nihilo-
minùs deferebant Petro, vt Pontifici ſibi
deſtinato, nihil ſolliciti, ſi iam Chriſti gra-
tiam recuperaſſet, nec propterea debitam
ei obedientiam denegarunt. Vt confun-
dantur miſeri hæretici temporis noſtri, qui
Pontifici ità demùm obtemperandum eſſe
contendunt, ſi priùs eis reuelatum fuerit
Chriſtum remiſiſſe peccata Pontificum.
2 Phrænesis quidem tam inſana, quantum hę-
retica. Sed progrediamur vlteriùs. Simi-
liter Lucæ 24. refertur eadem hiſtoria, &
nulla de Ioanne facta mentione, dicit Lu-
cas, Petrus autem ſurgens cucurrit ad mo-
numentum, & procumbens vidit linthea-
mina ſola poſita, & abijt ſecum mirans,
quod factum fuerat, & ſic ſoli Petro attri-
buit Lucas tamquam paſtori, & duci alio-
rum deſtinato introitum iſtum ad ſepul-
chrum, non quòd Ioannes ibi non fuerit,
neque enim contradicerent ſibi ipſis Euan-
geliſtæ, ſed quia de Prælato, & Præſule ſo-
let dici, quòd profectus eſt ad talem lo-
cum, nulla de comitibus eius facta men-
tione.

Adde etiã, quòd eodem 24. Lucæ refertur
aliud non minùs notandũ reuerentiæ huius
3 indicium, quando ſcilicet duo illi diſcipu-
li reuerſi de Caſtello Emaùs, inuenerunt
congregatos vndecim, & eos, qui cum illis
erant dicentes, quòd ſurrexit Dominus ve-
rè, & apparuit Simoni. In quo aduerten-
dum eſt, quòd licèt Marcus referat Chri-
ſtum primò apparuiſſe Mariæ Magdalenæ,
de qua eiecerat ſeptem dæmonia, & licèt
Eccleſia pia quadam cõſideratione credat,
primam apparitionem fuiſſe factam beatæ
Virgini, & denique licèt aliàs apparitio-
nes factas legamus, de nulla tamen eo tem-
pore colloquebantur Diſcipuli, niſi de ea
ſola, qua apparuit Simoni deſtinato in
Summum Sacerdotem, & Vicarium Ieſu
Chriſti, à quo cæteri in fide confirmari
debebant, iuxtà illud, & tu aliquando con-
4 uerſus, confirma fratres tuos. Quo etiam
exemplo docemur ad propoſitum noſtrum
nullas aliàs apparitiones, nullas alias do-
ctrinas recipiendas, de nullis alijs colloqui
nos debere, niſi de illis, quas Petrus, ſeu
eius ſucceſſor, vel ſibi reuelatas, vel à ſe
approbatas conteſtetur. Quod ſi firmiter,
& Catholicè conſeruaretur, plures oues in
hoc ouili etiam conſeruarentur. Et quoque
notandum arbitror, quòd de nulla appa-
ritione legitur in Sacra Scriptura (quam-
uis omnes certò certiores, & indubitatiſſi-

mę

mę fuerint) tanta exaggeratio certitudinis, quanta legitur de ea, quæ Petro facta fuit, quia, inquit, ſurrexit Dominus ve-
4 rè, & apparuit Simoni, quaſi illa ſola debeat dici magis vera ad noſtram inſtructionem, & ædificationem, quæ Pontifici noſtro facta legitur, de illa enim dubitare nemini licet, quia verè ſurrexit, & verè apparuit illi, poſtquã Petrus omniũ Pontifex
5 ipſe dicit: Pondera etiam Angelos ipſos eo tempore, quaſi reuerentiam quandam in Petro ſeruaſſe, nam (vt refert Marcus cap.16.) Angeli dixerunt mulieribus. Ite, dicite Diſcipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam, Petro inquam, vt Capiti, & Principi aliorum, & in ſignum ſingularis Pontificij, & præminentiæ ſuprà cæteros, aliàs enim, quid oportebat commemorare ſpecialiter Petrum, qui iam nomine Diſcipulorum comprehendebatur?
6 Præterea Ioan. 21. erant ſimul Simon Petrus, & alij multi ex Diſcipulis, & dixit Simon Petrus, vado piſcari, dicunt ei, venimus, & nos tecum, quaſi oues Paſtorem ſequentes, & ibi meruerunt videre Ieſum, ſequebantur enim Principem ſuum, & deſtinatum in Summum Sacerdotem, quem ſi omnes ſequerentur per viam, quam ipſe docet, Dominum quoque in Cœleſti gloria
7 viderent. Et Petrus ibidem videns Ieſum, non nauigio, ſicut alij, ſed tunica ſuccinxit ſe, erat enim nudus, & miſit ſe in mare plenus fide, vt citiùs ad Ieſum veniret, ſicut, & venit, nullum timens ventum, nec aquæ, nec maris profunditatem, ſecurus, quod non mergeretur, qui Chriſti Vicarius, & Paſtor huius ouilis fuerat deſignatus, non ſic Matthæi 14. antè promiſſum iſtum primatum, vbi etiam voluit ambulare ſuprà mare dicens ad Ieſum, Domine, ſi tu es, iube me venire ad te, & quamuis Chriſtus ei dixerat, veni, nihilominùs timuit ventum validum,& cum cæpiſſet mergi, clamauit dicens: Domine ſaluum me fac, & continuò Ieſus extendens manum apprehendit illum,& ait illi, modicæ fidei quare dubitaſti? modò autem poſt Vicariatum promiſſum, quamuis mittat ſe in mare, & procellæ, ac tempeſtates contra eum ſuſcitentur, non timebit demergi in portu nauigans, quia Dominus rogauit pro eo, vt non deficiat fides eius.
8 Pondera etiam in illo cap. 22. Ioannis, quando Dominus omnibus dixit: Afferte mihi de piſcibus, quos prendidiſtis, ad omnes ſermonem dirigens in plurali, ſed ſolus Simon Petrus, vt Dux aliorum, & Præſul deſtinatus illi Sancto Collegio, aſcendit, & traxit rete in terram plenum magnis piſcibus centum quinquaginta
9 tribus, & cum tanti eſſent: non eſt ſciſſum rete(erat enim rete Petri)quod licèt in aliqua parte, quandoque diſtuatur, non tamen rumpetur, nec ſcindetur à perſequutoribus ſuis, nec piſces intrà illud rete incluſi pondere ſuo ſcindent rete Petri, qui piſcator hominum factus erat Matthæi quarto. Nam humiles, manſueti, & benigni,quales multi ſunt intrà rete illud,tamquam nihil ponderis habentes in malitia, non ſolùm non ſcindunt illud, ſed eorum orationibus conſeruat Dominus, etiam ſi peccatores cum illis admiſceantur, ſicut Lucæ 5. factum agnouimus, quando ferè rumpebatur rete præ multitudine piſcium copioſa, & diſcipuli annuebant ſocijs, vt eos adiuuarent, & tamen quia Petrus laxauerat rete in verbo Domini, non ſolùm non eſt ruptum rete, ſed eo procidente ad genua Ieſu, & dicente, exi à me Domine quia homo peccator ſum, reſpõſum ei fuit, noli timere, ex hoc iàm eris homines capiens.
10 Sed audi iàm Catholice Lector collatorem huius Pontificatus, & collationem, lege ſcripturarum confirmationis, pondera auctoritatem Notarij, ſeu tabellionis teſtificantis eam, nota teſtes illius integros, conſidera tempus, & horam, attende qualitates, ſuper quibus examinatur, priùs is, cui confertur dignitas iſta, contemplare modum,& reſponſum examinandi,& videbis omnia diuinis referta myſterijs, qualia poſtulabat neceſſaria tantæ dignitatis inſtitutio, in qua concludit Ioannes ſuum Euangelium,quaſi indicans, licèt multa alia fecerit Ieſus, quæ ſi ſcriberentur per ſingula,nec ipſe mundus poſſet capere libros, qui ſcribi potuiſſent, vt ipſe
11 in fine dicit, ſed tamen in hac dignitate Cathedra, & Bibliotheca, quæ hodie confertur, & in qua meum librum Euangelij concludo, inuenietis omnia illa, quæ ego non ſcribo, in ea eſt Epilogus, & ſumma omnium, quæ dixi in Euangelio,& quæ dici potuiſſent. Dicit ergo Ioannes vltimo capite, & in vltimis verbis Euangelij.Nota notarium diuinum, quem diligebat Ieſus aquilæ comparatum, qui ſuprà Petrus Domini in Cęna recubuit, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hęc, & ſcimus, quia verum eſt teſtimonium eius, qui,quod vidit oculis proprijs, quod audiuit, quod perſpexit, & quod manus eius contractauerunt,de verbo vitæ annuntiat, & atteſtatur, cui reuelata ſunt ſecreta Celeſtia, cui Chriſtus Matrem ſuam dilectiſſimam commendauit titulo filij, tàm ſanctæ Genitricis decorato, ille, de quo exijt ſermo inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur.

Is denique, de quo Petrus tantæ dignitatis honore collatus, quaſi expaueſcens cur de Ioanne nullam Chriſtus in vltimo vale fecerit mentionem, & quem tempore Cœnæ interceſſorem ipſemet Petrus ſtatuerat ad Chriſtum, vt eum de nomine proditoris interrogaret, nunc in hoc capite interrogat Chriſtum: Domine hic autem quid? Iſte, inquam,Notarius diuinus filius tonitrui, quem Ieſus plurimùm amauit, & qui de pectore Saluatoris doctrinarum fluenta potauit, teſte Hieronymo in cap. legimus, nonageſima tertia diſtinct. ſolus ille collationem actualem huius di-
12 gnitatis teſtificatur, nam de promiſſione, & ſingularibus Petri geſtis, & laudibus loquuti fuerunt & alij Euangeliſtæ, vt ſupra diximus, ſed de inueſtitura reali ſolus Ioãnes loquitur, in hoc vltimo capite dicens. Cùm ergo prandidiſſent, dixit Simoni Petro Ieſus, nota tempus, & horam ſcilicèt, poſtquam cùm Ieſu prandidiſſent, & ſic
poſt

poſt Sactum illud conuiuium,pondera exa-
men Magiſtri. Sic enim dixerat in lotione
pedum, vos vocaeis me Magiſter, & benè
dicitis. Poſt illud ergo conuiuium in præ-
ſentia omnium Diſcipulorum, qui pran-
diderant cum Ieſu,& quibus Petrum præeſ-
ſe volebat, & præſente Thoma Dydimo,
qui de reſurrectione dubitauerat,& de quo
fit mentio indiuidua in iſto capite, ibi erāt
13 Simon Petrus,& Thomas, qui dicitur Dy-
dimus, &c. ne de iſto Pontificatu tam ne-
ceſſario ad fidei conſeruationem ambige-
ret, ſicut de reſurrectione dubitauerat, di-
xit Simoni Petro, Simon Ioannis, diligis
me plùs his, quaſi dicens: Simon Ioannis
obediens, miſericors, grata Deo,& inſelli-
ta Columba.

Sic enim interpretantur verba illa,
quia tales debent eligi, & electi curare
debent, vt tales perſeuerent, non quòd de-
14 ficiente gratia Pontifici deficiat poteſtas
Pontificalis, quia hoc hæreticum eſſet,
& totius confuſionis nutritiuum, Simon
ergo Ioannis, diligis me plùs his? &c. Me-
mini me iàm verba hæc ſupra cap. 3. decla-
raſſe, & illam etiam trinam Petri reſpon-
ſionem, & quaſi illam Ioannis auctorita-
tem. Ideò hìc non repetam, ſed dumtaxat
ſummabo, quæ dixi, examen enim de dile-
ctione ad Deum, & oues, fecit, vt intelli-
gamus Paſtorem noſtrum primarium dire-
cturum, & inſpiraturum Vicario ſuo, ea
quæ nobis in viam ſalutis æternæ conue-
nient, & quòd nos non oues cuiuſcumque,
ſed ſuas appellat dicens: Paſce oues meas,
quanto ſtudio curare debemus, vt veluel
oues manſuetæ, benignæ, & obedientes ef-
ficiamur.

15 Noſtrum ergo ſit obedite, Paſtoris
paſcere, quia Chriſti erit,Vicarium ſibi di-
lectiſſimum huic ouili præficere, propterea
enim Petrum trina interrogatione ſuper
hac dilectione voluit examinare, ità vt Pe-
trus quaſi ſibi importunitatem ſentiens,
contriſtaretur de tot interrogationibus ſu-
per amore eius ad Chriſtum, qui ſicut Pa-
tri æterno factus eſt pro nobis obediens,
vſque ad mortem Crucis,tamquam agnus,
& ouis ad occiſionem ducta Eſaiæ 53. ſic
voluit, vt nos tamquam oues, & agni ſui
ſimiliter, & ipſi, & Vicario eius obedien-
tes efficeremur, ſi ad eum volumus perti-
nere, & vitam in ſemetipſo habere, qui ti-
tulum Paſtoris noſtri, quoties vſus fuit in
Euangelio,Petro,& ſucceſſoribus ſuis com-
municauit dicens: Paſce oues meas, paſce
agnos meos.

16 Interrogauit autem Chriſtus ter Pe-
trum, & trinam Petri reſponſionem expe-
ctauit, vt ſatisfactio fieret iuxtà delictum,
etenim quia tertiò negauerat, tertiò quo-
que confitetur, ſed negauit in nocte, confi-
tetur in die, vt eleganter per Ambroſium
in c. imitare. Petrum 6. q. 1. ad caput 22.
Lucæ, vbi gloſſ. dicit, toties ego pœniten-
tiam agam, quoties peccaui. Paſtorem
etiam elegit Petrum, qui in ſua culpa di-
ſceret aliorum miſereri, & in præſentia
aliorum Diſcipulorum, & in vltimo vale,
ſicut ſupra cap. 3. diximus: Pondera etiam
vltra ibidem dicta, quomodo Petro præ-
nunciauerit mortem, qua Deum erat cla-
rificaturus dicens illi: cum eſſes iunior
cingebas te, &c.

17 Et cum hoc dixiſſet, dicit ei ſequere
me, per quæ verba, Chryſoſtomus inquit,
ampliorem curam habuiſſe Chriſtum de
Petro, quàm de alijs, quia illi ſpeciatim
dixit, ſequere me, non ſolùm eodem gene-
re martyrij, ſed in ordine magiſterij, &
ideò Petrus audacior factus interrogat ip-
ſum, ſtatim de Ioanne, & an ipſe pariter
Chriſtum ſequi deberet, quem tempore
Cœnæ Petrus interceſſorem rogauit ad
Chriſtum ſuper nomine proditoris. Nunc
autem Petrus Paſtor factus pro Ioanne
ipſo intercedit, dicens. Hic autem quid?
Notemus etiam proprietatem verbi, paſce,
quamuis enim Chriſtus Dominus noſter
omnibus Apoſtolis dederit in communi
poteſtatem ligandi, atque ſoluendi, Mat-
thæi 18. per illa verba: Quecumque liga-
ueritis in terra, erunt ligata, & in Cœlo,
&c. Et quamuis omnibus in communi di-
xerit: Accipite Spiritum Sanctum, quorum
remiſeritis peccata, remittũtur eis, Ioan. 20.
quæ omnia verba Petro, ſimul cum alijs
dicta fuerunt attamen ſeorſum, & ſepara-
tim ſoli Petro dictum fuit Ioan. vltimo.
Paſce oues meas, paſce agnos meos, ſicut
& Matth. 16. dictum fuit Petro pluſquam
alijs, ſuper hanc petram ædificabo Eccle-
ſiam meam, & tibi dabo claues Regni Cœ-
lorum, & quodcumque ligaueris ſuper ter-
ram, erit ligatum,& in Cœlis,& quodcum-
que ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, &
in cœlis, & ſic in plurali, vndè Origenes
ſuper Matthæum, eleganter dicebat, ſicut
myſterio non caret, quòd Chriſtus apud
Matthæum Petro poteſtatem dedit, ſeu da-
re promiſit, non vnius Cœli, ſed multo-
rum Cœlorum, & poſt duo capita dedit
reliquis Apoſtolis poteſtatem ligandi, at-
que ſoluendi, non in Cœlis, ſed in vno Cœ-
lo dumtaxat. Ità myſterio non caret, quòd,
Ioannis penultimò, à Chriſto omnibus
Apoſtolis datus eſt Spiritus Sanctus, &
deindè cura gregis ſoli Petro data fuerit,
per illa verba Ioan. vlt. Paſce oues meas.
18 Pondera etiam, quòd verbum paſcere in
Sacra Scriptura ſignificat regere, & guber-
nare, refertur que ad Reges, & Prælatos, vt
3. Regum 22. vidi cunctum Populum Iſrael
diſperſum in montibus, quaſi oues non
habentes Paſtorem,& Eſaiæ 44. ibi, qui di-
co Ciro. Paſtor meus es, & omnem volun-
tatem meam complebis.

Conſtat autem Cirum fuiſſe Regem
Perſarum potentiſſimum, & Hieremiæ 1.
Sacerdotes non dixerunt, vbi eſt Dominus,
& Paſtores præuaricati ſunt in me,& Chri-
ſtus de ſe ipſo, ego ſum Paſtor bonus, &
ſcriptum eſt, percutiam Paſtorem,& diſper-
gentur oues, & Hieremiæ 3. & dabo vobis
Paſtores iuxtà cor meum, & paſcent vos
ſcientia,& doctrina; & Ezechiel. 34. Væ Pa-
ſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos,
& ſtatim, & ſuſcitabo ſuper ea Paſtorem
vnum, qui paſcat ea ſeruum meum Dauid,
ipſe paſcet ea, & ipſe erit eis in Paſtorem.
Verba ergo illa: Paſce oues meas, ſignifi-
cant, guberna fideles meos, & per illa fuit
Bea-

Beato Petro collatus ſummus iſte Pontificatus.

CAP. XVI.

In quo probatur primatum hunc Petro promiſſum antè Paſsionem, poſt Reſurrectionem collatum, à cæteris Apoſtolis, poſt Aſcenſionem fuiſſe veneratum, & traditum executioni.

SVMMARIVM.

1 *Petrus tamqaam Præſes aliorum propoſuit electionem de Apoſtolo iu locum Iudæ proditoris faciendam. & ipſe dicitur Mathiam in locum Iudæ ſuffeciſſe.*

2 *Petrus ſe, & alios Diſcipulos defendit reſponendo pro eis contrà Iudæos, qai Apoſtolos de ebrietate notabant.*

3 *Petri ſermone audito, Iudæi compuncti, licèt ad omnes dixeriat, quid faciemus viri fratres, Petrus tamen vt Poutifex omnium reſpondit pęnitentiam agite.*

4 *Petrus iu claudi curatione nou communiter pro ſe, & Ioanne reſpondit, ſed ſingulariter pro ſe ſolo.*

5 *Petrus ſolas pertulit ſententiam terribilem, contrà Anauiam, & Saphiram, & in Simonem Magum pro ſimonia, qua gregem ſuum maculare volebat.*

6 *Petro tamquam capiti mandatam eſt, vt gentes ſuſciperet iu illo lintheo, & voce, qua dictum eſt ſurge, occide, & manduca.*

7 *Petrus fuic auctor ceſſationis legaliam Actuum 15.*

8 *Petri vmbra ſauabat infirmos, qaod vmbræ ſaaantis teſtimonium, uec de Chriſto legimus.*

9 *Sanctorum Patrum, & vicinorum ſecalo Apoſtolico teſtimouia diuerſa citantur, pro iſta Petri ad alios Apoſtolos præmiuentia.*

10 *Petri dignitas ad alios comprobatur ex illis verbis, videus Herodes, quia placeret Iudæis, occiſo Iacobo, appoſuit apprehendere, & Petrum.*

11 *Et capitur pro, etiam, frequentiſſimè, & ſic ex illa dictione, & alijs verbis, videns, quia placeret Iudæis, & ex oratione, qaæ, Petro apprehenſo, fiebat ab Eccleſia, confirmatur paſtoratus iſte.*

12 *Angelus Domiui liberauit Petrum à vinculis Herodis, uon dum enim fuudauerat Romæ Cathedram iſtam. & poſt eam fundatam Petro fugieati Neronis perſequutionem ad preces Eccleſiæ, Chriſtus apparuit, vt reaerteretur ad martyrium.*

MVlta ſunt Actuum Apoſtolicorum teſtimonia, quæ luce clariùs oſtendunt, Beatum Petrum, poſt Chriſti ad Cœlos aſcenſum fuiſſe ab Apoſtolis, & Diſcipulis veneratum, vt Chriſti Vicarium, quæ omnia, & ſi eleganter congerant Roffenſis, & alij, qui contrà hæreticos noſtri temporis

deſcripſerunt, & ideò remiſſione contentus potuiſſem in hoc ſubſiſtere, tamen, quia inſtituto noſtro neceſſarium eſt ea recenſere, breuitèr quaſi alienos labores pauculis additis, illa percurram, etiam in principijs iuris noſtri iſta fundando.

In primis ergo refertur textus ille capite primo, actuum Apoſtolicorum vbi
1 dicitur, quòd ſtatim poſt Chriſti Aſcenſionem, & ante Spiritus ſancti ſuperuentionem exurgens Petrus in medio fratrum propoſuit electionem, quam fieri oportebat de Apoſtolo in locum Iudæ proditoris, allegando auctoritatem Pſalmi 180. Epiſcopatum eius accipiat alter. In iſto enim primo Concilio Petrus propoſuit tamquam caput, & Petrus erat vt præſes in medio aliorum, qui erant, vt ibi dicitur, ferè centum, & viginti congregati, & denique Petrus tamquam ſuprà cæteros habens auctoritatem non propoſuit in commune deliberandum, ſed ſuam deliberatam ſententiam tamquam aliorum curam gerens aperuit dicens, oportet ex his viris, &c. Vt eleganter Pighius aduertit cap. 10. lib. 3. ſuæ Hierarchiæ, & ſic Beda ſuper actis dicit, quòd Petrus duodenarium numerum Apoſtolorum integrauit, & Dionyſius cap. 5. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ dicit, quòd Petrus Matthiam in locum Iudæ ſuffecit. Sic etiam Petrus tamquam Princeps, & Protector aliorum, actuum 2. de-
2 fendit alios Coapoſtolos contrà Iudæos, qui eos de ebrietate notabant, & ſimiliter orans Petrus cum vndecim, eleuauit vocem ſuam ad Iudæos, & compuncti corde auditores ex ſermone Petri dixerunt ad Pe-
3 trum, & ad alios. Quid faciemus viri fratres? Petrus autem ad illos, pœnitentiam inquit, agite, &c. vide Paſtorem animarum, & Chriſti Vicarium ſalutis gregis ſibi commiſſi prouidentem, tacentibus alijs ob reuerentiam Pontificis, & ex ſuo ſermone circiter tres mille animas eo die conuertentem. Conſidera etiam illud inſigne miraculum de Claudi curatione, qui à Petro, & Ioanne templum aſcendentibus ſimul petebat eleemoſinam, cui ſolus Petrus reſpondit argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi do, in nomine Ieſu Chriſti Nazareni, ſurge, & ambula, & apprehenſa manu eius dextera erexit eum, Actuum tertio, quibus verbis maior in
4 Petro, quàm in Ioanne auctoritas denotatur, cum & ſi vterque rogatus fuit, vnus tamen Petrus non communiter pro vtroque dixit argentum, & aurum non habemus, quod autem habemus, hoc tibi damus, ſed ſibi ipſi ſoli, & in ſingulari referens plenus iam Spiritu ſancto, dixit, quod habeo, hoc tibi do in ſignum ſui Pontificij, quod iam manifeſtari omnibus oportebat, & ſic miraculum illud ad Petrum refertur, licèt ibi Ioannes interfuit, & ſolus Petrus ibi veluti Paſtor, & Pontifex ad populum ſermonem habuit, & Actuum quarto.

Ipſe conſtanter coràm Sacerdotibus, & ſe, & Ioannem defendit. Et Actuum
5 quinto in Ananiam, & Saphiram ſolus Petrus terribilem ſententiam pertulit, quia defraudauerant de pretio agri in maximum

ſuæ ſupremæ poteſtatis indicium, quod etiam Romæ in Simonem Magum demonſtrauit, in quem, Actuum octauo, maledictionem illam protulit, pecunia tua tecum ſit in perditionem pro ſimonia, qua gregem Domini Petro comoiſſum maculare volebat.

6 Prętereà illi tamquam Prælato mandatum eſt, vt gentes ſuſciperet, ſi ad Eccleſiam conuerterentur, oſtenſo lintheo, in quo erant beſtiæ, & reptilia, &c. Et facta ad eum voce: Surge Petre, occide, & man- 7 ducа. Actuum 10. & teſte Hieronymo, ipſe fuit Auctor ſententiæ ceſſationis legalium iuxta illud, quod actuum 15. capite legitur.

Ponderemus etiam, quod actuum quinto dicitur de cęteris Apoſtolis, quòd per manus eorum fiebant ſigna, & prodigia magna in populo, ſed de Petro dicitur, quòd eijciebant infirmos in plateas, & ponebant in lectulis, & grabatis, vt, veniente Petro, ſaltim vmbra illius obumbraret quę- 8 quam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus ſuis, quod vmbræ ſanantis teſtimonium etiam de Chriſto uon legitur, vt aduertit Pighius, vbi ſuprà.

Ità Deus Pontificem iſtum, & ſui vices gerentem voluit ioter homines exaltari, & venerari.

Hæc ſunt, quæ de actibus Apoſtolicis Patres noſtri colligunt teſtimonia ad probandum Paſtoratum huoc ſanctiſſimum fuiſſe in perſona beati Petri traditum executioni, & ab alijs Apoſtolis, & Diſcipulis primitiuæ Eccleſiæ veneratum cum effectu, quorum auctoritate ità Martyres, & tot ſancti Doctores huic Primatui ſe ſubdiderunt tamquam neceſſariò ad Dominici gregis conſeruationem, quòd qui ab eius obediētia recedere ſuperbierit, uoo poteſt, niſi vt 9 impudens, arrogans, libidinoſus, & denique hæreticorum hæreticiſſimus euitari. Sanctorum autem ſubſcriptiones, & teſtimonia ad obedientiam huius Primatus accumularunt Doctores illi, qui noſtro tempore deſcripſerunt, quorum verba tranſcribere non oportuiſſet, ſed ad Fidelium confirmationē non poſſum nō referre ſummatim, quod illi dixeruot, videbis ergo apud Pighium, Fabrum, Roffenſem, Echium, & alios, vide ſubſcriptiooem B. Dionyſij martyris, qui fuit coætaoeus Apoſtolorum, & primus Epiſcopus Galliæ, tam apertè, & ingenuè confitentem hunc Primatum, vt flere magis libeat, quàm ſcribere, contemplando, quot oues beati Dionyſij in Gallia, cuius Rex Chriſtianiſſimi titulo decoratur ab hoc ouili receſſerint.

Videbis Irenæum, Cyprianum, Origenem, Ægeſippum, Euſebium, Hieronymum, Ambroſium, Auguſtinum, Hilarium, Athanaſium, Chryſoſtomum, & alios.

Cyprianus dicebat in libro de ſimplicitate Prælatorum ibi relatus, quòd vnitas Eccleſiæ ab vnitate Epiſcopatus Petri dependet.

Chryſoſtomus, quòd Petrus totius Orbis Magiſter conſtituit Iacobum fratrem Domini Hieroſolymitanum Epiſcopum, Hilarius contra negantes hunc Primatum exclamat: O miſerè ſtultitiæ furor impius, Ambroſius, ait, videte quantùm fletus profuerit Petro, antequā fleret, lapſus eſt, poſtquam fleuit, electus eſt, & qui ante lacrymas præuaricator extit, poſt lacrymas Paſtor aſſumptus eſt, & alios regendos accepit, qui ſe ipſum non rexit.

Auguſtinus appellat Petrum caput Eccleſiæ, & verticem membrorum, & immobile fidei fundamentum.

Hieronymus autem caput Eccleſiæ, & Principem Apoſtolorum.

Chryſoſtomus dicit de illo, fuiſſe piſcatorem, & ignobilem, & tamen à Chriſto caput Eccleſiæ conſtitutum, & ei promiſſa, & data fuiſſe, quæ ſolius Dei ſunt, & vocat eum os, & verticem totius conſortij, propter quod & Paulus eum, pluſquam alios viſurus, Hieroſolymam aſcendit, & lib. 2. c. 14. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, probatiſſimum omnium Apoſtolorum, & maximum fidei magnificentia, & virtutis meritò, Principem Petrum deſcribitor miſſum à Domioo ad Vrbem Romam in ipſis Claudij temporibus Ducem quemdam, magiſtrum militiæ ſuæ ſcientem diuina pręlia gerere, & virtutum caſtra ductare, pugnaturumque aduersùs humani generi commuoem perniciem.

Ægeſippus antiquiſſimus ſcriptor, qui floruit ſub Aniceto Papa, anno Dom. 160. lib. 3. de excidio Hieruſalem refert, quòd dato per Neronem mandato, vt Petrus, & Paulus comprehenderentur, rogabatur Petrus à fratribus, vt ſe ſe aliò conferret, quaſi caput neceſſarium, de quo non dicit fuiſſe rogatum Paulum, quāvis eſſet Doctor gentium, & Vas electionis; videbis & Cyrillum confitentem Petrum fuiſſe Caput, & Principem omnium Apoſtolorum.

Origenem etiam appellantem eum verticem Apoſtolorum, Theophilum etiam explicantem illud Lucæ 6. quando dixit Petrus, Domine ad nos dicis hanc parabolam, vbi ait, Petrus, cui iam commiſſa fuerat Eccleſia, quaſi omnium curam gerens inquirit, vtrùm Dominus ad omnes parabolam pertuliſſet?

Baſilium inſuper dicentem Petrum in ſe ſuſcepiſſe ædificationem Eccleſiæ, Dionyſium etiam, qui comes, & Diſcipulus Pauli fuerat, vt in confuſionem Gallorum apoſtatarum ipſum ſępius referamus, & ad ædificationem Catholicorum Galliæ, quales plures adhuc perſeuerare intelligo, videbis appellare Petrum plerumque verticalem Apoſtolorum, vide etiam ex noſtris decretis cap. in nouo vigeſima prima diſtinctione.

Vbi Anacletus IV. poſt Petrum Pontifex, & martyr glorioſus dicit, poſt Chriſtum Dominum à Petro cæpit Sacerdotalis ordo, quia ipſi primo in Eccleſia Chriſti Pontificatus datus eſt, Domioo dicente ad eum: Tu es, inquit, Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Hic ergo ligandi, atque ſoluendi poteſtatem primus accepit à Domino, primuſque ad fidem populum adduxit virtute ſuæ prædicationis, verboque inſtituit, cęteri verò Apoſtoli cum eodem pari conſortio honorem,

rem,

tem, & poteſtatem acceperunt, ipſumque Principem eorum eſſe voluerunt, qui etiam, viuente Domino, in toto Orbe terrarum diſperſi, Euangelium prædicauerunt, & idem Anacletus in capit. Sacro ſancta 5. & poſt pauca 22. diſt. ait, inter beatos Apoſtolos quædam fuit diſcretio poteſtatis, & licèt omnes eſſent Apoſtoli, Petro tamen à Domino conceſſum eſt, & ipſi inter ſe voluerunt id ipſum, vt reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis, & Cæphas, ideſt Caput, & Principium teneret Apoſtolatus, & Leo Papa Sanctiſſimus in Canon.

Ità Dominus vigeſimanona diſtinct. inquit, ſed huius muneris Sacramentum ità Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſſimo Petro omnium Apoſtolorum Summo principaliter collocaret, & vt ab ipſo quaſi à quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem intelligeret ſe diuini myſterij eſſe, qui à Petri ſoliditate recederet, hunc enim in conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumptum, id, quod ipſe erat, Dominus voluit nominari dicens: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Hæc Leo.

Clemens etiam Papa III. poſt Petrum, & martyr beatus in cap. in illis 80. diſt. dicit, quòd Petrus poni præcepit Primates, & Patriarchas in illis locis, & ciuitatibus, in quibus apud Ethnicos, & Gentiles erant primi flamines eorum, atque primi legis Doctores, & quòd vnus Petrus Apoſtolus omnibus alijs Apoſtolis præfuerit; ſic & Cyprianus martyr in cap. loquitur. inquit Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, ſuper vnum ædificat Eccleſiam, & quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem parem tribuat poteſtatem, dicens, ſicut me miſit Pater, & ego mitto vos, & accipite Spiritum ſanctum, tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eius originem ab vno incipientem auctoritate ſua diſpoſuit.

Hoc vtique erant cæteri Apoſtoli, quod Petrus fuit, pari conſortio prædititi honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia Chriſti vna monſtretur, nemo fraternitatem fallat, nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat, Epiſcopatus vnus eſt, &c. textus etiam in can. Paulus, Petrum 2. quæſt. 7. dicit, quòd etſi Petrus, & Paulus pares erant meritis, tamen dignitate Petrus erat maior, qui ſolus Primatum gerebat inter Apoſtolos.

Et certè præeminentia Petri ad alios
Apoſtolos vltra ea, quæ diximus ex capite
Actuum 12. ſatis oſtenditur, vbi legitur, miſit
Hærodes Rex manus, vt affligeret quoſdam
de Eccleſia, occidit autem Iacobum
10 fratrem Ioannis gladio, videns autem, quia
placeret Iudæis, appoſuit apprehendere, &
Petrum, nam dictio illa, & implicatiua eſt
maioris perſequutionis, & maioris dignitatis
in Petro apprehenſo, quàm in Iacobo
occiſo, & alijs Apoſtolis afflictis, quia &
exponitur ſæpè pro [etiam] lib. 1. ff. ſoluto
matr. & ibi gloſſ. verbo, & Reipublicæ, &c.
& in lib. 1. quibus Cod. de nouo Codice, &
in 5. decernimus in auct. de hæreſ. & falci.
ibi & Sacerdos, & ſic ponderando verba
illa, videns, quia placeret Iudæis in occiſione
Iacobi, & afflictione aliorum, ſubſequuta
nunc oratione illa, appoſuit apprehendere,
& Petrum, nemo erit tam rudis,
qui non intelligat dictionem illam, & pro
[etiam] debere exponi, & denotari Petrum
11 alijs ſuperiorem fuiſſe, quem, vt ſuperiorem
aliorum voluit apprehendere, quo magis
placeret Iudæis, quibus placuerat in occiſione
Iacobi, & afflictione inferiorum,
Petrus ergo fuit Princeps Apoſtolorum,
pro quo fiebat tamquam pro capite oratio
in Eccleſia ad Deum ſine intermiſſione,
quando Hærodes apprehendit eum, cum
nec pro Iacobo, nec pro Sthephano, nec
12 pro alijs tantam orandi ſollicitudinem legamus,
Actuum 12. quem Angelus liberauit,
quia nondum Romæ fundauerat Eccleſiam,
& Primatum noſtrum, ſed poſt illum fundatum,
ei fugienti Neronis perſequutionem
in via Appia Chriſtus apparuit, vt Martyrium
non timeret, ſicut infrà dicemus, confitendum
eſt igitur hunc Paſtoratum, & pro
Chriſto Vicariatum à Petro Principe Apoſtolorũ
incœpiſſe poſtquam tot Euangelij,
& ſacræ Scripturæ auctoritatibus fuit confirmatus,
& à ſanctis Patribus antiquiſſimis,
& eruditiſſimis veneratus, quorum
auctoritatem, etſi hæretici obſtinatè deſpiciant,
tu autem Catholice Lector ſanctorum
Patrum potiùs decreta ſectare, tam conſentanea
Euangelio, & ſacræ Scripturæ, nam
profectò ſi vnus Paſtor, & Chriſti Vicarius
viſibilis erat neceſſarius in hoc ouili, vt ſuprà
latiùs oſtenſum fuit, neceſſariò dicendum
eſt fuiſſe Petrum, cui tot ſacræ Scripturæ
conſonant teſtimonia, nec legatur de
aliquo alio Apoſtolo etiam Ioanne, Paulo,
& Iacobo, quod de Petro legimus, & ſuprà
narrauimus, quantumcumque Chriſtum
per dies paucos anteà Petrus tertiò
negaſſet, vndè eleganter, & piè Chryſoſtomus
homilia 37. ſuper Ioannem dicebat.
Chriſtus enim tanquam negationis oblitus
fratrum curam ei committit, neque negationis
meminit.

Tantùm dicit, ſi amas me, fratrum curam ſuſcipias, & quomodo in omnibus dilectionem oſtendiſti, & quo ego delector, nunc oſtende, & animam, quam pro me poſiturum dixiſti, hanc pro ouibus meis trade, & Cyrillus Ioann. vltimo lib. 12. feruorem Petri conſiderans, ait, præueniebat alios Petrus ardore præcipuo Chriſti feruens, & ad faciendum, & reſpondendum paratiſſimus erat, vndè tarditatem modò nauigij videns, tunica ſuccinctus, in mare exilijt, & quando Saluator Diſcipulos interrogat dicens: Quem me dicunt homines eſſe, & cùm iterùm poſt reſponſionem ab eis quæreret, vos autem, quem me eſſe dicitis? & Princeps, caputque cæterorum primus exclamauit. Tu es Chriſtus filius Dei viui.

Hic Malchi etiam aurem amputauit putans hoc modo magiſtro ſemper ſe inhæſurum.

Meritò enim Chriſtus eum interrogauit, ſi plus cæteris eum diligeret, & id ter-

tiò, Petrus autem amare ſe fatetur,et amoris ſui non alium, ſed ipſum Chriſtum in teſtem citat, in ſingulis enim Confeſſionibus, variatis parumper verbis, audiuit rationalium ouium curam ſibi habendam, altiùs quiddam certè hæc oratio parturit.

Nam,quoniam cum alijs Apoſtolatus nomine, Petrus ab ipſo Chriſto decoratus, ter in tempore paſſionis negauit, iure nunc ab eo terna dilectionis confeſſio petitur, vt terna negatio æqualis confeſſionis numero compenſetur, ità vt, quod verbis commiſſum fuit, verbis curetur. Hactenùs Cyrillus,quæ omnia Catholice Lector meditare, vt beato Petro, et eius ſanctiſſimæ Cathedræ te in omnibus ſubditum profitearis, quemadmodum, et ab omnibus Catholicis, et ſanctis Patribus eidem fuiſſe reuerentiam exhibitam intelligamus.

C A P. XVII.

In quo demonſtratur poſt glorioſum Petri Martyrium, Romanum Pontificem fuiſſe, eſſe, & futurum vſque ad ſeculi conſumationem Paſtorem, & pro Chriſto Vicarium ouilis vniuerſi.

S V M M A R I V M.

1 *Chriſtus, qui fundauit Eccleſiam vſque ad conſumationem ſeculi, Paſtoratum iſtum, & Cathedram tam neceſſariam non reſtrinxit ad ſolam vitam Petri.*

2 *Argumentum à maioritate rationis validum eſt, nec erat tam neceſſaria Cathedra hæc ad illa aurea ſecula, quibus viuebant Apoſtoli, quantùm ad futura, quibus iam Apoſtoli non viuebant, nec eorum diſcipuli.*

3 *Pontificatus in Lege Veteri non ad ſolam vitam Moyſi, Aaron, & Eleazar fuit reſtrictus, ſed ſemper fuit ibi vnus Summus Pontifex.*

4 *Romanus Pontifex eſt Chriſti Vicarius, & Petri ſucceſſor, ac Paſtor huius ouilis, nec de aliquo alio Pontifice legimus, quod de eo continuatum videmus.*

5 *Teſtibus oculatis, & de viſu magis credendum eſt, quàm hominibus vagis, qui nudiùs tertius negatiuam hanc fabricarunt.*

6 *Negatiua vaga probari non poteſt, & magis creditur teſtibus duobus de affirmatiua deponentibus, quàm negatiuis pluribus.*

7 *Sanctorum Patrum antiquorum varia teſtimonia recitantur, pro beatiſsimo Romano Pontifice Chriſti Vicario, & Petri ſucceſſore.*

8 *Ad Romanam Eccleſiam Catholici, tamquam ad ſolem intendere debemus, vt ex ipſa lumen Apoſtolicæ fidei recipiamus.*

FVndato hoc ſanctiſſimo Chriſti Vicariatu in perſona beati Petri Apoſtolorum Principis, vt ſupra demouſtratum fuit, facilè conuincetur quilibet credere, quòd poſt mortem beati Petri, qui etiam inuiſibilis ouibus per mortem ſuam efficiebatur, debebat ouile hoc alteri Paſtori Chriſti Vicario, & beati Petri ſucceſſori demandari,
1 quoniam Chriſtus, qui poſt eius ad Cœlos aſcenſum, de Petro Paſtore, & eius Vicario prouidit, non hanc prouidentiam de Paſtore viſibili reſtrinxit ad ſolùm tempus viginriquinque annorum, parùm plùs, vel minùs, quibus Petrus vixit in Mundo poſt Chriſti Aſcenſionem; & qui Ioann. 17. Patrem orauit, dicens: Non pro his autem tantùm rogo, ſed & pro illis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me, & qui ſanctificum iſtud fundauit in ſecula, paſcere Iacob ſeruum ſuum, non ad ſolam vitam Petri Vicariatum hunc limitaſſe credendus eſt; immò argumento ſumpto à maioritate rationis, quod validum eſt, dicta Authent. Multò magis, ſi aſcendente Chriſto in Cœlum, voluit Dominus Vicarium pro Chriſto relinquere, & Paſtorem viſibilem huic ouili preficere,à fortiori,Petro relinquente Mundum, ſucceſſor in locum eius dandus erat; & ſi Vicariatus iſte neceſſarius erat ad tem-
2 pora illa fœlicia, & aurea ſecula, quibus viuebant Fideles, qui Chriſtum in carne cognouerant, & Spiritum ſanctum acceperant; & denique prædicationem, paſſionem Chriſti, & miracula eius, Apoſtolorumque ſuorum recentiſſima viderant,& audierant, profectò multò magis neceſſarius erat iſte Paſtoratus, & pro Chriſto Vicariatus ad tempora, quibus iàm nec Apoſtolos, nec Apoſtolorum diſcipulos immediatos Mundus habebat; quantò enim quis minùs perfectus eſt, & magis remotus à primo, & perfecto principio, tantò magis indiget medijs ad perfectionem pertinentibus.

Vicariatus ergo iſte, licèt ſemper fuerit neceſſarius, conuenientiùs tamen erat ad tempora,quæ fuerunt poſt Petri,& Apoſtolorum martyria, & ex conſequenti durare, ac permanere debuit, & debet ad ſecula noſtra, & futura de cætero.

3 Sicut etiam in lege veteri, non ad ſola tempora Moyſi, Aaron, Ioſuæ, & Eleazar fundati fuerunt Duces, & Pontifices; & ſicut Eccleſia triumphans,ad cuius exemplar hæc militans noſtra fabricata eſt, vt ſuprà latè concluſimus, ſemper habet, & habebit vnicum Deum, & Dominum: ità & Eccleſia militans pro eo tempore, quo Deus eam durare voluerit, habere debet etiam vnum Rectorem, & pro Chriſto Vicarium, vt aſſimiletur illi per omnia, in quibus proportio ſimilitudinis applicari poteſt.

Vicarium ergo Chriſti poſt Petri martyrium, & viſibilem Paſtorem huius ouilis, ac Petri ſucceſſorem confiteamur fuiſſe, eſſe & futurum Romanum Pontificem, & non alium, & quicumque ei debitam obedientiam negauerit, ſeu alium Paſtorem acephalum à Romano Pontifice ſtatuerit, hunc talem, vt hæreticum deteſtamur, & abominamur.

Et

Et vt hæc Catholica propoſitio faciliùs omnibus ſuadeatur, quæ de ſe ſatis aperta eſt. Pondera, obſecro, Catholice Lector contra Hæreticos noſtri tẽporis agendum eſſe diuerſimodè ſuper hoc articulo, quàm in ſuperioribus, quoniam ſuperiora probata fueruut auctoritatibus ſacræ Scripturæ, hoc eſt Teſtamenti noui, & veteris, ſed in probando Romani Pontificis pro Chriſto Vicariatu, & canooica ſucceſſione ad Petrum, cùm Teſtamentum vetus, & nouum tam literaliter hoc nou probent, ſicut ea, quæ in ſuprrioribus dicta fuerunt, neceſſariò agendum eſt ſuper hoc auctoritatibus ſanctorum Patrum antiquorum, qui fueruur vicini temporibus Apoſtolorum, et cùm Hæretici non habeant aliud diffugium (quæ ſua eſt impudentia) niſi negando auctoritates iſtorum Patrum; ideò iudicio meo, ad eorum peruicaciam eeuincendam ſic eſt diſcurrendum; firmiter ergo ſtatue, & cootexrare iuxtà ſuperiùs recitata, vnitatem huius ouilis, ſeu vniuerſalis Eccleſiæ, & à ſimili crede primitinum Paſtorem huius ouilis eſſe Ieſum Chriſtum Dominum ooſtrum.

Statue etiam, & firmiter conteſtare,
4 Vicariatum pro Chriſto in Petro ioitium ſuſcepiſte, vt ſuprà probauimus, quia de nullo alio Apoſtolo legimus, quod de Petro retulimus, & firmiùs credes, quando cauillationibus Hæreticorum ſuper hoc reſpondrbimus.

Statue denique, & firmiter conteſtare Vicariatum hunc non ad ſolam Petri ætatem poſt Chriſti aſcenſum ſuiſſe reſtrictum, cùm tam neceſſarius eſſet regimini, & conſeruationi ouilis Chriſtiani, præſertim poſt Apoſtolorum martyria, & tempuribus noſtris, ſicuti in illo capite demouſtrauimus; & his tribus, vel quatuor fundamenris ſtatutis, & in ſacra Scriptura, ac ratione naturali fundatis, interroga Hæreticos, quis ergo fuir ſucceſſor Petri? Petrus quidem prædicauit in Ponto, Cappadocia, Aſia, & Bithinia, vt ipſemet dicit in prima ſua Canonica, ac Hieroſolyma, & Samaria, Antiochiæ etiam primo loco fundauit cathedram ſuam, vt & nos cooſitemur, & celebramus; ſed numquam vidimus, nec cognouimus Epiſcopum Ponti, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithiniæ gubernaſſe Eccleſiam, ſeu ouile noſtrum; nec etiam Antiocheno Patriarchę tantùm detuletunt Patres noſtri, pręſertim, cùm à multis temporibus fides ibi deſeeerit, quæ numquam deſierre debebat, ſi Petri fides ibi futura erat, & Cathedra eius conſtans ibidem permanſura ſuiſſet, cùm Chriſtus pro Cathedra, & fide Petri rogaſſet, Lucæ 22. Immò Antiochenam Eccleſiam tempore, quo fidem ſeruabat, licèt Patriarchalis titulo ſuerit decorata, nihilominùs præcedebaot & Conſtantinopolitana, & Alexandrina, vt in cap. Sacroſancta, & in can. Renouantes diſtinct. 22.

Si ergo de nulla iſtarum Prouinciarum, vbi Petrus prædicauit, Petri ſucceſſorem ſuccedaneum, & continuatum agnouimus, qurm ei, obſecro, ſucceſſorem dabimus in hoc Vicariatu, qui ſucceſſore carere non poteſt? niſi cum demus, quem ſancta Patrum eius temporis antiquitas, & continuata Pontificum ſucceſſio oobis pertulit vſque ad tempora noſtra.

Iſte ſolus & non alius Romanus Pontifrx à Petri martyrio fuit, eſt, & erit vſque in finem mundi paſtor Eccleſiæ, & veluti fidei articulum hanc ſanctam vnitatem lector agnoſce, & venerare, pro ea ſi oportuerit, moriturus. Hanc omnes ſancti Patres, quos ſupra retulimus, agnouerunt, & pro fide, quam illa ſemper profeſſa eſt, martyrium ſubierunt, Romæ enim Petrum fuiſſe, & prædicaſſe, ac ibi Sedem ſuam, & Cathedram ab Antiochia tranſtuliſſe, ibi denique capite in terram verſo Crucifixum, ſicut ipſe impetrauerat à perſequutoribus, indignum ſe aſſerens, quòd eodem modo, quo Chriſtus crucifigeretur, teſtantur tot ſancti Patres, & hiſtoriæ illius temporis, vt non niſi cum maxima impudeotia & obſtinatione poſſit negari, præſertim, cum inter
5 cęteros ſanctos teſtes oculati, & de viſu reperiautur, vt Linus Papa martyr, & eius ſucceſſor Clemens, & Dionyſius Pauli Diſcipulus, & alij multi relati per Echium in Enchiridione, titulo de Primatu Petri in reſponſione ad quintum argumentum, ve & Pighius lib. 3. cap. 13. citat quamplurimos: & ſic recedere ab affirmatiua, tàm recepta, & per tàm ſanctos teſtes, qui eum Romæ viderunt, comprobata, propter ſolam negatiuam, quam vagam appellamus, & à vagis hominibus nudiùs tertiùs imeginatam, extremæ dementiæ eſſet, eum uegantis ſactum per rerum naturam ſit improbabile, cap. quoniam contra. de proba. cap. bone de electio. l. 101. ff. de probar. cum vulgaribus, & teſtibus affirmantibus vicionioribus de tempore, etiam ſi eſſent
6 pauciores, magis credendum eſt, quàm pluribus cerbicosè negantibus, gloſs. in leg. diem proferrre §. ſi plures; de recep. arbitris, & cum hoc ſit tam cognitu neceſſarium, oportebit citare auctoritates eorum, qui Petrum fuiſſe Romæ, affirmarunt, & ibi Cathedram banc conſtituiſſe.

In primis, vltrà vniuerſalem traditionem, & decreta Eccleſiæ, referuntur Faber,
7 Echius, & Pighius, illud Ægeſippi teſtimonium, lib. 3. de excidio Hieroſolymitano, qui fuit ſcriptor antiquiſſimus, & floruit ſub Aniceto Papa X. poſt Petrum, anno Domini 160. Is inquam Ægeſippus refert, quòd cum Nero quæreret cauſas occidendi Petrum, & Paulum, datoque præcepto, vt comprehenderentur, rogatus eſt Petrus à ſratribus, vt ſe alio conferret. Nota Petrum rogatum, & non Paulum, & proxima nocte ſalutatis ſratribus, & celebrata oratione, ſolus proficiſcebatur, vbi autem venit ad portam appiam, vidit Chriſtum, & adorans eum dixit, Domine quò vadis? Cui Chriſtus reſpõdit: Vado Romam iterùm crucifigi, quo audito, ſtatim Petrus in Vrbem rediјt, captuſque à perſequutoribus, & Cruci damnatus, impetrauit, vt capite in terram verſo Crucifigeretur, indignum ſe aſſerens crucifigi eo modo, quo Dominus eius fuerat crucifixus, de quo extat Romæ in via Appia monumentum, vide textum de boc apud nos in cap. pee

vene-

Digitized by Google

venetabilm, qui filij ſint legitimi.

Dionyſius etiam Corinthiorum Epiſcopus citcà Annum Domini 150. Romæ exiſtens ſic ait ad Romanos; vos habentes communitionem à Petro, & Paulo plantationem Romæ Eccleſiæ coniunxiſtis. Ambo enim ſimul aduentantes per omnem Italiam, & in hac Vrbe ſimul docentes etiá martyrio pariter vno, eodemque tempote coronati ſunt. Refert atiam Faber, Gayum quemdam ſcriptorem antiquum, qui ſcripſit ſub Zepherino Papa citcitet annum ducecreſimum de Petro, & Paulo, ac ſtrata dicentem, ego habeo trophea Apoſtolorum, quæ oſtendam, ſi enim procedas via regali, quæ ad Vaticanum ducit, aut via Hoſtienſi, inuenies trophea defixa, de ſepulcris Petri, & Pauli loquendo, refert etiam Faber, Ignatium Tertium poſt Pettum.

Antiochenſem Epiſcopum damnatum ad beſtias, & Romam miſſum, dixiſſe Romanis. Non ſicut Petrus, & Palus ego pręcipio vobis, illi enim Apoſtoli Ieſu Chrſti, ego autem minimus.

Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus Diſcipulus beati Policarpi auditoris beati Ioann. Euangeliſtæ lib. 3. cap. 1. contra hæreticos, ſic inquit, Matthæus Hebræis ipſorum lingua ſcripturam edidit Euangelij, cum Petrus, & Paulus Romæ Euangelizarent, & fundarent Eccleſiã, & in eod. lib. cap. 13. ait, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundata, & conſtituta Eccleſia, eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annuntiatam omnibus fidem per ſucceſſionem Epiſcoporum, vſque ad nos iudicantes, confundimus omnes. Tertullianus autem Presbyter Carthaginenſis, quem beatus Cyprianus Magiſtrum vocare ſolebat, quique floruit circà Annum Domini 150. in lib. de pręſcriptione hæreticorum dicit. Percurre Eccleſias Apoſtolicas, ptoxima eſt tibi Achaia, habes Corinthium, ſi non longè es à Macedonia, habes Philippis, ſi potes Aſiam tendere, habes Epheſum, ſi autem Italiam adiecetis, habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas prẹſto eſt ſtatuta Felix Eccleſia, cui totam doctrinam, & Apoſtolicum ſanguinem profuderunt, vbi Petrus Paſſioni Dominicæ adęquatur & 4. lib. aduersùs Marcionem, Romanis, inquit, Euangelium Petrus, & Paulus ſanguine ſuo ſignatum reliquerunt.

Et Euſebius Cæſarienſis in lib. de temporibus. Petrus Natione Galilæus Chriſtianorum Pontifex I. cum primùm Antiochenam fundaſſet Eccleſiam, Romam proficiſcitur, vbi Euangelium pręedicans, viginti quinque annis eiuſdem Vrbis Epiſcopus perſeuerat, referunt etiam Papiam Hieroſolymitanum Epiſcopum Ioannis Euangeliſtæ auditorem atteſtantem, quòd Petrus ſuam primam Canonicam epiſtolam Romæ ſcripſerit, & quòd in ea Romam tropicè Babylonem nominauerit, quando dicit, ſalutat vos ea, quæ in Babylone electa eſt Eccleſia, & Marcus filius meus, citatur etiam Euſebius Pamphili, qui refert Petrum, & Paulum martyrio coronatos decimo anno, poſtquam Lucas finiuit Actus Apoſtolorum.

Vide apud nos Clementẽ Papam III. poſt Petrum Pontificem, licèt ab eo immediatus ſucceſſor fuerit ſibi nominatus in cap. in illis 80. diſt. vbi narrat, quomodò Petrus Epiſcopatus, & Archiepiſcopatus inſtituerit, & ſimilitet videbis Cyprianum, & Hieronymum, Auguſtinum, & alios Doctores Sanctos huic ſententiæ ſubſcriptos, vſque adeò, vt non niſi cum magna impudentia, & obſtinatione poſſit quis à tam ſanctis antiquis, & doctiſſimis Patribus diſſentire, & ab vniuerſali ſententia tot ſeculis venerata tecedere, ſed non poſſunt tacere beatum Chryſoſtomum, qui in quodam ſermone de Apoſtolis ſic ait: Ego proptereà diligo Romam, tamen ſi aliundè queam illam laudare, nempè à magnitudine, ab antiquitate, à multitudine, à pulchritudine, ab Imperio, à diuitijs, & à rebus in bello fortiter geſtis, ſed dimittens omnia, ob id illam beatam prædico, ob id facta eſt inſignis, magis, quàm ab alijs rebus omnibus, quia tamquam corpus magnum, & validum haber oculos illuſtres, videlicèt ſanctorum Apoſtolorum corpora Petti, & Pauli. Non ità Cœlum ſplendeſcit, quando Sol radios emittit, quemadmodùm Romanorum Vrbs duas illas lampades vbique terrarum effundens, vide ibi multa in laudem Romæ, vide etiam apud nos epiſtolam inter claras C. de ſumma Trinit. & fide Catholica; vbi Romam Caput omnium Eccleſiarum, & principium appellat, & ſi dicas eſſe epiſtolam Ioannis Papæ.

Vide teſponſionem ad illam per Iuſtinianum Imperatorem Græcum in l. nos reddentes C. eod. Tit. vbi dicit, nos reddentes honorem veſtræ ſanctitati, & Apoſtolicæ Sedi, & vt Patrem honorantes veſtram beatitudinem, omnia, quæ ad Eccleſiarum ſtatum pertinent, feſtinauimus ad notitiam veſtræ ſanctitatis deſerre, quoniam ſemper fuit nobis magnum ſtudium, vnitatem veſtræ Apoſtolicæ Sedis conſeruare, & paulò inferiùs, petimus ergo veſtrum paternum affectum, vt veſtris ad nos deſtinatis litteris, & ad ſanctiſſimum huius Almæ Vrbis Epiſcopum, & Patriarcham, quoniam & ipſe ſcripſit ad veſtram ſanctitatem, feſtinans in omnibus, ſequi Sedem Apoſtolicam veſtrę beatitudinis, manifeſtum nobis faciatis, quod ſuſcipit ſanctitas veſtra, & quorum condemnat perfidiam, plus enim, ità & circà vos hominum amor, & veſtræ Sedis creſcet auctoritas, & quæ ad vos eſt vnitas ſanctarum Eccleſiarum, inturbata ſeruabitur, quando per vos didicerint omnes beatiſſimi Epiſcopi ſinceram veſtræ ſanctitatis doctrinam. Plura in hanc rem potuiſſem adducere teſtimonia ſanctorum Patrum, niſi quòd antiquiſſimorum, & vicinorum ſeculis Apoſtolicis contentus auctoritatibus, intelligo eum, cui illę non concludant, iam eſſe tam obſtinatum hęreticum, vt magis eum vitare iuxtà Conſilium Apoſtoli placeat, quàm alloqui, nec cum eo, vel cibum aſſumere, tu autem Catholice lector venerare ſanctam Eccleſiam, & vt dicebat

Ma-

Digitized by Google

Maximus in quadam ſua epiſtola ad popu-
los Orientales, inrende in eam ſicut in So-
8 lem, vt ex ipſa lumen Catholicæ, & Apo-
ſtolicæ fidei recipias, & Lactantius lib. 7.
diuinarum inſtitutionum, quòd tunc adue-
niet finis, & interitus rebus humanis, cum
lumen Eccleſiæ Romanæ fuerit extinctum,
mediante enim organo, & lumine illius
eſt, & erit Chriſtus nobiſcum, vſque ad ſe-
culi conſummationem, vt non deficiat fi-
des eius.

CAP. XVIII.

In quo declaratur, quare Romæ potiuſquam Hieroſolymis, vel alibi Vicariatus iſte, quem Petri Cathedram appellamus, fuerit inſtitutus.

SVMMARIVM.

1 *Cathedra de Antiochia, iubente Domino, Romam translata fuit, teſte beato Marcello, & vtilitatis cauſa, teſte Anterio, vt ibi magis proficere poſſet.*

3 *Petrus venit Romam pugnaturus aduersùs communem humani generis perniciem, & ad expugnandum Simonem Magum.*

4 *Petrus Romam tranſtulit Cathedram ſuam, vt vbi erat caput ſuperſtitionis, illic quieſceret caput ſanctitatis, & vbi Gentilium Principes habitabant, ibi Eccleſiarum Principes morentur.*

5 *Chriſtus ſicut Orientis Regionem ſua paſſione illuſtrauit, ità Occidentis plagam ſanguine Apoſtolico illuminauit.*

6 *Petrus Romam iuſſus eſt transferre Cathedam, quia per omnes Eccleſias diſcurrere prolixùm erat, ideò ex omnibus maximam antiquiſſimam, & ab omnibus cognitam elegit Deus.*

7 *Roma, quæ erat magiſtra erroris, per hanc Cathedram fieri debabat diſcipula veritatis, vt caput Orbis effecta latiùs præſideret Religione Diuina, quàm dominatione terrena.*

8 *Roma ignorans ſuæ prouectionis auctorem, omnibus penè gentium ſeruiebat erroribus, quia nullam reſpuebat falſitatem, vnde quantò per diabolum tenaciùs erat alligata, tantò per Chriſtum mirabiliùs abſoluta eſt.*

9 *Petrus Princeps Apoſtolici ordinis ad arcem Romani deſtinatur Imperij, vt lux veritatis efficaciùs ſe ab ipſo capite per totum Mundi corpus effunderet.*

10 *Hieroſolyma erat funditùs euertenda in vltionem mortis Chriſti, & ipſa, & Antiochena Eccleſia poſteà titulo Patriarchali decoratæ fuerunt.*

11 *Ratio omnium, quæ maioribus noſtris inſtituta ſunt, reddi non poteſt.*

12 *Homini non eſt neceſſe maiora ſe quærere, quia plus poteſt inſipiens interrogare, quàm ſapiens reſpondere.*

13 *Deus voluit, vt Roma eſſet Caput Orbis terrarum, proindè eam colamus nulla alia percepta ratione.*

ROmæ igitur Petrum fuiſſe, ibi Cathe-
dram hanc fundaſſe, & ibi marty-
rium pro Chriſti nomine ſubijſſe eodem
die, & anno, quo beatus Paulus, nempè vl-
timo Neronis anno, conſtat ex multis ſan-
ctis Patribus, & vicinis ei tempori, & ex
approbatiſſimis hiſtorijs, prout etiam nos
docet vniuerſalis Eccleſiæ traditio, quę ſo-
la deberet ſufficere, ſicuti ſufficit ad creden-
dum, quòd Andreas in Achaya, Iacobus
Hieroſolymis, & alij Apoſtoli in ſuis pro-
uincijs mortem glorioſam pro Chriſti no-
mine pertulerunt. Quòd autem Romę po-
tiùs, quàm alibi, & quibus de cauſis funda-
tus fuerit iſte Vicariatus, & Paſtoratus
huius ouilis, traduntur aliquæ rationes à
ſanctis Patribus, quæ iudicio meo, cuili-
bet, qui non ſit omninò perdirus, & ob-
ſtinatus concludent. In primis beatus Mar-
1 cellus Papa martyr ſcribens vniuerſis Epi-
ſcopis per Antiochiam conſtitutis ait, Ro-
gamus vos fratres, vt non aliud doceatis,
quàm quod à beato Petro, & reliquis pa-
tribus accepiſtis. Ipſe enim eſt caput to-
tius Eccleſiæ, & eius ſedes primitùs apud
vos fuit, quæ poſt ea, iubente Domino, Ro-
mam translata eſt, & ſic translationem
hanc Domini præcepto attribuit, tex. eſt
in cap. rogamus 24. quæſt. 1. Idem ſcribit
Anterius Papa in cap. mutationes 7. qu. 1.
Dicens, Petrus ſanctus Magiſter noſter, &
Princeps Apoſtolorum de Antiochia ciui-
tate vtilitatis cauſa eſt translatus Romam,
vt ibi magis proficere poſſet. Idem Ana-
cletus Papa in capit. Sacroſancta 22. diſt.
vbi dicit, quòd reliquit beatum Ignatium
2 Epiſcopum Antiochiæ, priuſquam veniret
Petrus Romam, licèt lib. 3. capit. 12. ſuæ
Hierarchiæ Pighius referat Enodium pri-
mò conſtitutum à Petro in Epiſcopum
Antiochiæ, & Enodio ſublato, ſanctum
Ignatium ſubſtituit: Euſebius Cæſarienſis
lib. 1. cap. 4. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ dicit,
quòd in ipſis Claudij temporibus, clemen-
tia diuinæ prouidentiæ beatiſſimum Pe-
trum Romam Vrbem perducit pugnatu-
3 rum aduersùs communem humani generis
perniciem, ad quod alludit Hieronymus de
viris illuſtribus dicens, Simon Petrus filius
Ioannis, prouincię Galilę, vico Bethſayda,
frater Andreæ Apoſtoli, & Princeps Apo-
ſtolorum, poſt Epiſcopatum Antiochenſis
Eccleſiæ, & prædicationem diſperſionis eo-
rum, qui de circumciſione crediderant in
Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, & Bi-
thinia ſecundo Claudij anno ad expugnan-
dum Simonem Magum Romam pergit, ibi-
que viginti quinque annis Cathedram te-
nuit ſacerdotalem vſque ad vltimum Nero-
nis annum, id eſt decimum quartum, à quo,
& affixus Cruci martyrio coronatus eſt, ca-
pite ad terram verſo, & in ſublime pedi-
bus eleuatis, aſſerens ſe indignum, ne ſic
crucifixeretur, vt Dominus ſuus. Beatus
Ambroſius in cap. beati 2. quæſt. 7. dicit,
4 Ideò in Vrbe Roma, quæ principatum, &
caput obtinebat nationum, ſcilicet, vt vbi
erat caput ſuperſtitionis, illic caput quie-
ſce-

ſceret ſanctitatis . & vbi gentilium Princi-
pes babitabant, ibi Eccleſiarum Principes
moterentur,eiſdem verbis loquitur ſanctus
Maximus Epiſcopus in quodam ſermone
de Apoſtolis, ſed addit, quòd cum Domi-
5 nus Orientis regionem proptia illuſtraue-
rit paſſione,occidentis plagam,nequid mi-
nus eſſet, vice ſui ſanguine Apoſtolorum
illuminare dignatus eſt , & licèt illius paſ-
ſio nobis ſufficiat ad ſalutem, tamen etiam
horum martyrium nobis contulit ad exem-
plum , vt inter cætera mirabilia , quæ fece-
tunt,etiam Magum illum Simonem oratio-
nibus ſuis de aeris vacuo præcepiti ruina
proſtrarent , & Petri oratio prior aſcendit
ad Dominum, quàm volatus Simonis,ante
peruenit iuſta petitio , quàm iniqua præ-
ſumptio,ante Petrus in terris poſitus obti-
nuit,quod petebat, quàm Simon perueuiret
in cæleſtibus, quò tendebat .

Et qui paulò ante volare tentauerat,
ſubitò ambulare non poſſet , & qui pennas
aſſumpſerat,plantas amitteret . Irenæus li-
bro 3. aduersùs hæreticos aſſignat aliam
tationem,nempè, quia per omnes Eccleſias
diſcurtere ptolixum eſſet , & operis infini-
ti . Ideò ex omnibus maximam , & anti-
6 quiſſimam , ac omnibus cognitam elegit .
Leo Papa in ſermone de Apoſtolis Petro ,
& Paulo dicit , hoc ideò fuiſſe , vt Roma ,
quæ eo tempore erat magiſtra erroris,fieret
diſcipula veritatis , & vt per ſacram beati
7 Petri ſedem caput Orbis effecta latiùs præ-
ſideret religione diuina, quàm dominatio-
ne terrena . Diſpoſitio namque diuinitùs
operi maximè congruebat, vt multa regna
vno confœdararentur imperio, & citò per-
uios haberet populos prædicatio genera-
lis , quos vnius teneret regimen ciuitatis .
8 Hæc autem ciuitas Romæ ignorans.
ſuæ prouectionis auctorem , cum penè om-
nibus dominaretur gentibus, omnium gen-
rium ſeruiebat erroribus , & magnam ſibi
videbatur aſſumpſiſſe religionem , quia
nullam reſpuebat falſitatem , vnde quantò
erat per diabolum tenaciùs alligata, tantò
per Chriſtum eſſet mirabiliùs abſoluta,hæc
Leo ibi , idem etiam Leo Pontifex in alte-
ro ſermone de Apoſtolis inquit , cum duo-
decim Apoſtoli accepta omnium locutio-
ne linguarum per Spiritum ſanctum , im-
buendum Euangelio mundum diſtributis,
ſibi terrarum partibus ſuſcepiſſent,beatiſſi-
9 mus Petrus Princeps Apoſtolici ordinis ad
arcem Romam deſtinatur imperij , vt lux
veritatis , quæ in omnium gentium reuela-
batur ſalutem , efficaciùs ſe ab ipſo capite
per totum mundi corpus effunderet , cuius
autem nationis homines in hac tunc Vrbe
non eſſent ? Aut quæ vſquam gentes igno-
rarent , quod Roma didiciſſet ? Hìc con-
culcandæ philoſophiæ opiniones , hìc diſ-
ſoluendæ erant terrenæ ſapientiæ vanira-
tes , hìc confutandi dæmonum cultus , hìc
omnium ſacrilegiorum impietas deſtruen-
da,vbi diligentiſſima ſuperſtitione habeba-
tur collectum , quicquid vſquam fuerat va-
nis erroribus inſtitutum .

Ad hanc ergo Vrbem tu beatiſſime pe-
tre Apoſtole venire non metuis, & conſor-
te gloriæ tuæ Paulo Apoſtolo aliarum ad-
huc Eccleſiarum ordinationibus occupato,
ſiluam iſtam frementium beſtiarum, & tur-
bulentiſſimæ profunditatis Occeanum
conſtantia, quam, ſupra mare gradiebaris,
ingrederis, iam populos , qui ex circumci-
ſione crediderant,erudieras,iam Antioche-
nam Eccleſiam,vbi primùm Chriſtiani no-
minis dignitas eſt orta, fundaueras , iam
Pontum,Galatiam, Cappadociam, Aſiam,
atque Bithiniam legibus Euangelicæ præ-
dicationis impleueras , nec vt dubius de
prouectu operis , aut deſpatio tuæ ignarus
ætatis , trophæum Crucis Chriſti Romanis
arcibus inferebas , quò te diuinis præordi-
nationibus ante ibant, & honor poteſtatis,
& gloria paſſionis, hactenùs Leo, & ſic di-
uina iuſſione præcipuè , & ex cauſis prædi-
ctis credere debemus Romanam Eccleſiam
fuiſſe huic paſtoratui dedicatam .
10 Quare autem non Hieroſolymis, aut
quare Antiochiæ , vbi primatum hunc Pe-
trus priùs inſtituit , non perſeuerauerit ?
Reſpondet optimè Pighius cap. 13. lib. 3.
quis cognouit ſenſum Domini , aut quis
eius conſiliarius fuit ? fortè id factum fuit
quia in vltionem mortis Chriſti erat fundi-
tùs euertenda Hieroſolyma , nec lapis ſu-
per lapidem relinqui debebat,vel vt cęcam
illam, & carnalem turbam confunderet Iu-
dæorum expectantium ſemper Meſſiam
ſuum regnaturum in Hieruſalem .

De Anthiochia autem , quare etiam
translata fuerit Romam,diuino etiam præ-
cepto tribuendum eſt rationibus ſupra di-
ctis , & quia ad conuincendum Simonem
Magum (qui ſuis verſutijs , & magicis in-
cantationibus totam illam gentem excę-
cauerat) oportebat Petrum Romam profi-
ciſci , in qua erat Orbis Imperium , vt per
Hieronymum , & alios ſupra citatos, An-
tiochenam autem , & Hieroſolymitanam
titulo Patriarchali decoratas legimus in
cap. renouantes , & in cap. diffinimus 22.
diſt. qui titulus poſt Romani Pontificis di-
gnitatem primum locum tenet , & ſummo
honore fungitur , vt per Iſidorum in cap.
cleros 21. diſt. quòd ſi obſtinatus hæreti-
cus contendat non ſibi ſufficere Marcelli,
Anterij , & Leonis teſtimonia , qui fuerunt
Romani Pontifices , & ad vtilitatem pro-
priam, & Eccleſiæ ſuæ auctoritatem deſcri-
pſerunt, certè Euſebius non fuit Romanus
Pontifex , ſed Epiſcopus Cæſarienſis apud
Paleſtinam , qui Hieroſolymam vicinam ,
& etiam ſuffraganeam habuit aliquando ,
vt ex Nicæno Concilio probari refert Pi-
ghius cap. 12. lib. 3. Chryſoſtomus Græ-
cus fuit , & Conſtantinopolitanus Epiſco-
pus, doctorque ſanctiſſimus , qui Hom. 87.
ſuper Ioannem , ità de Hieroſolymitana
ſcripſit Eccleſia , ſi quis à me percontare-
tur,quomodo Iacobus ſedem Hieroſolymis
acceperit, reſponderem ego , hunc totius
Orbis magiſtrum præpoſuiſſe Petrum . Pa-
pias etiam Hieroſolymitanus Epiſcopus
teſtatur, Petrum ſuam primam canonicam
Romæ ſcripſiſſe, ſed quid Ægeſippum,quid
Dionyſium Areopagitam, & alium Diony-
ſium Corinthiorum Epiſcopum , quid de-
nique alios recitem , qui non fuerunt Ro-
mani Pontifices, Irenæus ſimiliter diſcipu-
ius

Ius Policarpi auditoris beati Ioannis Euangeliſtæ non fuit Romanus Pontifex, ſed Lugdnnenſis Epiſcopus, vt videant, qui de Gallia in hęreſes prolabuntur, quomodo talinm præceptorum auctoritatem contemnunr, certè magna eſt impudentia velle nebulonibus iſtis (qui nudiùs tertiùs fabricata chimera populares animos decipere volunt) credtre potiùs, quàm antiquis ſanctis, & doctiſſimis Patribus, & recedere à communi totius Eccleſiæ confeſſione tanto eempore recepta, & apptobata, & ſi rationes iſtæ beatiſſimotum Marcelli, Antherij, Euſebij, & Itenæi, quare Romæ fundatus fuerit iſte ſanctiſſimus Vicariatus, & Cathedra, non concludant, hæretico obſtinato concludat ad minùs iſte vniuerſalis conſenſus omnium antiquotum, & ſanctotum vſque in tempora noſtra teceptus, etiam non percepta ratione.

Nam etiam Philoſophi, & iuriſcon-
11 ſulti dixerunt. Non omnium, quæ à maioribus noſtris inſtituta ſunt poſſe reddi rationem, l. non omnium, ff. de legibus, vbi gloſs. ponit exemplum quare præſcripcio, vel vſucapio fuerit introducta, tatio reddi poteſt, ne ſeilicet dominia rerum ſiut in incerto, ſed quare tempns triennij, vel viginti annotum fuerit ſtatutum potiùs, quàm alind, de hoc ratio reddi non poteſt, ſic in propoſito, quòd vnus Vicarius pto Chriſto viſibilis in terris gubernare debeat Eccleſiam, & quomodo Petrus fuetit deſignatus à Chriſto magis, quàm cæteti Apoſtoli, audiuiſti ex ſacra Scriptura, quare autem Cathedra hæc potiùs Romæ, quàm alibi fuerit inſtituta, mihi concludunt, & cuilibet Catholico coucludent tationes ſanctotum, quos retuli, ſi tibi non concludunt, crede tamen ſine vlteriori rationis, & cauſæ inueſtigarione, quod à mille quigentis annis, & vltrà à maioribus noſtris, & verè maioribus ſanctitate, & doctrina ſeruatum accepiſti, nec deſeras propter perfidos iſtos, quod à tanto tempore tenet Ec-
12 cleſia, & vſque modò conſeruae, & prout dicitur Eccleſiaſtes 7. quid neceſſe eſt homini maiora ſe quærere, & vt alter dicebat, plùs poteſt inſipiens quærere, quàm ſapiens reſpondere, ne cures igitur inueſtigare in his, quæ ad fidtm pertinenr, quare hoc potiùs, quàm illud ordinatum fuit, cur Romę magis, quàm alibi Cathedra hæc reſideat? cuum enim dumtaxat eſt credere, & obedire ſuperioribus tuis, & figere in corde tuo
13 quod Liuius libro 1. de bello punico dicebat, abi, nuntia Romanis, cæleſtes ità velle, ve mea Roma caput ſit Orbis terrarum, quæ verba, etſi de dominatione terrena dicta fuerint à Liuio, tamen, & ad religionem diuinam, qua Roma præſidet ſupra cæteras, poſſunt referri.

CAP. XIX.

In quo alijs rationibus oſtenditur, Vicariatum hunc, & Petri Primatum Romæ, & non alibi fuiſſe fundatum poſt tranſlationem de Antiochia.

SVMMARIVM.

1 *Obſeruantia ſubſequuta, & continuata duratio per tempus memoriam hominum excedens, eſt optima ſpecies probationis, quæ appellatur argumentum à priori, & poſteriori ſubſequnto.*

2 *Tituli primordialis dubitas, ſi quæ poteſt eſſe ex ſubſequnto euentu certificatur.*

3 *Interpretatio vera eſt, quæ à practica, & obſeruantia ſumitur, præſertim ſi obſeruantia iſta aliquo tempore ſuit contradicta, & non obſtantibus contradictionibus, ſemper firma perſtiterauit, nam cogimur ei ſtare, etiam non percepta ratione.*

4 *Hæretici deberent ſe ad pedes Pontificis prouoluere dicentes, erraui, ſicut ouis, quæ perijt, quære ſeruum tuum Domine.*

5 *Romanus Pontifex non erit auſterus humilibus, poſtquam Chriſtus Dominus eſt benignus, & recipiet omnes verè conuerſos intrà gremium Eccleſiæ.*

6 *Antiquitas, & ſanctitas maiorum noſtrorum veneranda eſt, & nouitas fugienda ex multis, quæ hìc adducuntur.*

7 *Poſt Petrum extiterunt continuati, quaſi ducentum, & viginti ſex Papæ, quorum nullus Petri nomen accepit, nec annos Pontificatus Petri attigit, quæ omnia credendum eſt ſine numine Dei non eueniſſe ob reuerentiam Petri.*

8 *Eccleſia nulla tanto tempore conſeruauit fidem, ſicut Romana, & illic nulla hæreſis ſumpſit exordium.*

9 *Adiectionem nec vnius ſermonis ad Symbolum admiſit Roma, nec ſillabæ.*

10 *Vnitas in orando, & pſallendo à beatiſſimis Pio Quinto, & Gregoria Decimotertio laudatur.*

11 *Romæ pluſquam alibi ad martyrum ſepulchra, & Eccleſias concurritur, & in Romanis eſt maior deuotio, & ſimplicitas ad credendum, teſte Hieronymo, cuius exemplum vtinam homines aliarum Regionum imitarentur.*

12 *Euangelica doctrina ſpecialiter ſub Romani Imperij Sede conſiſtit, & licèt Roma fuerit ſæpiùs obſeſſa, non tamen in totum diruta, tutelari enim numine magni Dei ſeruata eſt, tamquam terrarum, gentiumque dea.*

13 *Roma nomen eſt, quod apud Græcos ſignificat fortitudinem, & apud Hebræos ſublimitatem, auctore Hieronymo.*

14 *Roma effuſione ſanguinis Petri facta eſt altera Hieruſalem, teſte Hoſtienſe.*

15 *Roma ſola fidem ſemper ſeruauit, cùm omnes*

Mundi Prouintiæ, in quibus Apoſtoli prædicarunt, à fide defecerint, & Cathedram Petri retinuit, nullis tempeſtatibus hoc perturbantibus.

16 *Romani Pontifices, & alij Martyres plùs Romæ, quàm alibi pro nomine Chriſti occiſi fuerunt, & reliquiæ corporum alimde tranſlatorum Cathedram hanc in morte, ſicut in vita venerantur.*

INter cæteras probaeionum ſpecies, quæ
ad probandum aliquid de antiquo in-
eroductæ reperiuntur à Philoſophis, & iure
conſultis noſtris, licèt Ethnicis, & in ſolo
lumine naturali ratiocinantibus, vna eſt, &
præcipua obſeruantia ſubſequuta, & con-
einuata duratio pet tempus memoriam ho-
minum excedens, quam multi ex noſtris
appellarunt argumentum à priori, & po-
ſteriori poſteà ſubſequuto, credendum eſt
1 enim, & iudicandum, quòd obſeruantia
tanti temporis continuata à ritulo illo
præcedenti defluxerit, & durationem illam
acceperit, vt per iuris conſultum in l. quæ-
dam mulier, ff. de rei vendic. l. ſi à te, ff. ſi
2 ſerui vendicetur, l. prædia, ff. de acquir. poſ-
ſeſs. à primordio enim tituli poſterior fot-
matut euentus l. 1. citca fin. C. de impo-
nenda lucratiua diſcrip. lib. 10. C. & du-
bietas tiruli primordialis (ſi quæ potuiſſes
eſſe, debet ex euentu ſubſequuto certificari,
l. minimè, & l. ſi de interpretatione, ff. de
3 legib. & vera eſt interptetatio, quæ à pra-
ctica ſumitur, dicebat apud nos Baldus iu-
riſconſultus, & Philoſophus egregius in
cap. 1. de feudo ſine culpa non amittendo,
euius dicti auctoritate deciduntur multa
in audirorijs cauſarum, quæ hìc teferte
longum eſſet, recruſet Craueta de antiq.
t. parte ſol. 53. & cont. to. & 118. & alibi
Doctores noſtri, quos hìc non congero, ſi-
curi ſoleo cauſas agendo, præſertim quan-
do conſuerudo, & obſeruantia ralis fuie
aliquo tempote contradicta, & non obſtan-
te rali contradictione, firma perſeuerauit
ſemper, contradictionibus abolitis, iuxtà
text. in l. cum de conſuetudine, ſſ. de leg.
& gloſs. in cap. fin. de conſueeud. & multò
magis ſi ſit rationabilis, & præſcripta pee
rempus immemorabile cap. 1. de præſcript.
lib. 6. ſi igitur propter tanti temporis ob-
ſeruantiam cogimur, etiam non percepta
rarione, obedire maioribus, & antiquiori-
bus noſtris, nec poſſumus recedere ab eo,
quod ipſi definierunt, & tanro tempore
cuſtodierunt, quamuis obſeruantia talis
non ſundetut in ratione naturali, nec au-
ctorirate iutis diuini. Et quamquam ali-
quid abſurdi videatur in ſe continere ſola
maiorum ſortaſſe reproborum ſententia
quaſi compedibus alligati.

Quis poterit Catholice Lectot à la-
chrimis temperate, ſi videar in dubium
reuocari temporibus noſtris à perfidis, &
nebulonibus iſtis dignitatem Cathedræ
huius, & vnius Paſtoris pto Chriſto Vica-
tij ſundaram in principijs iuris naturalis,
& tàm apertis Sacræ Scripturæ auctorita-
tibus à mille quingentis annis, & vltrà ve-
neratam, per tot Sanctos Patres, & tàm eni-
xè, vt pto eius obedientia mori, & mar-
tyrium ſubire non dubitauerint; & deni-
que permanentem, non obſtantibus con-
tradictionibus, quæ contrà eam ex rot
eyrannorum perſequutionibus, & hæreti-
corum verſutijs iuſurrexerunt. Hoc ſolùm
profectò, ſi piè, & Carholicè conſidarerur,
debeiēr omnes, nulla vlteriori auctorirate
inueſtigata, in ea obedieuria, quæ huic
Cathedræ debetur, & tantæ fidei ſolidira-
te firmare. Hoc eriam ſolùm deberee aro-
gantes hæreticorum chimeras, & phantaſ-
mata diabolica ſuggeſtione (quo licentiùs
4 vitijs ſubſeruiant) conficta deſtruere. Hoc
denique ſolùm, ſine alio examine deberet
eos prouolutis genibus proſtrare ad pedes
huius ſancti Paſtoris, & pro Chriſto Vica-
rij, decantando verſum illum Pſal. 118. er-
raui ſicur ouis, quæ perijt, quære ſerunm
euum Domine, omnes nos quaſi oues er-
tauimus, vnuſquiſque in viam ſuam decli-
nauit. Eſaiç 53. Rege me Domine, in loco
paſcuæ colloca me, virga tua, & baculus
euus me conſoleutut. Pſal. 22. Pone me
quaſi gregem in ouili, & quaſi pecus in
medio caularum. Micheæ 2. ne omninò ab-
ſcindat de ouili tuo, ſicut pecus iuſectum
Abacbuc tertiò, & ne ſicut oues in inſerno
poſiras mors depaſcat nos.

5 Ille enim Beatiſſimus Romanus Pon-
tifex Chriſti Vicarius, vt dicit Chryſoſto-
mus eleganter in cap. alliganr. 26. q. 7. non
erit auſterus, poſtquam Dominus eſt beni-
gnus, quia non ſolùm, ſi verè conuerran-
tur, eos ad miſericordiam benignè reci-
piet. c. ſuper cod. de hæreticis, lib. 6. l. fin.
C. de Summa Trin. cap. duo. 23. q. 4. c. Se-
des Apoſtolica de reſcript. verùm etiam ad
exemplum Chriſti, & Paſtoris, qui ouem,
quam perdiderat inueniens, conuocabit
amicos ſuos, & vicinos dicens eis, congra-
tulamini mihi, quia ouem, quam perdide-
ram inueni. Lucæ 15. tranſumptiuè, & ele-
ganter ad propoſitum in cap. pœnitentes
ex corde 26. q. 7.

6 Sequamut ergo, vt ad ptopoſitum
redeamus, antiquitatem, & ſanctitarem
maiorum noſttorum verè literis, & virtute
maiorum, potiùs quàm Sophiſmata nebu-
lonum noſtri tempotis, ſicut, & Iob. ſexto
legirur, intettoga generationem ptiſtinam,
& diligenter inueſtiga Partum memoriam,
heſterni quippè ſumus, & ignotamus, quo-
niam vmbra dies noſtri, ſuper terram ipſi
docebunt te, & loquentur tibi, & de corde
ſuo proferent eloquia. In anriquis eſt ſa-
pientia, & in multo tempore prudentia.
Vndè eleganter Beatus Iſidorus ad Maſſa-
num Epiſcopum in cap. Domino Sancto,
l. diſtin. ponderando auctoritatem illam
Ezechielis 6. confundere, ò Iuda, & porta
ignominiam euam, & tu, & filiæ tuæ re-
uertimini ad antiquitatem, dicebat: Quo-
eieſcumque diſcors ſententia inuenitur in
geſtis Conciliorum, illius Concilij ſenten-
eia magis teneatur, cuius anriquior extae
auctoriras, habet enim antiquitas maio-
rem fraternitatem cũ fidelitate Dei, quàm
nouitas, iuxrà illud Eſaiæ 25. Domine
Deus es tu, & confitebor nomini tuo, quo-
niam feciſti mirabilia, cogitationes anti-
quas fideles Amen, propterea Nicolaus

Papa

Google

Papa in cap. Ridiculum, 12. diſt. dicebat;
Ridiculum eſt, & ſacis abhominabile dede-
cus, vt traditiones, quas antiquitùs à Pa-
tribus ſuſcepimus, infringi patiamur, &
Patres Concilij Ariminenſis reſponderunt
ad quoſdam nouitatum inuentores, nos
non quia fide indigeremus; huc conueni-
mus, habemus enim ſanam fidem, ſed vt
eos, qui veritati contradicunt, & noua
moliuntur, confunderemus, & quæ Patrum
ſunt teneamus, vt refert Athanaſius libro
2. de perſequutione, & ad Conſtantinum
Imperatorem lib. 12. cap. 15. in Epiſtola de
Synodis Arimini, & Seleuciæ congregatis,
quam habemus in primo tomo Concilio-
rum; fol. 134. Sic Patres illi ſcripſerunt: ſup-
plicamus humanitati tuæ, vt benignis au-
ribus, & ſereno vultu noſtros legatos in-
tuearis, neque ad contumeliam mortuo-
rum aliquid noui induci permittas, ſed
nos ſinas in inſtitutis, decretiſq; maiorum
permanere, quos magno ingenio, pruden-
tia, & Spiritu Sancto, omnia feciſſe aſſe-
ueramus, certè res nouæ credentibus incre-
dulitatem, incredulis ferocitatem indu-
cunt, vt etiam allegat Cardinalis Hoſius
in 2. tomo, titulo de expreſſo Dei verbo,
fol. 533. deteſtanda eſt ergo nouitas, & ſe-
quenda vetuſtas, vt infrà cap. ſi. latiùs
oſtendemus; & vt iàm ad Romam noſtram
conuertamur, pro efficaciori huius noſtræ
antiquitatis continuatæ fundamento, pon-
deremus poſt Beatum Petrum primum
7 Chriſti Vicarium extitiſſe, quaſi ducentum,
& viginti ſex Pontifices, vnum ſemper al-
terius ſucceſſorem vſque ad Sanctiſſimum
Gregorium decimum tertium, qui nunc
Eccleſiam Dei fęliciter gubernat, & ex tot
Pontificibus nullum auſum fuiſſe Petri no-
men aſſumere ob reuerentiam Beati Pe-
tri, cuius ſunt ſucceſſores, nec aliquem eo-
rum viginti quinque annos Pontificatus
attigiſſe, quibus Petrus rexit Eccleſiam,
quæ omnia, vt ab alto prouenientia, non
modicam admirationem fidelibus induce-
re debent, & eos in humilitate, & obedien-
tia, quæ Romano Pontifici debetur, plùs
confirmare potuiſſet, neque enim hæc ſine
numine Dei euenerunt, & ſi Beatus Irenæus,
vt ſtatim dicam, continuatam Pontificum
ſucceſſionem à Beato Petro vſque ad Bea-
tum Eleuterium, tunc Romanum Pontifi-
cem ponderabat, à fortiori in ſeculo no-
ſtro poſſumus conſiderare ſuccedaneam
Pontificum ſucceſſionem à Beato Petro
vſque ad Beatum Gregorium XIII. Papam,
intelligentes adimpleri in hac Romanæ
Eccleſiæ conſeruatione, verba illa Chriſti
ad Petrum dicta, quòd pro eo rogauit, vt
non deficiat fides eius, ſed vt conuerſus,
confirmaret fratres ſuos, Lucæ 22. ſed age
iàm, diſcurre modò per omnes Prouincias
Mundi, in quibus cæteri Apoſtoli prædica-
8 uerunt, & videbis nullam aliam, niſi Ro-
manam tanto tempore, ac vſque modò cō-
ſeruaſſe, prout conſeruatura eſt, vſque ad
conſumationem ſeculi fidem ſanctam
hanc Petri, pro qua Chriſtus Patrem roga-
uit in præſentia cæterorum Apoſtolorum,
& Petri; lege Beatum Cyprianum in expo-
ſitione Symboli Apoſtolorum, vbi ait, quòd
licèt in diuerſis Eccleſijs aliqua fuerint
addita verbis Symboli, in Eccleſia tamen
Vrbis Romæ hoc non deprehenditur fa-
ctum, & pro eo arbitror, dicit Martyr ille
glorioſus, & Aphricanus, quòd neque hæ-
reſis vlla illic aſſumpſit exordium, & mos
ibi ſeruatur antiquus apud eos, qui gra-
tiam Baptiſmi ſuſcepturi ſunt, publico fide-
lium Populo audiente, ſymbolum reddere.
9 Et vtique adiectionem vnius ſermonis ſal-
tem eorum, qui præceſſerunt in fide, non
admittit auditus, hæc Cyprianus, con-
demnans in illis verbis adiectionem, etiam
vnius ſermonis ad morem antiquum præ-
ter Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, & ideò
optimo iure temporibus noſtris ex decreto
10 Sacri Concilij Tridentini, & Beatorum Pij,
ac Gregorij Pontificum mandato factum
eſt, & factum ſeruatur, vt diuerſis orandi,
& pſallendi modis, qui in vnaquaque Pro-
uincia, & Diœceſi adinuenti fuerunt, in to-
tum exploſis, ad vnum, eumque antiquum
orandi, & pſallendi ritum reſtitueremur,
ſalua in omnibus Sedis Apoſtolicæ aucto-
ritate, quæ ſecundùm varietatem loco-
rum, & temporum valeat ſuper his diſpen-
ſare; cap. non debet; de conſangu. & affin.
ſed ad noſtram Romam redeundo, audi
Hieronymum, vt in prooemio commenta-
riorum Epiſtolæ ad Galatas, & ad Pau-
lam, & Euſtochium de Roma Vrbe dicen-
11 tem, vbi alibi; tanto ſtudio, & frequentia
ad Eccleſias, & martyrum ſepulchra con-
curritur? vbi ſic ad ſimilitudinem cœle-
ſtis tonitrui amen reboat, & varia idolo-
rum templa quatiuntur, non quòd aliam
habeant Romani fidem, niſi hanc, quam
omnes Chriſti Eccleſiæ tenent, ſed quòd
deuotio in eis maior ſit, & ſimplicitas ad
credendum hæc, Hieronymus, & vtinam
omnes hoc ſui capitis, & Eccleſiæ Romanæ
imitarentur exemplum, tam in reſpuenda
adiectione vnius ſermonis ad morem anti-
quum ex Cypriano, quàm etiam in con-
ſeruanda deuotione, & ſimplicitate ad cre-
dendum ex Hieronymo, ſic enim hęc fides
Sanctorum Patrum antiqua duraret apud
eos, & in omnibus nationibus Romæ no-
ſtræ exalta maneret, ac nociuæ nouita-
tum quæſtiones exularent à cordibus ipſo-
rum.

Quid etiam referam Beatum Hila-
rium in Prologo ſuper Pſalmos, vbi ait
quamuis multæ Barbaræ gentes Dei co-
gnitione ſecundùm Apoſtolorum prædi-
cationem, & manentium hodie illic Eccle-
ſiarum fidem adeptę ſint, tamen ſpecialiter
12 Euangelica doctrina ſub Romani Imperij,
in quo Hebræi, & Græci continentur, ſede
conſiſtit, hæc Hilarius, & licèt Roma ob-
ſeſſa fuerit ſæpè ſæpiùs, non eſt diruta, ſi-
cut Cartago, Troya, & aliæ Ciuitates: Tu-
telari enim numine magni Dei ſeruata eſt,
tamquam terrarum, gētiumque dea, cui ni-
hil eſt par, in qua Petrus Chriſti Vicarius,
ac ſucceſſores eius pręſiderent, vt dicit
Blondus Forolibienſis, hiſtoricus de Roma
triumphante, quem refert Faber tract. 10.
tex. 24. Vndè ad noſtram Romam referri
poſſunt ea omnia, quæ ex Chryſoſtomo, &
alijs ſuprà capite ſexto, num. 13. congeſſi-

mus ad probandum, quòd Eccleſia vniuerſalis duratura eſt, vſque ad finem mundi, quia licèt impugnetur, non tamen expugnabitur.

Quod ſatis etiam oſtendit Romanam Eccleſiam eſſe Caput omnium Eccleſiarũ, poſtquam Caput, & Corpus ſic in iſta duratione conueniunt, & teſte Hieronymo contrà Iouinianum, Roma nomen eſt, quod apud Græcos ſignificat fortitudinem, &
13 apud Hebræos ſublimitatem, in ſignum videlicèt ſublimis, & ſupremi Pontificij, veræ, & Catholicæ Eccleſiæ, quod penès ipſam fuiſſe, eſſe, & futurum vſque ad ſeculi conſumationem credimus, & confitemur intrepidè, & vt dicebat apud nos Hoſtienſis in cap. per venerabilem, §. Sanè, qui filij ſint legitimi; Vrbs Romana effuſione ſanguinis Petri, qui fuit primus Chriſti Vica-
14 rius, facta eſt altera Hieruſalem ab ipſo Deo, quia per talem effuſionem voluntas Dei fuit, vt ille locus firmaretur, & conſecraretur pro Eccleſia ſua ſancta, quæ eſt Caput, & Domina Eccleſiarum, nam licèt Hieroſolyma propter Chriſti paſſionem fuerit glorioſior, Roma tamen pro Sede Summi Pontificis fuit aptior, à Chriſto quoque præelecta in ſignum ſuperioritatis, quam Romanus Pontifex habiturus erat ſuper totum Orbem, ideò voluit Dominus ibi potiùs, quàm alibi Eccleſiæ Caput ſtabilire, vt optimè ponderat Palacios Rubios in tractatu de retentione Regni Nauarræ, parte ſecunda, §. 4. Sed age, & mente diſcurre per omnes mundi Prouincias, in quibus Apoſtoli prædicarũt, defecit Achaya, vbi Andreas, Aſia, vbi Ioannes, India, vbi Thomas, Perſia, vbi Simon, & Iudas, Ethiopia, vbi Matthæus, Hieroſolyma, vbi Iacobus, vterque Græcia, vbi Paulus, Phrigia, vbi Philippus, Samaria, vbi Matthias India citerior vbi Bartholomæus, Pontus, Galatia, Bithinia, Antiochia, vbi Petrus prædicauit, omnes iſtæ à fide ſanctiſſima defecerunt, nec aliam inter cæteros ſuperioritatem, & præeminentiam conſetua-
15 runt, ſola Roma, ſola inquam Roma à Petri prædicatione, non ſolùm fidem inter tot perſequutiones, & tyrannides, verum etiam, & Imperium Sedis Apoſtolicæ retinuit ſuprà cæteras. Et profectò, quamuis nullum aliud teſtimonium, niſi ſolus iſte rei euentus adeſſet deberet omnes in tantæ fidei, & Cathedræ obedientia ſolidare.

16 Pondera etiam, quot Ciuitates, & Prouinciæ, fidelibus in totum exploſis, captiuatæ fuerint ab hoſtibus infidelibus, ſola Roma ab eo die, quo Petrus eam erudiuit, vel in multis, vel in paucis fidem, & Cathedram ſuam, continuata Pontificum ſucceſſione, conſeruauit, nihil hoc impedientibus, nec impedire valentibus tot perſequutionibus tyrannorum, tot Martyrum exoſſationibus, incendijs, & decapitationibus, & præconijs de Chriſtianis exilio, & morti tradendis, pondera hic teſtimonium Leonis I. quomodò Attilam ſolo verbo ab obſidione, quam contra Romam parauerat, expulit.

Attende ſimiliter immediata, & continuata martyria tot ſanctorum Romanorum Pontificum vſque ad tempora Liberij Papæ, & aliorum poſteà pro Chriſti nomine occiſorum, de nulla enim Prouincia reperies tot Martyres, & Pontifices pro fide, & gloria Dei trucidatos.

Contemplare, quot Sanctorum exempla, paſſiones, virtutes, & exhortationes Vrbem illam, & omnes eius habitatores ſpiritualiter ædificarunt, quot Martyres illuc ad martyrium adducti fuerunt ex omnibus quaſi Mundi partibus, quot etiam reliquiæ illam exornant vndequaque tertatum, vt Ignatius ex Antiochia, Laurentius ex Hiſpania, Stephani corpus ex Hieroſolymis, & quaſi omnia Apoſtolorum, & quamplurium Martyrum corpora, & oſſa illuc translata, & in Templis Romanis ſolemniter recondita, quaſi in morte, ſicut & in vita hanc ſanctam Cathedram venerando.

Conſidera quot prodigia, & miracula in fidei confirmationem operatus fuerit ibi Deus noſter, & dices: verè non eſt aliud hic, niſi domus Dei, & porta Cœli. Vnde eleganter Auguſtinus relatus per Roffenſem artic. 25. tenet me, inquit, in Eccleſia ab ipſa Petri Sede, cui paſcendas oues ſuas Dominus poſt Reſurrectionem commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopum ſucceſſio Sacerdotum continuata, & idem Auguſtinus contra Manichæos plurimùm, inquit, in re dubia ad fidem, & certitudinem valet Catholicæ Eccleſiæ auctoritas, quæ ab ipſis Apoſtolorum fundatiſſimis ſedibus vſque in hodiernum diem, tot ſuccedentibus ſibi Epiſcopis ſecundùm ſeriem ſucceſſionis, & tot populorum conſenſione firmatur, & ſimiliter Irenæus lib. 3. aduerſus Valentinianum, & alios Hæreticos, inquit, traditionem Apoſtolicam toto Orbe manifeſtam in omni Eccleſia adeſt perſpicere omnibus, qui vera voluerint audire, eam videlicet, quam primitiua Eccleſia per ſucceſſionem continuam Patrum, & Epiſcoporum tranſmittit ad nos, fundatam Romæ à glorioſiſſimis Apoſtolis Petro, & Paulo, & per ſucceſſiones Epiſcoporum ad nos peruenientem, cuius occaſione continuatam in Romana Eccleſia ſucceſſionem Epiſcoporum à beatiſſimo Petro vſque ad Eleutherium, qui Eccleſiæ Romanæ tunc præſidebat, enumerat, & dicit, hac ordinatione, & ſucceſſione, ea, quæ ab Apoſtolis traditio in Eccleſia, & veritatis præconizatio peruenit vſque ad nos, eſt pleniſſima, hæc eſt oſtenſio demonſtrans vnam, & eandem fidem fuiſſe, quæ in Eccleſijs tradita eſt ab Apoſtolis, & vſque nunc conſeruatur in veritate. Hæc ille Irenęus Lugdunen. Epiſcopus S. Polycarpi diſcipuli, beati Ioannis auditor relatus à Pighio cap. 2. lib. 1. ſuæ Hierarchiæ, in qua auctoritate ponderandum eſt, quid dixiſſet Sanctus ille, qui vſque ad Eleutherium tunc Summum Pontificem continuationem annumerabat, ſi vidiſſet ſucceſſionem Pontificum Romanæ Eccleſiæ à beato Petro vſque ad ſanctiſſimum Gregorium XIII. qui nunc fœliciter ſedet in Cathedra Petri, cum in ſextuplum plures, & vltrà tranſierint Pontifices ab Eleutherio vſque ad nos, quàm à ſancto

Petro

Pĕtro vſque ad Eleutherium eiuſ Romanæ Eccleſiæ Paſtorem & Præſidentem.

Ex quibus omnibus, iudicio meo ſatis remanet comprobatum Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem fore, fuiſſe, & eſſe Vicarium Chriſti Ieſu ſeruatoris noſtri, & ſucceſſorem beatiſſimi Petri Apoſtolorum Principis,& huic ſemper nos tamquam Paſtori huius Ouilis, & pro Chriſto Vicesgerenti obedire debere, poſtquam de nullo alio Pontifice, de nulla alia Eccleſia tantam, & tam ordinatam continuationem Pontificum legamus, & à tantis ereptam hæreticorum,& tyrannorum perſequutionibus, quaſi inter mortuos liberam exeuntem.

CAP. XX.

In quo cauillationibus Hæreticorum contrà ſanctiſsimam huius Cathedræ auctoritatem obiectis reſpondetur.

SVMMARIVM.

1 *Contra principia negantes non eſt arguendum.*

2 *Cum hæreticis diſputare probibitum eſt.*

3 *Iudicio Synodi iniuriam facit, qui ſemèl iudicata ibi, & deciſa, reuoluere contendit.*

4 *Lex quantumcumque dura ſeruanda eſt.*

5 *Veritas ad hæreſes collata magis refulget.*

6 *Beati reputantur, qui pro fide tuenda contra hæreticos ſcribunt.*

7 *Auctoritas Matthæi 16. Tu es Petrus, &c. de promiſſione intelligitur, & deſtinatione, verba autem Ioannis vlt. Paſce oues meas, de collatione actuali.*

8 *Manus electis non ſtatim imponendæ, nec confirmandus eſt citò electus etiam in concordia.*

9 *Petrus Sathan appellatur à Chriſto Matthæi 16. poſt diuinam illam confeſſionem, eò quòd paſſioni Chriſti obuiabat.*

10 *Petro non in Cœlo ſingulariter ſicut alijs, ſed in Cœlis fuit à Chriſto data poteſtas ligandi, & ſoluendi, & licèt Ioannis penultimo omnibus dictum fuit: Accipite Spiritum ſanctum, poſteà tamen ei, ſoli dictum eſt: Paſce oues meas, præſentibus cæteris Apoſtolis.*

11 *Deus, & natura nihil agunt ſuperfluo.*

12 *Petrus licèt pro omnibus reſponderit, tamen ei, vt capiti dictum fuit: Tu es Petrus, &c.*

13 *Donatio facta per Imperatorem Papæ, vt Capiti Eccleſiæ facta fuit.*

14 *Petri poteſtas ipſo iure tranſit in ſucceſſores, ſed Epiſcopi aliorum Apoſtolorum ſucceſſores à Papa recipiunt poteſtatem.*

15 *Relatiuum hic, hæc, hoc ad proximiora refertur, vnde verba illa: Et ſuper hanc petram, exponantur, ideſt ſuper te Petrum.*

16 *Chriſtus eſt petra primaria huius ædificij ſpiritualis, Petrus autem petra ſecundaria.*

17 *Chriſtus titulos ſibi attributos aliquando communicauit Apoſtolis.*

18 *Miſſio non arguit ſuperioritatem in mittente, quando miſſus eſt de numero etiam mittentium.*

19 *Chriſtus quando prohibuit maioritatem inter ſuos, de tyrannica, & ſuperba intelligit, non autem condemnauit publicam, & iudicialem poteſtatem.*

20 *Petrus licèt poſt promiſſam hanc Cathedram Matthæi 16. defecerit, vt in trina negatione, & licèt ſui ſucceſſores, vt priuatæ perſonæ errent, tamen in diffinitione eorum, quæ vt publicæ perſonæ deliberant ad fidelium inſtructionem, errare non poſſunt.*

21 *Petrus & Paulus licèt meritis æquales eſſent, tamen officio, & dignitate maior erat Petrus, & mirabilior.*

22 *Beatus Irenæus non reſtitit Papæ Victori, ſed eum orauit, ne excommunicaret Orientales, & eodem modo intelligitur illud Polycarpi exemplum.*

23 *Vniuerſali dictioni æquipollet indefinita legis, & ideò non deſignaſſe aliquas oues, ſed oues ſimpliciter, eſt, dixiſſe omnes oues meas.*

24 *Petrus non debebat mittere ad prædicandum Apoſtolos, quos iam Chriſtus Paſtor principalis miſerat.*

25 *Petro data fuit principaliter prædicatio his qui ex circumciſione erant, ſicut & Chriſtus miſſus non fuit principaliter ad gentes.*

26 *Confirmatio, ſeu approbatio facta per Iacobum fratrem Domini de ſententia Petri non tollit auctoritatem præſidentiæ in Petro, quem Deus elegit, vt per os eius audirent gentes verbum Dei.*

27 *Petrus ordinauit Iacobum fratrem Domini Epiſcopum Hieroſolymitanum, & duodenarium numerum Apoſtolorum impleuit in Matthia.*

CVm Cathedræ huius dignitas fundata ſit in tam apertis ſacræ Scripturæ, præſertim Euangelij auctoritatibus, & iuris naturalis, ac Philoſophiæ principijs, cum mille quingentorum annorum, & vltrà obſeruantia ſubſequuta, & continuata, vt latiùs ſuprà oſtenſum fuit, non oporteret, iudicio meo, aliquid aliud contrà Hæreticos noſtri temporis allegare ad eorum confuſionem, & noſtram ædificationem ſuper Cathedræ huius obedientia, niſi illud principium Ariſtotelis lib.1.Phyſicorum, contrà negantes principia, non eſt ar-
1 guendum, nam, quod obſecro, poteſt eſſe principium magis fundatum, quàm iſtud, cui tot teſtimonia iuris diuini, & rationis naturalis conueniunt? Et ſi in iure ciuili tantum potuit auctoritas Papiniani, & Vlpiani, ſi in medicina Galeni, & Hippocratis, & denique in Philoſophia Ariſtotelis, & Platonis textus citati, vt contrà eos arguens derideatur propter irrefragabilem auctoritatem, quam eis attribuit conſuetudo, & quaſi iurata Magiſtrorum doctrina, quam in lege 1. C. de legibus, appellant Doctores, noſtri auctoritatem creditu neceſſariam, deplorandos ſimul, & de-

ridẽu-

ridendos arbitror, qui deſpiciunt, & con-
temnunt dignitatem Pontificis noſtri in
iure diuino, naturali, & humano, cum tan-
ti temporis obſeruantia ſolidatam.
2 Propterea Patres noſtri Catholici op-
timo iure prohibuerũt diſputationem cum
Hæreticis, nam vt dicebat eleganter Mar-
3 tianus Imperator in l. nemo clericus, C. de
ſumma Trinit. iniuriam facit iudicio ſan-
ctæ Synodi, ſi quis ſemel iudicata, ac rectè
diſpoſita reuoluere, & publicè contra ea
diſputare contenderit, & idem Imperator
in Canon. nos ad fidem, 96. diſtinct. dixit,
Synodo intereſſe voluimus, vt de veritate
inuenta, non vltrà multitudo doctrinis
prauis attracta diſcordet, & Gelaſius Papa
in cap. maiores, 20. quæſt. 1. ait, maiores
iam ſuos diuina inſpiratione id præcauiſſe,
& quidem iuſta de cauſa, nam de lege iu-
dicare nemini licet, ſed ſecundùm legem,
vt per Auguſtinum, & Iſidorum in Can.
Erit autem lex, & in Can. in iſtis, 4. di-
4 ſtinct. etiam ſi quid durum iudicio noſtro
lex contineret, vt dicebat Iuriſconſultus in
l. proſpexit, ff. qui, & à quibus ibi, quod
quidem per quàm durum eſt, ſed ità lex
ſcripta eſt; Hoc ſolo ſolidiſſimo funda-
mento debemus confundere Nebulones, &
Hæreticos iſtos exemplo Carbonarij illius
à Pighio relati, quem & nos inſrà refere-
mus, tamquam memorandum exemplum, &
5 virum ex Carbonario doctorem noſtrum
effectum. Sed quoniam veritas ipſa ad hę-
reſes collata magis refulget, vt per Augu-
ſtinum ſermone 97. de tempore, & lib. 7.
confeſſionum cap. 19. vbi ait, improbatio
hæreticorum eminere facit, quid Eccleſia
teneat, & quid habeat ſana doctrina, &
tempore noſtro, quo ſimplices ſollicitan-
tur, & decipiuntur ab hæreticis, opere-
pretium eſt contra deceptores ſcribere, &
eorum errores confutare, prout Catholicè,
& doctiſſimè præſtiterunt Patres, qui no-
ſtro tempore floruerunt, vt gloria Dei ma-
6 nifeſta fiat, & veritas Catholicæ Fidei de-
fendatur, ac hæretici de facili conuertan-
tur, prout dixerunt, & ſanctus Thomas,
& alij relati per Dominum Epiſcopum Sep-
timancam cap. 20. ſuarum inſtitutionum,
qui terque, quaterque beatos iudicauit
eos, qui pro Fide Catholica tuenda, & ex-
tirpandis hæreſibus, catholicè, ac piè ſcrip-
ſerunt, quorum ego veſtigijs inhæreo do,
pauculis additis ex noſtro iuris vtriuſque
horreo, pro Cathedræ huius auctoritate
reſpondere curabo cauillationibus Hæreti-
corum noſtri temporis, quas contra eam
ſomniatunt, vt ſomno vitiorum ſuorum
licentiùs vacarent, quod Theologorum eſt
relinquendo Theologis, & Primatum Pe-
tri, prout Canoniſtum decet protegendo.
Et quoniam tota hæreticorum chi-
mera contra Cathedram Petri conficta in
duas partes diſtribuitur, altera, per quam
negant Primatum hunc Petro conceſſum,
& altera, quæ Romanum Pontificem tenuit
eſſe Vicarium Chriſti, & Petri ſucceſſorem,
ideò primo loco iacula, quæ contra Petri
poteſtatem emittuntur, retorquebimus po-
ſteà reſponſuri argumentis, quæ contra
Romani Pontificis ſuperioritatem imagi-
nantur.
Garrulant ergo in primis locum illum
Matthæi 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc
petram ædificabo Eccleſiam meam, nihil
ad Primatum Petri pertinere, & quod hoc
ſenſit Gloſſa in capitulo conſiderandum
quinquageſima diſt. & Panor. in cap. ſigni-
ficaſti, de electione, dicendo, quòd non
per illa verba: Tu es Petrus, &c. Sed per
illa verba: Paſce oues meas Ioann. vlt. fuit
collatus Pontificus Petro, & de hinc con-
tra noſtros Canoniſtas inſurgit perfidus il-
le Luther dicens, quia ſi Iuriſtis licuit hoc
negare? cur, & non ſibi Theologo licebit
pondera, obſecro, Catholicè lector arro-
gantiam tam peruerſi hominis ſe Theolo-
gum, hoc eſt, ſcientiæ diuinæ, & à Deo re-
uelatæ profeſſorem aſſerentis, & tàm ſu-
perbè, & fallaciter Iuriſtas obiurgantis.
Nàm prout ſupra dixi, quaſi omnia de-
creta Canonum noſtrorum de hoc Primatu
loquentia in illa auctoritate Matthæi fun-
dantur, quæ longum eſſet recenſere, quo-
rumque nullum ignorarunt gloſſæ decreto-
rum, & Panormitanus fideliſſimus Cano-
nici iuris interpres, qui non dicunt textum
illum nihil facere pro Petri Primatu, ſed
quòd cum illa verba. Super hanc petram
ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo
claues Regni Cœlorum, & quodcumque
ligaueris in terra, erit ligatum in Cœlo,
7 &c. Omnia fuerint de futuro, verba autem
Ioann. vlt.: Paſce oues meas, fuerint de
præſenti, & dicta poſt paſſionem, & poſt
delictum abiurationis Petri iam remiſſum,
ideò priora verba Matthæi ad promiſſio-
nem, & deſtinationem referuntur, verba
verò Ioannis de præſenti collationem de-
notant actualem, paulò antè quàm Chri-
ſtus Cœlos aſcenderet.
Hoc eſt, quod dicunt gloſſę illæ, & Pa-
nor. in d. cap. ſignificaſti; & in cap. tranſ-
lato, de conſtit. vbi Felinus allegat plures
in eam rem. Quod peccatum obſecro Ca-
noniſtarum eſt, ſi in proprietate verborum
de futuro fundantur? Præſertim cum antè
Aſcenſionem, vt ſæpè dixi, non indigebat
puſillus ille, & Apoſtolicus Grex altero Pa-
ſtore actuali, poſtquã præſentia corporali, &
Chriſti conuerſatione fruebatur? Quid præ-
tereà ſcimus, ſi hoc exemplo voluit Chri-
ſtus differre tanto tempore collationem
actualem eius, quem iam deſtinauerat ir-
reuocabiliter, poſtquam ſuum dicere erat
facere, teſte ibi Hieronymo, vt inſtrueren-
tur fideles in eo, quod ſeruat Eccleſia ſu-
per electionibus Prælatorum, ne ſcilicèt
8 ſtatim manus imponant electis, nec ipſi ad-
miniſtrent dignitatem, etiam in concordia
electi, donec ſuperueniat actualis collatio,
& confirmatio cap. cupientes, c. auaritiæ,
de electio. lib. 6. vide obſecro, quo Cauillo,
figmento ſophiſtico, & ſeipſum, & tot ani-
mas deceperit perditus homo, quicquid
enim ſit, & totum relinquendo deliberatio-
ni beatiſſimi Romani Pontificis, & ſanctæ
Matris Eccleſiæ, ſiue verba Matthæi fuerint
deſtinationis tantùm, ſiue collationis Pon-
tificatus, omnes Canoniſtæ Catholici Pri-
matum hunc in beato Petro cœpiſſe confi-
tentur auctoritate illa Matthæi 16. quorum
ſententiæ ſi adhęreſiſſet non dilaniando,
nec

Digitized by Google

nec dilacetando verba eornm ſatiùs ſibi, & gregi Chriſtianorum conſuluiſſet. Quid prȩtereà ſcimus, ſi ad eligere debentium Pontificem, & eligendi inſtuctionem, diſtulit Cſriſtus actualem collationem toto hoc tempore, vſquequo Petrus ſtatim in illo 16. Matthȩi poſt magnificam illam, & diuinam confeſſionem à Chriſto increpa-
9 tus, & Satham appellatus, propterea, quòd paſſioni ſuæ reſiſtebat, & poſteà in paſſione Chriſtum negaturus, pœnitentiam amari fletus egiſſet, & in gratia Domini conſtitutus acciperet collationem, vt electores, & eligendi, ſic de cætero pro vitibus laborent, vt in ſancta ſanctorum huius dignitatis ingreſſurus, reperiatur, & perſeueret in gratia, licèt enim ipſe eligendus, & electores ignorent, an quis dignus ſit odio, vel amore, cum id ſoli Deo fuerit reſeruatum, tamen exemplo illius collationis actualis tantò tempore prorogatæ, & pœnitentiæ amari fletus ſubſequutȩ poſt peccatum abnegationis, & antè collationem, docentur eligentes, & eligendus ad ſtatum gratiæ negotiandum, & conſernandum, attendere quantum in eis fuerit, licèt ptopter peccatum eis nullatenùs ſit à ſubditis obedientia deneganda, vt ſæpè diximus.

Cauillantur etiam Petrum parem cum cæteris Apoſtolis poteſtatem accipiſſe, & non ſuperioritatem aliquam poſtquam. Petro, & alijs in communi dictum fuerit Matthȩi 18. Quȩcumque ligaueritis ſuper ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo, &c. Et Ioann. 20. Petro cum alijs dictum fuit de prȩſenti: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt, ſed ad hoc reſpondet Origenes, in Matthȩum, auctoritate aliàs citata, vbi dicit, ſicut myſterio non caret, quòd Chriſtus Petro apud Matthȩum poteſtatem dedit, ſiue dare promiſit (ponderat hoc verbum, promiſit, ad ea, quæ ſupra dicebam ex noſtris) non
10 vnius Cœli, ſed multorum Cœlorum, & poſt duo capita, reliquis Apoſtolis poteſtatem dedit ligandi, atque ſoluendi non in Cœlis, ſed in vno Cœlo dumtaxat, ità myſterio non vacat, quòd à Chriſto Ioannis penultimo omnibus Apoſtolis datus eſt Spiritus ſanctus, & deindè cura gregis ſoli Petro data fuit, & profectò hoc ſolum ſufficere deberet ad magis confirmandam Petri Cathedram, & Primatum. Solent enim, ea, quæ ſpecialiter alicui dicuntur ſeorsùm, & ſeparatim ab alijs, maiorem in eo præeminentiam ſignificare, quàm illam, quæ ipſi cum alijs communiter, & in vniuerſo dicta fuerunt propter auctoritatem, quam habent ea, quæ ſpecialiter dicuntur ad prȩdominandum illis, quæ in genere, & in communi dicta fuerunt iuxtà notata in reg. generi per ſpeciem de reg. iur. lib. 6. & in cap. 1. de reſcrip. cum multis vulgatibus, et ea, quæ pluſquam geminatis vicibus dicuntur, maiorem habent expreſſionem l. Balliſta ff. ad Trebellia, prȩſertim cum verba Matthȩi dicta fuerint Petro in præmium diuinæ atteſtationis, quam ſupra alios confeſſus eſt, ergo maiorem ſine dubio, quàm alijs præeminentiam dedit Petro Chriſtus in illis verbis.

Quod etiam denotare voluit, et Angelica phraſis in illis verbis: Ite, dicite Diſcipulis eius, et Petro, prout ſupra latiùs ponderata fuerunt. Accedit etiam, quòd Diſcipulis in communi tamtummodò dictum fuit, quȩcunique ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo, etc. Et accipite Spiritum ſanctum, etc. Sed Petro, tu es Petrus, et ſuper hanc petram, à me petra Petrum appellatum, ædificabo Eccleſiam meam, et tibi dabo claues Regni Cœlorum, quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum et in Cœlis in plurali, vt et Origines ponderat in auctoritate ſupra citata. Et rurſùm, qui Petro, et alijs ſimul, et in communi dix erat Ioannuis penultimo: Accipite Spiritum ſanctum, dixit Petro ſeorsùm, et in prȩſentia aliorum poſteà Ioannis vltimo: Paſce oues meas: Paſce agnos meos, et cum interrogationibus ſupra citatis, et cum verbo paſcere, quod eſt regere apud ſacram Scripturam, vt ſupra latiùs probatum fuit. Deus autem et natura,
11 teſte Philoſopho, nihil faciunt, nec ordinant fruſtrà.

Si ergo non aliquam ſuperioritatem denotant verba, quæ et Matth. 16. et Ioannis vlt. dicta fuerunt Petro ſeorsùm, et pluſquam alijs ſingulariter, niſi repetionem tantùm eorum, quæ Petro, et omnibus Diſcipulis in communi dicta fuerunt, manifeſtò ſequeretur, verba Petro ſoli ſpecialiter dicta, tàm reſpectu promiſſionis, vt Canoniſtæ dicunt, quàm collationis Pontificatus fuiſſe ſuperflua, quod neutiquam poteſt dici, cum Deus, et natura nihil agant ſuperfluo.

Ne ergo dicamus verba Chriſti ad Petrum dicta ſpecialiter fuiſſe ſuperuacanea, concludamus cum eodem Origene homilia 6. ſuper Matthȩum dicente, ſed quoniam oportebat maius aliquid habere Petrum prȩ alijs, ideò illi dicit: Et tibi dabo claues Regni Cœlorum, et quȩcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta et in Cœlis, et quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata et in Cœlis, non ergo modica differentia eſt, cum Petro quidem datæ ſunt claues, non vnius Cœli, ſed multorum Cœlorum, et quȩcumque ille ligauerit ſuper terram, ſunt ligata, non tantùm in vno Cœlo, ſed in omnibus Cœlis, ad eos autem, qui multi ſunt ligatores, et ſolutores, ſic dicit, vt ſoluant, et alligent non in Cœlis, ſicut Petrus, ſed in vno Cœlo, qui non ſunt in tanta perfectione, ſicut Petrus, vt ſoluant et alligent in omnibus Cœlis, hactenùs Origenes, et Maximus Epiſcopus loquens de apparitione illa Angeli ad Cornelium Actuum 10. quando eum Chriſti doctrinam imbuendum, non ad alium Apoſtolum, ſed ad Petrum remiſit, dicit, decebat tantæ dignitatis virum, non ab alio Cœleſtis myſterij arcana requirere, niſi ab eo potiſſimùm, quem non potuit caro, et ſanguis inſtruere, ſed cui Dominus ipſe dignatus eſt aperire ſua ſecreta, et quem prȩ cȩteris mortalibus de toto Orbe, conditor Orbis elegit.

Et Hieronymus ad Auguſtinum in

epiſt.

Digitized by Google

epiſt.illa, cuius initium eſt, ſimul tres epiſt.
ſuper illud Pauli ad Galatas 1. veni Hiero-
ſolymam videre Petrum, et manſi cum illo
quindecim diebus, ait, rantæ auctoritatis
fuit Petrns, vt Paulus Hieroſolymam veni-
ret videre Petrum, quaſi non habens ſecuri-
tatem prędicandi Euangelium, niſi Petri,
et qui cum eo erant, ſententia roboratum
fuiſſet, et idem Hieronymus de viris illu-
ſtribus lib.5. cap. 8. ait, Marcum, quamuis
Spiritu ſancto repletum curaſſe, vt iudicio
Petri omnium magiſtri Euangelium ſuum
probaretue. Erat enim omnium magiſter,
iuxtà illud, quod ipſe dixit Actuum 15.ele-
gie Dens ab antiquis diebus per os meum
audire gentes verbum Euangelij, et credere,
et ideò Auguſtinus lib. quæſt. vet. et noui
Teſtam. affirmat, quòd ſicut in Saluato-
re erant omnes cauſæ magiſterij, ità et poſt
Saluarorem omnes in Petro continentur.

Ex indè etiam ſequitur reſponſio ad
hæreticorum ſoſphiſma dicentium Petro
claues datas non ſoli, ſed omnibus pariter,
iuxtà illud Ioannis penult. Accipite Spiri-
tum ſanctum, et Matth. 18. Quęcumque
ligaueritis, etc. et quia Petrus ex perſona
omnium Apoſtolorum, teſte Hieronymo, ibi
confeſſus eſt. Tu es Chriſtus Filius Dei vi-
ui. Et quòd in confeſſione, et clauium
12 receptione Petrus figuram Eccleſiæ totius
tenuerit. Quoniam licèt pro omnibus re-
ſponderit eo loco, et Ioann. 6. Domine ad
quem ibimus, verba vitæ æternæ hæbes,
etc. tamen ipſe, vt caput vtrobique reſpon-
dit, et ſibi tamquam capiti dictum fuit, tibi
dabo claues Regni Cœlorum, et Ioann. vlt.
Paſce oues meas. Quod eſt regere, et Lu-
cæ 22. Confirma fratres tuos, quæ omnia
verba prędidentiam regiminis, et confirma-
tionis in Petro, cui ſingulariter dicta fue-
runt, pręſupponunt. Nam omnes, ſeipſos
omnes in vniuerſo regere, et confirmare
non debebant, cum inter regem, et regen-
dos differentia ſupponatur ſub pœna con-
fuſionis futurę, et obedientię contemnendæ
quæ tam neceſſaria eſt in Eccleſia Dei, et
Auguſtinus in 2.lib.contra 2.Gaudentij ep.
cap. 23. atteſtatur dicens, tàm Beatus à Do-
mino Petrus eſt appellatus, vt claues Regni
Cœlorum accipere mereretur, et ex aucto-
ribus ſupra citatis manifeſtè apparet, Pe-
tro tamquam capiti Eccleſiæ claues fuiſſe
collatas, ſicut quando aliquid donatur pręla-
lato alicuius Eccleſiæ, Pręlato tamquam
capiti donatur, vt in cap. relatum, de Te-
ſtamentis in Canon. ego Ludouicus 63. di-
ſtinct. vbi donatio facta Paſchali Papæ per
13 Ludouicum Imperatorem, facta fuit Papæ,
vt capiti, vnde Petro tamquam capiti, et
pro Chriſto Vicario hæc dicta fuerunt, nec
in aliquo propter hanc conſiderationem
offenditur Cathedra Petri, cuius perſonam
in caput Eccleſiæ deſtinauerat, vt in exem-
plo iſto, Philippus Dominus noſter ex pro-
pria perſona ſua eſt Rex Hiſpaniæ, et om-
nia pertinentia ad Regem Hiſpaniæ, et ſic
ad perſonam intellectualem explicantur per
organum propriæ perſonæ Philippi, in
qua incluſa eſt perſona intellectualis Regis
Hiſpaniæ.

Sic in propoſito Petro ex propria
perſona, & propter tam glorioſam confeſ-
ſionem deſtinato in Vicarium Chriſti om-
nia competunt, quæ Vicario Chriſti com-
petere debebant, quod autem dandum
erat Eccleſiæ citrà capitis conſideratio-
nem, iam in illa auctoritate Matth. 18.
quæcumque ligaueritis, &c. Et in illa
Ioan. penult. Accipite Spiritum ſanctum,
concluſum fuit, vbi Chriſtus ad Petrum, &
alios ſimul loquutus eſt, quod autem ca-
pitis Eccleſiæ erat, hoc Matth. 16. & Ioan.
vltimo. Petro ſoli vt capiti confertur. Et
in hoc eſt magna differentia inter poteſta-
tem Petro conceſſam, vt capiti, quia illa
poteſtas Petri tranſit ipſo iure in ſucceſſo-
res eius Canonicè intrantes, ſed Epiſcopi,
14 & curati, qui ſuccedunt in locum aliorum
Apoſtolorum, hanc poteſtatem accipiunt à
Papa, non ab alijs Apoſtolis, in quorum
locum ſucceſſerunt, vt probat hoc per mul-
ta, quæ allegat Palacios Rubios de reten-
tione Regni Nauarræ §. 4. par. 2. vbi inter
alios allegat Cardinalem de Turrecremata
in lib. 2. de poteſtate Eccleſiæ c. 59. & 63.
vbi aſſignat ſeptem rationes diuerſitatis,
quare poteſtas Apoſtolo Petro data con-
tinuetur à Chriſto in ſummos Pontifices
Petri ſucceſſores, & data poteſtas Apoſto-
lis reliquis non continuetur in Epiſcopos
eorum ſucceſſores, niſi à Papa eis ſit con-
ceſſa, ex quo etiam apparet vera reſolu-
tio, & germanus intellectus illorum ver-
borum, & ſuper hanc Petram ædifico Ec-
cleſiam meam, ac cæteris communior, vt
colligitur ex Pighio, Fabro, Echio, &
alijs, vt ſcilicèt exponatur: Tu es Petrus,
& ſuper hanc petram, ideſt, ſuper te voca-
tum Petrum à me petra ædificabo Eccle-
15 ſiam meam. Nam de natura relatiui hìc,
hæc, hoc, eſt vt ad proximiora, & ſibi ma-
gis coniuncta referatur, vt per Aretinum
latè in l. duobus. § Idem Pomponius, ff. de
iureiur. ſicut in hoc exemplo, Petrus, &
Ioannes, ille dormit, hic orat, nam verbum
hic ad Ioannem refertur, & relatio ſemper
ad proximiora fit, l. talis Scriptura, ff. de
legat. 1. Et ſic ad immediata verba refe-
runtur, ſcilicèt, Tu es Petrus, & ſuper hanc
petram, ideſt te, qui tam glorioſam confeſ-
ſionem emiſiſti, præſertim cum ſine verba
remunerantia, Petrum, vt denotant verba
præcedentia, & ego dico tibi, &c. nec vi-
detur literali contexturæ conuenire tan-
tùm expoſitio dicentium, & ſuper hanc pe-
tram, ideſt ſuper me Chriſtum loquentem
ædificabo Eccleſiam meam, vide, obſecro,
ſanctos Patres relatos à Doctoribus ſupra
citatis, inter quos pondera verba Leonis
ſermone 3. de paſſione dominica dicentis.
Ego dico tibi, hoc eſt, ſicut pater meus ma-
nifeſtauit tibi diuinitatem meam, ità &
ego notam facio tibi excellentiam tuam;
Tu es Petrus, & cum ego ſim inuiolabilis
petra, ego lapis angularis, qui facio vtra-
que vnum, ego fundamentum, præter quod
nemo aliud ponere poteſt, tamen & tu
quoque petra es, quia mea virtute ſolida-
ris, vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, tibi
ſint participatione communia, & ſuper
hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,
& portæ inferi non præualebunt aduersùs
eam

Google

eam, ſuper hoc, inquit, ſaxum, ſuper hanc ſoliditatem, & fortitudinem æternum conſtruam templum, & Eccleſiæ meæ] Cœlo inſerenda ſublimitas in huius firmitate conſurget. Chryſoſtomus etiam hom. 55. in Matthæum dicit, ego dico tibi. Tu es Petrus, & ſuper te, ædificabo Eccleſiam meam; & Gregorius Magnus lib. 6. ad Eulogium, quis, inquit, neſciat ſanctam Eccleſiam in Apoſtolorum Principis ſoliditate firmatam, qui firmitatem traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur, cui veritatis voce dicitur, tibi dabo Claues Regni Cœlorum, & rurſùs, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Et iterum Simon Ioannis amas me? Paſce oues meas, videbis, & alios ſanctos Patres ibi accumulatos, qui vt plurimùm ſic illa verba; & ſuper hanc petram, ideſt, te Petrum, exponunt, nec huic expoſitioni tam literali repugnat auctoritas Pauli primæ ad Cor. 3. dicentis, fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod eſt poſitum, quod eſt Chriſtus Ieſus, tranſumptiuè in can. Cum Paulus prima q. 1. & aliud Pauli pri-
16 mæ ad Corinth. 10. vbi dicit, petra autem erat Chriſtus cap. 1. 12. diſt. Nam licèt Chriſtus ſit petra primaria huius ſancti ædificij, ipſe tamen Chriſtus voluit, quòd Petrus eſſet petra ſecundaria, & ſibi contigua tamquam Vicarius Chriſti paſtoris principalis, & ſic qui ponit fundamentum iſtud, eſt ipſemet Chriſtus ſua auctoritate nominando Petrum à ſe ipſo petra primaria, ſicut videmus parabolicè in quolibet ædificio, vbi poſt primam, & principalem petram ponitur, & ſecunda ſibi contigua, quin potiùs, & hoc videmus, quòd licèt Chriſtus de ſeipſo dixit: Ego ſum lux mundi Ioan. 8. tamen Matth. 5. ad omnes
17 Apoſtolos dixit: Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi, & titulum fundamenti Eccleſiæ, qui principaliter Chriſto conuenit, ad Epheſ. 2. ibi ſuper ædificati ſuprà fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, communicatum videmus reliquis Apoſtolis, vt per Ioannem Apocalypſis 21. dum dicit, & murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum, & agni. Et licèt ipſe fuerit vnicus verus filius beatæ Virginis, voluit tamen titulo tam inſignis filiationis honorare tempore paſſionis Diſcipulum, quem diligebat, dicens Virgini; Mulier ecce filius tuus, & Diſcipulo, ecce mater tua: nimirùm ergo ſi Chriſtus à ſe ipſo petra primaria voluerit Petrum petram ſecundariam huius ædificij conſtituere, tot, tantiſque auctoritatibus ſacræ Scripturæ veritatem hanc conteſtantibus.

Turbantur etiam miſeri hæretici, eò quòd Actuum 8. legitur Petrum, & Ioannem miſſos fuiſſe ab Apoſtolis Samariam, quaſi miſſio iſta arguat ſuperioritatem in mittentes, & inferioritatem in eos, qui miſſi fuerunt, quorum vnus fuit Petrus. Quantum de mundi vanitate perbiberunt, qui tam inanis, & caduci argumenti fallacia circa ſalutem animæ ſe decipi permi-
18 ſerunt, optimè Echius in Enchiridione ſub titulo de primatu Petri, dicebat, hoc argumentum fuiſſe priùs Arrianorum ſophiſma, qui propterea dicebant Patrem eſſe maiorem Filio in perſonis diuinis, quia Pater miſit in mundum Filium ſuum, Ioannis 6. & Pauli ad Galatas 4. non ergo ſola miſſio arguit in mittente ſuperioritatem, nec in miſſo inferioritatem, præſertim, quando miſſus inter mittentes annumeratur, vt in prædicto exemplo, quis miſit Petrum, & Ioannem? nonne Apoſtoli, de quorum numero erant Petrus, & Ioannes, & in qualibet republica mittuntur ex ſuperioribus, & eſt verum dicere, quòd ipſi quoque ſe ipſos mittunt, vt Ioſuæ 20. legitur, quòd filij Iſrael miſerunt Phinees, qui erat Summus ſacerdos filius Eleazar, & de Spiritu ſancto legitur, quem mittet pater in nomine meo, & ego mittam vobis paracletum, &c. & tamen ex iſto miſſionis vocabulo colligere ſuperioritatem in perſonis diuinis, vides quàm hæreticum eſſet, ſic in propoſito, omnes Apoſtoli miſerunt Petrum, & Ioannem, & de numero mittentium erant Petrus, & Ioannes, ille, cui Eccleſia, hic, cui Virgo Mater à Chriſto commendatæ fuerant, & ſic erant ex primis, & præcipuis mittentibus, & erant ipſi miſſi ad rem tam grauem, ſicut ad confutationem illius diabolici Simonis Magi, & ad mittendum manus ſuper Samaritanos, vt acciperent Spiritum ſanctum, quod anteà Philippus illic non effecerat, vndè ex hac miſſione nihil iuribus, & primatus Petri detractum fuit, & vt dicit Cardinalis in Clem. 1. §. nos itaque de iure iur. In arduis negotijs mittendi ſunt ſolemnes nuncij, vt ex eorum dignitate ſuppleantur alia.

Obijciunt præterea, Chriſtum prohibuiſſe ſuperioritatem inter eos, quoniam Lucæ 22. dicitur, facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior, & dixit Ieſus, Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic, ſed qui maior eſt veſtrum, fiat ſicut minor, & qui præceſſor, ſicut miniſtrator, ad quod mille alias Euangelij auctoritates citare potuiſſent, ſed aduerte Catholicè lector, quoniam per illa verba non poteſtas, & cura præcipua de Ouili, ſed tantùm ſi qua eſſe poſſet tyrannis, & ambitio in præſidente, condemnantur, de poteſtate enim Paulus dixit ad Rom. 12. omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit, & cap. 15. qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, & Act. 2. ad prælatos, attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus
19 poſuit regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo, & ſic poteſtatem vti neceſſariam præſuppoſuit in perſonis publicis, & muneri publico deputatis, & perſonis priuatis perſuadet obedientiam habendam præpoſitis ſuis, & Pontificibus, humilitatem etiam præſidentis commendat, tyrannidem eius, & ſuperbiam condemnat, non negat poteſtatem in præſidente, vis ad oculum videre, Ioan. cap. 13. vos vocatis me magiſter, & Domine, & benè dicitis ſum etenim, ſi ergo ego laui pedes veſtros Dominus, & magiſter, veſter ità & vos, vt

quemadmodùm ego feci, faciatis, vis etiam videre, filijs Zebedęi petentibus, & à Chriſto reprehenſis, eò quòd ad ſuperioritatem aſpiraſſent, Matth. 20. negat, quod petebant, & Petro humili, ac nihil de ea ſuperioritate cogitanti concedit.

Neque etiam obſtat dicere, quomodò ſupra Petrum fuit ædificata Eccleſia, ſi portæ inferi non debebant præualere aduerſùs eum, nam præualuiſſe videntur aduerſùs Petrum, cum ſtatim eodem cap. 16. poſt promiſſam Cathedram hanc, Chriſtus Petrum Sathan appellauerit, dicens: vade poſt me Sathana, quia non ſapis, quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum, Petrus etiam in paſſione Chriſti ad vocem ancillæ tertiò defecit negans, & iure iurando affirmans, quia non nouiſſet Chriſtum, in quo mortaliter peccauit. Quoniam ad hæc omnia facillima eſt reſponſio, nam Chriſtus Petro nondùm contulerat, ſed tantùm promiſerat Cathedram, vt canoniſtæ dicunt, ex ipſa enim contextura ſancti Euangelij apparet Chriſtum priùs appellaſſe Petrum Sathan, & Petrus priùs negaſſe Chriſtum, quàm ſibi conferretur Cathedra, & Vicariatus iſte, qui fuit collatus in illis vltimis verbis poſt reſurrectionem, & Paulo ante Aſcenſionem: Paſce oues meas, &c. Poſt reſurrectionem autem, & Aſcenſionem Domini, nullum in Petro peccatum deprehendere hæretici mortale, quia ſuperueniente Spiritu ſancto, fuit in gratia confirmatus. Nec illud de Paulo ad Galatas 2. quòd reſtiterat in faciem Petro, quia reprehenſibilis erat, ad peccatum mortale referri poteſt in Petro pleno Spiritu ſancto, ſed ſicut Moyſes, qui cum Deo loquutus fuerat tamquam amicus ad amicum. Exod. 19. reprehenſus fuit à Iethro Medianita dicente; ſtulto labore conſumeris, &c. vt infra declarabitur; ſic Petrus à Paulo reprehenſus fuit citrà notam peccati mortalis, & quod nos confitemur, eſt, Petrum non potuiſſe errare, quia erat in gratia confirmatus, &
20 plenus Spiritu ſancto, nec etiam ſucceſſores ſuos, vt publicas perſonas conſideratos in ijs, quæ ad fidem, & fidelium inſtructionem pertinet, & antè definitionem poteſt non ſolùm Paulus, ſed etiam alter inferior aduertere Pontificem ad eligendum, & deliberandum aliqua, quæ ad regimen, & inſtructionem fidelium pertinebunt.

Quod autem ſanctitas eius deliberabit, vel motu proprio, vel audito Paulo, vel quocumque alio, hoc dicimus magiſterio Spiritus ſancti eſſe definitum, neque ex eò, quòd Paulus Petrum reprehenderit, ſuperioritatem in Paulo colligere poſſumus, ſicut nec in Iethro Madianita, propterea quòd dixerit ad Moyſen: ſtulto labore conſumeris, ſuperioritas ad Moyſen argui poteſt, & licèt Petrus, & Paulus meritis
21 æquales fuiſſent, tamen officio, & dignitate maior erat Petrus, qui ſolus primatum tenebat inter Apoſtolos, canon. Paulus Petrum 2. quæſtione 7. & Clemens in can. in illis 80. diſtinct. dicit, quòd inter Apoſtolos non fuit par inſtitutio, quia omnibus præfuit vnus, videlicèt Petrus.

Et Auguſtinus in epiſtola ad Galath. Paulum vocat poſteriorem, & quod Petrus fuit mirabilior Paulo, & Dominicus in cap. Lector 34. diſtinct. dicit, quòd etiam Papa tamquam Petri ſucceſſor eſt maior adminiſtratione, quàm Apoſtolus, & ex hoc etiam colligitur reſponſio ad illud, quod de beato Irenæo proponunt, ſcilicet, quòd prohibuerit Papæ Victori ex-
22 communicare Orientales, & Policarpus contradixerit Papæ Aniceto ſuper celebratione Paſchæ, & pręualuit opinio Policarpi, quoniam Irenæus, de quo ſupra retulimus, quantum Chriſti Vicario detulit martyr iſte, & Doctor glorioſus, non prohibuit Papæ negando poteſtatem eius, vt falsò confingunt hæretici, ſed tantùm orauit, & monuit, ne excommunicaret eos pro pace Eccleſiæ meliùs conſeruanda, & ſimiliter Policarpus, qui de Smirna Aſiæ venerat Romam tamquam ad Cathedram ſupremam, non reſtitit Aniceto, ſed ſupplicauit, nec conſuetudinem celebrandi Paſcha in illis Prouincijs iuxta ritum beati Ioannis eorum Apoſtoli, mutaret, in quibus maior Romani Pontificis auctoritas comprobatur, verba ergo Irenæi, & Policarpi ſupplicantium erant, non increpantium, nec reſiſtentium.

Quod autem obijcitur aduerſùs auctoritatem illam Ioann. vltimo: Paſce oues meas, vt non probent Primatum, ex eò quia non dixit: Paſce omnes oues meas, ſicut Marci vltimo vſus eſt ſigno vniuerſali, dicens Apoſtolis, prædicate Euangelium omni creaturæ, facillimæ ſoluitur etiam de iure noſtro, quo cautum exiſtit, vt indefinita legiſlatoris æquipolleat vniuerſali ſine dubio, & diſtinctione, vt in leg. ſi pluribus, & ibi Bart. ff. de legat. 2.
23 & in leg. ſi plures, de legat. 3. Et Chriſtus quando Ioann. 10. dixit: Ego cognoſco oues meas, non addidit, ſignum vniuerſale omnes, non ergo oportuit addere: Paſce omnes oues meas, quia cùm meſſis fuiſſet multa, & operarij pauci, licèt Petrus, vt operarius intenderet ouibus aliquarum Prouinciarum, quibus prædicauit, præſertim Romæ, non tamen debebant oues, quas alij Paſtoris lucriſaciebant, ideſt Apoſtoli, ab ouili Chriſti, & Petri eius Vicarij ſegregari.

Immò omnes ad Cathedram Petri pertinebant, vndè Bernardus ad Eugenium dicebat, quòd non aſſignaſſe aliquas, erat aſſignaſſe omnes oues. Quod autem dicitur, Petrum non miſiſſe alios Apoſtolos, & ſic non habuiſſe in eos ſuperioritatem, ego non video, quòd propterea defecerit in Petro Primatus, qui fuit Auctor Concilio-
24 rum, & aliorum, quæ ſuprà retulimus in defenſionem gregis ſibi commiſſi, nec habebat Petrus neceſſe mittere Apoſtolos, quos iam Chriſtus Paſtor primarius miſerat, dicens, euntes in vniuerſum Mundum, &c. Marci vltimo, miſit quidem Petrus Marcum Alexandriam, Dionyſium in Galliam, & alios, qui ab ore Chriſti non acceperant miſſionem, ſicut & Paulus à Chriſto miſſus fuit gentibus prędicare, & oues, quas lucratus eſt, oues Chriſti, & Petri eius Vi-

carij

Digitized by Google

carij fuerunt, ſicut videmus Polycarpum Græcum Epiſcopum, & Auditorem Ioannis Euangeliſtæ Romam veniſſe ad Anicetum ſedentem in Cathedra Petri, vt ſuprà retulimus, nec dixit Chriſtus, Matth. 15. non ſum miſſus, niſi ad omnes oues, quæ perierunt domus Iſrael, ſed ad oues ſimpliciter dixit.

Plura alia documenta tradidiſſem, abſque ſigno vniuerſali, niſi quòd intelligo Chimeram hanc omnibus videri ſolutione facillimam.

Minùs etiam obſtat, quod perditus homo ait, Petro non fuiſſe datam paſturam omnium ouium, ſed earum, quæ ex circumciſione erant, dicente Paulo ad Galath. 2. ſe eſſe Apoſtolum gentium, & Petrum Apoſtolum circumciſionis, quia, &
25 Chriſtus de ſe ipſo, dixerat non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael, Matthæi 15. & Matthæi 10. Ite potiùs ad oues, quæ perierunt domus Iſrael, attamen, teſte Hieronymo, ibi verba illa intelligenda ſunt, non quòd ad gentes miſſus non ſit, ſed quia primùm miſſus eſt ad Iſrael, & poſteà ad gentes poſſet fieri tranſmigratio, & qui dixit. In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, ipſe eſt, qui dixit Marci vl. mo, euntes in vniuerſum Mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ, & Matthiam Apoſtolum miſit in Samariam, ad quod alludit illud, Actuum 13. vobis quidem oportuerat prædicare verbum, ſed quia non recepiſtis ſalutem, ecce conuertimur ad gentes.

Vide Hieronymum in Eſaiam cap. 60. & Auguſtinum in Euangelium Ioannis tractatu 21. vbi dicit, non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael, quomodo habet alias, ad quas non eſt miſſus? Niſi quia ſignificauit per præſentiam corporalem non ſe miſſum, niſi ſolis Iudæis, & in eodem lib. tractatu 47. quid eſt, non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael, niſi quòd præſentiam corporalem non exibuit, niſi populo Iſrael, quia ad gentes non perrexit ipſe, ſed miſit, ad populum verò Iſrael, & miſit, & venit ipſe, & Petrus, qui Iudæis primò prædicauit, poſteà nonne Antiochiæ, Romæ, & in aliis locis prædicauit ad gentes.

Non ergo detrahitur Primatui Petri, quòd non omnes Mundi partes ipſe perſonaliter circumierit. Omnes enim, quibus, & ipſe prædicauit, & quibus Coapoſtoli eius prædicauerunt, debebant ſub hoc Chriſti Ieſu, & Petri eius Vicarij ouili conſtitui.

Obijciunt etiam miſeri contra beati Petri auctoritatem, quòd ſcilicèt ſententia eius fuit confirmata per Iacobum.

Actuum 15. ibi Simon narrauit, &c. quaſi ex hoc colligentes, quòd ſi Petrus eſſet ſuperior, eius ſententia confirmatione alteriùs non indiguiſſet, ſed hoc plus cæteris corruit,

Nam primus, qui in illo Apoſtolorum Concilio ſententiam protulit, fuit Petrus, vt ibi dicitur, conuenerunt Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc, cum autem magna conquæſtio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos, viri fratres vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, &c. Et ſententia, quam ipſe protulit, placuit in Conci-
26 lio illo Iacobo, & alijs. Certè ex hac approbatione nihil derogatur Primatui præſidentis; qui primus ſuam ſententiam expoſuit, & ſub illis verbis, per os meum audire, &c. vt ponderat optimè Faber, quia illa verba in ſingulari prolata, per os meũ, ſuperioritatem præſupponunt in Petro, & quotidiè videmus in Concilijs, & congregationibus, præſidentem dicere, quid ſentiat, nec propterea, quod alij cum eo conueniant, præſidentiæ detrahitur, certè hæc obiectio altera confutatione non eget, ſicut & Actuum primo in electione Matthiæ Petrus dixit, oportet, &c. & alij paruerunt.

Minùs etiam obſtat dicere, quòd Petrus neminem ordinauit ex Apoſtolis in Epiſcopum, quia iam ſuprà dictum fuit, quomodo Chryſoſtomus homilia 87. ſuper
27 Ioannem teneat, Iacobum à Petro fuiſſe præpoſitum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, & Beda, ac Dionyſius tenent, quòd Matthiam eligendo ipſe Petrus, duodenarium Apoſtolorum numerum integrauit, ſed cur in his immoramur, aut quid detrahit Pontificatui Petri, ſi non miſerit ipſe eos, qui iam à Chriſto Domino iuſſi fuerant ire ad prædicandum Euangelium omni creaturæ, & Eccleſiæ commendatæ, vnuſquiſque Epiſcopatum ſortiebatur, ſuffraganeum tamen Cathedræ Petri pro Chriſto Vicarij futuri, vt ſæpè diximus.

Obijciunt præterea, quòd Matthiam non auſus fuit Petrus nominare in Apoſtolum, ſed à Domino poſtulare in illis verbis Actuum 1. Tu Domine, qui noſti corda hominum, &c. Sed hanc quis non videt nugam eſſe ſatis deridendam, quaſi detrahatur Pontifici in ijs, quæ agere poteſt, pro pterea, quòd à Domino poſtulet directionem, & auxilium, vide, obſecro, in hoc Fabrum, & ſic profectò deliramenta videntur illa hæreticorum ſophiſmata, præſertim cum Chriſtus ipſe Patrem ſæpiùs pro vnitate ſui ouilis orauerit, vt diximus ſuprà cap. 9.

CAP. XXI.

In quo proſequendo confutationem hæreticorum diluuntur obiecta negantium Roman. Pontif. eſſe ſucceſſorem beati Petri.

SVMMARIVM.

1 *Petrus fuit Romæ, & ibi tenuit Cathedram ſuam.*
2 *Temporum momenta Pater poſuit in ſua poteſtate.*
3 *Curioſitas eſt antidotum veritatis.*
4 *De Petri aduentu ad Romam, nihil Lucas* ſcri-

ſcripſit, qui fuit Comes peregrinationis Pauli.

5 Chriſtus de futuro dixit, fiet vnam ouile, & vnus Paſtor, quod implebitur tempore, & modo, quo Deus ab æterno diſpoſuit, & multa dicta ſunt in Eaangelio, qua impleri debent, & nondùm ſunt impleta, vt docet Roffenſis.

6 Chriſtus nihil perdidit de ſuo Primatu, & auctoritate, propterea, quòd Iudæi eum non recognouerunt vt Dominum.

7 Dei eſt cognoſcere, quis ſit in ſtatu gratiæ, & quis amore, an odio dignus ſit.

8 Publica poteſtas non perditur propter peccata priuatæ perſonæ.

9 Perſonæ duæ ſtatuuntur in quolibet Rege, Iudice, vna priuata, & altera publica, & Cayphas licèt malus, vt priuata perſona, tamen prophetauit, vt publica perſona.

10 Romanus Pontifex, ſi vt particularis perſona ſentiat, loquatur, ſeu ſcribat, errare poteſt, ſed in his, quæ deliberat, vt publica perſona errare non poteſt, quia interim, quo ſedet in Cathedra Petri, Deus conſeruat eum, quò ad inſtructionem fidelium.

11 Cathedra Moyſi à multis ſecalis defuncti, appellabatur Primatus, & Pontificatus Iudæorum, ſicut apud nos dicitur noſter Pontificatus Cathedra Patri.

12 Omnia, & quæcumque dixerint Prælati noſtri, facienda ſunt, quia duplici vniuerſalitate id Chriſtus præcepit.

13 Officialium curiæ Romanæ peccata nihil detrahunt Pontificatui, ſicut nec Iudas curialis Chriſti detraxit Chriſto.

14 Petrus, quamuis neminem Apoſtolorum miſerit, non propterea ſucceſſor eius prohibetur mittere ad prædicandum, vbi ratio, aut neceſſitas poſtulauerit, nec propter hoc arguitur maior in ſucceſſore, quàm in Petro dignitas.

15 Eccleſia non debet diù vacare, ne pro defectu Paſtoris Lupus oues inuadat.

16 Imperatoris tyranni, ſeu hæretici factum contra Eccleſiam non poteſt, nec debet in conſequentiam iuſtitiæ adduci.

17 Decreta Nicæni Concilij ad Silueſtrum Papam miſſa fuerunt, vt confirmarentur, & pro eo primo loco ante alios omnes Epiſcopos ſe ſubſcripſerant Legati eius hoc modo, pro venerabili Papa Silueſtro.

18 Lege tota non perſpecta, in ciuile eſt iudicare.

19 Conſuetudines aliarum Eccleſiarum, præſertim remotarum, licèt toleret, & approbet Romana Eccleſia, non tamen propterea perdit Primatum, & iuriſdictionem ſuam in illis.

20 Hieruſalem gloria magna fuit, ſed poſt Chriſti Aſcenſionem Roma eſt caput omnium Eccleſiarum, & Hieroſolyma titulo Patriarchali decoratur tantùm, quæ etiam Cæſareæ Metropoli ſuffraganea fuit.

21 Chriſtus Iacobo, & Ioanni petentibus denegauit Primatum, & ſuperioritatem eo modo, quo poſtulauerant, & Petro conceſſit, quando dixit: Paſce oues meas.

22 Papa Gregorius, qui ſeruus ſeruorum Dei appellabatur, ſi renuit vocari vniuerſalis Epiſcopus, ex humilitate id fecit.

23 Græci, & Armenij pleno ore confeſſi fuerant in Concilio Florentino poſt magnam altercationem ſe ſubditos eſſe Romano Pontifici, prout eſt de neceſſitate ſalutis id confiteri.

BEatus ergo Petrus Paſtor, & Cuſtos huius Ouilis pro Chriſto relictus ſucceſſorem habere debuit poſt eius glorioſum martyrium, & habuit quidem Romanum Pontificem, vt ſuprà latiùs oſtenſum fuit, & habebit vſque in finem Mundi.

Supereſt nunc, vt ſicut pro beato Petro reſpondimus, ſic & pro eius legitimo ſucceſſore Romano Pontifice ſatisfaciamus cauillationibus Hæreticorum dicentium eum non fuiſſe ſucceſſorem beati Petri, quod pertinebat ad ſecundam partem confutationis noſtræ, ſicut ſupra in principio capitis præcedentis polliciti fuimus.

Dicunt ergo, & ſomniant miſeri iſti, beatum Petrum numquam fuiſſe Romæ.

1 Iſtis ergo in tam vaga negatiua for-
mantibus argumentum ſuum, nihil meliùs
reſponderi poterit, niſi contrariam affirma-
tiuam proponendo, eum ſcilicet fuiſſe Ro-
mæ, prout tot ſancti Patres propinqui illis
ſeculis affirmarunt in ſuis ſcriptis, quibus
magis profectò credendum eſt, vt ſupra di-
cebam, propter ſanctitatem, doctrinam, &
tantã ſeculo illi aureo vicinitatem, ac con-
tinuatam Romanorum Pontificum ſucceſ-
ſionem, non iàm vſque ad tempora tantùm
Eleutherij, ſicut Irenæus ille beatus dice-
bat; ſed vſque ad beatitudinem Gregorij
Decimitertij Pontificis, & Paſtoris noſtri;
nec cauilloſa temporum ſupputatio, quam
Hæretici faciunt, aliquid obeſt, de qua vide
Pighium eleganter cap.14. lib.3.
Et ſi fortè hæc temporum ſupputatio
non tibi omninò concludat, aut in ea ali-
quos Scriptores videris variare circa tem-
pus, & horam, ſaltèm omnes in hoc con-
uenire videbis, Petrum ſcilicet Romæ fuiſſe
vt Paſtorem huius Ouilis, & ibi glorioſum
crucis martyrium pro Chriſti nomine ſub-
ijſſe poſt fundatam ibi Cathedram ſuam,
& ab Antiochia translatam, cui ſucceſſit
Linus Pontifex; noli ergo Chriſtiane Le-
ctor de momentis temporum, quæ lites, &
2 opiniones generare ſolent, curioſus eſſe,
curioſitas enim reprobatur, leg. doli, ff. de
nouatio, & Clement. 1. §. Cæterùm, de iure-
iuran. vbi veritatis antidotum appellatur,
3 nec propter ſupputationem temporum à
teipſo non benè perceptam ab huius Oui-
lis vnitate, nec à tanta antiquorum Patrum
ſanctitate recedas.
4 Quòd autem Lucas in actis de aduen-
tu Petri ad Vrbem Romam non meminе-
rit, nihil obſtat, cùm Pauli peregrinationem
tantùm, cuius ipſe Comes erat, declaran-
dam propoſuerit.

Cauillantur etiam Hæretici, dicentes: quòd numquam Romanus Pontifex fuerit ſuper omnes Eccleſias, quod videbatur in tanto tempore debuiſſe adimpleri, cùm Chriſtus dixerit: fiet vnum Ouile, & vnus

Paſtor

Paſtor; & tamen Ægyptij, Scithæ, & allj
Barbari eum nou recognoſcunt.

Hoc enim argumentum faciliimè pro-
ſternitur, Chriſtus enim de ſuturo dixit,
fiet, quod nondùm eſt impletum; ſed im-
plebitur tempore ab ipſo Deo præfinito.
Neque enim eſt noſtrum noſſe momenta,
nec tempora.

Actuum cap. 1. Cura igitur de omni-
bus Ouibus reducendis ad hoc Ouile ad
Romanum Pontificem pertinet, vt quantum
in ſe ſit, omnes, etiam Turchas, Barbaros, &
rebelles ſtudeat conuertendos, ſicut in ſimi-
5 li videmus Imperatorem dominum in tem-
poralibus totius Mundi appellatum, l. de-
precatio, ff. ad legem Rhodiam, de iactu,
leg. Cunctos populos, C. de ſumm. Trinit.
& fide Cathol. & tamen videmus plures na-
ciones ei numquam obtemperaſſe, nec in
dominum de facto eum agnouiſſe, & plures
alios ſe ab eius obedientia ſubtraxiſſe: ſic
dicimus in propoſito de Infidelibus, & de
Hæreticis, qui à fide apoſtatauerunt; & ta-
men inobedientia priorum, nec rebellio
aliorum, non ſubſtulit Imperatori titulum,
quo appellatur Dominus totius Mundi de
iure; quod multò meliùs de Romano Pon-
tifice dicendum eſt, cùm ſit Paſtor vnicus,
& pro Chriſto Vicarius huius Ouilis ſan-
ctiſſimi, quod implebitur omninò, quando
reliquæ Iſrael ſaluæ fient, & omnes gentes
ad Dominum conuertentur tempore, &
modo, quo Deus ab æterno diſpoſuit; cuius
ſenſum ſuper temporibus, quæ ipſe poſuit
in ſua poteſtate, nemo cognouit, nec horam
iſtam aliquis intelliget, niſi is, cui ipſe Do-
minus voluerit reuelare; nec eſt mirandum,
quòd temporibus noſtris non ſit impletum
Ouile hoc, quia multa videmus in Euange-
lio prædicta, quæ ſunt adimplenda; & non-
dùm temporibus noſtris impleta conſpici-
mus, vt eleganter aduertit Roffenſis art. 25.
nihil ergo de iure ſuo perdit Cathedra hæc
ſanctiſſima, propterea, quòd Primatus iſte
non-fuerit, nec ſit ab omnibus veneratus
propter infidelitatem multorum, & aliorum
apoſtaſiam, cùm ſemper parata ſit, Eccle-
6 ſiam recipere omnes, qui ad eius obedien-
tiam venire voluerint, ſicut nec Chriſtus
Dominus noſter de ſuo primatu, et aucto-
ritate perdidit, propterea quòd Iudæi non
cognouerunt eum, ad quos perſonaliter fuit
miſſus, iuxtà illud Matth. Non ſum miſſus,
niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael;
nec Iudas proditor, et apoſtata, qui eum
tradidit; nec diſcipuli illi primi hæretici
appellati à Fabro, qui abierunt retrorsùm,
et iam non cum Ieſu ambulabant, dicentes:
Durus eſt hic ſermo, Ioann. 6. detraxerunt
Pontificatui Chriſti Domini noſtri; ſed
age, ſi hoc neceſſarium erat, dicant hæreti-
ci, ſub quo alio ex Apoſtolis, et ſucceſſori-
bus eorum fuit impletum hoc Ouile, aut
quis alius fuit, vt Paſtor huius Ouilis habi-
tus, niſi Petrus, et Romani Pontifices eius
ſucceſſores legitimi in tanto tempore.

Nec etiam obſtat dicere, quòd Roma-
nus Pontifex aliquando peccat, & quòd
ſicut Petrus fuit ſuper dilectione Chriſti
examinatus, ità requiritur in Pontifice di-
lectio, & gratia Dei, & ea deficiente, iàm
non eſt Pontifex, nec habet Cathedram.

Nam huic væſaniæ quilibet reſponde-
7 bit. Cùm enim nullus factus ſit impecca-
bilis, quia de ſolo Chriſto dictum eſt, qui
peccatum non fecit, & cognoſcere, quis ſit
in ſtatu gratiæ, ſit Deo ſoli reſeruatum, Ec-
cleſiaſt. 8. & homo à Sacerdote, non Sacer-
dos ab homine ſit corripiendus, cap. Sacer-
dotes 6. qu. 1. numquam haberemus Ponti-
fice incertum, & res tam neceſſaria, prout
eſt gubernatio huius Ouilis, in incerto, &
ſuſpenſo ſtaret ſemper, quod quàm abſur-
dum ſit, nemo non videt. Non ergo prop-
8 ter peccata particularia priuatæ perſonæ,
publica perditur poteſtas, & Pontificatus.
Sicut enim in quolibet Imperatore, Rege,
9 & Iudice ſtatuerunt Philoſophi, & Iuriſ-
conſulti duas perſonas vnam priuatam,
ſecundùm quam operatur actus particula-
ris, & alteram publicam, qua mediante de-
liberat, quod pertinet ad officium publi-
cum, ſic in Pontifice noſtro, licèt aliquan-
do, vt priuata perſona, deficiat, & perdat
gratiam Dei, non tamen propterea Deus
deſerit publicam perſonam in ijs, quæ ad
gubernationem ſuorum fidelium pertinent,
quod manifeſtè probatur in illo iniquorum
iniquiſſimo Pontifice Caipha, qui licèt
peccator abominabilis eſſet, non tamen
perdidit, quia adhùc erat Pontifex donum
prophetiæ. Ioannis 11. vbi dicitur, hoc au-
tem à ſemetipſo non dixit, quia ſemetipſo
gratus non erat Deo, nec aliquam Diuini
numinis influentiam à ſeipſo merebatur;
ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophe-
tauit, eodem modo de Saule Rege malo, qui
prophetauit exiſtens inter Prophetas. primi
Regum 19. Quæ omnia declarat optimè
Auguſtinus in cap. prophetauit Rex malus
Saul 1. quæſt. 1. Non ergo, quia Deus de-
teſtatur priuatam perſonam, etiamſi ſua
10 præſcientia eam inferno haberet condem-
natam, deſerit publicam in pertinentibus ad
vtilitatem ſuorum Fidelium; & licèt Roma-
nus Pontifex, vt priuata perſona, peccare,
& quòd fortiùs eſt, in hæreſim pro labi poſ-
ſit, iuxtà text. in cap. ſi Papa diſtinct. 40. vt
de Liberio, Marcellino, Victore, Honorio.
Anaſtaſio tradit per multa Dominus Epiſ-
copus Canus de locis Theologis lib. 6. ad
fin. tamen in eo, quod, vt publica perſona,
& Paſtor Eccleſiæ definierit, nec errare, nec
deficere poteſt, vt enim in tuto ſequamur
ſubditi, quos Deus noluit cenſores, & exa-
minatores fieri ſuperiorum ſuorum, ſi ſunt
in peccato, nec ne ad regendum Eccleſiam,
hoc enim fuiſſet multiplicare ſcandala qui-
buſdam aſſerentibus, quia bonus eſt allis
affirmantibus, quia peccator eſt, extrema
quidem confuſio, & ſchiſmatum, ac diuiſio-
num abominatio, præſertim in ſpirituali-
bus negotijs, introduceretur, ſi ſophiſma
hoc admitteretur. Vide de hoc ſingulare
Chriſti documentum, tentatur à Phariſæis,
confringuntur inſidiæ eorum, & nihilomi-
nùs propter Sacerdotij dignitatem, vt ver-
bis Hieronymi ibi vtar, dicit Matthæi 23.
ad turbas, & ad Diſcipulos, & ſic ad bonos,
& ad malos, ſuper cathedram Moyſi, pon-
11 dera nomen ad propoſitum noſtrum, ca-
thedram Moyſi iàm à multis ſeculis deſun-
ctis

&#7;i vocat, quia ſedentes in ea ſuccedebant Moyſi, ſicut & nos cathedram Petri in Cælo iàm à mille & quingentis annis collocati appellamus Eccleſiam Romanam, ſuper cathedram ergo Moyſi ſederunt Scribæ, &
12 Phatiſæi. Omnia ergo quæcumque (pondera duplicem vniuerſalitatem hic appoſitam) dixerint vobis: Facite, & ſeruate, ſecundùm opera verò eorum, quia mala ſunt, nolite facere, dicunt enim, & non faciunt. Non ergo deſeritur publica, & Pontificalis perſona, nec priuatur diuinis influxibus ad fidelium vtilitatem neceſſarijs propter peccata priuatæ perſonæ, ſicut videmus in Sacerdote baptizante, conſecrante, & cętera Sacramenta miniſtrante fidelibus, qui ad vtilitatem recipientium vt Sacerdos, & publica perſona Sacramenta confert, licèt homo malus ſit, ſubditi ergo eſt obedire, & cenſorem Paſtoris eius nullatenus fieri, ipſe enim de ſe ipſo rationem reddet. Nos, quamdiù ſunt Paſtores noſtri, obedientiam ouilem exibeamus eiſdem.

13 Quod autem objiciunt de peccatis officialium, & miniſtrorum Curiæ Romanæ, an, obſecro, hoc detrahere deberet huic ſancto Pontificatui de iure ſuo? Num tempore illo aureo, quo Chriſtus in carne viſitauerat plebem ſuam, & Hieroſolymis, vbi Chriſtus pręedicabat, deficiebant peccatores?

Nonnè erant grauiora peccata, quàm vllo tempore fuerint? Nonnè Phariſęi, Pontifices, & Sacerdotes illi omnium iniquiſſimi, & Pilatus, & Herodes viuebant? Nonnè Iudas Iſcariotes Curialis, & Miniſter Chriſti erat, de quo dicit Auguſtinus, ſuper Ioannem ſermone 5. quare Dominus vnum proditorem inter duodecim habere voluit, niſi vt malos toleremus, ne corpus Domini diuidamus? Nonnè multi ex Diſcipulis eius abierunt retrorsùm, Ioann. 6. quando de Sacramento Corporis ſui prædicabat, & iam non cum Ieſu ambulabant, qui fuerunt priores hæretici? Num hoc detraxit aliquid Paſtoratui Chriſti? O miſeræ ſtultitiæ furor, quibus furijs agitantur hęreſiarchæ, & agitant cęteros populares. Quid etiam detrahit Pontificatui noſtro, quòd ſanctus Irenæus perſuaſerit, beato Victori Papæ, ne excommunicaret Orientales? Nos enim confitemur Pontificem noſtrum inſpirationibus ſecretis, vel conſilio Domninorum Cardinalium, vel perſuaſione vuius, etiam Iethro Madianitæ (quia Deus voluit medio iſto vti,) poſſe definire, & deliberare, quæ in populo ſeruanda ſunt, ſic Victor perſuaſus fuit à ſancto Irenæo, ne excommunicaret Orientales, non quia poteſtatem in Pontifice crederet deficere ſanctus ille Irenęus, qui contra hæreticos pro Eccleſia Romana ſcripſit eleganter, ſed pro concordia Eccleſiæ conſuluit abſtinendum à cenſuris, hoc autem non fuit reſiſtere Papæ, ſicut falsò falſiùs hęretici imponunt beato Irenęo, ſed immò eum ſuppliciter orare.

Sic, & de Policarpo diſcipulo S. Ioann. qui Gręcus venit ad Anicetum Papam deprecans, vt fineret Orientales celebrare Paſcha 14. Luna primi Menſis iuxta traditionem beati Ioannis, nec quia Iulio Papæ recuſauerint Orientales obedire, ideò Primatui ſancto derogatum fuit aliquid propter eorum perfidiam.

Sicut nec nunc detrahitur aliquid, propterea, quòd hæretici Romano Pontifici obedire recuſant apoſtatando à fide, & vnitate Eccleſiæ, an quia Lother, & eius ſequaces ab obedientia Eccleſiæ Romanæ diſceſſerint, aut alij poſteà, (quod Deus auertat) retrorſum habeant cum illis prioribus hęreticis, iam propter hoc ſolùm, actum erit de Eccleſia Romana?

Quod garrulant de Iulio Papa, qui voluit Orientalibus Epiſcopis prohibere, ne citra ipſius auctoritatem conuocarent Concilium, & tamen inaniter egit, quia ei non obedierunt ex lib. 4. tripartitæ hiſtoriæ, nihil profectò obſtat, quoniam, vt eleganter retorquet Faber text. 8. §. 1. tractat. 10.

Immò ex ipſa epiſtola Orientalium in primo tomo Conciliorum fol. 188. colligitur obedientia, quam ipſi Iulio Papæ profitebantur, & multi ex ipſis Gręcis propter perſequutiones ſibi minatas, ad Romanam Eccleſiam, tamquam ad tutiſſimum ſui Principis aſylum, & refugium, vt ſubditi venerunt, & poſteà anctoritate Sedis Apoſtolicæ ſinguli ſuis ſingulis Eccleſijs reſtituti fuerunt, non obſtante condemnatione aliorum Orientalium Epiſcoporum, ad quod allegat. 4. lib. hiſtorię tripartitæ cap. 9. & 23. & Canonem Concilij Nicęni, & Sardicenſis, vbi de cognitionibus, & cauſis Epiſcoporum reſcribendum eſſe Iulio Papæ, ſancti Petri Apoſtoli memoriam honorando ſtatuerunt.

Sed obſecro, vt ſuprà dicebam, quid vęſania hęreticorum, & ſchiſmaticorum ſubtrahentium ſe ab hoc ouili potuit detrahere Pontificatui ſancto, & auctoritati, qua fungitur, ſicuti nec Summo Deo omnium conditori detrahunt Turchę, Mauri, & infideles, nec Chriſto detraxit quicquam Iudas proditor, & alij, qui abierunt retrorsùm dicentes durus eſt hic ſermo.

14 Nihil officit altera hæreticorum chimera dicentium, quòd ſicut Petrus neminem Apoſtolorum miſit, nec ordinauit, ità nec ſucceſſor eius mittere, nec ordinare debet aliquem, ne demus maiorem pręeminentiam in ſucceſſorem, quam fuerit in Petro, ſed hoc, quis non videt, ſophiſma eſſe fatuum, & ruſticum.

Si Petrus neminem Apoſtolorum miſit, nec ordinauit, ideò id fuit, quia à Chriſto Domino Paſtore principali miſſi, & ordinati fuerunt, ſed nonnè miſit Marcum, & alios, nonnè, teſte Clemēte diſcipulo eius in cap. 1. diſtinct. 80. ipſe Petrus eſt, qui Primates, & Epiſcopos deſignauit in ciuitatibus, in quibus apud gentiles erant primi flammines, & archiflammines, vnde meritò Catholici Epiſcopi appellantur Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi, an quia Dominus noſter Gregorius non contulerit vnum Epiſcopatum, impedietur ſucceſſor eius, occurrente vacatione, conferre eo quod in vita Gegorij non vacauerit? An propterea dicetur ſucceſſor maiorem

iorem

Digitized by Google

iorem poteſtatem habere, quàm prædeceſ-
ſor?

Garrulat prętereà perfidus homo,
quæ ſua erat impudentia, quòd Papa non
confirmauit Auguſtinum, Cyprianum, &
alios Epiſcopos Africæ, nec impediuit
Concilia eorum, quæ ſine auctoritate Ro-
mani Pontificis celebrata fuerunt, ſed ad-
uerte Lector, de quibus Epiſcopis exem-
plum proponat in ſuam ipſius cõfuſionem,
nempè de Cypriano, & Auguſtino, qui
Cathedræ Petri, & Primatui Rom. Pontif.
tantum, detulerunt ſicut ex auctoritatibus
ſuprà citatis apertiſſimè conſtitit, nam
fundat id in negatiua vaga, quæ improba-
bilis eſt, cap. quoniam, de probatione, &
quia fortaſsè, propter remotionem, & di-
ſtantiam regionum propter euitandam
15 diuturnam Epiſcopatuum vacationem,
quæ periculoſa ſemper fuit, cap. quam ſit,
de electione lib. 6. ne pro defectu Paſtoris
Lupus oues inuadat, maximè in initijs na-
ſcentis, & creſcentis Eccleſiæ cap. ne pro-
fectu de electione, tolerabatur, eo tempore,
& in eis locis tam remotis ille modus
pręficiendi ſtatim Epiſcopos in ſuis Eccle-
ſijs ſicut de Sene Valerio dicebamus ſuprà,
quòd viuens in ſuum coadiutorem nomi-
nauerat Auguſtinum.

Quod Hieronymum in libro de illu-
ſtribus viris allegat de Acatio Cęſarienſæ
Epiſcopo, quòd ipſe depoſuerit Liberium
Papam, & in eius locum Felicem conſti-
tuerit, dolendum quidem eſt, quòd con-
tra Romani Pontificis obedientiam cor-
rumpat locum eius ſancti, qui fuit ſemper
obedientiſſimus Cathedræ Petri, prout eius
ſcripta, pręſertim ad Damaſum Pontifi-
cem oſtendunt, qui non dixit Liberium
fuiſſe depoſitum ab Achatio, ſed hoc ſo-
lùm, Achatius in tantùm ſub Conſtantio
claruit, vt in Liberij locum Romæ Feli-
cem Arrianum Epiſcopum conſtituerit.
Hoc autem quid contra nos, ſi propter hæ-
retici Imperatoris tyrannidem relegaban-
tur Pontifices ad importunitatem Arria-
norum Epiſcoporum?

Nonnè prędeceſſores Liberij interfecti,
& martyrio coronari fuerunt à tyrannis?
Num hoc detraxit Pontificatui, & Eccle-
ſiæ? Quæ magis dotata fuit ſanguine, &
15 martyrio ſuorum Paſtorum, quod igitur
de facto per tyrannum fuit factum, non
poteſt ad aliquam iuſtitiæ conſequentiam
adduci.

Quid etiam obſtabit aliud, quod con-
tra beatiſſimi Pontificis Romani auctori-
tatem adducit de beato Ioanne Chryſoſto-
mo, quem depoſuerunt, vt ipſe dicit, Theo-
philus Alexandrinus, & Epiphanius Epiſ-
copus Ciri, neque enim Romanus Pontifex
tam ſanctum Virum depoſuiſſet, immò ipſe
eum reſtitui fecit, qui egerrimè tulit iniu-
ſtam eius damnationem factam propter
odium, & rancorem Eudoxiæ Auguſtæ,
vnde non eſt, quòd ex tyrannide Impera-
torum contra Romanos Pontifices executa
argumentum ſummatur aduersùs Cathe-
dram, quæ ſemper inuiolata permanſit, vt
infrà dicemus.

Citat etiam de Nicęno Concilio Ca-
nonem ſextum, quem habemus in cap. mos
antiquus 65. diſtinct. vbi legitur, vt apud
Alexandriam, vel in Vrbe Roma vetuſta
conſuetudo ſeruetur, vt vel ille Ægypti,
vel hic Suburbanarum Eccleſiarum ſollici-
tudinem gerat, ſed vltra reſponſionem Fa-
bri monſtrantis ſecundùm veriora exem-
plaria, non ità dictatum eſſe Canonem il-
lum, ipſamet Nicęna Synodus, & Patres
in ea exiſtentes dixerunt, Eccleſiam Roma-
nam Primatum tenere, & pro Romano
Pontifice Siluestro ſe ſubſcripſerunt primo
loco Hoſius Cordubenſis Epiſcopus, Vi-
ctor, & Vincentius Presbyteri, in hæc ver-
ba, pro venerabili viro Papa Silueſtro.
17 Inſuper tota Synodus decreuit, vt om-
nia decreta mitterentur ad beatum Silue-
ſtrum, vt ab eo confirmarentur, prout, &
miſſa, & confirmata fuerunt. Cur ergo
non adducitur integer textus? Nam, &
18 apud nos inciuile eſt, niſi tota lege perſpe-
cta, vna tantùm particula omiſſa, iudicare
leg. inciuile, ff. de legibus.
19 Et quid mirum, ſi tolerauit Romana
Eccleſia Ægypti conſuetudinem, & alia-
rum Prouinciarum remotarum, poſtquam
Euangelio non repugnant, cum ad preces
Policarpi Anicetus diſſimulaueri Aſiati-
cis conſuetudinem celebrandi Paſcha deci-
ma quarta Luna primi Menſis, & non Do-
minico die, ſicut Romana Eccleſia cele-
brat.

Et ad hoc conficiendum, Policarpus
martyr, vt diximus, ex Aſia venit ad con-
ſulendam Cathedram Petri, hoc eſt, Ro-
manum Pontificem tamquam Chriſti Vi-
carium.

Quod exclamant de Hieroſolymitana
Eccleſia, cui deberi videbatur iſte Prima-
tus, quia iuxta Eſaiam, & prophetas de
Sion exhibit lex, & de Hieruſalem verbum
Domini, & quòd ibi dedit Dominus glo-
riam in domum ſuam, & in ea Chriſtus
prędicauit, ac fecit redemptionem, & in
diſcipulos ibi exiſtentes miſſum legimus
Spiritum ſanctum, & ibidem primùm Apo-
ſtolos prædicaſſe, iam ſuperiùs cauſas enar-
rauimus, & qua te de Antiochia translata
fuerit Romam.
20 Gloria quidem Hieruſalem magna
fuit, quia in ea Dominus noſter operatus
eſt ſalutem, vt in medio terræ, & hoc reſ-
pectu completæ fuerunt figuræ, & prophe-
tiæ, de eius gloria loquentes, cum hoc ta-
men Cæſareæ Metropolis Paleſtinæ ſuffra-
ganea fuit, & quamuis poſteà titulum Pa-
triarchalem accepit, in vltimo tamen Pa-
triarchalium gradu collocata eſt.

Roma ergo Caput eſt, & Mater om-
nium Eccleſiarum propter rationes, & au-
ctoritates, quas ſuprà cap. 18. & 19. con-
geſſimus, & propter tot apertiſſima fun-
damenta confitemur primatum huius oui-
lis, & pro Chriſto Vicariatum eſſe in Ec-
cleſia Romana, & Sedes Patriarchales, ac
cęteras à Chriſti Vicario Petro, & eius ſuc-
ceſſoribus fuiſſe ordinatas, & in pręlationi-
bus graduatas eo modo, quo Sedes Apo-
ſtolica decreuit.

Nec eſt noſtrum inquirere, ſicut per-
ditus ille inquirit, cur non Compoſtellam
in

21 in qna Iacobus, & Epheſinam, io qua
Ioannes duo Apoſtoli Chriſti dilectiſſimi
prædicauerunt, poſt Romanam veneramur,
nos enim benè ſcimus Chriſtum Dominum
ſuperioritatem iſtis denegaſſe eo modo, quo
poſtulauerant, & Petro dixiſſe: Paſce
oues meas ter repetẽdo, ſed inquirere, qua-
re vna Eccleſia alteri non prçponitur poſt
Romanam, id taotùm Chriſto, & eius Vi-
cario Romano Pontifici relinquendum eſt.
Teneamus ergo cum Cathedra Petri,
& in ea ſedeotem agnoſcamus Romanum
Pontificem, ſicut & Patres noſtri annun-
tiauerunt nobis, & ab eius obedientia pro-
pter hæc noua hæreticorum nugamenta
nullatenùs recedamus, neque enim Prima-
tus iſte ſolis decretis humanis, quamuis
ea ſola Catholicis ſufficere debeant, com-
probatur, ſed textibus ſacræ Scripturæ, &
iuris diuini, ac naturalis apertiſſimis fun-
damentis, prout ſuprà latiùs fuit demon-
ſtratum.
Nec turberis Catholice Lector altero
hçreticorum ſomnio dicentium in Conci-
lio Africano, (quod habes in can. primæ
Sedis *99.* diſtinct.) eſſe prohibitum, quòd
primæ Sedis Epiſcopus non appelletur
Princeps Sacerdotum, aut aliquid huiuſ-
modi, ſed tantùm primæ Sedis Epiſcopus.
Et paulò inferiùs: Vniuerſalis autem,
ne etiam Romanis Pontifex appelletur; &
ſic Pelagius, & Gregor. Papç, nomen vniuer-
ſalis Epiſcopi renuerunt, reſpõdetur enim,
quòd Concilium Africanum cum Patriar-
chis, & alijs Epiſcopis illius prouinciæ lo-
quitur, & Catholicè ad propoſitum no-
ſtrum, cum nullus etiam Patriarcha titu-
lum vniuerſalem, ſed nomen primæ Sedis
Epiſcopi, vt ibi dicitur, debeat aſſumere,
quod autem de Papa refertur, id non Con-
cilium Africanum, ſed Gratianus dixit, ex
eò, quia Pelagius de Patriarchis loquitur,
& Gregorius titulum hunc ſibi dari prohi-
buit ratione humilitatis, qua ſe Gregorius
ſeruus ſeruorum Dei appellabat, humilitate
ſcilicèt, quia meritis, & ſeueritáte nihil de
auctoritate Cathedræ perdidit vmquam,
vt ex eius epiſtolis ad diuerſos, etiam Im-
22 peratores ſcriptis apparet, & ità dicit ipſe
in d. cap. fin. *90.* diſt. ego non verbis quæ-
ro proſperari, ſed moribus, quòd autem
humilitatis cauſa id dixerit Gregorius, de-
clarat optimè Ioannis de Turrecremata in
cap. cùm ad verùm *96.* diſtinct. in cap. nul-
lus *99.* diſtinct. vbi expreſsè dicit, quòd
in rei veritate eſt vniuerſalis Epiſcopus
iſtius vniuerſallis ouilis in vniuerſo, non
particularis Epiſcopus cuiuslibet particu-
laris Eccleſiæ, & ſic Catholici declarant,
ità intelligendo verba illa Gregorij in dict.
can. fin. quia vni ſubtrahitur, quod alteri
pluſquam ratio exigit, prçbetur, ſicut vide-
mus, quòd Epiſcopus vnius Diœceſis, li-
cèt in tota Diœceſi iuriſdictionem ſpiri-
tualem habeat, & ad eum tamquam ſupe-
riorem ab omnibus recurratur, non tamen
eſt Rector particularis cuiuslibet particu-
laris Eccleſiæ, licèt ſit vniuerſalis Epiſco-
pus totius Diœceſis, & ſuperior omnium
Rectorum prędictarum Eccleſiarum.
Nec obſtat dicere, quòd non perti-
neat ad fidem reuelatam primatus Roma-
ni Pontificis, cum ex Euangelio non colli-
gatur, ſed tantùm ex hiſtorijs humanis,
nam licèt in Euangelio non legatur, quia
concluſum fuit in Reſurrectione Chriſti, &
Petri primatu, nihilominùs tamen eſt de
iure diuino, & pertinet ad fidem reuela-
tam, cum in eodem primatu Petri ſucce-
dat eius ſucceſſor Romanus Pontifix, ſicut
in Lege Veteri ſedebat Summus Pontifex
ſuper Cathedram Moyſi, & ità Anacletus
Papa in cap. Sacroſancta 22. diſtinct. ait,
quòd Romana Eccleſia non ab Apoſtolis,
ſed ab ipſo Domino noſtro Ieſu Chriſto
primatum accepit, & Marcellus Papa mar-
tyr in cap. rogamus 24. quæſt. 1. dicit,
quòd Petrus, iubente Domino, tranſtulit
Cathedram de Antiochia ad Vrbem Ro-
mam, pro quo facit illud Ægeſippi teſti-
monium ſuprà relatum, & alia, quæ ſuprà
diximus cap. 17. 18. & 19.
Et poſtquam traditiones Eccleſiæ pri-
mitiuæ, & tot ſancti Patres nobis dictant
hoc eſſe de iure Diuino, ſufficere debet per
ea, quæ dicemus cap. 28.
Et quo magis in huius Cathedræ obe-
dientia ſolideris Catholice Lector, audi
confeſſionem Grçcorum, & Armeniorum
in Concilio Florentino factam, qui aliquan-
do ab eiuſmodi Sede decliuauerant.
Nos igitur Oratores præfati nomine
noſtro, noſtrique Reuerendi Patriarchæ,
23 & omnium Armeniorum, ſicut & veſtra
ſanctitas io ipſo decreto atteſtatur, hoc
ſaluberrimum Synodale decretum cum om-
nibus capitulis, declarationibus, definitio-
nibus, traditionibus, & præceptis, omnem-
que doctrinam in ipſo deſcriptam, necnon
quicquid docet, & tenet ſancta Sedes Apo-
ſtolica, & Romana Eccleſia, cum omni de-
notione, & obedientia acceptamus, & ſuſci-
pimus. Quaſcumque verò perſonas, & quic-
quid ipſa Romana Eccleſia reprobat, & dã-
nat, nos pro damnatis, & reprobatis ha-
bemus, profitentes tamquam veri obedien-
tiæ filij nomine, quo ſuprà, ipſius Sedis Apo-
ſtolicæ ordinationibus fideliter obtempe-
rare.
Conſidera, obſecro, confeſſionem
iſtorum Græcorum, & Armeniorum, quam
fide, & ratione naturali commoti fecerunt.
Nam ſi ad carnem, & ſanguinem, ad regio-
num longuiquitatem, & ad inimicitias,
quas hiſtoriæ dicunt viguiſſe inter Grçcos,
& Latinos aſpexiſſent ipſi ſolummodò, neu-
tiquam ſe Pontifici Latino ſubdidiſſent,
etſi Romanum Pontificem Epiſcopum Ro-
mæ dumtaxat agnouiſſent, vt falsò ſalſiùs
confingunt iſti, Germani, Galli, & An-
gli. Tam vicini Eccleſiæ Romanæ, à qua
receſſerunt, non vtique credendum eſt,
quòd tam humiliter ei ſubdidiſſent Græci,
& Armenij, tam remoti, & ipſis Latinis,
ac Romanis inſeſti, & in eodem Concilio
Florentino dicitur, & confitentur omnes,
quòd Romanus Pontifex à Domino noſtro
Ieſu Chriſto plenam accepit poteſtatem in
beato Petro paſcendi, & regendi Eccle-
ſiam.
Quicumque ergo dixerint ſe non eſſe
commiſſos Petro, & ſucceſſoribus ſuis fa-
tean-

teantur neceſſe eſt, ſe non eſſe de ouibus Chriſti, dicente Domino, fiet vnum ouile, & vnus Paſtor, & quia, teſtante Moyſe, non in principijs, ſed in vno principio creauit Deus Cœlum, & terram, vt hæc omnia ponderat text. in Extrauag. vnam ſanctam de maioritate, & obedientia, concludens, quòd de neceſſitate ſalutis eſt omni creaturæ humanæ ſubeſſe Romano Pontifici.

CAP. XXII.

In quo oſtenditur cæteras Eccleſias particulares per totum Orbem diffuſas, Patriarchales, Archiepiſcopales, & Epiſcopales, ac cæteras inferiores, etiam religioſorum ab vnius Romani Pontificis poteſtate pendere, & ei tamquam vnico, & principali Paſtori ſubditas eſſe oportere.

SVMMARIVM.

1 *Vnus ad prædicandum tanto mundo non ſufficeret, ſecundùm media naturalia loquendo.*

2 *Iethro Madianita reprehendens Moyſen, conſuluit, vt alios miniſtros conſtituat in populo, qui iudicent leuia, & ſibi reſeruant grauiora.*

3 *Moyſen, qui populum pœnès ſe congregatum habebat, non tanto labore grauabatur, quanto Romanus Pontifex grauaretur, ſi omnes mundi partes peragrare deberet ad viſitandam plebem ſuam, & Ouile hoc.*

4 *Vnitatem non offendit diuerſorum prælatorum in diuerſis mundi partibus creatio, poſtquam omnes ſubiecti ſunt huic vnico Paſtori ſupremo, & pro Chriſto Vicario.*

5 *Vrbes, & loca, in quibus Epiſcopi, & Primates ſedere debent, ab initio naſcentis Eccleſiæ ſtatutæ fuerunt.*

6 *Petrus conſtitui præcepit Primates, & Epiſcopos in ciuitatibus, in quibus apud Ethnicos erant primi flamines, & Archiflammines.*

7 *Epiſcoporum conſtitutio varijs figuris teſtamenti veteris confirmatur.*

8 *Angeli habent etiam hunc ordinem, vt ſuperiores medijs, & medij poſterioribus diuinæ bonitatis munera diffundant.*

9 *Imperator quamuis mundi Dominus appelletur, habet tamen ſuos miniſtros cuilibet reipublicæ deputatos, & duces in bello, prout dixerat Chriſto Centurio Euangelicus.*

10 *Paſtores, ſimiliter, & Epiſcopi habent ſub ſe miniſtros, vt, & in corpore humano varietas membrorum.*

11 *Hæretici priuare volunt Eccleſiam ordine iſto decentiſſimo, vt ducant in vitijs vitam ſuam, iam ſimilem illi gehennæ, in qua nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.*

12 *Deus diuerſos gradus voluit eſſe in Eccleſia, vt dum minores potioribus exhibent reuerentiam, & potiores minoribus dilectionem impendunt, vera fieret concordia.*

13 *Differentiæ ordo ſeruandus, ſicut cæleſtium militiarum exemplar nos inſtruit.*

QVamquam ouile hoc vnum ſit, & vnus Paſtor viſibilis, videlicet Romanus Pontifex pro Chriſto paſtore præcipuo Vicarius, & beati Petri ſucceſſor, quorum Chriſti videlicet, & Petri præſentia corporali ſecundùm humanam conuerſationem, & vt ità dixerim, viſibilem perſonalitatem deſtitui debebamus, quia tamen Ouile hoc, ſeu Eccleſia vniuerſalis omnes ad eam venientes recipere debebat, & debet, cum non ſit perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, quæ timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Actuum 10. vt ſuprà latè cap. 7. declaratum fuit, ideò neceſſarium fuit, & rationi conueniens, vt Paſtor iſte ſupremus, & pro Chriſto Vicarius viſibilis Romanus Pontifex cernens, quòd Meſſis quidem multa erat, & operarij pauci, & quòd ideò Chriſtus Saluator noſter verus Deus, & verus homo, qui momento ſi ſua diuina, & abſoluta poteſtate voluiſſet vti, potuiſſet omnes homines ad ſe conuertere, nihilominùs tamen ad ſolam Iudæam, & eo adhuc nondum paſſo, deſignauit & alios ſeptuaginta duos vltrà duodecim, & miſit eos binos ante faciem ſuam prædicare, Lucæ 10. vt ſimiliter ipſe quoque Vicarius eius per totum mundum Epiſcopos deſignaret, & mitteret, ſicut, & Chriſtus Marci vlt. miſit prædicare Euangelium omni creaturæ, & propterea optima ratione concluditur, quòd quamuis Rom. Pontifex ſedeat in Cathedra Petri, miſerit tamen, & mittat quotidiè per Aſiam, Africam, & Europam tres partes mundi prędicatores, qui ſeminent verbum Dei in cordibus omnium hominum, ipſum Romanum Pontificem ſemper agnoſcentes ſuperiorem, & Dei, ac Apoſtolicæ Sedis gratia ſe factos Epiſcopos profitentes, Neque enim vnus
1 ſolus, ſecundùm media naturalia loquendo, & iuxtà cauſas ſecundas operando, ad perſuadendum, & prædicandum tanto mundo ſufficeret.

Hoc apertiſſimè comprobatur vltra documentum Chriſti ſupra relatum, cuius actio, noſtra eſt inſtructio, qui miſit ſeptuaginta duos binos prædicare ante faciem ſuam exemplo illius Ietho Madianitę, cuius ſæpè in hoc tractatu declarationem promiſi. Iſte enim Iethro Socer, ſeu cognatus Moyſi Exodi 18. cernens, quòd Moyſes
2 ſedebat, vt iudicaret populum, qui aſſiſtebat ei à mane in veſperam, dixit ad Moyſen, non bonam rem facis, ſtulto labore conſumeris tu, & populus iſte, qui tecum eſt, vltrà vires tuas eſt hoc negotium, ſolus illud non poteris ſuſtinere, ſed audi verba mea, atque conſilia, & erit Dominus tecum, pondera hìc, obſecro, antequam vltrà progrediamur, Iethro Madianitam tanta verborum exaggeratione, & repetitione, ne dicam exprobratione, vt ſtulto labore conſumeris, non bonam rem facis, &c. auſum

fuiſſe conſilium ptæſtate Moyſi, vt Domi-
nus ſecum eſſet, qui cum Moyſe tamquam
ad amicum amicus alloquebatur, vt intel-
ligas, neque Moyſem reſpuiſſe conſilium
Ierhro, nec Petrum Pauli ſuaſionem con-
tempſiſſe ad Galatas 2. nec denique Ro-
manum Pontificem dedignari, quòd ſuam
ſanctitatem aduertat aliquis de neceſſarijs
ad populi gubernationem, ipſe poſtea di-
geret, & reſoluet intra ſe, mediante Spiritu
ſancto, cuius magiſterio regitur, num illud
expediens ſit, ſicut, & Moyſes Iethro, &
Petrus Pauli conſilia ſequuti fuerunt, ſed
redeamus ad Ierhro, quid dicat, & conſu-
lat Moyſi? ſtulto, inquit, labore conſume-
ris, &c.

Vide quàm enixè, ne dicam contume-
lioſè, & importunè reprehendens, perſua-
deat, at quid perſuadet, eſto tu, inquit, in
ijs, quæ ad Deum pertinent, vt referas, quę
dicuntur, ad eum, oſtendaſque populo cęre-
monias, & ritum colendi, viamque, per
quam ingredi debeant, & opus, quod fa-
cere debeant, prouide autem de omni ple-
be viros ſapientes, & timentes Deum, in
quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam,
& conſtitue ex eis tribunos, & centuriones,
quinquagenarios, & decanos, qui iudicent
populum omni tempore, quicquid autem
maius fuerit, referant ad te, & ipſi minora
tantummodò iudicent, leuiſque ſit tibi, par-
tito in alios onere, ſi hoc feceris, implebis
imperium Domini, & præcepta eius pote-
ris ſuſtentare, & omnis hic populus reuer-
tetur ad loca ſua cum pace, quibus auditis
Moyſes fecit omnia, quæ ille ſuggeſſerat,
& electis viris ſtrenuis, conſtituit Principes
populi, tribunos, Centuriones, quinquage-
narios, & decanos, qui iudicabant plebem
Domini omni tempore, quicquid autem
grauius erat, referebant ad eum, faciliora
tantummodò Iudicantes, ſicut & 3. Re-
gum 4 de Salomone legitur, quòd habebat
duodecim præfectos ſuper omnem popu-
lum Iſrael. Pondera ergo conſilium Iethro
ſuſceptum à Moyſe, & tribunos, ac centu-
riones illos, Epiſcoporum, & aliorum ſacer-
dotum figuram tenuiſſe ſub onere referen-
di grauiora ad Cathedrã tunc Moyſis, nunc
verò Petri ſanctiſſimi, vt leuior fiat labor,
3 partito in alios onere, & labor Moyſi, qui
omnem populum pœuès ſe congregatum
in eodem loco, & ſecum proficiſcentem
habebat, non erat tam grandis ſicut Roma-
ni Pontificis labor futurus ſuiſler, ſi ſenex,
& plenus bonorum dierum, vtì ſemper eli-
gitur, omnes mundi partes peragrare de-
beret ad viſitandam plebem, & Ouile
ſuum.

Oportet ergo, vt in partibus illis ha-
beat ſuos ſub paſtores, & miniſtros, qui
eius nomine, & vice gubernent prouincias
ſibi commiſſas, grauiora negotia ad Sedem
Apoſtolicam, cui ſe in omnibus ſubiectos
profiteutur, referentes, & ſic Romanus Pon-
tifex ad exemplum Chriſti, qui alios dedit
Apoſtolos, alios Euangeliſtas, alios Docto-
res, &c. Sic, inquam, ille, vt Chriſti Vicarius
alios dat Patriarchas, alios Primates, alios
Archiepiſcopos, alios Epiſcopos, Docto-
res, Curatos, & Prædicatores, qui ſemi-
nent verbum Dei, & faciant in vniuerſo, &
vnico hoc Ouili prouentum. Hæc autem
prælatorum, Patriarcharum, Archiepiſco-
4 porum, & Epiſcoporum per diuerſa loca
creatio, & inſtitutio noſtram vnitatem Oui-
lis, & paſtoris, (ad cuius gubernationem
omnia reſeruutur) nihil offendit, dicente
Pelagio Papa in can. quamuis 21. diſtinct.
quamuis vniuerſæ per Orbem Catholicæ, &
Apoſtolicæ Eccleſiæ inſtitutæ vnus thala-
mus Chriſti ſit, tamen ſancta Romana Ec-
cleſia cæteris Eccleſijs prælata eſt. Et Lu-
cius Papa, in cap. Vrbes 80, diſt. ait, Vr-
5 bes, & loca, in quibus Primates præſidere
debent, non à modernis, ſed multis ante
aduentum Chriſti ſtatutæ ſunt temporibus
quarum Primates gentiles etiam pro maio-
ribus negotijs appellabant, & beatus Cle-
mens Papa martyr, ac diſcipulus Petri in
cap. in illis 80. diſt. ſic ait, in illis verò ci-
uitatibus, in quibus olim apud Ethinicos
primi flammines eorum, atque primi legis
6 doctores erant Epiſcoporum Primates, vel
Patriarchas beatus Petrus poni præcepit,
qui reliquorum cauſas Epiſcoporum, & ma-
iora negotia fidei agitarent, in illis autem,
in quibus dudum apud prædictos Ethnicos
erant eorum Archiflammines, quos tamen
minores eſſe tenebant, quàm memoratos
Primates, iuſtitui præcepit Archiepiſcopos,
in ſingulis verò ciuitatibus reliquis ſingu-
los, & non plures Epiſcopos conſtitui prę-
cepit, quoniam neque inter ipſos Apoſto-
los par fuit inſtitutio, ſed vnus præfuit om-
nibus, hactenùs Clemens Papa, & diſcipu-
lus Petri.

7 Sed, vt ad legem veterem redeamus,
videmus etiam tabernaculum à Moyſe fa-
ctum ex præcepto Domini ad exemplum
eius, quod ſibi in monte fuerat monſtra-
tum. Exodi 25. et quod figuram tenebat
Eccleſiæ noſtræ, habuiſſe (præter cæteras
longitudinis, et latitudinis partes, tentoria,
et alia receptacula) altitudinem quamdam,
ſeu tectum, impoſito deſuper operimento,
vt Exodi 40. legitur, in ſignificationem
huius Eccleſiæ militantis, quæ licèt diuer-
ſos gradus, et miniſtros habeat, vnum ta-
men ſummum Pontificem, vt altitudinem
reueretur.

Similiter, et templum illud Salomonis
celebratiſſimum tabulata, feneſtras obli-
quas, et alia id genus ædificia habebat, ſed
altare, et oraculum auro puriſſimo, et Ce-
dro conſtruit 3.reg.6. et templum, quod vi-
dit Ezechiel in Spiritu cap.41. Ezechielis,
varia ædificia demonſtrabat, ſed latiùs erat
templum in ſuperiori parte, ad quam de in-
ferioribus partibus aſcendebatur, ſic etiam,
et Arca Noe, quæ vt ſæpè diximus, figu-
ram habuit Eccleſiæ noſtræ, habebat qui-
dem manſiunculas, cœnacula, et triſtega,
ac teſte Hieronymo lib. 1. aduersùs Ioui-
nianum, nidulos, et bicamerara, ac rrlca-
merata continebat, ſed altitudinem trigin-
ta cubitorum, et ſupereminens faſtigium
habebat, et in Synagoga, vt à materiali
templo ad eius miniſtros Spiritum eriga-
mus, vnus erat ſummus Sacerdos, ſub quo
conſtituti erant quatuor, et viginti maio-
res Sacerdotes, qui ſublimiorem gradum
obti-

obtinebant, quàm reliqui minores Sacerdotes, vt legitur primi Paralyponen. 24. et 4. regum 13. legitur, Helciæ Pontifici, et Sacerdotibus ſecundi ordinis, etc. et tamen Aaron, et ſummus Sacerdos alijs poteſtate, auctoritate, et etiam veſtitu multò pretioſior erat, Leuitici 8. et Exodi 28. et vt optimè dicebat Cyprianus in can. loquitur 24. quæſt. 1. Eccleſia vna eſt, quæ in multitudine latiùs incremento fœcunditatis extenditur, quomodo multi radij ſunt, ſed vnum lumen, et rami arboris multi ſunt, ſed vnum robur radice tenaci fundatum, et quomodo de fonte vno riui plurimi defluunt, et numeroſitas licèt diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen integra ſeruatur in origine, et Nicolaus Papa in can. omnes 22. diſt. omnes, ſiue Patriarchales, ſiue Metropoles Primatuum, aut Epiſcopatuum Cathedras, vel Eccleſiarum cuiuſcumque ordinis dignitatem inſtituit Romana Eccleſia, illam verò ſolus Deus ipſe fundauit, et idem probat Anacletus Papa in can. in nouo 21. diſtinct. et Dionyſius Areopagita in ſuo libro de Eccleſiaſtica Hierarchia loquens de primitiua Eccleſia, in qua verſabatur, conſtituit ſummum Pontificem primo loco, et ſub eo Epiſcopos, Sacerdotes, et miniſtros Sanctos.

Sic etiam in triumphanti, cui noſtra ſimilis eſt, manſiones multæ ſunt, Ioann. 14. & in cœleſti Hierarchia, teſte Dionyſio in illo aureo, & diuino libro, quem de illa condidit, diuerſæ ſunt Angelorum Spirituum Hierarchię, & ſacri principatus,
8 ſuprẹmi ſcilicet, medij, & poſtremi, inter quos decentiſſimus ordo ſeruatur, vt ſupremi diuinæ bonitatis munera proximè, nulloque intermedio à Deo accepta diffundant in medios, ſuprà quos eminent, & medij in poſteriores ipſis ſubſidentes, vt refert Ioannes Chlitoueus in ſuo Antiluthero lib. 2. capitulo 2. ſub titulo de Miſſæ officio, ad quod videtur alludere Daniel 10. dicens, Michaelem vnum eſſe de primis principibus, quaſi ſentiens, inter Angelos Principes, & præſides eſſe, & inueneriri ſuarum partium ordinatam diſtinctionem, officiorumque diſcretionem, vt quidam cæteris præſint ad directionem, alij verò illorum auctoritati ſubiaceant, neque ſit confuſa omnium æqualitas, vide, obſecro, poſt Dionyſium ipſum Chlictoueum in loco citato, & tamen omnes vnum prædominantem, & omnium ſupremum conditorem Deum reuereantur. Ad illius exemplar in Eccleſia militanti debemus credere, & profiteri vnum eſſe ſupremum, viſibilem, & pro Chriſto Vicarium, qui habeat in partem ſuæ ſollicitudinis ſuffraganeos Epiſcopos, & Rectores in directionem plebium, & ouium ſibi commiſſarum, ſummum tamen Pontificem ſemper in omnibus Dominum agnoſcentes, & principem ſuum, ſic videmus in Imperatore, quamuis mundi Dominus appellatur. leg. deprecatio ff. ad legem
9 Rhodiam de iactu. ſic in quolibet Rege, qui habet ſuos miniſtros, & iudices cuilibet reipublicæ, & miniſterio deputatos, vt in titulis ff. & C. de officio præfecti prætorio, de officio præſidis, de officio proconſulis, &c. ſic in exercitu belli, & in qualibet acie benè ordinata, cui noſtra comparatur Eccleſia, Canticorum 6. ibi terribilis, vt caſtrorum acies ordinata, quæ habet Ducem ſupremum, & infrà eum, ac ſuprà alios ſuos centuriones, & quinquagenarios, ac decanos, vt & Centurio euangelicus dicebat Chriſto, ſic in qualibet republica iudices, & Conſules vnicum Principem recognoſcentes, & aliorum regimini prępoſitos inuenies, ſic in quacunq; congregatione, & collegio iſtum ordinem ſeruari videbis, vt ſcilicet adſint quidem multi præſides inferiorum, qui tamen vni primario Principi ſubijciantur.

Et denique ne ab Ouilis parabola recedamus, etiam in gubenatione ouium, & gregis, præſertim numeroſi, vnus paſtor eſt, qui conſtituit in certas partes gregis ſuos Vicarios, & Miniſtros Gregarios. Ad cuius exemplum videmus, quòd Epiſcopi, qui paſtores in Eccleſia vocantur, licèt habeant diœceſim anguſtam, habent tamen
10 ſuos Vicarios generales, & officiales principales, ac poſteà officiales foraneos, & alios miniſtros, qui omnes eum in vnicum ſuperiorem agnoſcunt toto titulo, de officio Archidiaconi, & aliorum, & ſicut in corpore humano varietas membrorum per diuerſa corporis officia robur ſeruat, & pulchritudinem repræſentat, ità varietas perſonarum per diuerſa diſtributa officia, & fortitudinem, & venuſtatem Sanctæ Eccleſiæ Dei manifeſtat, & ſicut indecorum eſt in corpore humano, vt alterum membrum alterius fungatur officio, ſic turpiſſimum eſſet, ſi ſingula miniſteria ſingulis non ſint diſtributa perſonis, quia, teſte Paulo ad Romanos 12. ſicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non vnum actum habent, ità in Eccleſiæ corpore multa membra ſunt, & in vno corpore Spirituali duo officia vni perſonæ, licèt exercitatę committi non debent, quia ſi totum corpus eſt oculus, vbi auditus, cap. 1. 89. diſtinct. certè deficeret tempus, & papyrus, ſi ſuper omnes congregationes decenter ordinatas diſcurrere debuiſſem, politicum iſtum ordinem enarrando, quem credo, nemo, niſi ſit eſpers rationis, negare poterit.

11 Quare autem hæretici decentiſſimo hoc, ac iucundiſſimo ordine priuare velint Eccleſiam noſtram Deo dilectiſſimam, ignoro prorsùs, niſi vt ducant in vitijs vitam ſuam iam ſimilem illi Gehennæ ſibi paratæ, niſi reſipiſcant, de qua Iob dicebat, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.

Et ideò Gregorius in cap. ad hoc 89. diſt. dicebat, quòd ad hoc Deus voluit gradus diuerſos eſſe in Eccleſia, vt dum reue-
12 rentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, neque enim
13 vniuerſitas alia ratione ſubſiſtere poterat, niſi eam magnus differentiæ ordo ſeruaret, ſicut cœleſtium militiarum exemplar nos inſtruit, quia dum ſunt Angeli, & ſunt

Archangeli,liquet,quòd non ſunt æquales, ſed alter ab altero differunt.

CAP. XXIII.

De varijs titulis, & encomijs, quibus Sacroſancta hæc Romani Pontificis auctoritas à noſtris maioribus, & Doctoribus fuit venerata.

SVMMARIVM.

1 *Fides eſt maior adhibenda his, qui in aliqua arte toto tempore vitæ ſuæ addiſcenda inſudarunt, quàm illis, qui nec horam in ea conſumpſerunt.*

2 *Infirmitates corporales ex infirmitatibus animorum prouenire ſolent.*

3 *Papa à Papæ interiectione admirationem denotante appellatur, propterea quòd eſt admirabilis eius auctoritas, & eſt admirabilis in intelligentia.*

4 *Papa eſt pater patrum, qui cum alio quocumque Prelato in iuriſdictione, & poteſtate concurrit, & eſt ſpiritualis ſpiritualium, cuius omnes ſumus filij.*

5 *Papæ, & Chriſti idem eſt conſiſtorium, & eſt ſtupor mundi, qui nec Deus eſt, nec homo, quaſi neuter eſt inter vtrumque.*

6 *Papæ parochia eſt vniuerſus mundus, iuxtà illud Euangelij, fiet vnum Ouile, & vnus paſtor.*

7 *Papæ nemo poteſt dicere, cur ità facis, & eſt ei pro ratione voluntas, & appellatur Prælatus Prælatorum, qui non puri hominis, ſed Dei vicem gerit in terris.*

8 *Papæ eſt impoſſibile mentiri, quia Dei legatione fungitur in terris in his, quæ vt Papa deliberabit, & eo ipſo quod eſt Papa ſanctus, appellatur.*

9 *Papæ eſt omnia, & ſuper omnia in ſpiritualibus, eſt ſupremus Vicarius Dei, & qui contrarium dicit, mentitur eſt Culmen Epiſcoporum, & cæterorum, quos poteſt intellectus imaginari.*

10 *Papa electus mutat nomen. & efficitur noua creatura, ità quòd ſi ſcriberentur literæ ſub nomine baptiſmali, poſſet dicere iſtæ literæ non diriguntur mihi.*

11 *Papa debet oſculari in pede, & poſt Deum.ᵕ; pra omnibus eſt honorandus, & ſic ſe habet ad alios, ſicut Sol ad planetas.*

12 *Papa immediatam habet poteſtatem à Deo; Imperator verò, & Reges à Papa, & penès eum eſt vtraque poteſtas, licèt non habeat exercitium gladij temporalis, & poteſt transferre Imperium de loco ad locum, & Imperatores, ac reges deponere, cauſis, ſeu culpis exigentibus.*

13 *Papa eſt ſuprà ius, ſuprà Concilia, & ſuprà omnia ſtatuta, & committit cauſas, appellatione remota.*

14 *Pro Papa eſt propenſiùs orandum, quia ſalus omnium ex eo dependet, & non neceſſitate, ſed propria voluntate ſe purgat de obiectis ſibi criminibus.*

15 *Papæ pertinet confirmatio nouæ religionis, & poteſt transferre ſine cauſa Epiſcopos, & Primates, ipſe ſolus.*

16 *Papa tamquam Petri ſucceſſor eſt maior Paulo reſpectu adminiſtrationis, & eſt ſuprà, & præter ius.*

17 *Papa poteſt quadrata æquare rotundis, & eſt Iudex omnium Regum non recognoſcendum ſuperiorem ratione peccati.*

DEcreueram nulla hic doctorum noſtrorum teſtimonia referre in huius ſanctæ cathedræ confirmationem, qui enim auctoritatibus Sacræ Seeipturæ, & alijs rationibus ſuprà citatis ad eius venerationem, & obedientiam non conuincatur, hic iam iudicatus eſt, & ſuperflua reputabit documenta noſtrorum interpretum, & hæreticus, qui iuxtà ſuam impudentiam negat auctoritatem decretorum canonum.ᵕ, ac Beatorum Gregorij, Auguſtini, Ambroſij, Hieronymi, & aliorum Eccleſiæ Sanctæ Doctorum, quam nos neceſſariam.ᵕ credita appellamus, faciliùs negabit auctoritatem, quæ probabilis eſt dumtaxat, Gloſſæ Cardinalis Panormitani, & aliorum noſtri iuris canonici Doctorum, iuxtà tex.& ibi gloſ.in l.1.C.de legibus, vbi probatur, maiorem eſſe auctoritatem neceſſariam textuum, quibus credi, & ſtari, etiam clauſis oculis, oportet, quàm ſit interpretum ſententia, ſicut in Philoſophia, & medicina, ac alijs diſciplinis quotidie experiuntur, profeſſores earum ſupponentes capita textui Ariſtotelis, Platonis, Galeni, & Hippocratis, contrà expoſitores tamen textus quotidie diſputantes.

Sed ad ſolam ędificationem Catholi-
ci Lectoris attendens, in hoc capite citabo,
quid iſti Catholici, & doctiſſimi viri dixe-
rint, & quibus titulis celebrauerint cathe-
dræ huius auctoritatem, vt magis, ac ma-
gis in eius obedientia confirmemur, cogni-
to quantum iſti ei detulerint, qui in ſtudio
Sacrorum Canonum toto tempore vitæ ſuę
inſudarunt, & noctes quandoque in eis ad-
diſcendis, & exponendis tranſierunt in-
ſomnes, vnicuique enim in ſua arte, quam
profeſſus eſt, & pro qua multa tulit, fecitq;
puer ſudauit, & alſit, maior fides adhiben-
1 da erit, quàm ei, qui nec horam in ſtudio
eius perdidit, iuxtà illud, ne Sutor vltrà
crepidas, & tractent Fabrilia Fabri.

Vnde, vt id obiter, ac incidenter dicam, ferre non poſſum idiotas, & proſſùs ignaros, qui ex ſucceſſibus eis non.ᵕ proſpere ſubſequutis, & iuriſperitos, amiſſa lite, & medicos omnes, non reſtituta ſalute, deteſtantur, quos honorare præcepit Dominus, ſi enim dubius eſt ſalutis, ac litis euentus, aut ſi Deus, qui circa hæc nos in incerto vagari permiſit, vel propter peccata litigantium, & infirmorum, vel iudicum, aduocatorum, aut medicorum, eci veritatem nobis abſcondit iuſtus iudex, quid, obſecro, ſcientiæ probatiſſimæ, & earum optimi profeſſores commeruerunt? quos eligere, & moribus, & doctrina.ᵕ probatos (quales multi ſunt, & fuerunt) debuiſſent infirmi, & litigantes, cum recta conſcientia, & purgari ipſi à prauis moribus,

ribus, & peccatis, quia mala, quæ patimur,
peccata noſtra merentur, & infirmitates
2 corporales ex peccato pronenire ſolent,
dicente Domino ad languidum, quem ſa-
nauerat, Ioann. 5. vade, & iam noli ampliùs
peccare, ne deteriùs tibi aliquid contin-
gat, cap. cum infirmitas de pœniten. & re-
miſs., ſed ad inſtitutum redeamus.

Romanus ergo Pontifex Chriſti Vi-
carius, & Succeſſor Beati Petri Apoſtolo-
rum Principis, vltrà ea, quæ in ſuperio-
ribus dicta fuerunt, communiter, & à mul-
tis ſęculis appellatur Papa à Papa interie-
3 ctione admirationem maximam denotan-
te, propterea, quòd eſt admirabilis eius
auctoritas, ità Gloſ. in proœmio Clemen-
tinarum. §. hoc ſanè verbo Papa, & Car-
din. in Clem. fi. de ſenten. excommun. dice-
bat, quòd dictio, Papa eſt, admiratiua, ſi-
cut hæc dictio, Deus, & Ioannes Monachus
in principio lib. 6. decretalium nu. 12. quod
habet nomen à re, quia eſt admirabilis in
intelligentia, & efficaciſſimus in eloquen-
ria, & dicitur Papa, quaſi pater patrum.

4 Et idem Ioann. Monacus in cap. ſi eo.
in principio de electione lib. 6. quòd eſt
pater patrum, qui cum omni alio Præla-
to in iuriſdictione, & poteſtate concurrit,
quod dictum allegat Bald. in c. 1. in princ.
1. col. quis dicatur Marchio, Dux, &c. in
vſibus Feudorum, & in cap. 1. qui feudum
dare poſſunt.

Et Albertus Brunus conſ. 1. num. 31.
Et eſt ſpiritualis ſpiritualium, ac omnes
ſumus filij Papæ, vt per Philip. probum in
addit. ad Monachum in cap. ſi eod. de ele-
ction. lib. 6. dicebat etiam Innoc. in cap. fi.
5 de translat. Prælator. quòd Papæ, & Chri-
ſti idem eſt conſiſtorium, quem refert Bar-
bat. conſ. 53. vol. 1. & Panormitanus in cap.
venerabilem de election. & appellatur Papa,
ſtupor mundi, qui nec Deus eſt, nec homo,
quaſi neuter eſt inter vtrumque, vt per
gloſſam in dicto proœmio Clementina-
rum verbo Papa, & Barbatia in tractatu
de prçſtantia Cardinalium in 1. parte q. 2.
num. 19. dicebat, quòd vniuerſus mundus
eſt parochia Papæ, iuxtà illud Euange-
6 lij Ioannis 10. fiet vnum Ouile, & vnus
Paſtor, & Papæ nemo poteſt dicere, cur
ità facis Iaſ. con. 145. incip. Beatiſſimus
Papa vol. 10.

7 Et Baldus in leg. fi. C. ſententiam
reſcindi non poſſe, & ei eſt pro ratione
voluntas Gl. in cap. ſi gratioſè de reſcriptis
lib. 6. verbo, Romano Pontifice, appellatur
etiam Prælatus Prælatorum, Ioann. Mo-
nach. in cap. periculoſo num. 4. de ſtatu re-
gularium lib. 6. & teſte Cardinale in Clem.
1. de probat. num. 1. Papa non puri homi-
nis, ſed Dei vices gerit in terris, & eſt im-
poſſibile eum mentiri, quia Dei legatione
8 fungitur, quod intellige in his, quæ vt
Papa deliberat, & reſpondet, quia vt ſæ-
pè dixi, tamquam particularis perſona er-
rare poteſt, quamuis non ſit de facili præ-
ſumendus error in illa particulari perſona,
in qua tam ſancta, & tam publica perſona
continetur, & eo ipſo, quòd ad tantæ di-
gnitatis apicem eſt promotus, Sanctus ap-
pellatur cap. non nos 40. diſt. & actus ſui
ex cœleſti arbitrio facti reputantur.

Et ſecundùm Innocentium in c. cum
pridem de pactis. Papa eſt publica perſo-
na, quæ ſuper omnes Eccleſias ſingulari-
ter, & vniuerſaliter habet plenitudinem
poteſtatis, & Baldus referens Bernardum
de conſideratione ad Eugenium, dicit in l.
9 Barbarius num. 14. ad finem, ff. de officio
Prætoris, quòd eſt omnia, & ſuper omnia
in ſpiritualibus, verba ſunt Baldi, in d. leg.
Barbarius, & pauló antè dixerat in eadem
l. Barbarius, quòd Papa eſt ſupremus Vi-
carius Dei, & qui contrarium dicit menti-
tur, his verbis tàm exprobratorijs loqui-
tur Baldus, & idem Baldus in proœmio
Gregoriano num. 3. dicebat, quòd non ſo-
lùm eſt Epiſcopus, ſed culmen Epiſcopo-
rum, & cæterorum, quos poteſt intelle-
ctus imaginari, cui data eſt clauium pleni-
tudo, & ſumma libera poteſtas, quæ appel-
latur poteſtas abſoluta ab omnibus vincu-
lis Canonum, & ab omni regula arctatiua,
præterquam ab Euangelica, & Apoſtolica,
& Papa licèt non ſit Apoſtolus, eſt Apoſto-
licus, & debet eſſe quantum in ſe eſt Apo-
10 ſtolicæ ſanctitatis, & electus ad dignitatem
Papalem mutat nomen in electione vſque
adeò, quòd, vt dicit Baldus ibi ad finem
num. 1. efficitur noua creatura, & tacetur
nomen proprium, ità vt ſi ſcriberentur ſibi
aliquæ literæ directæ ſub nomine baptiſ-
mali, & non ſub nomine Pontificali, poſſet
dicere, vel iſtæ literæ non diriguntur mihi,
vel ſcribitur in contemptum.

11 Et in tantum eſt honorandus, quòd
debet oſculari in pede gl. in l. 1. C. de do-
meſticis, & protectoribus, & ibi, Ioan. de
Platea; l. 12. eod. & quia facit idem Conſi-
ſtorium cum Deo, ideò poſt Deum prę om-
nibus eſt honorandus in terris; verba ſunt
Panormitani in con. 21. vol. 1. in princi-
pio, & Baldus in c. bone el. 1. n. 4. de poſtul.
Prælatorum, quòd Papa ſic ſe habet ad
Cardinales, & cæteras dignitates, ſicut
ſol ad planetas, quia planetæ non mouen-
tur, niſi motu Orbis, ſic Cardinales, &
legati non mouentur, niſi motu Papæ, &
12 Papa poteſtatem immediatè dicitur à Deo
habere, & quia ſalus omnium ex eo depen-
det, propenſiùs eſt pro eo orandum; cap. ſi
13 Papa; 40. diſtinctio; & aliorum cauſas
Deus commiſit hominibus terminandas;
Papam verò ſuo iudicio reſeruauit cap. pa-
tet; can. aliorum 9. q. 3. & non neceſſitate,
ſed propria voluntate ſe purgat ab obiectis
14 criminibus, vt de Sixto Papa videmus in
can. mandaſtis 2. quæſt. 5. can. nos ſi incom-
petenter 2. q. 7. & ſtatutum, ſeu conſtitutio
eius, ſic debet reputari, quemadmodùm ſi
de ore Dei, vel Beati Petri eſſet prolatum,
c. ſic omnes; 19. diſt. & omnis noua Religio
15 debet à Papa confirmari, extrauag. Sancta,
de Relig. Dom. &c. præceptis 12. diſtinct.
& Baldus in cap. 1. qualiter Dominus pro-
prietate feudi priuetur, quòd Papa eſt om-
nia, & ſuper omnia in ijs, quæ ad ius Ec-
cleſiaſticum ſpectant. Et idem Baldus in c.
cum ſuper. de cauſa poſſe, quòd Papa eſt
ſuprà ius, & contrà ius, & extra ius, &
Hoſtienſis in c. cum veniſſent; de iudicijs;
16 quòd Papa poteſt quadrata æquare rotun-
dis,

Digitized by Google

dis, & teſte Bartolo in leg. Barbarius, ver-
bo, & Papatus eſt; ff. de officio Prætoris,
non incurrit pœnas ſimoniæ, & eſt Dux
omnium Regum, & Imperatoris non re-
cognoſcentium Superiorem ratione pec-
cati, & iniuſtitiæ, gloſſa in c.ex tranſmiſſa,
de foro comp. Francus in c.ſi duobus deni-
que de appellatio. Panormitanus in c. cum
Ioannes de fide inſtrumento, & eſt fons iu-
ſtitiæ fugans tenebras, & præſumuntur in
eo concurrere illa tria. quæ conſiderantur
in actibus hominum, videlicet bona volun-
tas, conceſſa poteſtas, & modi congruitas,
teſte Barth. Socin. conſ. 164. viſa bulla in 2.
parte, & teſte Dominico in cap. lector. 34.
diſt., tanquam Petri ſucceſſor maior eſt re-
17 ſpectu adminiſtrationis, quàm Paulus Apo-
ſtolus. Deficeret me tempus, & hora ſi
percurrere vellem ea omnia, quæ Docto-
res noſtri de Beatiſſimo Papa Eccleſiæ Mo-
narcha ſenſerunt, paucula hæc adduxiſſe
ſufficiat, vt intelligas doctoribus noſtris,
tamquam peritis in arte credendum fore,
poſtquam in ea addiſcenda, ætatem, & quaſi
vitam conſumpſerunt ſicut, & medico cre-
dis in medicina, Philoſopho de Philoſo-
phia, & agrimenſori circa menſuram agro-
rum, l. ſeptimo menſe, ff. de ſtatu homi-
num, l. ſemel, Cod. de re militari lib. 12.
C. etiam ſine iuramento, vt not. in cap.
propoſuiſti de probat. quia cuilibet credi-
tur in arte, quam didicit ex profeſſo. Si-
militer, & ex decretis Pontificum, & Con-
ciliorum potuiſſem multa referre, quæ in
huius Cathedræ auctoritatem antiqui, &
ſancti Patres dixerunt, vide cap. præce-
ptis 12. diſt. cap. ità Dominus 19. diſt.
cap. omnes 22. diſt. cap. cuncta per mun-
dum, & cap. ipſi 9. quæſt. 3. vbi Gelaſius
oſtendit de omnibus mundi partibus ad
eam appellari, ab illa autem ad neminem
appellari poteſt, prout nec appellatum le-
gimus, quod profectò argumentum, & te-
ſtimonium omnibus concludere debuiſſet.
Ex Concilijs autem generalibus nullam
duxi auctoritatem hìc afferre, quia ſi legas
quatuor volumina illorum, tertio quoque
verbo reperies varias, & elegantiſſimas hu-
ius ſupremi Pontificis Romani deſcriptio-
nes in eam rem.

CAP. XXIV.

In quo declaratur, quid oues, & fideles intra hoc Ouile conſtituti agere debeant, vt tam ſanctam vnitatem conſeruent.

SVMMARIVM.

1 *Ouilis parabola, & ſignificatio oſtendit, quid fideles agere debeant.*

2 *Peccator ſi fidem conſeruet, intrà Eccleſiam eſt, qui per ſuffragia confidelium faciliùs poterit à peccatis reſurgere, quàm ſi extrà Eccleſiam eſſet.*

3 *Peccator Catholicus, licèt quò ad gratiam, & charitatem ſit mortuus, & influxus gratioſos à capite non accipiat, tamen quò ad fidem conſeruandam influxus recipit ad exemplum membri infirmi nondum à corpore abſciſſi.*

4 *Fides ſine operibus mortua eſt, & Iacobi epiſtola negatur ab hæreticis, quia eorum libidini ex diametro repugnat, ſicut, & liber Machabæorum, ſed vterque liber eſt authenticus, & receptus ab Eccleſia, ſicut Euangelium.*

5 *Hæreticorum auctoritates citata ex Sacra Scriptura ad probandam ſolam fidem ſufficere, de fide formata, & quæ per charitatem operatur, debent intelligi, nec in illis auctoritatibus legitur aliquod ſignum excluſiuum, quod dicat ſolam fidem ſufficere.*

6 *Legislator temporalis etiam in ſuis legibus, non præſumitur incontinenti ſe corrigere, nec ſibi contradicere.*

7 *Dictio excluſiua excludit id, quod eſt contrarium termino, cui adiungitur, ſicut argumentum à contrario ſenſu ſumitur ad metas, & limites verborum expreſſorum.*

8 *Fidem ſolam, qui dixerit ſufficere, intelligendus eſt iuxta proprietatem ſigni excluſiui ſolam. ſcilicet ſine humana inueſtigatione, non ſine operibus, quia hoc vltrà hæreſim, quam habet, eſt impertinens.*

9 *Fides, & humana inueſtigatio ſunt inter ſe contraria, quia fides eſt de eo, quod non videtur.*

10 *Credere in Deum, eſt amando in eum tendere.*

11 *Opera noſtra fuiſſent quaſi pannus menſtruatæ ſi non aſpergerentur rore, & ſanguine Chriſti.*

12 *Baptiſmi lauacro ſuſcepto, fide conſeruata, & operibus concurrentibus, & aſperſis in ſanguine Chriſti, gratiam Dei negotiari debemus.*

13 *Tempora ſi diſtinguas, facilè Scriptura concordabit. quæ ex cauſa, ex perſona, ex loco, & ex tempore conſideranda eſt.*

14 *Paulus, & alij Apoſtoli dubitantibus de fide, & circa operum neceſſitatem nihil ambigentibus fidem prædicabant, & aliis, qui in fide confirmati erant, ſed circa opera erant fragiles, opera prædicabant eſſe neceſſaria.*

15 *Deteriores eſſemus omnibus Barbaris, ſi operum bonorum neceſſitate non indigeremus.*

16 *Non eſt iuſtus in terra, qui non peccet, quia ſepties in die cadit iuſtus.*

17 *Excommunicati à ſuis prælatis, ſi fidem conſeruant, pertinent, & ad Eccleſiam ratione fidei, ſed quò ad ſuffragia, & participationes ab Eccleſia ſunt ſegregati.*

COnfitentes ergo vnitatem Ouilis, & Paſtoris præcipui, ac pro Chriſto Vicarij, oportet fideles poſtquam in ouile ouium intrauerint per oſtium, ac Ianuam Sacramentorum Eccleſiæ Catholicæ, id eſt Baptiſmum, vt ſupra cap. 5. dictum fuit, huic Romano Pontifici Chriſti Vicario, & beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac miniſtris ab eo præordinatis, tanquam præpoſitis obedire credentes, & obſeruantes, quod ipſi credendum docuerint,

& ob-

Digitized by Google

& obſeruandum. Vt ſicut in Ouili oues
tondentur,curantur à morbis, pariunt fœ-
tus ſuos,præbent lac, & lanam,& indè edu-
cuntur ad prata eis deſignata, ità & nos
1 intrà hoc Ouile exiſtentes patiamur no-
ſtrorum morborum curationes, etiam ſi
tondeamur per ieiunia, eleemoſynas, &
alias pœnitentiæ ſalutaris, ac bonorum
operum ſatisfactiones in confeſſione Sa-
cramentali per Chriſti miniſtros nobis in-
iunctas ad peccatorum remiſſionem faci-
liùs obtinendam,vt poſteà pariamus fœtus
noſtros, ideſt fructus ſalutares in gratia.
Et paſtores noſtri defendant nos à rabie
luporum, qui tamquam Leones rugientes
circuunt quærentes, quem deuorent. Sed
vt hæc obedientia paſtoribus noſtris exhi-
benda ab origine pertractitur,aduerte, ob-
ſecro, Catholice Lector ad ſequentia, & in-
telliges, quid te credere, & obſeruare con-
ueniat, ſi intrà hanc Eccleſiæ vnitatem
manere volueris.

2 Primò ergo debes conſiderare, quòd
qui fidem habet, & Sacramentorum com-
munionem veneratur, ſi non ſit hæreticus,
aut ſchiſmaticus, quamuis ſit peccator
multis criminibus irretitus, membrum erit
Eccleſiæ, & intrà illam manet, qui licèt ſit
infirmus, & paralyticus,faciliùs curari po-
terit, quàm qui extrà Eccleſiam ſunt, vt
ſeruus Centurionis curatus fuit mediante
oratione Domini ſui, eſt etiam peccator
iſte de piſcibus malis intrà ſagenam con-
ſtitutis, eſt de virginibus fatuis, quæ in
vna domo cum prudentibus expectabant
ſponſum, Matthæi 25. & denique ſicut ille,
qui in conuiuio non habebat veſtem nu-
ptialem; Vt ſuprà dicebam. Nam ſi pi-
ſces mali intrà ſagenam exiſtentes conua-
luiſſent, prout poterant propter mixturam
bonorum, ſi virgines fatuæ ante aduentum
ſponſi veniſſent cum oleo paratæ, & ſi exi-
ſtens in conuiuio antè ingreſſum Domini
recuperaſſet veſtem nuptialem, non vtique
condemnati fuiſſent, vndè ad hoc, quòd
vnus dicatur, & ſit membrum Eccleſiæ, &
huius Ouilis ouis, ſic in genere ſufficit,
quòd per fidem Catholicam Eccleſiæ Ro-
manæ ſit alijs admixtus, ſicut peccatores
Catholici, qui tamen ſunt in Eccleſia cum
iuſtis permixti, ità optimè Auguſtinus in
cap. eſt vnitas Eccleſiæ, de conſecr. diſt. 4.
vbi ait, eſt vnitas Eccleſiæ, quæ latè patet
in Sacramentorum communione, & ſocie-
tate, quæ complectitur paleas cum granis,
quando eas corporaliter mixtas, ità pati-
tur, vt neque illas iuſti vitent, neque ab illis
iuſti vitentur, ſic ſunt in Eccleſia homines
mali, vt in corpore humano humores ma-
li, qui interdùm exeunt ex corpore, & vt
ibi gloſſa declarat, mali paleis comparan-
tur, quia cadunt leuiter vento tentationis,
& idem Auguſt. in cap. quomodo, §. in-
duunt de conſecr. diſt. 4. dicit, induunt
autem homines ipſum Chriſtum, aliquan-
do vſque ad Sacramenti perceptionem, ali-
quando vſque ad vitæ ſanctificationem, ſi-
cut latiùs ſupra diximus.

3 Peccator ergo non proiectus ab Eccle-
ſia per hæreſim, aut ſchiſma, membrum eſt
Eccleſiæ, quamuis infirmum, in quod pro-
pter eius infirmitatem, licèt non deriuen-
tur à Chriſto capite influxus gratioſi, ſeu
gratum facientes, quia quò ad illos omni-
nò mortuum eſt, tamen quò ad fidem con-
ſeruandam influxus recipit, ſicut in corpo-
re humano videmus, quòd membra infirma,
non ità vegetantur, ſicut omninò ſana, non
quòd illa fides ſit meritoria, quæ ſine ope-
tibus mortua eſt, ſed illa pœnès eum exi-
ſtente faciliùs prouocabitur ad conuerſio-
nem, quàm ſi fuiſſet infidelis, aut hęreti-
cus, et omninò extrà Eccleſiam proiectus,
et ſic, qui fidem conſeruat ſine operibus,
licèt ſit membrum Eccleſiæ, tamen quò ad
ſtatum ſalutis mortuam habet fidem, quia
peccator eſt, nec eum ea ſola ſaluari pote-
rit, niſi etiam eum fide ſit Deo coniunctus
per gratiam, et charitatem, ad quod pro-
bandum, non oportet aliquid immorari,
niſi remittere nos ad Æchium in Enchiri-
dione titulo de fide, et operibus, vbi plures
certè, quàm ſexaginta ex ſacra Scriptura
auctoritates accumolat in eam rem, et inter
cęteras illam Marth. vlt. ad Diſcipulos, eun-
tes, docete omnes gentes, baptizantes eos in
nomine Patris, et Filij, et Spiritus ſancti,
docentes eos ſeruare omnia, quæ mandaui
vobis, et ſic non credere ſolùm, et illud Ia-
cob 2. quid proderit fratres mei, ſi fidem
quis dicat ſe habere, opera autem non ha-
beat, numquid poterit fides ſaluare eum?
Et paulò inferiùs, fides ſi non habet opera
mortua eſt in ſe ipſa.

4 Et licèt epiſtola hęc Iacobi negetur ab
hęreticis impudentibus, quia eorum libi-
dini contraria eſt; ſicut et liber Machabęo-
rum negatur ab eis, quia purgatorium ibi
ad oculum demonſtratur, tamen vltrà hoc,
quod conſtat, et epiſtolā Iacobi, et librum
Mchabęorum receptos eſſe in vniuerſali Ec-
cleſia, ſicut Euangelia, et alia volumina ſa-
cræ Scripturæ, ſunt tamen tàm innumeræ
auctoritates ab Æchio, et alijs congeſtæ ad
probandam operum neceſſitatem cum fi-
de ijs, qui ſaluari cupiunt, vt in hoc nihil
duxerim immorari, ſolùm modò hęretico-
rum Sophiſmatibus reſpondebo, vt intelli-
gat vnuſquiſque, quàm chimericis argutijs
tot homines ā fide Catholica peruerterint
hęreſiarchæ.

Adducunt ergo auctoritatem Aba-
chuc. 2. iuſtus ex fide viuit, quæ ad Roma-
nos primo reperitur, et inferunt, ergo ſola
fides ſufficit ad vitam, pręterea Ioann. 3.
qui credit in filium Dei, non condemnatur,
& Matth. 9. ſecundùm fidem veſtram fiat
vobis, & Geneſ. 3. credidit Abraham Deo,
& reputatum eſt illi ad iuſtitiam, & Ioan-
nis 5. Qui verbum meum audit, & credit ei,
qui miſit me, habet vitam æternam, & alia
his ſimilia, ex quibus perfidi contendunt
ſolam fidem ſine operibus ſufficere. His
5 omnibus auctoritatibus Catholici noſtri ſa-
tisfaciunt dicentes, eas debere intelligi de
fide formata cum virtutibus, & quæ per
charitatem operatur, de qua Paulus ad Ga-
lat. 5. dicit: In Chriſto Ieſu, neque circum-
ciſio aliquid valet, neque pręputium, ſed
fides, quæ per charitatem operatur, non
ergo ſufficit quęcumque fides, ſed eſt ne-
ceſſaria illa, quæ per charitatem, & opera

bona

bona operatur, ex qua auctoritate, & alijs
pro parte noſtra citatis dicunt debere in-
terpretari contrarias auctoritates, quibus
hætetici ſuam hæreſim moliuntur, præſer-
tim, cum nec in illa auctoritate Abachuc,
& Pauli, iuſtus ex fide viuit, nec in alijs ſit
aliquod ſignum excluſiuum, videlicèt ex
ſola fide viuit, vel qui credit tantùm, &c,
ſed abſque aliqua excluſione ſimpliciter di-
citur, iuſtus ex fide viuit, ego autem ad-
dendo dicebam, quòd quamuis ſignum
excluſiuum legeretur in prędictis auctori-
tatibus, videlicet iuſtus ex ſola fide viuit,
non propterea excluderentur opera, quæ
per tot ſacræ Scripturæ auctoritates requi-
runtur ſimul cum fide, eſſet enim reperire
contradictionem in ſacra Scriptura, quod
non eſt dicendum, quia etiam in legibus
6 temporalibus, & prophanis legislator non
pręſumitur, nec creditur ſibi ipſi contra-
dicere, leg. non ad ea ff. de condi. & demon-
ſtra. excluſiua ergo dictio iſto caſu, quam-
uis fuiſſet, non excluderet opera, & alia re-
quiſita per alios textus ſacræ Scripturæ,
ſed tantùm illud, quod eſt contrarium fi-
dei, ſcilicèt humanam inueſtigationem,
quaſi dicat, iuſtus ex ſola fide viuit abſque
humana inquiſitione, non ſine operibus,
7 dictio enim excluſiua ſolùm excludit illud,
quod eſt contrarium termino, cui adiungi-
tur, non remota, & extranea ab illo termi-
no, & quæ iam per alias leges ſtatuta fue-
runt, vt in hoc exemplo, ſufficit audire miſ-
ſam diebus Feſtis iuxtà legem Dei, illa di-
ctio, ſufficit, benè excludet dies feriales, ità
quòd in iſtis non teneamur de pręcepto
audire miſſam, & tunc erit excluſio perti-
nens ad materiam, & argumentum à con-
trario ſenſu ſumetur ad metas, & limites
verborum expreſſorum, iuxtà notata apud
nos in leg. 1. ff. de officio eius, cui mand.
eſt iuriſdict. cęterum excludere omnia alia,
videlicet ſufficit audire miſſam diebus Fe-
8 ſtis, ergo non oportet ieiunare, nec ſerua-
re alia mandata, iam vides, quàm imper-
tinentiſſima excluſio, & hęretica eſſet, ſic
in propoſito iuſtus ex ſola fide viuit, ſine
humana inueſtigatione ſcilicèt, quæ fidei ex
diametro repugnat, vt per Ambroſium in
9 ca. non turbatur 24. quęſt. 1. loquentem
de generatione diuina, quam licèt mens
nequeat humana comprehendere rationis
inueſtigatione, fidei tamen plenitudo com-
plectitur.

Et Gregorius ſuper Ioannem, fides non
habet meritum, vbi humana ratio prębet
experimentum, vt per Gloſs. 1. in cap. 1.
de ſumma Trinitate, & fide Catholica, &
Auguſt. in cap. in domo de pœnit. diſt. 4.
fides, inquit, ſubtrahit ſe, & latet, vt ſit
fides de eo, quod non vides, & indè eſt me-
ritum fidei, ſed quid aliud allego, niſi Chri-
ſtum Ioann. 20. ad Thomam, beati, qui
non viderunt, & crediderunt, & Paulus 1.
ad Corinth. 2. ſermo meus, & prędicatio
mea nō in perſuabilibus humanæ ſapientiæ
verbis, ſed in oſtenſione Spiritus, & virtu-
tis eſt, vt fides veſtra non ſit in ſapientia
hominum, ſed in virtute Dei, & ſic huma-
na tantùm inueſtigatio excluſa fuiſſet, da-
to, quod eſſet ſignum excluſiuum ibi, non
opera, nec cætera requiſita per alias ſacræ
Scripturæ auctoritates, & illa auctoritas
Ioannis, qui credit in Filium Dei, non con-
demnatur, per Auguſtinum exponitur in
cap. charitas eſt, à qua de pœnit diſt. 2. iſto
10 modo in Chriſtum credere, eſt amando in
ipſum tendere, vnde Gloſſa ibi recitat ver-
ſum hunc. Crede Deum, credaſque Deo,
plus credere valere, ſi credas in eum, quàm
quòd ei, vel eum, ſic etiam debemus dice-
re, qui credit in Filium Dei, hoc eſt, aman-
do in eum tendit, cuſtodiendoque pręce-
pta eius.

Nec illud, quaſi pannus menſtruatæ iu-
ſtitiæ noſtræ, contradicit huic Catholicæ
11 propoſitioni, licèt enim verum ſit, quòd
omnes nos ſumus immundi, & quòd opera
noſtra ſunt ſicut pannus menſtruatæ, ta-
men ſi lauentur in ſanguine agni, munda
erunt, ſicut ſtolæ, & dealbabuntur ſicut nix,
ſi aſpergantur rore paſſionis Domini noſtri
12 Ieſu Chriſti, itàque lauacro regeneratio-
nis in Sacramento baptiſmatis ſuſcepto, &
fide conſeruata, ac operibus cooperantibus,
& in ſanguine Chriſti Ieſu aſperſis, his tri-
bus copulatiuè concurrentibus, iuſtificatio-
nem, & gratiam negotiari debemus, ſata-
gentes per opera bona certa facere voca-
tionem, & electionem noſtram, de qua
electione, & gratia nullam in hoc mundo
certitudinem habere poſſumus, vt hęc om-
nia latè declarantur in 6. ſeſs. ſacri Concilij
Trid. per omnia capita illius ſeſſionis, vt ſic
eamus, & creſcamus ſemper de virtute in
virtutem, & de die in diem renouemur, in-
xtà illud, qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhùc,
& illud aliud, ne verearis vſque ad mor-
tem iuſtificari, vt cap. 10. illius ſeſſionis
legitur, ſic debent intelligi, & concordari
auctoritates ſupra citatæ, iuxtà illud Au-
guſtini in Canon. ſi peccauerit 2. quęſt. 1.
13 diſtingue tempora, & concordabit Scriptu-
ra, vbi concordat auctoritatem Pauli, pec-
cantem coram omnibus argue, cum aucto-
ritate Euangelij, ſi peccauerit in te frater
tuus, corripe inter te, et ipſum ſolum, &
beatus Iſidorus in cap. ſciendum 19. diſt. ait
Scripturæ, ex cauſa, ex perſona, ex loco,
& ex tempore conſiderari debent.

Et Gregorius ſimiliter in cap. regulæ
eadem diſt. ſed audi, obſecro, Hieronymum
eleganter hoc aduertentem in cap. neceſſe
eſt, vt iuxtà diuerſitates locorum tempo-
rum, & hominum, quibus diuerſæ ſcriptu-
ræ factæ ſunt, diuerſas cauſas, argumenta,
& origenes habeant, quomodò B. Ioannes
in Apocalypſi ſua, ſeptem Eccleſijs ſcribens,
in vnaquaque eorum, vel ſpecialiter, vel
vniuerſaliter vitia reprehendit, vel virtutes
probat, ità & ſanctus Apoſtolus Paulus per
ſingulas Eccleſia varijs vulneribus mede-
tur illatis, nec ad inſtar imperiti medici,
vno collirio omnium oculos vult curare.

Hæc Hieronymus in dict. cap. neceſſe
eſt 29. diſt. vnde ad propoſitum Paulus, &
alij Euangelici prędicatores illis, qui de
neceſſitate operum neutiquam dubitabant,
ſed in fide tantùm infirmabantur, volentes
eam ratione comprehendere, fidem præ-
14 dicabant, nullam de neceſſitate operum
mentionem facientes, poſtquam de illa
non

non dubitabant, alijs verò, qui in fide eradicati erant, operum bonorum neceſſitatem perſuadebant, in quibus fortaſſe deficiebant, vel propter extremam, & temerariam ſolius fidei confidentiam, vel propter nimiam ſpem, quam in ſola paſſione Domini noſtri reponebant, adulterantes eam, & ad licentiam peccandi peruertentes, & imaginantes nullis operibus opus eſſe ex parte eorum, quod quàm beſtiale, & indignum clarum eſt, nemo non videt, quia ſi propter Chriſtum iam paſſum liceret peccare, & ad libitum ſenſualitatis, quæ prona eſt ad
15 malum, operari, deteriores eſſemus cum tanta licentia, quò ad mores, Barbaris, qui ſine lege viuunt, & animalibus ratione carentibus.

Sed de hac tam Bruta, & Barbara hæreſi taceamus, quæ etiam ſenſus animales, non ſolùm mentem ſpiritualem offendit, eandem bonitatem, & miſericordiam trahendo ad peccandi licentiam, nec etiam repugnat in aliquo auctoritas illa Eccleſiaſtica 5. non eſt iuſtus in terra, qui benefaciat, & non peccet.

Ex qua volunt inferre, & colligere; quòd opera noſtra, quamuis bona, ſemper ſunt peccata, quia vt exponunt Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, & Auguſtinus de peccatorum remiſſione, lib. 2. c. 20. relati ab Echio in Enchiridione Tit. de fide, & operibus, ità intelligitur auctoritas illa, non eſt iuſtus in terra, qui benefaciat, & non
16 peccet alijs peccatis, videlicet, quia ſepties in die cadit iuſtus, non autem, quòd illud opus benefactum ſit peccatum, quia ſi debitis circumſtantijs ſit ornatum, iuſtitiam, & meritum operatur, ſi verò praua intentione fiat, malum erit, ſaltem non meritorium, licèt exteriùs coram hominibus bonum opus appareat.

Opus eſt ergo operibus noſtris, cum fide, & Sacramentorum communione, ac obedientia huic Chriſti Vicario, & miniſtris eius ab eo nobis prærordinatis exibenda, ad hoc, vt gratiam Domini noſtri mereamur adipiſci, licèt ad minimum in hoc Ouili.

Et ad hoc, quòd de Eccleſia dicamur, & ſimus, ſola fides cum vnitate, & præfata obedientia ſufficiant, & quamuis ſimus peccatores fragiles, & mortui quò ad gratiam, ſi tamen fidem Catholicam, & vnitatem, ac obedientiam Eccleſiæ Romanæ conſeruamus, intrà Eccleſiam quidem erimus, ſed non manebimus, nec habitabimus in atrijs interioribus eius, in quibus habitant fideles per charitatem, & gratiam operantes, & inter iſtos peccatores, quamuis fidem
17 Catholicam profiteantur, & Romanum Pontificem, vt Paſtorem huius Ouilis venerentur, ſi aliqui ſint excommunicati, & ſegregati ab Eccleſiæ conſortio quò ad ſuffragia, & orationes, ac alias Eccleſiaſticæ communionis vtilitates, tamen ratione fidei Catholicæ adhùc ad Eccleſiam pertinere dicuntur, contra Donatiſtas, qui manifeſtos peccatores affirmabant non eſſe de Eccleſia, vide latè Dominum Couarruuiam in ca. Alma mater, in initio num. 6. & Caſtrum de hæreſibus Verbo Eccleſia.

CAP XXV.

De diuerſitate manſionum huius Eccleſiæ per Ouile ouium ſignificatæ, quæ ad habitationem fidelium præparatæ reperiuntur, vnitate eius in nihilo propter hoc alterata.

SVMMARIVM.

1 *Eccleſia habet multas manſiones præparatas fidelibus iuxtà merita, & ſtatus eorum, ſicut in qualibet domo ſunt vaſa aurea, argentea, & fictilia, & quædam in honorem, quædam verò in contumeliam, vide hìc manſionum diuerſitates.*

2 *Inter fideles Eccleſiæ eſt dare intrà, & interiùs, paulò interiùs, & multò interiùs.*

3 *Eccleſiæ manſionum diuerſitas varijs figuris Teſtamenti veteris comprobatur.*

4 *Fide tantùm exiſtentes in Eccleſia, videant, ne cadant vento tentationis, quantumcumque minimo, propter obſtinationem moroſam in vitijs, contemptum doctrinæ ſanctæ, & temerariam de miſericordia Dei confidentiam, propter tempus faciendi, diſſipans legem Domini, & propter pœnitentiam vſque ad mortis articulum prorogatam, etiam à decrepitis.*

5 *Omnibus dicitur, introite portas eius in confeſſione, ſed obſeruantibus legem Dei, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, &c.*

6 *Funiculus triplex difficilè rumpitur.*

7 *Manſiones, quædam ſunt in Eccleſia ad Prælatorum, Sacerdotum, & Religioſorum habitationem, & aliæ paratæ Regibus, & ſecularibus hominibus, qui non profitentur ſtatum tam perfectum.*

8 *Eccleſia eſt Caſtrum, in quo fides eſt murus; temperantia ſenſuum eſt ianua, patientia antè murale, foſſatum humilitas, turris ſpes, cuſtos prudentia, arma opera, machinæ orationes, victualia verba Scripturæ, aqua deuotio.*

QVamquam omnes fideles, iuſti, & peccatores intrà portas huius Eccleſiæ reperiantur, vt ſæpè diximus, nihilominùs tamen in hac magna, & regia domo, quam ſibi ædificauit ſapientia, poſſumus contemplari diuerſitatem manſionum, & tabernaculorum, in quibus fideles habitant, iuxtà merita, ſtatus, & miniſteria ſua, exem-
1 plo beati Pauli Apoſtoli, qui 2. ad Thimotheum 2. in hac magna domo conſiderabat eſſe, non ſolum vaſa aurea, & argentea, ſed lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam verò in contumeliam, ſic, & nos manſionum pluralitatem poſſumus intrà domum hanc meditari, quemadmodùm in quolibet palatio, & aula regia, quædam ſunt Cellulæ, & habitacula inferiora intrà, & propè oſtia domus ſita, in quibus viliſſimi ſerui, & viliſſimis operibus emancipati ſe recipiunt.

Habet prætereà domus iſta paulò me-

liora receptacula, & famulis in paulò meliori miniſterio ſeruentibus deputata, ſed nec adhùc longè à foribus diſtantia.

Habet ſimiliter officinas altiores miniſtris in altiori officio miniſtrantibus dedicatas, habet denique tabernacula longè meliora, melioribus familiaribus pręparata, vſque quò perueniatur ad atrium domus Domini, in quo Rex Regum, & Dominus dominantium per gratiam ſuam dignatur manſionem facere, & cum ſuis, vt ipſe dicit, cęnare.

Ad hunc ergo modum domus iſtius diuinæ tabernacula in hoc mundo contemplari debemus, & curare pro viribus, vt de numero ſeruorum, qui fideles tantùm ſunt ad famulorum ſtatum, & deindè ad miniſtrorum miniſteria, & poſteà ad familiarium officiuas, & denique ad commenſalium dignitatem per fidem, & bona opera, ac gratiam Domini noſtri Aſcendere mereamur, quamuis enim omnes Catholici fideles de Eccleſia ſimus, & intrà Eccleſiam
2 maneamus, tamen inter nos eſt dare intra, & interiùs, paulò interiùs, ac multò interiùs, vt dicitur Ioann. 14. in domo Patris mei manſiones multæ ſunt, hoc eſt, quod dicitur Prouerbiorum 9. Sapientia ædificauit ſibi dumum, & excidit columnas ſeptem, hoc eſt, quod dicebamus ſupra de Arca Noe, fac tibi Arcam de lignis leuigatis, manſiunculas in Arca facies, & bitumine linies extrinſecùs, & intrinſecùs.

Et teſte Hieronymo vbi ſupra facies
3 nidulos bicamerata, & tricamerata.

Hoc eſt, quod dixit Dominus ad Moyſen, fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt, & poſteà Exodi 40. Fecit tabernaculum habens diuerſas partes, diuerſa Eccleſiæ miniſteria ſignificantes. Hoc eſt taberuaculum, quod vidit Eziehiel capit. 31. in quo de inferioribus aſcendebatur ad ſuperiora, hoc eſt templum Salamonis 3. Regum 6. quod habebat culmen inter mediaſque partes ad ima à ſuperioribus deſcendendo, hoc eſt, quod Pſal. 44. dicitur, aſtitit Regina, quæ eſt Eccleſia ſancta, à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate, & denique, qui per fidem tantùm ſunt propè hoſtia huius Ouilis, & intrà ea videant, ne cadant, & ne vento quolibet quantumcumque minimo extrà eam proijciantur propter obſtinatio-
4 nem, & vt ità dixerim, moroſitatem in vitijs, contemptum doctrinæ ſanctę, ſpem longæ vitæ temerariam de miſericordia Domini, quam adulteram confidentiam, propter tempus faciendi, quod diſſipat legem Domini, Pſalm. 118. & denique propter vanam (quæ, vt plurimùm eſſe ſolet) pœnitentiam ad articulum vſque mortis etiam à decrepitis prorogatam, quoniam ſi ſemel extrà Eccleſiam proiecti fuerint per amiſſionem fidei, quam multoties permittit iuſtus iudex propter labirinthum vitiorum, in quibus obſtinati, & doctrinæ diuinæ contemptores ſe implicant, difficulter ad Eccleſiam, & portam, quam ſemel exierunt, redibunt, ſeuit enim Demon in illos iam ab Eccleſia ſegregatos, tamquam forenſes, dicente Paulo primæ Corinthiorum quinto de his, qui foris ſunt, nihil ad nos cap. gaudemus de diuortijs, & in capit. multi 2. qu. 1. ſit ad minùs intrà domum, & orationibus fratrum adiuuabitur, ſicut dicebamus de illis, qui nudauerunt tectum, vt paralyticum ponerent in domo, in qua Ieſus manebat, oportet enim, quòd vltra fidem, quæ nos tenet intra Eccleſiam, eamus de virtute in virtutem viſuri Deum
5 Deorum in Sion. Ad omnes enim dicitur, introite portas eius in confeſſione, Pſal. 99. & lauda Hieruſalem Dominum, lauda Deũ tuum Sion, quoniam confortauit ſeras portarum tuarum, Pſalm. 147. ſed de aſcendentibus ſupra fores in tabernacula interiora dicitur Pſalmo 83. quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini, & Pſalmo 14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo, qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam, qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua, nec facit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit aduersùs proximos ſuos, &c. qui igitur in penetralibus interioribus Eccleſiæ huius habitare voluerit, fidem, Sacramentorum communionem, & gratiam, ſi eam meruerit, ſatagat conſeruare, quia ſic in aula interiori domus Domini cum Domino ipſo manebit, & cœnabit cum eo, vt dicit Dominus, veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus, ſcriptum eſt enim, quòd qui adhæret Deo, vnus Spiritus eſt cum eo, præſertim hoc triplici fidei, Sacramentorum communionis, & gratiæ Deo alligatus. Funiculus namque triplex difficilè rumpitur,
6 Eccleſiaſtes 4. & cap. 1. de treuga, & pace Authen. itàque communia de ſucceſ. tunc guſtabit, & videbit, quàm ſuauis eſt Dominus *ijs*, qui recto ſunt corde, & gaudebit, quandò dignius fuerit habitus pro nomine Ieſu contumeliam pati, & denique relinquet patrem, vxorem, & liberos, & omnia propter nomen Domini, viam perfectionis Euangelicæ profitendo, ſi autem in hoc perfectiſſimo atrio domus Domini habitare non meretur, nec ſe diſpoſuit ad tam ſublimè faſtigium, ſaltem mandata Dei, & præcepta conſeruet declinando à malo, & faciendo bonum, & ſi forſan peccatis aliquibus, ſeu tentationibus ſuperetur, quàm citò fieri poſſit, reuertatur ad Dominum per medicinam pœnitentiæ ſalutaris, & confeſſionis Sacramentalis, & vocalis, vt quæ per fragilitatem commiſit, ſtatim ſtudeat emendare, obſtinationem moroſam in vitijs, & reſiſtentiam inſpitationibus, & Conſilijs ſanctis euitando, vt ſic ſaltem in tutioribus ſeptis huius Ouilis ſe conſeruet, quamuis enim ſine gratia Domini ſaluari nequeat, maiorem tamen ſpem ſalutis retinebit, quantò magis intrà muros Eccleſiæ protegantur, quia & Spiritui ſancto quodammodo reſiſtentes in peccatis ſuis, cuiuslibet venti periculo ſunt expoſiti, ità, vt faciſſimè fidem perdant, & ab Eccleſia proijciantur, ſicut cernimus factum in vicinis noſtris, qui propter obſtinatam crapulam, & vitia inueterata nau-

ſra-

fragium in fide Catholica patiuntur.

De iſta domo, & habitantibus in ea intelligitur illud Pauli ad Hebræos tertio, Moyſes quidem fidelis erat in tota domo eius tamquam famulus, Chriſtus verò tamquam filius in domo ſua, quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam, & gloriam ſpei vſque ad finem firmam retineamus. Inuenies
7 etiam in domo iſta manſiones ædificatas, & habitationi prælatorum, ſacerdotum, & religioſorum, ac denique omnium Eccleſiaſticarum perſonarum dedicatas, & ſimiliter alias præparatas, licèt non tam politas, & perfectas hominibus ſecularibus, Regibus, & ſubditis, Dominis, & ſeruis, ſenibus & adoleſcentibus, viris, ac mulieribus cum regulis, & ornamentis neceſſarijs, ac vniuſcuiuſque ſtatui condecentibus, prout Chriſtus in Euangelio, & poſteà Paulus, & alij Apoſtoli, præſertim in epiſtolis ad Timotheum, & Titum, & poſt eos Romani Pontifices, & Concilia fabricarunt, & ornarunt, vt quilibet eligat, & capiat, quam capere poſſit ex illis, & eius, quam elegit, & aſſumpſit, terminos non tranſgrediatur, vnitas enim iſtius vnicæ domus in nihilo propter hoc alteratur, quia in qualibet ciuitate, quæ dicitur ciuium vnitas, videmus homines diſparis profeſſionis commorari, vnitate tamen ciuitatis, & Principis eam gubernãtis ſemper ſalua, licèt ipſi diuerſos ſtatus, & ſingulas viuendi formulas profiteantur, & in ouili reperiuntur oues varij coloris, & diuerſarum ſpecierum, vni tamen paſtori obedientiam omnes exhibentes, vt Geneſeos 30. in illo exemplo Iacob, quando dixit ad ſocerum Laban, gira omnes greges, & quodcumque fuluum, & maculoſum, variumque fuerit, tam in ouibus, quàm in capris, erit merces mea, & ſic ditatus eſt homo vltra modum, eodem modo, neque diuerſitas ſtatuum, nec religionum offendit vnitatem Eccleſiæ, ſi priùs per illam confirmatæ reperiantur, vel de nouo approbentur per Sedem Apoſtolicam, quia nulla ſine eius aſſenſu poteſt inſtitui, licèt perfectiſſima videatur, ne ſub ouina pelle gregem Domini cum Lupus inuadat, & ſub prætextu conuerſationis Angelicæ, incautis mentibus Spiritus malignus illudat, vt dicit extrauagans ſancta Romana de religio. domib. Ioannis Papæ 22.

8 Et ad ſenſum habitandi, ſcilicet in interiobus penetralibus huius Eccleſiæ per fidem, & gratiam ſimul debet intelligi, quod eleganter dicebat Archidiaconus noſter in cap. extrà 1. quæſt. 1. quòd Eccleſia eſt caſtrum, in quo fides eſt murus, temperantia ſenſuum eſt ianua, patientia ante murale, foſſatum humilitas, turris ſpes, cuſtos prudentia, arma opera, machina orationes, victualia verba ſcripturæ, & aqua deuotio, & ſi iſto modo intrà Eccleſiam hanc ſanctam habitauerimus, ne ab Ouilis parabola recedamus, poterimus cum regio Propheta dicere Pſalm. 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco Paſcuę ibi me collocauit.

Super aquam refectionis æducauit me, per Baptiſmum ſcilicet, animam meam conuertit per pœnitentiam, deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ propter nomen ſuum. Nam, & ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, Virga tua, & baculus tuus iſte paſtoralis, ipſa me conſolata ſunt. Paraſti in conſpectu meo menſam, Sacramentorum videlicet, præſertim Euchatiſtiæ Sanctiſſimæ, impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians, quàm præclarus eſt, & miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ, & vt inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum, & Pſ. 121. in domum Domini ibimus, ſtantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Hieruſalem, & iterum Pſalm. 25. vnam petij à Domino, & hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ſic etiam intelligi poſſunt multæ aliæ auctoritates ſacræ Scripturæ, quæ ad hoc propoſitum accumulari potuiſſent, quibus adde carmen Virgilij Georgicorum 3. dicentis, non Lupus inſidias explorat Ouilia circũ, & ideò dicebat obſcurus, quòd ouis de domo vix eijcitur, & deiecta ſtatim recurrit, vt ſic imitemur oues in Ouili manentes.

Studeamus ergò per fidem, & gratiam intrà hanc domum inhabitare, aut ſaltem fidem conſeruemus, quia licèt ſine gratia, & operibus mortua ſit, tamen, vt paralytici, & infirmi in domo Dei (quæ eſt Eccleſia) manentes, faciliùs poterimus à languoribus noſtris curari, & à luporum inſidijs defendi, quàm ſi extrà fores Eccleſiæ proiecti diuagaremur tamquam pecora errantia, de quibus dicebat Abachuc Propheta cap. 3. abſcindetur de Ouili pecus, & non erit armentum in præſepibus, ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo, ad quod, obſecro, aduertant paſtores, & cuſtodes particularium Ouilium, ſeu Eccleſiarum, quamuis enim nec Ouile vniuerſale, nec paſtor vniuerſalis deficere poſſit, vt ſupra diximus, aliqua tamen Ouilia particularia propter negligentiam ſuorum paſtorum defecerunt.

Ad quos poteſt referri illud Ouidij 1. triſtium eleg. 5. in cuſtoditum captat ouile Lupus, & habitant tepidis in ouilibus agni. Vt dicit idem Ouidius 13. Metamorphoſeos, vnde quò ſecuriora ſint Ouilia, à ſerpentibus exitioſis, & ſtercore, ac cœno mundiora, debent frequenter euelli, & purgari, nec non, & odores herbarum grauè olentium in ouilibus admoueri ad fugandas beſtias, & viperas, ibi latentes, iuxtà illud Vergilij lib. 3. Georgicorum: diſce, & odoratam ſtabulis accendere cedrum, galuaneoque agitare graues nitore chelidros, ſæpè ſub immotis præſepibus, aut mala tactu, vipera delituit, cætumque exterrita fugit, aut tecto aſſuetus coluber ſuccedere, & vmbræ, peſtis acerba boum, pecorique aſpergere virus, quod etiam conſuluit Columella, & qui de conſeruandis Ouibus deſcripſerunt, per quem odorem exempla bonorum operum, & virtutum intelligit Gregorius in Euangelio reſurrectionis, quando ſanctæ mulieres venerunt cum aromatibus vngere Dominum, habeant etiam ſancti paſtores in ouilibus

ſuis canes iatrare valentes, & non mutos. quales ſunt prædicatores, confeſſores, parochi, & alij mioiſtri, quia in Ouili, vt dicebat Virgilius 3. Georgicorum, nce tibi cura canum fuerit poſtrema, ſed vna, veloces ſpartæ catulos, actemquc moloſſum. Paſce ſero pingui, numquam cuſtodibus illis, nocturoum ſtabulis furem, incurſuſque luporum. aut impacatos à tergo horrebis iberos. quem verſum, Paſce ſero pingui, prælati ponderent, vt congruam largiantur mercedem ſpiritualibus miniſtis, nam qui altario ſeruit, de altario quoquc coogtuè viuere debec, 1. ad Corinth. 9. capit. cum ſecundùm de preb.

CAP. XXVI.

In quo explicat:r, vnde ſit colligenda fides neceſſaria ad manendum intrà portas huius Ouilis, quod eſt Eccleſia, & opera requiſita ad habitandum in atrijs interioribus Eccleſiæ.

SVMMARIVM.

1 *Fides, & opera ad ſalutem neceſſaria, ex ſacra Scriptura, decretis Romanorum Pontificum, & Conciliorum, ac conſuetudinibus Eccleſiæ per Chriſti Vicarium approbatis, colligenda ſunt.*

2 *Scriptura ſacra eſt teſtamentum vetus, & nouum, & hìc teſtamenti veteris libri numerantur iuxtà Concilium Tridentinum ſeſſione 4. cap. 1.*

3 *Tranſlationes octo teſtamenti veteris præter vulgatam recenſentur.*

4 *Ex teſtamento veteri, quæ debeant fideles aſſumere, hìc latè explicatur, in totum explosa obſeruatione legalium, & cæremonialium præceptorum illius legis, quæ iam ceſſauit.*

5 *Eccleſiæ, & Romani Pontificis auctoritas conſideranda eſt circa electionem verioris tranſlationis.*

6 *Teſtamenti noui volumina recenſentur.*

7 *Euangelium dicitur ab eo, quod eſt bonum, & Angelos nuncium, quaſi bonum nuncium, & liber eius omnibus diuinæ Scripturæ paginis antecellit.*

8 *Euangelia in plurali dicebantur præmia, & ſacrificia, quæ pro iucundo nuncio decernebantur.*

9 *Hæretici etiam in diuino Euangelij tritico ſeminarunt zizania, confingentes Euangelia nomine aliquorum Apoſtolorum.*

10 *Cathedra Petri reprobauit Euangelia nomine Thomæ, Andreæ, Thadæi, & Barnabæ conficta, & ſola Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis Euangelia approbauit, in quo auctoritas eius inſpicitur, cum Marcus, & Lucas non Chriſti, ſed Apoſtolorum diſcipuli fuerint.*

11 *Euangelio non fuiſſet credendum, niſi ad id auctoritas Eccleſiæ moueret, nec eſt recipiendum, quod Eccleſia non recipit, teſte Auguſtino, & Hieronymo.*

12 *Actus Apoſtolici aliorum nomine deſcripti reprobantur ab Eccleſia, ſolo libro beati Lucæ ad Theophilum approbato.*

13 *Hæretici prela, & impreſſiones corrumpunt, & Euangelij textus adulterant, ideò cautè in eorum lectione procedendum eſt, vt legatur, quod approbat Eccleſia, & iuxtà eius interpretationem, quia ſunt difficilia in ſacra Scriptura his, qui pereunt.*

14 *Præcepta à Conſilijs (licèt omnia dicentur per verba imperatiui modi in ſacra Scriptura) fuerunt per Cathedram Petri diſtincta, & hoc erat vtile ſcire, quia præcepto non obedire peccatum eſt, conſilio autem ſi vti nolueris, minùs boni adipiſceris.*

15 *Verba vbi faciunt ambiguam Scripturam, ſi diſtinctione non concordentur, conſulenda eſt Cathedra Petri.*

16 *Apoſtoli dicuntur Paſtores, cuſtodes murorum Hieruſalem, pincernæ, lapides precioſi, Architecti, doctores, montes, & fontes. & Iacobi epiſtola inter diuina volumina numeratur.*

17 *Apoſtoli multa nos docuerunt, quæ in Euangelio ſcripta non legimus.*

QVi per fidem Catholicam intrà portas Eccleſiæ conſtituitur, licèt peccator, de Eccleſia eſt, non tamen cum hoc ſaluabitur, niſi & opera, ſine quibus fides mortua eſt, operetur, vnde autem colligere debemus fidem, & opera neceſſaria ad ſalutem, ne incerti, & confuſi diuagaremur dicentes, ecce hìc eſt, ecce illic, ecce in penetralibilibus, ecce in deſerto eſt Chriſtus, traditur Catholica hæc vniuerſalis regula, quæ nos omni tranquillitate tranquilliores efficiet, ſcilicet ex ſacra Scriptura, decretis
1 Romanorum Pontificum, & Conciliorum, ac conſuetudinibus Eccleſiæ per Chriſti vicarium approbatis, id totum debere deduci. Hoc vnico, ac perbreui principio negotium iſtud abſoluitur, hoc debet eſſe fidelium aſylum, & refugium. Quò ad ſa-
2 cram Scripturam, quæ eſt teſtamentum vetus, & nouum, iuxtà tex. in can. quis neſciat 9. diſt. notandum eſt, quòd teſtamentum vetus comprehendit ſub ſe varios libros, nempè.

Geneſim, Exodum, Leuiticum, Numeros, Deuteronomium, librum Ioſue, & Iudicum, Ruht, quatuor libros Regum, duos libros Paralipomenon, libros Eſdræ, Thobiæ, Iudith, Heſter, & Iob, Pſalmos Dauid, & opera Salomonis, ſcilicèt Prouerbiorum, Eccleſiaſtes, Cantica Canticorum, Sapientiæ, & Eccleſiaſtici, libros Prophetarum, Eſaiæ, Hieremiæ, & Lamentationum eius, Baruch, Ezechielis, Danielis, Oſeæ, Iohelis, Amos, Abdiæ, Ionæ, Michææ, Naum, Abachuc, Sophoniæ, Aggei, Zachariæ, & Malachiæ, & denique duos libros Machabæorum, vt Concilio Tridentino ſeſſione 4. cap. 1. recenſentur, circa quos, antequam deueniamus ad Teſtamentum nouum, aduertendum eſt, quò ad tranſlationem, lectionem, & intelligentiam iſtorum voluminum.

3 Quòd vt optimè declarat Pater Nicolaus Ramos libro ſuo de auctoritate edi-

tio-

tionis vulgatę ad finem, in quęſt. 4. pluries translati fuerunt libri iſti, & variè; primo loco poſt captiuitatem Babylonicam, & quando poſt diuturnum ſeptuaginta annorum exilium vulgus Hebręum maternam linguam obliuioni tradiderat, vetus Teſtamentum in Syriacam, ſeu Chaldaicam linguam, qua Hebręi eo tempore vtebantur, tranſtulere viri tres, videlicet Onchelos legem, Ionatas Prophetas, Rabi Ioſeph Pſalmos, Prouerbia, Iob, & alia, quæ Agiographa nuncupantur, vbi ad hoc comprobandum allegat Eliam Leuitam, ſecunda verò translatio fuit per ſeptuaginta interpretes tempore Ptholomęi Philadelphi Regis, & mandato Eleazar ſummi Sacerdotis, licèt alij velint fuiſſe ſeptuaginta duos, ſenos videlicet ex vnaquaque duodecim tribuum, tertia fuit translatio in linguam Gręcam cuiuſdam Aquilæ, Syropheuſis multis annis poſt illam ſeptuaginta interpretum verſionem, & poſt Chriſti paſſionem, nempè ſub Adriano Imperatore, quartam translationem edidit quinquaginta, & ſex annis poſteà, & ſub Seuero Imperat. Immachus quidam Samaritanus, quinta fuit Theodotionis Epheſij imperante Commodo, ſexta incerti auctoris ſub Carcalla Imperatore inuenta eſt in Ierichо operta dolio, ſeptima fuit ſine auctoris nomine ſub Alexandro Mammea Imperatore Nicopoli Epiri oppido, & promontorio, octaua autem verſio facta fuit à Luciano martyre, & Heremita apud Nicomediam manu eius ſcripta, deindè inuenta ſub Conſtantino Magno Imperatore.

Quas omnes octo verſiones Origenes in octapolis poſuit, ornans eas aſteriſcis, & obelis, ac obſcuritates earum illuminans, poſteà verò ſuperuenit editio vulgata, quam Eccleſia Romana probauit tamquam & verbis fideliorem, & ſententijs clariorem, quęque communiter, & quaſi ab omnibus beato Hieronymo attribuitur, & hęc eſt illa, quæ in ſacro Tridentino Concilio probatur.

Debet etiam catholicus lector, in le-
4 ctione Teſtamenti veteris, & librorum ſuprà citatorum aduertere, quòd de illis pręcepta moralia ſumere debet, & obſeruare, ſicut ſunt præcepta Decalogi, & alia, quæ ad morum ædificationem pertinent, non cœremonialia, & legalia, quia illa tamquam figura, & vmbra, adueniente luce, & veritate, ceſſarunt, vt per Paulum ad Hebræos 19. & Ambroſium in cap. reuera de pœnitent. diſt. 2. de hoc eſt apud nos gloſs. notab. in cap. non eſt peccatum, §. his itàque 6. diſt. & denique ex Teſtamento veteri eſt ſumendus ſenſus literalis, & hiſtoricus, vt credamus ità literaliter contigiſſe, quod legimus, ſicut ibi factum refertur.

Et allegoricus, vt verbis, & rebus illis myſticis præſentia Chriſti, & Sacramenta, quæ poſteà ab ipſo inſtituta fuerunt, ſignata, & figurata credamus, & anagogicus, vt per figuram, & ſimilitudinem multorum exemplorum, quæ ibidem referuntur, cœleſtem Hieruſalem, & vitam æternam appetamus.

Et denique tropologicus, & moralis ſenſus in ijs, quæ ad Decalogi obſeruationem, & morum noſtrorum ædificationem in Eccleſia noſtra recepta intelligimus. Nam quò ad legalium, Sacramentalium, & cœremonialium obſeruationem, iam lex illa, translato Sacerdotio, ceſſauit, iuxtà illud Pauli, translato Sacerdotio, neceſſe eſt, vt legis translatio fiat, ad Hebræos tranſumptiuè in cap. translato, de conſtit.

Et in hoc etiam conſideranda eſt auctoritas Eccleſiæ noſtræ, & Paſtoris pro Chriſto Vicarij, quoniam licèt translationes multæ fuerint, tamen verior electa eſt ab ipſis Paſtoribus noſtris, vt omnis confuſio tolleretur de cordibus fidelium, & licèt per Apoſtolos iam legalium ceſſatio nobis fuiſſet animaduerſa, Actuum 15. tamen in particulari digeſta fuerunt nobis per Sedem Apoſtolicam, & Cathedram Petri moralia, quæ tenere debemus, & obſeruare vſque ad ſanguinem, & exploſa cœremonialia, legalia, & Sacramentalia illius Teſtamenti veteris, quæ licèt credere facta debemus, & ſuper eis allegorizare, & anagogizare permittatur, tamen tropologizare, & operari omninò interdictum eſt nobis ſub pœna prodita contra Iudæorum rituum obſeruatores.

Et ſimiliter Lex vetus Euangelio eſt coniungenda, non dilanianda, vt Manichæus, & Marcio dilaniabant dicentes, vetera tranſierunt, ecce noua facta ſunt omnia, vt ſupra cap. 5. ex Fabro dicebam allegando Hieronymum cap. 11. ſuper Eccleſiaſtem.

Debent etiam omnes libri ſupracitati venerari, & inter eos libri Machabæorum, quicquid hæretici contra eos garrulent, quòd non habeantur in canone Hebræorum, quia, teſte Hieronymo, in prologo ſuper illis libris ab Eccleſia inter diuinorum voluminum hiſtorias annotantur, in quo etiam conſideranda eſt auctoritas Eccleſiæ, & hæc quò ad Teſtamenti veteris libros aduertiſſe ſufficiat, vt ex eorum lectione fructum conſequamur optatum.

Quò ad Teſtamentum nouum ſimiliter dicimus illud conſtare ex Euangelijs Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis, ex epiſtolis Pauli, vna ad Romanos, duabus ad Corinthios, vna ad Galathas, altera ad Ephæſios, ad Philippenſes, alia ad Coloſſenſes, duabus ad Theſſalonicenſes, duabus ad Timotheum, vna ad Titum, altera ad Philemonem, & vltima ad Hebræos.

Et ſimiliter conſtat nouum Teſtamentum ex Actis Apoſtolorum diui Lucæ, & ſeptem canonicis epiſtolis, vna Iacobi, duabus Petri, tribus Ioannis, & vnica Iudæ Thadæi, & ex libro Apocalypſis B. Ioannis Apoſtoli, ſed inter cæteros libros veteris, & noui Teſtamenti ſupra omnes eminet liber Euangelij, à quo primiùm ſalus noſtra dependet, iuxtà illud Marci vlt. Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur, & propterea dictum eſt Euangelium ab eu, quod eſt bonum, & Angelos nuncium, quaſi bonum nuncium, vt per Archid. in cap. legi-
7 mus, 93. diſt. de quo Euangelio dicit Auguſti-

guſtinus in prologo ſuper Ioannem, quod
omnibus diuinæ Scripturę paginis antecel-
lit, quia, teſte Athanaſio, ſalutem nunciat
omnibus Filijs Dei, & teſte Euſebio de prę-
paratione, quia æternorum, atque incor-
ruptibilium donorum, quæ ſuprema,& ma-
xima ſunt, aununciat, vnde apud Græcos
dicebantur Euangelia in plurali ſacrificia,
8 & præmia, quæ pro iucundo nuncio decer-
nebantur, iuxtà illud Marci Tullij Cice-
ronis ad Atticum; O ſuaues duas epiſto-
las, quibus Euangelia deberi fateor, &
Plutarchus in vita Demoſthenis ait, Audi-
ta morte Philippi, Euangelia ſacrificaue-
runt, & apud nos eſt textus in l. falſus,
§.qui alienum, quid ff.de furtis, ſic inter-
pretatus à Budeo in anuotationibus prio-
ribus ad Pandectas fol. mihi 322. ſuper di-
cta l. falſus, ſed his omiſſis, Euangelium
noſtrum, per antonomaſiam dicitur bonum
nuncium, & aliorum omnium ſupremum.
Circa hoc etiam genus Scripturæ tam ne-
ceſſariæ, & in hoc diuino tritico ſuperſe-
minarunt Hæretici zizania, confingentes
9 Euangelia nomine Thomæ, Andreæ, Thad-
dæi, & Barnabæ, quæ per Cathedram hanc
ſanctiſſimam reprobata fuerunt, vt in ca-
pite Sancta Romana Eccleſia, 15. diſtinct.
Ex quo profectò magnoperè confirmatur
auctoritas Cathedræ huius, quæ approba-
10 uit Euangelia Marci, & Lucæ, qui non
Chriſti, ſed Apoſtolorum Diſcipuli fuerunt,
& reprobauit Euangelia Thomæ, Andreæ,
& Thaddæo attributa, qui Chriſti Apoſtoli
fuerunt, & eum in carne viderunt. Vnde
Auguſtinus contra Manichæos audacter,
11 & perſanctè dixit, Euangelio non crede-
rem, niſi ad id Eccleſiæ auctoritas me mo-
ueret, & Hieronymus, quid neceſſe eſt
in manus ſumere, quod Eccleſia non rece-
pit?

Similiter & in Actibus Apoſtolorum, à
quibus recedere non licet, cap. hoc veſtræ
11.diſt. & in cap. ſunt quidam, & in cap.
omne, quod 25. quæſt.1. fuerunt enim, &
ipſi Patres Eccleſiæ, vt per Vrbanum Pa-
pam, & Auguſtinum in cap. quorum vices,
68.diſt. fundamenta Eccleſiæ, & baſes, &
columnæ eius, vt per Niculaum Papam in
cap. fundamenta, de elect. lib.6. & per Au-
guſtin. in Can. cùm igitur, §. eſt autem,
3.qu.1. circa igitur acta iſtorum, qui an-
nunciauerunt opera Dei, & facta eius in-
tellexerunt, & de quibus dixit Chriſtus:
qui vos audit, me audit, & qui vos ſper-
nit, me ſpernit, Lucæ 10. tranſumptiuè in
cap. qui vos ſpernit, 8.qu.1. videmus etiam
ab Hæreticis fuiſſe inuoluta Acta Apoſto-
12 lorum nomine Petri, Andreæ, Thomæ, &
Philippi Apoſtolorum, & per ſanctam Ro-
manam Eccleſiam condemnata, ſolis Actis
Apoſtolorum approbatis, quæ nomine Lu-
cæ Euangeliſtæ deſcripta fuerunt ad Theo-
philum. Magna ergo eſt auctoritas Sedis
Apoſtolicæ, quæ inter librum, & non li-
brum, ſicut inter lepram, & non lepram,
vt in illa auctoritate Deuteronomij diſtin-
guere didicit magiſterio Spiritus ſancti,
aliàs enim tot nominibus Euangeliorum,
& Actuum Apoſtolicorum confuſi, & tur-
bati fuiſſemus. Et ità ad extirpandum
confuſionem iſtam, neceſſaria fuit huius
ſanctiſſimi Vicarij, & pro Chriſto Paſtoris
auctoritas.

Prætereà circà ſacræ Scripturæ, & no-
ui Teſtamenti intelligentiam debet conſi-
derari, quòd Hæretici, quæ ſua fuit ſem-
per ſolita impudentia, & temeritas, non-
nullos textus adulterant, ad ſuos ſenſus re-
probos trahentes, vt dixit Clemens Papa
in Canon. relatum, 37. diſt. & in Canon.
hæreſis, vbi Hieronymus, 24.qu.3. etiam
13 pręla, & impreſſiones corrumpendo, & ideò
opus eſt, vt in lectione ſacræ Scripturæ
cautè procedatur, legendo ſolùm ea, quæ
per ſanctam Eccleſiam approbata reperiun-
tur, & iuxtà ſenſum, & intelligentiam
communiter à ſanctis Patribus receptam,
nouas fugientes interpretationes, præſer-
tim cum in ſacra Scriptura reperiantur ali-
qua difficilia intellectu, vt de epiſtolis Pau-
lis dicebat beatus Petrus vltimo cap. ſuæ
ſecundæ canonicæ, in quibus ſunt quædam
difficilia intellectu, quæ indocti, & inſta-
biles deprauant, ſicut & cæteras Scripturas
ad ſuam ipſorum perditionem. Et beatus
Paulus ſecundæ ad Corinth. quarto, oper-
tum eſt Euangelium ijs, qui pereunt. Et
Deuteronomij 17. dicitur, ſi difficile, &
ambiguum, &c. vt ſuprà latè dictum fuit,
cap. 13.

14 Eſt etiam aduertendum, quòd quam-
uis in Euangelio, & Lege noua, quaſi om-
nia præcipiantur per verba imperatiui mo-
di, multa tamen ſunt de præcepto, & multa
de conſilio, iuxtà diſtinctionem, & decla-
rationem Eccleſiæ Catholicæ, de quibus
apud nos agit Archidiaconus in cap. vti-
nam, 76. diſtinct. & Panormitanus, & alij
in cap. nam concupiſcentiam de conſtitut.
& apud Theologos, ſanctus Thomas 2. 2.
quæſt. 86. art. penult. de quo etiam dicebat
Paulus ad Corinthios, de virginibus præ-
ceptum Domini non habeo, conſilium au-
tem do. & Auguſtin. in cap. quod debetur,
& in Canon. quiſquis, 14.qu.1. vbi ait, qui
præceptis non obtemperat, reus eſt, & debi-
tor pœnæ, præcepto enim non obedire, pec-
catum eſt, conſilio autem ſi vti nolueris, mi-
nùs boni adipiſceris, non malum perpetra-
bis, & Gregorius ibidem dicebat, quod
præcipitur, imperatur, quod imperatur, ne-
ceſſe eſt fieri, ſi non fiat, pœnam habet, vbi
verò conſilium datur, offerentis arbitrium
eſt.

Ad hæc igitur omnia radicitùs intel-
ligenda, neceſſaria erat iſtius Magiſtri ſu-
premi, & viſibilis auctoritas, qui nos do-
ceret, mediante Spiritu ſancto, quo regitur,
veritates iſtas, à quibus ſalus noſtra de-
pendet, vt ſicut Synagogæ prouidit Moy-
ſes de Doctoribus, ſic etiam Chriſtus ſuæ
dilectiſſimæ Eccleſiæ prouideret, vt dixit
beatus Gregorius Nazianzenus, cum po-
tior ſit lux, quàm vmbra, veritas, quàm
figura, vt per Ambroſium in dicto cap. re
vera, vnde Auguſtinus lib. 3. de doctrina
Chriſtiana cap. 2. ait, cum verba faciunt
ambiguam Scripturam, primò prouiden-
dum eſt, ne malè diſtinxerimus, aut pro-
nunciauerimus, & cum adhibita intentio
15 incertum eſſe præuiderit, quomodo diſtin-
guen-

guendum ſit, aut pronuntiandum conſulat regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis Eccleſia percepit, & denique, vt refert Faber tract.4.text.5. Cyprianus, Hieronymus, Auguſtinus, Athanaſius, Hilarius, Ambroſius, & omnes alij ſancti Patres ad veram Scripturæ ſacræ intelligentiam ſemper Romanum Pontificem conſuluerunt, & ad illum confugerunt, tanquam ad tutiſſimum portum.

Circa Actus, & epiſtolas Apoſtolorum, ac beati Ioannis Apocalypſim, nihil aliud, quàm quod circa Euangelium diximus, aduertere oportet, niſi quòd ipſi ſtatuerunt multa ad fideliũ directionem, quæ à Chri-
17 ſto præcepta in Euangelio non legimus, vt eſt videre. Actuum 15. & in epiſtolis Pauli, vt dicit eleganter Ioannes Faber tract.4. text.25. vt apud nos eſt text. elegans in cap. cùm Marthæ de celeb. Miſſar. ibi ſanè multa tàm de verbis, quàm factis Dominicis inueniuntur ab Euangeliſtis omiſſa, quæ Apoſtoli, vel ſuppleuiſſe verbo, vel facto expreſſiſſe leguntur, vide ibi exempla.

18 Et propterea dicuntur Apoſtoli Paſtores, cuſtodes murorum Hieruſalem, pincernæ, lapides pretioſi, Architecti, Doctores, montes, & fontes, vt per multa probat eleganter idem Faber tract. 5. text. 25. Et ideò libri præfati de Actibus Apoſtolicis, & reuelationibus eorum inter ſacræ Scripturæ, & Bibliæ volumina connumerantur, & inter cæteras epiſtola canonica beati Iacobi, quam Heretici negant, propterea, quòd ſuis hereſibus, & licentiæ peccandi, quam prætendunt, repugnat, dum dicit, quid proderit fratres, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat, & fides ſine operibus mortua eſt, quemadmodùm, & negabant librum Machabæorum, quia ad literam probat Purgatorium, (quod ipſi Hæretici negant) in illo memorando exemplo Iudæ Machabæi, qui duodecim millia dragmas argenti miſit Hieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum, &c. Sed quicquid garrulent, epiſtola Iacobi ab Eccleſia recepta, & inter alias canonicas epiſtolas Apoſtolorum, & libros Bibliæ, & ſacræ Scripturæ computatur, vt dicit Hieronymus in Prologo ſuper eam, ſicut & de libris Machabæorum ſuprà concluſimus.

Ex his ergo libris potiſſimùm colligenda ſunt fides, & præcepta, quæ credere, & obſeruare debemus, eo modo, quo ſuprà fuit declaratum ſæpè ſæpiùs, vt licèt Fides Catholica ſit ſufficiens ad conſeruandum nos intra portas Eccleſiæ, tamen ad gratiam conſequendam, et habitandum in atrijs domus Domini opera requiruntur.

CAP. XXVII.

De Decretis Romanorum Pontificum, & Conciliorum generalium, ex quibus neceſſaria ad ſalutem æternam colligere debemus vltrà Euangelia, & alia ſacræ Scripturæ volumina.

SVMMARIVM.

1 *Romani Pontifices multa ſtatuerunt pro temporum, & locorum neceſſitate, quæ ab Apoſtolis ſtatuta non fuerunt.*

2 *Romanus Pontifex, licèt quod à ſe ſolo ſtatuit ad fidelium gubernationem, de Spiritu ſancto ſit, tamen ſuper negotijs grauioribus exemplo beati Petri Concilia generalia conuocat.*

3 *Diſpoſitum à pluribus in Concilio legitimè congregatis, & in vnum collectis, à Spiritu ſancto diſpoſitum eſt, & recipi debet, etiam nulla alia percepta ratione, niſi quia ibi diſpoſitum eſt.*

4 *Conciliorum conuocatio pertinet ad Romanum Pontificem.*

5 *Moyſes etiam conuocauit Concilium, & quod reſponderunt ei Seniores, dicitur reſpondiſſe vniuerſus populus per Seniores repræſentatus.*

6 *Seculares abſtinere debent à deciſione ſpiritualium, de quibus agitur in Concilijs.*

7 *Conciliorum volumina varia ſunt, ſed vt quatuor paradiſi flumina veneratur Eccleſia Nicænum, Conſtantinopolitanum Epheſinum, & Chalcedonenſe, quia hæreſes multæ damnatæ ſunt in eis.*

8 *Concilium Tridentinum ſummè venerandum, in quo tota hæreticorum noſtri temporis ſpurcitia fuit damnata.*

9 *Concilij conſtitutio habet inuiſceratam clauſulam derogatoriam, ita quòd ei non cenſeatur derogatum, niſi dicatur non obſtante Concilio generali.*

10 *Romanus Pontifex difficiliùs diſpenſat contrà conſtitutionem Concilij generalis, quàm contrà canones alios, præſertim ſi ſit lex illorum quatuor Conciliorum.*

11 *Integrum eſt iudicium, quod plurimorum præſertim Seniorum ſententijs confirmatur, vide multa in honorem antiquitatis.*

12 *Concilium, an ſit ſuprà Papam, breui reſolutione continetur, & concluditur quæſtio iſta.*

13 *Papa diſpenſat ſuper Apoſtolorum præceptis, modò non ſit contrà articulos fidei, & Concilijs poteſt derogare.*

14 *Conciliorum ſtatuta licèt condantur magiſterio Spiritus ſancti, tamen quia per media, & organa hominum conduntur, dicuntur leges humanæ, & ideò non eſt mirandum, ſi iuxtà varietatem temporum, & morum varientur.*

15 *Chriſtianitas ideò in diuerſas hæreſes ſciſſa eſt, quia non erat licentia Epiſcopis conueniendi in vnum.*

16 *Romanus Pontifex in his, quæ vt publica* per-

perſona,& vt Papa deliberat ad fidclium
inſtructionem, errare non poteſt.

QVemadmodùm multa ab Apoſtolis
ſtaruta fueruut, quæ à Chriſto præ-
cepta in Euangelio non legimus, vt capite
præcedenti concluſimus, ſic etiam multa-
opporeuna pro temporum, & locorum ne-
ceſſitate, ac varietate diſpoſita ſunt per
1 ſummos Pontifices Chriſti Vicarios, quæ
ab Apoſtolis non inueniuntur ordinata,
reſpondendo conſultationibus fidelium de
ijs, quæ ad fidem, ad intelligentiam ſacræ
Scripturæ,ad tranquillitatem Eccleſiæ, ad
conſeruationem pacis, ac litium, & nego-
ciorum aliorum deciſiones attinebant,
quod fiebat communiter per decretales
epiſtolas, vel etiam motu proprio,aut cum
Conſilio Dominorum Cardinalium, quos
à latere haber, vel denique ſi negotij gra-
uitas poſtulabae, conuocando Concilium
generale, vt integrum magis iudicium vi-
deretur, quod plurimorum ſeutenrijs con-
firmaretur, cap. prudentiam de officio de-
leg. licèt enim, quod à ſe ipſo ſolo Roma-
no Pontifice ordinatur in his, quæ ad fide-
lium gubernationem pertinent, de Spiritu
ſancto eſſe credendum ſit,tamen Romanus
2 Pontifex pro ſua clementia, & benignita-
te ſuper negotijs grauioribus Concilia ge-
neralia conuocare exemplo beati Petri præ-
deceſſoris ſui, qui Concilia Apoſtolorum,
vt eſt in actis eorum, ſtaruit in electione-
Matthiæ Apoſtoli, & ceſſatione legalium
ordinanda. Quod ad Romani Pontificis
Chriſti Vicarij auctoritatem ſpectat, iam
in ſuperioribus explicatum fuit. Modò
ad ſola Conciliorum decreta deuenio, vt
deciſionibus eorum ſubijciantur omnes,
etiam nulla alia percepta ratione, niſi quia
ibi hoc, vel illud ſtatutum eſt. In primis
ergo præmittendum erit, Concilia iſta ge-
neralia à Spiritu ſancto, ſi fuerint legitimè
congregata, gubernari, juxtà illud Mat-
thæi 18. vbicumque duo, vel tres congre-
gati fuerint in nomine meo, ibi ego ſum in
medio eorum, cap. alienus eſt 24. quæſt. 1.
& itâ, Actuum 15. in illo Concilio de ceſ-
3 ſatione legalium meritò vſi fuerunt Apo-
ſtoli præceptores noſtri ſtyllo illo, viſum-
eſt Spiritui ſancto, & nobis, qui paulò ſu-
periùs dixerant, placuit nobis collectis in
vnum, & in primo Apoſtolorum Concilio,
vbi agebatur de electione Apoſtoli in lo-
cum proditoris Iudæ, ideò deprecabantur
Deum, dicentes, tu Domine, qui noſti cor-
da hominum, oſtende, quem elegeris ex
his, quia credebant certò certiùs Spiritum
ſanctum directurum fuiſſe eos,vt iuxtà Do-
mini voluntatem, licèt per ſortes electio
fieret.
4 Hæc Conciliorum congregatio fieri
debet auctoritate, & mandato Romani
Pontificis, in quibus ipſe, vel eius legatus
aſſiſtere debet, cap. Synodum, cap. regu-
la 17. diſt. Et hoc eſt ſolius Romani Pon-
tificis priuilegium tamquam paſtoris viſi-
bilis huius Ouilis vniuerſi, & pro Chriſto
Vicarij, cap. ideo 2. quæſt. 6. & in cap.
huic ſedi 17. diſt. & ille debet proponere,
ac vota reſoluere, vt præſes,ſicut,& Petrus
fecit in Concilijs, & actibus Apoſtolorum
ſuprà citatis, ſic, & Moyſes in lege veteri.
Exod. 19. fecit,de quo legitur, quòd poſt-
5 quam Dominus cum eo loquutus eſt, ve-
nit, & conuocatis maioribus natu populi,
expoſuit omnes ſermones illos, quo etiam
exemplo docemur, non omnes fideles, ſed
tantùm maiores, & præſules noſtros eſſe-
conuocandos ad Concilium, & eos ſolos
interuenire debere in eo, licèt enim anteà
Dominus ad Moyſen dixiſſet, hæc dices
domi Iacob, & annuntiabit filijs Iſrael,
nihilominùs tamen Moyſes non conuoca-
uit,niſi maiores, populus enim tam nume-
roſus non poterat ſic in vnum abſque pe-
riculo tumultuariæ confuſionis congrega-
ri, & licèt ſeniores conuocati tantùm reſ-
ponderint Moyſi, tamē Scriptura refert re-
præſentatiuè,videlicèt,quòd reſpondit om-
nis populus ſimul, ſcilicèt per ſuos præla-
6 tos, & maiores. Et ſic ſeculares,præſertim
à deciſionibus ſpiritualium,de quibus agi-
tur in Concilijs,abſtinere debent, veluti in-
digni, quantumcumque peritiſſimus fuiſſet
laicus, cap. 2. de iudicijs, & cap. indica-
tum 89. diſt. licèt Principes ſeculares pro
tuenda fide, & religione admittantur can.
nos, & cap. ſeq. 96. diſt. generalia iſta-
Concilia multa fuerunt, quorum viginti
7 quatuor recenſet text. in cap. prima annotatio 16. diſt. & quia habentur impreſſa-
omnia, & in quatuor volumina congeſta,
non oportet illa rememorari, niſi tantùm
eorum præcepta venerari. Sed inter cæte-
ra Concilia beatus Gregorius dixit in cap.
ſicut 15. diſt. ſicut ſancti Euangelij qua-
tuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipe-
re, & venerari me fateor. Nicænum ſcili-
cet, in quo peruerſum Arrij dogma de-
ſtruitur, Conſtantinopolitanum, in quo
Eunomij, & Macedonij error conuincitur,
Epheſinum etiam primum, in quo Neſtorij
impietas iudicatur, & Calcedonenſe, in-
quo Euthicetis,& Dioſcori prauitas eſt re-
probata, hæc tota deuotione amplector, &
integerrima approbatione cuſtodio, quia
in his velut in quadrato lapide ſanctæ fi-
dei ſtructura conſurgit, & cuiuslibet vitæ
communis, & actionis norma conſiſtit, &
paulò inferiùs. Cunctas verò, quas præfa-
ta veneranda Concilia perſonas reſpuunt,
reſpuo, quæ venerantur, amplector, quia-
dum vniuerſali ſunt conſtituta conſenſu,ſe,
& non illa deſtruit, quiſquis præſumit ab-
ſoluere, quos ligant, aut ligare, quos ab-
ſoluunt. Hæc Gregorius ille magnus, ad
8 cuius imitationem, & doctrinam poſſe-
mus, & de noſtro Concilio Sacro Triden-
tino eadem referre, venerando illud,in quo
tota hæreticorum noſtri temporis ſpurci-
tia condemnatur, eodem modo, quo Gre-
gorius dicebat, & beatus Iſidorus in cap.
canones, §. inter cætera 15. diſt. illis Con-
cilijs, inter cætera autem Concilia, qua-
tuor ſunt venerabiles Synodi, quæ totam
principaliter fidem complectuntur, quaſi
quatuor Euangelia, vel totidem Paradiſi
flumina, & beatus Damaſus Papa in cap.
violatores 25. quæſt. 1. quòd violatores
Conciliorum Spiritum ſanctum blaſphe-
mant. Et propterea textus Concilij gene-
ralis

ralis fuerunt tantùm venerati, quòd, teſte
Archidiacono in cap. 1. ſuper verbo, noſ-
catur de conſtitut. lib. 6. omnis conſtitu-
9 tio Concilij generalis habet in ſe inuiſce-
ratam clauſulam derogatoriam, taliter
quòd ei non cenſetur derogatum per clau-
ſulam generalem, non obſtanre iure com-
muni, niſi ſpecialiter, & expreſsè dicatur,
non obſtante Concilio generali, refert
Ioan. Andr. in cap. 1. de exceſſibus prælatorum,
& Bald. iu l. humanum in 2. notab.
C. de legibus, vbi dicit iſtud idem, & mul-
ti alij tenuerunt cum eo, quos refert Feli-
nus in cap. nonnulli de reſcript. in princ.
num. 2. & licèt Innocentius in cap. penult.
de capellis monachorum tenuerit contra-
rium, videlicèt, quòd quantum ad deroga-
tionem, non ſit differentia inter conſtitu-
tiones Concilij generalis, & alias leges,
cuius opinionem videtur appellare verio-
rem Felinus in dict. cap. nonnulli, primam
tamen videtur ſequi totus mundus, vt ibi
notat Felinus num. 3. Accedit etiam quòd
10 Romanus Pontifex, qui ſuprà ius poſiti-
uum eſt, & poteſt ſuper eo diſpenſare, ta-
men difficiliùs diſpenſat contrà conſtitu-
tionem Concilij generalis, præſertim ſi ſit
de illis quatuor ſuprà relatis, vt dicit tex-
tus elegans in capit. poſt translationem de
renunt. ibi, cum ſit hoc Concilium Con-
ſtantinopolitanum vnum de quatuor, quæ
vt Euangelia veneratur Eccleſia, quorum
omnium ratio ea eſt, quia integrum eſt iu-
dicium, quod plurimorum ſententijs con-
11 firmatur cap. prudentiam de officio de-
legat. & in cap. extrà conſcientiam 64.
diſt. Et vt dicebat Innocentius Papa in
cap. fin. 20. diſt. quòd ſi omnibus his in-
ſpectis huius quæſtionis qualitas non lu-
cidè inueſtigatur ſeniores prouinciæ con-
gregatæ, & eos interrogatæ, faciliùs nam-
que inuenitur, quod à pluribus ſenioribus
quæritur, quia verus repromiſſor Domi-
nus ait: ſi duo ex vobis, vel tres conue-
niant in nomine meo, de omni re quam-
cumque petierint fiet illis à patre meo, &
textus elegans in l. penult. C. de fideicom.
dicebat, quòd per ampliores homines per-
fectiſſima veritas reuelatur, & text. in l. ſi
auiam, c. de ingenuis, & manu. ibi, ſi cum
peritioribus tractaſſes facilè cognoſceres.
Et certè hoc ſolùm, quod in ratione natu-
rali conſiſtit, deberet perfidos hæreticos
ad Eccleſiam Catholicam reuocare, vt ſci-
licet patribus antiquis in Concilijs gene-
ralibus, & in Spiritu ſancto congregatis,
magis credere profiteantur, quàm libidi-
noſis iſtis, qui nudiùs tertius noua iſta
phantaſmata ſuſcitarunt. Nam, proue di-
citur Deuteronomij 32. interroga patrem
tuum, annunciabit tibi, maiores tuos, &
dicent tibi, & Pſalm. 77. quanta man-
dauit patribus noſtris nota facere filijs
ſuis, vt cognoſcat generatio altera, &
Prouerbiorum 22. ne tranſgrediaris ter-
minos, quos poſuerunt Patres tui. Vide
etiam Iob 6. interroga generationem pri-
ſtinam, & diligenter inueſtiga Patrum me-
moriam, heſterni quippè ſumus, & ignora-
mus, quoniam vmbra dies noſtri ſuper ter-
ram, ipſi docebunt te, & loquentur tibi, &
de corde ſuo proferent eloquia, in antiquis
eſt ſapientia, & in multo tempore pruden-
tia, & denique Eccleſiaſtici 8. Ne deſpicias
narrationem presbyterorum ſapientium,
& in prouerbijs eorum conuerſare, ab ipſis
enim diſces ſapientiam, & doctrinam in-
tellectus; & ſeruire Magnatis ſine quæ-
rela.

Non te prætereat narratio Seniorum,
ipſi enim didicerunt à Patribus ſuis, quo-
niam ab ipſis diſces doctrinam, & intelle-
ctum, ſi igitur quælibet narratio Seniorum
habet de ſe auctoritatem, modò non ſit in
rebus malis, quam, obſecro, auctoritatem
debebit habere matura digeſtio, & delibe-
ratio antiquorum Patrum, & ſanctorum,
qui in nomine Chriſti ad proſpiciendum,
& conſulendum Ouili, & gregi ſuo tam di-
lectiſſimo conuenerunt? an eos deſerere
voluit Deus, qui Dei cauſam agebant, di-
centes cum regio Propheta. Exurge Do-
mine, iudica cauſam tuam, videatur etiam
Leo Papa ſanctiſſimus in cap. requiritis 1.
quæſt. 7. vbi dicit, quod iam multis dam-
natum eſt Concilijs, nulla poſſumus pœni-
tentia ſubuenire, & tot ſpiritualibus Patri-
bus obuiare, ſed in illorum Patrum me
ſententia conuenire omnibus certum ſit,
& Zoſimus Papa in cap. contrà ſtatuta Pa-
trum condere aliquid, vel mutare, nec hu-
ius quidem Sedis poteſt auctoritas, apud
nos enim inconuulſis radicibus viuat an-
tiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reue-
rentiam. Et Hormiſda Papa in capite pri-
ma ſalus eſt, rectæ fidei regulam cuſtodire,
12 & à conſtitutionibus Patrum nullatenùs
recedere, 25. quæſt. 1. Quorum textuum oc-
caſione ſolet in ſcholis diſcuti quæſtio illa
periculoſa, & ſcrupuloſa appellata. An
Papa ſit ſuprà Concilium nec ne, de qua
per Felinum latè in capite nonnulli de re-
ſcript. vbi citat multos.

Ego enim in præſentiarum de ea ſicut
in ſcholis aliquando feci, agere non cura-
bo, niſi quantum ad reſolutionem noſtræ
huius materiæ pertineat. Dico igitur, quòd
licèt Concilia ſint tantæ auctoritatis, ſicut
ſuprà retulimus, & quibus non debeat de
facili derogari (ità enim debent illi tex-
tus intelligi) poteſt tamen contrà decreta
illa diſpenſare Romanus Pontifex, & eiſ-
dem derogare, vt concludit latè Felinus in
dicto cap. nonnulli, & diſpenſare ſuper eo-
rum conſtitutionibus, ſicut videmus quo-
13 tidiè fieri; Immò & ſuper Apoſtoli præ-
ceptis diſpenſat, modò non ſit contrà arti-
culos fidei, vt dixit gloſs. in cap. ſunt qui-
dam, verbo Apoſtoli 25. quæſt. prima, vbi
etiam dicit gloſs. quòd diſpenſat ſuper iu-
ramento, & voto, quæ ſunt de iure diuino,
licèt hæc non dicatur diſpenſatio, ſed
commutatio. Videatur gloſs. illa, & latè
Dominicus in cap. lector. 34. diſtinct. vbi
videtur tenere, quòd poteſt contrà Epiſto-
lam Pauli diſpenſare, quia Papa in quan-
tum eſt ſucceſſor Petri, qui fuit maior
Paulo, ſic adminiſtratione erit Papa maior
Paulo, vt ibi per Dominicum. De hac au-
tem quæſtione, an poſſit Papa diſpenſare
ſuper iure diuino, modò non ſit contrà ar-
ticulos fidei, nec præcepta Decalogi, vi-

deatur Felinus referens multa in cap. quæ in Eccleſiarum num. 20. cum ſequentibus de conſtit. & Ancharanus conſil. 124. contra bigamos. Archidiac. in d. cap. lector, & in cap. ſunt quidam 25. quæſt. 1.

Sed redeundo ad Concilia, dico, quòd licèt ſint cōdita magiſterio Spiritus ſancti,
14 tamen quia medio humano, & per organa hominum fiunt, dicuntur humana iura, & propterea non debet mirari aliquis, ſi ſecundùm varietatem temporum, ſtatura quoque varientur humana, capit. non debet de conſanguin. & affin. quia, vt dicebat textus elegans in cap. fraternitatis 34. diſtinct. defectus noſtri temporis, quibus non ſolùm merita, ſed corpora ipſa deficerunt, diſtrictionis antiquæ non patitur manere cenſuram, & lex debet eſſe inter alia poſſibilis, loco, temporique conueniens auctore Iſidoro in cap. erit autem lex 4. diſtinct.

Neceſſaria ergo fuit auctoritas ſummi Pontificis Romani, & pro Chriſto Vicarij etiam ad eiuſmodi diſpenſationes, & derogationes concedendas, quando ſuæ ſanctirari videbitur conuenire, non enim pro quolibet negotio conuocanda ſunt Concilia, & homines trahendi ex diuerſis Mundi partibus, niſi tantùm pro negotijs grauiſſimis, arbitrio eiuſdem Pontificis, ad quem pertinet conuocatio.

Opus ergo fuit paſtore iſto ſanctiſſimo, & poteſtate eius, quæ continua perſeuerat in Eccleſia Dei, licèt etiam Conciliorum congregatio ſit neceſſaria, quia prout dicit Iſidorus in can. 1. 15. diſt. eò quòd in præcedentibus annis, perſequutione feruente, docendarum plebium minimè
15 dabatur facultas, inde Chriſtianitas in diuerſas hæreſes ſciſſa eſt, quia non erat Epiſcopis licentia conueniendi in vnum, & ſic ad extirpationem hæreſum ſemper fuit neceſſaria Conciliorum conuocatio, in quibus hæreſes variæ condemnatæ fuerunt, vt per Gregorium in cap. ſicut 15. diſt. ſed interim quò Concilia generalia non congregantur, Romani Pontificis auctoritatem habemus, cui tamquam Chriſti Vicario obedire tenemur recipientes ea omnia, quæ ipſe præceperit recipienda, ac reprobantes reprobata per eum, & quæ poſteà reprobauerit.

16 Nam prout ſæpè diximus, Romanus Pontifex paſtor huius Ouilis, licèt vt priuata perſona peccare, & errare poſſit, tamen in eo, quòd vt paſtor, & publica perſona definierit, errare non poteſt, poteſt quidem diſputando, ſentiendo, loquendo, vt priuata perſona, & etiam ſcribendo, vt particularis homo, deficere, ſicut & Innoc. IV. in Commentarijs ſuis ad libros Decretalium defecit, & à multis reprehenditur in quibuſdam. Sed in his, quæ definit, deliberat, & ſtatuit vt publica perſona, vt paſtor huius Ouilis, & vt ſedens in Cathedra Petri pro fidei tuitione, pro Euangelicæ legis intelligentia, pro fidelium inſtructione, & directione, in his, inquam, firmiter credimus eum errare non poſſe; Simpliciter etiam confitemur priuilegia, quæ Chriſtus Petro præ cæteris Apoſtolis contulit, paſcendi ſcilicet oues, & agnos Chriſti cum ſancta doctrina, confirmandi fratres in fide, & quòd omnes gentes per os illius audirent verbum Dei, quòd Eccleſia ſuper illum ædificata fuerit, & portæ inferi contra illam ſic ædificatam præualere non poſſent, omnia iſta, non vt priuato homini, ſed vt Chriſti Vicario, & Reipublicæ Catholicæ Præfecto conueniſſe, & nunc continuari in ſucceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus, vt publicis perſonis credimus, & affirmamus, quicquid hæretici garriant.

CAP. XXVIII.

De traditionibus, & conſuetudinibus Eccleſiæ per Sedem Apoſtolicam approbatis, quas, etiamſi ſcriptæ non ſint, obſeruare debemus.

SVMMARIVM.

1 *Conſuetudines, & traditiones Eccleſiæ approbatæ recipiendæ ſunt, etiam ſi ſcripto commendatæ non fuerint, vt per multa hìc adducta probatur.*

2 *Chriſtus, & Apoſtoli dixerunt, & præceperunt multa, quæ ſcripta non fuerunt.*

3 *Conſuetudines, & traditiones, quas antiquitùs à Patribus ſuſcepimus, ridiculum, & ſatis abominabile eſt infringere.*

4 *Conſuetudinibus maiorum per tantam annorum ſeriem protelatis, oportet nos, etiam non percepta ratione, credere, & iugi obſeruatione cuſtodire.*

5 *Conſuetudines multæ ex Tertulliano, Origene, & Baſilio referuntur, quæ ſine aliquo ſcripto ſuo tempore obſeruabantur, & noſtris temporibus earum obſeruantiam continuari videmus.*

6 *In legibus ſecularibus, & antiquis, & modernis conſuetudo non ſcripta pro lege ſuſcepta eſt.*

7 *Humanum genus duobus regitur iure naturali, & moribus, & ius naturale eſt, quod in Euangelio, & lege continetur, quaſi mores parem vim habeant cum lege naturali.*

8 *Textum ratio commendat, non ſcriptura.*

9 *Conſuetudinis obſeruantia ſi difficilis videatur, ad Cathedram Petri recurrendum eſt.*

1 VLtrà Euangelium, & ſacram Scripturam, Decreta Pontificum, & Conſtitutiones Conciliorum obſeruauerunt Patres noſtri, alia, quæ ex traditionibus Apoſtolorum, & conſuetudinibus Eccleſiæ approbatis introducta ſunt, etiam ſi ſcripto commendata non fuerint, de quibus Paulus 2. ad Theſſalonicenſes 2. dicebat. Itàque fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram, & ſecundæ Ioannis capite decimo, plura habens ſcribere vobis, per chartam, & atramentum nolui, ſpero enim me futurum apud vos, & os ad os lo-

loqui, vt gaudium veſtrum plenum ſit, & idem in Epiſtola ad Gaium. Multa habui tibi ſcribere; ſed nolui per attramentum, & calamum; ſpero enim te videre, & os ad os loquemur.

Vnde Auguſtinus in capit. Eccleſia-
2 ſticarum diſtinct. 11. dicebat: Eccleſiaſticarum inſtitutionum quaſdam in ſcriptis, quaſdam Apoſtolica traditione per ſucceſſores in miniſterio confirmatas accepimus, quaſdam conſuetudine roboratas approbauit vſus, quibus par ritus, & idem vtriuſque pietatis debitus affectus.

Et textus in capit. cùm Marthæ, de celebrat. Miſſarum, dicebat: Sanè multa tam de verbis, quàm de factis Dominicis inuenimus ab Euangeliſtis omiſſa, quæ Apoſtoli vel ſuppleuiſſe verbo, vel facto expreſſiſſe leguntur, vide quæ ſupra retulimus.

Similiter Ioannes cap. 20. ad finem, quique ſcripſit vltimus, poſt ſcripta Euangelia trium Euangeliſtarum, & approbauerat fidem eorum, & veritatem, teſte Auguſtino in Prologo ſuper Ioannem, is enim ità dicit cap. 20. Multa quidem, & alia ſigna fecit Ieſus, quæ non ſunt ſcripta in libro; hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei.

Et cap. fin. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror Mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros.

Hoc autem de conſuetudine, & traditionibus ſic accipiendum eſt, vt declarat Auguſtinus in cap. in his rebus diſtinct. 11. In his enim rebus, in quibus nihil certum ſtatuit diuina Scriptura, mos populi Dei, & inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt; & ſicut præuaricatores diuinarum Legum, ità contemptores Eccleſiaſticarum conſuetudinum coercendi ſunt.

Hieronymus etiam in cap. illud, diſtinct. 12. dicebat, traditiones Eccleſiaſticas, ità obſeruandas, vt à maioribus traditæ ſunt.

3 Et Nicolaus Papa eadem diſtinct. 12. in can. Ridiculum eſt, & ſatis abominabile dedecus, vt traditiones, quas antiquitùs à Patribus ſuſcepimus, infringi patiamur.

Et Gregorius Papa in canon. Nos conſuetudinem, quæ contra fidem Catholicam nihil vſurpare dignoſcitur, immotam permanere concedimus, eadem diſtinctione 12.

Et in capit. quemadmodum: Illicita perpetrare non patimur, ſic, quæ ſunt conſuetudinis, non negamus, eadem diſtinctione 12.

Vide etiam, quid idem Gregorius ſanctiſſimus Auguſtino Anglorum Epiſcopo reſcripſerit in cap. Nouit, diſtinct. 12. Nouit fraternitas tua Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, qua ſe meminit eſſe nutritam; ſed mihi placet, vt ſiue in Romana, ſiue Gallicorum, ſiue in qualibet Eccleſia inueniſti, quòd plùs Omnipotenti Deo placere poſſit, ſollicitè eligas; & in Anglorum Eccleſia, quæ adhùc in fide noua eſt, infundas, quæ de multis Eccleſijs colligere potueris, & quaſi in faſciculum collecta apud Angelorum mentes in conſuetudinem depone.

Et Caſſiodorus collat. 21. cap. 12. inquit: Oportet nos auctoritati Patrum, conſuetudinique maiorum vſque ad noſtrum tempus per tantam annorum ſeriem pro-
4 telatæ, etiam non percepta ratione, credere, eamque, vt antiquitùs tradita eſt, iugi obſeruatione, & reuerentia cuſtodire.

Et text. in can. decreuimus 10. qu. 1. Decreuimus, vt antiquæ conſuetudinis ordo ſeruetur.

Tertullianus etiam in libro de Corona Militis ait: Aquam Baptiſmatis adituri, aliquantò priùs ſub Antiſtitis manu conteſtamur nos renunciare Diabolo pompis,
5 & Angelis eius, & de hinc ter immergimur, &c. Euchariſtiæ Sacramentum omnibus mandatum à Domino, etiam antè Lucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quàm præſidentium accipimus oblationes pro defunctis, pro natalitijs annua die facimus, die Dominico ieiunium nephas dicimus, eadem Immunitate à die Paſchæ vſque in Pentecoſtem gaudemus, calicis etiam, & panis noſtri aliquid decuti in terram anxiè patimur, ad omnem aditum, & exitum, ac veſtitum, ad calceatum, ad menſas, ad cubilia, frontem crucis ſignaculo terimus, & cætera iſtarum, & aliarum Eccleſiaſticarum diſciplinarum, ſi expoſtulas legem, nulla legis traditio tibi prætenderur, auctrix eſt conſuetudo, & idonea teſtis eſt traditionis veteris antiquas, obſeruationes Eccleſiæ ſi nulla Scriptura determinauit, certè conſuetudo roborauit, quæ ſine dubio de traditione Apoſtolica manauit. Hæc Tertullianus. Ex quibus intelliges, quàm ſit Eccleſia fida cuſtos traditionis Apoſtolicæ ſemel acceptæ; quas enim, vt refert Pighius cap. 3. lib. 1. Tertullianus obſeruationes abſque vllo ſcripto ſuo ſeculo, annis videlicet, centum ſeptuaginta poſt Chriſtum, per vniuerſam Eccleſiam ab initio commemoratas, eaſdem videmus vſque in hodiernum diem obſeruari.

Vide etiam, quid Origenes dicat ſuper Matthæum. Ex traditione, inquit, didici de quatuor Euangelijs, quia hæc ſola, abſque vlla contradictione accipi debent in omnibus, quæ ſub Cœlo ſunt Eccleſijs Dei; ità enim tradiderunt Patres noſtri.

Et Auguſtinus aduersùs Donatiſtas paruulorum Baptiſma defendit ſolùm ex conſuetudine Eccleſiæ antiqua canonica, fundatiſſima hoc habet dicit Ipſe, auctoritas Matris Eccleſiæ. Hoc fundatiſſimæ veritatis obtinet canon. contra hoc robur, contra hunc inexpugnabilem murum quiſquis arietauerit, ipſe potiùs confringetur.

Et etiam Origenes, vbi ſupra, contra dubitantes, an epiſtola ad Hebræos ſit Pauli: Ego, inquit, dico, ſicut mihi à maioribus traditum eſt, quia manifeſtiſſimè Pauli eſt, & ſæpè omnes antiqui maiores noſtri, ità eam, vt Pauli epiſtolam ſuſceperunt.

Plurimùm ergo valet, teſte Auguſtino contra Manichæos, auctoritas Eccleſiæ Catholicæ, quæ ab ipſis fundatiſſimis Apoſtolorum ſedibus vſque in hodiernum diem ſuc-

ſuccedentibus ſibi Epiſcopis ſecundùm ſeriem ſucceſſionis, & tot populorum conſenſione firmatur.

Cyprianus etiam in ſermone de ablutione pedum, loquens de ritibus, & ceremonijs, quas in die Cœnæ obſeruat Eccleſia, dicit: Nec minùs ratum eſt, quod, dictante Spiritu Sancto, tradiderunt Apoſtoli, quàm quod ipſe tradidit Chriſtus.

Et Origenes homilia 5. in librum numerorum, loquens de modo orandi verſus Orientem, & de alijs ritibus, inquit: Hæc omnia portamus ſupra humeros, cùm ità implemus ea, & exequimur, vt à Pontifice magno Chriſto, & filijs eius tradita, & commendata ſuſcepimus.

Et Baſilius Magnus in libro de Spiritu Sancto cap. 27. ait, dogmatum, quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus ex doctrina ſcripto prodita, quædam rursùm ex Apoſtolorum traditione recepimus, quorum vtraque parem vim habent ad pietatem, nec in his quiſquam contradicit, quiſquis ſanè, vel tenuiter expertus eſt. Nàm ſi conſuetudines, quæ ſcripto proditæ non ſunt, tamquam haud multùm habentes momenti, conemur reijcere imprudentes, & ea damnabimus, quæ in Euangelio neceſſaria ſunt ad ſalutem, immò potiùs ipſam fidei prędicationem ad nudum nomen contrahemus.

Et paulò inferiùs: Nec his contenti ſimus, quæ commemorat Apoſtolus, aut Euangelium; verùm & alia quoque & antè, & poſt didicimus, tamquam multùm momenti habentia ad myſterium, quæ ex traditione citrà ſcriptum accepimus. Et poſtquàm recenſuit varias Eccleſiæ ſanctæ ceremonias ſine ſcriptura introductas, ſic concludit: Dies me deficiet, ſi Eccleſiæ vniuerſæ myſteria vniuerſa citrà ſcriptum tradita pergam receaſere.

Et Irenæus ſancti Polycarpi diſcipulus aduersùs Valentinum: Traditionem, inquit, Apoſtolorum toto Orbe manifeſtam in omni Eccleſia, adeſt perſpicere omnibus, qui vera voluerint audire, eam videlicet, quam primitiua Eccleſia tranſmiſit ad nos, & in Lege veteri, quæ ſcripto tradita fuit, & magno ſtudio conſeruata videmus, quòd & traditiones ſeniorum obſeruabantur, & ſuo tempore obſeruari debebant, modò non eſſent contra legem Dei, vt Matth. 15. conquærebantur Phariſæi. Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur præcepta, & traditiones ſeniorum, non enim lauant manus cùm panem manducant. Et Chriſtus non eos reprehendit de omnibus traditionibus; ſed de illis tantùm, quę legem Dei offendebant; & propterea Deuter. 17. cautum fuit, quòd ſi difficile, & ambiguum occurrebat, ad Sacerdotem recurreretur, ſicut iàm ſupra oſtendimus. Et Ezechielis 44. legitur, cum fuerit controuerſia, ſtabunt Sacerdotes in iudicijs meis, & ibi iudicabunt. Eodem modo neceſſe erat, vt & in lege noua eſſet, qui difficultates, & dubia, quæ ſe fidelibus obtuliſſent ſuper traditionibus obſeruandis, & ſuper ſcripturis intelligendis, reſolueret, vt ſupra diximus, quando de auctoritate huius ſancti Paſtoris agebamus c. 11. vbi oſtendimus difficultates occurre poſſe ſuper epiſtolis Pauli, & alijs libris ſacræ Scripturæ, Quod ergo in Eccleſia vniuerſali obſeruate videmus, Romano Pontifice tolerante, & ſua auctoritate comprobante, humiliter, etiam nulla percepta ratione, recipere, & cuſtodire debemus; ſic enim in republica ſeculari videmus eſſe varias legum ſpecies, conſtitutiones Principum, reſponſa prudentum, plebis cita, Senatuſconſulta, Magiſtratuum, & Prætorum edi-
6 cta, quæ ſcripto tradita ſunt, vt in §. conſtat. Inſtit. de iure naturali. Et etiam ius non ſcriptum, quod conſuetudinem appellamus, §. ex non ſcripto. Inſtit. de iure naturali, l. de quibus, ff. de legibus, vbi dicitur, de quibus cauſis ſcriptis legibus non vtimur, id cuſtodire oportet, quod moribus, & conſuetudine introductum eſt. Inueterata enim conſuetudo pro lege non immeritò cuſtoditur. Quid enim intereſt ſuffragio, ideſt conſenſu in ſcriptis redacto, vt ibi gloſſa explicat, aliquid declarari, an rebus ipſis, & factis, diuturna enim conſuetudo pro iure, & lege obſeruari ſolet, vt per Vlpianum in l. diuturna, ff. de legibus; & Hermogenianus in l. ſed ea, ff. eodem.

Sed ea, quæ longa conſuetudine comprobata ſunt, ac per annos plurimos obſeruata, non minùs, quàm ea, quæ ſcripta ſunt iura ſeruantur, immò magnæ auctoritatis hoc ius habetur, dicit Paulus Iuriſconſultus in leg. immò, ff. eodem, quod in tantùm probatum eſt, vt non fuerit neceſſe id ſcripto comprehendere, videbis totum illum titulum de legibus, & intelliges apud omnes nationes, præſertim Romanos, & Græcos, de quibus loquitur dicto §. conſtat fuiſſe cuſtoditam conſuetudinem, ſicut & legem ſcriptam. Neque enim ſecundùm Doctores noſtros in dicto §. conſtat, & in leg. de quibus, eſt neceſſaria ſcriptura ad ſubſtantiam legis, ſed tantùm ad faciliorem probationem, immò, quod fortiùs eſt, probant Catholici Patres, vt per Pighium lib. 1. cap. 2. & ſeqq. duobus, maiorem eſſe debere auctoritatem traditionis Eccleſiæ, quàm ſcripturæ; & vt ait beatus Iſidorus
7 in cap. 1. diſtinct. 1. Humanum genus duobus regitur, naturali videlicet iure, & moribus, ius naturale eſt, quod in lege, & Euangelio continetur, quaſi mores, & conſuetudines receptę parem vim habeant cum lege naturali; & in cap. conſuetudo diſt. 1. idem Iſidorus dicit: Conſuetudo eſt ius quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex, nec differt, an ſcriptura, an ratione conſiſtat, quoniam & legem ratione commendat.

8 Porrò ſi ratione lex conſiſtat, lex erit omne id, quod ratione conſiſtat, quod religioni conueniat, quod diſciplinę congruat, quod ſaluti proficiat. Vocatur autem conſuetudo, quod in communi eſt vſu. Hæc Iſidorus.

Suſcipiamus ergo, Catholice Lector, cum debita humilitate, & obedientia, quod in lege ſcriptum reperimus, videlicet in quatuor Euangelijs, epiſtolis, Actibus Apoſtolorum, Apocalypſi beati Ioannis, & in Lege veteri reſpectu moralium præceptorum,

eum, & aliorum, quæ ſancta Romana Ec-
cleſia præcipit recipienda, & conſtitutio-
nes Romanotum Pontificum, decreta Con-
ciliorum in Spiritu ſancto congregatorum,
& quod ex traditionibus Eccleſiæ, etiam
ſine ſcripto, nulla inueſtigata ratione, per
eandem annorum ſeriem receptum inueni-
mus. Et ſi ſuper intelligentia eorum ali-
quid hæſitaueeimus ad Cathedram Petei,
9 tanquam ad certiſſimum oraculum recur-
ramus, parati eius definitionibus obedire,
qui per ſe, vel per miniſtros ſuos, ideſt,
Epiſcopos canonicè ordinatos, & in com-
munione, & obedientia Sedis Apoſtolicæ
perſeuerantes, ac per alios Rectores, &
Doctores ab illa conſtitutos in Eccleſia,
dignabitur de omnibus reſpondere, iſti
debent eſſe Duces noſtri, & in manibus
eorum deducet nos Dominus de Ægypto
confuſionis ad æterna tabernacula, quem-
admodum populum Hebræum deduxit,
ſicut oues in manu Moyſi, & Aaron, Pſal-
mo 76. Ex quo intelliges quantum Deus
dilexerit Mundum, ducendi populum ſuum
per miniſteria Prælatorum, & inter eos
vnius ſupremi Paſtoris viſibilis, quem cæ-
teri reuereantur, vt diximus cap. 11.

CAP. XXIX.

De varijs meditationibus, quibus muniti poterimus facilè conſeruare obedientiam, quam Romano Pontifici debemus, & omnibus Hæreticorum nequiſsimis telis reſiſtere.

SVMMARIVM.

1 *Petræ, à qua Petrus nomen accepit, adhærere debemus, vt ſaxei immobiles, & petroſi.*
2 *Super eam ſtatuendi ſunt pedes noſtri.*
3 *In Petra exaltari debemus ſuper inimicos noſtros.*
4 *Petra hæc debet eſſe refugium ſicut herinacijs, qui extra Petram inuenti, facilè capiuntur.*
5 *In Petræ huius foraminibus, & in cauerna iſtius maceriæ recondi debemus, ſi nolumus decipi ab Hæreticis.*
6 *Contra Hæreticos non induamur armis Saul, ſed armis Dauid, quibus ſuperauit Goliath, hoc eſt transmigrantem, quales ſunt Hæretici, educentes Petram de Petra Paſtorali, & funda à longè proijcientes, vt infigatur in fronte Goliath.*
7 *Cùm Petra iſta acutiſſima circumcidenda ſunt ſuperflua, & præputia cogitationum noſtrarum, ſicut Sephora vxor Moyſi, quæ interpretatur placens Deo, & circumcidit præputium Gerſan filij ſui, quod interpretatur aduena, ſiue profugus, quales ſunt Hæretici.*
8 *Hæreticorum imaginationes non permittas aſcendere in cor tuum, nec creſcere, ſed tanquam paruulos allide ad Petram hanc, ne creſcentes fiant arbores, in quibus volucres aeris, hoc eſt Dæmones, habitent, & nidos faciant.*
9 *Petram, & lapidem hunc ſuperponamus capiti noſtro, ſi volumus videre ſchalam Iacob, & Angelos deſcendentes, & aſcendentes in Cælum, ac Dominum innixum ſchalæ, & dicemus, hic non eſt aliud, niſi domus Dei, & porta Cæli.*
10 *Fidei augmentum petendum à Domino, & quod adiuuet incredulitatem noſtram ſi naufragium fidei ſentimus.*
11 *Fidei obſequio captiuans intellectum credendo Trinitatem, & alios articulos, qui humanam excedunt intelligentiam, faciliùs captiuare poteſt in obſequium Cathedræ huius.*
12 *Petræ iſti ſanctiſſimæ adhærens, comparabitur homini, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram, & deſcendit pluuia, & flauerunt venti, & non cecidit, fundata enim erat ſupra petram.*
13 *Clandeſtina, et occulta colloquia in ſpiritualibus, et negotijs fidei fugienda. Vide multa in hanc rem adducta.*
14 *Gregorius XIII. optimè ſtatuit, vt etiam Confeſsiones ſacramentales audirentur in publicis locis, in quibus Sacerdotis, et pænitentis perſonæ viderentur, poſtquam audiri ab alijs non poſſunt, niſi violato ſigillo confeſsionis.*
15 *Hæreticorum multitudo, et varietas, qui contra Eccleſiam Romanam inſurrexerunt, confuſa, et extincta, Romana Eccleſia ſemper remanente in ſua auctoritate nos debet in eius Cathedræ obedientia confirmare.*
16 *Exemplum Carbonarij à Pigbio relati memorandum eſt ad euadendum laqueos Hæreticorum.*
17 *Cum Hæreticis nullatenùs diſputandum, quia mori magis volunt, quàm conuerti, quæ ſua eſt ſuperbia.*
18 *Conſilium notandum Siſinij Lectoris ad diſputandum cum Hæreticis, quod dedit in Concilio Conſtantinopolitano primo.*

SI ſcutum, & galeam adamantinam, &
firmiſſimam aſſumamus propoſiti hu-
ius conſtantiſſimi, nempè obediendi Pa-
ſtori noſtro Romano Pontifici Vicario Ieſu
1 Chriſti, & ſucceſſori Petri Apoſtolorum
Principis, nullis hæreticorum erroribus
perturbabimur, & ſecura tranquillitate
vitam agemus, atque eadem cauſa inter
alias credetem Petræ parabolam applica-
tam fuiſſe ad fundamentum Eccleſiæ, &
Petrum, cui Eccleſia commendata fuit, ap-
pellatum petram, Matthæi 16. & Ioann. 1.
Cæphas, quod eſt vocabulum ſyrum, & in-
terpretatur ſaxum, teſte Hieronymo libro
de nominibus hebraicis, vt videlicet, &
nos tanquam adamantini Saxei, & petro-
ſi, vt ita dixerim, huic ſanctæ petræ fir-
miter adhæreamus tenentes, & nullatenus
dimittentes eam.

Nam ſub ſcuto, & galea huius petræ om-
nia hæreticorum tela, & iacula repellemus,
dicentes cum regio Propheta pſalm. 39.
expectans expectaui Dominum, & inten-
dit mihi, & exaudiuit preces meas, & edu-
xit me de lacu miſeriæ, & de luto fecis, &

ſtatuit

Digitized by Google

2 ſtatuit ſuprà petram pedes meos, & direxit
greſſus meos, & pſalmo 26. Dominus illu-
minatio mea, & ſalus mea, quem timebo
Dominus protector vitæ meæ, à quo trepi-
dabo, dum appropriant ſuper me nocentes,
& tandem concludit: Abſcondit me in
tabernaculo ſuo, in petra exaltauit caput
3 meum ſuper inimicos meos. Nam ſi huic
Petræ ſanctiſſimæ adhęreamus immobiles,
tunc caput noſtrum primarium, & fides
eius exaltabitur magis.

Petra iſta debet eſſe refugium no-
bis, ſicut hærinacijs, ſi fortè velit hære-
ticus decipere nos, & ſicut hærinacios
4 capere, vt pſalmo 103. dicebat propheta,
petra refugium hærinacijs, de quibus ſcri-
bit Plinius lib. 8. naturalis hiſtoriæ cap. 37.
quòd vt meliùs ſe à venatoribus defendant,
habitant in cauernis petrarum, quoniam
5 extra petram inuenti, facilè capiuntur.
Maneamus ergo nos in cauerna maceriæ,
& in huius ſanctiſſimæ petræ foraminibus
recondamur, & nuſquam ab hęreticis deci-
piemur.

Etſi contra te venerint in diſputationi-
bus, aut perſuaſionibus, in nouitate vitæ,
& doctrinę, in ſermonibus meloſis, in dulci-
bus benedictionibus, in promiſſione falſi
nominis ſcientiæ, noli cum eis contendere
verbis.

Ad nihilum enim valent, niſi ad ſub-
uerſionem gentium, teſte Paulo 2. ad Ti-
6 motheum 2. Nec induaris contra eos ar-
mis Regis Saul, quantumcumque tibi vi-
deantur polita, fortia, & inſuperabilia, prę-
ſertim ſi ſis puer, vt dicebat Saul ad Dauid,
ſed cape fundam in manu tua, & de pera
iſta Paſtorali affer lapidem, ſeu petram,
atque à longè cum funda projcè lapidem
iſtum, qui infigetur in fronte Goliath, quod
interpretatur tranſmigrans, quales hęretici
iſti ſunt, qui teſte Paulo ad Hebr. 13. do-
ctrinis varijs, & peregrinis abducuntur,
ſemper diſcentes, & numquam ad ſcientiā
veritatis peruenientes, & qui exprobant
aciem Dei viuentis, vt Goliath. 1. Reg. 17.
Et ne ab ouilis, & Paſtoris parabola rece-
damus.

Vide Georg. 3. Verg. Carmen ad de-
fendendas oues, ait enim, cape ſaxa ma-
nu, cape robora Paſtor, tollentemque mi-
nas, & ſibila colla, tumentem deijce, vt ſic
cum ſaxo, & petra iſta proijciamos tumen-
tes hęreticos, etſi fortè adhuc ſenſeris ten-
tationem diaboli, qui ſemper, vt Lupus
ouem, & Leo circuit, quęrens, quem deuo-
ret, etſi cogitationes aliquæ aſcenderint in
cor tuum.

Ità vt naufragium in fide ſentire inci-
pias, cum iſta petra acutiſſima circumcide
pręputia, & ſuperflua cogitationum tua-
rum, ſicuti fecit Sephora vxor Moyſi, (quæ
7 Interpretatur placens Deo, vt eſt Eccleſia)
filio ſuo Gerſan, qui interpretatur adue-
na, ſiue profugus, vt Goliath tranſmigrans
omnes enim iſti termini conueniunt hęreti-
cis, quia ſunt diuiſi, & ſeparati ab alijs,
eligentes nouas opiniones, vt per Hiero-
nymum in cap. hęreſis, & per Auguſtin. in
can. hęreticus 24. quęſt. 3. hiſtoriam hanc
Sephoræ habes Exod. 4. & cogitatus iſtos
tamquā paruulos, antequam creſcant, alli-
de ad petram iſtam dicens: cum Regio
Propheta pſalm. 136. Filia Babylonis, hoc
eſt confuſionis, miſera, beatus, qui tenebit,
& allidet paruulos tuos ad petram, vt bea-
tus Gregorius ad obuiandum generaliter
omnibus peccatis ponderabat verſum il-
lum pſalm. 6.

Neque enim permittas creſcere par-
8 uulos iſtos in corde tuo, vt herbulas, &
ramulos, quia poſteà erecti in arbores, dif-
ficiliùs eradicabuntur, & in illis volucres
aeris, id eſt dęmones, nidos ſuos conſti-
tuent in tuam ipſius perditionem, & hęre-
ſes, quæ vt plurimùm à vento vanæ gloriæ
proficiſcuntur, teſte Auguſtino in cap. hęre-
ticus 24. quęſt. 3. ſi à principio non ſuffo-
centur, procreant ibidem obſtinatos hęre-
ſiarchas, qui paruulos, & ſimplices, vt pul-
lulos decipiant.

Etſi volumus videre, ſicut Iacob, ſca-
lam, per quam Angeli deſcedunt, & aſcen-
dunt ad Cœlum, & Dominum innixum
ſcalæ, ſuperponamus capiti noſtro lapidem,
9 & petram hanc ſanctiſſimam, & erigamus
eam in titulum, & caput noſtrum, dicemuſ-
que ſtatim, & confitebimur cum Iacob,
verè nō eſt hic aliud niſi domus Dei, & por-
ta Cœli, Gen. 28., nam certè extra iſtam do-
mum non eſt ſalus, nec niſi per hanc por-
tam, & ſcalam patet aditus, aut introitus
aliquis ad Cælum, ſicut ſatis ſuprà declara-
tum fuit cap. 2.

10 Etſi etiam tentationem dubiorum
creſcere videas, conuertere ad Dominum,
& ſuppliciter exorando dic cum Apoſtolis
Luc. 17. Domine auge nobis fidem, & cum
Patre illius hominis, quem Chriſtus à Dę-
monio liberauerat, Marci 9. qui interroga-
tus a Chriſto an crederet.

Credo Domine, ait, adiuua incrude-
litatem meam, tranſumptiuè per Grego-
rium in can. cum ſancta de pœnit. diſt. 11.
& cum beato Thoma in hymno de corpore
Chriſti, etſi ſenſus deficit, ad firmandum
cor ſincerum ſola fides ſufficit, præſtet fides
ſupplementum ſenſuum defectui, nam cre-
de orationum frequentiam eſſe optimum
collirium ad curandas hęreſes, & tollen-
das Eccleſiæ perſequutiones, vt ex actibus
Apoſtolicis cap. 9. colligitur, vbi timenti
Ananiæ ire ad Saulum, qui perſequebatur
Eccleſiam, Dominus dixit, quaſi inſignum
fidele, & certum conuerſionis Pauli, quæ-
re Saulum, ecce enim orat.

Sacramenta etiam confeſſionis voca-
lis, & Euchariſtiæ, in qua eſt verum corpus,
& verus Chriſti ſanguis, frequenta, vt effu-
gias Luporum, & hæreticorum inſidias,
quia vt à parabola ouium, & ouilis noſtri
ſummamus argumentum ad hoc propoſi-
tum, teſte Alberto, & alijs de animalium
hiſtorijs loquentibus, ſi oues, & ouilia
ſeuo, aut ſanguine Leonis liquefacto, &
deſtillato frequentiùs inungantur, num-
quam accedent Lupi, aut alia rapacia.

Tu igitur Catholice vngere ſæpè ſæ-
piùs ſanguine Leonis, qui vicit de tribu
Iuda: vt ſic Lupi rapaces effugiant, qui
venire ſolent in veſtimentis ouium, vt Chri-
ſtus ipſe nos admonuit.

Con-

Digitized by Google

Conſidera etiam, & ratiocinare in
lumine naturali, quòd qui captiuat intel-
lectum in obſequium fidei, credendo, pro-
11 ut ccedere debet Trinitatem, reſurrectio-
nem mortuorum, & alios atticulos, omnem
prorsùs inrelligentiam humanam exceden-
tes, faciliùs profectò poterit captinare in-
tellectum ſuum in obſequium, & obedien-
tiam Cathedræ Petri, & hnius ſanctiſſimi
pro Chriſto Vicarij, cum Primatus iſte in
cam apertis, & neceſſarijs iuris, & ratio-
nis naturalis principijs conſtituatur, vt ſu-
prà concluſimus, iſta eſt petra dulcis, de
qua dicitur pſalm. 80. cibauit eos ex adipe
frumenti, & de petra melle ſaturauit eos,
& de qua bibũnt omnes fideles, 1. Cor. 10.
De iſta petra profluunt ſtagna aquarum in
omnes regiones, ideſt, Epiſcopi Dei, &
Apoſtolicæ Sedis gratia per diuerſa loca
creati, iuxta illud pſalm. 112. Qui conuertit
petram in ſtagna aquarum, & rupem in
fontes aquarum.

Nam vt ait Anacletus Papa in cap. In nouo diſtinct. 21. Petrus fuit Princeps Apoſtolotum, cæteri verò Apoſtoli, qui eum in Principe eorum voluerunt, diſperſi in toto Orbe terrarum prædicauerunt Euangelium.

Et quia adhuc meſſis erat multa, operarij verò pauci, rogauerunt Dominum meſſis, vt mitteret operarios plures in meſſem ſuam, vnde electi ſunt ſeptuaginta duo Diſcipuli, quorum rypum gerunt Presbyteri, qui in Eccleſia ſunt conſtituti.

12 Si ſupradicta ſeruaueris, aſſimilaberis viro ſapienri, qui ædificauir domum ſuam ſuprà petram, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunr in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat ſuprà petram, Matth. 7. quia fundatus in hac petra non cadet à fide, nec in hæreſim prolabetur.

Efficiamur etiam agni obedientiſſimi Eccleſiæ ſicut, & Paſtor noſter Primarius Chriſtus factus eſt pro nobis agnus manſuetus, qui portatur ad victimam.

Hier. 11. Sic enim, & nos agnos appellat ipſe verus agnus, dicens ad Petrum, paſce agnos meos, de quibus agnis ſcribunt naturales, quòd ſtatim, vt ſunt in lucem ſuſcepti, agnoſcunt matres ſuas, & circùm eas concurſant, cum homo ſero parentes ſuos agnoſcat, teſte Æliano.

Et ideò Iſidorus, & Albertus dicunt, agnum appellari ab agnoſcendo, quia præ cęteris animalibus citiùs agnoſcit matrem, & licèt in magno grege aberret, ſtatim balatu illam agnoſcit.

Vndè eleganter Ambroſius lib. 6. examen. cap. 4. ad propoſitum, agnus ſimpliciſſimus cum à matre quandoque aberrat, frequenter eam balatu abſentem excitat, & licèt in multis millibus ouium verſetur, recognoſcit vocem parentis, & feſtinat ad eam, nam quamuis cibi, & potus deſiderio teneatur, tranſcurrit tamen aliena vbera, licet grauida humore lactis exundent, ſoliùſque materni lactis fontes requirit.

Quorum agnorum ſi ſimplicitatem, & nos ſimpliciſſimi obſeruaremus, nulla vbera niſi matris noſtræ Eccleſiæ Romanæ cequireremus.

Nam, teſte Cypriano, qui non habet Eccleſiam in Matrem, Deum in Patrem non agnoſcit, & hęc eſt mater noſtra, quæ teſte Auguſtin. in cap. mater, de conſecratione diſt. 4. os maternum præbet paruulis.

13 Attendamus etiam, & fugiamus ab illis, qui clandeſtinè, & in occulto nobis volunt in his ſpiritualibus aliquid perſuadere, venientes extrinſecùs in veſtibus ouium, & ſermonibus meloſis.

Chriſtus enim, & ſui miniſtri palàm loquuti ſunt, vt ipſe dicebat Ioann. 18. Ego palàm loquutus ſum Mundo, ego ſemper docui in ſynagoga, & in templo, quò omnes Iudęi conueniunt, & in occulto loquutus ſum nihil, quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt, quid loquutus ſum ipſis? Ecce hi ſciunt, quid dixerim ego.

Pondera, obſecro, Catholice Lector, quanta exaggeratione verborum profitetur, & conteſtatur ſe palàm, & non in occulto loquutum. Magos etiam quærentes Regem Iudæorum in Iudęa, rem ſanè duram auditui Herodis Regis, non ad vicos ſecretos, nec ſtatim ad eamdẽ Betbleem, ſed ad Hieruſalem Metropolim Iudęorum, qualis eſt apud nos Roma, Cœlorum ſtella perduxit, vt ibi priùs per Principes Sacerdotum inquiſitio magorum examinaretur, Matth. 2. & Paulus act. 26. ad Regem Agrippam purgans ſe dicebat, latere nihil horum arbitror, neque enim in angulo quicquam horum geſtum eſt.

Clandeſtinas ergo doctrinas, & prędicationes ſecretas, præſertim in ijs, quæ ad fidem pertinent, euitemus, ex hoc ſolùm, quòd clanculum perſuadentur, veniãt priùs iſti nouitatum ſeminatores ad noſtram Metropolim, quæ Roma eſt, & ibi, quæ de nouo ferunt, conferant cum Ieſu Chriſti Vicario, pro quo Chriſtus rogauit, vt non deficiat fides eius, nam ibi de omnibus, quæ imaginantur, nouitatibus reſpondebitur.

14 Et ideò Sanctiſſimus Dominus noſter Gregorius Papa XIII. meritò pręcepit, vt etiam Confeſſiones Sacramentales, quæ plùs omnibus ſecretum expoſtulant, non in latibulis audirentur, ſed in locis, in quibus, & Confeſſoris, & Pœnitentis perſonæ viderentur in publico, & ſolo verborum ſecreto reſeruato, quando ſuper eo aliud ſtatui non poterat, niſi violato ſigillo confeſſionis. Vt ſcilicèt videantur, & non audiantur, ex quibus intelliges, quantum Eccleſia clandeſtina Conciliabula deteſtetur.

Contemplemur etiam fratres dilectiſ-
ſimi, quot hęretici diuerſis temporibus
aduersùs hanc ſanctam Petri Cathedram
ſurrexerunt, Nicolaitæ, Ebionitæ, Arij,
Neſtorij, & ſimiles, quos etiam erubeſci-
15 mus nominare. Vide in can. quidem 23.
quęſt. 4. & tamen pręualere aduersùs eam
non potuerunt, ſed nec vllus illorum re-
manſit, ſic vt Cathedra ipſa poſſit dicere
cum Propheta Pſalm. 128. Sæpè expugna-

uerunt

uerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi, vt diximus cap. 6.

16 Commendemus memoriæ, & numquam excidat ab illa exemplum illius Carbonarij ruſtici, quem refert Pighius lib. 1. cap. 5. ſuæ Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. Cùm enim eximius quidam ſacrarum literarum profeſſor ſimpliciſſimum quendam hominem Carbonarium interrogaret, quid crederet, quaſi circulo quodam reſpondebat homo ille, non iam quidem ſimplex, ſed ſapiens, dicens ſe credere, quod Eccleſia Romana credebat, & percontatus, quid Eccleſia crederet, rursùm reſpondebat, quod ego credo.

Nec ab hoc circulo vnquam potuit remoueri. Theologus autem poſteà ex graui infirmitate recumbens, & in vitæ periculum incidens, ſuggeſtu Sathanæ de fide tentabatur morti propinquus, ſed recordatus tutiſſimæ anchoræ illius Carbonarij, nec ſe aliter valens eripere à fortiſſima tentatione, veluti ad ſecuriſſimum portum confugit, clara voce dicens ſolummodò verba hæc, & ea frequentiſſimè repetens, vtì Carbonarius, quem audientes, & eadumtaxat verba comprehendentes, vtì Carbonarius, ob grauitatem morbi delirare ex phreneſi crediderunt, quem poſteà conualeſcentem interrogarunt amici, quare in illo agone ſuo ità frequenter repetierit verba illa toties, vtì Carbonarius, quibus ipſe ordine rem explicauit, vt intelligas Chriſtiane *Lector*, qui piſcatores elegit, & non Doctores, & qui abſcondit à ſapientibus, quæ reuelat paruulis, ipſum eſſe, qui Carbonarium fecit præceptorem Eximij Theologi in vltimo vitæ diſcrimine.

Humilitate ergo, & obedientia agendum eſt in negotijs fidei, non ſophiſmatis, nec ſubtilibus argumentis, & propterea

17 cum Hæreticis nullatenùs eſt diſputandum; quia, vt Tertullianus ait de præſcriptionibus Hæreticorum, huiuſmodi diſputationibus non modò non conuertuntur Hæretici, ſed audaciores redduntur, & in ipſo congreſſu firmos fatigant, infirmos capiunt, medios autem cum ſcrupulo dimittunt.

Et eleganter Bernardus ſuper Canticis: Hæretici non conuertuntur rationibus, quia non intelligunt, neque auctoritatibus corriguntur, quia non recipiunt, neque flectuntur ſuaſionibus, quia ſubuerſi ſunt, mori magis volunt, quàm conuerti, quia eorum finis interitus; & ità diſputatio cum Hæreticis prohibetur, cap. 2. §. 1. de Hæret. lib. 9. & in leg. 3. Cod. de ſumma Triuit. & fide Cathol. & pulchrè in 14. Concilio Toletano, quæ Diuina ſunt, non ſunt diſcutienda, ſed credenda.

Non enim Deus diſcutere ſe iubet, ſed credere, refert Simancas cap. 19. de diſputatione.

Credamus ergo non ſenſibus noſtris, ſed dogmatibus antiquorum. Et Chryſoſtomus in homilia 24. Dominicæ 18. dicebat: Audi homo Fidelis, qui contra Hæreticum libenter contendis: ſi Phariſæi placati ſunt, & tu certando contra Hæreticum, potes eum placare, ſi eum viceris; ſi autem Phariſæi victi quidem ſunt, placati autem non ſunt, quomodò poteris tu placare eos, cum viceris, numquid Chriſto fortior es tu, vt quos ille non placauit, tu places?

Et Origenes homilia 24. ſuper Matthæum: Proprium eſt Saduceorum, & mendacium tacere; nàm & ſi obtumeſcant quantùm ad rem, non tamen tacent, nec ea, quæ ſemel deciſa ſunt, debent in diſputationem reuocari; vt per Gelaſium Papam in can. Achatius, & in can. maior. 24. quæſt. 1.

Vt & Paulus ad Titum cap. 3. admonebat, dicens: Hæreticum hominem, poſt vnam, & alteram correptionem deuita.

Et propterea Marcianus Imperator dicebat in cap. nos ad fidem diſtinct. *96.* Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam oſtendendam, exemplo religioſiſſimi Principis Conſtantini, Synodo intereſſe volumus, vt veritate inuenta, non vltrà multitudo prauis doctrinis attracta diſcordet.

18 Vndè Siſinius Lector in prima Synodo Conſtantinopolitana ſuaſit, ne cum Hæreticis aliter diſputatio ſuſciperetur, niſi priùs interrogarentur, an admitterent eos ſacrorum Oraculorum interpretes, qui priùs in Eccleſia extiterant, antequàm in Eccleſijs orta fuiſſet diſſenſio, quia ſi illorum ſententias reijcerent, tunc fore dixit, vt eos factionis ſuæ populares reijcerent quoque. Sin verò illos idoneos ad controuerſiarum deciſionem putabant, ſtatim illorum libri in medium proferri deberent, & non aliter cum eis diſputandum eſſe. Et quo magis ſeruetur ouile, denunciandi ſunt Hæretici, etiam occulti, Dominis Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis; vt ex multis probat Dominus Epiſcopus Simancas in Cathol. inſtitut. tit. 19. quòd etiam ex auctoritatibus Philoſophorum comprobat; cui adde verba Hieronymi ad propoſitum Ouilis noſtri in cap. reſecandæ 24. quæſt. 3. vbi ait: Reſecundæ ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ouis à caulis repellenda eſt, ne tota domus maſſa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putreſcant, & intereant.

Arrius in Alexandria vna ſcintilla fuit; ſed quoniam non ſtatim oppreſſus fuit, per totum Orbem eius flamma populata eſt.

Facit etiam illud Iuuenalis, ſicut grex totus in aruis vnius ſcabie cadit, & prurigine porci, vnaque contacta liuorem ducit ab vna.

Et Ouidius 1. Metamorphoſeos: Sed immedicabile vulnus enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Denunciandi ſunt ergo Hæretici, quia, vt dicebat Bernardus eleganter ad propoſitum noſtræ vnitatis, epiſtola 102. Meliùs eſt, quod pereat vnus, quàm vnitas.

Et hæc denunciatio fieri debet, nulla forma correctionis fraternæ præcedente, neque auctoritas illa Euangelij: Si peccauerit in te frater tuus, &c.

Ad peccatum hæreſis refertur, vt probat

Digitized by Google

bat Simancas ibi num.10. cum ſequentib., licèt corrigendus videatur ſanabilis, & corrigens vir magnæ auctoritatis.

Et illud Pauli: Hæreticum hominem, poſt vnam, & alteram correctionem deuita, non particulari homini ſcribitur.

Sed Tito Epiſcopo, cui ex officio incumbit ſemel, & bis corrigere.

Cæteri ergo particulares, ſtatim quò ſciunt aliquem Hæreticum, debent cum denunciare Dominis Inquiſitoribus, ad quos ſpectat corrigere, & obſtinatos punire.

CAP. XXX.

In quo proſequendo materiam Capitis præcedentis, oſtendit ad conſeruandum fidem, & obedientiam Eccleſiæ Romanæ oportere, vt à vitijs, & à nouitatum inuentoribus abſtineamus.

SVMMARIVM.

1 *Fidelibus multùm nocuit quò ad fidei iacturam vitiorum inordinatus appetitus.*

2 *Salomon immoderato vſu mulierum ad hoc vſque perductus eſt, vt Idolis templa fabricaret, & qui priùs templum Deo conſtruxerat, aſſiduitate libidinis, & perfidiæ idolis templum conſtruxit.*

3 *Salomon amabilis Deo, & cui Deus bis fuerat reuelatus, quia amator mulierum fuerat, à Dei amore receſſit.*

4 *Populus Iſrael poſt tot beneficia de manu Domini ſuſcepta in exitu ſuo de Aegypto, & Moyſe cauſas eorum agente cum Deo in monte, vitulum adorauit, nec datur altera ratio per Aaron, niſi quia pronus erat ad malum.*

5 *Luxuria, auaritia, negotiatio fictis verbis, dominationis contemptus, ſuperbia vanitatis, & promiſſio falſæ libertatis ex epiſtolis Petri, & Pauli introducunt hæreſum, & ſectarum confuſionem.*

6 *Operum bonorum exercitatio neceſſaria ad conſeruandam fidem.*

7 *Cupiditas, hypocriſis, mendacium, & cauterizata conſcientia faciunt aberrare à fide ex eodem Paulo.*

8 *Ebrietas, crapula, et venter ſimiliter ex Chriſto, et Paulo inducunt in hæreſes.*

9 *Hæreticus eſt, qui alicuius temporalis commodi, et maximè vanæ gloriæ, principatuſque ſui gratia falſas, ac nouas opiniones, vel gignit, vel ſequitur.*

10 *Hæreſim ſi volumus euitare, vitemus peccata, ſeu ſaltem frequentationem eorum, et ſuper ea non cadat Sol.*

11 *Superabundante ſtrage delictorum temporibus noſtris curemus, vt ex aduerſo abundet iuſtitia, et gratia Dei, et frequentatio bonorum operum, tamquam potentior excludat frequentationem malorum.*

12 *Ciuitas penates, et regimen illud ſtabit, vbi minimum vitium, cupido veneris, et pecuniæ ſibi vendicauerint, et nulla reſpublica felix ſtantibus menibus, et ruentibus moribus.*

13 *Doctrinarum exercitia vbi ceſſant, vbi nullum diſcrimen inter doctos, et indoctos, vbi nullus virtuti locus, vbi nulla ſtudiorum ratio habetur, ibi rerum omnium confuſio dominatur.*

14 *Experientia iſta rerum magiſtra, quæ temporibus noſtris habetur, ſatis prædicat, et in vicinis plateis dat vocem ſuam, vt ſaltem abſtineamus à vitijs publicis, et ſcandalum generantibus, vt quæ fragilitate patrantur, nulla obſtinatione nutriantur.*

15 *Nouitates fugiendæ, vide de hoc, multaque forſan legiſſe non pœnitebit.*

16 *Epilogus operis, in quo vnitatem, et obedientiam Romani Pontificis exhortando concludit.*

QVantam fidelibus in fide iacturam fecerit vitiorum inordinatus appeti-
1 tus, multis ſacræ Scripturæ auctoritatibus
comprobari poteſt, ſed mihi, vt verum fatear, nullum exemplum horribiliùs occurrere poteſt, quàm illud Salomonis Regis ſapientiſſimi, qui amore mulierum alieni-
2 genarum Idolis templa conſtruxit, 3. Regum 11. & ſecundo, Paralipomenon 2. de quo beatus Gregorius in cap. Salom. 32. quæſt.4. ſic ait, Salomon immoderato vſu, atque aſſiduitate mulierum, ad hoc vſque perductus eſt, vt templum Idolis fabricaret, & qui priùs templum conſtruxerat Deo, aſſiduitate libidinis, & perfidiæ ſubtractus, Idolis templa conſtruere non timuit. Similiter & Hieronymus contra Iouinianum in can. ſi enim, 5. Salomoni de pœnit. diſtinct.2. inquit, Salomon amabilis Domino, & cui Deus bis fuerat reuela-
3 tus, quia amator mulierum fuerat, à Dei
amore receſſit.

Horrendum quidem videri debet omnibus, qui legerint hiſtoriam, & ſapientiam Salomonis, & ſupra quam dici poteſt deterrere eos, vt à ſimilibus vitijs abſtineant, ſi fidem conſeruare voluerint. Similiter, & de filijs Iſrael legitur Exodi 32. qui poſt tam immenſa beneficia de manu Domini ſuſcepta in exitu ſuo de Ægypto,
4 & moram faciente Moyſe in monte, vbi
cum Domino loquebatur cauſas eorum agendo, fecerunt vitulum, & eum adorauerunt. Et cùm poſteà deſcendiſſet, & inquireret occaſionem Idololatriæ illius ab
5 Aarone, reſpondit Aaron. Tu noſti popu-
lum iſtum, quòd pronus ſit ad malum. Fugiamus ergo malum, vel ad minùs promptam malorum executionem, ne in fide periclitemur; Petrus etiam ſecundo capite ſuæ ſecundæ Canonicæ ſic ait, fuerunt pſeudoProphetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & multi ſequentur eorum luxurias, per quos via virtutis blaſphemabitur, & in auaritia de vobis fictis verbis negotiabuntur. Et paulò inferiùs: nouit Deus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem Iudicij reſeruare cruciandos, magis autem eos, qui poſt carnem

in concupiſcentia immunditiæ ambulant,
domiuationemque contemnunt, audaces
ſibi placenies, ſectas non metuunt inrro-
ducerę. Et inferiùs quaſi ad finem illius
capitis addit, ſuperbia enim vanitatis lo-
quentes pelliciunt in deſiderijs carnis eos,
qui paululùm effugiunt, qui in errore con-
uerſati, libertatem illis promirtentes, &c.
Vide, obſecro, quàm benè beatus Petrus
hæteticos noſtri temporis, vel digiro oſten-
dat, nempè luxuriæ, carni, & auaritiæ de-
ditos, dominatiouem contemnentes, & fal-
ſam libertatem promirtentes, vt nos fugia-
mus luxutiam, auaritiam, & cætera vitia
quantum fieri poſſit, & dominarioni ſubij-
ciamur, falſas iſtas promiſſioues liberta-
tnm deteſtantes.

Quod eriam Paulus in ſecundo capi-
te, epiſt. ad Titnm confirmat dicens, ad
mone illos priucipibus, & poteſtatibus
ſubdiros eſſe, dicto obedire, &c. vbi proſe-
quitur exhortationem ad bnna opera, &
6 tandem concludt, vt cutent bonis operi-
bus præeſſe, qui creduot Deo, ſentiens ne-
ceſſariam bonorum operum exercitatio-
nem ad iſtam Dei credulitatem couſeruan-
dam.

Et Paulus 1. ad Timotheum 6. iuquit,
Radix omnium malorum eſt cupiditas,
7 quam quidam apperenres errauerunt à fide
& ioſeruerunt ſe dolotibus multis, ecce hìc
cupiditatem inordinatam bonorum tem-
poralium eſſe cauſam errandi à fide, & 1.
ad Timotheum 4. In nouiſſimo temporis
diſcedene quidam à fide, artendentes ſpi-
ritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum,
in Hypocriſi, loquentium mendacium, &
cauterizatam habentium ſuam conſcien-
tiam, ecce Hyp ocriſim, mendacium, & du-
plicitatem conſcientiæ (quantam tempo-
ribus noſtris experimur) operari amiſſio-
nem fidei, Taceo illos, quorum Deus ven-
ter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui
terrena ſapiunt, ad Philippenſes 3.

8 Et Chriſtus Lucæ 21. poſtquam Diſci-
pulis ſuis prænuntiauerit Pſeudo-Prophe-
tas, & hæreticos futuros, ac multa ſcanda-
la, quæ ventura erant, ſtatim in eodem ca-
pite dicit: Attendire autem vobis, ne for-
rè grauentur corda veſtra crapula, & æbrie-
tate, & vigilate, omni tempore orantes,
vt digni habeamini fugere iſta omnia, fu-
giamus quoque auaritiam, quæ eſt idolo-
rum ſeruitus, ad Epheſ. 5. tranſumptiuè
in cap. auaritiæ, de pręb.

9 Proptereà beatus Auguſtinus aſſi-
goans definitionem hęretici, quæ ſolet
proprietates definiri explicare, ſit ait in
capite hęreticus 24. quęſt. 3. hęreticus eſt,
qui alicuius temporalis commodi, & ma-
ximè vanæ gloriæ, principatuſque ſui gra-
tia, falſas, ac nouas opiniones, vel gignit,
vel ſequitur,

Vitemus ergo peccata, & terrena con-
tagia, quantum fieri poſſit, ſi ſcandala
hęreſum volumus euitare, etſi fortè per
fragilitatem noſtram, quæ multa eſt, pecca-
uerimus, ſol non cadat ſuper delicta noſtra
10 delendo ea per pœnitentiam, contritio-
nem, confeſſionem vocalem, ſatisfactionem,
Sacramentorum dignam frequentationem,
ac bonorum operum exercitationem, vt tot
malis graſſantibus, & abundante delicto-
11 rum ſtrage, abundet etiam iuſtitia, & gra-
tia Dei, vt ſic bonorum frequentatio fre-
quentationem malorum, tamquam poten-
tior abſorbeat, & expellat.

Videamus, & examinemus conſcien-
tias noſtras quotidiè ſuper delictis eo die
commiſſis, vt Poeta Virgilius Ethinicus,
& Gentilis in carmine illo, vir bonus ad-
uertit. Nàm inter cętera, quæ viro bono
ſenſit conuenire, ſic ait, iudex ipſe ſui to-
tum ſe explorat ad vnguem, non priùs in
dulcem declinat lumina ſomnum omnia,
quam longi teputauerit acta die. Hęc Vir-
gilius.

Vide etiam, quid Cato dixerit ad Ro-
manos, teſte Saluſtio in catilinario, quod
etiam reaſſumit Auguſtinus lib. 5. de Ciui-
tate Dei cap. 24. nolite, inquit, eſtimare
maiores noſtros armis Rempublicam ex
parua magnam fœciſſe, ſi ità eſſet, multò
pulcherrimam nos haberemus, quippè ſo-
ciorum, atque ciuium, armorum, & equo-
rum maior copiam nobis, quàm illis eſt,
ſed alia fuerunt, quæ illos magnos fece-
runt, quæ nobis nulla ſunt, ſcilicet domi
induſtria, foris iuſtum imperium, animus in
conſulendo liber, neque delicto, neq; libidi-
ni obnoxius. Pro his nos habemus luxu-
riam, atque auaritiam, publicam ægeſta-
tem, priuatamque opulentiam laudamus,
& diuitias ſequimur, inertiam, inter bonos
ſimiliter homines, & malos diſcrimen nul-
lum, omnia virtutis pręmia ambitio poſſi-
det, ideò ruunt omnia.

Hęc ſunt verba Catonis Gentilis, pru-
dens lector iudicet, an de noſtris hęc poſ-
ſint dici temporibus.

Et Valerius Maximus lib. 4. de abſti-
nentia, & continentia: loquens de geſtis
Fabricij, ait, Vrbs Tarautina, quæ volu-
ptati plurimùm tribuit, imperium maxi-
mum amiſit. & eodem lib. 4. quia hi de-
mùm pœnates (quod ſignificat ſuos falſos,
ac patrios Deos) ea Ciuitas, id regimen
æterno in gradu facilè ſteterit, vbi mini-
12 mùm vitium ventris, pecunięque cupido
ſibi vendicauerit.

Et Scipio relatus ab Auguſtino lib. 1.
cap. 33. de Ciuitate Dei, dicebat, nullam
cenſeri fœlicem Rempublicam, ſtantibus
mænibus, & tuentibus moribus, ad quod
etiam poſt adduci illud Pſalm. 143. oues
eorum fœtoſæ abundantes in egreſſibus
ſuis, boues eorum craſſę, non eſt ruina ma-
ceriæ, neque tranſitus, neque clamor in
plateis eorum, beatum dixeruot pupulum,
cui hęc ſunt, ſed Dauid aliter ſentiens, bea-
tus, inquit, populus, cuius Dominus Deus
eius.

Et Poggius Florentinus in epiſtola
ad Nicolaum V. Pontificem Maximum,
contra literarum ignaros dicebat, vbi do-
13 ctrinarum ceſſant exercitia, vbi nullum
inter doctos, atque ignatos diſcrimen vi-
get, vbi nullus virtuti locus, nulla ſtudio-
rum ratio habetur, vitia ibi regnent, tor-
peſcant ingenia, principatus, & regna de-
ſciſcant, rerumque omnium dominetur
confuſio neceſſe eſt.

Sed

Digitized by Google

Sed quid de moribus ego peccator prędico? nonne ſatis vicinorum noſtrorum in hęreſim prolapſorum propter ſimilia nos docet multitudo? Nonne plus oculis noſtris cernimus hoc, quàm in codicibus legamus, vt verbis Gregorij vtar in homilia ſuper Dominica prima Aduentus? Nonne ſatis magiſtra rerum prędicat expe-
14 rientia, & in vicinis plateis dat vocem ſuam. Abſtinendum ergo eſt à vitijs, pręſertim publicis,& ſcandalum generantibus, vt quæ fragilitate patrantur, nulla prorsùs obſtinatione,nec falſa confidentia nutriantur.

15 Vitandi ſunt etiam nouitatum inuentores, iuxtà illud Pauli 1. ad Timoth. 6. prophanas vocum nouitates deuitans.

Et Plato lib.6.de legibus dicebat, omnibus peſpicuum eſt, neminem leges nouas facilè ſuſcepturum, legibus antiquis vtendum eſt, in quibus nihil vmquam ſpontè mouebunt, ſi qua verò neceſſitas aliquando vigere videbitur, de hoc vnà conſulentur magiſtratus omnes, & populus vniuerſus.

Et omnia Deorum petantur oracula, ſi horum omnium vnus erit conſenſus, moueant, aliter verò numquam, ſed vnus, qui prohibeat, vincat, ad quod etiam videtur facere.

Quod apud nos dicebat Innocentius in cap. veniens num. 21. de pręſcriptio. Quòd licèt ad condendas leges ſufficiat conſenſus maioris partis vniuerſitatis, tamen ad conſeruandas iam factas, vel non abrogandas conſuetudines antiquas ſufficit vnius contradictio.

Et ad propoſitum reuertendo, idem Plato lib. 7. de legibus dicebat, mutationem in omnibus rebus, pręterquam in malis, eſſe periculoſiſſimam, omnes enim eas leges colunt, & innouare formidant, in quibus educati ſunt.

Et Plutarchus libro Politicorum ad Traianum dicit,nouis legibus ingenia moderari velle, non modò non facilè, ſed neque omninò tutum eſſe, quod Plinius breuioribus verbis complexus lib. 24. naturalis hiſtoriæ cap. 10. anceps, inquit, & & lubricum eſt, rerum omnium nouarum principium.

Et Ariſtoteles lib. 2. Politicorum 6. dicebat. Satiùs eſſe interdùm, aliquid à maioribus non omninò optimè conſtitutum tolerare, quàm quod multarum ætatum vſu receptum, & comprobatum fuit tollere, quaſi iniquum vniuerſæ Ciuitatis otium, atque pacem perturbando,aut eam in aliquod ſeditionis diſcrimen adducendo, vnde apud Locros, qui legis mutationem ſuadebat, laqueo collo circumducto id faciebat, vt ſi mutatio legis placeret, liberaretur, ſin minùs ſtatim contracto laqueo ſtrangularetur, prout refert Simancas cap.31.& apud Romanos legimus cautum,ne aliquis nouum Deum venerari poſſet, niſi priùs cauſa venerationis examinata, Senatus illum approbaret, & in Deum reciperet.

Et apud nos Vlpian.in leg.2.ff.de conſtitut. Principum dixit. In rebus nouis conſtituendis euidens vtilitas eſſe debet, vt recedatur ab eo, quod diù æquum viſum eſt.

Et plerumque diſcordiam pariunt nouitates, vt in cap. cum conſuetudinis, de conſuetud. & can. quis neſciat 11. diſt. vnde beatus Cyrillus in epiſtola ad Neſtorium, nouitatem ſeminarium hęreſum appellauit.

Et natura noſtra, quæ prona eſt ad malum, capite omnis ætas 22. quęſt.1. nouas ſęper deproperat edere formoſas l.2. §. Sed quia diuinæ, codice de veteri iure enucleando, & humanæ naturæ multæ ſunt nouitates, dicebat text. in §. ſi quis ſanæ, in authent. quibus mod. naturales effician. leg. coll. 6. & indè, prout dicebat gloſs. notab. in proœmio Gregoriano, verbo noua litigia naſcuntur lites.& tot opinionum diuerſitates, vt eleganter dixerit text. in cap. quia diuerſitatem, de conceſſion.pręben. quòd diuerſitatem corporum Sæpè ſequitur diuerſitas animorum, & Perſius.

Milla hominum ſpecies, & rerum diſcolor vſu

Et Virgilius,

Scinditur incertum,ſtudia in contraria vulgus.

Deteſtanda eſt ergo nouitas omnis, quia ex hoc ſolùm, quòd eſt nouitas, videtur contraria veritati, iuxtà expoſitionem nouitatis, & Latino, & Hiſpano ſermone receptam, dicitur namque nouitas, quaſi non veritas, & nouedad, quaſi no verdad. ſequamur vetuſtatem, quæ teſtis veritatis interpretatur, iuxtà illud Ouidij faſtorum 4. Pro magno teſte vetuſtas creditur, & idem libro primo Metamorphoſeos.

Saxa (quis hoc crederet, niſi ſit pro teſte vetuſtas)
Ponere duritiam, capere.

Et Virgilius loquens de obſeruatione ſuæ falſæ Idolorum, ac templorum culturę vetuſtatem citat in teſtem,dicens lib.2. Eneidos.

Eſt Vrbe egreſſus tumultus, templumque vetuſtum
Deſertæ cereris, iuxtàque antiqua cupreſſus.
Religione Patrum multos ſeruata per annos.

Vbi religionem Patrum, & multorum annorum obſeruationem ponderabat Gentilis.

Sic etiam, & perfidi Phariſæi, Matthæi 15. Chriſti Diſcipulos increpabant, quòd non cuſtodirent pręcepta, & traditiones ſeniorum, nec propterea reprehenſi fuerunt à Chriſto, ſed quia propter malas ipſorum Phariſæorum traditiones, tranſgrediebantur pręceptum diuinum, & naturales de parentibus honorandis, & textus apud nos, in leg. Teſtamenta omnia C. de Teſtamentis, fideliſſimam appellauit

Google

vetuſtatem dicens : Mos namque fideliſſimæ vetuſtatis eſt retinendus, cui conſonat illnd Eſaiæ cogitationes antiquas fideles Amen, & in §. illud, in auth. de appellat. collat 4. ſimiliter, & in cap. anteriorum §. illud 2. queſt.6. legitur, illud diſponendum eſt, quod antiquitas benè ſtatuit, oouitas autem neglexit, quia veneranda eſt vetuſtatis auctoritas, & in leg. 2. §. quæ omoia codice, de veteri iure Enuclean. dicit legislator.

Tanta autem oobis antiquitati eſt habita teuerentia, vt eam obliuioni tradere nullo modo patiamur, & in cap. 4. de translat: Epiſcopi, ait textus, ſicut teſtatur antiquitas, cui decreta Patrum ſanxerunt reuereutiam exibendam, & in capite, contra ſtatuta 25. queſt.1. dicit textus, contra ſtatuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec huius ſedis poteſt auctoritas, apud nos enim inconuulſis radicibus viuat antiquitas, cui Decreta Patrum ſanxere reuerentiam.

Vide in d. cauſa, & queſtione multos textus in eam rem, & in cap. cooqueſtus 9. queſt. 3. & Auguſtinus lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 23. dicebat, neque nouis legibus de religione loquendum eſt, ne verborum licentia, etiam de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem, & in libro de ratione animæ, quandam nouam opinionem ea ſola ratione repellit, quia ſola uouitate diſplicebat.

Vnde perbelle dicebat Gregorius Dux Saxoniæ, quem refert Simanras c. 31. quòd Lutherani neſciebaut hodie, quid anno ſequenti credituri eſſent, nempè propter tot diuiſiones Eccleſiarum maliguantium, & cathedrarum peſtilentiæ, contra vnicam, & vniuerſalem Ecrleſiam Romanam ceteris ſuperiorem recalcitrantium, & contra omnia iura clamantia, quod vna, & eadem res diuerſo iure non cenceatur l. 1. verſiculo, nec ratio patitur ff. de rerum permutat. leg. eum, qui ædes ff. de vſucapien. quæ opinionum confuſio vſque adeò excreuit.

Vt cum beato Baſilio ad Conſtantium deplorare poſſimus, tot fides, ſeu falſas ſectas audientes, quot ſunt hominum voluntates. Hanc igitur Eccleſiæ, & voici Ouilis vnitatem, à Domino, & per Apoſtolos, ac Sanctos traditam, quantùm poſſumus tenere curemus.

Vt verbis Cypriani vtar in epiſt. 11. ad Cornelium, & quod in nobis eſt, palabundas, & errantes oues, quas quorumdam peruicatium factio, & hæretica renratio à matre ſecernit, in Eccleſiam colligamus, illis ſolis foris manentibus, qui in obſtinatione, & factione ſua perſeuerant, & in epiſtola de Eccleſiæ vnitate.

Hoc vnitatis hoſpitium deſignat Dominus in Pſalm. dicens, Deus, qui inhabitare facit vnanimes in domo, nam in domo Dei, dicit ille Martyr, & Doctor Glorioſus, vnanimes inhabitaot concordes, & ſimplices perſeuerant, idcircò, & in Columba venit Spiritus ſanctus, ſimplex animal, & lætum, non ſelle amarum, non morſibus ſæuum, non vngulatum laceratione violentum, & paulò inferiùs.

Hæc eſt in Eccleſia noſcenda ſimplicitas, hæc charitas obtinenda, vt columbas fraternitatis dilectio imitetur, & vt manſuetudo, & lenitas agnis, & ouibus æquetur.

Et Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio ait, omoe ambiguum ideò moleſtum eſt, quia non habet certam vnitatem, & idem de vera religione, nullum, inquit, eſſe corpus, nullam ſpeciem, quæ non habeat vnitatis veſtigium, vbi etiam pulchritudinem vnitatis commendat, & efficaciam eius oſtendit in lib. 5. de baptiſmo, contra Donatiſtas, Hieronymus etiam, cap. 1. Prouerbiorum, ait non ſufficit, vt quis dicat ſe Deum diligere, ſi vniratem Eccleſiæ fraterna charitate non ſequitur, & idem Hieronymus; ad Gerotiam de monogamia, ſit vna Eua mater cunctorum viuentium, & vna Eccleſia parens omnium Chriſtianorum, ſicut illam maledictus Lamech in duas diuiſit vxores, ſic hanc hæretici in plures Eccleſias lacerant, quæ iuxtà Ioann. Apocalypſim, magis Synagogæ Diaboli appellandæ ſunt.

Et Chryſoſtomus in caput Ioann. 1. homilia 25. quæ amicitia, quæ familiaritas tanta contrahere vnionem poſſet, quantam fidei cognatio? non enim quantam amicus amico debet propinquitatem, tantam nos inuicem habere oportet, ſed quanta eſt membri ad membrum, omnes enim in vnum corpus baptizati ſumus, vt vnius corporis membra non diuidamur, ideò tanquam domum vnam nobis Deus largitus eſt mundum, vnum ſolem omnibus lucere facit, vno nos tectu, cœlo videlicet operuit, vnam cunctis menſam, hoc eſt, terram communicauit, vnum generationis modum ſpiritalem omnibus largitus eſt, vna nobis & communis in cœlo patria.

Idem porulum omnibus propinatur, & Cyrillus lib. 1. de trinitate, etenim ad vniratem, quæ eſt per fidem, collecti, & congregati ſumus, dicente Paulo, vnum corpus multi ſumus, eò quòd ex vno pane participes ſumus, an ignoras gentes, vnum corpus Chriſti factas, vnionem cum illo per fidem habere, & Lactantius de ira Dei ad Donatum cap. 11. non poſſunt in hoc mundo multi eſſe rectores, nec in vna domo multi Domini, nec in naui vna multi gubernatores, nec in armento, aut grege duces multi, ſed nec in cœlo multi ſoles eſſe, non poſſunt, ſicut nec animæ plures in vno corpore, adeò in vnitate vniuerſa natura conſiſtit. & teſte Caſſiodoro in Pſalm. 1. ad finem, vnitas ſpecialis ſimplex, atque perfecta eſt nullius indiga, in ſe ipſa peremnitet manens, à quo fonte multitudo numerorum ſic egreditur, vt ad eam ſemper, quamuis multiplicata, reuocetur, ſine qua ſupputatio, nec inchoare quicquam præualet, nec prodire.

Et vt iam vela noſtræ vnitatis contrahamus, maneamus, obſecro, intrà hoc vnum Ouile, de quo poſſumus dicere illud Chriſti ad Martham, Lucæ 10. Porrò vnum eſt neceſſarium, id eſt, ſine quo nihil gratum poſſumus retribuere Deo, à quo tot bona

ſu-

ſuſcepimus, nihil horum, quæ à maioribus noſtris ſeruata fuerunt contemnamus, quantumcumque modicum videatur, ne fortè eueniat nobis, quod vicinis noſtris euenisſe videmus, qui modica ſpernentes, paulatim in maiora ſcandala deciderunt, Eccleſiaſtici 19. vnitatem hanc Deo dilectiſſimam diligamus, pro ea frequenter orantes, verſumque illum, qui in litanijs legitur, repetentes, vt cuncto populo Chriſtiano pacem, & vnitatem largiri digneris, nam vt dicebat eleganter Hilarius homilia ſuper Ioannem, de hac naturali in nobis Chriſti vnitate, quæ dicimus, niſi ab eo diſcimus, ſtultè, atque impiè dicimus. Conſideremus, quod virtus vnita fortior eſt ſeipſa diſperſa.

Teſte Philoſopho, & cap. 1. de tregua, & pace, & vnum magnum præualet pluribus paruis, etiam in lumine naturali, vt per iuriſconſultum in l. ſi is, qui §. fin. ff. de excuſat. tuto.

Et Plinius Iunior lib. 9. epiſtolarum ad Ruſticum dicebat. Satiùs eſt vnum aliquid inſigniter facere, quàm plura mediocriter, ſed quid alia teſtimonia noſtrę vnitatis inquirimus, cum virtutem eius ſatis oſtenderit ſancta liga, & vnitas Principum Chriſtianorum ſub fœlicis recordationis Pio Papa V. & Catholico Hiſpaniarum Rege Philippo Domino meo congregata aduersùs Chriſtianorum ferociſſimum hoſtem Turcam, nouiſſimè diebus iſtis in bello nauali proiectum, & fugatum cum exercitu ſuo.

Et de ſapientia dicebat Salomon Sapientiæ 7. vt ſæpiùs repetamus, cum ſit vna, omnia poteſt, & in ſe permanens omnia innouat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert. Et paulò ante in eodem capite dixerat, quòd Spiritus ſapientiæ eſt vnicus, ponderentur, obſecro, verba illa, & ratio illorum verborum, & cum ſic vna, omnia poteſt, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert, quia ſunt duo percipui effectus noſtræ vnitatis, vnde Eccleſia vniuerſalis nobilior, & rationi conformior eſt vna ſemper exiſtens, & vnum ſupremum pro Chriſto Vicarium viſibilem agnoſcens, quàm ſi in plures, & Acephalas Cathedras peſtilentiæ diuideretur, prout hæretici in plures partes eam diuidere conantur, ponderemus etiam poſt tot perſequutiones ciuitatis Hieruſalem, & populi Iſrael recitatas in libris Machabæorum, quomodo ſcriptura Sacra pacem, & tranquillitatem attribuat ſummi Pontificis, & vnius ſupremi ſacerdotis gubernationi, dicens 2. Machab. 3. Igitur cum ſancta ciuitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optimè cuſtodirentur, propter Oniæ Pontificis diſpoſitionem, & pietatem, fiebat vt, & ipſi Reges, & Principes locum ſummo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illuſtrarent.

Et paulò inferiùs: pro ſalute Heliodori, qui iacebat priuatus omni ſpe, & ſalute, iudicio Dei, quia templi dona rapuerat, amici Heliodori confeſtim rogauerunt Oniam ſummum Pontificem, vt inuocaret altiſſimum, vt vitam donaret ei, qui in ſupremo Spiritu erat conſtitutus, & ad preces ſummi ſacerdotis iſtimet duo iuuenes, qui Heliodorum verberauerant, dixerunt Heliodoro, Oniæ ſacerdoti gratias age, nam propter eum Dominus tibi vitam donauit, tu autem à Deo flagellatus, nuncia omnibus magnalia Dei, & poteſtatem, & his dictis non comparauerunt, vt intelligas Catholice lector, quantum Deus exaltet vnius ſummi Pontificis gubernationem.

Memoriæ commendemus illud Auguſtini contra epiſtolam Manichæi, cap. 4. dicentis, multa ſunt, quæ me intrà Eccleſię gremium iuſtiſſimè tenent.

Tenet conſenſio populorum, atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata.

Tenet ab ipſa Sede Apoſtolica Petri, cui Dominus paſcendas oues tradidit, vſque ad preſentem Epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum, & idem ait in epiſtola contra partem Donati, numerate, inquit, ſacerdotes, vel ab ipſa Sede Petri, quam non vincunt ſuperbæ inferiorum portæ, & in epiſtola 166. ad Generoſum, numerat Romanos Pontifices à Petro vſque ad Anaſtaſium Pontificem, qui tunc præſidebat, & dicit, in hoc ordine nullus Donatiſta Epiſcopus inuenitur, quod factum fuiſſe, & ab Optato, qui fuit contemporaneus Auguſt. lib. 2. contra Donatiſtas, legimus vſque ad Siricium Papam, & Irenæus martyr antiquiſſimus.

16 Vt refert Euſebius lib. 5. cap. 6. eccleſiaſticæ hiſtoriæ, numerauit eos vſque ad Eleutherium eadem motus conſideratione.

Hunc ergò Paſtorem ſanctum vnici Ouilis Romanum Pontificem veneremur tamquam Chriſti Vicarium, & Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſorem, vt ſic fidem Catholicam conſeruantes, ac bonis operibus ornati per merita paſſionis Domini noſtri, ſine qua iuſtitiæ noſtræ, quaſi pannus menſtruatæ fuiſſent, de iſta inferiori Hieruſalem ciuitate, quæ interpretatur ciuium vnitas, & pacis viſio, ad illam ſupernam triumphantem (vbi gaudium nemo tollet à nobis) aſcendere mereamur. Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat Deus in ſecula ſeculorum, Amen.

MAR-

MARTINI BECANI

Societatis Ieſu Sacerdotis, & Theologi.

DISPVTATIO THEOLOGICA

DE ANTICHRISTO REFORMATO.

In qua tum alij, tum Marpurgenſis quidam Caluiniſta refutatur, qui nuper duplici Elencho conatus eſt probare Papam eſſe Antichriſtum.

CVM APPENDICE

An Romana Eccleſia defecerit à fide.

Martinus Becanus, Natione Belga, Patria Brabantus, ex Hiluarenbeca Campiniæ municipio oriundus. Vir fuit magno ingenio, & ad omnem litteraturam naro in Philoſophia, ac Theologia clarus, in quibus in Societate Ieſu primùm ſe exercuit Diſcipulum, & deinde Magiſtrum in Philoſophia per quatuor annos, & viginti duos in Theologia; Herbipoli, Moguntiæ, Viennæ Auſtriæ rara cum admiratione, & conſtanti Auditorum applauſu. Celeberrimam eius famam reddidit facilis quædam in interpretando Diuo Thoma Aquinate, fideique Controuerſijs omnibus enodandis perſpicuitas, breuitas, & plena doctrinæ ſanæ ſoliditas, quam humaniſſima teligioſæ modeſtiæ comitas exornabat; vt Matthias Imperatot Martinum tamquam abſolutiſſimum Theologum ad Viennenſem Academiam illuſtrandam euocarit. Demùm Ferdinando II. Cæſari Auguſto factus à confeſſionibus, triennio; quo munus ſuſtinuit, incredibile dictu eſt, quàm carus Palatinæ Nobilitati fuerit, eo maximè nomine, quod in tanta opportunitate agendi nequaquam ſe pateretur ad politica negotia, atque à ſuo inſtituto aliena tractanda pertrahi. Intereà omnibus & ſapientia, & ſuauitate dicendi, & loquendi velut alter Hercules Gallicus catenas aureas iniecerat, ſolitus ipſos etiam hæreticos paſſim obuios honore præuenire, vt tali eos honore demereretur. Caluiniſtas ità inſectatus eſt, vt ab aliquibus Caluiniſtarum malleus, & Caluino Maſtix non immeritò appelletur, & à nonnullis æquetur Bellarmino, & à pluribus in controuerſijs anteponatur, cùm ſcripſerit præſens hæreticis, & prorsùs cognitis eorum ſententijs, & ſimul radicitùs euulſis, quod primùm non contigit, alioquin doctiſſimo, & ſummo Bellarmino, cùm ſcripſerit procul ab hæreticis. Tandem Martinus acutiſſimis colicæ doloribus paucis diebus confectus obijt Viennæ 9. Kalendas Februarij anno 1624. ætatis 63. Religionis 41. cum magno Cæſaris, & Catholicæ Religionis detrimento, & totius Reipublicæ

Chri-

Chriſtianæ luctu. Scripſit primò Summam Theologiæ Scholaſticæ, de Deo, Attributiſque diuinis, Sanctiſs. Trinitate, Angelis & dæmonibus, operibus ſex dierum, ac Statu Innocentiæ Tomum primum Lugduni 1629. De Beatitudine, & actibus humanis, peccatis, legibus, gratia, iuſtificatione, & merito Tomum 2. ibidem: De Fide, Spe, & Charitate Tomus 3. Tomum 4. De Iuſtitia, & Iure. Tomum 5. De Myſterio Incarnationis ibidem 1640. Tomum 6. De Sacramentis Eccleſiæ ibidem eodem anno. Scripſit primùm poſt ſummam, Analogiam Veteris Teſtamenti, quam è Moguntia vbi erat Profeſſor ordinarius dedicat Ferdinando Imperatori Inuictiſſimo, in eoque libro agit de omnibus Veteris Teſtamenti per 26. capita; De Scriptura, & traditione 5. Tom. 2. De Fide, & Symbolo. 3. De Spe, promiſſione, & oratione. 4. De Charitate. 5. De Lege Moſaica. 6. De Synagoga. 7. De Miniſtris. 8. De Prophetis. 9. De Religioſis Synagogæ. 10. De Sectarijs. 11. De Iudice controuerſiarum, qui erat Pontifex. 12. De inſtrumentis diuini cultus. 13. De ipſo diuino cultu. 14. De Sacramentis. 15. De obſeruantijs legalibus. 16. De Regno, Regibus, & Iudicibus. 17. De bello, & Caſtris. 18. De furto, & vſura. 19. De homicidio, & ciuitatibus refugij. 20. De Matrimonio. 21. De Polygamia. 22. De Zelotypia. 23. De libello repudij. 24. De adulterio, & ſtupro. 25. De Seruis, Mercenarijs, Peregrinis, & Pauperibus. 26. De Reformatione. Edidit poſteà Tomos quinque opuſculorum, quæ aliqui diuidunt in duos. In primo Tomo continentur opuſcula 15. Primò: De Prædeſtinatione Caluiniſtarum deſperata. 2. De Prædeſtinatione Catholicorum Orthodoxa. 3. De Auctore peccati, ſeu an alius ſit Caluiniſtarum, alius Catholicorum Deus. 4. De Iuſtificatione Caluiniſtarum. 5. De Iuſtificatione Catholicorum. 6. De Merito, ac iuſtitia bonorum operum ſecundùm Caluiniſtas. 7. De merito, ac iuſtitia bonorum operum ſecundùm Catholicos. 8. De Auxilijs gratiæ Chriſti ſecundùm Catholicos. 10. De Circulo Caluiniſtico contra Dauidem Paręum cum Appendice. 11. Quæſtiones Caluiniſticæ contra eumdem Paręum. 12. Aphoriſmi doctrinæ Caluiniſtarum cum breui reſponſione ad Aphoriſmos falsò Ieſuitis impoſitos. 13. De differentia inter Pelagianos, Caluiniſtas, & Catholicos in negotio prædeſtinationis. 14. De officijs Angelorum circa homines. 15. Breuis Refutatio quarumdam propoſitionum Philippi Pleſſęi Caluiniſtæ de Euchariſtia. Opuſcula ſecundi Tomi ſunt 11. Primò: Diſputatio de fide hæreticis ſeruanda cum Appendice. 2. Quæſtiones Miſcellaneæ de eadem materia contra quemdam Batauum Caluiniſtam. 3. De Antichriſto Reformato. 4. An Eccleſia Romana defecerit. 5. De triplici Cœna Caluiniſtarum, Lutheranorum, & Catholicorum. 6. De Communione ſub vtraque ſpecie contra Huſſitas, Lutheranos, & Caluiniſtas. 7. Epiſtola ad Fridericum Balduinum de eodem argumento. 8. Refutatio Apologiæ Regis Angliæ de Primatu Eccleſiæ. 9. Refutatio torturæ torti, ſeu in Sacellanum Regis Angliæ, quod cauſam ſui Regis negligentem egerit. 10. De Purgatorio Caluiniſtarum. 11. De triplici ſacrificio Naturæ, Legis, & Gratiæ. Opuſcula tertij Tomi ſunt ſeptem. Primò: Examen plagæ Regiæ. 2. De fide Deo ſeruanda. 3. Priuilegia Caluiniſtarum. 4. Quæſtiones Batauicæ. 5. Diſſidium Anglicanum. 6. Duellum. 7. De Pontifice veteris Teſtamenti. In quarto Volumine continentur quinque opuſcula. Primò: Tituli Caluiniſtarum. 2. De Primatu Eccleſiæ Regio, Examen concordiæ Anglicanæ. 3. Epiſtola ad Ioannem Sartorium Miniſtrum Lutheranum, de inſtitutione, & vſu Sacroſanctæ Euchariſtiæ. 4. Ad D. Georgium N. nuper ex Caluiniano factum Catholicum, de Comparatione Eccleſiæ, & Synagogæ epiſtola. 5. Ad illuſtrem Virum de Oratione pro Defunctis epiſtola. In quinto Tomo continentur ſex opuſcula. Primò: De inuocatione Sanctorum. 2. De vocatione Miniſtrorum veteris, & noui Teſtamenti. 3. De Iudice controuerſiarum fidei. 4. Apologia pro Iudice controuerſiarum contra Gardium. 5. De fide hæreticis ſeruanda Tractatus. 6. De Eccleſia Chriſti. Præter hæc opuſcula extant de Republica Eccleſiaſtica libri quatuor contra M. Antonium de Dominis. Primò: De Chriſto ſupremo Eccleſiæ Capite, ſeu Monarcha. 2. De Primatu Petri. 3. De Primatu Romani Pontificis. 4. De Rectoribus, & Miniſtris Eccleſiæ. Prodierunt & alia opuſcula, de ſtatu animarum poſt hanc vitam, de Cenſuris Eccleſiaſticis, de Reſurrectione, &c. Compendium Manualis eius, quod habetur inter opera Polemica Tomo 11. controuerſiarum huius temporis de fide, ac religione vltimus Becani partus in varijs Germaniæ, ac Belgij Prouincijs inſigni animarum lucro diuerſis

formis

formis excuſus inuenitur. Scripſit autem contra Caluiniſtas ſolùm, non contra Lutheranos innumeram aliam Sectariorum turbam triplicem cauſam affert, quia Caluiniſtæ cæteris ſunt peſtilentiores; 2. quia maiori proteruia, & audacia Catholicos inuadunt, turbulentiora habent ingenia, & faciliorem aditum parant ad Atheiſmum. Meminere Becani innumeri Scriptores, & præcipuè Bibliotheca Patrum Societatis, & aliæ. Cùm enim ſemper floruerit in Theologia tum ſpeculatiua, tum dogmatica ab vtriuſque Sectatoribus paſſim citatur, & ſemper non ſine magna nominis fama.

De Antichriſto Reformato.

LVtherani, & Caluiniſtæ, qui ſe Reformatores, ac reformatos vocant, multa in Eccleſia Chriſti reformare aggreſſi ſunt, quæ pridem per Pontificios, vt ipſi aiunt, corrupta erant. Ac primò, vt cætera nunc omittam, nonnulla, quæ difficiliora videbantur penitùs ſuſtulerunt, vt ieiunia, feſta, ſacrificia, & non pauca ſacramenta.

Secundò, fidem ſpeciali priuilegio auxerunt. Nam cum antea, ſine pænitentia, & alijs pijs operibus parum prodeſſe poſſet, nunc, Nouatorum conceſſione, omnem iuſtificandi vim, & efficaciam ſibi vendicat.

Tertiò, excuſſo Decalogo, & alijs præceptorum oneribus, veram libertatem aſciuerunt.

Quartò, ignem purgatorium, tanquam infamem carnificinam, abrogarunt. Denique, vt ad inſtitutum veniam, nouum Antichriſtum deſignarunt. Is cuiuſmodi ſit, ex ſequentibus propoſitionibus innoteſcet.

Prima Propoſitio: Antichriſtus propriè dictus, qui in ſacris literis deſcribitur [homo peccati, & filius perditionis,] iam pridem in hunc mundum venit:

Secunda propoſitio, Et eſt ipſemet Pontifex Romanus, ſine vlla dubitatione. Omnes enim Notæ Antichriſti, quæ in Scriptura fundatæ ſunt, optimè quadrant in Pontificem Romanum.

Tertia Propoſitio. Sunt autem hæ potiſſimum.

1 *Deficere à verâ fide.* 2. Theſſ. 2. 3.
2 *Sedere in templo Dei.* ibidem.
3 *Oſtendere ſe tamquam Deum.* ibidem.
4 *Extollere ſe ſupra omnem Deum.* ibidem.
5 *Negare Chriſtum.* 1. Ioannis 2. 22.
6 *Idola colere.* Dan. 11. 36.
7 *Facere prodigia, & miracula falſa.* 2. Theſſ. 2. 9.
8 *Imprimere ſubditis characterem.* Apoc. 13. 16.
9 *Blaſphemum eſſe.* Dan. 7. 25.
10 *Sanctos perſequi.* ibidem.

Quarta Propoſitio. Omnes, inquam, hæ Notæ quadrant in Pontificem Romanum, vt inductione patet.

1. *Deficit à vera fide in multis articulis.*
2 *Sedet Romæ in Eccleſia Dei.*
3 *Oſtendit ſe tanquam Deum, ideſt, tamquam viſibile Eccleſiæ Catholicæ caput.*
4 *Extollit ſe ſupra omnem Deum, id eſt, ſupra omnem ordinem politicum, & Eccleſiaſticum.*
5 *Negat Chriſtum, quia doctrinam eius corrumpit.*
6 *Idola colit, quia panem miſſaticum, & imagines adorat.*
7 *Facit falſa miracula Laureti apud ſtatuam Mariæ Virginis, et alibi.*
8 *Imprimit ſubditis characterem, vngendo illos chriſmate.*
9 *Blaſphemus eſt in Deum, et ſeruos eius, qui Eccleſiam reformant.*
10 *Sanctos Dei perſequitur, vt Huſſium, Lutherum, Caluinum, et ſimiles.*

Quinta Propoſitio. Ex his tamquam immotis ſcripturæ fundamentis apertè concluditur, articulum fidei eſſe, quod Papa ſit Antichriſtus; & tam indubitatum, quam quod Deus ſit in cœlo, creator, viſibilium, & inuiſibilium.

Hæc eſt breuis reſolutio doctrinæ Lutheranorum, & Caluiniſtarum de Antichriſto reformato; quę deinceps examinanda eſt. Antequam verò ſigillarim ſingulas propoſitiones expendamus, priùs generalia quædam vitia, quæ in reformando Antichriſto admiſſa ſunt à Reformatoribus breuiter aperienda ſunt. Præcipua ſunt hæc.

Primò: Contemptus Sanctorum Patrum: & totius antiquitatis.

Secundò: Praua Scripturæ interpretatio.

Tertiò: Perpetua mendacia, & calumniæ.

Quartò: Mutua inter ipſos diſſenſio.

Quintò: Maiorum noſtrorum iniqua condemnatio. Hæc ſingula breuiter demonſtrabo.

PRIMVM VITIVM Reformatorum.

Contemptus SS. Patrum.

ADuerſarij, quia videbant ſe in reformando Antichriſto contra venerandam Patrum antiquitatem luctari; cœperunt palàm, & apertè illorum authoritatem reijcere, & quaſi toto cœlo aberraſſent, illorum ſuffragia aſpernari. Ne longus ſim,

ex vno

ex vno diſce omnes. Franciſcus Iunius Caluiniſta in ſuis animaduerſionibus circa 3. librum Bellarmini de Pontifice, qui eſt de Antichriſto, ſic paſſim de illis loquitur.

1 *Patres à vero, vt plurimùm aberrarunt.* pag.402.
2 *Hæ Sanctorum Patrum coniectura.*
3 *Hæ mera coniectura, & probabilitate carentes.* (pag.422.)
4 *Hæc non teſtimonia ſunt veritatis, aut probabilitatis: ſed puri puti* ſtochaſmoì, *opiniones, & ſuſpiciones vanæ, quibus boni Patres plùs ſatis indulſerunt.*(425)
5 *In hoc argumento communem errorem minimè ſtabilit Sanctorum Patrum auctoritas.* (432.)
6 *Hæc non diuinorum Prophetarum effata ſunt; ſed diuinationes falſa errantium.* (435.)
7 *Patrum teſtimonia in hoc caſu fidem non obligant.*
8 *Negamus horum auctoritatem in hoc genere magnam eſſe, cum bona Patrum ipſorum venia.* (439.)
9 *Quàm infirma ſit Patrum auctoritas in hoc argumento, aliquoties oſtendimus.*
10 *De interpretationibus Patrum in obſcuro hic palpantium, iam ſatis dictum.* (440.)
11 *Nos auctoritati diuinæ, ac non opinionibus humanis credimus.* (ibidem.)
12 *Coniectura veterum non probant in hoc argumento.* (446.)
13 *Totam hanc interpretationem negamus; quamuis auctoribus multis olim, & hoc quoque tempore placuerit.* (403.)
14 *Sed aliter exponit Hieronymus, inquies. Nouimus id quidem; ſed alienam eſſe à Danielis mente affirmamus interpretationem illius. Nec maiorem coniecturarum, quæ ex alijs Patribus adferuntur, auctoritatem oportet eſſe.* (441.)
15 *Negamus de Antichriſto propriè, & hiſtoricè Danielem agere: de Antiocho affirmamus cum bona Patrum Sanctorum venia.* (449.)

Hæc & ſimilia de antiquis Patribus Nouator Caluiniſta, in quem optimè conueniat illud D. Auguſtini lib.1. contrà Iulianum cap.2.[I.Nunc, & Sanctæ Eccleſiæ tot,tantoſque Doctores, qui vita optimè geſta, debellatiſque ſuorum temporum erroribus, glorioſiſſimè de hoc ſeculo, antequam vos ebulliretis, exierunt, tanquam ſecurus inſulta.]

Quod dixi de Franciſco Iunio, dicendum eſt de cæteris omnibus. Omnes, quotquot Reformatores ſe vocant, in eadem ſchola edocti ſunt. Omnes, contempta Patrum antiquorum auctoritate, ſuo iudicio ſtare, & ſapere volunt, immemores illius Eccl.8.11. [Non te prætereat narratio ſeniorum: ipſi enim didicerunt à Patribus ſuis; quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſſitatis dabis reſponſum.]

SECVNDVM VITIVM Reformatorum.

Praua Scripturæ interpretatio.

1 Reiectis, & repudiatis Patribus, quid ſupererat, quàm vt quiſque pro ſuo cerebro ſacram ſcripturã interpretaretur? Hoc faciunt noſtri Nouatores in reformando Antichriſto. Et dupliciter hìc peccant.

Primò. excogitando nouas, & falſas ſcripturæ interpretationes, vt probent, Pontificem eſſe Antichriſtum.

Secundò, excludendo veras, germanas, & veterum auctoritate confirmatas, quibus nos probamus Pontificem non poſſe eſſe Antichriſtum.

2 Prioris generis exempla ſunt hæc. Primum eſt 2.Theſſ. 2.4. [Ità vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquã ſit Deus.] Hunc locum, qui de Antichriſto intelligitur, Iconius Caluiniſta in ſuo duplici Elencho ſic explicat; [Oſtendens ſe, tamquam ſit Deus, id eſt, exhibens ſe pro viſibili Eccleſiæ Catholicæ capite:] vt hinc probet Pontificem Romanum eſſe Antichriſtum. Sed quis non videat nouam, & inauditam eſſe explicationem? Immò apertè falſa eſt. [Nam oſtendere ſe tamquam Deum,] ponitur ab Apoſtolo tamquam [Nota] quædam Antichriſti, quæ ſine dubio culpanda eſt. Exhibere autem ſe pro viſibili Eccleſiæ Catholicæ capite, non eſt Nota Antichriſti; ſed priuilegium Petri, & Succeſſorum eius. An non Petrus conſtitutus fuit viſibilis Paſtor ſuarum ouium, quando dixit illi Chriſtus; [Paſce oues meas?] Omninò. At Paſtor, reſpectu ſui gregis, non eſt brachium, aut tibia, ſed caput; & quidẽ caput viſibile, ergo Petrus fuit viſibile caput ſui gregis, id eſt, ouium Chriſtianorum, ſeu totius Eccleſiæ Catholicæ. An ideò fuit Antichriſtus? Nequaquam.

3 Secundum eſt, ibidem; [Extollitur ſuprà omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur. [Idem Iconius Caluiniſta, vt poſſit hoc accomodare Pontifici, interpretatur hoc modo: [Extollitur ſuprà omne id, quod dicitur Deus, aut ſebaſma, id eſt, ſuprà omnem ordinem Eccleſiaſticum, & politicum.] Æquè noua, & falſa explicatio. Non enim Apoſtolus, per omne id, quòd dicitur Deus, aut numen, intellexit omnem ordinem Eccleſiaſticum, & politicum; ſed omnem Deum, ſiue verum, ſiue falſum, vt apertè conſtat ex Daniele cap.11.36. vbi eandem Apoſtoli ſententiam expreſſit his verbis; [Eleuabitur, & magnificabitur aduersùs omnem Deum, & aduersùs Deum Deorum loquetur magnifica. Et Deum Patrum ſuorum non reputabit, nec quemquam Deorum curabit, quia aduersùs vniuerſa conſurget.] Certè aliud eſt, extolli ſuprà omnem Deum, etiam Deum Deorum; aliud, extolli ſuprà omnem ordinem Eccleſiaſticum, & politicum. Illud priùs conuenit Antichriſto: hoc poſteriùs poteſt

etiam bonis vitis conuenite. An non Moſes, anrequam Aaron conſecraretur, erat ſuprà omnem ordinem Eccleſiaſticum, & politicum apud Iudæos? An non Conſtantinus Imperatot (ex ſententia Nouatorum) erat ſuprà omnem ordinem Eccleſiaſticum, & politicum in Concilio Nicæno generali? An ideó Anticſſriſtus? Videant Nouatores, & maximè Iconius Matpurgenſis Profeſſor.

4 Tertium eſt, Apocal. 17. 5. [Babylon magna matet fornicationum, & abominationum terræ.] Et infrà v. 9. [Septem capita, ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet.] Hìc paſſim clamant Aduerſarij, pet Babylonem intelligi, quæ habet ſeptem montes, & mulierem ſedentem ſuper ſeptem montes, intelligi Antichriſtum, qui Romæ dominatur. Nimirùm, vt perſuadcant, Papam eſſe Antichriſtum. Sed apertam vim faciunt Scripturæ. Nam mulier illa, quæ ſedet ſuper ſeptem montes, non eſt Antichriſtus, vt ipſi fingunt; ſed eſt ciuitas magna, vt ipſemet Ioannes exponit in fine capitis, cùm ait: [Et mulier, quam vidiſti, eſt ciuitas magna, quæ habet regnum ſuper reges terræ.] Niſi fortè idem ſit Nouatoribus Ciuitas, & Antichriſtus; Pagus, & Ioſephus.

5 Quartum eſt Matth. 24. 15. [Cùm videritis abominationem deſolationis, quę dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto.] Hæc verba Pouellus Caluiniſta lib. 1. cap. 4. §. 4. & 5. ex odio in Romanum Pontificem, interpretatur de deſolatione Romana per Antichriſtum futura. Quid non licet his hominibus? Chriſtus disertè loquitur de deſolatione Ieroſolymitana, non de Romana. Sic antiqui Patres interpretantur. Sic Beza, & plures Caluiniſtæ in illum locum. Imò ipſemet Pouellus fateri id cogitur.

Nam ſermo eſt de ea deſolatione, quæ à Daniele prædicta eſt. Daniel autem prædixit de Ieroſolymitana, non de Romana. Sic enim habet cap. 9. 27. [Et erit in templo abominatio deſolationis, & vſque ad conſumationem, & finem perſeuerabit deſolatio.] Hìc ſanè Daniel non agit de deſolatione templi Romani, ſed Ieroſolymitani, vt concedunt omnes Caluiniſtæ, & nominatim Pouellus lib. 1. cap. 11. §. 3. Nam ex hoc loco conantur oſtendere, templum Ieroſolymitanum, poſt illam deſolationem, numquam porrò reædificandum. Videat ergo Nouator iſte, quomodo conciliet verba Danielis cum verbis Chriſti, ſi alter de Romana, alter de Ieroſolymitana vaſtatione locutus ſit, vt ipſe temerè interpretatur. Videat, quomodo ſeipſum à contradictione expediat.

6 Quintum eſt, Daniel. 11. 45. [Figet tabernaculum ſuum Apadno inter maria, ſuper montem inclytum, & ſanctum.] Idem Pouellus, vt probet Antichriſtum Romæ ſeſſurum in Eccleſia Chriſti, detorquet hæc verba ad Cathedram Romani Pontificis, [Nam Roma, inquit, vbi cathedra illa eſt, iacet inter maria, & vocatur mons Sanctus, & inclytus propter Eccleſiam Dei.] Mira libertas, imò temeritas in hoc homine. Trahit ſcripturam etiam reluctantem, quò vult. Legat Beatum Hieronymum, & alios antiquos Patres, qui locum illum Danielis optimè interpretati ſunt de vrbe Ieroſolymitana, quæ iacet inter mare mortuum, & mediterraneum; vbi eſt Sion Mons Sanctus, & inclytus, vt in Scriptura appellatur.

7 Poſterioris generis exempla ſunt iſta. Primum Apoc. 13. 13. [Et fecit ſigna magna, vt etiam ignem faceret de cœlo deſcendere in terram in conſpectu hominum. Hinc rectè probant Catholici, Pontificem Romanum non eſſe Antichriſtum, quia non facit ignem de cœlo deſcendere.

Pouellus Caluiniſta lib. 1. capit. 26. §. 15. & Balduinus Lutheranus in diſp. de Antichriſto cap. 6. §. 32. vt euadant, vel potiùs eludant vim argumenti huius, interpretantur verba Ioannis de igne Excommunicationis, vt hic ſit ſenſus: [Antichriſtus faciet ignem de cœlo deſcendere, id eſt excommunicabit homines.] Et hoc aiunt facere Pontificem. O diuinos interpretes! Hoc modo licebit ſimilia ſcripturæ teſtimonia interpretari, vt v. g. 4. Regum 1. 10. [Reſpondens Elias dixit quinquagenario: Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cęlo, vt deuoret te, & quinquaginta tuos. Deſcendit itaque ignis de cælo, & deuorauit eum, & quinquaginta, qui erant cum eo:] id eſt, (iuxtà gloſſam Nouatorum) [Si homo Dei ſum; veniat excommunicatio Pontificia, & percellat vos, venit itaque excommunicatio, & perculit eos.

Similiter Luc. 9. 54. [Domine, vis, dicimus, vt ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos?] id eſt, iuxtà eandem gloſſam, Domine, vis, dicimus, vt excommunicentur hi? Inepta ſunt hæc. Sed neque circumſtantiæ ſupradicti loci patiuntur hanc expoſitionem: Cum enim dicit Ioannes. [Et fecit ſigna magna, vt etiam ignem faceret de cœlo deſcendere;] planè ſignificat, magnum ſignum, ſeu miraculum fore, cùm Antichriſtus faciet ignem de cœlo deſcendere. Immò tale miraculum, quo ſeducat homines, vt credant eſſe opus diuinitatis. At quæſo, quod, aut quale miraculum eſt, excommunicare hominem? Nullum penitùs.

Deindè, cum addit Ioannes; [vt etiam ignem faceret de cœlo deſcendere in terram in conſpectu hominum;] omninò excludit ignem excommunicationis. Is enim non rectè dicitur de cœlo deſcendere in terram in conſpectu hominum; ſed potiùs de cœlo in homines ad terrorem aliorum. Mitto alia, de quibus infrà capit. 9.

9 Secundum eſt Apoc. 13. 15. Et datum eſt illi, vt daret ſpiritum imagini beſtiæ, & vt loquatur imago beſtiæ, & faciat, vt quicumque non adorauerit imaginem beſtiæ, occidantur.] Hinc etiam rectè probant Catholici, Papam non eſſe Antichriſtum, quia non dat ſpiritum imagini beſtiæ, nec facit, vt loquatur imago beſtiæ.

Hìc iterùm Pouellus Caluiniſta lib. 1. cap. 16. §. 24. Prorepit cum noua ſolutione. Ait, [per imaginem beſtiæ intelligi antiquum

Digitized by Google

quum Romanum Imperium, quod in Italia, quaſi demortuum Papa reſtaurauit, & nouo ſpiritu donauit.] Riſum teneatis amici? Repugnat totus contextus.

Primò, quia Antichriſtus ideò faciet imaginem beſtiæ loqui, vt palàm oſtendat, ſe poſſe facere miracula, quæ omnem naturæ vim, & efficaciam longè excedant, & à ſolo Deo fieri poſſint. At, reſtaurare regnum, vel imperium, quod antea ferè collapſum erat, non eſt tale miraculum. Multi Reges, multi Imperatores humano conſilio, & induſtria id fecerunt. Deindè, ſi de Romano Imperio loqueretur Ioannes, quomodò cohærerent ſequentia verba; [& faciet, vt quicunque non adorauerint imaginem beſtiæ, occidantur.] An hic erit ſenſus; [quicunque non adorauerint Imperium Romanum, occidentur à Pontifice?] At hoc non modò ridiculum, ſed & falſum eſt. Pontifex non facit occidi Reges Hiſpaniæ, Galliæ, Poloniæ, & ſimiles Imperio Romano minimè ſubiectos. Immò fauet ipſis, & eorum regna cupit florere, & conſeruari.

9 Tertium eſt, Apoc. 11. 3. [Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis.] Et paulò poſt de iiſdem: [Et cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia faciet aduerſus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, vbi & Dominus eorum crucifixus eſt.] Ex hoc loco colligunt Catholici varia argumenta, quibus probant, Papam non eſſe Antichriſtum.

Primum, quia duo teſtes, Elias & Henoch venturi ſunt tempore Antichriſti. At illi nondùm venerunt.

Secundò, Antichriſtus occidet illos teſtes: hoc Pontifex non facit.

Tertiò, illi teſtes occidentur Ieroſolymæ, vbi Chriſtus crucifixus eſt. Id hactenùs non eſt factum. Hæc, & ſimilia Catholici. Quid autem Nouatores? Theodorus Bibliander in ſuo Chronico, tab. 14. Dauid Chytræus in commentario illius loci, & quidam alij dicunt, per illos duos teſtes intelligi omnes miniſtros fideles, vt Lutherum, Zuinglium, Caluinum, & ſimiles, qui ab Antichriſto, ideſt, Pontifice Romano perſecutionem patiuntur. Hoc autem aiunt iam contigiſſe. Sed turpiter errant.

Primò, quia Scriptura apertè dicit, ipſum Eliam & Henoch venturos eſſe. Malach. 4. 5. [Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.] Eccleſ. 44. 16. [Henoch placuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum, vt det gentibus pœnitentiam.] Deindè, licèt Elias & Henoch in ſuis perſonis non eſſent venturi, ſed alij ſimiles illis in ſpiritu, & virtute; tamen per eos non poſſunt intelligi Lutherus, aut Caluinus.

Primò, quia Scriptura dicit: [Dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis.] At Lutherus, & Caluinus non prophetarunt amicti ſaccis. Immò ſaccum excuſſit Lutherus; cùm è monaſterio profugit. Caluinus numquam aſſumpſit. Et quæ illorum prophetia? Lutheri illa eſt: [Viuus eram peſtis; moriens ero mors tua, Papa.] Sed falſa, & inanis. Pridem ipſe mortuus eſt; & adhùc viuit Papa. Iterùm dicit Scriptura: [Hi habent poteſtatem claudendi Cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum; & poteſtatem habent ſuper aquas conuertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga, quotieſcumque voluerint.]

Quid hæc ad Lutherum, & Caluinum? Non magis, quàm ad Iudam, vel Arium. Addit Scriptura: [Corpora eorum iacebunt in plateis Ciuitatis magnæ, vbi Dominus eorum crucifixus eſt.] An corpora Lutheri, & Caluini iacuerunt in plateis Ieroſolymæ, vbi Chriſtus crucifixus eſt? Nihil minùs. Pergit Scriptura; [Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & gentibus corpora eorum per tres dies, & dimidium; & corpora eorum non ſinent poni in monumentis. Et poſt tres dies, & dimidium, ſpiritus vitæ à Deo intrauit in illos; & ſteterunt ſuper pedes ſuos; & audierunt vocem magnam de Cœlo dicentem: Aſcendite huc. Et aſcenderunt in Cœlum: & factus eſt terræ motus magnus, & decima pars Ciuitatis cecidit, & occiſa ſunt in terræ motu ſeptem hominum millia.] Quæſò, quid horum ſimile accidit Luthero, aut Caluino? an corpora eorum per tres dies, & dimidium iacuerunt in conſpectu hominum inſepulta? an iterùm poſt tres dies, & dimidium reuixerunt? an audierunt vocem de Cœlo, [Aſcendite huc?] an aſcenderunt cum corporibus in Cœlum in nube? an terræ motus factus eſt ingens? an decima pars Ciuitatis cecidit? an ſeptem hominum millia occiſa ſunt? Nugæ.

10 Quartum eſt Dan. 7. [25. Sermones contra excelſum loquetur, & Sanctos altiſſimi conteret; & putabit, quod poſſit mutare tempora, & leges; & tradentur in manu eius vſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.] Ex hoc loco confirmant Catholici, Antichriſtum regnaturum duntaxat per tempus, & tempora, & dimidium temporis, ideſt, per tres annos cum dimidio, ac proindè Pontificem, qui multò plures annos regnauit, Antichriſtum eſſe non poſſe. Mirùm eſt, quàm deprauatè interpretentur Nouatores hæc verba, vt argumento Catholicorum occurrant. Franciſcus Iunius Caluiniſta negat Danielem loqui de Antichriſto. Affirmat de Antiocho. Quo authore? Impio Porphyrio, qui quòd de Antiocho, & non de Antichriſto Danielem intelligeret, ab antiquis Patribus refutatus eſt. Sed maluit Iunius Porphyrium, quàm ſanctiſſimos Patres ſequi. Dicam ampliùs maluit Porphyrium, quàm ſui gregis Caluiniſtas ſequi. Nam illi ex hoc loco probant, has eſſe proprias Antichriſti Notas, [loqui ſermones contra excelſum; ſanctos altiſſimi conterere; mutare tempora, & leges.] Et ſanè, quòd Daniel de Antichriſto, non autem de Antiocho propriè, & hiſtoricè intelligendus ſit,

ex ipſo contextu conuinci poteſt. Agit enim in illo capite de quatuor regnis ſibi inuicem ſuccedentibus, quorum primum eſt Aſſyriorum, alterum Perſarum, tertium Græcorum, quartum Romanorum. Hæc deſignat per quatuor beſtias, leænam, vrſum, pardum, & aliam innominatam, habentem decem cornua in capite. Igitur regnum Romanorum eſt beſtia quarta innominata, habens decem cornua in capite. Addit Daniel, è medio horum cornuum, ortum eſſe aliud cornu paruulum, quo ſignificatur ille ipſe, [qui ſermones contra excelſum loquetur, & ſanctos altiſſimi conteret, & putabit, quòd poſſit mutare tempora, & leges. Is autem non poteſt eſſe Antiochus, quia ille non eſt ortus è regno, vel regibus Romanorum; ſed ex regno Græcorum, ſeu Macedonum, & ex ſucceſſoribus Alexandri Magni, qui in Syria, & Babylonia regnarunt, vt ex ſacris, & prophanis hiſtorijs perſpicuum eſt.

21 Hæc & ſimilia exempla ſatis oſtendunt, quàm malè in cauſa deſperata interpretentur ſcripturam Nouatores, ſiue probandum ipſis aliquid ſit, ſiue reſpondendum: & quàm falsò, ac inaniter iactent apud imperitos, ſe ex immotis ſcripturæ fundamentis probaſſe, Papam eſſe Antichriſtum. Nunc ad cætera illorum vitia progrediamur.

TERTIVM VITIVM Reformatorum.

Mendacia, & Calumniæ.

1 Dvpliciter in hac materia mentiuntur aduerſarij. Primò, quia clamant, ſe ex immotis ſcripturæ fundamentis omnia demonſtrare. De hoc ſatis iam dictum eſt. Secundò, quia paſſim pro immotis ſcripturæ fundamentis, quibus carent, craſſa, & aperta mendacia in medium adducunt. Ex multis pauca accipe.

2 Caluinus lib. 4. inſtit. cap. 7. §. 27. dicit, Pontificem cum Cardinalibus docere, nullum eſſe Deum, nullum Chriſtum, nullam reſurrectionem. Verba eius ſunt hæc: [Quaſi verò dubium ſit, qualem religionis ſpeciem profeſſi ſint iam pridem Pontifices cum toto Cardinalium Collegio, & hodie profiteantur. Primum enim arcanæ illius theologiæ, quæ inter eos regnat, caput eſt, nullum eſſe Deum. Alterum, quæcunque de Chriſto ſcripta ſunt, ac docentur, mendacia eſſe, & impoſturas. Tertium doctrinam de vita futura, & vltima reſurrectione, meras eſſe fabulas. Iampridem hæc ordinaria eſſe cœpit Pontificum religio.] Quid hoc mendacio poteſt eſſe mendacius? Quæſo, qui ſunt illi Pontifices, & Cardinales, qui iſta docuerunt? qui libri, in quibus hæc ſcripta ſunt? quæ Cathedræ, in quibus hæc populo inſtillata? qui auditores, qui hæc auribus perceperunt? Nulli, nuſquam.

3 Caluinum ſtrenuè imitantur ipſius diſcipuli; inter quos conatur excellere Gabriel Pouellus Baccalaureus Oxonienſis, qui in arte mentiendi benè exercitatus eſt. Ne moleſtus ſim, pauca ipſius mendacia attingam breuiſſimè: nam omnia recenſere, nimis eſſet ſtudioſum.

4 Igitur lib. 1. de Antichriſto cap. 17. §. 11. dicit. Catholicos docere, [quòd Papa poſſit diſpenſare contra vetus, & nouum Teſtamentum.] Et nominatim citat Bertachinum in Repertorio, Verbo, Papa. At Bertachinus disertè contrarium docet, his ipſis verbis: [Papa non poteſt diſpenſare in prohibitis Teſtamento veteri, & nouo. Item, Papa non poteſt diſpenſare ſuper vſuris, cum ſint prohibitæ iure diuino. Item, Papa non poteſt diſpenſare, quòd matrimonium contrahatur inter perſonas iure diuino prohibitas.] Ego miror, quis diſpenſauerit cum Pouello Caluiniſta in tam manifeſto mendacio. Certè Papa non fecit.

5 Idem Auctor lib. 1. cap. 16. §. 1. & 2. dicit, [Papam ſibi vendicare nomen, & poteſtatem Dei.] Hoc probat ex Gratiano diſt. 96. cap. 7. vbi Nicolaus Papa gloriatur ſe Deum appellari à Conſtantino Imperatore. Addit Pouellus, [Cohorreſcat Cœlum, & contremiſcat terra ob tantam à Romano Pontifice profectam blaſphemiam.] Rectiùs ego dicam; cohorreſcat Cœlum, & contremiſcat terra ob tantum à Pouello Caluiniſta profectum mendacium. Nihil tale ex Gratiano, aut Conſtantino produci poteſt. Res autem ſic habet: Nomen Dei dupliciter in Scripturis vſurpatur.

Primò, propriè, pro vero Deo, vt Geneſ. 1. 1. [In principio creauit Deus Cœlum, & terram.] Exod. 20. 2. [Ego ſum Dominus Deus tuus.] Epheſ. 4. 6. [Vnus Deus, & pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.]

Secundò, metaphoricè, pro hominibus ſanctis, vel in dignitate conſtitutis, vt Exod. 22. 9. [Ad Deos vtriuſque cauſa perueniet,] id eſt, ad Iudices, & inf. 5. 28. [Dijs non detrahes, & Principi tuo non maledices,] & Pſalm. 81. 1. [Deus ſtetit in ſynagoga Deorum; in medio autem Deos dijudicat,] & infrà, verſ. 6. [Ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes,] & Ioannis 10. 34. [Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra; Ego dixi, dij eſtis?] Igitur Conſtantinus Imperator non ſolùm Pontificem; ſed omnes Chriſti Sacerdotes vocauit Deos, hoc poſteriori modo, vt habetur apud Gratianum 11. qu. 1. cap. Sacerdotibus. Et 12. qu. 1. cap. Futuram. Et quid hic culpæ eſt? aut quid meritò reprehendat hic Pouellus? Ipſemet lib. 1. cap. 17. §. 2. fatetur, omnes magiſtratus hoc ſenſu Deos vocari poſſe. Quid ergo mentiendo inſectatur eos, qui Pontificem eodem ſenſu Deum appellant? Nimirùm, vult calumniari.

6 Pergo. Idem Caluiniſta cap. 16. §. 6. dicit, Gloſſam in cap. quanta, de translatione Epiſcopi, docere, quòd Papa poſſit aliquid facere ex nihilo, id eſt, creare, quod ſoli Deo conuenit. Mentitur. Gloſſa id non docet. Sic enim loquitur: De nullo

poteſt

Digitized by Google

poteſt aliquid facere, C.de rei vxoriæ actione, l.vnica in principio, & de conſecratione diſtinct. 2. cap. reuera. Et ſententiam, quæ nulla eſt, facit aliquam, 3. qu. 6. cap. Hæc quippè. Quia non videt aliud Gloſſam dicere, aliud Caluiniſtam mentiri? Gloſſa dicit, Papam poſſe efficere, vt contractus, vel ſententia, quæ aliàs iure communi, nulla, ſeu inualida eſſet, vigorem, & valorem habeat. Hoc etiam poteſt Imperator facere in cauſis ciuilibus. Immò quilibet Princeps, aut Magiſtratus apud ſuos ſubditos. At Pouellus Caluiniſta mentiendi,& calumniandi cupidus,trahit gloſſam in alium ſenſum, quaſi dicat, Papam poſſe aliquid facere ex nihilo, ideſt, poſſe rem aliquam creare, quod ſolius Dei eſt. Abi homo, cum tua illa nequitia.

7 Eodem cap.16. §.6. dicit,Patres Concil.Tridentini ſeſſ.21.cap.2. docere, [quòd Papa poſſit Sacramenta à Chriſto inſtituta mutare.] Falſum eſt. Patres id non docent. Aliud eſt mutare Sacramenta, aliud mutare modum, & tempus diſpenſandi Sacramenta. Illud priùs non poteſt facere Papa; hoc poſteriùs poteſt. Nec aliud docent Patres Tridentini, verba eorum clariſſima ſunt, quæ ſic habent. [Præterea declarat, hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, vt in Sacramentorum diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro eorum, temporum, & locorum varietate,magis expedire iudicaret.] Quid clariùs dici poterat? ſanè illa particula (ſalua illorum ſubſtantia) apertè ſignificat, Pontificem non poſſe mutare ſubſtantiam Sacramentorum, ac proindè, nec Sacramenta ipſa. Mentitur ergo Caluiniſta, cùm dicit Pontificem id poſſe iuxtà decretum Concilij Tridentini. Idem mendacium repetit cap.17.§.14. his verbis: [Papa non ſolùm verbis gloriatur, poſſe ſe mutare Sacramentorum formam, ſed ipſo facto palàm id tentauit, ac fecit,] vt apparet ex Conc.Trident.ſeſſ.21.cap.2.

8 Iterùm cap.17.§.11. dicit: [Papam iactare, quòd maior ſit Eccleſiæ, quàm Scripturæ auctoritas.] Et hoc probat ex Gratiano 25.qu.1. cap.Ideò. Iterùm mentitur, & quidem valdè impudenter. Nam in iſto Canone apud Gratianum nō fit mentio ſacræ Scripturæ, ſed tantùm Conſtitutionum Eccleſiaſticarum, quas poteſt Pontifex figere, & refigere, ſicut quilibet magiſtratus poteſt in ſua Republica nouas leges condere, & abolere. Verba Canonis ſunt hæc: [Romana Eccleſia ius, & auctoritatem ſacris Canonibus impertitur, ſed non eis alligatur, habet enim ius condendi Canones.] Nihil hìc de Scriptura ſacra dicitur: ſolùm aſſeritur, Pontificem Romanum habere ius condendi leges Eccleſiaſticas, & earum auctoritatem, ac robur pendere à voluntate Pontificis, ſicut robur, & auctoritas legum Imperialium pendet à voluntate, & poteſtate Imperatorum, qui eas leges condiderunt.

9 Ibidem §.17.dicit, grauius peccatum cenſeri apud Pontificios, comedere carnes à Papa prohibitas, quàm tranſgredi quoduis Dei præceptum; & faciliùs abſolui à Papa, qui adulterium, vel furtum commiſerit, quàm qui carnem die prohibito guſtauerit. Hoc ait cuiuis notum eſſe, & ſimùl prouocat conſcientias noſtras in conſpectu Dei, ac beatorum Angelorum, an non ità res habeat. Ego ſimiliter prouoco conſcientiam huius Caluiniſtæ, ſi quam habet, an non volens, ſciens mentiatur. Addo, ex quotidiana Eccleſiæ praxi mendacium ipſius refutari. Nam Pontifex, Epiſcopi, & alij Confeſſarij faciillimè diſpenſant in præcepto Eccleſię de non comedendis carnibus; quando eſt legitima cauſa. At nunquam diſpenſant in præceptis diuinis. Vnde ſi Pouellus Caluiniſta adeat Confeſſarium Pontificium, poterit quidem legitimè obtinere, vt impunè comedat carnes feria ſexta, aut ſeptima; non tamen, vt adulterium committat, aut mentiatur. Quamquam ſine diſpenſatione multa huiuſmodi facit Caluiniſta, aut ſecum ipſe diſpenſat, quando lubitum eſt.

10 Ergo ex his, & ſimilibus aduerſariorum mendacijs, quæ plurima ſunt, facilè aduerti poteſt, quænam ſint immota illa ſacræ Scripturæ fundamenta, ex quibus aiunt ſe demonſtraſſe, Papam eſſe verum Antichriſtum. Videamus cætera.

QVARTVM VITIVM Reformatorum.

Mutua diſſenſio:

1 NOn mirùm eſt Nouatores, cum à tota Patrum antiquitate, & ab ipſa veritate, vt oſtenſum eſt, diſſentiant, inter ſe quoque diſſentire. Vtrumque enim ex eadem radice oritur, nempè ex ſuperbia. Prou. 13. 10. [Inter ſuperbos (inquit ſapiens) ſemper ſunt iurgia.] Porrò, ſicut in multis alijs, ità in reformando Antichriſto mirè diſſentiunt: non minùs, quàm olim ædificatores turris Babel.

2 Ac primò, cum omnes clament, Antichriſtum iam pridem veniſſe, ità diſſonantibus tibijs clamant, vt nulla inter voces proportio ſit. Quæram ex illis, ſi Antichriſtus venit,quo tempore venerit? Audi nouum concentum.

1 *Venit tempore Apoſtolorum*. Ità Franciſcus Iunius ad cap.4. Bellarm. Beza in 2. Theſſ.2.

2 *Venit poſt annum Chriſti 600. tempore Phocæ Imperatoris*. Ità Lutherus in ſupputatione temporum. Et Ionius in ſuo duplici Elencho.

3 *Venit anno Chriſti* 703. Ità Henricus Bullingerus in præfatione homiliarum in Apocalypſin.

4 *Venit anno Chriſti* 1200. *poſt tempora D. Bernardi*. Ità Wolſgangus Muſculus in locis, titulo de Eccleſia c.12.

5 *Natus eſt tempore Apoſtolorum: cœpit regnare tempore Phocæ Imperatoris: reuelatus eſt tempore Lutheri: deſtruetur*

in

Google

in fine mundi. Ità Gabriel Pouellus l.1. c.1. §.8.

6 *Conceptus eſt anno* 400. *formatus, & nutritus in ventro matris circa annum* 500. *natus anno* 600. *circà tempora Phocæ Imperatoris*. Ità Illyricus cent.6. c.1. in principio.

3 Iterum quæram ex Nouatoribus; quid ſit Antichriſtus propriè dictus, quem Apoſtolus vocat hominem peccati, & filium perditionis? Audi reſponſum.

1 *Antichriſtus propriè dictus, eſt thronus, ſeu regnum tyrannicum, quod Chriſti regno contrarium eſt*. Ità Pouellus lib.1. c.1. §. 5. Centuriatores cent. 1. lib. 2. cap. 4.

2 *Antichriſtus non thronus, aut regnum, aut ſedes propriè, ſed perſona ſingularis eſt, &c.* Ità Franciſcus Iunius ad c.2. Bellarmini.

4 Tertiò quæram, ſi Pontifex eſt Antichriſtus, quis primus inter Pontifices cœperit eſſe talis?

1 *Gregorius Magnus homo peſſimus*. Ità Centuriatores cent. 6. cap.1. & Chytræus cap.9. Apoc.

2 *Non eſt ità. Gregorius fuit vir ſanctus, & bonus*. Ità Lutherus in ſupputatione temp.

5 Quartò quæram; ſi Pontifex eſt Antichriſtus, quem characterem ſuis ſubditis imprimat?

1 *Vnctionem Chriſmatis in fronte*. Ità Henricus Bullingerus Serm. 61. in Apochalypſin.

2 *Profeſſionem Romanæ fidei*. Ità Bilolianđer in Chronico, tabula 10.

6 Quintò quæram; An Daniel cap.7. verſ.8. & 25. agat de Antichriſto?

1 *Omninò agit de illo*. Ità Pouellus lib.1. cap.4. & alibi ſæpè.

2 *Non agit de Antichriſto; ſed de Antiocho*. Ità Iulius ad cap.16. Bellarmini.

7 Sextò quæram; An Chriſtus Matth. 24.15. loquatur de deſolatione, & abominatione Hieroſolymitana?

1 *Planè de illa loquitur*. Ità Beza in illum locum, & alij paſſim.

2 *Nequaquam de illa, ſed de Romana loquitur*. Ità Pouellus lib. 1. cap. 4. §. 4. & 5.

8 Videor audire meretrices apud Salomonem litigantes, quarum altera alteri dicebat: [Mentiris, Filius meus viuit, & tuus mortuus eſt.] Planè ſic agunt Nouatores. Et huius tanti apud vos diſſidij, quis auctor eſt? ſanè, Deus, aut Spiritus ſanctus eſſe non poteſt. (Non enim, vt ait Apoſtolus, eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis.) Si ergo malus ſpiritus illius auctor eſt, meritò ſuſpecti eſſe debent Nouatores, ne forrè malo ſpiritu impellantur. Sed iam diſſidiorum ſatis ſit.

QVINTVM VITIVM Reformatorum.

Damnant ſuos maiores.

1 ADuerſarij clamant, aut Gregorium Magnum, aut Bonifacium Papam fuiſſe primum Antichriſtum inter Pontifices Romanos. Vterque autem vixit poſt annum Chriſti 600. Vndè ſequitur, ab eo tempore, fidem, ac religionem Romanam non fuiſſe ampliùs Chriſti, ſed Antichriſti. Quòd ſi ità eſt, iterùm ſequitur, maiores noſtros, quotquot in Haſſia, Saxonia, Franconia, Bauaria, Palatinatu, ab anno ſexcenteſimo vſque ad tempora Lutheri, & Caluini extiterunt, nunquam habuiſſe publicum veræ fidei, ac religionis exercitium, quod ſanè incredibile eſt. Nam toto illo temporum interuallo, non alia doctrina fidei publicè prædicata, ac recepta eſt, quam quæ à Doctoribus Pontificijs prædicari, & promoueri ſolet. Si hæc igitur falſa, & Antichriſtiana eſt, omnes maiores noſtros publicè Antichriſtianos fuiſſe oportet. Et quid hoc aliud eſt, quàm fateri omnes damnatos eſſe, & ad inferorum pœnas amandatos? Abſit profectò. Longè meliùs de ijs ſentiendum eſt. Quis credat S. Bonifacium, S. Lullum, S. Kilianum, S. Burchardum, & ſimiles Epiſcopos, qui illo tempore in Germania prædicarunt, nihil aliud, niſi fidem, ac doctrinam Antichriſtianam prædicaſſe? Quis credat, Nobiles, Barones, Comites, & Principes, qui ab illis inſtructi ſunt, aut templa in memoriam eorum erexerunt, in falſa religione inſtructos eſſe? Quis credat tanto ſeculorum ſpacio Lutherum, & Caluinum primos eſſe, qui publicè veram Chriſti fidem annunciarint.

SPECIALE EXAMEN

ANTICHRISTI REFORMATI.

HActenùs generatim oſtendi quædam vitia, quæ Nouatores admiſerunt in reformando Antichriſto; Nunc ſigillatim ſingula, quæ ab illis aſſeruntur, examinanda ſunt; idque hoc ordine.

1 *An Antichriſtus venerit?*
2 *An Papa ſit Antichriſtus?*
3 *An Papa defecerit à fide?*
4 *An ſedeat in templo Dei?*
5 *An oſtendat ſe tamquam Deum?*
6 *An extollat ſe ſuprà omnem Deum?*
7 *An neget Chriſtum?*
8 *An idola colat?*
9 *An faciat miracula mendacia?*
10 *An imprimat ſubditis characterem?*
11 *An ſit blaſphemus?*
12 *An perſequatur Sanctos?*
13 *An ſit articulus fidei, Papam eſſe Antichriſtum?*

CAP. I.

An Antichriſtus venerit?

1 AFfirmant Aduerſarij. Et probant ex tribus Scripturæ locis. Primò, ex illo 2. Theſſ. 2.7. [Myſterium iam operatur iniquitatis.] Secundò ex illo 1. Ioannis 2.18. [Filioli, nouiſſima hora eſt; & ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt.] Tertiò ex illo 1. Ioannis 4. 3. [Hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit, & nunc iam in mundo eſt.]

2 Sed varijs modis refutantur. Primò, quia ſeipſos iugulant. Nam ſi allata Scripturæ teſtimonia probarent Antichriſtum veniſſe, ſine dubio probarent veniſſe tempore Apoſtolorum: at ſi certum eſt, tunc veniſſe, cur aduerſarij de tempore aduentus ipſius diſſentiunt? Cur alij dicunt veniſſe anno 600. alij an. 763. alij an. 1200. alij alio tempore?

3 Secundò, quia Scripturam malè explicant. Vt hoc oſtendam, pauca prænotanda ſunt. Primum eſt, nomen Antichriſti nuſquam reperiri in Scriptura, niſi apud Ioannem in epiſtolis canonicis. Iam his ex illo citari. Adhuc bis, vel ter citari poteſt, vt 1. Ioannis 2. 22. [Quis eſt mendax, niſi is, qui negat, quoniam Ieſus eſt Chriſtus? Hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem, & Filium.] Et cap. 4. 3. [Omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt; & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis &c.] Et epiſt. 2. v. 7. [Multi ſeductores exierunt in mundum, qui non confitentur Ieſum Chriſtum veniſſe in carnem. Hic eſt ſeductor, & Antichriſtus.] Nec ſæpiùs hoc nomen reperias in Scripturis.

4 Alterum eſt, hoc nomen, Antichriſtus, ſignificare aduerſarium, ſeu hoſtem Chriſti, vt partim patet ex Scripturis citatis, in quibus dicitur, [negare Ieſum eſſe Chriſtum; negare filium; ſoluere Ieſum; non confiteri Ieſum Chriſtum veniſſe in carnem;] partim ex vſu Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum. Damaſcenus l. 4. de fide cap. 27. [Veniet, inquit, non pro Chriſto; ſed aduersùs Chriſtum; qua etiam de cauſa Antichriſtus dicitur.] D. Hieronym. q. 11. ad Algaſiam; [Ipſe eſt enim vniuerſorum perditio, qui aduerſatur Chriſto, & ideò vocatur Antichriſtus. D. Auguſtin. tract. 3. in epiſtolam Ioannis: [Latiuè enim Antichriſtus, contrarius eſt Chriſto.] Conſentiunt alij Patres.

5 Tertium eſt; dupliciter ſumi poſſe nomen Antichriſti. Primò, verè, ac propriè, pro ſingulari, & eximio quodam Chriſti hoſte, qui ab Apoſtolo vocatur homo peccati, & perditionis. Secundò myſticè, & communiter, pro ijs omnibus, qui aliquo modo Chriſtum, & doctrinam eius oppugnant, vt ſunt hæretici. Hoc ſenſu Irenæus Valentinianos, & Marcioniſtas, Antichriſtos vocat; Hilarius, Arianos; Cyprianus, Nouatianos. Eodem ſenſu dixit Hieron. in cap. 2. Prophetæ Naum; [Tot ſunt Antichriſti, quot dogmata falſa.] Vide Damaſcenum loco cit. Auguſtinum l. 2. contrà aduerſarium legis, & Prophetarum cap. 12. & alios paſſim. Ex Caluiniſtis eandem diſtinctionem tradit Pouellus l. 1. cap. 1. §. 3. Nec alij diſſentiunt.

6 His prænotatis, non eſt controuerſia, an Antichriſtus communiter dictus venerit? Certum enim eſt veniſſe ab ipſis Apoſtolorum temporibus, quia tunc cœperunt eſſe hæretici, qui Chriſti fidem oppugnarent. Tota quæſtio eſt, an Antichriſtus propriè dictus venerit in ſua perſona? Nos negamus. Aduerſarij affirmant; & pro-

Digitized by Google

probant ex teſtimonijs ſuprà citatis; ſed malè intellectis. Nam ex illis nihil aliud colligitur, quàm Antichriſtum communiter dictum, idest, hæreticos veniſſe tempore Apoſtolorum, quod eſt veriſſimum. Et ſic illa teſtimonia explicat Auguſtinus lib. 2. contrà aduerſarium legis cap. 12. cùm ait: [Ad quem pertinet etiam iſte, qui ſe oſtendit Antichriſtum, non vnum illum maiorem cæteris; ſed ex his aliquem, de quibus dicit Ioannes Euangeliſta: nunc Antichriſti multi facti ſunt. Eos enim dicebat hæreticos, qui temporibus Apoſtolorum eſſe iam cœperant.] Nihil ergo probant aduerſarij ex Scripturis de Antichriſto propriè dicto.

7 Nos fortiora habemus argumenta; quibus contrà aduerſarios oſtendimus, Antichriſtum propriè dictum nondum veniſſe. Non omnia; ſed pauca attingam. Primum eſt; Antichriſtus propriè dictus non veniet, niſi priùs euerſum, & deſolatum ſit Romanum Imperium; Atqui hoc nondum factum eſt; Ergo Antichriſtus nondùm venit. Maior paſſim aſſeritur ab antiquis Patribus, tam Græcis, quàm Latinis. Cyrillus catecheſi 15. ait: [Veniet prædictus Antichriſtus, cum impleta fuerint tempora Romani Imperij.] Chryſoſt. in 2. Theſſ.2. [Quando è medio ſublatum fuerit Romanum Imperium, tunc veniet Antichriſtus. [Similia habent Theophylactus, Oecumenius, & Ambroſ. ibidem. Lactantius lib.7. cap.15. Hieronym. q.11. ad Algaſiam, & Tertull. in apologetico cap.32. vbi etiam addit, fideles orare pro diuturnitate Romani Imperij; eò quòd intelligant, Romano Imperio euerſo, imminere Orbi extremam ſub Antichriſto calamitatem. Omitto alios.

8 Nec temerè, aut ſine fundamento hoc dicunt Patres. Habent pro ſe aperta ſcripturæ teſtimonia; habent perpetuam ab Apoſtolorum temporibus traditionem. Quæ antequam proferantur, priùs explicandum eſt, in quo conſiſtat illa deſolatio, ſeu euerſio Romani Imperij, poſt quàm venturus dicitur Antichriſtus. Aliud enim eſt inclinatio illius Imperij, aliud deſolatio, ſeù euerſio. Inclinatio facta eſt varijs temporibus. 1. Quando Roma capta eſt à Gothis. 2. Quando Imperium defecit in Occidente. 3. Quando, reſtaurato per Carolum Magnum Imperio in Occidente, deſtructum eſt in Oriente per Turcas. Porrò deſolatio, ſeù euerſio tunc erit, quando Imperium Romanum diuidetur, ac diſtrahetur in decem Reges, amiſſo nomine, ac dignitate Imperiali.

9 Probant hoc Patres ex Daniele, & Apocalypſi. Nam ca.2. Danielis, deſcribitur ſucceſſio quatuor præcipuorum Regnorum vſque ad finem mundi, per quandam ſtatuam habentem caput aureum, pectus argenteum, ventrem æneum, & tibias ferreas. Explicatio eſt hæc. Caput aureum ſignificat Regnum Chaldæorum; pectus argenteum, Regnum Perſarum; venter æneus, Regnum Alexandri, & Græcorum; tibiæ ferreæ, Regnum Romanorum. Porrò ex duabus tibijs oriebantur decem digiti, in quibus tota illa ſtatua deſinebat; quia ſcilicèt Romanum Imperium tandem in decem Reges diuidendum eſt, & eo ipſo deſolandum.

10 Eadem quatuor Regna apud eundem Dan. cap. 7. deſignantur per quatuor beſtias, Leænam, Vrſum, Pardum, & aliam innominatam habentem decem cornua in capite. Hæc autem beſtia innominata ſignificat Imperium Romanum; & decem cornua ſignificant decem Reges, qui Imperium illud diuiſuri ſunt. Beſtia quarta, inquit Daniel, Regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnibus Regnis, & deuorabit vniuerſam terram, & conculcabit, & comminuet eam. Porrò cornua decem ipſius Regni, decem Reges erunt.

11 Quòd autem illi decem Reges Imperium Romanũ diuiſuri, ac diſtracturi ſint, colligitur ex Apoc.17. vbi Ioannes deſcribit beſtiam cum 7. capitibus, & 10. cornibus, ſuper quam ſedebat mulier circumdata purpura, & coccino, habens poculum aureum in manu ſua plenum abominatione, & immunditia fornicationis. Nã, vt Angelus ibidem interpretatur, mulier eſt Vrbs magna, quæ ſedet ſuper 7. colles, idest, Roma. Decem cornua ſunt decem Reges, qui vno tempore ſimul regnabunt. [Et hi odient fornicariam, & deſolatam facient illam, & nudam, & carnem eius manducabunt, & ipſam igni concremabunt.] Quibus verbis apertè ſignificat Angelus, Romanum Imperium per illos decem Reges penitùs deſtructum, ac diſſipatum iri.

12 Ad hæc Scripturæ teſtimonia accedit antiquiſſima Eccleſiæ traditio, de qua D. Hieronym. in cap. 7. Dan. Sic ſcribit: [Ergo dicamus, quod omnes Scriptores Eccleſiaſtici tradiderunt, in conſumatione Mundi, quando Regnum deſtruendum eſt Romanorum, decem futuros Reges, qui Orbem Romanum inter ſe diuidant.] Quid clariùs dici poteſt?

13 Conſtat ergo ex Scripturis, & Eccleſiæ traditione, Imperium Romanum tunc euertendum, ac deſtruendum, quando in decem Reges diuidetur. Quòd autem Antichriſtus non antè venturus ſit, apertè conuincitur ex Dan.cap.7.24. vbi ſic legimus: [cornua decem ipſius Regni, decem Reges erunt (de quibus hactenus diximus) & alius conſurget poſt eos (nimirùm Antichriſtus) & ipſe potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit; & ſermones contrà excelſum loquetur, & Sanctos Altiſſimi conteret; & putabit, quòd poſſit mutare tempora, & leges; & tradentur in manu eius vſque ad tempus, & tempora; & dimidium temporis.] Ex quibus verbis clarè patet, Antichriſtum venturum poſt decem illos Reges, qui Imperium Romanum inter ſe diuident; & conſequenter poſt Imperij Romani euerſionem, quod probandum erat.

14 Idem confirmatur ex citata Eccleſiæ traditione. Nam D. Hieronymus, cum dixiſſet, omnes Scriptores Eccleſiaſticos tradidiſſe, Regnum Romanum per decem Reges diuidendum; ità ſubdit de Antichri-

ſto:

ſto: [Tum vndecimum Regem paruulum naſciturum, qui tres Reges de illis decem ſuperaturus ſit. Dicitur autem Rex ille habiturus oculos hominis, ne eum putemus Diabolum eſſe, ſed vnum de hominibus, in quo totus ſatanas habitaturus ſit corporaliter. Habebit etiam os loquens ingentia, quia erit homo peccati, filius perditionis, ità vt in templo Dei ſedere audeat, faciens ſe quaſi Deum.] Planiſſimè loquitur de Antichriſto.

15 Habemus ergo, partim ex Daniele, & Apocalypſi, partim ex antiqua Patrum, & Eccleſiæ traditione, Antichriſtum non venturum, niſi poſt euerſionem Romani Imperij, quod multi probabiliter confirmant ex illo 2. Theſſ. 2. 3. Niſi venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, intellige, non veniet dies Iudicij. Et infrà; donec de medio fiat: & tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui. Hìc enim Apoſtolus inſtruit Theſſalonicenſes, qui ex errore putabant inſtare diem Iudicij. Ponit autem duo ſigna, quæ diem illum anteceſſura ſint, nempè defectionem Romani Imperij, & aduentum Antichriſti. Eſt ergo ſenſus verborum Apoſtoli: Non veniet dies Iudicij, niſi diſceſſio primùm facta ſit ab Imperio Romano, & appareat Antichriſtus. Ità explicant multi Patres, D. Hieron. q. 11. ad Algaſiam; [Niſi, inquit, venerit diſceſſio primùm, quod græcè dicitur apoſtaſia, vt omnes gentes, quæ Imperio Romano ſubiacent, recedant ab eo; & niſi fuerit Romanum Imperium antea deſolatum, & Antichriſtus præceſſerit, Chriſtus non veniet; qui ideò venturus eſt, vt Antichriſtum deſtruat.

Et infrà; [Tantùm, vt Romanum Imperium, quod nunc vniuerſas gentes tenet, recedat, & de medio fiat; & tunc Antichriſtus veniet.

Et Tertull. lib. de reſurrectione carnis cap. 24. [Quoniam, niſi veniat abſceſſio primùm, huius vtique Regni, (nempè Romani) & reueletur delinquentiæ homo, ideſt, Antichriſtus, filius perditionis.

Et paulò poſt: [Tantùm, qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat. Quis, niſi Romanus ſtatus, cuius abſceſſio in decem Reges diſperſa Antichriſtum ſuperinducet: & tunc reuelabitur ille iniquus.] Similia habent Sedulius, Primaſius, Strabius, & alij in eundem locum.

16 Hæc expoſitio, vt dixi, probabilis eſt, & poteſt confirmari ex ipſo contextu. Nam Apoſtolus, antequam ſcriberet hanc epiſtolam ad Theſſalonicenſes, cum adhuc præſens apud illos eſſet, viua voce tradiderat illis quædam myſteria ad fidem Chriſtianam pertinentia, quorum vnum erat, non priùs venturum diem Iudicij, quàm euerſum eſſet Imperium Romanum, & Antichriſtus apparuiſſet. Illi autem, relicta hac traditione, neſcio, quo pacto perſuaſi erant, diem Iudicij iam adeſſe pre foribus. Igitur reuocat eos ab hoc errore, & ſimul hortatur, vt in ea traditione, quã coràm acceperant, deinceps perſiſtant, & ab ea non ſinant ſe dimoueri. Videamus nunc verba Pauli. Sic enim incipit. [Rogamus autem vos fratres, vt non moueamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, quaſi inſtet dies Domini.] Ecce error Theſſalonicenſium. Perſuaſi erant, inſtare diem Iudicij; & ideò terrebantur: ſequitur inſtructio Apoſtoli: Ne quis vos ſeducat vllo modo, quoniam, niſi venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, non veniet dies Iudicij: Num retinetis, quòd cùm adhuc eſſem apud vos, hæc dicebam vobis? nempè, non venturum diem Iudicij, niſi venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati. Quæ autem illa diſceſſio? donec de medio fiat Regnum Romanum, ideſt, donec omnes diſcedant ab obedientia Regni Romani, & ſic Regnum illud de medio tollatur. Itàque fratres, ſtate, & tenete traditiones: præſertim illam, quòd dies Iudicij venturus non ſit, niſi præceſſerint duo illa ſigna, quæ iam commemoraui.

17 At obijci poteſt, multos, per verba illa Apoſtoli, niſi venerit diſceſſio primùm, intelligere diſceſſionem, ſeù apoſtaſiam à fide, quæ antecedet diem Iudicij, iuxtà illud Luc. 18. 8. [Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?] Fateor ità eſſe; ſed tamen alij non incommodè intelligunt diſceſſionem ab Imperio Romano. Et fortaſsè rectiùs. Primò, quia totus contextus optimè cohæret, ſi interpretemur de Imperio Romano, vt oſtenſum eſt. Secundò, quia conſtat Apoſtolum, quaſi de induſtria obſcuriſſimè locutum in illo capite, adeò vt ſcribat Aug. lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 19. [Ego prorsùs, quid dixerit, me fateor ignorare.] At nulla erat cauſa, cur obſcurè loqueretur de defectione à fide, cum Chriſtus apertiſſimè de ea locutus ſit Lucæ 18. 8. [Filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra?] Erat autem cauſa, cur obſcurè loqueretur, de defectione ab Imperio Romano; quia cum Romæ ſcriberet hanc epiſtolam, ſi clarè ſcripſiſſet de euerſione Imperij Romani, potuiſſet Neronem offendere, qui erat homo in nouos Chriſtianos crudeliſſimus. Hanc cauſam attigit D. Hieronym. q. 11. ad Algaſiam, cùm ait: [Non vult apertè dicere Romanum Imperium deſtruendum, quod, ipſi, qui imperant, æternum putant. Vndè ſecundùm Apocalypſin Ioannis, in fronte purpuratæ meretricis ſcriptum eſt nomen blaſphemiæ, ideſt, Romæ æternæ. Si enim apertè, audacterque dixiſſet, non veniet Antichriſtus, niſi priùs Romanum deſtruatur Imperium; iuſta cauſa perſecutionis in Orientem tunc Eccleſiam conſurgere videbatur.

18 Sed, quidquid ſit de hoc loco Apoſtoli, qui variè exponi poteſt, ſufficit nobis, quòd ex Daniele, Apocalypſi, & antiqua Patrum traditione, clarè probatum ſit, non priùs venturum Antichriſtum, quàm Imperium Romanum penitùs extinctum ſit, ac in decem Reges diſtributum, quod hactenùs factum non eſt. Vndè concludo; non veniſſe hactenùs Antichriſtum. Et hoc ſit primùm contrà Nouatores argumentum.

19 Secundùm argumentum eſt eiuſmodi. Elias, & Heiroch venturi ſunt eodem tempore, quo Antichriſtus: at illi duo nondùm venerunt. Ergo nec iſte. Maior paſſim traditur à Patribus, qui illam colligunt è varijs ſcripturæ locis, vt ſuprà viſum eſt in explicatione ſecundi vitij Reformatorum. Porrò, quia Aduerſarij dicunt Patres errasſe, & ſcripturam malè intellexiſſe; formabo argumentum hoc modo: Duo Prophetæ venturi ſunt eodem tempore, quo Antichriſtus; qui habebunt poteſtatem claudendi Cœlum ne pluat, & conuertendi aquas in ſanguinem, & percutiendi terram omni plaga; & cùm prophetauerint diebus 1260. mouebit Antichriſtus contrà illos bellum, & occidet eos; & corpora eorum iacebunt Hieroſolymæ, vbi Chriſtus crucifixus eſt; & poſt tres dies, & dimidium reſurgent; & vnà cum corporibus aſcendent in Cęlum, &c. Atqui duo iſti Prophetæ nondùm venerunt. Ergo nec Antichriſtus. Maior ſecundùm omnes patres ſumpta eſt ex Apocal. cap. 11. Minor patet, quia à temporibus Apoſtolorum ad nos vſque, nulli duo deſignari poſſunt, quibus omnia ſupradicta conueniant.

20 Franciſcus Iunius Caluiniſta in cap. 6. Bellarmini, reſpondet, multos pios viros à tempore Bonifacij VIII. extitiſſe, quibus omnia iſta conueniant, non ſecundùm literam; ſed ſecundùm ſenſum Propheticum, quo vaticinium Ioannis impleri oporteat. Videamus an ità ſit. Et primùm quæro, quinam illi fuerint, qui habuerunt poteſtatem claudendi Cœlum, ne plueret, conuertendi aquas in ſanguinem, & percutiendi terram omni plaga? Et quis ſit ille ſenſus Propheticus, quo iſta accipienda ſint? Legimus Eliam Theſbiten, antequam igneo curru tolleretur è terra, clauſiſſe Cœlum, ne plueret annos tres, & menſes ſex. Legimus Moſen in Ægypto conuertiſſe aquas in ſanguinem, & percuſſiſſe terram omni plaga coràm Pharaone. Sed hæc omnia ſecundùm literam acciderunt. Qui autem ſunt, qui ſecundùm ſenſum Propheticum iſta fecerunt? Et quid eſt, claudere Cęlum ne pluat, ſecundùm ſenſum Propheticum? An eſt idem, quòd efficere, ne per modum pluuiæ, gratia Dei deſcendat de Cęlo? At boni viri hoc non faciunt, quando conantur alios ad veram fidem conuertere. Tunc enim maximè opus eſt Diuina gratia de Cœlo diſtillante. An è contrario, eſt idem quòd efficere, ne vindicta Dei deſcendat de Cęlo? At ſi hoc fecerunt duo illi Prophetæ, de quibus loquitur Ioannes in Apocalypſi; quomodo dicuntur aquas conuertiſſe in ſanguinem? & percuſſiſſe terram omni plaga? An non hæc vindicta de Cęlo eſt?

21 Iterum quæro, quinam illi fuerint, quos Antichriſtus bello vicit, & occidit? aut quo ſenſu intelligendum id ſit? Nam ſi bellum, occiſio, victoria, non ſecundùm literam; ſed ſecundùm ſenſum Propheticum accipienda ſunt, vt vult Caluiniſta; ſequitur, Sanctos illos Prophetas, qui à Deo miſſi ſunt, non corporaliter; ſed ſpiritaliter ab Antichriſto victos, & occiſos eſſe. Atqui hoc planè abſurdum eſt.

22 Tertiò quæro, quando factus ſit ille terræ motus, quo decima pars Ciuitatis cecidit, & occiſa ſunt ſeptem hominum millia, Prophetis in Cęlum aſcendentibus? Et quo ſenſu impleum hoc ſit? Hæc, & ſimilia explicanda erant à Franciſco Iunio, ſi volebat communem Patrum expoſitionem deſerere, & argumenti noſtri vim effugere.

23 Ex dictis concludo, Antichtiſtum nondū veniſſe. Primò, quia Romanū Imperium nondùm euerſum eſt. Secundò, quia Prophetæ illi, de quibus loquitur Ioannes in Apocalypſi, nondùm à Deo miſſi ſunt. Tertiò, quia Aduerſarij nullo ſolido fundamento poſſunt probare, illum veniſſe. Solùm probant, veniſſe hæreticos tempore Apoſtolorum, quod non negamus. Plura argumenta colligi poterunt ex ſequentibus.

CAP. II.

An Papa ſit Antichriſtus?

1 AFfirmant aduerſarij, & probant varijs argumentis, quæ omnia reuocari poſſunt ad hunc vnum ſyllogiſmum; Cuicumque conueniunt omnes Notæ Antichriſti, quæ in Scripturis fundatæ ſunt, is ſine dubio eſt Antichriſtus: At Pontifici Romano conueniunt omnes eiuſmodi Notæ: Ergò Pontifex Romanus eſt Antichriſtus.

2 Ego viciſſim è contrario, repono hunc ſyllogiſmum; Is non poteſt eſſe Antichriſtus, cui non conueniunt omnes Notę Antichriſti: At Pontifici non conueniunt omnes Notæ: Ergò Pontifex non poteſt eſſe Antichiſtus. Minor probanda eſt in ſequentibus capitibus, vbi ſeorſim agam de ſingulis Notis; & oſtendam eas Pontifici Romano nullo modo conuenire.

3 Addam nunc alia quædam argumenta. Primum eſt, Antichriſtus non veniet, niſi poſt euerſionem Romani imperij: At Pontifex venit ante illam euerſionem: Ergò Pontifex non eſt Antichriſtus. Secundùm eſt; Antichriſtus occidet duos illos Prophetas, de quibus agitur in Apoc. 11. cap. At Pontifex hoc non facit: Ergò non eſt Antichriſtus. Hæc duo ſumpta ſunt ex præcedenti capite; nec indigent noua probatione, aut explicatione.

4 Tertium eſt; Antichriſtus non regnabit, niſi tres annos cum dimidio: At Pontifex regnauit iam multis ſeculis: Ergò Pontifex non eſt Antichriſtus. Maior colligitur ex illo Dan. 7. 25. [Sermones contrà excelſum loquetur, & ſanctos altiſſimi conteret, & tradentur in manu eius vſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.] Hìc per tempus intelligitur vnus annus; & per tempora duo anni; & per dimidium temporis, dimidius annus. Ità explicant omnes antiqui Patres. Neque hoc negant Nouatores: ſed more ſuo aiunt Patres errare, & non rectè ſcripturam interpretari. Ego contrà aſſero, Nouatores

Digitized by Google

errare; Patres rectè ſentire. Pro Patribus facit Ioannes in Apoc. cap. 13.5. vbi dicit, Antichriſtum regnaturum menſibus42. qui rectè faciunt tres annos cum dimidio. Et cap. 11.3. vbi ait, duos illos Prophetas, qui ſe opponent regnanti Antichriſto, prædicaturos diebus 1260. qui idem tempus efficiunt.

5 Hic valdè torquent ſe Nouatores: Aliqui negant, hæc teſtimonia intelligenda eſſe de Antichriſto, vt Franciſcus Iunius Caluiniſta. Sed hunc ſupra refutaui. Alij fatentur quidem Danielem, & Ioannem loqui de Antichriſto; non tamen aſſignare illi tres annos cum dimidio. Hi rurſùm bipartiti ſunt. Nonnulli volunt tempus certum pro incerto poſitum eſſe, vt Chytræus, & Bullingerus. Sed pugnant contra communem conſenſum antiquitatis. Adde, tunc ſolùm poni certum numerum pro incerto, quando ponitur aliquis plenus, & perfectus numerus, vt decem, centum, mille; non autem, quando parui, & magni permixti ſunt, vt concedit Iunius Caluiniſta in cap. 8. Bellarmini. Quorsùm enim numerorum varietas, & permixtio, ſi tempus incertum deſignatur? Denique, ſi ſcriptura ſemel tantùm, aut vno modo meminiſſet illius numeri, poſſet aliquis putare, certum pro incerto poſitum eſſe. At non ſemel; ſed ſæpè illius meminit; neque vno, ſed varijs modis eumdem expreſſit. Etquidem ter ſub hac forma: [Per tempus, & tempora, & dimidium temporis.] bis verò ſub hac: menſibus quadraginta duobus. Semel denique ſub hac; diebus mille ducentis ſexaginta. Omnes autem iſtæ formæ deſignant tres annos cum dimidio. Primam vide Dan. 7. 25. & Daniel. 12. 7. & Apoc. 12. 14. ſecundam vide Aooc. 11. 2. & Apoc. 13. 5. Tertiam vide Apoc. 11.3.

6 Alij reſpondent, diem accipi pro anno ideòque pro 1260. diebus, totidem annos intelligi oportere. Hoc enim frequenter fieri in ſcripturis, iuxtà illud Ezech. 4. 6. Diem pro anno dedi tibi. Et Luc. 13. 33. Oportet me hodie, & cras, & ſequenti die ambulare,] id eſt, tribus adhuc annis viuere. Ità Magdeburgenſes cent. 1. lib. 2. cap. 4. Sed errant. Primò, quia illum numerum 1260. annorum, non poſſunt accommodare ad illa verba Danielis, & Ioannis; [Tempus, & tempora, & dimidium temporis.] Siue enim per tempus intelligant vnum diem, vnam hebdomadam, vnum annum; ſiue vnum luſtrum, vnum iubilæum, vnum ſeculum; non efficiunt 1260. annos. Secundò, quia vſitatum eſt Danieli, vt per tempus intelligat annum. Nam cap. 4. aliquoties repetit ſeptem tempora tranſitura, quibus Nabuchodonoſor erit extrà regnum ſuum. Omnes, autem docent, per illa ſeptem tempora intelligi debere ſeptem annos. Si enim intelligerentur anni annorum (vt intelligunt Nouatores, cum de Antichriſto agitur) ſequeretur Nabuchodonoſorem vixiſſe extrà regnum annos 1555. quod eſt abſurdum.

7 Nec obſtat illud Ezech. 4. 6. diem pro anno dedi tibi. Nam in illo capite iuſſerat Deus, vt Ezechiel dormiret ſuper latus ſiniſtrum diebus 390. Hæc autem dormitio erat ſignum dormitionis Dei, per quam totidem annis tolerabat peccata Iſraelitarum. Cùm ergo dicit Deus Prophetæ: diem pro anno dedi tibi, non vult dicere, quòd 390. diebus, id eſt, 390. annis deberet dormire, (hoc enim conſtat eſſe falſum) ſed ſenſus eſt, quòd ſicut Deus patienter ſuſtinuit peccata populi per 390. annos: ità Propheta ad hoc explicandum quieſcat totidem diebus ſuper latus ſiniſtrum.

8 Similiter non obſtat illud Luc. 13.33. [Oportet me hodie, & cras, & ſequenti die ambulare.] Nam illis verbis non ſignificat Chriſtus, ſe adhuc tribus annis victurum, vt perperam exponunt Nouatores: (erat enim vltimus annus vitæ ipſius, cum iſta proferret) Sed potiùs, ſe tres dies conſumpturum in itinere Ieroſolymitano, vt interpretantur Auguſt. lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 75. & lib. 6. contra Iulianum cap. 8. Beda, Albertus. Caietanus, & multi alij in illum locum. Et patet ex ipſo contextu. Nam mox ſequitur: quia non capit Prophetam perire extrà Ieruſalem. Nimirùm cauſam reddit, cur ambulare, id eſt, in Ieruſalem ire debeat.

9 Hactenus tertiũ argumentum, Quartum eſt: Antichriſtus à Iudæis pro Meſſia recipietur: At Papa non recipitur ab illis pro Meſſia: Ergò Papa non eſt Antichriſtus. Maior paſſim habetur tamquam certa apud antiquos Patres, Irenæum, Damaſcenum, Hilarium, Cyrillum, Ambroſium, Hieronymum; Auguſtinum, Proſperum, & alios. Et probant ex duobus Scripturæ locis.

Primò, ex illo Ioannis 5. 43. [Ego veni in nomine meo, & non recipitis me; ſi alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis.] Quis eſt ille alius, qui in nomine ſuo venturus eſt, niſi Antichriſtus? Hunc ergo recipient Iudæi.

Secundò, ex illo 2. Theſſal. 2.10. [Eò quòd charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent; ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.] Qui ſunt illi, qui veritatem, id eſt, Chriſtum non receperunt? Iudæi. Quomodo propter hoc peccatum puniet illos Deus? mittet illis operationem erroris, vt credant mendacio, id eſt, Antichriſto, quem pro Meſſia recipient. Et confirmatur ratione, quia conſtat Iudæos incredibili deſiderio expectare ſuum Meſſiam: Ergo ſine dubio recepturi ſunt illum pro Meſſia, in quo videbunt apparentia quædam ſigna veri Meſſiæ: At in Antichriſto apparebunt talia ſigna, tametſi ficta, ac mendacia, vt patet, 2. Theſſ. 2.9. Ergo illum recipient pro Meſſia. Nunc ad præcipuum argumentum accedamus, quod ſumitur ex Notis Antichriſti.

CAP. III.

An Papa defecerit à vera fide?

1 DEinceps examinandæ ſunt Notæ Antichriſti. Prima eſt, defectio, ſeu Apoſtaſia à fide. Hanc aduerſarij colligunt ex illo 2. Theſſ. 2. 3. [Niſi venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati.] vbi nomine diſceſſionis intelligunt defectionem à fide. An rectè, hic non diſputo. Multi ex Patribus, vt ſupra oſtendi, intelligunt defectionem ab imperio Romano. Sed quidquid ſit de ſenſu verborum Apoſtoli; de reipſa diſputemus; An ſcilicet Papa defecerit à fide?

2 Aduerſarij affirmant. Sed tria ab ipſis quæro.

Primò, quo tempore defecerit?

Secundò, cum ſint multi articuli fidei, in quo articulo defecerit?

Tertiò, An eo tempore, quo Papa defecit à fide cum tota Eccleſia Romana, remanſerit aliqua Eccleſia viſibilis in terris; & quænam illa fuerit? Ad hæc paucis cupio reſponderi à Nouatoribus.

3 Sit ergo prima quæſtio, quo tempore Pontifex cum Eccleſia Romana defecerit à fide? Hìc propè quot capita, tot reſponſa. Alij conantur certum defectioois tempus definire; alij fatentur ſe id ignorare. Vtrique rursùs in varias ſectas diſtracti ſunt. Nam eorum, qui definiunt certum tempus, alij hoc, alij illud definiunt. Qui autem fatentur ſe ignorare, varijs modis excuſant ſuam ignoraotiam. Aliqui obtendunt, defuiſſe ſcriptores, qui defectionis initium in chartam conijcerent. Alij, fuiſſe quidem viros Pios, ac Doctos, qui præſtare id potuiſſent, non tamen auſos eſſe propter grauiſſimam temporis illius perſecutionem. Alij denique, non magnoperè curandum eſſe, quo tempore defecerit, cùm iam ſatis conſtet, reipſa defeciſſe. Vides, opinor, quàm diſcordibus tibiis canant hi homines. Similes ſunt illis ſenibus, qui Suſannam de commiſſo adulterio accuſabant. Nam rogati à Daniele de loco flagitij, vnus hoc, alius alio loco patratum eſſe comminiſcebatur. Planè ſic faciunt noſtri Nouatores. Accuſant Papam de Apoſtaſia. Rogati de tempore, alius interdiù, alius noctu factam eſſe contendit. Et conuenientia teſtimonia non ſunt: vt habetur Marci 14. 55.

4 Altera quæſtio eſt, in quo articulo fidei defecerit Papa? Inuenio quatuor Nouatorum reſponſiones.

Primò, Caluinus ait, in his tribus defeciſſe, aſſerendo, nullum eſſe Deum, nullum Chriſtum, nullam reſurrectionem, aut vitam æternam.

Secundò, Rudiores è plebe dicunt, in alijs tribus defeciſſe; aſtruendo purgatorium, inuocationem Sanctorum, & indulgentias.

Tertiò, Doctores ſcribunt, malè eum ſentire de Libero arbitrio, Iuſtificatione, Euchariſtia, Baptiſmo.

Quartò. Alij præter ſupradicta, reprehendunt, quòd traditiones, & ſacrificium Miſſæ admittat.

5 Videamus ſingula. Caluinus apertè mentitur, vt ſupra monui. Reliqui errant. Et quidquid obijciunt, hoc elencho comprehendi poteſt; [Is deficit à fide, qui admittit Purgatorium, inuocationem Sanctorum, indulgentias, liberum arbitrium, inhærentem iuſtitiam, præſentiam Chriſti in Euchariſtia, baptiſmi neceſſitatem, Traditiones, & ſacrificium Miſſæ: At Pontifex Romanus hęc omnia admittit: Ergo deficit à fide.]

6 Repooam ſimilem elenchum; [Is deficit à fide, qui negat purgatorium, & reliqua recenſita: Atqui Nouatores negant iſta omnia: Ergo deficiunt à fide.] In maiori propoſitione vtriuſque Elenchi tota controuerſia eſt. Illi noſtram; nos illorum dicimus falſam eſſe. Vtri rectiùs; Hìc Iudice opus eſt. Nos ad totam Patrum antiquitatem prouocamus. Illi nec volunt, nec audent comparere. Aiunt Patres errâſſe. Ad ſcripturam nos trahunt. Adſumus. Sed quis erit interpres? Illi nos, & nos illos ſuſpectos habemus. Ergo iterum prouocamus ad Patres. Iterùm illi abnuunt. Quid agas cum his hominibus? ſoli non errant; ſoli ſapiunt, ſuo iudicio. Hæc obiter, Nam prolixior de his omnibus diſputatio nou eſt huius loci.

7 Vltima quæſtio eſt: An eo tempore, quo Nouatores dicunt Pontificem Romanum cum Eccleſia Romana à fide defeciſſe, remanſerit aliqua viſibilis Eccleſia Chriſti in terris, necne? ſi remanſit, quæ, & quorum illa fuit? ſi non remanſit, quomodo Chriſtus fuit, ſine ſponſa? Sed hæc fuſiùs diſputabo in appendice de Eccleſia. Pergo ad alias Notas.

CAP. IV.

An Papa ſedeat in templo Dei?

1 APoſtolus 2. Theſ. 2. 4. de Antichriſto ſic habet: [Ità vt in templo Dei ſedeat.] Quæſtio eſt, de quo templo loquatur? Aduerſarij interpretantur Eccleſiam Chriſti, in qua Pontifex Romanus ſedet, vt indè concludant, Pontificem eſſe Antichriſtum. Sed rriplicitèr peccant.

Primò contra ſeipſos, quia ſi Papa ſedet in Eccleſia Dei, fateri debent ſe non eſſe in Eccleſia Chriſti, cùm non ſint in illa Eccleſia, in qua Papa ſedet.

Secundò, contra rem ipſam, quia ex eò præcisè, quòd Papa ſedet in Eccleſia Chriſti, non rectè infertur, Papam Antichriſtum eſſe. Aliàs pari ratione Petrus, & proximi ſucceſſores eius fuiſſent Antichriſti, quia ſederunt in Eccleſia Chriſti.

Tertiò, contra mentem Apoſtoli, quia ſupponunt tamquam certum, & in indubitatum, Apoſtolum per templum Dei intellexiſſe Eccleſiam Chriſti, ſeu Cathedram Romanam, quod tamen certum non eſt.

2 Nos dicimus Apoſtolum loqui de templo Hieroſolymitano. Et nobiſcum ſen-

Digitized by Google

ſentiunt antiqui Patres. Damaſc. libro 4. cap. 28. [in templo, inquit, non noſtro: ſed veteri Iudaico.

Cyril. catech. 15. [In templo, quod reliquum eſt Iudæorum. Abſit enim, vt in hoc id fiat, in quo nos ſumus.]

Eodem modo loquuntur Iren. lib. 5. cap. 25. Hippol. Martyr in orat. de conſumatione mundi.

Hilar. can. 25. in Matth. Ambroſ. in cap. 21. Lucæ. Sedulius, Haymo, Strabus, D. Thom. & alij in 2. Theſſ. 2.

3 Nec ſine fundamento hoc dicimus. Primò, quia alliundè conſtat, Antichriſtum non Romæ; ſed Hieroſolymæ ſeſſurum. Ibi enim interficiet duos illos Prophetas, de quibus Ioannes agit in Apocalypſi. Sic enim loquitur cap. 11. 7. [Cum finierint teſtimonium ſuum (nempè duo illi prophetæ) beſtia, quæ aſcendit de abyſſo, faciet aduersùs eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, vbi Dominus eorum crucifixus eſt.] Hìc apertè vides, Antichriſtum interfecturum duos prophetas in illa ciuitate, vbi Chriſtus crucifixus eſt. Conſtat autem Chriſtum non Romæ; ſed Ieroſolymæ crucifixum eſſe. Hieroſolymæ igitur ſedebit Antichriſtus. Nec ad rem facit, quod reſpondet Iunius Caluiniſta, Chrſtum Romæ ſpiritualiter crucifixum eſſe.

Nam etiam Conſtantinopoli, & alibi ſpiritualiter crucifixus, eſt. An ideò Antichriſtus Conſtantinopoli, & alibi Prophetas illos interfecturus eſt?

4 Accedit, quòd in nouo teſtamento per templum Dei, quotieſcumque propriè ſumitur, & non metaphoricè (ſumitur, autem ſæpiſſimè propriè) numquam intelligantur Eccleſiæ Chriſtianorum; ſed ſemper templum Hieroſolymitanum. Nec mirum.

Primò, quia Apoſtoli, cum necdùm haberent publica templa, ſed tantùm priuatas domos, quæ erant orationi, aut concioni deſtinatæ; quomodo vocaſſent eas templa?

Secundò, quia illo tempore adhuc vigebat memoria templi Iudæorum; & ideò conſultò abſtinebant à nomine templi, quoties ſuas Eccleſias nominabant, ne viderentur introducere aliquid ſimile templo Iudaico, & reuocare cæremonias Iudæorum, quod nullo modo expediebat.

5 Dicam amplius. Antiqui Patres, qui poſt Apoſtolorum tempora extiterunt, multis ſeculis imitati ſunt Apoſtolos, & numquam Eccleſias ſuas vocarunt templa; ſed oratoria, baſilicas, domos orationis, martyria. Id patet ex Iuſtino, Irenæo, Tertulliano, & Cypriano. Hi enim, quotieſcumque de Eccleſijs Chriſtianorum agunt, numquam templi nomine vti ſolent. Ex his omnibus concludo, Apoſtolum per templum Dei, nihil aliud, quàm templum Hieroſolymitanum intellexiſſe: in eo ſeſſurum Antichriſtum, ac proindè Papam, qui Romæ ſedet, Antichriſtum eſſe non poſſe.

6 Aduerſarij, quia vident ſe in hoc capite controuerſiæ, quod præcipuum eſt, nullo modo ſubſiſtere, vndecumque poſſunt aliquid ſubſidij conquirunt. Ac primùm, citant auctoritatem Hieronymi, & Oecumenij, qui docent, Apoſtolum per templum Dei intelligere Eccleſiam Chriſti. Sed miror, cum ſemper clament, Patres errare in toto argumento de Antichriſto, quòd nunc Patrum auctoritate tueri ſe velint. Id facit deſperatio. Magis miror, quòd duos Patres audeant cæteris omnibus opponere, & anteferre. An duo Patres rectè ſentiunt; cæteri omnes errant? cur non potiùs duo errant, & reliqui benè ſentiunt.

7 Iterum vrgent; Templum Salomonis pridem deſtructum eſt, & numquam reſtaurandum; Dan. 9. 27. Ergo Apoſtolus per templum Dei non intellexit templum Salomonis. Reſpondeo. Non eſt reſtaurandum ad cultum veri Dei, cui olim deſtinatum erat; ſed ad abominationem, & impietatem, vt docet Hippolytus martyr, & alij Patres citati. Et ſic intelligendus eſt Daniel cap. 9. 27. cùm ait: [Erit in templo abominatio deſolationis vſque ad conſumationem, & finem.

8 Tandem producunt quaſdam ſcripturas, quibus probent Antichriſtum Romæ ſeſſurum, non Hieroſolymæ, vt Dan. 11. 45. [Figet tabernaculum ſuum inter maria, ſuper montem inclytum, & ſanctum.] Et Matth. 24. 15. [Cùm videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto.] Reſpondeo. Vtrumque teſtimonium pro nobis facit. Nam vtrumque intelligitur de Hieroſolyma; Neutrum de Roma. Vide, quæ ſuprà dixi in ſecundo vitio reformatorum.

CAP. V.

An Papa oſtendat ſe, tamquam ſit Deus?

1 VNa ex Notis Antichriſti eſt, oſtendere ſe tamquam Deum, vt patet ex illo 2. Theſſ. 2. 4. [Ità vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus.] Quæritur. An hæc Nota conueniat Papæ? Affirmant aduerſarij. Sed in modo explicandi differunt. Iconius Caluiniſta in ſuo duplici Elencho ſic probat, & explicat: [Is dicitur ſe oſtendere tamquam ſit Deus, qui ſe exhibet pro viſibili Eccleſiæ Catholicæ capite: At Papa exhibet ſe pro tali capite: Ergo Papa oſtendit ſe tamquã ſit Deus.] Maior falſa eſt, vt ſuprà oſtendi; & continet nouam, & deprauatam ſcripturæ interpretationem. Nam aliud eſt, oſtendere ſe tamquam Deum, cum non ſit Deus: aliud verò, exhibere ſe pro viſibili Eccleſiæ Catholicæ capite, cum reuera ſit caput. Illud priùs conuenit Antichriſto; hoc poſteriùs Petro, & ſucceſſoribus eius.

2 Pouellus Caluiniſta libro 1. capit. 4. & 16. ſic probat, & explicat; [Is dicitur ſe oſtendere tamquam ſit Deus, qui vendicat ſibi nomen, honorem, & poteſtatem Dei: At Papa hæc omnia ſibi vendicat: ergo Papa oſtendit ſe tamquam ſit Deus.] Mi-

nor

nor habet tres partes. Prima eſt, quòd Papa vendicet ſibi nomen Dei.

Hanc probat ex Gratiano diſtinct. 96. cap. 7. vbi Nicolaus Papa gloriatur, ſe Deum appellari à Conſtantinu Imperatore. Altera eſt, quòd Papa vendicet ſibi diuinum honorem.

Hanc probat teſtimonio Auguſtini Stenchi Bibliothecarij Pontificis, qui in libro de donatione Conſtantini dicit, Conſtantinum detuliſſe Papæ diuinos honores. Tertia eſt, quòd Papa vendicet ſibi diuinam poteſtatem. Hanc probat ex diuerſis canonibus, & Canoniſtis, qui paſſim dicunt, Papam poſſe aliquid ex nihilo facere; poſſe de iniuſtitia facere iuſtitiam; poſſe diſpenſare contra Apoſtolum; poſſe Sacramenta à Chriſto inſtituta mutare; & his ſimilia ſexcenta.

3 Vt verbo dicam, mera mendacia ſunt. Et pleraque ex ijs ſupra refutaui. Addam hìc aliquid de Auguſtino Steucho. Is hoc ſolum ſcribit; [Conſtantinum, quò ad eius fieri potuit, contuliſſe Pontifici diuinos honores.] Vbi illa particula, quò ad eius fieri potuit, ſatis ſignificat, Conſtantinum detuliſſe Pontifici tantos honores, quantos citrà læſionem diuinæ maieſtatis conferre ei potuit. Reliqua piget refutare; quia, vt dixi, mera mendacia, meræ calumniæ ſunt. His abundant Nouatores, nos contemnimus.

4 Argumentum Pouelli ſic inuerto; Papa neque nomen Dei, neque honorem, neque poteſtatem ſibi vendicat: Ergo Papa non oſtendit ſe, tamquam ſit Deus.

Ac primò, non vendicat ſibi nomen Dei, quia vocat ſe ſeruum ſeruorum Dei.

Secundò, non vendicat ſibi honorem Dei, quia gerit ſe pro Vicario Chriſti: non eſt autem par dignitas Regis, & Vicarij.

Tertiò, non vendicat ſibi poteſtatem Dei, quia publicè vtitur milite, & medico ad vitæ, & ſanitatis cuſtodiam: hoc non faceret, ſi virtutem, & potentiam Dei ſibi arrogaret. Nec plura in re clara, & perſpicua.

CAP. VI.

An Papa extollat ſe ſupra omnem Deum?

1 APoſtolus 2. Theſſ. 2. 4. ſic habet: [Extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur.] An hoc faciat Pontifex, quæſtio eſt. Affirmant aduerſarij: ſed non eodem ſenſu. Iconius Caluiniſta interpretatur verba Apoſtoli hoc modo; [Extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut numen, id eſt, offert ſe ſupra omnem Eccleſiaſticum, & politicum ordinem.] Vnde ſic argumentatur; [Qui effert ſe ſupra omnem Eccleſiaſticum, & politicum ordinem, is reuera Antichriſtus eſt: At Papa offert ſe ſupra vtrumque ordinem: Ergo Papa reuera eſt Antichriſtus.] Verùm hæc explicatio verborum Apoſtoli noua, & falſa eſt. Nam vt ſupra monui, Apoſtolus per id omne, quod dicitur Deus, aut numen, non intellexit omnem ordinem Eccleſiaſticum, & Politicum; ſed omnem Deum, ſiue verum, ſiue falſum, vt apertè oſtendi ex Daniele cap. 11. 36.

2 Alij Caluiniſtæ ſic explicant; [Extollitur ſupra omne id, quod dicitur Deus, aut numen, id eſt, ſupra omnes magiſtratus, ſupra Angelos, ſupra Diabolos, ſupra ipſum verum Deum omnipotentem.] Hi enim omnes in ſcriptura vocantur dij, vel Deus. Ità Pouellus lib. 1. cap. 17. Quòd autem Pontifex ſupra hos omnes ſe extollat, probat inductione.

Primò, quia magno faſtu deſpicit præ ſe Reges, & Imperatores; & eos ad oſcula pedum ſuorum abijcit.

Secundò, quia gloriatur ſe Angelis Cœlorum præcipere poſſe.

Tertiò, quia iactat ſibi commiſſam eſſe poteſtatem in Diabolos.

Quartò, quia vero Deo omnipotenti ſe anteponit. Hanc poſtremam partem, quia incredibilis videbatur, probat tribus rationibus; Prima eſt. [Quæcumque ſua ſcripta, placita, ac decreta, præfert verbo, ac ſcripturæ ipſius æterni Dei; is præfert ſe vero Deo: Pontifex Romanus ſua ſcripta, ac decreta præfert verbo, ac ſcripturæ ipſius æterni Dei: Ergo præfert ſe ipſi Deo.] Altera eſt; [Qui dicit fas eſſe ſibi mutare formam Sacramentorum, is ſe extollit ſupra auctorem Sacramentorũ Deum: Papa hoc dicit: Ergo ſe extollit ſupra Deum.] Tertia eſt; [Qui præcepta, edicta, & interdicta ſua extollit ſupra Dei edicta, & Decalogi præcepta, is ſe extollit ſupra Deum: Papa hoc facit: Ergo.

3 In his tribus rationibus minor propoſitio falſa eſt; nec aliter probatur à Pouello Caluiniſta, quàm mendacijs, calumnijs, & ſimilibus portentis, quæ non lubet referre. Iam ſupra ſatis oſtenſum eſt, quanta ſit in hoc homine mentiendi libido, ac licentia. Vnde prudens lector intelligere poteſt, Aduerſarios, cum de Antichriſto agitur, non graues Theologos; ſed leues mimos, ac poetas imitari, qui quò ſplendidiùs mentiuntur, eò maiorem in ſua arte laudem merentur. Hoc obiter. Res per ſe nota eſt.

CAP. VII.

An Papa neget Chriſtum?

1 PRæcipua Antichriſti Nota eſt, negare, & oppugnare Chriſtum, vt patet ex illo 1. Ioannis 2. 22. [Quis eſt mendax, niſi is, qui negat, quoniam Ieſus eſt Chriſtus? Hic eſt Antichriſtus, qui negat patrem, & filium.] Et cap. 4. 3. [Omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ideſt, qui, vel diuinitatem, vel humanitatem eius negat, ex Deo non eſt; & hic eſt Antichriſtus.] ideſt Chriſto contrarius, vt ſupra notaui ex varijs Patribus.

2 Nunc quæſtio eſt, An hæc Nota conueniat Papæ? ideſt. An Papa neget, vel

ſol-

ſoluat Chriſtum? Aduerſarij, quia non audent hoc ſimpliciter aſſerere, cum videatur per ſe falſum, reſpondent cum diſtinctione; Papam non quidem verbo: ſed facto, & opere negare Chriſtum, quia corrumpit doctrinam de Chriſto mediatore. Ità Magdeburgenſes cent. 1. lib. 2. cap. 4. Franciſcus Iunius Caluiniſta in caput 14. Bellarmini.

3 Sed dupliciter peccant. Primò, quia Antichriſtus non tantùm facto, ſed etiam verbo; & quidem palàm negaturus eſt Chriſtum, vt patet ex ſcripturis citatis. Idem ſentiunt antiqui Patres. Et ratio eſt manifeſta, quia non poterit ſe extollere ſupra omnem Deum, & perſuadere ſe eſſe ſolum Deum, niſi neget Chriſtum eſſe verum Deũ. Si enim verbo palàm profiteretur, Chriſtum eſſe verum Deum, ac hominem, & humani generis vnicum Redemptorem; quomodo ſuam auctoritatem, & diuinitatem aſtrueret apud alios?

4 Deindè falſum eſt, Papam negare Chriſtum facto, & opere, corrumpendo doctrinam de Chriſto mediatore. Ipſimet Aduerſarij hoc faciunt. Docent enim Chriſtum eſſe mediatorem ſecundùm vtramque naturam, diuinam, & humanam, qui eſt manifeſtus error. Nam Chriſtus ſecundùm illam naturam debet eſſe mediator, ſecundùm quam meruit, & ſatisfecit pro nobis: at non meruit, aut ſatisfecit ſecundùm diuinitatem; ſed ſecundùm humanitatem: Ergo non eſt mediator ſecundùm diuinitatem, ſed ſecundùm humanitatem. Minor patet, quia meruit, & ſatisfecit per orationem, ieiunium, paſſionem, & mortem, quæ ſunt opera humanitatis: non autem per prædeſtinationem, aut creationem, quæ ſunt opera diuinitatis. Hinc Apoſtolus 1. Timoth. 2. 5. dixit: [Vnus mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus.] vbi particula (Homo) addita eſt, vt conſtaret, ſecundùm quam naturam Chriſtus eſſet mediator, quod notauit Aug. lib. 2. de peccato originali cap. 28. & ſerm. 11. de verbis Apoſtoli. Sed hęc fuſiùs alio loco explicanda ſunt.

CAP. VIII.

An Papa colat idolas?

1 ADuerſarij ponunt inter Notas Antichriſti, quòd futurus ſit idololatra. Et hoc colligunt ex illo Dan. 11. 38. [Deum autem Maozim in ſuo loco venerabitur, & Deum, quem ignorauerunt Patres eius, colet auro, & argento, & lapide precioſo, rebuſque precioſis.] Et ex illo Apocal. 17. 4. [Mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide precioſo, & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius.] Vide Pouellum l. 1. cap. 4.

2 Quòd autem hæc Nota conueniat Papæ, ideſt, quòd Papa ſit idololatra, probant dupliciter.

Primò, quia Papa pro vero Deo colit id, quod non eſt Deus, vt panem miſſaticum, Virginem Mariam, Angelos, alios ſanctos.

Secundò, quia verum Deum alio modo colit, quàm quò ſe in verbo ſuo coli præcepit, nempè per bona opera, eleemoſynas, peregrinationes, caſtitatem, paupertatem, obedientiam, cucullum, veſtem Franciſcanam. Vide eumdem Pouellum, lib. 1. cap. 22.

3 Hæc paucis examinanda ſunt. Quod primo loco dicitur, Antichriſtum fore idololatram, diſtinguendum eſt. Nam publicè oppugnabit omnes Deos, & omnia idola; ſolus ipſe volet ſe tamquam Deum adorari. Priuatim verò, & occultè adoraturus eſt Dæmonem, cum quo pactum perpetuum inibit, quòd velit eum adorare, ſi viciſſim illius ope poſſit regnum, & potentiam terrenam adipiſci. Vtrumque colligitur ex verbis Dan. capit. 11. Priùs quidem ex illis; Eleuabitur aduersùs omnẽ Deum, & aduersùs omnia conſurget, ſcilicet palàm, ac publicè. Poſteriùs verò ex illis; [Deum autem Maozim in loco ſuo venerabitur,] nempè occultè, & ex priuato pacto cum Dæmone. Ità D. Hieronymus, & alij Patres. Hinc concludo, Papam non eſſe Antichriſtum, quia publicè non conſurgit aduersùs omnia, vt fatentur ipſi aduerſarij, cum publicè pronus adoret Euchariſtiam. Locus ex Apocal. allatus nihil ad rem facit. Nam in illo capite non agitur de Antichriſto, ſed de Roma, quæ dum adhuc gentilis eſſet, ſeruiebat omnibus idolis.

4 Quod addunt aduerſarij, Papam pro vero Deo colere id, quod non eſt Deus, apertum mendacium eſt. Nec exempla allata id conuincunt. Nam panem non colit pro vero Deo; ſed Chriſtum ſub ſpecie panis latentem. Chriſtus autem eſt verus Deus, B. Virginem, Angelos, & alios Sanctos in Cœlo exiſtentes, colit quidem vt Dei amicos, & domeſticos; non tamen vt veros Deos. Nec eſt opus hoc probare. Omnes Catholicorum libri id clamant. Omnes pueri in doctrina catechiſtica ſic inſtituuntur. Neque ignorant hoc aduerſarij: Sed quia calumniari volunt, diſſimulant.

5 Iam in colendo vero Deo quid peccat Pontifex? quid alij Catholici? quid religioſi? An quia colunt Deum alio modo, quàm quo ſe coli præcepit in ſcriptura? Peccant igitur, & aduerſarij. Nam ipſi colunt Deum, adeundo templum die Dominico; ſumendo Euchariſtiam ante prandium. Vbi hæc præcepta ſunt in ſacris literis? vbi habes, quòd die Dominico potiùs, quàm quouis alio die templum adeundum ſit? quòd ante prandium potiùs, quàm ante, vel poſt cœnam ſumenda Euchariſtia? Nuſquam.

CAP.

CAP. IX.

An Papa faciat miracula?

1 Conſtat Antichriſtum, & miniſtros eius facturus multa ſigna, & prodigia ad ſeducendos homines, vt colligitur ex illo Matth. 24. 24. [Dabunt ſigna magna, & prodigia, ità vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.]

Et Apocal. 13. 13. [Et fecit ſigna magna in conſpectu hominum.]

2 Portò hæc ſigna faciet ope diabolica, nec erunt vera miracula; ſed falſa, & apparentia, vt patet ex illo 2. Theſſ. 2. 9. [Cuius eſt aduentus ſecundùm operationem Satanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus.]

Et infrà: [Mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.]

3 Dicuntur autem ſigna mendacia propter varias cauſas.

Primò, ratione finis, quia Antichriſtus, ideò faciet illa ſigna, vt oſtendat ſe eſſe Deum, quod eſt maximum mendacium.

Secundò, ratione efficientis, quia non ipſe; ſed Diabolus illa efficiet, qui eſt pater mendacij.

Tertiò, ratione materiæ, quia multa ex ijs erunt phantaſtica, ſeu præſtigiæ, & illuſiones; vt quando videbitur excitare mortuos, aut ſanare ægrotos, quod tamen reipſa non faciet.

Quartò, ratione formæ, quia multa putabuntur eſſe miracula, quæ tamen non ſuperabunt vires totius naturæ; ac proindè formaliter non erunt miracula, ſed operationes naturales, licèt ex occultis cauſis proficiſcantur.

4 Nunc quæſtio eſt: An Pontifex faciat huiuſmodi falſa, & mendacia prodigia ad decipiendos homines, vt etiam ex hac parte poſſit vocari Antichriſtus? Aduerſarij affirmant. Hoc autem, tàm frigidè, & ineptè probant, vt quiuis facilè aduertat, ipſos calumniari velle, non veritatem inueſtigare.

Primò probant, quia in Catholicorum libris multa commemorantur miracula, quæ ab ipſis conficta ſunt, nec vmquam contigerunt.

Secundò, quia Ieſuitæ dicunt ſe facere multa miracula in Iaponia; & tamen hìc in Europa nulla poſſunt facere, ergo ſignum eſt ipſos mentiri.

Tertiò, quia Pontificij fingunt ſtatuas in Eccleſia progredi, conſiſtere, ridere, nutus dare, & alios motus exercere: fingunt animarum è Purgatorio venientium lacrymas, ſuſpiria, petitiones, confeſſiones: fingunt Chriſti, Mariæ, Apoſtolorum crebas viſiones: fingunt morborum ſanationes, & id genus mille ludibria.

Quartò, quia illuſiones Sathanæ numerant inter vera miracula, cuiuſmodi multa ſunt in quatuor libris Dialogorum Gregorij Magni, hominis ſuperſtitioſiſſimi. Vide Pouellum Caluiniſtam lib. 1. cap. 26. vbi has, & ſimiles calumnias coaceruauit, quæ refutatione non indigent.

5 Ego relictis his nugis, & calumnijs, tria breuiter oſtendam.

Primò, Pontificem Romanum non facere, nec feciſſe ea prodigia mendacia, quæ Antichriſto tribuuntur in ſacris literis.

Secundò, Pontificem, & Pontificios ſæpè facere, & feciſſe vera miracula; qualia nec Antichriſtus, nec Nouatores facere poſſunt.

Tertiò, ea, quæ ab aduerſarijs allata ſunt, nullius momenti eſſe.

6 Primam partem probo duobus argumentis. Vnum eſt; Antichriſtus deducet ignem de Cœlo, Pontifex hoc non facit: Ergo non eſt antichriſtus.

Maior Apocalyp. 13. 13. [Et fecit ſigna magna, vt etiam ignem faceret de Cęlo deſcendere in terram in conſpectu hominum.] Loquitur de Antichriſto, vt fatentur aduerſarij; nominiminatim Franciſcus Iunius Caluiniſta in cap. 15. Bellarmini.

Pouellus Caluiniſta lib. 1. cap. 4. §. 19.

Balduinus Lutheranus in diſput. de Antichriſto cap. 6. §. 27. & alij.

7 Tres ſunt ſolutiones aduerſariorum. Prima eſt, Ioannem loqui de igne excommunicationis, vt hic ſit ſenſus; Antichriſtus faciet ignem de Cœlo deſcendere, ideſt, excommunicabit homines: Et hoc, aiunt, facere Pontificem.

Ità Pouellus lib. 1. cap. 26. §. 15.

Et Balduinus cap. 6. §. 32. Sed hos ſupra refutaui, partim ex alijs Scripturæ locis; partim etiam euidenti ratione. Nàm ignem de Cœlo deducere, numeratur à Ioãne inter maiora ſigna, ſeu miracula Antichriſti: immò inter talia miracula, quibus ſeducantur homines, vt credant eſſe opera diuinitatis. At excommunicare aliquem nullum eſt miraculum.

8 Altera eſt, Ioannem loqui de igne diuino, ſeu de Spiritu ſancto, vt ſenſus ſit; Antichriſtus faciet ignem de Cœlo deſcendere; ideſt, dicet ſe in Sacramentis conferre Spiritum ſanctum, qui eſt ignis de Cœlo deſcendens. Et hoc, aiunt, ſimiliter facere Pontificem.

Ità Bullingerus in cap. 13. Apocalyp. Sed facilè hoc commentum refellitur. Nàm etiam Apoſtoli fecerunt hoc modo ignem de Cœlo deſcendere, quia quoties baptizatis imponebant manus, Spiritus ſanctus in ſpecie ignis deſcendebat de Cœlo, vt patet ex illo Act. 19. 6. [Et cũ impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos.] An ideò Paulus, & alij Apoſtoli fuerunt Antichriſti? An ideò conuenit illis, quod dicit Ioannes in Apocalypſi, [vt etiam ignem faceret de Cœlo deſcendere?] Videat Bullingerus.

9 Tertia eſt, Ioannem loqui de igne corporali, & Pontificem deducere eum de Cœlo in terram.

Ità Iunius Caluiniſta in cap. 15. Bellarmini; Et probat his verbis; etiam ignem è Cœlo cecidiſſe, aliquoties narrat Ioannes

nes Linturius in appendice ad Faſciculum temporum. Vis argumenti, vt mihi videtur, eſt hæc; Ioannes Linturius narrat aliquoties ignem è Cœlo cecidiſſe: Ergo Pontifex fecit ignem de Cœlo deſcendere, perindè eſt, ac ſi dicam; Scriptura narrat aliquoties ignem è Cœlo deſcendiſſe, ergo Caiphas fecit ignẽ è Cęlo deſcendere: Cur non ſimili modo licebit ſic inferre; Ioannes Linturius narrat ignem è Cœlo cecidiſſe: Ergo Caluinus, vel Lutherus fecit ignem de Cœlo deſcendere? Vel ſic; Quidam Mathematicus Caluiniſta, dum noctu ſtellas obſeruaret, dicit ignem è Cœlo cecidiſſe: Ergo Prædicans Caluiniſta fecit ignem de Cœlo deſcendere? Nugæ nugarum. Nimirùm hęc ſunt immota Scripturæ fundamenta, ex quibus Aduerſarij conuincunt Papam eſſe Antichriſtum. Sed Pergo.

10 Alterùm argumentum eſt; Antichriſtus faciet, vt imago beſtiæ loquatur: Pontifex hoc non facit: Ergo non eſt Antichriſtus. Maior patet ex illo Apocal. 31. 15. [Et datum eſt illi, vt daret ſpiritum imagini beſtiæ, & vt loquatur imago beſtiæ.] Quod de Antichriſto intelligunt Iunius, Pouellus, & alij Caluiniſtæ. Hic etiam adhibent varias ſolutiones.

Vna eſt Pouelli lib. 1. cap. 26. §. 24. vbi dicit, per imaginem beſtiæ, intelligi antiquum Romanum Imperium, cui Antichriſtus, ideſt, Papa, dedit ſpiritum, vt loqueretur, ideſt, Imperium illud, quaſi demortuum inſtaurauit, & nouo ſpiritu donauit. Hoc delirium ſupra refutaui. Reſtaurare regnum, non eſt miraculum. Boni, & mali id poſſunt per induſtriam humanam.

11 Alia ſolutio eſt Franciſci Iunij in cap. 15. Bellarmini, vbi oſtendit Pontificem ſæpè id feciſſe, vt imagines loquerentur. Et probat his verbis; [Imagines verò locutas eſſe, locis ferè ſingulis memoria noſtra gloriantur Pontificij, & Genebrardi chronicon abundat exemplis.] Hoc eiuſdem farinæ eſt cum cæteris. Et refellitur ex ipſo contextu.

Primò, quia Ioannes in illo capite, agit de duplici beſtia, quarum altera de mari, altera de terra aſcendebat. Per priorem beſtiam intelligit Franciſcus Iunius (contra quem diſputo) Imperatores Romanos; per poſteriorem verò Antichriſtum. Conſtat autem imaginem beſtiæ, quæ dicitur loqui, non eſſe imaginem poſterioris, ſed prioris beſtiæ, vt patet ex illis verbis 5. 14. [vt faciant imaginem beſtiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit.] Beſtia autem, quæ habuit plagam, & curata eſt, non eſt poſterior; ſed prior. Ergo ſi verum eſt, quod ait Franciſcus Iunius, neceſſe eſt, vt Antichriſtus (qui deſignatur per poſteriorem beſtiam) faciat loqui imginem prioris beſtiæ, ideſt, imaginem Imperatorum Romanorum. Hoc autem Pontifex hactenùs non fecit, nec ex chronico Genebrardi oſtendi poteſt.

Secundò, quia Anticriſtus occidet omnes, qui non adorant imaginem prioris beſtiæ, vt patet ex illis verbis 5. 15. [Faciet, vt quicumque non adorauerint imaginem beſtiæ, occidatur.] At Pontifex neminem hactenùs occidit, quòd imaginem Romanorum Imperatorum non adoraret. Vides, opinor, quàm malè cohæreant commenta iſtorum Nouatorum.

12 Oſtendi ergo perſpicuè, Romanum Pontificem non facere, aut feciſſe ea miracula, quæ Antichriſtus facturus legitur in Apocalypſi cap. 13. Nunc altera pars probanda eſt, nempè Pontificem, & Pontificios ſæpè facere, & feciſſe vera miracula, quæ diuinæ virtutis argumenta ſint. Poſſem hoc probare infinitis propè exemplis ex antiqua hiſtoria petitis. Sed nolo. Nam aduerſarij, qui ſunt oſores miraculorum, pro ſua impudentia negabunt omnia; & omnes hiſtoricos, & prophanos coarguent mendacij. Proferam ergo recentia. Ac primùm quæro. An Chriſtianiſſimus Rex Franciæ Henricus IV. hoc ipſo anno non curauerit ſtrumam in Vrbe Pariſienſi, multis hominum millibus ſpectantibus? Negari non poteſt. At Rex ille Pontificius eſt. Ergo Pontificij miracula faciunt. Dices fortè, curationem ſtrumę miraculum non eſſe. Immò eſt. Ex ipſa curandi formula id apparet. Eſt autem hæc formula: [Tanget te Rex; ſanet te Chriſtus.] Neſcio, quid hìc obtendere poſſint aduerſarij. Quamquam, vt dixi, tàm impudentes ſunt, vt omnia negare audeant. Et iamnè Regem id feciſſe? Fortè, & hoc.

13 Iterùm quæro, an non in Brabantia hiſce annis proximis multi ſanati ſint ad ſtatuam B. Virginis Aſpri Collis? Neque hoc negari poteſt Lipſius, qui propè ſpectator fuit, integro volumine teſtatur. Vidi ego meis oculis adoleſcentem, qui ex matris vtero per multos annos fuit inſtar trunci, cui pedes ſuper pectus ad guttur vſque porrigebantur. Vidi hunc ſanum, & erectis pedibus ambulantem. Viderunt aduerſarij non pauci. Et tamen miraculum confiteri non volunt. Similes Phariſæis apud Ioannem cap. 9. Videbant illi hominem, qui cæcus natus erat, apertis oculis, videntem & ambulantem. Sed ne darent gloriam Chriſto, qui miraculo eum ſanauerat, negabant, cæcum fuiſſe. Ità noui noſtri Phariſæi.

14 Nunc expendamus, quæ initio ab aduerſarijs allata ſunt. Primum eſt, [in libris Catholicorum multa recenſeri miracula, quæ planè conficta ſunt, & numquam acciderunt.] Sit ſanè ità. Nihil hoc ad rem facit. Aliud eſt, fingere, ſeu excogitare miracula, quod etiam Poetæ faciunt; aliud reipſa facere, quędam ſigna, & prodigia mendacia, qualia Antichriſtus facturus legitur. Illud priùs fieri poteſt ſola induſtria humana; hoc poſteriùs fit virtute Dæmonis 2. Theſ. 2. 9.

15 Secundùm eſt: [Ieſuitas dicere, multa ſe facere miracula in Iaponia, quæ hic facere non poſſunt; ac proindè veriſimile eſſe, eos mentiri.] Non quæritur, an Ieſuitæ mentiantur, nec ne (quamquam mentiri eos nego) ſed, an faciant prodigia, & ſigna virtute Dæmonis, ſicut Antichriſtus facturus legitur. Cum autem in Iaponia

fiant plura miracula, quàm in Europa, cauſa in promptu eſt. In Iaponia fides Chriſti nunc primùm prędicatur; & ideò pro eius confirmatione opus eſt miraculis. In Europa pridem prædicata, & recepta eſt, nec indiget noua confirmatione. At dicet aliquis. Si Ieſuitæ facerent hic miracula, ſicut in Iaponia faciunt, Lutherani, & Caluiniſtæ crederent illis. Ego è contrariò dico; ideò Ieſuitas hic non facere miracula, ſicut in Iaponia faciunt, quia Lutherani, & Caluiniſtę nō volunt credere illis. Dicebant olim Phariſæi Chriſto; [Quanta audiuimus facta in Capharnaum; fac & hic in patria tua.] Luc.4. 23. An fuiſſent illi credituri, ſi feciſſet? Nullo modo.

Ideò ait Scriptura, Marci 6.5. [Et non poterat ibi virtutem vllam facere propter incredulitatem eorum.]

16 Tertium eſt, [Pontificios fingere multa fabuloſa, vt ſtatuas in Eccleſia progredi, animas è Purgatorio venire, Chriſtum, aut B. Virginem apparere, & ſimilia.] Repeto, quod antè dixi: Non eſt quęſtio, an Pontificij fingant, & mentiantur (quod multò luculentiùs faciunt Nouatores) ſed hoc quæritur, an reipſa in conſpectu hominum exibeant prodigia quædam, & ſigna, quæ diuinitus fieri videantur. Addo, ſtatuas apud Nouatores non poſſe progredi, ſed claudicare, quia membra omnia confracta ſunt. Nec animas redire è Purgatorio, quia nullæ Nouatorum ibi ſunt. Nec Chriſtum, aut B. Virginem illis apparere, quia nulla conuentio Chriſti ad Belial, nec vlla ſocietas luci ad tenebras 2.Corinth. 6. 15.

17 Quartùm eſt, [in libris Dialogorum Gregorij Magni, hominis ſuperſtitioſiſſimi, pro veris miraculis referri multas illuſiones Sathanæ.] Cur vocatis hominem ſuperſtitioſiſſimum, quem Lutherus ſanctus vocat; & qui propter ſanctitatem, & doctrinam Magnus meritò appellatus eſt? Et vobis vnde conſtat, illuſiones Sathanæ, & non vera miracula eſſe, quæ ab illo recenſentur?

CAP. X.

An Papa imprimat ſuis Characterem?

1 EX Scripturis conſtat, Antichriſtum omnes ſuos aſſeclas ſignaturum certo quodam charactere, ſeu externo ſigno, quo palàm ab alijs diſcernantur; vt colligitur ex illo Apocalyp.13. 16. [Et faciet omnes pupillos, & magnos, diuites & pauperes, liberos, & ſeruos habere characterem in dextra manu ſua, aut in frontibus ſuis: Et ne quis poſſit emere, aut vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis eius.]

Et cap. 14. 9. [Si quis adorauerit beſtiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte ſua, aut in manu ſua.] Et alibi ſæpè.

2 Nunc quęſtio eſt: An etiam Pontifex imprimat ſuis ſubditis characterem? Affirmant aduerſarij: ſed diſſentiunt in modo explicandi, quis ſit ille character.

Henricus Bollingerus vult eſſe vnctionem Chriſmatis, quo Chriſtiani ſignantur in fronte, quando ſuſcipiunt Sacramentum Confirmationis.

Theodorus Bibliander dicit eſſe profeſſionem Romanæ fidei. Chytræus addit alia 3.

Primò, Iuramentum fidelitatis, quod Pontifici præſentatur.

Secundò, vnctionem Sacerdotalem, quæ in vertice, & in manu accipitur.

Tertiò, procumbere ad ſtatuas, & panem conſecratum; & Miſſis funebribus intereſſe. Similia habent Franciſ. Iunius, Pouell. & alij id genus Nouatores.

3 Hi omnes facilè refelluntur. Primò, ex ipſo textu. Nàm character Antichriſti debet habere tres conditiones.

Vna eſt, vt ſit communis hominibus, puſillis, & magnis, diuitibus, & pauperibus, liberis, & ſeruis.

Altera eſt, vt indifferenter poſſit imprimi, vel in fronte, vel in dextra manu.

Tertia eſt, vt nemo, niſi habens characterem, poſſit emere, aut vendere. Hęc omnia patent ex Scripturis citatis. Atqui iſtæ tres conditiones non conueniunt vnctioni Chriſmatis in Sacramento Confirmationis, nec vnctioni Sacerdotali, nec profeſſioni fidei Romanæ, nec iuramento fidelitatis, nec inflexioni corporis ad ſtatuas, vt per ſe patet. Nàm vnctio Chriſmatis in Sacramento Confirmationis ſæpè non confertur omnibus, nec indifferenter in fronte, vel in manu dextra; nec requiritur ad emptionem, aut venditionem. Quia multi Romæ in conſpectu Pontificis emunt, & vendunt, non modò Iudæi; ſed etiam Chriſtiani, qui Sacramentum Confirmationis nondùm ſuſceperunt? Vnctio Sacerdotalis multò minùs confertur omnibus, nec vllo modo ad emendum, aut vendendum neceſſaria eſt. Profeſſio Romanæ fidei non imprimitur in fronte, aut in dextra manu; ſed lingua, & ore perficitur. Idem eſt de iuramento fidelitatis. Inflexio ſimiliter, non frontem, aut manum; ſed genua, aut totum corpus afficit.

4 Accedit, quòd omnia iſta, quæ à Nouatoribus aſſignantur pro charactere Antichriſti, fuerint vſitata in Eccleſia Romana antè tempora Gregorij Magni: At character Antichriſti non fuit vſitatus in Eccleſia Romana antè tempora Gregorij Magni: Ergo character Antichriſti non poteſt eſſe aliqui eorum, quæ à Nouatoribus aſſignantur. Maior nota ex hiſtorijs, nec ab aduerſarijs negari poteſt. Minorē probo ex illorum conceſſione. Fatentur enim, aut Gregorium Magnum, aut aliquem ex ſucceſſoribus eius primum Antichriſtum inter Pontifices Romanos: Atqui character Antichriſti non potuit eſſe in vſu antè ipſum Antichriſtum. Piget in te tàm manifeſta diutiùs hærere.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XI.

An Papa ſit blaſphemus.

1 ANtichriſtum fore blaſphemum, conſtat ex illo Daniel. 7. 25. [Sermones contra Excelſum loquetur.]

Et cap. 11. 36. [aduersùs Deum Deorum loquetur magnifica.]

Et Apocalyp. 13. 5. [Datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemias.]

Et paulò poſt; [Aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos, qui in Cœlo habitant.]

2 Hanc etiam Notam aduerſarij appingunt Pontifici. Aiunt, Pontificem multis modis blaſphemum eſſe.

Primò, quia Deum in forma humana proponit in templis adorandum.

Secundò, quia fingit Chriſtum eſſe nouum legislatorem, qui perfectiores leges tulerit, quàm Moyſes.

Tertiò, quia negat Deum habere perfectam iuſtitiam, & miſericordiam, aſtruendo merita, & ſatisfactiones hominum.

Quartò, quia contemnit, & multis conuitijs inceſſit Verbum Dei.

Quintò, quia abutitur nomine Dei in ſuis incantationibus, & exorciſmis.

Sextò, quia blaſphemat doctrinam Eccleſiæ Reformatæ, dum eam nouam, incertam, & hæreticam calumniatur; cum tamen non ſit noua; ſed antiqua, licet diù incognita, & ſepulta iacuerit.

Septimò, quia derogat exiſtimationi eorum, quos pietas nobis debet reddere, quàm commendatiſſimos, quales ſunt fideles Miniſtri Eccleſiæ, Lutherus, Caluinus, Beza, Bucerus, & ſimiles. Vide Pouellum lib. 1. cap. 23. vbi hæc omnia prolixè enumerat, vt probet Pontificem blaſphemum eſſe.

3 Neſcio, riſu, an indignatione potiùs digni ſint, qui talia proferunt. Videamus ſingula. Primùm aiunt, Pontificem blaſphemum eſſe, quia pingit Deum in humana ſpecie. Neſciunt, quid ſit blaſphemia. Eſt enim peccatum oris, non operis. Et cur non dicunt blaſphemum eſſe Danielem, qui dicit ſe vidiſſe Deum in forma humana? [Aſpiciebam, inquit, donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit, & veſtimentum eius candidum, quaſi nix; & capilli capitis eius quaſi lana.] Sanè, ſi Deus oſtendit ſe Danieli in forma humana; & Daniel palàm fatetur ſe vidiſſe eum in tali forma; cur non liceat eum pingere in tali forma?

4 Secundò aiunt, Pontificem blaſphemum eſſe, quia fingit Chriſtum eſſe nouum Legislatorem, qui perfectiores leges tulerit, quàm Moyſes. Non video, quæ hìc blaſphemia ſit. An non Chriſtus legislator eſt? Omninò eſt. Iſaias 33. de illo dicit; [Dominus iudex noſter, Dominus legifer noſter; Dominus Rex noſter, ipſe ſaluabit nos.] Ipſe de ſeipſo dicit. Ioann. 14. 15. [Mandata mea ſeruate:] Quas ergo leges tulit? Audi. Ioann. 3. 5. [Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei.]

Matth. 28. 19. [Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.]

Lucæ 22. 19. [Hoc facite in meam commemorationem.] Hìc apertè vides, Chriſtum tuliſſe leges Sacramentales, quæ à Moyſe latæ non fuerant. Solùm quæri poteſt, quomodò Chriſti leges fuerint perfectiores, quàm Moyſis?

Reſpondeo cum diſtinctione. Duplex eſt lex. Altera naturalis; altera poſitiua. Lex naturalis ſummatim comprehenditur in Decalogo, quem Moyſes promulgauit in Monte Sinai, vt habetur Exodi 20. Chriſtus autem redegit in compendium, cùm ait; Matth. 22. 37. [Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; & proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & prophetę.] In hac lege naturali, quò ad ſubſtantiam legis pares ſunt Moyſes, & Chriſtus; at quoad explicationem, ſuperior eſt Chriſtus, quippè qui pręcepta decalogi perfectiſſimè explicauit, vt habetur Matth. 5. Iam ſi ſpectemus leges poſitiuas, ſine dubio leges Chriſti, ſimpliciter pręſtantiores ſunt, quàm Moſaicæ: ſicut enim Sacramenta nouæ legis excellentiora ſunt Sacramentis antiquę legis; ſic de ipſis legibus Sacramentalibus ſtatuendum eſt. Miror, Nouatores hęc non aduertere. Sed cæci ſunt, & Duces cæcorum.

5 Tertiò aiunt, Pontificem blaſphemum eſſe, quia hoc ipſo, quòd aſtruit merita, & ſatisfactiones hominum, negat Deum eſſe perfectè iuſtum, & miſericordem. Cur non ſimiliter dicunt Apoſtolum blaſphemum eſſe, qui etiam aſtruit merita, & ſatisfactiones hominum? Rom. 2. 6. [Deus reddet vnicuique ſecundùm opera ſua.] 1. Corinth. 3. 8. [Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.] Coloſs. 3. 23. [à Domino accipietis retributionem hęreditatis 2. Timot. 4. 8. [Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.] 2. Corinth. 17. [Sicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis, & conſolationis.] Rom. 8. 17. [Si tamen compatimur, vt & conglorificemur.] Nec verò (vt falsò putant aduerſarij) minuitur iuſtitia, aut miſericordia Dei per noſtra opera meritoria, aut ſatisfactoria. Nàm perfecta Dei iuſtitia in eo elucet, quòd pro offenſa humani generis infinita, non paſſus ſit ſibi ſatisfieri; niſi per ſatisfactionem Chriſti infinitam. Et ſimiliter perfecta miſericordia in eò, quòd nullo noſtro merito, ex ſola ſua liberalitate, & benignitate, dederit nobis Chriſtum Redemptorem, qui nos à ſeruitute peccati liberaret.

6 Quartò aiunt, Pontificem blaſphemum eſſe, quia contemnit, & multis conuitijs laceſſit verbum Dei. Mendacium eſt, Pontifex magni facit verbum Dei, & ex eo probat Lutheranos, & Caluiniſtas hęreticos eſſe. Nec vllum hactenùs conuitium

in libris Pontificum repertum eſt, quo verbum Dei inceſſat. Immò magno conatu, & labore id operam dat, vt verbum Dei, quàm correctiſſimè imprimatur, & legatur. Nouatores potiùs blaſphemi ſunt, qui ſolo verbo ſcripto contempti, totum verbum Dei traditum reijciunt. Immò ipſum ſcriptum verbum multis partibus reſectis mutilitant; & quod reſiduum eſt, praua interpretatione peruertunt. Huius rei ſpecimen aliquod ſupra oſtendi.

7 Quintò, aiunt Pontificem blaſphemum eſſe, quia abutitur nomine Dei in ſuis Incantationibus, & exorcimis. Eſt ne hoc abuti Dei nomine, quando Diabolum in nomine Dei proſcribimus, & faceſſere iubemus? Chriſtus Marci 16. 17. dixit: [In nomine meo Dæmonia eijcient.] An Nouatores volunt in nomine alterius id facere?

8 Sextò aiunt, Pontificem blaſphemum eſſe, quia blaſphemat doctrinam Eccleſiæ Reformatæ, dum eam nouam, incertam, & hæreticam vocat. Verùm, hęc non blaſphemia; ſed veritas eſt. An doctrina illa noua cenſeri non debet, quæ à Luthero, & Caluino initium habet, & toti Patrum antiquitati contraria eſt? An incerta non eſt, quæ ſingulis penè horis, ac momentis mutatur? An hęretica non eſt, quæ à Catholica Chriſti Eccleſia, ac doctrina diſſidet? Exemplo res erit manifeſta. Docet Caluinus Deum auctorem eſſe peccati; docet Chriſtum deſperationis vocem emiſiſſe; docet baptiſmum non eſſe ad ſalutem neceſſarium; docet peccata non tolli, ſed tegi; docet ſolos prædeſtinatos habere fidem; docet omnia iuſtorum opera eſſe peccata mortalia. An hæc dogmata hæretica non ſunt? An non toti Patrum antiquitati contraria? Alibi id latiùs oſtenſum eſt.

9 Septimò aiunt, Pontificem blaſphemum eſſe, quia derogat Luthero, Caluino, Beza, Bucero. Nihil illis derogat. Dicit hæreticos eſſe, vt reuera ſunt. An vos derogatis Ario, Macedonio, Neſtorio, Eutycheti, & ſimilibus portentis, quando dicitis hæreticos eſſe, & ab Eccleſia Catholica damnatos? Nullo modo. Similiter ergo in hac cauſſa ſtatuite.

10 Ego, ſi luberet, hæc omnia in aduerſarios facillimè retorquerem. Dicerem multis modis blaſphemos eſſe.

Primò, quia fingunt Deum auctorem peccati.

Secundò, quia negant Chriſtum eſſe legiſlatorem.

Tertiò, quia iuſtitiam Dei in crudelitatem vertunt, aſſerendo ipſum multos ad æternam pœnam ſine vlla illorum culpa prædeſtinare.

Quartò, quia verbum Dei partim reijciunt, partim malè interpretantur.

Quintò, quia ad nomen Ieſu prohibent honorem, ac reuerentiam exhiberi.

Sextò, quia antiquam Patrum, & Eccleſiæ doctrinam contemnunt.

Septimò, quia Pontificem vocant Antichriſtum. Hæc inquam, & ſexcenta alia poſſem illis obijcere; ſed non lubet. Res enim nota eſt.

CAP. XII.

An Papa perſequatur Sanctos?

1 DE Antichriſto ſic legimus, Dan. 7. 25. [Sanctos Altiſſimi conteret.]

Apocalyp. 11. 7. [Beſtia, quæ aſcendit de abyſſo, faciet aduerſùm eos bellum, & vincet illos, & occidet eos.]

Et cap. 13. 15. [Et faciet, vt quicumque non adorauerint imaginem beſtiæ, occidantur.]

2 Hoc etiam quadrare in Pontificem Romanum docent Aduerſarij. Aiunt perſecutum eſſe Waldenſes, Albigenſes, Huſſitas; aiunt adhùc perſequi Lutheranos, & Caluiniſtas; aiunt ab eo eſſe excitatum bellum in Gallia, Belgio, & alijs Regni contra fideles Eccleſiæ miniſtros; multa hominum millia occiſa; multam innocentis ſanguinis factam profuſionem. Et quid non? Quidquid malorum in Europa fit à Pontifice, & Pontificijs fieri aſſerunt. Vide Pouellus Caluiniſtam lib. 1. cap. 32.

3 Sed primùm demonſtrare oportebat, Waldenſes, Albigenſes, Huſſitas, Lutheranos, Caluiniſtas, eſſe viros ſanctos, & fideles Dei miniſtros. Hoc opus, hìc labor eſt. Nos hæreticos eſſe dicimus. Hæreticos autem punire, nihil mali eſt. Immò lege diuina, & imperatoria conceſſum. Moyſes iuſſit occidi multa millia Iſraelitarum, eò quòd à fide vnius Dei recedentes, idolum vituli adorarent. (Exodi 32. 27.) Elias interfecit Prophetas Baal (3. Regum 17. 40.) Idem fecit Iehu (4. Regum 10. 25.) Matarias trucidauit quemdam Iudæum idolis ſacrificantem (1. Macha. 2. 24.) Taceo ſimilia exempla quamplurima. Iàm leges Imperatoriæ, quibus pœna capitis in hæreticos decernitur, plurimæ, & notiſſimæ ſunt. Nec opus eſt hìc recitare.

4 Quantò nos æquiùs queri poſſumus de Nouatoribus, qui carceribus, flammis, inuſitatis ſupplicijs in Catholicos multis iam annis ſæuierunt in Anglia, Hollandia, Gallia, & alibi. Extant de hac crudelitate integra volumina. Et quid neceſſe eſt infandum renouare dolorem? Legatur theatrum crudelitatis Caluiniſtæ. Sat videbis, omnem eos humanitatem exuiſſe, penè in feras ferociſſimas eſſe transformatos.

CAP. XIII.

An ſit Articulus fidei, Papam eſſe Antichriſtum?

1 RIſi, cùm primùm legerem in præfatione Pouelli Caluiniſtæ hęc verba; [Deum ſanctè teſtor, me tàm certò ſcire, Pontificem Romanum eſſe magnum illum Antichriſtum, quàm Deum ipſum eſſe in Cœlo Creatorem viſibilium, & inuiſibilium, & Ieſum Chriſtum eſſe verum Meſſiam.] Hìc vides, Caluiniſtam illum, hos

eres

tres Articulos eadem certitudine tenere; nempè; [Deus eſt in Cœlo; Chriſtus eſt Meſſias; Papa eſt Antichriſtus.]

2 Hinc ſequitur Primò, Symbolum fidei non eſse perfectum ſecundùm Caluiniſtas, quia vnus è tribus præcipuis articulis illi deeſt. Vnde ſicut Catholici annis ſuperioribus correxerunt Calendarium; ità ſuadeo Caluiniſtis, vt corrigant Symbolum Apoſtolorum, Et quia Lutherus eſt decimuſtertius Apoſtolus, ſic illius nomine apponant hunc decimumtertium articulum: [Credo Papam eſse Antichriſtum.]

3 Secundò ſequitur, omnes Patres, quotquot à temporibus Apoſtolorum extiterunt vſque ad tempora Lutheri, & Caluini, ignoraſse vnum ex præcipuis fidei articulis, quia neſcierunt, Papam eſse Antichriſtum. Meritò igitur dubitari poteſt, an ſaluari potuerint; cum ſine perfecta fide impoſſibile ſit placere Deo. Non ſit autem perfecta fides, quæ non credit omnes articulos fide credendos.

4 Tertiò ſequitur, hunc articulum fidei (quòd Papa ſit Antichriſtus) in eo differre ab alijs articulis, quòd alij habeantur in verbo Dei ſcripto; hic autem manifeſtè deducatur ex immotis Caluiniſtarum fundamentis, præſertim ex illis tribus, nempè ex contemptu ſanctorum Patrum antiquorum, ex falſa ſcripturæ interpretatione, & ex mendacijs aperiiſſimis. Neſcio, an indigeat res maiori explicatione.

DE

DE ECCLESIA ROMANA

APPENDIX.

An Eccleſia Romana defecerit?

1 SENSVS eſt: An Eccleſia Romana cum alijs Eccleſijs illi adhęrétibus, itâ [defecerit, & degenerauerit, vt deſierit eſſe vera Eccleſia,] Affirmat Caluinus lib. 4. inſtit. cap. 7. §. 24. his verbis: [Fuerit ſanè olim Roma omnium Eccleſiarum Mater; verùm ex quo Antichriſti ſedes fieri cœpit, deſijt eſſe id, quod erat.] Vide eundem Caluinum lib. 4. cap. 6. §. 26. Hìc duo aſſerit: Vnum, Eccleſiam Romanam fuiſſe aliquando veram Eccleſiam, & quod ampliùs eſt, omnium Eccleſiarum Matrem: Hoc accipimus. Alterum, eam iàm defeciſſe, & factam eſſe Antichriſti ſedem. Hoc diſceptamus.

2 Poteſt autem dupliciter intelligi eam defeciſſe. Primò, in moribus. Secundò, in doctrina fidei. Prior defectus non tollit rationem veræ Eccleſiæ; ſed poſterior. Eſt ergo hic ſtatus controuerſiæ: An Eccleſia Romana defecerit in doctrina fidei? Affirmat idem Caluinus. Nec aliter probat, quàm craſſo, & aperto mendacio. Ait, Pontifices Romanos pridem docuiſſe tres grauiſſimos errores circa fidem; nempè: [Nullum eſſe Deum, nullum Chriſtum, nullam Reſurrectionem.] Verba Caluini ſupra citata ſunt.

3 Ego contra, non mendacijs, ſed firmis argumentis demonſtrabo, Eccleſiam Romanam, ſicut olim fuit, itâ nunc eſſe veram Chriſti Eccleſiam; neque à ſua puritate vmquam defeciſſe; idque tribus modis. Primò, ex Scripturis. Secundò, ex Patribus. Tertiò, ex ipſo Caluino, & principijs eius. Et ne longus ſim, vtar potiſſimùm hoc poſtremo probandi genere, præſertim cùm multi alij iàm pridèm ex Scripturis, & Patribus idem argumentum copioſè tractarint. Vt autem tota res faciliùs percipiatur, eam per certas concluſiones conabor deducere, & explicare. Sit ergo:

I. CONCLVSIO.

Concedenda eſt aliqua viſibilis Eccleſia in terris, quæ ſit, & dicatur Catholica, Sancta, Sponſa Chriſti, Domus Dei, Columna, & firmamentum veritatis.

1 HÆc tota conceditur à Caluino lib. 4. inſtit. cap. 1. per multos paragraphos, vbi ex profeſſo diſputat de Eccleſia viſibili. Et quidem §. 2. ait, nos fide credere Eccleſiam viſibilem, cùm dicimus in Symbolo Apoſtolorum: [Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam.] Itaque dari Eccleſiam viſibilem, eſt articulus fidei, ſecundùm Caluinum. Et rectè, nàm licèt externis oculis videamus multitudinem eorum hominum, ex quibus conflata eſt Eccleſia viſibilis; tamen, quòd in ea multitudine ſit vera doctrina Chriſti, & Apoſtolorum, hoc non videmus, ſed credimus. Vnde viſibilis Eccleſia partim cadit ſub aſpectum oculorum; partim ſub fidem. Externis oculis videmus homines, qui in Eccleſia ſunt: interna fide credimus, veram Chriſti doctrinam apud eos tradi, & conſeruari.

2 Hinc ſoluitur ſophiſma illud Lutheranorum: [Quod fide credimus, hoc non eſt viſibile: Eccleſiam fide credimus: Eccleſia ergo viſibilis non eſt. Nam maior propoſitio ſic debet intelligi: quod fide credimus, hoc non eſt viſibile ſecundùm id, quod ſub fidem cadit; licèt viſibile ſit ſecundùm aliquid aliud, quod ſub fidem non cadit. Huius rei varia ſunt exempla. Apoſtoli in Chriſto videbant humanitatem; credebant Diuinitatem. In Baptiſmo videmus externam aquam, & ablutionem; credimus æternam vim regenerandi, & peccata remittendi. In codice bibliorum videmus chartam, ſcripturam, codicem ipſum; credimus, quod in eo legitur, Verbum Dei eſſe. Idem ergo iudicium eſt de Eccleſia. Eſt aliquid in ea, quod credimus; eſt aliquid, quod ſenſu percipimus.

3 Verùm, nequis erret, adhùc diſtinctione opus eſt. Nam dupliciter intelligi poteſt, nos fide credere Eccleſiam. Primò, vt fide credamus, ſingulos homines in ea exiſtentes, eſſe verè Fideles, & interno af-

fectu

fectu ſectari doctrinam Chriſti. Secundò, vt fide credamus, in ea tradi, & conſeruari doctrinam Chriſti. Prior ſenſus eſt falſus; poſterior verus. Non enim credimus, quotquot nobiſcum ſunt in Eccleſia viſibilis, verè Fideles eſſe, quò ad internum affectum, quia conſtat multos eſſe in Eccleſia hypocritas, vt inferiùs oſtendam. Credimus tamen, eam doctrinam, quam externa voce profitentur homines exiſtentes in Eccleſia viſibili, eſſe doctrinam Chriſti, & Apoſtolorum, ſine qua ſalus eſſe non poteſt.

4 Quòd autem hæc viſibilis Eccleſia dicenda ſit: [Catholica, Sancta, Sponſa Chriſti, Domus Dei, Columna, & firmamentum veritatis;] fatetur Caluinus §. 2. 9. 10. & ſequentib. Et res certa eſt. Nam Scripturæ, Symbola, & Patres paſſim ità docent. Dicitur autem Catholica, ſeu Vniuerſalis tribus de cauſis. Primò, ratione loci, quia per vniuerſum Orbem diffuſa eſt. Marci 16.15. [Euntes in Mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.] Secundò, ratione temporis, quia ſemper durabit. Dan. 2. 44. [Suſcitabit Deus Cœli, Regnum, quod in æternum non diſſipabitur.] Tertiò, ratione hominum ſaluandorum, quia nullus extrà Eccleſiam poteſt ſaluari. Hinc patet diſcrimen inter Eccleſiam Chriſti, & Synagogam Iudæorum. Hæc enim nullo iſtorum modorum fuit Catholica, ſeu Vniuerſalis. Non primo, quia non fuit diffuſa per totum Orbem; ſed per ſolam Palæſtinam. Nec ſecundo, quia non durauit, niſi certo tempore. Nec tertio, quia poterant ſaluari homines extrà Synagogam; vt Iob, Niniuitæ, & alij.

5 Dicitur Sancta ob has cauſas. Primò, quia nemo in eam ingreditur, niſi per Baptiſmum ablutus, & ſanctificatus ſit. Hoc ſenſu dixit Apoſtolus Epheſ. 5. 26. Chriſtum mundaſſe Eccleſiam ſuam lauacro aquæ. Et 1. Corinth. 6. 11. [Hæc quidem fuiſtis; ſed abluti, & ſanctificati eſtis.] Secundò, quia omnia illius inſtitura, cultus, ceremoniæ, Sacramenta ad ſanctitatem ordinantur. Eò enim ſpectant, vt vel ſancti efficiamur, vel in ſanctitate creſcamus, & conſeruemur. Tertiò, quia extrà eam nulla poteſt eſſe ſanctitas. Quartò, quia caput eius eſt Chriſtus, qui eſt Sanctus Sanctorum.

Addit Caluinus §. 17. vocari Sanctam, quia quotidiè proficit in ſanctitate, & ad metam ſanctitatis adſpirat.

6 Dicitur Sponſa Chriſti, quia Chriſtus indiſſolubili vinculo eam ſibi ſociauit, vt docet Apoſtolus ad Epheſ. 5. 31. & 32.

Habet autem tria priuilegia. Primum eſt, quòd ſit fœcunda. Alterum, quòd ſemper Virgo. Tertium, quòd ex latere Sponſi progenita.

Hæc tria ſimùl ſumpta nulli vmquam Sponſæ obtigerunt. Maria Ioſephi Sponſa, fuit quidem fœcunda, & ſemper Virgo, non tamen ex latere ſui Sponſi Eua; è contrariò, fuit ex latere Adami, & fœcunda; non tamen ſemper Virgo. At Chriſti Sponſa ſimùl omnia nacta eſt. Ac primò, quòd fœcunda ſit, patet ex illo Gal. 4. 31. [Non ſumus Ancillæ filij, ſed liberæ.] Quòd Virgo, ex illo 2. Corinth. 11. 2. [Deſpondi vos vni viro, Virginem caſtam exhibere Chriſto.] Quòd ex latere Chriſti, colligunt plerique ex illo Ioannis 19. 34. [Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis, & aqua.]

7 Dicitur Domus Dei, quia tametſi Deus vbique ſit, vt ipſemet fatetur apud Ierem. cap. 29. 24. [Cœlum, & terram ego impleo;] tamen peculiari modo dicitur habitare in Eccleſia, tamquam in domo ſua, per ſingularem aſſiſtentiam, gubernationem, & diſtributionem donorum, ac chariſmatum ſupernaturaliũ. Matt. 28. 20. [Hanc domum ipſe ſibi ædificauit.] Matthæi 16. 18. [In hac habet diſpenſatorem familiæ ſuæ.] Lucæ 12. 42. [In hac gignit filios per Baptiſmum, inſtruit, & educat per prædicationem, nutrit per Euchariſtiam. In hac habet vaſa omnis generis, aurea, & argentea, lignea, & fictilia, 2. Timoth. 2. 20. In hac celebrat conuiuia, & facit nuptias fillo ſuo. Matth. 22. 2. Extrà hanc non ſunt leges, nec miracula, nec Sacramenta, nec ſacrificia.

8 Denique dicitur Columna, & firmamentum veritatis; tùm, quia eſt Fida cuſtos veritatis Dei; vt explicat Caluinus §. 10.; tùm, quia Non alibi habitat veritas Dei in Mundo, niſi in Eccleſia viſibili; vt interpretatur Beza, 1. Timoth. 3. 15.; tùm denique, quia ipſa à veritate aberrare non poteſt, vt exponunt Catholici.

Et hactenùs de prima concluſione.

II. CONCLVSIO.

In hac viſibili, & Catholica Eccleſia, de qua dictum eſt, ſunt omnes illi, qui in Chriſti fidem, Baptiſmo initiantur, non ſolùm boni, ſed etiam mali; nec ſolùm prædeſtinati, ſed etiam reprobi.

1 HAnc etiam admittit Caluinus §. 7. his verbis: [In hac autem plurimi ſunt permixti hypocritæ, ambitioſi, auari, inuidi, & maledici.]

Et §. 13. [Allegant, Eccleſiam Chriſti ſanctam eſſe: verùm, vt ſimùl intelligant eſſe ex bonis, & malis permixtam; illam ex ore Chriſti parabolam audiant, in qua reti comparatur, quo piſces omne genus colliguntur; neque ſeliguntur, donec in littore ſint expoſiti.]

2 Conſentiunt Catholici omnes. Auguſtinus tract. 6. in Ioannem: [Nos fatemur in Eccleſia Catholica & bonos, & malos eſſe; ſed tamquam grana, & paleas.]

Et ſermone 107. de tempore: [Habet Eccleſia in ſe fortes, habet infirmos, habet iuſtos, habet & iniuſtos.

Et in Pſalmo 47. [Nunc populus Dei cenſentur omnes, qui portant Sacramenta eius; ſed non omnes pertinent ad miſeri-

cor-

Digitized by Google

tordiam eius. Omnes quippè Sacramentum Baptiſmi Chriſti accipientes, Chriſtiani vocantur; ſed non omnes dignè illo Sacramento viuunt.]

2 Similiâ habent alij Patres. Et meritò. Nàm, vt aduertit ipſe Caluinus, Eccleſia Chriſti in Scripturis comparatur areæ, in qua non tantùm triticum, ſed etiam paleæ reperiuntur; comparatur ſagenæ miſſæ in mare ex omni genere piſcium congreganti; comparatur conuiuio nuptiali, ad quod boni, & mali vocati ſunt; comparatur decem virginibus, quarum quinque prudentes, totidem fatuæ ſunt; comparatur ouili, in quo ſunt oues, & hædi: denique comparatur magnæ domui, in qua ſunt vaſa omnis generis, alia in honorem, alia in contumeliam.

III. CONCLVSIO.

Extrà hanc viſibilem, & Catholicam Eccleſiam nemo poteſt ſaluari, aut remiſsionem peccatorum conſequi.

1 HAnc tradit Caluinus §. 4. his verbis: [Extrà eius gremium nulla eſt ſperanda peccatorum remiſſio, nec vlla ſalus.

Et §. 20. [Miſericordiam ſuam Dominus non promiſit, niſi in Sanctorum communione.

Et §. 22. [Hoc beneficium (nempè remiſſio peccatorum) ſic eſt Eccleſiæ proprium, vt non aliter eo fruamur, quàm ſi permaneamus in illius communione.]

Et ibidem: [Proindè vnuſquiſque noſtrum, hoc officij ſui eſſe cogitet, non alibi quærere remiſſionem peccatorum, quàm vbi Dominus eam poſuit;] nempè in Eccleſia viſibili.

2 Idem docent Catholici.

Cyprianus de vnitate Eccleſiæ: [Non habet Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet Matrem.]

Gregorius libro 14. Moral. cap. 2. [Sancta vniuerſalis Eccleſia prædicat, ſaluari veraciter, niſi intrà ſe, non poſſe, aſſerens, quòd omnes, qui extrà ipſam ſunt, minimè ſaluabuntur.]

Auguſtinus epiſt. 50. ad Bonifacium Comitem, ſub finem: [Eccleſia Catholica ſola corpus Chriſti eſt, cuius ille Saluator eſt. Extrà hoc corpus neminem viuificat Spiritus ſanctus.]

Et ſermone 181. de tempore: [Quiſquis ille eſt, & qualiſcumque ille eſt, Chriſtianus non eſt, qui in Chriſti Eccleſia non eſt.]

3 Eius rei variæ aſſignantur cauſæ ab Auguſtino:

Primò, quia in ſola Eccleſia immolatur hoſtia Redemptoris.

Secundò, in ſola vinea laborantes, mercedem denarij accipiunt.

Tertiò, omnes, qui extrà Arcam fuerunt, diluuio extincti ſunt.

Quartò, membrum, quod non manet in corpore, vitam habere non poteſt.

Quintò, ramus reciſus ab arbore, non poteſt germinare.

Sextò, riuus à fonte ſeparatus, areſcit.

Hęc, & ſimilia Auguſtinus ſerm. 181. de tempore.

4 Eodem ſpectat vaticinium illud Iſaiæ 60. 11. [Aperientur portæ tuæ iugiter; die, ac nocte non claudentur, vt adferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur. Gens enim, & Regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit.] Quibus verbis duo prædicuntur. Alterum, Eccleſiam Chriſti fore viſibilem, quæ pateat omnibus gentibus, ſi velint intrare. Alterum, omnes perituros, qui eam ingreſſi non fuerint.

IV. CONCLVSIO.

Qui hanc viſibilem, & Catholicam Eccleſiam deſerunt, deſertores ſunt Religionis, & transfugæ, & ſacri coniugij violatores.

1 ITà Caluinus §. 10. cùm ait: [Tanti Eccleſiæ ſuæ communionem facit Dominus, vt pro transfuga, & deſertore Religionis habeat, quicumque ſe à Chriſtiana ſocietate contumaciter alienarit.]

Et infrà: [Vnde ſequitur, diſceſſionem ab Eccleſia, Dei, & Chriſti abnegationem eſſe; quò magis à tam ſcelerato diſſidio cauendum eſt.]

Et iterùm: [Nec vllum atrociùs fingi crimen poteſt, quam ſacrilega perfidia violare coniugium, quod nobiſcum vnigenitus Dei Filius contrahere dignatus eſt.]

2 Similia habet Auguſtinus libro de fide, & operibus cap. 5. & libro 2. contra Creſconium cap. 34. vbi docet, Eccleſiam viſibilem, etiamſi multi mali in ea ſint, nullo modo deſerendam, aut diuidendam eſſe. Et inter cætera citat illud ex Cypriano: [Etſi videntur in Eccleſia eſſe zizania, non tamen impediri debet aut fides, aut charitas noſtra, vt quoniam zizania eſſe in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus. Nobis tantummodò laborandum eſt, vt frumentum eſſe poſſimus, vt cùm cęperit frumentum Dominicis horreis condi, fructum pro opere noſtro, & labore capiamus.]

Apoſtolus in epiſtola ſua dicit: [In domo magna non ſolùm vaſa ſunt aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia; & quædam quidem honorata, quædam inhonorata. Nos operam demus, vt vas aureum, & argenteum ſimus.]

3 Et ratio patet ex dictis; quia extrà Eccleſiam nemo poteſt ſaluari. Ergo, qui ſpontè deſerit Eccleſiam, nullam ſalutis ſpem habere poteſt. Eſt enim ſimilis membro, quod à corpore abſciſſum eſt; aut pal-

miti

miti à vite reciſo; aut ouiculæ extrà ouile inter lupos aberranti; aut ijs, qui extrà Arcam aquarum diluuio rapiuntur.

V. CONCLVSIO.

Hæc viſibilis Chriſti Eccleſia non poteſt eſſe ſine Paſtoribus, Epiſcopis, Doctoribus, alijſque Miniſtris legitimè vocatis, & ordinatis.

1 ITà Caluinus §. 11. vbi ait: [Nunc eadem improbitate incumbit Sathan ad labefactandum Miniſterium, quod tamen in Eccleſia Chriſtus ordinauit, vt illo ſublato, huius ædificatio pereat.]

Et cap. 3. §. 4. [Sequuntur Paſtores, & Doctores, quibus carere numquam poteſt Eccleſia.]

Eodem modo loquuntur Patres.

Hieronymus lib. contra Luciferianos: [Eccleſia non eſt, quæ non habet Sacerdotes.]

Et Cyprianus libro 4. epiſt. 9. [Scire debes, Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo; & ſi qui cum Epiſcopo non ſint, in Eccleſia non eſſe.]

Et ibidem: [Eccleſia eſt plebs Sacerdoti adunata, & Paſtori ſuo grex adhærens.]

3 Et ratio triplex eſt. Prima, quia Eccleſia non poteſt eſſe ſine fide. Fides autem ex auditu, Roman. 10. 14. [Quomodò inuocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodò credent ei, quem non audierunt? quomodò autem audient ſine prædicante? quomodò verò prædicabunt, niſi mittantur?]

Altera, quia Eccleſia non eſt ſine Sacramentis, quorum diſpenſatio pertinet ad Epiſcopos, & Paſtores.

Tertia, quia in Republica debet eſſe ordo, vt alij gubernent, alij obediant: Ergo ſimiliter in Eccleſia alij debent eſſe oues, alij Paſtores.

Hinc illud Actorum 20. 28. [Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei.]

Et Epheſ. 4. 11. [Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti.] In quæ verba ſic ſcribit Beza Caluini diſcipulus: [Ex quibus ſatis perſpicitur, hæc duo munera (nempè Paſtorum, & Doctorum) perpetua eſſe oportere in Eccleſia Dei.]

VI. CONCLVSIO.

Hæc viſibilis Eccleſia, tam firmiter à Chriſto fundata eſt, vt non poſſit deficere, aut perire.

1 HAnc Caluinus negare non poteſt; quia euidenter ſequitur ex illius principijs. Hoc oſtendendo his argumentis. Primò, nemo poteſt ſaluari extra viſibilem Eccleſiam, iuxta tertiam Concluſionem à Caluino conceſſam: Atqui ſemper aliqui ſaluantur: Ergo ſemper durat Eccleſia viſibilis. Secundò, Chriſtus coniunxit ſibi Eccleſiam viſibilem, tamquam Sponſam, indiſſolubili vinculo, iuxta primam Concluſionem: Ergo Eccleſia à Chriſto ſeparari, aut diuelli non poteſt. Tertiò, eſt articulus fidei dari Eccleſiam viſibilem, iuxta eandem Concluſionem: Atqui articuli fidei ſemper ſunt veri: Ergo ſemper verum eſt, dari Eccleſiam viſibilem. Hæc ex Caluino.

2 Accedit argumentum ex Scriptura; præſertim ex illo Matth. 16. 18. [Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersùs eam.] Hìc Chriſtus duo promittit: Primò, quòd velit Eccleſiam ſuam ædificare ſuper petram: Secundò, quòd portæ inferi non ſint eam expugnaturæ. In vtroque alludit ad id, quod Matth. 7. 24. dixerat; ſapientem eſſe, qui ædificat domum ſuper petram; ſtultum, qui ſuper arenam? Cauſam addit, quia quando oritur aliqua vehementior tempeſtas, corruit illa, quæ ſuper arenam; non illa, quæ ſuper petram. Chriſtus ergo voluit imitari ſapientem architectum, & ædificare Eccleſiam ſuam ſuper petram, vt nulla ventorum, aut imbrium vi poſſit diſturbari.

3 Hinc patet, eos, qui docent Eccleſiam Chriſti viſibilem defeciſſe, aut deficere poſſe, magnam iniuriam Chriſto irrogare. Nam inde apertè ſequitur, eum non ſuper petram, ſed ſuper arenam ædificaſſe, ac proindè ſtultos, non ſapientes architectos imitatum eſſe. Immò, mendacem eſſe, quod promiſerit, ſe ſuper petram ædificaturum, & non fecerit, quòd dixerit portas inferi non prævalituras, & prævaluerint. Nec obijci poteſt, Chriſtum loqui de Eccleſia inuiſibili. Apertè loquitur de viſibili, vt fatetur Beza in illum locum, & alij paſſim.

4 Idem confirmari poteſt ex illo Pſalmo 47. 9. [Deus fundauit eam in æternum.] In quem locum Auguſtinus, ità ſcribit: [Sed fortè iſta ciuitas (loquitur de Eccleſia,) quæ Mundum tenuit, aliquando euertetur? Abſit. Deus fundauit eam in æternum. Si ergo Deus fundauit eam in æternum, quid times, ne cadat firmamentum?] Et in pſalm. 101. concione 2. diſputans contra Donatiſtas, qui totam Eccleſiam viſibilem perijſſe dicebant, & in ſolis quibuſdam iuſtis in Africa remanſiſſe, ſic ait; [Sed illa Eccleſia, quæ fuit om-

nium gentium, iam oon eſt; periјt. Hoc dicuot, qui io illa non ſunt, ô impudentem vocem. Illa non eſt, quia tu iu illa non es? Vide, ne tu ideò non ſis: nam illa erit, etſi tu non ſis.

Et infrà: Eccleſiam, ità loqnentem introducit; [Quamdiù ero in iſto ſeculo? annuncia mihi propter illos, qui dicunt; Fuit, & iam oon eſt: apoſtatauit, & periјt Eccleſia de omnibus gentibus: Et annunciauit; Ecce ego vobiſcum ſum vſque in conſumationem ſeculi.

VII. CONCLVSIO.

Eccleſia Romana, primis quingentis annis poſt Chriſtum, fuit illa viſibilis, & Catholica Eccleſia Chriſti, de qua hactenùs dictum eſt.

1 HÆc Concluſio poteſt dupliciter intelligi. Primò, quòd Eccleſia Romana, id eſt, ſola illa Eccleſia, quæ erat Romæ, fuerit Catholica, & vniuerſalis. Hoc falſum eſt, & falsè nobis imponitur à quibuſdam aduerſarijs. Secundò, quòd Eccleſia Romana, id eſt, tota illa fidelium multitudo, quæ Romano Pontifici tunc adhęrebat, fuerit Catholica, & vniuerſalis Eccleſia. Hoc verùm eſt; & fatetur Caluinus, cùm ait; [Romanam Eccleſiam fuiſſe Matrem omnium Eccleſiarum;] Quia ſcilicèt omnes particulares Chriſti Eccleſiæ, quæ tunc per Orbem diſperſæ erant, adhęrebant Romanæ Eccleſiæ, ſeu Romano Pootifici.

2 Hoc ſenſu antiqui Patres pro eodem accipiunt Eccleſiam Romanam, & Eccleſiam Catholicam; vt D. Hieron. contra Rufinum apolog. 1. circa initium, Ambr. de obitu Satyri fratris, & alij. Immò, cùm volunt receuſere, & pertexere cathalogum Epiſcoporum, qui in Eccleſia Catholica, & Apoſtolica legitimè ſibi inuicem ſucceſſerunt; ſemper loquuntur de Eccleſia Romana, & de ſucceſſione Pontificum Romanorum, vt patet ex Irenæo, Optato, Auguſtino, Epiphanio, & Euſebio Cęſarienſi. Hi enim, cum ipſimet eſſent Epiſcopi, Irenęus Lugduni in Gallia, Optatus, & Auguſtinus in Africa, Epiphanius Salaminæ in Cypro, Euſebius Cæſareæ in Palæſtina; non tamen recenſuerunt ſucceſſionem ſuarum particularium Eccleſiarum, ſed tantùm Eccleſiæ Romanæ, cui tanquam matri, reliquæ particulares adhęrebant.

3 Hoc ipſum dupliciter confirmari poteſt. Primò, quia poſt primos quingentos annos floruit Gregorius Papa, cui tamquam capiti, totus Chriſtianus Orbis coniunctus erat, vt patet ex ipſius epiſtolis, quas ad omnes prouincias, præſertim ad Epiſcopos Orientis, Africæ, Hiſpaniæ, Galliæ, & Italiæ deſtinauit. Secundò, quia poſt obitum Gregorij celebratum eſt Concilium ſextum generale, quod aduerſarij, vt Sacroſanctum recipiunt, vt patet tum ex alijs, tum ex confeſſione Tigurinorum, & ex Centurijs Magdeburgenſium. Ex eo autem Concilio manifeſtè colligitur, totum Orientem, & Occidentem eo tempore cùm Romano Pontifice Agathone, tamquam membra cum ſuo capite conſpiraſſe. Nam eius ſententiam, quam per Legatos, & epiſtolas ipſis explicabat, omoes ſecuti ſunt, vt etiam prolixè deſcribunt Magdeburgenſes cent. 7. cap. 9.

4 Habemus ergo Eccleſiam Catholicam primis quingentis annis, fuiſſe illam ipſam fidelium multitudinem, toto Orbe diſperſam, quæ Romano Pontifici in doctrina fidei adhęrebat. Nunc videndum eſt, an intereà temporis in hac re aliquid mutatum ſit.

VIII. CONCLVSIO.

Eccleſia Romana, numquam hactenùs defecit ab eo ſtatu, in quo fuit primis quingentis annis; ac proindè, ſicut tunc erat verè Catholica, & Apoſtolica, ità etiam nunc eſt.

1 HÆc Concluſio dupliciter probari poteſt; Primò, directè in hunc modum; Eccleſia Romana retinet nunc eandem doctrinam fidei, & ſucceſſionem Epiſcoporum, quam habuit primis quingentis annis: Ergo non deficit ab eo ſtatu, in quo tunc fuit. Secundò, indirectè, ad hunc modum; Viſibilis Chriſti Eccleſia, & legitima ſucceſſio Epiſcoporum non poteſt deficere in terris, vt ſuprà ex Caluino probatum eſt: Ergo neceſſe eſt, nunc eſſe, & hactenùs fuiſſe viſibilem Chriſti Eccleſiam in terris, cum legitima ſucceſſione Epiſcoporum, quæ in doctrina conſentiat, aut conſenſerit, cum primitiua Eccleſia, quæ fuit pris quingentis annis: At nulla alia præter Romanam Eccleſiam nunc eſt, aut hactenus fuit, quæ habeat, aut habuerit legitimam ſucceſſionem Epiſcoporum; & conſentiat, aut conſenſerit cum primitiua Eccleſia in doctrina fidei: Ergo Romana Eccleſia nunc eſt, & ſemper fuit viſibilis Chriſti Eccleſia in terris. Vtrumque argumentum explicandum eſt.

Explicatio prioris argumenti.

2 PRiùs argumentum continet duas partes; vnam de doctrina fidei, alteram de ſucceſſione Epiſcoporum. Aduerſarij concedunt in Eccleſia Romana manere ſucceſſionem Epiſcoporum, quia vident id negari non poſſe: negant manere eandem doctrinam fidei, quæ fuit primis quingentis annis. Hoc ergo demonſtrandum eſt. Non poteſt autem certiùs demonſtrari, quàm ex collatione veteris doctrinæ cum noſtra, quod ſic facio.

3 Quidquid Eccleſia Romana nunc docet de præcipuis myſterijs fidei, nempè de præſentia Chriſti in Euchariſtia, de neceſ-

ſita-

ſitate baptiſmi inſantium, de ſactificio Miſſæ, de iuſtificatione, de neceſſitare, & merito bonorum operum, de inuocatione Sanctorum, de cælibatu Sacerdotum, de ieiunio, & ſatisfactione, de traditionibus; hoc olim docuit primitiua Eccleſia, quæ floruit primis quingentis annis: Ergo Romana Eccleſia non deficit à primitiua in doctrina fidei. Antecedens dupliciter probari poteſt. Primò, induct. per ſingula membra enumerata. Secundò, conceſſione Caluini. Vtrumque præſtabo in ſequentibus.

Explicatio poſterioris argumenti.

4 POſteriùs argumentum habet varias partes; quatum duæ tautùm indigent probatione. Vna eſt, hoc tempore nullam eſſe in terris viſibilem Eccleſiam, præter Romanam, quæ habeat legitimam ſucceſſionem Epiſcoporum, & conſpiret in doctrina fidei cum Eccleſia primitiua, quæ fuit primis quingentis annis. Altera eſt, nec per mille annos à tempore Gregorij Papæ vſque ad Lutherum, fuiſſe talem Eccleſiam, præter Romanam.

5 Priorem partem ſic probo; Si nunc eſſet talis Eccleſia in terris, præter Romanam, proculdubiò eſſec Caluiniſtica: At hæc non eſt: Ergo nulla eſt præter Romanam. Maiorem libenter concedunt Caluiniſtæ, contra quos diſputo. Minorem probo dupliciter. Primò, quia Eccleſia Caluiniſtica, quæ nunc eſt, neque habet vllos legitimos Sacerdotes, aut Epiſcopos; aut, ſi quos habet, non poteſt eorum ſucceſſionem deducere vltrà tempora Lutheri: Ergo deficit in continua Epiſcoporum ſucceſſione: vera autem Eccleſia debet habere continuam; & non interruptam Epiſcoporum ſucceſſionem, vt ſuprà ex Caluino probatum eſt. Secundò, quia Eccleſia Caluiniſtica non conſentit in doctrina fidei cum primitiua Eccleſia, quæ fuit primis quingentis annis. Hoc iterùm dupliciter oſtendo. Primò, ex conceſſione Caluini. Nam ipſe apertè fatetur diſſentire ab antiqua Eccleſia in his punctis ſequentibus.

Primò: De libero arbitrio lib. 2. Inſt. cap. 2. §. 4.

Secundò: De cooperatione liberi arbitrij cum gratia Dei lib. 2. cap. 3. §. 7.

Tertiò: De iuſtificatione lib. 3. c. 11. §. 15. [Nec Auguſtini quidem ſententia recipienda eſt, &c.]

Quartò: De perſona Mediatoris lib. 2. cap. 14. §. 3. [Atque hìc excuſari non poteſt veterum error, &c.]

Quintò: De concupiſcentia libro 3. cap. 3. §. 10. [Neque opus eſt multùm inueſtigando laborare, quid hìc veteres ſenſerint.]

Sextò: De ſatisfactione lib. 3. cap. 4. §. 38. [Parùm autem me mouent, quæ in veterum ſcriptis de ſatisfactione paſſim occurrunt.]

Septimò: De oratione pro defunctis lib. 3. §. 10. [Cùm nihil obijciunt aduerſarij, ante mille, & trecentos annos vſu receptum fuiſſe, vt precationes fierent pro defunctis, &c.]

Octauò: De meritò libro 3. cap. 15. §. 2. [Vſi ſunt, fateor, paſſim vetuſtæ Eccleſiæ Scriptores nomine meriti, &c.]

Nonò: De traditionibus libro 4. capit. 12. §. 23. [Hęc prohibitio clarè oſtendit, quàm peſtiferæ ſint omnes traditiones.]

Decimò: De ſolemni pœnitentia l. 4. cap. 12. §. 8. [Qua in parte excuſari nullo modo poteſt immodica veterum auſteritas.]

Vndecimò: De quadrageſima lib. 4. cap. 12. §. 20. [Tunc paſſim inualuerat ſuperſtitioſæ Quadrageſimæ obſeruationis, &c.]

Duodecimò: De laicis baptizantibus in neceſſitate lib. 4. cap. 15. §. 20. [Quòd autem multis abhinc ſeculis, adeòque ab ipſo ferè Eccleſia exordio, vſu receptum fuit, vt in periculo mortis laici baptizarent, non video, quàm firma ratione defendi queat.]

6 Oſtendi ex conceſſione Caluini, Eccleſiam Caluiniſticam in doctrina diſſentire ab Eccleſia primitiua. Idem nunc oſtendam hac breui inductione.

Caluiniſtæ docent.

1 DEum eſſe auctorem peccati. Caluinus lib. 1. inſtit. cap. 18. §. 3. [Et iam ſatis apertè oſtendi, Deum vocari eorum omnium auctorem, quæ iſti cenſores volunt eius otioſo tantùm permiſſu contingere.]

Et §. 4. [Homo iuſto Dei impulſu agit, quod ſibi non licet.]

Et §. 1. [Abſolon inceſto coitu patris thorum polluens, deteſtabile ſcelus perpetrat: Deus tamen hoc opus ſuum eſſe pronunciat.]

Et ibidem. [Quidquid agitent homines, vel Sathan ipſe; Deus tamen clauum tenet.]

Et §. 2. [Dicitur Sathan excœcare infidelium mentes; Sed vndè hoc, niſi quòd à Deo ipſo manat, efficacia erroris?]

Et lib. 3. cap. 23. §. 9. [Excuſabiles peccando haberi volunt reprobi, quia euadere nequeunt peccandi neceſſitatem, præſertim cum ex Dei ordinatione ſibi inijciatur huiuſmodi neceſſitas.]

2 Deum ſolo ſuo arbitratu prædeſtinare homines ad æternam mortem ſine vlla ipſorum culpa. Caluin. lib. 3. cap. 21. §. 1. [Palàm eſt, Dei nutu fieri, vt alijs vltrò offeratur ſalus; alij ab eius aditu arceantur.]

Et infrà. [Perplexa, vt multis videtur, quæſtio; quia nihil minùs conſentaneum putant, quàm ex communi hominum turba, alios ad ſalutem, alios ad interitum prædeſtinari.]

Et §. 5. [Prædeſtinationem vocamus æter-

Digitized by Google

æternum Dei decretum, quo apud ſe conſtiturum habuit, quid de vnoquoque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes: Sed alijs vita æterna, alijs damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quiſque conditus eſt, ità vel ad vitam, vel ad mortem prædeſtinatum dicimus.]

Et §.7. [Vbicumque verò regnat hoc Dei placitum, nulla in conſiderationem veniunt opera.]

Et cap. 23. §. 1. [Minimè conſentaneum eſt, præparationem ad interitum aliò transferre, quàm ad arcanum conſilium Dei.]

Et §. 2. [Homines nudo Dei arbitrio citra proprium meritum, in æternam mortem prædeſtinantur.]

Et §. 5. [Dico eſſe à Domino creatos, quos in exitium ituros, ſine dubitatione præſciebat; idque ità factum, quia ſic voluit.]

3 Corpus Chriſti non eſſe in Euchariſtia, ſed tantùm in Cœlo. Caluinus in conſenſione cum Tigurinis in re Sacramentaria; [Tollenda eſt quælibet præſentiæ localis imaginatio. Nam cum ſigna hic in Mundo ſint, oculis cernantur, palpentur manibus; Chriſtus, quatenùs homo eſt, non alibi, quàm in Cœlo, nec aliter, quàm mente, & fidei intelligentia quærendus eſt. Quare peruerſa, & impia ſuperſtitio eſt, ipſum ſub elementis huius Mundi includere. Proindè, qui in ſolemnibus cœnæ verbis: Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Sanguis meus, præcisè literalem, vt loquuntur, ſenſum vrgent, eos tamquam præpoſteros interpretes, repudiamus. Nam extra controuerſiam ponimus, figuratè accipienda eſſe; vt eſſe panis, & vinum dicantur, id, quod ſignificant. Neque verò nouum hoc, aut inſolens videri debet, vt per metonymiam ad ſignum transferatur rei figuratæ nomen, cum paſſim in Scripturis eiuſmodi locutiones occurrant: & nos ſic loquendo nihil afferimus, quod non apud vetuſtiſſimos quoſque, & probatiſſimos Eccleſiæ ſcriptores extet.]

Et infrà: [Quia corpus Chriſti finitum eſt; & Cœlo, vt loco continetur; neceſſe eſt à nobis tanto locorum interuallo diſtare, quanto Cœlum abeſt à terra.]

4 Baptiſmum non eſſe infantibus fidelium neceſſarium ad ſalutem; eò quòd huiuſmodi infantes ab vtero materno ſint ſancti, & hęredes vitæ æternæ, vi promiſſionis illius, Gen.17.7. [Ero Deus tuus, & ſeminis tui poſt te.]

Cal. in Antidoto Concil. Tridentin. ſeſs. 6. cap. 5. [Verùm infantes à Regno Dei arcere libuit, qui ante erepti ſunt ex hac vita, quam offerri ad baptiſmum potuerint. Quaſi verò de nihilo dictum ſit, eos naſci ſanctos, qui ex fidelibus naſcuntur? Niſi enim iam ante ad eos pertineret vitæ promiſſio, baptiſmum profanaret, quiſquis illis daret. Quod ſi deus in Regnum ſuum eos adoptauit, quanta iniuria fit promiſſioni, quaſi per ſe ad eorum ſalutem non ſufficiat? Inualuit contraria opinio, fateor: ſed iniquum eſt, hominum errore, quamuis diuturno, obrui Dei veritatem. Incluſa eſt infantium ſalus in promiſſione; qua Deus fidelibus reſtatur, ſe fore illis, & ſemini eorum in Deum. Hac ratione ſibi naſci pronunciabat, qui ex Abraham ducebant originem. Non à baptiſmo igitur initium habet eorum ſalus, ſed quæ iam in verbo fundata erat, baptiſmo obſignatur.

5 Peccatum originale non tolli per baptiſmum, ſed in nobis manere, quamdiù viuimus, Calu. libro 2. inſtit. capit. 1. §. 8. [Hæc peruerſitas numquã in nobis ceſſat.]

Et libro 4. cap. 15. §. 10. [Iam perſpicuum eſt, quàm falſum ſit, per baptiſmum ſolui nos; & eximi ab originali peccato.]

Et in Antidoto Conc. Trident. ſeſs. 5. [Manet verè peccatum in nobis, neque per baptiſmum extinguitur.]

6 Solam fidem iuſtificare, & ſufficere ad ſalutem. Caluin. lib. 3. inſtit. cap. 11. §. 18. [Dicimus hominem ſola fide iuſtificari.]

Et infrà: [An non ſatis ſolidè ſoli fidei tribuit omnia, quæ operibus adimit?]

Et in Antid. Conc. Trid. ſeſs. 6. can. 11. [Vim iuſtificandi, ac facultatem fidei inſolidum vindicamus.]

Et ibidem can. 20. [Sciendum eſt, à mandatorum obſeruatione nequaquam pendere ſalutis fiduciam. Stat enim ſemper illud Pauli, in eo differre à lege Euangelium, quia non ſub conditione operum, ſicut illa; ſed ex fide vitam promittat.]

7 Omnia opera iuſtorum eſſe inquinamenta, & peccata mortalia. Caluin. lib. 3. inſtit. cap. 12. §. 4. [Omnia hominum opera nihil ſunt, niſi inquinamenta, & ſordes; & quæ iuſtitia vulgò habetur, ea apud Deum mera eſt iniquitas.]

Et cap. 14. §. 9. [Habemus, ne vnum à ſanctis exire opus, quod ſi in ſe cenſeatur, non mereamur iuſtam opprobrij mercedem.]

Et §. 11. [Duobus his fortiter inſiſtendum, nullum vmquam extitiſſe pij hominis opus, quod ſi ſeuero Dei iudicio examinetur, non eſſet damnabile. Adhæc, ſi tale aliquod detur, (quod poſſibile homini non eſt) peccatis tamen, quibus laborare auctorem ipſum certum eſt, vitiatum, ac inquinatum, gratiam perdere.]

Et cap. 15. §. 3. [Nihil ab homine exit, quantumuis perfectum, quod non ſit aliqua macula inquinatum.]

8 Legem Dei eſſe impoſſibilem, nec ab vllo quantumuis ſancto, hactenùs ſeruatam eſſe, aut deinceps ſeruandam. Caluin. lib. 2. inſtit. cap. 7. §. 5. [Quòd autem impoſſibilem legis conſeruationem diximus, ideſt, paucis verbis explicandum ſimul, & confirmandum.]

Et in Antidoto Conc. Trid. ſeſs. 6. cap. 12. [Mihi abundè ſufficit, neminem extitiſſe vmquam, qui legi Dei ſatisfecerit, nec vllum poſſe inueniri.]

Et infrà; [Prophetas, & Patriarchas, & pios Reges, vtcumque Dei Spiritu adiuuarentur, ferendo legis iugo pares fuiſſe negat:

Digitized by Google

negat: Nec ambiguè pronuneiat, impoſſibilem fuiſſe legis obſeruationem.]

9 Fidem, ac ſanctitatem eſſe propriam electorum, & ſemel habitam amitti non poſſe. Caluin. lib.3. cap. 2. §. 11. [Ergo vt ſolos electos ſemine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, vt numquam diſpereat ſemen vitæ corũ cordibus inſitum, ità ſolidè in illis obſignat adoptionis ſuæ gratiam, vt ſtabilis, ac rata ſit.]

Et §.12. [Hoe interim tenendum eſt, quantumuis exigua ſit, ac debilis io electis fides, quia tamen Spiritus Dei certa illis arrha eſt, ae ſigillnm ſuæ adoptionis; numquam ex eorum cordibus deleri poſſe eius ſculpturam.]

Et eap. 2t. §. 6. [Iam neqne dubium eſt, cum orat Chriſtus pro omnibus electis, quin idem illis precetur, quod Petro, vt numquam deficiat fides illnrum. Ex quo elicimus, extra perienlum defectionis eſſe.]

10 Deum voeare quidem reprobos ad fidem, ſed voce tantùm externa, non autem per internam gratiam; neque ſeriò, & animo iuuandi; ſed ſimulatè, & animo nocendi. Caluinus lib.3. inſtit. cap.24. §.13. [Vocem ad eos dirigir, ſed vt magis obſurdeſcant: lumen accendit, ſed ve reddantur cæciores; doctrinam profert, ſed qua magis obſtupeſcant, remedium adhibet, ſed ne ſanentur.]

Hæc & ſimilia doeent Caluiniſtæ. At nihil tale docnit Eeeleſia primitiua, primis quingentis annis. Immò, in omnibus contrarium aſſeruit, vt patet ex ſubiecta induction.

Primitiua Eccleſia docuit.

1 DEum non eſſe Auctorem peccati. Chryſoſtomns homil. 23. in acta Apoſtolorum; [Nullus dicat; Deus nobis auctor malnrum eſt.]

Et infrà: [Satiùs fuerit ſexcenties defodi, quàm Deum audire talia per nos.]

Auguſtinus lib.2. de peccatorum meritis cap. 17. [Nullius enlpæ humanæ in Deum referas cauſam.]

Pruſper in reſponſione ad capitula Gallorum cap.14. [Bonorum Deus Auctor eſt, nnn malorum.]

Fulgentius libro 1. ad Mnnimum capit. 19. [Deus non eſt vltor, cuius eſt Auctnr.]

2 Deum non prædeſtinare quemquam ad mortem, niſi propter peecata. Auguſtinus lib.3. contra Iulianum eap.18. [Bonus eſt Deus, iuſtus eſt Deus; poteſt ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt: non poteſt ſine malis meritis damnare, quia iuſtus eſt.]

Et ad artienlos falsè ſibi impoſitos, artic. 2. [Vt naſcantur homines, eſt beneficium; vt autem pereant, præuarieatoris eſt vitium.]

Tertnl. in lib. de reſurrectione carnis; [Deus de ſuo optimus; de noſtro iuſtus.]

Fulgentius libro 1. ad Monimum capit. 26. [Notum eſt, iram Dei dici non poſſe, niſi vbi creditur hominis iniquitas præceſſiſſe.]

3 Corpus, & Sanguinem Chriſti eſſe verè in Euchariſtia. Hilarius lib. 8. de Trinitat. [De veritate carnis, & ſanguinis non eſt relictns ambigendi locus.]

Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 4. [Cum Criſtus ipſe ſic affirmet, & dicat de pane, hoc eſt Corpus meum; quis deinceps audeat dubitare?]

Et ibidem; [Sub ſpecie panis datur tibi corpus, & ſub ſpecie vini datur ſanguis.]

Et infrà: [Hnc pro certiſſimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat: ſed eſſe Corpus Chriſti.]

Ambroſius lib. 4. de Sacramentis c. 4. [Vbi aeceſſerit conſeeratio, de pane ſit carn Chriſti.]

Ee in libro de myſterijs initiandis cap. 9. [Fortè dicas; aliud video; quomodo tn mihi aſſeris, quòd Chriſti Corpus accipiam? Et hoe nobis adhuc ſupereſt, vt probemus, &c.]

4 Baptiſmum eſſe infantibus neceſſarium ad ſalutem. Auguſtin. lib.3. de anima, & eius origine cap. 9. [Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes, antequam baptizentur, morte præuentos, peruenire poſſe ad originalium indulgentiam peecatorum, ſi vis eſſe Catholicus.]

Et epiſt.28. ad Hieronymum; [Quiſquis dixerit, qnòd in Chriſto viuificabuntur etiam paruuli, qui ſiue Saeramenti eius participatione de vita exeunt, hic profectò totam condemnat Eccleſiam.] Audiane hoc Caluiniſtæ.

5 Peccatum originale tolli per baptiſmum. Auguſt. Concion. 1. in Pſalm. 115. [Sicut Ægyptins in mari obrutos, ità in baptiſmo delicta noſtra demerſa, & extincta, luce clariùs intimat Propheta dicens: Proijeiet in profundum maris omnia peccata noſtra.]

Ambroſ. lib. 2. de Sacrament. cap. 4. [Meritò aqua dulcis eſt, in qua culpa deuoratur.]

Lactantius lib.3. cap.26. [Vno lauacro malitia omnis abolebitur.]

6 Fidem ſine operibus, & obſeruatione mandatorum non ſufficere ad ſalutem. Clemens Alexandrinus libro 5. Stromatum; [Gratia ſaluamur, ſed non abſque bnnis operibus.]

Nazianz. orat. in ſanctum lauacrum; [Operare bonum, quia fides ſine operibus mortua eſt.]

Chryſoſt. homil. 3. in Ioannem; [Nunquid ſatis eſt ad vitam æternam, in filium crædere? minimè.]

Hieronymus in cap. 26. Iſaiæ: [Murus, & antemurale ponetur in ea. Murus bonorum operum: & antemurale fidei. nnn enim ſuffieit, murum habere fidei, niſi ipſa fides bonis operibus confirmetur.]

Auguſtin. in libro de fide, & operibus cap. 14. [Iam illud videamus, quod excutien-

tiendum eſt à cordibus religioſis, ne mala ſecuritate ſalutem ſuam perdant, ſi ad eam obtinendam ſufficere ſolam fidem putauerint, &c.]

7 Opera iuſtorum eſſe apud Deum meritoria. Auguſtin. ſerm. 162. de tempore; [Deus pro meritis fidei, atque bonorum operum dabit ſuis fidelibus Regnum Cœlorum.]

Baſil. orat. in Initium prouerbiorum: [Omnes, qui viam Euangelicam incedimus, mercatores ſumus; per opera mandatorum, nobis poſſeſſionem Cœleſtium comparantes.]

8 Legem Dei non eſſe impoſſibilem. Baſ. orat. in illud, attende tibi: [Impium eſt dicere impoſſibilia eſſe præcepta.]

Chryſoſt. homil. 8. de pœnitentia: [Nequaquam Dominum accuſes; haud mandat impoſſibilia.]

Hieronym. lib. 3. contra Pelagianos: [Deus poſſibilia mandauit: hoc nulli dubium eſt.]

Auguſtin. lib. de natura, & gratia cap. 43. [Non igitur Deus impoſſibilia iubet.]

9 Fidem, & ſanctitatem ſemel habitam amitti poſſe; nec eſſe propriam electorum. Auguſtin. in lib. de correptione, & gratia cap. 13. [Credendum eſt, quoſdam de filijs perditionis, non accepto dono perſeuerantiæ vſque in finem, in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere viuere, & aliquamdiù fideliter, ac iuſtè viuere, & poſteà cadere.]

10 Deum per internam gratiam omnes vocare ad fidem, etiam reprobos, & quærere illorum ſalutem, quantùm in ſe eſt. Ambroſ. ſerm. 8. in Pſalm. 118. [Sol iuſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, & omnibus reſurrexit. Si quis autem non credit in Chriſtum, generali beneficio ipſe ſe fraudat: vt ſi quis clauſis feneſtris radios ſolis excludat.]

Chryſoſt. homil. 7. in Hieremiam; [Illuminat omnem hominem, quantùm in ipſo eſt. Si qui autem ſponte ſua, mentis oculis conniuentibus, ad huius lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura, ſed ex ſua malitia, in tenebris perſtiterunt.]

8 Vides, opinor, aliud Caluiniſticam, aliud primitiuam Eccleſiam docere in rebus fidei. Fatetur hoc Caluinus; & manifeſtè apparet ex ijs paucis, quæ allata ſunt. Vndè concludo, quòd probandum erat, Eccleſiam Caluiniſticam hoc tempore non eſſe veram Chriſti Eccleſiam, eò quòd diſſentiat à primitiua Eccleſia, quam conſtat fuiſſe veram, Catholicam, & Apoſtolicam, Romana igitur Catholica eſt.

9 Hactenùs de priori parte. Poſterior eſt, per mille annos, à Gregorio Papa vſque ad Lutherum, non fuiſſe Eccleſiam viſibilem, præter Romanam, quæ habuerit legitimam ſucceſſionem Epiſcoporum, & conſenſerit cum Eccleſia primitiua in doctrina fidei. Hæc non indiget probatione, quia Caluiniſtæ non poſſunt vllam talem Eccleſiam, præter Romanam, aſſignare. Aut ſi putant ſe poſſe, dicant quæſo, qui fuerint Doctores illius Eccleſiæ? qui Epiſcopi, & Paſtores? qui Martyres? qui Reges, & Imperatores illi adhæſerint? qui hæretici ab illa eiecti? quæ Academiæ ab illa confirmatæ? quæ templa ædificata? Ad nihil horum reſpondere poſſunt aliud, quàm ſe ignorare.

10 Sed vrgeo. Si iſtis mille annis fuit aliqua Eccleſia viſibilis, vel fuit cognita hominibus, vel incognita. Si cognita, nominate Doctores, & Epiſcopos illius; nominate Prouinciam, Ciuitatem, Caſtellum, in quo fuit. Si incognita, vnde vobis de illa conſtat? quis vobis reuelauit? Nemo veſtrum vixit illis temporibus. Qui autem tunc vixerunt, illis incognita fuit, vt dicitis. Vnde ergo haberis, eam fuiſſe? Hìc hæretis. Et ego ſiſto, donec reſpondeatis. Interim concludo, neque iam eſſe, neque hactenùs fuiſſe Eccleſiam vllam viſibilem in terris, præter Romanam, quæ cum primitiua in rebus fidei conſenſerit, & legitimam Epiſcoporum ſucceſſionem habuerit.

EIVS-

Digitized by Google

EIVSDEM AVCTORIS.

DE REPVBLICA ECCLESIASTICA.

LIBER PRIMVS.

De Chriſto ſupremo Eccleſiæ Capite, ſeu Monarcha.

HIC partim conuenimus, Marce Antoni, partim diſcrepamus. In eo conuenimus, quòd Chriſtus ſit Caput, ſeu Monarcha Eccleſiæ. Hoc enim diſertè docet Apoſtolus Epheſ. 1. 12. [Omnia ſubiecit ſub pedibus eius: & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.] Et cap. 4. 15. [Creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus.] Et cap. 5. 23. [Vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus Caput eſt Eccleſiæ.] Et Coloſs. 1. 18. [Et caput ipſe eſt corporis Eccleſiæ.] In his verò diſcrepamus:

Primò: An Chriſtus ædificauerit Eccleſiam, cuius ipſe Caput eſt.

Secundò: Quando cœperit illius eſſe Caput.

Tertiò: An ſit Caput viſibile.

Quartò: Quod ſit officium ipſius, quatenùs Caput Eccleſiæ eſt.

Quintò: An ſolus Chriſtus ſit Caput Eccleſiæ. De quibus tu ità ſtatuis:

Primò: Eccleſiam non eſſe ædificatam à Chriſto, ſed ab Apoſtolis.

Secundò: Chriſtum cæpiſſe eſſe Caput Eccleſiæ poſt Aſcenſionem.

Tertiò: Eſſe Caput inuiſibile.

Quartò: Habere vnum officium inuiſibile: nullum viſibile.

Quintò: Nec aliud eſſe Caput Eccleſiæ, præter Chriſtum. Itàque regimen Eccleſiæ eſſe quidem Monarchicum reſpectu Chriſti: non tamen reſpectu Petri, aut Pontificis. Quæ omnia ſeorſim diſcutienda ſunt.

CAPVT PRIMVM.

An Eccleſia Chriſti ab ipſo Chriſto fundata, & ædificata ſit.

TV negas, M. Antoni, lib. 1. cap. 1. num. 22. his verbis: [Non eſt difficile in doctrina Catholica defendere, Eccleſiam veram primitiuam, poſt Chriſti aſcenſum propriè ſuum ortum habuiſſe.] Et ibidem num. 23. [Eccleſia Chriſti reuera per Apoſtolos fuit ædificata, poſt Chriſti Aſcenſionem.] Vnde conſequenter dicis, vt poſteà videbimus, Chriſtum numquam fuiſſe viſibile Caput Eccleſiæ, ſed inuiſibile. Nam cum in terra viſibilis apparuit, nondùm erat Eccleſia ædificata, ex tua opinione. Ergo tunc non potuit eſſe viſibile illius Caput. Poſteà, quando cœpit eſſe Caput Eccleſiæ, non ampliùs viſibilis apparebat.

Ego contra aſſero, Chriſtum in hac vita fundaſſe, & ædificaſſe ſuam Eccleſiam; poſteà Apoſtolos eandem auxiſſe, & propagaſſe.

Prior pars aſſertionis varijs modis probari poteſt:

Primò: Quia Chriſtus in hac vita inſtituit Miniſtros Eccleſiæ, nempè duodecim Apoſtolos, & ſeptuaginta duos Diſcipulos; quorum hi Presbyteri fuerint, illi Epiſcopi.

Secundò: In hac vita inſtituit noua Sacramenta.

Tertiò: Inſtituit nouum Sacerdotium, & Sacrificium.

Quartò: Sanciuit nouas leges Euangelicas.

Quintò: Condidit nouum Teſtamentum, cuius ipſe mediator eſt.

Sextò: Hæc omnia perfecit, & confirmauit per mortem in cruce, cum dixit, [Conſummatum eſt.] Deinde poſt Reſurrectionem, cum hinc diſceſſurus eſſet, dixit Apoſtolis ſuis: [Accipite Spiritum ſanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.] Et Petro ſeorſim: [Paſce oues meas.] Quid ampliùs requi-

requiri poterat ad fundandam, & ædificandam Eccleſiam?

Accedit auctoritas Auguſtini, tract. 50. in Ioannem propè finem, vbi ſic habet: [Secundùm præſentiam maieſtatis ſemper habemus Chriſtum: Secundùm præſentiam carnis, rectè dictum eſt Diſcipulis: Me autum non ſemper habebitis. Habuit enim illum Eccleſia ſecundùm præſentiam carnis paucis diebus. Modò fide tenet: oculis non videt.] Hic ſupponit Auguſtinus, Eccleſiam fundatam iam fuiſſe, quando Chriſtus in hac vita ſecundùm carnem erat præſens. Et tu ipſe alibi id fateris. Nam lib.1.cap.1.num.16. ſic ſcribis: [Facilè admittimus neceſſitatem miniſtrorum, quibus vti voluit Chriſtus, etiam dum ipſe mortalis in terris, in ſua Eccleſia verſabatur.] Et infrà num. 19. [Dicimus Apoſtolos omnes immediatè à Chriſto aſſumptos eſſe, vt eſſent operarij, & miniſtri ipſius viuentis adhùc, & regnantis: Et in fundanda Eccleſia coadiutores.] Quid clariùs? Ais Eccleſiam in hac vita à Chriſto, tanquam principali Auctore: ab Apoſtolis, tanquam coadiutoribus, fundatam eſſe. Igitur tibi ipſi contradicis: quod & ſæpè facturus es in ſequentibus.

Sed tria obijcis (lib.1.cap.1. num.22. & 23.) Primò illud Pſalm. 2. 8. [Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.] Nimirùm poſtquam, [aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduersùs Dominum, & aduersùs Chriſtum eius.] Quibus verbis promittitur Chriſto Eccleſia poſt mortem, & paſſionem. Quò etiam pertinet illud Iſaiæ 53. 11. [Pro eò, quòd laborauit anima eius, videbit ſemen longæuum,] id eſt, Eccleſiam ſuam, te interprete.

Reſpondeo. Aliud eſt, Eccleſiam fundari, & ædificari: aliud augeri, & propagari, vt initio dixi. Fundata, & ædificata eſt ante Aſcenſionem Chriſti, quando Miniſtri illius ordinati. Sacramenta inſtituta, & leges ſancitæ ſunt. Aucta, & propagata, poſt Aſcenſionem Chriſti, quando per Orbem diffuſa eſt, & gentiles ad illam admiſſi ſunt. Et hoc ſignificatur illis verbis: [Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.] Simile fuit de Synagoga. Nam illa quidem fundata, & ædificata eſt propè montem Sina, quando Aaron, & filij eius, conſecrati ſunt Sacerdotes, quando Sacramenta, & ſacrificia Moſaica inſtituta, quando lex data, & Teſtamentum effuſione ſanguinis confirmatum eſt. Aucta verò, & dilatata, poſt ingreſſum in Terram promiſſionis, quando per Iudæam, Samariam, & Galilæam fuit diſperſa, & quotidie plures in eam admiſſi.

Quod citas ex Iſaia, ſic legendum eſt: [Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum,] id eſt, ſi Chriſtus fuerit mortuus pro peccato humani generis, videbit multos filios, quos ſibi, tàm ex Iudæis, quàm ex gentibus, per meritum ſuæ paſſionis, & mortis, acquiſiturus eſt. Quod etiam ſignificatur verbis ſequentibus, vbi Deus Pater de Chriſto loquens, ait: [Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia, pro eò, quòd tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt.] Neque hinc ſequitur, Eccleſiam Chriſti poſt Aſcenſionem ab Apoſtolis fundatam eſſe. Solùm ſequitur, Eccleſiam ſponſam Chriſti, quæ ab ipſo fundata eſt, ſucceſſu temporis, habituram multos filios: qui cum antea fuiſſent ſpolia Dæmonum, poſteà liberandi eſſent ab illa ſeruitute, & cum Chriſto regnaturi. (Vide Lucæ 11.22.)

Secundò obijcis, paſſim dici à Theologis, Eccleſiam de latere Chriſti fluxiſſe, id eſt, poſt paſſionem Chriſti fuiſſe inchoatam, vt tu interpretaris. Reſpondeo: Tibi probandum eſt, poſt Aſcenſionem Chriſti fuiſſe inchoatam. Hoc indè non probas, ſed contrarium. Deindè malè interpretaris ſententiam Theologorum. Nam illi nihil aliud dicunt, quàm Eccleſiam Chriſti, non propriè, ſed ſymbolicè, & meritoriè fluxiſſe, vel formatam eſſe ex latere Chriſti. Symbolicè quidem, quia ex latere Chriſti fluxerunt aqua, & ſanguis, quæ erant ſigna, vel ſymbola, ſignificantia Baptiſmum, & Euchariſtiam, præcipua Eccleſiæ Sacramenta. Meritoriè verò, quia Sacramenta Eccleſiæ omnem ſuam vim habent ex meritò paſſionis, & mortis Chriſti. Ità Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 39. Chryſoſtomus homil. 84. in Ioannem, Cornelius à Lapide in Commentario cap. 5. ad Epheſios verſ. 20. & alij.

Tertiò obijcis, Chriſtum non dixiſſe, [ſuper hanc petram ædifico, ſed ædificabo Eccleſiam meam,] quod poſt Aſcenſionem fecit per Apoſtolos, vt tu ais. Reſpondeo: Iterum tibi contradicis. Nam paulò ante dicebas, id factum eſſe in morte Chriſti, quando ſanguis, & aqua fluxerunt de eius latere. Nunc dicis, factum eſſe poſt Aſcenſionem. At ego dico, tunc factum eſſe, quando Chriſtus ordinauit Sacerdotes, inſtituit Sacramenta, ſanciuit leges, condidit teſtamentum, obtulit ſacrificium.

Ad maiorem explicationem, tria tempora diſtinguenda ſunt. Primum, ante mortem Chriſti. Tunc ſimùl viguit Synagoga vetus, & Eccleſia noua, ſimùl Baptiſmus, & circumciſio: ſimùl ſacrificium Euchariſtiæ, & ſacrificia Moſaica: ſimùl lex, & Euangelium. Alterum, in morte Chriſti. Tunc expirauit Synagoga cum ſuis ceremonijs, & ſacrificijs: tunc velum Templi ſciſſum eſt in duas partes: tunc lex Moſaica abrogata eſt. Hoc docet Auguſtinus epiſtola 19. ad Hieronymum, & Hieronymus ipſe epiſt. ad Auguſtinum, quæ eſt 11. inter epiſtolas Auguſtini (& D. Thomas in 1. 2. quæſt. 103. art. 3. ad 2. & alij paſſim.) Tertium, poſt mortem Chriſti. Tunc Synagoga ſepulta eſt: Tunc ceremoniæ, & ſacrificia Moſaica, quæ iam ante erant mortua, cœperunt fœtere: vel, vt Theologi loquuntur, cœperunt eſſe mortifera. An autem id factum ſit ſtatim, ac immediatè poſt mortem Chriſti, an verò poſt ſolemnem Euangelij promulgationem in die Pentecoſtes, vetus controuerſia eſt. Hieronymus tenet priorem partem; Auguſtinus poſteriorem. Itàque ſecundùm Auguſtinum, à tempore mortis Chriſti vſque ad diem Pentecoſtes erant quidem mortua ſacrificia Moſaica, primo erant abrogata, non erant vtilia ad ſalutem, non habebant vim & energiam, quam antea habuerant: Sed

tamen nondùm erant mortifera, ideſt, nondùm adferebant mortem ſpiritualem; adhùc poterant vſurpari ſine peccato mortali. Ac poſt promulgatum Euangelium, cæperunt mortiferum fœtorem exhalare, & qui ea tunc vſurpaſſet, mortali peccato ſe obſtrinxiſſet.

Ex dictis (ſemota hac controuerſia inter Hieronymum, & Auguſtinum) ſumo efficax argumentum contra te in hunc modum: Si Synagoga cum ſuis ceremonijs, ſacrificijs, & legibus, expirauit in morte Chriſti, vt omnes fatentur, vel tunc orta erat Eccleſia cum ſuis legibus, & Sacramentis, vel non erat. Si erat orta, falſum eſt, quod tu aſſeris, primùm ortam eſſe poſt Aſcenſionem Chriſti. Si non erat orta, neceſſe eſt, Iudæos deterioris fuiſſe conditionis poſt mortem Chriſti, quàm ante erant. Nam ante habebant Synagogam; Sacerdotes, ſacrificia, quæ poterant illis prodeſſe. Poſteà hæc omnia erant abrogata, & inutilia. Nec tamen aliundè poterant habere ſubſidium, ſi nulla erat Eccleſia noua, in qua eſſent noui Sacerdotes, noua Sacramenta, nouum ſacrificium.

Manet igitur certum, ac indubitatum, Eccleſiam à Chriſto ædificatam eſſe in hac vita. Sed tamen obiter notandum eſt, ſucceſſiuè, & non vnico quaſi inſtanti, ædificatam eſſe. Nam primò electi ſunt Apoſtoli, & Diſcipuli, (Matth. 4. 18.) Deindè Baptiſmus præceptus eſt, Ioann. 3. 5. [Amen amen dico vobis, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poterit introire in regnum Dei.] Poſtrà, idem Baptiſmus vſurpatus, Ioann. 4. 1. [Vt autem cognouit Ieſus, quia audiuerunt Pharisæi, quòd Ieſus plures Diſcipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes (quamquam Ieſus non baptizaret, ſed Diſcipuli eius) reliquit Iudæam.] Tandem, in vltima cœna, Sacramentum, & ſacrificium Euchariſticum inſtitutum, & Apoſtoli Sacerdotes ordinati ſunt. Denique cruentum noui Teſtamenti ſacrificium in ara crucis oblatum eſt: quo peracto, expirarunt omnia ſacrificia Moſaica: quia non erant, niſi vmbræ cruenti ſacrificij crucis. Vmbram autem, præſente lumine, ceſſare neceſſe eſt. Poſtremò, poſt Reſurrectionem Chriſti, poteſtas abſoluendi à peccatis data eſt omnibus Apoſtolis, & Petrus totius Eccleſiæ Paſtor conſtitutus eſt, loco Chriſti (Ioann. 21. 17.) Quæ autem poſteà contigerunt, pertinent ad alteram partem aſſertionis meæ, quæ iam ſequitur. Igitur:

Altera pars aſſertionis meæ eſt, Eccleſiam Chriſti, quæ ab ipſo Chriſto fundata eſt, poſteà ab Apoſtolis auctam, & propagatam eſſe. Quod etiam ſucceſſiuè factum eſt tribus modis. Primò, quia Apoſtoli poſt acceptum Spiritum ſanctum, ſolemniter promulgarunt Euangelium in Ieruſalem, Act. 2. 17. Deindè, admiſerunt gentiles ad fidem, & Eccleſiam Chriſti, Act. 10. 34. Denique poſt multos annos, facta diuiſione, diſperſi ſunt per Orbem terrarum, vt impleretur, quod dictum erat per Prophetam, Pſalm. 18. 5. [In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.] Et quod tunc factum eſt, etiam nunc fit. Nam & hoc tempore multi Apoſtolorum imitatores mittuntur in Indiã, Iaponiam, & alias Prouincias, vt Eccleſia Chriſti noua ſemper acceſſione augeatur, & propagetur.

Iam vides, Marce Antoni, in Eccleſiam Chriſti, primò quidem admiſſos eſſe Apoſtolos, Diſcipulos, & alios plures ex populo Iudæorum, viuente adhùc Chriſto in terris. Deindè etiam Gentiles acceſſiſſe poſt Aſcenſionem Chriſti, & acceſſuros vſque in finem mundi. Et hoc conſtat ex Euangelio, vbi Chriſtus ait, Ioann. 10. 14. [Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ.] Ergo iam tunc habebat oues in ſuo ouili, ideſt, in ſua Eccleſia, nempè conuerſos ex populo Iudęorum. Nam de illis dicebat, [cognoſcunt me meæ.] Quod de Gentilibus intelligi non poteſt. Illi enim non cognoſcebant Chriſtum eo tempore, ideſt, non credebant in Chriſtum, non erant in ouili Chriſti, non erant in Eccleſia. Erant tamen acceſſuri: quia mox ſequitur: [Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere.] Quaſi dicat, Gentiles non ſunt in meo ouili, ſed in ouili falſorum Deorum: Ex quo tamen eos adducam in meum ouile, per prædicationem Apoſtolorum. Et tunc erit vnum ouile Iudæorum, & Gentilium: & vnus vtrorumque Paſtor.

CAP. II.

Quando Chriſtus cæperit eſſe caput Eccleſiæ?

TV ais cępiſſe poſt aſcenſionẽ. Sic enim ſcribis, lib. 1. c. 1. n. 3. [Regimen ſuper Eccleſiã videtur Chriſto Dño à Patre donatum poſt illius glorificationem, & in Cęlos Aſcenſionem.] Et hoc neceſſariò ſequitur ex illo falſo principio, quod iam refutatum eſt, Eccleſiam Chriſti, poſt Aſcenſionem ipſius ab Apoſtolis ædificatam eſſe. Nam ſi tunc primũ ædificata eſt, neceſſe eſt Chriſtũ tunc primùm cæpiſſe eſſe illius Caput. Quod etiam confirmas ex Apoſtolo, Epheſ. 1. 20. vbi de Deo Patre, & Chriſto ſic ait: [Suſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dextram ſuam in cœleſtibus, ſuprà omnem Principatum, & poteſtatem. Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſuprà omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.] Vndè concludis, Chriſtum factum eſſe caput Eccleſiæ, poſtquã conſtitutus eſt ad dextram Dei Patris. Ego cõtrà oppono has duas cõcluſiones.

Prima concluſio. Chriſtus cæpit eſſe caput Eccleſiæ, cum adhuc eſſet in hac vita. Ratio eſt, quia ipſe in hac vita fundauit Eccleſiam, vt iàm probatum eſt: Ergò in hac vita cœpit eſſe illius Caput: alioquin Eccleſia fuiſſet ſine capite, quod eſt abſurdum. Quod obijcis ex Apoſtolo, intelligendum eſt eo ſenſu, quo illud, Philip. 2. 8. [Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod, & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtriũ, & infernorum: Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt

Dei Patris.] Quaſi dicat: Chriſtus per ſnam humilitatem, & paſſionem hoc obtinuit à Patre, vt aſcendens in Cœlum, exaltaretu r ſuper omnes creaturas, & ab omnibus palàm agnoſceretur, quis,& quantus eſſet. Hinc non ſequitur, quòd tunc primùm cœperit eſſe caput Eccleſiæ militantis, vt u perperàm concendis, ſed quòd cœperit ab omnibus agnoſci, & honorati, tamquam caput omnis Eccleſiæ, cœleſtium, terreſtrium, & inſernorum. Nam anteà. cùm verſaretur in hac vita mortali, tametſi reuera eſſet caput, & ſundator Eccleſiæ, habebatur tamen abiectus, & contemptibilis, vt ipſemet ſatetur per Prophetam, Pſal. 21.6. [Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.] At in ipſa Aſcenſione cœpit exaltari, & glorioſus appetere, & ab omnibus tamquam filius Dei adorari. Tuoc dictum eſt, Pſal. 237. [Attollite portas Priocipes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis, & putens: Dominus potens in prælio.] Nimirùm, qui dixit: [Ego vici mundum.]

Habemus ſimile exemplum. Nam Chriſtus antè Aſcenſionem ſedebat ad dextram Patris, ideſt, habebat æqualem cum Patre potentiam, gloriam, & maieſtatem. (vt explicant Athanaſius, Baſilius, Cyrillus, Chryſoſtomus, Damaſcenus, & alij apud Bellarminum l. 3. de Chriſto cap. 15.) Et tamen ſcriptura non aliter videtur loqui, quàm ſi primùm poſt Aſcenſionem cœpiſſet ſedere ad dextram Patris. Quare hoc? Quia in hac vita mortali latebat Chriſti potentia, gloria, & maieſtas, & ſub humana carne, tamquam ſub vili pallio occultabatur. At per reſurrectionem, & Aſcenſionem, cœpit fieri manifeſta; non ſolùm apud homines in terra, qui videbant illum ad Cœlum aſcendentem (Act. 1.9.) ſed etiam apud Angelos in Cœlo, qui venerabundi, & gratulabundi illum ad ſe venientem excipiebant. (Iſa. 63.1. & Philip. 2.9.)

Secunda concluſio, Chriſtus in Cœlo nunc exiſtens, adhuc manet caput Eccleſiæ militantis, & manebit vſque in finem mundi. Hoc concedis quidem, ſed non eo ſenſu, quo nos. Nam ex tua opinione, Chriſtus in Cœlo exiſtens, per ſe exercet omnia, quæ pertinent ad officium capitis, nec vtitur opera vllius miniſtri. At ſecundùm Catholicos non exercet omnia per ſe, ſed quædam per ſe, quædam per Vicarios, & Miniſtros ſuos, quod cap. 4. fuſiùs explicandum eſt.

Diſputant Scholaſtici: An Chriſtus, ſicut dicitur Caput, ſic etiam dici poſſit membrum Eccleſiæ? Aliqui negant; quia membrum videtur includere aliquam imperſectionem, quā non includit Caput, nempè participationem virtutis à toto corpore. Hoc autem non conuenit Chriſto, quia nullam virtutem participat à corpore Eccleſiæ. Ita D. Thomas in 3. diſt. 13. q. 2. art. 1. ad vltimum.

Alij vtuntur hac diſtinctione: Eccleſia duobus modis ſpectari poteſt. 1. Pro tota Congregatione fidelium, excepto capite. 2. Pro eadem Congregatione cum capite. Priori modo, ſicut non eſt pars Eccleſiæ, ità nec membrum, Poſteriori, & pars, & membrum, & caput. Ità Antiſiodorenſis, & alij apud Vaſquez 3. p. tom. 1. diſp. 48. cap. 1. Et colligunt ex illo 1. Corinth. 12. 27. Vos eſtis Corpus Chriſti, & membra de membro, ideſt, de Chriſto, qui eſt principale membrum. Sed hæc quæſtio parui momenti eſt.

CAP. III.

An Chriſtus ſit caput Eccleſiæ viſibile?

TV ais inuiſibile eſſe, non viſibile: Et quidem duplici titulo. Primò, quia Chriſtus cœpit eſſe caput Eccleſiæ poſt Aſcenſionem. At poſt Aſcenſionem, reſpectu noſtri, inuiſibilis eſt. Secundò, quia nullum habet actum capitis, niſi internum influxum gratiæ. At hic actus eſt etiam inuiſibilis. Verba tua paulò poſt citabo. Cur autem ità ſentias, cauſa hæc eſt. Catholici quando probant. Pontificem eſſe Vicarium Chriſti, inter cœtera vtuntur etiam hoc argumento: Chriſtus dum eſſet in terris, erat viſibile caput Eccleſiæ: Ergo poſt Aſcenſionem, quando deſijt eſſe caput Eccleſiæ viſibile, debuit eſſe aliud caput viſibile loco Chriſti, alioquin forma gubernandi Eccleſiam eſſet mutata, quod eſt abſurdum. Hoc argumentum te preſſit. Itàque ne cogereris admittere, Pontificem eſſe viſibile caput Eccleſiæ, negaſti Chriſtum fuiſſe viſibile caput Eccleſiæ in terris. Quid Catholici ſentiant, iàm dicam.

Prima concluſio. Chriſtus in hac vita exiſtens erat viſibile caput Eccleſiæ. Quòd fuerit caput Eccleſiæ, ſuprà demonſtratum eſt. Quòd fuerit viſibile, dupliciter probo: Primò, quia viſibiliter Eccleſiam ædificauit, inſtituendo noua Sacramenta, ordinando nouos miniſtros, & Sacerdotes, ſanciendo nouas leges, offerendo nouum ſacrificium in ara crucis. Secundò, quia eandem viſibiliter gubernauit, docendo, monendo, increpando, corrigendo.

Hanc concluſionem, vt inconſtans es, vno loco negas, altero admittis. Negas L. 1. cap. 1. n. 23. his verbis: [Chriſtus nullum capitis viſibilis vmquam munus in ſua Eccleſia exercuit:] Admittis paulò poſt n. 24. cùm ais: [Ego ſanè in Chriſti viſibili regimine ordinario, hæc tantùm obſeruo: Sacramenta viſibilia inſtituere, Miniſtros vocare, & mittere, euangelizare, Miniſtros ſuos errantes corripere, & increpare, legem explicare, eamque à corruptelis vindicare. Alterius generis officia, à capite Chriſto, vt viſibilis erat, prodeuntia, ego certè non reperio.

Si nunc quæram ex te, Antoni, an Chriſtus in hac vita fuerit viſibile caput Eccleſiæ, necne? Reſpondebis. Fuit, non fuit: Fuit, quia viſibilia Sacramenta inſtituit, Miniſtros miſit, legem explicauit. Non fuit, quia nullum viſibilis capitis munus exercuit. Quæ eſt aperta contradictio. Quo vitio laborant omnes, qui ab Eccleſiæ vnitate recedunt. Taceo, falſum eſſe, quod ais, Chriſtum non exercuiſſe alia officia viſibilis capitis, quàm quæ à te enumerata ſunt. Nam non ſolùm explicauit legem Moſaicam, (Matth. 5. 21.) ſed etiam nouas leges Euangelicas ſanciuit de Baptiſmo, & Euchariſtia. Ioan. 3. 5. [Niſi quis renatus

fuc-

Digitized by Google

fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei: & Ioan.6.53. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.]

Secunda Concluſio: Chriſtus in Cœlo nunc exiſtens, eſt caput Eccleſiæ inuiſibile, quia per ſe non gubernat Eccleſiam viſibili modo, ſicut anteà fecerat; ſed tantùm inuiſibili, per internum influxum gratiæ. Hoc concedis. Ex hac, & præcedenti concluſione duo colliguntur: 1. Eccleſiam Chriſti eo tempore, quo Chriſtus vixit in terris, fuiſse gubernatam à viſibili capite, nempè ab ipſo Chriſto, qui tunc viſibiliter præſens erat. 2. eandem Eccleſiam nunc etiam debere gubernari à viſibili capite: alioquin forma gubernationis eſset mutata, & conſequenter non eſset nunc eadem Eccleſia, quæ tunc fuit. Sicut non cenſetur manere eadem Reſpublica, quando forma gubernandi, priùs fuit Monarchica, & poſteà incipit eſse Ariſtocratica. De quo plura dicam c.5.

CAP IV.

Quaſi ſit officium Chriſti quatenùs eſt caput Eccleſiæ?

CErtum eſt, Chriſtum non propriè, ſed metaphoricè eſſe caput Eccleſiæ. Itàque explicanda eſt metaphora, ſeù ſimilitudo, quæ eſt inter caput, & corpus, itemque inter Chriſtum, & Eccleſiam.

Tria ſpectari poſſunt in capite naturali, (vt notat D. Thomas 3.p.q.8.art.1.) nèpè ordo, perfectio, & virtus. Ordo quidem, quia caput eſt primum, ſeù ſupremum inter membra humani corporis. Perfectio autem, quia in capite vigent omnes ſenſus, tàm interni, quàm externi. Virtus denique, quia caput ſua virtute gubernat reliqua membra, & vim motiuam, ac ſenſitiuam illis ſuppeditat.

Hæc tria, ſeruata pro portione, conueniunt etiam Chriſto, reſpectu Eccleſiæ. 1. Quia Chriſtus eſt primus, & ſupremus inter membra Eccleſiæ. 2. In Chriſto eſt plenitudo gratiæ. 3. Chriſtus gubernat Eccleſiam, & habet vim influendi gratiam in membra Eccleſiæ, iuxtà illud Ioan.1. 16. De plenitudine eius nos omnes accepimus. De duobus prioribus non eſt inter nos contentio. De tertio eſt. Nam tu aliter ſentis de gubernatione, quàm Catholici. Quod ſic oſtendo.

Duo ſunt modi, quibus caput humanum gubernat reliqua membra. Vnus, per internum influxum; qui in eo conſiſtit, quòd ex capite, tamquam ex fonte, ſeù principio deriuantur ſpiritus ſenſitiui in reliqua membra. Vndè fit, vt reliqua membra poſſint vitam conſeruare, & ſuas functiones exercere. Alter, per externam directionem, quæ in eo conſiſtit, quòd caput per intellectum, voluntatem, viſum, auditum, & alios ſenſus, qui in eo vigent, dirigat reliqua membra in externis actionibus, ne aberrent: quo pacto per intellectum, & voluntatem dirigit manus, ne quid illicitum committant: Et per viſum dirigit pedes, ne in foueam incidant, & ſic deinceps.

Hoc poſito, quæſtio eſt: An Chriſtus, quatenùs eſt caput Eccleſiæ; imitetur hos duos modos in gubernanda Eccleſia? Tu admittis priorem tantùm modum, qui eſt per internum influxum gratiæ: negas poſteriorem, qui eſt per externam directionem. Sic enim ſcribis L. 1. cap. 1. n.3. [Hoc regimen (Chriſti in Eccleſiam) totum eſt ſpirituale, nec eget corporali præſentia, ſed influxu internæ gratiæ peragitur. Et ibidem n.12. Totum ipſius regimen ab eo, vt à capite, diuinis influxibus abſoluitur. Et iterum num. 16. Chriſtus omnia munera capitis obit per ſe perfectiſſimè, in quibus nullis indiget miniſtris.] Hic excludis omnia externa munera & conſequenter externam gubernationem. Et ſolùm admittis internam, quæ eſt per influxum donorum gratiæ.

At Catholici admittunt vtrumque modum cum D. Thoma, loco citato. Et meritò. Nam vterque modus in ſcriptura tam clarè explicatur, vt nullus ſit dubitandi locus. Prior quidem, qui eſt per influxum donorum gratiæ; Rom.12.3. Vnicuique, ſicut diuiſit Deus menſuram fidei; & 1. Corinth. 12.4. Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus. Et Epheſ.4.7. Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti. [Et alibi ſæpiſſimè.

Poſterior verò (qui eſt per externam gubernationem) Epheſi 5. 22. [Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint ſicut Domino: quoniam vir eſt caput mulieris, ſicut Chriſtus caput Eccleſiæ. Ex quo loco conſtat, Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ, non ſolùm eo ſenſu, qui iàm explicatus eſt; ſed etiam eo ſenſu, quo vir eſt caput mulieris. At vir eſt caput mulieris per externam gubernationem. Tenetur enim mulier in externis actionibus ſe dirigere iuxtà Imperium ſui viri, qui eſt quaſi Dominus ipſius. Vndè etiam Sara virum ſuum Abraham, vocauit Dominum ſuum; Gen. 18. 12. [Dominus, inquit, meus vetulus eſt.] Hoc ſpectant ſequentia teſtimonia; Gen.3.16. [Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.] Et 1.Corinth.14.34. [Mulieres in Eccleſia taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut, & lex dicit.] loquitur de Lege ex Geneſi iàm citata; Et 1. Tim. 2. 11. [Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione.] Et 1. Petri 3.1. [Similiter, & mulieres ſint ſubditæ viris ſuis.

Addo, nomen capitis, quando ſumitur metaphoricè pro eo, qui gubernat, vſitatè in ſcriptura ſumi pro eo, qui gubernat per externam directionem, vt 1.Reg.15.17. [Nonne cum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es?] loquitur de Saule, qui factus erat Rex. Et Iſaiæ 7.8. [Caput Damaſci Raſin.] Et ibid. [Caput Samariæ filius Romeliæ.] Vbi Raſin, qui erat Rex Syrię, vocatur caput Damaſci. Et Phacee, filius Romeliæ, qui erat Rex Iſrael, vocatur caput Samariæ. Vtroque autem loco ſumitur nomen capitis pro Rege, ſeu Principe, qui in externo regimine gubernat ſubditos. Et Iſaiæ 19.15. [Non erit Ægypto opus, quòd faciat caput, & caudam,] idest, Ægyptij non habebunt Regem, cui ſubiecti ſint. Et Ier.31. 7. [Exultate in lętitia Iacob, & hinnite contrà caput gentium,] idest, contrà Reges, & Principes gentium.

Igitur Chriſtus vocatur caput Eccleſiæ, non tantùm propter internum influxum gratiæ, ſed etiam propter externam gubernationem, quo pacto vir eſt caput mulieris: & Saul caput Populi Iſrael, & Raſin caput Damaſci, & Phacee caput Samariæ, & vno verbo, Rex caput Regni. Licèt Regis gubernatio ſit politica, Chriſti Eccleſiaſtica. Duo tamen notanda ſunt. Vnum eſt, Chriſtum, cum adhùc in terris eſſet, per ſe exercuiſſe vtrumque officium capitis in Eccleſia. Nam & per ſe donabat fidelibus internam gratiam: & ſimiliter per ſe dirigebat, & gubernabat illos in externis actionibus, quæ ad Eccleſiæ ſtatum pertinebant. At nunc cùm in Cœlis eſt, per ſe quidem præſtat priùs officium: poſteriùs verò per Vicarium. Alterum, Chriſtum dupliciter conſiderari poſſe, 1. Quatenùs eſt Deus, 2. Quatenùs eſt homo: Vtroque modo, per ſe præſtat priùs officium, ſed diuerſa ratione. Nam quatenus eſt Deus, per ſe phyſicè, & effectiuè producit gratiam: quatenùs homo, per ſe moraliter, & meritoriè illam confert. Prior modus conferendi eſt illi communis cum Patre, & Spiritu Sancto: poſterior eſt illi proprius.

Hìc obiter examinandæ ſunt duæ Regulæ à te poſitæ, lib. 1. cap. 1. n. 23. Prior eſt. [Quod Chriſtus mortalis in terra viſibiliter exercuit, hoc, & non aliud mortalibus hominibus Miniſtris ſuis exercendum commiſit.] Poſterior: [Et quod ipſe mortalis viſibiliter non exercuit, neque mortalibus commiſit, immò nec committere debuit, ſed ſibi, vt verò capiti, & Domino reſeruauit, internum videlicèt ſpiritualem influxum.] In his regulis, & tibi contradicis ipſi, & quædam falsò aſſeris. Contradicis tibi, quia in poſteriori ſupponis, Chriſtum in hac vita mortali fuiſſe verum caput Eccleſiæ, & internum gratiæ influxum ſibi reſeruaſſe. At alibi dicis, vt ſuprà notaui, Chriſtum poſt aſcenſionem cœpiſſe eſſe caput Eccleſiæ. Quæ duo non cohærent inter ſe. Deindè falſum eſt, quod ais in priori regula, Chriſtum commiſiſſe ſuis Miniſtris, quicquid ipſe viſibiliter in terra exercuit. Nam ipſe viſibiliter inſtituit Sacramenta, quod miniſtris ſuis non commiſit. Similiter, è contrario, falſum eſt, Chriſtum nihil aliud commiſiſſe ſuis diſcipulis, quàm quod ipſe viſibiliter exercuit. Nam commiſit illis, vt irent in vniuerſũ Orbẽ, & baptizarent omnes gentes, quod ipſe viſibiliter non exercuit.

CAP. V.

An non ſit aliud caput Eccleſiæ præter Chriſtum?

NON diſputo iàm ſpeciatim de Petro, vel Pontifice, de quibus poſtrà dicturus ſum, ſed generatim inquiro, an ſit aliquod viſibile caput Eccleſiæ in hac vita, quod Chriſto ſit ſubordinatum, & illius vicem gerat? Hìc in vno conſentis mecum, in altero diſcrepas. In eo conſentis, quòd nullum ſit tale caput, ſi ſpectemus internum influxum gratiæ. Nam nullus hominum in hac vita eſt, qui per modum capitis poſſit internam gratiam nobis communicare, ſicut Chriſtus communicat. In eo autem diſcrepas, quòd ne quidem, quò ad externam gubernationem, admittas vllum caput Eccleſiæ, loco Chriſti. Solum Chriſtum abſolutè vis eſſe caput Eccleſiæ, & præter illum, nullum alium, quicumque ille ſit. In quo non ſolùm diſſentis à Catholicis, qui conſtanter docent, Pontificem eſſe caput Eccleſiæ loco Chriſti: Sed etiam à Sereniſſimo Rege Angliæ (ad quem, tamquam ad Patronum confugiſti) qui aſſerit Imperatorem in Imperio, & vnumquemque Regem in ſuo Regno, eſſe Primatem, ſeu caput Eccleſię, quò ad ad externam gubernationem.

Tribus argumentis te oppugnabo, quibus generatim oſtendam, oportere eſſe aliquod caput viſibile Eccleſiæ, præter Chriſtum. Poſteà diluam obiectiones, quas opponis. Primum ſumitur ex analogia veteris, ac noui Teſtamenti hoc modo: Figura debet correſpondere figurato, & vmbra, ſeu rudis delineatio imaginis debet correſpondere ipſi imagini, alioquin illam non repræſentaret. At vetus Teſtamentum eſt figura, ſeu vmbra noui Teſtamenti: Ergo debet illi correſpondere. Nemo dubitat. Iam vero Synagoga Veteris Teſtamenti ſemper fuit gubernata ab vno viſibili capite, numpè à ſummo Pontifice, cui reliqui omnes erant ſubiecti: Ergo etiam Eccleſia noui teſtamenti debet hoc modo gubernari, alioqui non eſſet correſpondentia, & analogia inter hanc, & illam.

Hic diſcurſus nititur triplici fundamento. Primum eſt, quòd figura debeat correſpondere figurato; & delineatio imaginis ipſi imagini. Ad quod duo requiruntur. Primò: Vt quicquid eſt in imagine, repræſentetur aliquo modo per delineationem imaginis: Et quicquid eſt in re figurata, repræſentetur aliquo modo per figuram, ſeu typum illius. Secundò. Vt delineatio imaginis, qua talis, ſit imperfectior ipſa imagine, & figura, ſeu typus alicuius rei, qua talis, ſit imperfectior, quàm res ipſa, quæ per figuram ſignificatur. Vndè ſequitur à fortiori, quòd quicquid perfectionis eſt in figura, debeat exactiori modo eſſe in re figurata. Et quicquid perfectionis eſt in rudi delineatione imaginis, debeat exactiori modo eſſe in ipſa imagine. Hoc clarum eſt.

Alterum fundamentum eſt, quòd vetus Teſtamentum ſit figura, ſeu vmbra noui Teſtamenti. Et ea, quæ contigerunt in veteri Teſtamento, ſint figuræ, ſeu vmbræ eorum, quæ contingunt in nouo Teſtamento. Hoc expreſsè docet Apoſtolus 1. Corinth. 10. 11. & Heb. 10. 1. Vndè ſpeciatim ſequitur, Synagogã veteris Teſtamenti fuiſſe figuram, ſeu vmbram Eccleſiæ noui Teſtamenti. Et Moſen Mediatorem veteris Teſtamenti. (Gal. 3. 19.) fuiſſe figuram, ſeu vmbram Chriſti Mediatoris noui Teſtamenti (Heb. 8. 6. & 9. 15. & 12. 24.) quod frequenter docet Auguſtinus, præſertim l. 83. quęſtionum, quęſt. 61. & ſerm. 49. de verbis Domini, cap. 6. & ſerm. 86. de tempore.

Tertium eſt, quòd Synagoga veteris Teſtamenti ſemper gubernata fuerit ab vno viſibili capite, ſeu Monarcha, nimirùm à Pontifice, cui reliqui omnes erant ſubiecti. Hoc

pa-

patet ex libris Exodi, Leuitici, & Deuteronomij. Ac præſertim ex illo Deut. 17. 12. [Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, morte morietur.] Hoc admittunt, non ſolùm Catholici, ſed etiam Lutherani, & Caluiniſtæ. Sic enim loquuntur Magdeburgenſes Centur. 1. l. 1. c. 7. [In Eccleſia populi Iudaici vnus tantùm erat lege diuina Sacerdos ſummus, quem omnes cogebantur agnoſcere, eique parere.] Vide etiam Caluinum l. 4. Inſt. cap. 6. §. 2.

Igitur ex his principijs ſic concludo: Omnis perfectio, quæ eſt in figura, vel vmbra alicuius rei, debet expreſſiùs, & exactiùs eſſe in re ipſa: Ergo omnis perfectio, quæ fuit in Synagoga veteris Teſtamẽti, debet expreſſiùs, & exactiùs eſſe in Eccleſia noui Teſtamenti. At gubernari ab vno capite, ſeu Monarcha, eſt quædam perfectio, & quidem maior perfectio, quàm gubernari à multis. Hæc autem perfectio fuit in Synagoga, vt ex dictis patet: Ergo exactiori modo debet eſſe in Eccleſia.

Quòd autem maior perfectio ſit gubernari ab vno capite, quam à multis, communis Doctorum ſententia eſt, apud Card. Bellarminum l. 1. de Pontifice cap. 2. Et confirmatur exemplo, quia perfectius eſt, mundum gubernari ab vno Deo, & regnum ab vno Rege, quàm ſi aliter fieret. Nam vbi vnus gubernat totam communitatem, ibi faciliùs ſeruatur pax inter ſubditos, & maior eſt conſenſus ad reſiſtendum hoſti, & regimen eſt magis ſtabile, ac diuturnum. Vbi autem duo, vel plures gubernant cum pari poteſtate, ibi facilè oritur diſſenſio, tùm inter gubernatores ipſos, quando quiſque proprium ſequitur iudicium, tum etiam inter ſubditos, quorum aliqui ſequuntur vnam factionem, alij alteram: Ac proindè non poteſt eſſe tanta vnio, & concordia ad reſiſtendum hoſti, neque regimen eſſe tam ſtabile, ac diuturnum iuxtà illud Chriſti, Lucæ 11. 17. [Omne regnum in ſeipſo diuiſum deſolabitur.] Et hoc docet quotidiana experientia apud aduerſarios. Nam Lutherani, & Caluiniſtæ, quia non agnoſcunt vnum caput ſuæ religionis, cui ſe ſubijciant, diſſecti ſunt in varias partes, quæ numquam componuntur.

Dices, Analogia, quæ eſt inter Synagogam, & Eccleſiam, in eo conſiſtit, quòd ſicut Synagoga habuit vnum caput, nempè Pontificem; ità Eccleſia habeat vnum caput, nempè Chriſtum. Reſp. Duplex analogia aſſignanda eſt: Vna, quò ad internum influxum gratiæ: altera, quò ad externam gubernationem. Prior in eo conſiſtit, quòd ſicut Chriſtus per ſua merita præuiſa contulit Synagogæ internam gratiam; ità per ſua merita iam exhibita, multò abundantiorem gratiam conferat Eccleſiæ. Poſterior in eo, quòd ſicut Moſes Mediator veteris Teſtamenti, fuit primum caput viſibile Synagogæ, quò ad externum regimen, ità Chriſtus Mediator Noui Teſtamenti, fuerit primum caput viſibile Eccleſiæ, in externo regimine. Rurſùm, ſicut poſt mortem Moſis, ſemper perſeuerauit viſibile regimen Synagogæ, ità poſt Aſcenſionem Chriſti ſemper perſeueret viſibile regimen Eccleſiæ.

Ex vtraque analogia colliguntur hæc. Primò. Inuiſibile caput Synagogæ, & Eccleſiæ, quò ad internum influxum gratiæ, eſſe idem, nempè Chriſtum. Secundò: Viſibile caput Synagogæ, & Eccleſiæ, quò ad externam gubernationem, eſſe diuerſum. Nam viſibile caput Synagogæ, ab initio fuit Moyſes, cui poſtea ſucceſſerunt Pontifices legales. Viſibile autem caput Eccleſiæ, ab initio fuit Chriſtus, cuius locum poſteà ſuppleuit Petrus, & eius ſucceſſores. Tertiò: Moſem fuiſſe figuram Chriſti quò ad externam gubernationem. Nam ſicut Moſes fuit Legislator, Mediator, & Princeps in veteri Teſtamento, ità Chriſtus in nouo. Quartò: Pontifices veteris Teſtamenti fuiſſe typum, ſeu figuram Pontificum noui Teſtamenti. Nam ſicut illi in externo regimine præſidebant toti populo Iudæorum, ità hi, toti populo Chriſtianorum.

Secundum Argumentum ſumitur ex ijs ſcripturæ teſtimonijs, vbi Eccleſia comparatur cum exercitu benè ordinato. Cant. 6. 3. [Pulchra es amica mea, ſuauis, & decora, ſicut Hieruſalem, terribilis, vt caſtrorum acies ordinata. Item cum regno Dan. 2. 44. [Suſcitabit Deus Cœli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur:] Item cum ouili Io. 10. 16. [Fiet vnum Ouile, & vnus Paſtor.] Item cum domo, 1. Timot. 3. 15. [Vt ſcias, quomodò oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui.] Item cum corpore 1. Cor. 12. [Sicut corpus vnum eſt, & multa habet membra, ità & Chriſtus.] Si ità eſt, neceſſariò ſequitur, ſicut exercitus benè ordinatus regitur ab vno Imperatore, regnum ab vno Rege, Ouile ab vno Paſtore, domus ab vno Paterfamilias, corpus humanum ab vno capite, ità etiam Eccleſiam gubernari ab vno Rectore. Nec ſatis eſt, ſi dicas, hunc vnum Rectorem eſſe Chriſtum. Chriſtus quidem Rector eſt quò ad internum influxum gratiæ, etiamſi abſens ſit, ſed non poteſt eſſe quò ad externam gubernationem, quando abſens eſt. Igitur alius debet eſſe illius loco. Quod patet ex metaphoris iam allatis. Nam ſicut in exercitu, quando procedit contra hoſtem, neceſſariò debet adeſſe vnus ſupremus Dux, aut in eius abſentia, aliquis illius Vicarius, qui omnia dirigat, & cui omnes reliqui obediant, ſic etiam ſeruata proportione fieri debet in Eccleſia. Alioquin non erit vnitas, ſed diuiſio, ſchiſma & diſſenſio.

Exemplo rem declarabo. Sint in vno exercitu duo, vel tres Imperatores cum pari poteſtate: quorum vnus decernat pugnandum eſſe cum hoſte, alter, quieſcendum, tertius, fugiendum, quid putas facturos milites? Alij cum hoc, alij cum alio conſpirabunt. Tolletur vnitas, orietur ſchiſma. exercitus diſſipabitur. Vis applicem? Sint in Eccleſia Chriſti, quæ vnica eſt, plures Epiſcopi cum pari poteſtate, qui nullum in terra ſuperiorem agnoſcant, vt tu fingis. Vnus eorum decernat, Eccleſiaſticos non obligari ad cœlibatum, alius contrariũ ſtatuat, tertius in dubio relinquat, quid hic faciet populus Chriſtianus? quid Clerici inferiores, qui Epiſcopis ſubiecti ſunt? Diſtrahentur in varias ſectas, & diſſidia. Quis rediget illos ad vnitatem, ſi non eſt vnus aliquis ſuperior, cui omnes te-

nean-

neauent obtemperare? An tu ipſe, Marce Antoni? At reliqui Epiſcopi non audient te vnum: nec agnoſcent te iudicem, ſed parem. An illi potiùs? At neque tu illos agnoſces, vt iudices, ſed vt collegas, in æquali tecum poteſtate conſtitutos. Quis ergo? An generale Epiſcoporum Concilium? Sed quis illud ſua auctoritate indicet? Quis omnes Chriſtiani Orbis Epiſcopos ad Concilium conuocabit? Quis, ſi venire abnuant, legitimè compellet? Nemo, ſi omnes pares ſunt. Sed veniant ſanè. Quis Concilio præſidebit: Quis ſententiam, cui omnes acquieſcere debeant, pronunciabit? Certè, vel vnus aliquis, vel plures, vel omnes ſimul, vel nullus. Si vnus aliquis, vel plures, non parebis: alioqui, cur Pontifici, & multis alijs Epiſcopis illi adhærentibus non pares: cur refractarius es: Si omnes ſimul, quid ſi diſſentiant? Si nullus, controuerſia non finietur. Nullum igitur in Eccleſia, ſi omnes pares ſunt, remedium eſt. Nec tu aliud præter fugam reperiſti.

Tertium argumentum ſumitur ex inſtitutione Chriſti, hoc modo. Primum regimen, quod Chriſtus in Eccleſia inſtituit, fuit viſibile, & Monarchicum, quò ad externam gubernationem. Nam ipſemet Chriſtus, vt ſuprà oſtenſum eſt, etiam ex tua conceſſione (in qua tamen inconſtans es) tamquam ſupremum caput, & Monarcha viſibiliter ſuam Eccleſia fundauit, & gubernauit. Vel ergo poſt Aſcenſionem Chriſti, manſit viſibile, & monarchicum regimen, vel mutatum eſt. Si manſit, neceſſe eſt, Eccleſiam poſt Chriſti Aſcenſionem, ſemper gubernatam fuiſſe ab vno viſibili Capite, ſeu Monarcha, quod nos contendimus. Si mutatum eſt, planè ſequitur, Eccleſiam ipſam mutatam eſſe, nec eandem nunc eſſe, quæ olim fuit. Sicut enim quælibet Reſpublica cenſetur mutari, teſte Philoſopho, quando modus, ſeu forma gubernandi mutatur, ſic etiam de Eccleſia ſtatuendum eſt. Atqui abſurdum eſt dicere, Eccleſiam Chriſti mutatam eſſe: Ergo abſurdum & illud, ex quo hoc ſequitur.

Hoc argumento, quo vſi ſunt Nicolaus Sanderus, & Cardinalis Bellarminus, ſentis te premi. Et conaris dupliciter occurrere. Primò ais, ſemper manſiſſe eandem Eccleſiam, & eandem gubernandi formam. Quod declaras hac ſimilitudine. Si Rex terrenus, peregrè proficiſcens, poſſet ſuis miniſtris animo, & conſilio adeſſe, eoſque ſingulis momentis inſtruere, ac per eos totam regni gubernationem exercere, non ſecùs, quàm ſi corpore præſens eſſet, certè in tali caſu non indigeret Vicario, ſed ipſe per ſe diceretur gubernare ſuum regnum, ſicut priùs gubernabat, cum præſens erat. Nec vllo modo cenſeretur facta mutatio in gubernatione. At ſic fit in Eccleſia. Nam Chriſtus, tametſi poſt Aſcenſionem corpore abſens ſit, animo tamen, ac directione præſens eſt: Et non minùs inſtruit miniſtros ſuos, quàm olim, cùm præſens eſſet.

Hæc reſponſio non valet. Primò, quia falſum eſt, in tali caſu, quem tu fingis, non mutari formam gubernandi. Nam prior forma eſt viſibilis, & externa: poſterior inuiſibilis, & interna. In priori, Rex per externam vocem, & directionem gubernat Miniſtros, & ſubditos: in poſteriori, per internam inſpirationem. Quæ duæ formæ valdè inter ſe diſcrepant. Nam ſubditi in priori, ſi oriatur aliqua controuerſia, poſſunt ad ſuum Regem viſibiliter recurrere, & clarè ipſius ſententiam audire. In poſteriori tenentur manere ſuſpenſi, quia Miniſtri Regis nihil aliud poſſunt litigantibus reſpondere, quàm ſe per internam inſpirationem humanam ſcire mentem Regis abſentis, quod non ſufficit ad tollendas controuerſias. Immò, meritò poſſent ſubditi dubitare, an Miniſtri Regis non ſint malitioſi, & fingant ſe ſcire, quod neſciunt. Secundò, falſum quoque eſt, Chriſtum abſentem (ſublato vicario viſibili, qui ipſius loco ſit) non minùs inſtruere ſuos miniſtros, quàm ſi præſens eſſet. Nam ſi præſens eſſet, clarè, & rotundè diceret, vel M. Antonium errare in doctrina de cœlibatu, vel certè alios Epiſcopos, qui ab eo diſſentiunt. At nunc, cùm abſens eſt, hoc non facit. Aut ſi facit, quæro ex te, an te ſolùm inſtruat, an alios ſolùm Epiſcopos, an vtroſque: Si te ſolum, Monarcha es, quia ſolus. Si alios ſolos, teneris illos audire. Si vtroſque, cur diſſentitis: [Non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis.

Dixi, ſublato Vicario viſibili. Nam illo admiſſo (ſicut nos illum admittimus) fatemur Chriſtum abſentem, non minùs inſtruere miniſtros ſuos, quàm ſi præſens eſſet. Non quidem immediatè per ſe, ſed mediante ſuo Vicario, quem in terris habet. Nam per illum ità dirigit Miniſtros ſuos, vt in doctrina errare non poſſint, ſi ipſius ſententiam ſequantur. Hoc ſenſu ſcribit D. Hieronymus, epiſt. 8. ad Demetriadem cap. 9. [Illud te pio charitatis affectu præmonendum puto, vt ſancti Innocentij, qui Apoſtolicæ Cathedræ ſucceſſor eſt, teneas fidem, ne peregrinam, quamuis tibi prudens callidaque, videatis, doctrinam recipias.]

Videbas hanc tuam reſponſionem non ſubſiſtere: ideòque aliam adhibes, quæ priorem euertit. Ais, Eccleſiam Chriſti ædificatam eſſe poſt Chriſti Aſcenſionem, & ab eo tempore, ſemper manſiſſe eandem formam gubernandi. Chriſtum ſemper fuiſſe illius Monarcham, ſeu caput inuiſibile, per internam directionem: nunquam viſibile, per externam gubernationem. Sed hoc figmentum cap. 1. ſatis fusè refutatum eſt. Nunc ſolùm addo hoc dilemma. Vel Chriſtus ab initio rexit ſuam Eccleſiam viſibiliter, vel non. Si rexit viſibiliter, falſa eſt poſterior tua reſponſio, ſi non rexit viſibiliter inanis eſt prior.

Multa obijcis (lib. 1. cap. 1. n. 2. & ſequentibus) quorum aliqua iam refutata ſunt; reliqua hìc refutanda. Primò obijcis illud Rom. 12. 5. [Multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.] Vbi Apoſtolus (vt tu argumentaris) nullum aliud caput agnoſcit, niſi Chriſtum. Et inter membra corporis, non minùs includit Petrum, quàm alios fideles. Immò omnes fideles vult eſſe membra, non ſolùm reſpectu Chriſti, ſed etiam reſpectu ipſorum inter ſe. Quod probas ex illis verbis: [Singuli autem alter alterius membra.] Igitur, & Petrus, & Pontifex ſunt membra corporis Eccleſiæ, non ſolùm ſi conferantur cum Chriſto, ſed etiam ſi conferantur cum alijs fidelibus. Non ſunt ergo caput Eccleſiæ. Reſpondeo, Apoſtolus di-

ſertè

ſectè ibi loquitur de Chriſto,quatenùs eſt caput Eccleſiæ per internum influxum donorum gratiæ: Et ſic verum eſt, omnes fideles, etiam Petrum, & Pontificem, eſſe membra, non caput. Omnes enim accipiunt gratiam à Chriſto, tamquam à capite· nullus à Petro, vel Pontifice. Si autem ſermo ſit de Chriſto, quatenùs eſt caput Eccleſiæ per exteroam gubernationem, tunc non ſolùm ipſe, ſed etiam Petrus eſt caput: ille quidem primarium, & propria virtute, hic vero ſeenndarium, & virtute ab illo participata.

Dices, ergo Eccleſia erit biceps, quia habebit duo capita. Reſpondeo. Nihil hic nouum. Nam & Regnum Angliæ poſſet hoc ſenſu eſſe biceps, ſi Rex peregrè proficiſceus, relinpueter domi Vicarium, qui tantiſper Regnum adminiſtraret. Et de facto Regnum Luſitaniæ biceps eſt, quia Regem abſentem habet, & Proregem præſeutem: Vtrumque vt caput in externo regimiue; ſed alterum alteri ſubordinatum. Idem dico de Eccleſia. Biceps eſt, quia habet duo capita, primarium, & ſecundarium. Accipe aliud exemplum ex Apoſtolo, Epheſ.5. 23. [Vir, inquit, caput eſt mulieris.] At mulier præter virum, qui caput ipſius eſt, habet etiam naturale caput in ſuo corpore. Igitur biceps eſt. Et tu ipſe. M. Antoni, tria habes capita. Vnum in tuo corpore naturale: alterum in directione ſpirituali, Chriſtum: tertium in directione politica, Regem Angliæ, nec vllum horum negare audes. Triceps igitur es. Non miraris?

Secundò obijcis. Sicut caput & reliqua membra hominis conſtituunt vnum integrum corpus naturale; ità Chriſtus, & Eccleſia conſtituunt vnum integrum corpus myſticum, quod conflatum eſt ex capite, & membris, (Corinth. 12.) ergo omnes, præter Chriſtum, qui caput eſt, ſunt membra corporis Eccleſiæ: Ergo nullus, præter Chriſtum, eſt caput Eccleſiæ. Reſpondeo. Hæc obiectio ſoluitur eodem modo, quo prior. Nam caput poteſt dupliciter conferri cũ membris.

Primò, quò ad internum influxum, qui procedit à capite in reliqua membra: Et ſic vnius corporis vnum eſt caput.

Secundò, quò ad externum regimen: Et ſic vnius corporis poſſunt eſſe duo capita. Quo pacto corpus mulieris habet vnum caput, à quo recipit influxum ſpirituum ſenſitiuorum: habet duo, à quibus regitur in externis actionibus. Nam & à proprio capite naturali, & à viro, qui caput ipſius mortale eſt, gubernatur. Idem eſt de Eccleſia. Habet vnum caput, quò ad influxum gratiæ: habet duo, quò ad externam gubernationem, quorum vnum ſupplet vices alterius. Et priori modo ſolus Chriſtus eſt caput: reliqui omnes ſunt membra: poſteriori, non ſolùm Chriſtus, ſed etiam Petrus eſt caput: qui tamen priori modo erat membrum, & non caput.

Quando ergo obijcis ex Apoſtolo, quòd Chriſtus, & Eccleſia conſtituant vnum integrum corpus myſticum, quod ex capite, & membris conflatum eſt: hoc intelligi debet priori ſenſu. Nam Apoſtolus loco à te citato, diſertè loquitur de Chriſto, quatenùs eſt caput Eccleſiæ, quò ad internam diuiſionem donorum gratiæ, vt in textu patet. Et ſic concedo, vt iam ante conceſſi, omnes, præter Chriſtum, eſſe membra Eccleſiæ: Et nullum præter Chriſtum, eſſe caput Eccleſiæ. Quod ſi ſimilem obiectionem facias de Chriſto, quatenùs eſt caput Eccleſiæ per externam gubernationem: primò quidem, teipſum oppugnabis, quia tu negas Chriſtum eſſe eiuſmodi caput. Deindè facillimè diſſoluetur obiectio ex noſtra parte. Nam Chriſtus cum ſuo Vicario erit Caput: reliqui omnes, membra. Sicut fit in Regno Luſitaniæ. Rex cum ſuo Prorege eſt caput regni: alij membra.

Tertiò obijcis. Patres non agnoſcunt vllum caput Eccleſiæ, niſi Chriſtum, vt Auguſtinus lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 2. & 4. & Tract.108. in Ioannem, & lib. de Paſtoribus, cap.13. Gregorius in Pſalm. 5. pœnitentialem, & lib. 4. epiſt. 38. & Chryſoſtomus homil. 11. in epiſt. ad Epheſios. Et probant ex illo Eph.4. 15. [Creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri, augumentum corporis facit in ędificationem ſui in charitate.] Reſpondeo. Eadem eſt ſolutio. Nam Apoſtolus loquitur de Capite Eccleſiæ, quod internam gratiam influit in alia membra. Et tale Caput eſt ſolus Chriſtus. Idem docent Patres à te citati. Non negant tamen quin præter Chriſtum ſit aliud Caput viſibile, quod in externo regimine gubernat Eccleſiam. Immò expreſsè aſſirmant, vt ſequenti libro cap.4. videbimus.

Quartò obijcis. Chriſtus eſt ſacerdos in æternum, vt paſſim docet Scriptura, (Pſ. 109.4. & Heb.7.17.) [Quid ergo neceſſe eſt, inquis, dare illi Vicarium, vel ſucceſſorem in terris? Cur ſummum hìc Pontificem quærimus, ſi Chriſtus Sacerdos, & Pontifex noſter ſempiternum habet Sacerdotium, & Pontificatum ſempiternum?] Reſpondeo. Si ex eo præciſè, quòd Chriſtus dicatur eſſe Sacerdos in æternum, contendis probare, nullum eſſe Pontificem, niſi Chriſtum, poteris ſimiliter probare, nullum eſſe Sacerdotem, niſi Chriſtum. Vbi ergo tuum ſacerdotium? Vbi tuus Epiſcopatus? Sed ad rem. Apoſtolus loco citato oſtendit Chriſtum, qui eſt Sacerdos, & Pontifex noui Teſtamenti, dupliciter differre à Sacerdote, & Pontifice veteris Teſtamenti.

Primò: Quia Pontifex veteris Teſtamenti erat mortalis. Chriſtus poſt Reſurrectionem, immortalis.

Secundò: Pontifex veteris Teſtamenti, quando moriebatur, indigebat ſucceſſore: Chriſtus, quia non moritur, non indiget ſucceſſore. Neque nos Catholici, vt tu inuidioſè fingis, damus illi ſucceſſorem, ſed Vicarium, & Miniſtrum, quæ duo valde diſtinguntur. Nam ſucceſſor ſuccedit cum pari poteſtate, vt ſucceſſor Regis in regno, ſucceſſor Imperatoris in Imperio, ſucceſſor Aaronis in ſacerdotio legali. Nemo autem ſuccedit Chriſto cum pari poteſtate. At Vicarius, aut miniſter non habet parem poteſtatem cum eo, cuius Vicarius, aut miniſter eſt, ſed delegatam. Sicut ergo non pugnat, Chriſtum habere Sacerdotes, tamquam Miniſtros in oblatione ſacrificij Euchariſtiæ: ità non pugnat, habere Miniſtros, & Vicarios in externa Eccleſiæ guber-

bernatione. Inter hos Miniſtros vnus ſupremus eſt, qui dicitur Pontifex. Quid hìc mali eſt? Nihil penitùs.

Ex his tuis obiectionibus propono hoc dilēma: Vel aliquid probant, vel nihil. Si nihil, fruſtrà à te adferuntur. Si aliquid, æquè procedunt de Rege, ac de Pontifice. Si ergo conuincunt Pontificem non eſſe caput Eccleſiæ, eò quòd ſolus Chriſtus ſit Caput Eccleſiæ: etiam conuincunt Regem non eſſe Caput Eccleſiæ, propter eamdem cauſam. Si autem hoc conuincunt, iam iterùm tibi contradicis. Vna pars contradictionis eſt hæc, Solus Chriſtus, & nemo præter Chriſtum, eſt Caput Eccleſiæ. Altera eſt hæc: Non ſolus Chriſtus, ſed etiam quilibet Rex in ſuo regno eſt Caput Eccleſiæ. Priorem habes in obiectionibus iam allatis. Poſteriorem lib. 1. cap. 12. num. 43. his verbis: [In quolibet regno Rex poteſt meritò, in bono ſenſu Catholico, dici eſſe Caput, id eſt, ſupremus gubernator Eccleſiæ totius regni ſui.] Quod tamen negant Tookerus, & Buthillus Theologi Anglicani. Vide, quid illis in Anglia reſpondere debeas.

Hæc generatim dicta ſint de Capite Eccleſiæ. Ex quibus conſtat, Chriſtum eſſe Caput Eccleſiæ, tam viſibile, quàm inuiſibile. Viſibile quidem, quia vel per ſe, vel per Vicarium ſuum viſibiliter gubernat Eccleſiam. Inuiſibile, quia per internum influxum fidei, ſpei, charitatis, & aliorum donorum ſpiritualium inuiſibiliter viuificat, & vegetat membra Eccleſiæ. Deinceps ſpeciatim quærendum eſt, an Petrus fuerit viſibile caput Eccleſiæ, præ alijs Apoſtolis.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

DE PRIMATV PETRI.

HÆC tria,vt noſti, M.Antoni,pro eodem vſurpari ſolent.

Primò: Petrus eſt viſibile caput totius Eccleſiæ, loco Chriſti.

Secundò: Petrus eſt Vicarius Chriſti in regimine totius Eccleſiæ.

Tertiò: Petrus habet Primatum totius Eccleſiæ. Quæ omnia bilem tibi mouent: & velles ſublata eſſe, ne cogaris Pontificem, Petri ſucceſſorem, pro tali agnoſcere; Itaque ſic ſtatuis.

Primò: Nullum eſſe caput Eccleſiæ,præter Chriſtum.

Secundò: Spiritum ſanctum propriè eſſe Vicarium Chriſti in regimine Eccleſiæ, non Petrum.

Tertiò: Petrum non habere Primatum Eccleſiæ. Ne tamen planè videaris exorbitare, tribuis illi aliquem primatum; non illum, quem nos illi tribuimus, ſed alium, qui à te confictus eſt. Nos dicimus, Petrum habere primatum Eccleſiaſticæ poteſtatis, & iuriſdictionis. Tu dicis habere primatum ætatis, vocationis, & feruoris. Nec alium agnoſcis. Et omnia argumenta, quæ à noſtris adferuntur ex Scriptura, Patribus, Concilijs, & Canonibus, pro primatu Petri, putas per primatum à te confictum, diſſolui, vel ſaltem eludi poſſe. Primatus autem iſte, te interprete, in eo conſiſtit, quòd Petrus omnes Apoſtolos præceſſerit ætate, vocatione ad Apoſtolatum, & feruore charitatis.

De primo puncto iam dictum eſt:& clarè demonſtratum, aliud caput viſibile præter Chriſtum admitti oportere. De reliquis duobus hìc agendum, hoc ordine.

Primò: Demonſtrandum, Spiritum ſanctum non eſſe propriè Vicarium Chriſti in regimine Eccleſiæ, ſed Petrum cum ſuis ſucceſſoribus.

Secundò: Refellendus eſt Primatus Petri, quem tu fingis.

Tertiò: Aſtruendus verus primatus ex Scriptura, Patribus, & aliundè.

Quartò: Diluendæ obiectiones contrariæ.

CAPVT PRIMVM.

Quòd Spiritus ſanctus propriè non ſit Vicarius Chriſti.

TV quidem, lib.1.cap.4. num.2. diſertè aſſeris, non Petrum, ſed Spiritum ſanctum propriè eſſe Vicarium Chriſti in regimine Eccleſiæ, ſed Theologi Pariſienſes hanc tuam aſſertionem cenſent eſſe erroneam, periculoſam, & hæreſim Macedonij expreſsè redolentem. Et ſic eſt. Nam Vicarius propriè loquendo, (ſicut tu loqueris) minor,ſeu inferior eſt eo, cuius eſt Vicarius. Si ergo aſſeris, Spiritum ſanctum propriè eſſe Vicarium Chriſti,ſicut reuera aſſeris, conſequenter debes aſſerere, Spiritum ſanctum eſſe minorem Chriſto.Hæc autem eſt hæreſis Macedoniana.

Quòd autem Vicarius, propriè loquendo, minor ſit eo, cuius eſt Vicarius, certum eſt ex communi hominum vſu, & conceptu: non ſolùm apud Catholicos, ſed etiam apud Aduerſarios. Nam quando Caluinus ait, Chriſtum eſſe Vicarium Dei Patris: Caluiniſtæ hoc interpretantur de Chriſto ſecundùm humanitatem, non autem ſecundùm diuinitatem: Ne cogantur concedere, Chriſtum ſecundùm diuinitatem minorem eſſe Patre, quæ eſt hæreſis Ariana. Supponunt ergo, Vicarium propriè loquendo minorem eſſe eo, cuius eſt Vicarius. Quod & tu expreſsè ſupponis lib.4. cap.1. num. 4. vbi citas teſtimonia quorumdam Patrum, qui Pontificem appellant Vicarium Petri. Et inde concludis, Pontificem Petro inferiorem eſſe. Vel ergo benè concludis, vel malè. Si malè, nihil efficis. Si benè, ſupponis Vicarium minorem eſſe eo, cuius Vicarius eſt: & conſequenter, ſi Spiritus ſanctus propriè eſt Vicarius Chriſti, minorem eſſe Chriſto. Hìc non potes euadere, niſi teipſum neges.

Addam duo dilemmata. Vnum: vel Spiritus ſanctus propriè eſt Vicarius Chriſti ſecundùm humanitatem, vel ſecundùm diuinitatem. Si priùs, ſequitur Spiritum ſanctum minorem eſſe Chriſto homine: Et ſimiliter Deum eſſe Vicarium hominis; quod eſt planè abſurdum. Si poſteriùs, ſequitur Chriſtum ſecundùm diuinitatem, & non ſecundùm humanitatem eſſe caput Eccleſiæ; quod eſt æquè abſurdum. Eſt enim Caput ſecundùm eam na-

naturam, ſecundùm quam meritus eſt exaltari, & caput Eccleſiæ agnoſci, vt ſuprà dictum eſt. At meritus eſt exaltari ſecundùm humanitatem ergo ſecundum humanitatem eſt Capur Eccleſiæ. Vnde Aug. lib. 1. de Trinit. c. 12. ait. [Chriſtus ſecundùm formam Dei, primogenitus omnis creaturæ: ſecundùm formam ſerui, caput corporis Eccleſiæ.

Alterum: vel Spiritus Sanctus propriè eſt Vicarius Chriſti in externo, & viſibili regimine Eccleſię, vel in interno, & inuiſibili. Non priùs, quia non gubernat Eccleſiam per ſe viſibiliter, ſicut Chriſtus in hac vira gubernauit. Nec poſteriùs, quia internum regimen Eccleſiæ conſiſtit in interno influxu donorum gratiæ, vt tu ipſe fateris. Hunc aurem influxum præſtat Chriſtus, vel meritoriè, quatenùs eſt homo: vel phyſicè, & effectiuè quatenùs eſt Deus. vt lib. 1. cap. 4. §. 9. dictum eſt. At Spiritus Sanctus neutro modo poteſt eſſe ipſius Vicarius. Non priori, quia non meretur nobis gratiam. Immò, cùm purus Deus ſit, mereri non poteſt. Nec poſteriori, quia tametſi effectiuè producat gratiam, tamen illa productio eſt communis tribus perſonis, iuxtà axioma Theologorum. [Opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa.] Ergo nulla cauſa eſt, cur in tali productione Spiritus Sanctus ſit potiùs Vicarius Filij, quàm Pater, aut Filius ſit Vicarius Spiritus Sancti.

Quod ſic clariùs explico. Productio donorum gratiæ non procedit à Patre, quatenùs Pater eſt: nec à Filio quatenùs Filius eſt: nec à Spiritu Sancto, quatenùs Spiritus Sanctus eſt: ſed procedit à Patre, Filio, & Spiritu Sancto, quatenùs ſunt vnus Deus. Itaque non ſunt tria principia illius productionis, ſed vnum. At vnum principium, qua tale, non poteſt dici propriè Vicarius ſui ipſius. Ergo nec Spiritus Sanctus, quatenùs eſt Deus, poteſt propriè dici Vicarius Chriſti, quatenùs ille ſimiliter eſt Deus. Nam vterque eſt vnus, & idem Deus.

Obijcis illud Ioan. 14. 16. [Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. Et cap. 16. 7. Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos.] Hinc infers, Spiritum Sanctum miſſum eſſe, vt eſſet loco Chriſti, ſeu vt eſſet Vicarius Chriſti.

Reſpondeo. Non rectè hoc infers. Miſſus quidem eſt, vt doceret Apoſtolos: non tamen, vt propriè eſſet Chriſti Vicarius. Hoc ſatis clarè paulò antè oſtenſum eſt. Et tu ipſe, vt ſoles eſſe inconſtans, idem fateris lib. 1. cap. 1. num. 16., vbi de Chriſto in cœlo iam exiſtente ſic ſcribis: [Omnia munera capitis, & Regis obit per ſe perfectiſſimè.] Certè, ſi omnia per ſe obit, non obit, per Vicarium. Ecce in quantas anguſtias te conijcis.

Fortè vrgebis illam particulam, [in nomine meo,] ideſt. vt ſit Vicarius meus. Reſpondeo. Varia eſt explicatio illius particulæ. Prima, Pater mittet Spiritum Sanctum, [in nomine meo,] ideſt, in gloriam nominis mei. Ità Theophylactus in illum locum. Et colligitur eſt illo Ioan. 16. 14. [Ille (Spiritus Sanctus) me clarificabit: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Altera, in nomine meo, ideſt, propter meritum meum. Ità Toletus annotat 26. in cap. 14. Ioannis. Quo ſenſu etiam dictum eſt. Ioann. 14. 13. [Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Tertia, in nomine meo, ideſt, ad opus, vel negotium meum perficiendum. Ità Toletus ibidem. Duæ priores explicationes nihil te iuuant. Circà tertiam notandum eſt, Chriſtum multa per externam vocem dixiſſe Apoſtolis de ſua paſſione, morte, reſurrectione, & alijs myſterijs, quæ ipſi tunc non intelligebant (Lucæ 18. 34. & alibi.) At poſteà, quando per internam vocem Spiritus Sancti illuſtrati ſunt, cœperunt intelligere, & toti mundo promulgare. Et hoc eſt, quod ait Chriſtus: [Spirits ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.] Græcè eſt, Quæcumque dixi vobis, Senſus eſt: Quę à me externa voce dicta ſunt, & à vobis non intellecta, intelligetis ex interna ſuggeſtione Spiritus Sancti, qui à Patre mittendus eſt in nomine meo, ideſt, ad perficiendam doctrinam, quam ex me audiſtis. At hinc non ſequitur Spiritum Sanctum propriè eſſe Vicarium Chriſti (non enim eſt minor Chriſto] ſed perfectiori modo docuiſſe Apoſtolos per internam ſuggeſtionem, quæ ipſi audierant à Chriſto per externam vocem.

CAP. II.

Refellitur Primatus Petri à Marco Antonio confictus.

TV fingis Primatum Petri in eo conſiſtere, quòd fuerit primus ætate, vocatione, & feruore inter omnes Apoſtolos. Sic enim ſcribis lib. 1. cap. 5. num. 7. [Inuenio ego Petrum Primatum aliquem, circà tamen Principatum poteſtatiuum, & iuriſdictionalem, eſſe conſecutum: nimirùm ex ætate, ordine vocationis, amoris fauore, & proprijs virtutibus. Et numer. 18. Cur itaque Petrus multa, primaria quadam auctoritate, ageret, aut diceret, in Primatum ipſius referunt Patres, quia nimirùm primus erat ætate, vocatione, ac virtute. Et n. 19. Atque hunc ſolum Primatum conuincunt, & non alium maiorem, plurima diuinæ ſcripturæ, & Sanctorum Patrum loca, quæ poſteà recenſebimus. Et cap. 9. num. 1. in fine. Caput Apoſtolorom fuit Petrus, quia primus erat ætate, vocatione, & dignitate: non auctoritate, & iuriſdictione. Et num. 2. Petrus, & ætate, & vocatione, & familiaritate cum Chriſto: erat primus, & quaſi Apoſtolici Collegij Decanus, Præſes, & caput. Et num. 20. Erat primus ætate, primus in ordine Apoſtolorum, primus feruore, & zelo.

Ego contrà contendo. Primò, maiorem illi Primatum deberi, qui conſiſtit in poteſtate, & iuriſdictione, quod ſequentibus capitibus demonſtrandum eſt. Secundò, Primatum, quem tu fingis, partim incertum, partim falſum, partim inſufficientem eſſe. Quod ſic demonſtro.

Primò, incertum eſt, an Petrus fuerit æta-

Digitized by Google

ætate ſenior, quàm alij. Nam multi putant Andream fuiſſe ſeniorem, vt Epiphanius hæreſi 51. Baronius tomo 1. Annalium, anno 31.§.23. Lorinus in cap.1.Act. 5.13. Serarius in Tractatu de Apoſtolis, & plures alij. Tu quidem citas pro te Caſſianum, & Chryſoſtomum, ſed eos citando, non efficis rem certam, quam ego incertam dixi. Quod tu ipſe fateris his verbis: [Quis enim diem Natiuitatis horum duorum fratrum notatum vidit? Quis interrogauit eorum parentes?] Rectè. Si ergo incertum eſt, etiam te aſtipulante, an Petrus fuerit ſenior ætate, quàm Andreas; certè Primatus ætatis, quem tu Petro tribuis, certus eſſe non poteſt. Et æquè promptum erit mihi aſſerere, Andream fuiſſe Seniorem, quàm tibi, Petrum fuiſſe Seniorem. Vndè ſequitur, te in arena, non in petra, Primatum Petri ædificare: ac proindè non prudentem, ſed ſtultum architectum eſſe (Matth.7.22.)

Porrò Caſſianus, quem tu citas, tibi contrarius eſt. Tametſi enim aſſerat, Petrum ætate ſeniorem eſſe, non tamen Primatum Petri ponit in ætate, ſed Principatu. Sic enim ſcribit lib.3.de Incarnatione Domini cap.12. Interrogemus, non incipientem aliquem puerulum, cuius inſtitutio rudis, ſed ſummum illum, & inter Diſcipulos Diſcipulum, & inter Magiſtros Magiſtrum, qui Romanæ Eccleſiæ gubernaculum regens, ſicut fidei habuit, ità, & Sacerdotij Principatum. Dic nobis ergo: Princeps Apoſtolorum Petre, dic quemadmodùm Eccleſiæ credere Deum debeant: Æquum eſt enim, vt doceas nos doctus à Domino, & aperias nobis ianuam, cuius clauem accepiſti. Interroganti ergo Domino, quem cum crederent Diſcipuli, reſpondit primus Apoſtolorum Petrus, vnus vtique pro omnibus. Idem enim habuit vnius reſponſio, quod habebat omnium fides. Sed primum decuit reſpondere, vt idem eſſet ordo reſponſionis, qui erat honoris: & ipſe antecederet confeſſione, qui antecedebat ætate. Hæc quidem poſtrema verba tu citaſti, quia videbantur tibi patrocinari: Sed priora omiſiſti, quia apertè tibi contraria ſunt. Nam ex illis conſtat, Primatum Petri, ex ſententia Caſſiani, non conſiſtere in ætate, ſed in ſacerdotij Principatu.

Nec Chryſoſtomus à te citatus tibi fauet. Nam, & ille Primatum Petri non tribuit prærogatiuæ ætatis, ſed poteſtatis, & iuriſdictionis, quod tu ipſe conquereris lib.1. cap.9.num.19. cum ais: Chryſoſtomus plurimùm inclinare videri poteſt in ſupremum Petri Principatum.] De quo plura c.4.& 6.

De Primatu Vocationis.

IAm verò de primatu vocationis ſic ſcribis lib.1.cap.5.num.10. [De ordine vocationis neminem habemus, qui ſeſe nobis opponat. Omnes enim facilè concedunt ad Apoſtolatum primum omnium Petrum fuiſſe à Chriſto vocatum, & admiſſum.] Quod confirmas ex Euangelio, Matth. 4. & Lucæ 5. ſed triplex mendacium committis. Vnum in aſſertione: Alterum in confirmatione: Tertium in citatione Patrum. Quæ omnia conſtabunt ex ijs, quæ iam dicturus ſum.

Triplex quaſi vocatio diſtinguenda eſt. Prima, qua Andreas, Petrus, Philippus, & Nathanael, non quidem propriè vocati, ſed tamen admiſſi ſunt ad Chriſtum, tamquam familiares auditores: non eo animo, vt cum ipſo conſtanter manerent; ſed viſuri, vbi habitaret, & quid diceret. Et in hac vocatione, vel potiùs admiſſione, Andreas præceſſit Petrum, Philippum, Nathanaelem, vt expreſſe habetur, Ioan,1.41. Et omnes Patres, te etiam conſentiente, idem ſentiunt.

Secunda, qua propriè vocati ſunt à Chriſto, tamquam Diſcipuli cum illo permanſuri. Et ſic Petrus, & Andreas ſimul, ſeu, eodem tempore vocati ſunt: Et poſt illos Iacobus, & Iannes ſimul Matth.4.18.[Ambulans autem Ieſus iuxtà mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare, (erant enim piſcatores) & ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominũ. At illi continuò, relictis retibus, ſecuti ſunt eum. Et procedens indè, vidit alios duos fratres: Iacobum Zebedæo Zebedæi, & Ioannẽ Fratrem eius in naui, cum Patre eorum, reficientes retia ſua: & vocauit eos. Illi autem ſtatim, relictis retibus, & patre, ſecuti ſunt eum.] Ex hoc loco, quem tu citas pro Primatu vocationis Petri, apertè colligitur, Petrum, & Andream ſimul fuiſſe vocatos; & non priùs Petrum, quàm Andream Itaque falsò citas hoc teſtimonium pro Primatu Petri aſtruendo. Nec vllus Patrum in hac re tibi aſtipulatur.

Tertia, qua propriè vocati ſunt, tamquam Apoſtoli, vel, quod idem eſt, qua ex numero Diſcipulorum electi ſunt ad Apoſtolatum, veluti ad altiorem gradum. Sic omnes duodecim ſimul, ſeu eodem tempore electi ſunt. Lucæ 6.13. [Et cum dies factus eſſet, vocauit Diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos, & Apoſtolos nominauit,] Sine dubio, eodem tempore illos elegit. Et hoc ſenſu Patres dicunt omnium Apoſtolorum electionem fuiſſe parem. Melchiades in epiſt. ad Epiſcopos Campaniæ: [Licèt cunctorum Apoſtolorum par eſſet electio; Beato tamen Petro conceſſum eſt, vt alijs præemineret. Et Iulius I. in Ep. ad Epiſcopos Orientales. Quoniam, & inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis: & cum omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineret.] Certè, hi duo Patres non ponunt præeminentiam Petri in vocatione, vt tu facis; ſed id diſcretione poteſtatis. Nam in vocatione volunt omnes Apoſtolos eſſe æquales.

Vides ergo, Marce Antoni, nuſquam Petrum ante omnes alios priùs tempore vocatum eſſe. Sed obijcis, id factum eſſe, Lucæ 5.10. Vbi Chriſtus in nauicula Petri docens turbas, & faciens miraculum in captura piſcium, primò vocauit Petrum, deindè Iacobum, & Ioannem: Et mox additur: [Et ſubductis ad terram nauibus, relictis omnibus, ſecuti ſunt eum.] Reſpondeo. Hic locus nihil te iuuat.

Primò, quia tu coniungis hunc locum cum loco Matth.4. quaſi eadem hiſtoria vtro-

bique, & apud Matthæum, & apud Lucam deſcripta ſit. Si ità eſt, neceſſariò ſequitur, non Pettum ſolum, ſed Petrum, & Andream ſimul eodem tempore vocatos eſſe. Hoc enim expreſſe habet Matthæus, vt iam ante oſtenſum eſt. Quamuis ergo Lucas non exprimat nomen Andreæ, ſed ſolius Petri, tamen quia Matthæus expreſsè ponit vtriuſque nomen, conſequens eſt, vtrumque eodem tempore vocatum eſſe, ſi eadem apud Lucam, & Matthæum hiſtoria eſt. Si autem non eſt eadem (quod probabilius eſt) nihil penitùs ex loco Lucæ conuinces. Nam ibi non legimus à Chriſto vocatos, ſed viſo miraculo captorum piſcium, ſponte eum ſecutos eſſe, vt benè aduertit Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 17. circà finem, & Maldonatus in cap. 4. Matthæi v. 18. Nec tamen ſecuti ſunt, vt tu loqueris, cum perfecta adhæſione ad latus Chriſti; Sed cum animo reuertendi ad piſcationem, vt loquitur B. Pater Ignatius in libello exercitiorum ſpiritualium,) quem vtinam meliùs legiſſes, & obſeruaſſes. Intelligis, quid velim? Neque obſtant illa verba, [Relictis omnibus, ſecuti ſunt eum:] quia non ſignificant perpetuam abdicationem rerum omnium, de qua loquitur Petrus Matth. 19. 26. [Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, ſed temporariam ſequelam; vt ſenſus ſit, relictis omnibus, ideſt, deſertis tantiſper nauibus, ac retibus, ſecuti ſunt eum. Quo ſenſu intelligitur etiam illud de muliere Samaritana Ioann. 4. 28. [Reliquit ergo hydriam mulier, & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quęcumque feci: numquid ipſe eſt Chriſtus?] Vide Maldonatum in illum locum.

Quòd autem Patres interdùm aſſerant, Petrum fuiſſe primum in ordine Apoſtolorum, hoc eo ſenſu debet intelligi, quo illud Matth. 10. 2. Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc; Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius. Vbi particula, Primus; non ſignificat Petrum fuiſſe primum ordine vocationis, ſed ordine dignitatis, & eminentiæ. Sicut in ſimili exemplo explicat Auguſtinus, 10. de verbis Domini, cap. 3. circà illud Apoſtoli 1. Timoth. 1. 15. [Chriſtus venit in hunc mundum, peccatores ſaluos facere, quorum primus Ego ſum. Sic enim loquitur: Ante Paulum non erant peccatores? Certè, vel ipſe Adam ante omnes: & plena peccatoribus terra deleta diluuio. Et deinceps, quàm multi: Vndè ergo verum eſt, Ego primus ſum: Primum ſe dixit, non peccatorum ordine, ſed peccati magnitudine. Quomodo inter Aduocatos primus eſt iſte, non quia plures annos habet, ex quo cauſas egit; ſed quia, ex quò cępit, cæteros ſuperauit.]

Idem dico de Petro. Primus eſt Apoſtolorum, non annorum ſpatio, ſed officij dignitate: non quia diutiùs vixit in Apoſtolatu: ſed quia, ex quo cæpit, cæteros ſuperauit. Et ſic ſentiunt Patres.

Sed obijcis, quoſdam Patres aliter ſentire, nempè, Petrum ordine temporis fuiſſe vocatum ante omnes alios Apoſtolos. Sunt autem hi Patres, quos allegas pro hac ſententia: Epiphanius, Cyprianus, Clemens, Hilarius, Gregorius, Hieronymus, Auguſtinus, Cyrillus, Chryſoſtomus. Reſpondeo. Vt oſtendas hos Patres pro te eſſe duo, tibi præſtanda ſunt.

Primò; quòd dicant Petrum ordine temporis ante alios vocatum eſſe.

Secundò, quòd in eo conſtituant Primatum Petri, vt tu facis. Si in alterutro deficis, fruſtrà laboras, audiamus ergo, quid dicant Patres.

Ex Epiphanio, hæreſi 51. citas hæc verba: [Occurſus Andreæ primò contigit; cum minor eſſet Petrus tempore ætatis. Poſteà enim rursùs, quando perfecta renunciatio facta eſt, ipſe fratrem ſuum præceſſit.] Reſpondeo. Vel vera ſunt, quæ hic dicit Epiphanius, vel falſa. Si vera, iam verum eſt, Petrum ætate minorem eſſe, quàm Andream, quod tu negas. Verum igitur negas, ſi falſa, cur adducis? Fortè dicturus es, priorem partem, quæ tibi contraria eſt, falſam, poſteriorem, quæ tibi fauet, veram eſſe. Quid ſi ego è contrario dicam, hanc falſam, illam veram eſſe? Eodem iure hoc dixerim, quo tu illud. Sed non opus eſt hoc effugio. Sic potiùs dicam. Poſterior pars, quam tu vrges, nihil te iuuat. Primò, quia non aſſerit expreſsè, quod tu aſſeris, Petrum vocatum fuiſſe ad Apoſtolatum, ante Andream, ſed Petrum in perfecta renunciatione præceſſiſſe Andreã. Quod commodè intelligi poteſt hoc ſenſu; Petrum externa voce, primum omnium profeſſum eſſe perfectam renunciationem, cum dixit: [Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.] Sicut etiam primus omnium externa voce confeſſus eſt fidem diuinitatis Chriſti, cum dixit. [Tu es Chriſtus Filius Dei viui,] Nec videtur aliter intelligi poſſe. Nam illa perfecta renunciatio, de qua loquitur Epiphanius; non conſiſtit in externa abdicatione rerum temporalium; quia in illa Petrus non præceſſit Andream, cum vterque ſimul, ac eodem tempore reliquerit ſua retia, iuxtà illud, Matth. 4. 20. [At illi continuò, relictis retibus, ſecuti ſunt eum.] Ergo debet conſiſtere in ſyncera profeſſione perfectæ renunciationis, de qua iam dictum eſt. At hinc non conſequitur, quod tu vis. Non enim valet hæc conſequentia: Petrus inter Apoſtolos primus omnium profeſſus eſt fidem diuinitatis Chriſti, & perfectam renunciationem rerum temporalium: Ergo primus omnium vocatum eſt ad Apoſtolatum.

Sed, etſi datem, primum omnium vocatum eſſe, ex ſententia Epiphanij, non ideò Epiphanius pro te eſſet. Nàm tu contendis, Primatum Petri conſiſtere in primatu vocationis, quod Epiphanius non vult. Si enim poſt verba à te citata, immediatè loquitur [Inſuper autem, & in hoc Deus eſt, qui nouit vocationes cordium, & ſcit, quis dignus ſit primo loco locari; & elegit Petrum, vt dux eſſet ſuorum Diſcipulorum.] Vbi diſtinguit internam vocationem ab externa: & aſſerit, Petrum electum eſſe ducem Apoſtolorum, non ideò, quia primus externa vocatione à Chriſto vocatus eſt, (quæ eſt tua ſententia) ſed quia interna cordis vocatione, ſe dignum præſtitit, vt primum locum obtineret, & fieret dux Apoſtolorum, quod tuæ ſententiæ contrarium eſt.

Digitized by Google

Ex eodem Epiphanio in Ancorato citas hæc verba : [Ipſe Dominus conſtituit Petrum primum Apoſtolorum .] Reſpondeo . Hoc ipſum eſt, quod nos aſſerimus . Sed longè diuerſa ſunt hæc duo : Chriſtus conſtituit illum primum Apoſtolorum ; & Chriſtus vocauit illum ad Apoſtolatum, antequam alios vocaret . Priùs verum eſt , poſteriùs falſum . Nàm Chriſtus vocauit omnes duodecim eodem tempore ad Apoſtolatum , & poſteà ex ipſis elegit Petrum , vt ipſe eſſet primus , ſeu dux reliquorum.

Ex Cypriano, tract. ad Quirinu m,citas hæc : [Petrus , quem primum Dominus elegit .] Reſpondeo . Eodem ſenſu poteſt intelligi Cyprianus, qui Epiphanius in Ancorato. Nempè , Petrum ex duodecim Apoſtolis à Chriſto electum eſſe, vt eſſet primus, ſeu princeps aliorum . Sed eſto , dicat Cyprianus , Petrum eſſe priùs tempore electum ad Apoſtolatum , quàm alios : non ideò dicit , Primatum Petri in eo conſiſtere . In quo autem conſiſtat , ex ſententia Cypriani , dicendum eſt cap. 4.

Ex Clemente epiſt. 1. ad Iacobum fratrem Domini , citas hæc : [Petrus , qui fuit primitiæ electionis Domini , primus Apoſtolorum.] Reſpondeo. Fuit primus Apoſtolorum eo ſenſu, quo iàm ſæpè dictum eſt . Fuit primitiæ electionis Domini, quia Chriſtus Dominus primum fructum electionis ſuæ percepit ex Apoſtolo Petro . Nàm ille primus omnium confeſſus eſt Diuinitatem Chriſti : primus omnium dixit : [Ecce nos reliquimus omnia ;] primus omnium promulgauit Euangelium . Quæ omnia fuſiùs explicanda ſunt infrà , vbi de prærogatiuis Petri agendum eſt .

Ex Hilario in Matth. can. 7. citas hæc : [Petrus primus credidit , & Apoſtolatus eſt Princeps .] Reſpondeo . Nihil contra nos . Eſto , primus crediderit , quia primus dixit : [Tu es Chriſtus Filius Dei viui ;] an ideò primus ad Apoſtolatum vocatus eſt ? Non ſequitur . Similiter , eſto , ſit Princeps Apoſtolatus : an ideò antè alios Apoſtolus factus eſt? Nec hoc ſequitur. Eſt quidem antè alios factus Princeps Apoſtolorum; ſed non eſt factus antè alios Apoſtolus .

Ex Gregorio libro 2. ſuper Ezechielem, homilia 8. citas hæc : [Non ad memoriam reuocat, quòd primus in Apoſtolatum vocatus ſit .] Reſpondeo . Gregorius ibi commendat humilitatem Petri , quòd cùm ipſe eſſet caput, & princeps Apoſtolorum , tamen æquo animo paſſus ſit,reprehendi ſe à Paulo, qui erat illius ſubditus . Itàque illa verba : [primus in Apoſtolatum vocatus eſt ;] non habent hunc ſenſum : [primus ad Apoſtolatum vocatus eſt;] ſed hunc potiùs, [in principem Apoſtolatus vocatus eſt;] vel, ad Principatum Apoſtolatus vocatus eſt. Quem ſenſum ibidem explicat his verbis : [Quatenùs , qui primus erat in Apoſtolatus culmine , eſſet primus & in humilitate .] Et paulò poſt pergit : [Ecce, à minore ſuo reprehenditur , & reprehendi non dedignatur . Non ad memoriam reuocat, quòd primus in Apoſtolatum vocatus ſit .] Vbi Paulum vocat minorem reſpectu Petri . Et Petrum ait , primum in Apoſtolatum vocatum eſſe : ideſt, primum eſſe in culmine Apoſtolatus , vt antè dixerat ,

Ex Hieronymo epiſtola 13. ad Paulinum , citas hæc . [Paulus Apoſtolus nouiſſimus in ordine, primus in meritis eſt .] Hinc ità concludis : Ergo è contrario ſenſu, quia Petrus fuit primus in ordine vocationis , hinc Primatum huius ordinis eſt conſecutus. Reſpondeo. Priùs tibi probandum eſt, Petrum eo ſenſu fuiſſe primum in ordine vocationis , quo Paulus fuit nouiſſimus . Concedo, Paulum fuiſſe nouiſſimum ratione temporis . Nego, Petrum fuiſſe primum ratione temporis . Nondùm hoc probaſti . Ego ex Euangelio contrarium oſtendi .

Ex Auguſtino ſermone 47. de SS. Petro, & Paulo , citas hæc : [Beatus Petrus primus Apoſtolorum : Beatus Paulus, nouiſſimus Apoſtolorum .] Et mox ſubdis ex tuo : [in quo ergo Paulus nouiſſimus , in eo Petrus primus : nempè in ordine vocationis .] Reſpondeo. Nuſquam inuenio ſermonem 47. de ſanctis Petro, & Paulo . Inuenio quidem tres ſermones de feſto Apoſtolorum Petri,& Pauli, nempè ſerm.106. 107. & 108. inter ſermones de diuerſis ; ſed verba à te citata, non inuenio inter ſe connexa , vt tu connectis ; ſed diuiſa . Nàm initio ſerm. 106. ſic habet Auguſtinus : [Beatus Petrus Apoſtolorum primus .] Et poſteà ſermone 108. circa finem , ſic : [Ergo, quid eſt Apoſtolus ? Ipſum interroga . Ego ſum, inquit , minimus Apoſtolorum .] At hinc non ſequitur , eodem ſenſu Petrum eſſe primum , quo Paulus eſt minimus, aut contrà . Nàm conſtat ex ipſo Paulo, quo ſenſu ipſe ſit minimus , ſic enim de ſe loquitur , 1. Corinth. 15. 9. [Ego enim ſum minimus Apoſtolorum , qui non ſum dignus vocari Apoſtolus , quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.] Vbi non vocat ſe minimum, ideſt , vltimum in ordine vocationis (de quo ordine tu loqueris) ſed minimum, ideſt, indigniſſimum , propter ſua peccata .

Ex Cyrillo lib. 4. in Ioan. cap. 28. citas hæc: [Reſponſio ei committitur, quia ordine maior erat .] Reſpondeo . Apertè iniuriam facis Cyrillo . Tibi probandum eſt, Petrum fuiſſe maiorem ordine temporis . Vel , priùs tempore vocatum eſſe , quàm reliquos Apoſtolos . Hoc non dicit Cyrillus . Non enim loquitur de ordine temporis ; ſed de ordine prælationis, & prudentiæ . Verba eius ſunt hæc : [Reſpondit ergo Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? Per vnum, qui præerat, omnes reſpondent .] Et paulò poſt : [Decet enim non omnes confusè , nec proſilientes imprudenter , quaſi rapta vti oratione ; ſed cedere ijs, qui & conſilio, & ordine , præpoſiti ſunt .] Et ſtatim ſubdit : [Opus igitur erat Diuinitùs comprobatæ prudentiæ , ſoli reſponſionem committere illi , qui ordine maior erat .] Vel, vt antè dicebat, [qui præerat.] Nàm inter illos, qui præſunt, & illos, qui ſubditi ſunt, eſt quidam ordo . Vnde illi ſuperiores appellantur , hi inferiores ,

Ex Chryſoſtomo homilia 2. in epiſt. ad Romanos, citas hæc : [Verùm, ordinis dumtaxàt honos eſt verbum id , primum : neque enim ſuperiores partes in hoc obtinet (Iudæus ſupra Græcum) quòd maiorem iuſtitiam acceperit ; ſed in hoc ſolùm honoratur,

quòd

quòd primus eam aeeepetit.] Vnde infers, quando Cyrillus dixit de Petro, [ordine maior erac,] locutum eſſe de ordine temporis, non de ordine poteſtaris, aut iuriſdictionis. Reſpondeo. Fruſtrà eſt. Iàm oſtendi, Cyrillum loqui de ordine prelationis, & prudentiæ; non de ordine temporis. Nee Chryſoſtomus explicat mentem Cyrilli, ſed Apoſtoli, Roman. 1. 16. [Virtus enim Dei eſt, in ſalutem omni credenti, Iudæo primùm, & Græco.] Quæric enim, quid ſignificet illa particula, [Primùm?] Et reſpondet, ſignificare ordinem temporis. Iàm vide M. Autoni, an valeat hęc conſeqnentia, Chryſoſtomus dicit, Iudæum ordine tempotis, non poteſtatis, præferri Græco, in ſuſceptione fidei Euangelicæ: Ergo Cyrillus dicit, Petrum ordine temporis, non poteſtatis, præſerri alijs Apoſtolis. Miſeret me tui, ſi tam malè ſani capitis es.

Ex eodem Chryſoſtomo homil. 9. citas hæc: [Petrum cum dico, petram nomino indebilem, crepidinem immobilem, Apoſtolum magnum, primum Diſcipulorum, primum vocatum, & primum obedientem.] Reſpondeo. Hoc teſtimonium videtur tibi aliquo modo patrocinari; reliqua nihil, vt oſtenſum eſt. Nàm illæ duæ particulæ, [primum vocatum,] & [primum obeditntem,] inſinuant Petrum antè alios vocatum fuiſſe à Chriſto, & antè alios voeanti Chriſto obtemperaſſe. Si hoc demus, illud quidem ſequitur, Petrum ex ſententia Chryſoſtomi habere prærogatiuam vocationis ratione temporis. At non ſequitur, quod tibi probandum eſt, Primatum Petri ex ſententia Chryſoſtomi conſiſtere in illa prærogatiua, excludendo Primatum poteſtatis, & iuriſdictionis. Immò hunc Primatum vel maximè agnoſcit Chryſoſtomus, vt cap. 4. videbimus.

Sed neceſſe non eſt, vt prædictas particulas accipiamus eo ſenſu, quo tu accipis. Nàm idem Chryſoſtomus alibi, cùm ex profeſſo agit de vocatione Petri, diſettè ait, Petrum, & Andream ſimul vocatos eſſe; & illos duos fuiſſe primos ordiue vocationis reſpectu aliorum Apoſtolorum: non autem ſolum Petrum fuiſſe primum reſpectu Andreæ, & reliquorum. Sic enim loquitur homilia 14. in Matth. [Perpende verò & fidem, & obedientiam vocatorum (Petri, & Andreæ) & cognoſces, quàm dulcis ſit piſcatio: ſiquidem in medio ipſius operis conſtituti, cum illum audiſſent iubentem, nihil diſtulerunt; nihil omninò cunctati ſunt. Non dixerunt: Reuertemur domum, loquemur propinquis; ſed cuncta illicò relinquentes, fecerunt, quod Heliſæus quoque ſub Helia legitur impleſſe.] Hic nihil diſcernit inter vocationem, ac obedientiam Petri, & Andreæ; ſed ambos ſimul vocatos, ſimul obedientes fuiſſe oſtendit. Et meritò. Nàm id elarè conſtat ex Euangelio Matth. 4. 18. [Ambulans Ieſus iuxtà mare Galileæ, vidir duos fratres Simonem, & Andream; & ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuò, relictis retibus, ſecuti ſunt eum.] Ecce ſimul viſi, ſimul vocati, ſimul ſecuti. Et cùm nullus alius antè illos vocatus ſit, neceſſe eſt, illos duos primos vocatos eſſe; etiam ex ſententia Chryſoſtomi. Nee hoc pugnat cum eo, quod antè dixit, Petrum primum vocatũ eſſe. Nàm ſi ambo primi vocati ſunt, reſpectu reliquorum; conſequens eſt, Petrum eſſe vnum ex duobus primis, & hoc ſenſu primum appellari poſſe. Quod etiam dico de Andrea. Nihil ergo proficis ex Chryſoſtomo. Si hanc meam explicationem non admittis, cogeris fateri, Chryſoſtomum ſibiſipſi contradicere. Si ità eſt, cur non liceat mihi vnam partem contradictionis ſequi, ſicut tu alteram ſecutus es?

De Primatu Charitatis.

HActenùs de Primatu vocationis, quem oſtendi, ficititium eſſe. Sequitur Primatus Charitatis, de quo libro primo cap. 5. num. 14. ſic ſcribis: [Petrus primus meritò dicitur, quia cæteros virtute, & potiſſimùm charitate erga Chriſtum ſuperauit. Hanc poſteriorem partem de excellentia charitatis probas dupliciter. Primò, quia Chriſtus, qui erat conſcius, dixit Petro: [Diligis me plùs his?] Secundò, quia multa extant ſigna feruentis illius chariratis; vt quòd Petrus ambulauerit ſuper aquas, vt citius ad Chriſtum perueniret; quòd exerto gladio conatus ſit Chriſtum defendere; quod ex eodem affectu Malchi auriculam amputauerit; quòd ex feruore dixerit: [Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo;] quòd etiam dixerit: [Tu mihi lauas pedes?] quòd dixerit: [Abſit à te Domine: non erit tibi hoc,] ideſt, non morieris.

Reſpondeo. Tu pugnas tecum ipſe, vt ſoles. Nàm alibi aſſeris hæc duo. Primò, quòd Petrus habuerit ſuum Primatum antequam illi dictum eſſet à Chriſto: [Tu es Petrus, & tibi dabo claues (lib. 1. cap. 5. num. 3. in fine.) Secundò, quòd reliqui Apoſtoli magnum honorem detulerint Petro propter Primatum; & Petrus agnouerit ſe ab alijs propter Primatum honorari (cap. 9. num. 2. in fine.) Vnde ſequitur, Primatum Petri, & ipſi Petro, & alijs Apoſtolis fuiſſe cognitum. Vel enim loqueris de interno affectu charitatis, vel de externo ſigno, quæ ſe prodit internus affectus. Si de interno affectu, is non potuit eſſe notus vel ipſi Petro, vel alijs Apoſtolis. Nàm neque Petrus ſciebat, quantus affectus charitatis eſſet in Ioanne; nec Ioannes, quantus eſſet in Petro; & ſic de cæteris. Veriſſimum enim eſt, quod Theologi dicunt: [Eccleſia non iudicat de occultis.] Dices, Chriſtus manifeſtauit internum Petri affectum, cùm dixit: [Diligis me plùs his.] Reſpondeo. Hoc factum eſt poſt reſurrectionem: ergo anteà ſaltem non fuit manifeſtatus. Et tamen anteà ex tua opinione habuit Petrus ſuum Primatum. Habuit enim, vt tu aſſeris, antequam ipſi dictum eſſet: Tu es Petrus.

Si autem loqueris de externo ſigno charitatis, nec ſic quidem poterant reliqui Apoſtoli certo cognoſcere, Petrum habere primatum charitatis. Nàm illa ſigna, quæ à te allata ſunt, non erant ſufficientia ad hoc demonſtrandum. Ratio eſt, quia Chriſtus ferè ſemper reprehendit Petrum, quando huiuſ-

modi

modi ſigna exhibuit. Quod patet inductione. Nàm primò, quando ambulauit ſuper aquas, dictum eſt illi: [Modicæ fidei, quare dubitaſti?] Matth. 14. 31. Secundò, quando exerto gladio, voluit Chriſtum defendere, dictum eſt illi: [Conuerte gladium in locum ſuum. Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.] Matth. 26. 51. Tertiò, quando dixit: [Domioe, tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire. Et, etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo;] reſponſum eſt illi: [Non cantabit hodie gallus, donec ter abneges noſſe me.] Lucæ 22. 34. Quartò, quando dixit: [Tu mihi lauas pedes? Et, nou lauabis mihi pedes in æternum;] reſponſum eſt illi: [Si non lauero te, non habebis partem mecum.] Ioannis 13. 8. Quintò, quaudo dixit: [Abſit à te Domine, non erit tibi hoc;] reſponſum eſt illi: [Vade poſt me Sathanas; ſcandalum es mihi; quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt; ſed ea, quæ hominum.] Matth. 16. 23. Quomodò ergo reliqui Apoſtoli, qui hæc audiebant, poterant certò cognoſcere, Petrum charitate alios omnes antecellere? Certè, ex huiuſmodi increpationibus faciliùs erat ſuſpicari, Petrum habere præpoſterum zelum, quàm ſincerum charitatis affectum; & magis reprehenſione, quàm laude, dignum eſſe.

Taceo, quod diuus Thomas in 1. parte quæſt. 20. artic. 4. ad 3. pro ſua modeſtia non audet definire hanc quæſtionem, an Chriſtus plùs dilexerit Petrum, quàm Ioannem? Item, an Petrus plùs dilexerit Chriſtum, quàm Ioannes? Adfert quidem varias auctorum opiniones; quorum alij aſſerunt, quod Petrus plùs dilexerit Chriſtum in membris; & ideò illi Eccleſia commiſſa ſit: Ioannes plùs dilexerit Chriſtum in ſeipſo; & ideò Mater Chriſti ipſi commeodata ſit. Alij, quòd Petrus plùs dilexerit Chriſtum, quantùm ad feruorem, & promptitudinem; Ioannes verò plùs, quò ad familiaritatē; alij, quod incertum ſit, vter plùs dilexerit illum amore charitatis. Quid ipſe? [præſumptuoſum, inquit, videtur hoc dijudicare, quia, vt dicitur Prouer. 16. 2. Spirituum ponderator eſt Dominus, & non alius.

Quid porrò dicturus ad auctoritatem Hieronymi lib. 1. contra Iouinianum, vbi aſſerit, & multis titulis probat Ioanoem fuiſſe Chriſto chariorem, quàm Petrum? Quid ad Tertulliani libro de præſcriptionibus cap. 22. vbi volens probare, Apoſtolos nihil ignoraſſe eorum, quæ ad ſalutem erant oeceſſaria, ſic ſcribit: [Latuit aliquid Petrum, ædificandæ Eccleſiæ petram dictum, claues Regni Cœlorum conſecutum, & ſoluendi, & alligandi in Cœlis, & in terris poteſtatem? Latuit aliquid Ioannem, dilectiſſimum Domino, pectori eius incumbentem; quem, loco ſuo, filium Mariæ commendauit?] Quibus verbis tribuit Petro præeminentiam poteſtatis, Ioanni prærogatiuam dilectionis.

Sed eſto; Petrus plùs dilexerit Chriſtum, quàm Ioannes: quod non nego. An ideò ſequitur, Primatum Petri, quem Scriptura, & Patres illi tribuunt, in illa dilectionis eminentia conſiſtere? Numquam id probabis. At ego contrarium probabo, Primatum Petri conſiſtere in prærogatiua poteſtatis, & iuriſdictioois: idque ex Scriptura, Patribus, Concilijs, aliundè, vt patebit in ſequentibus capitibus. Nunc concludendo hoc caput hac triplicì aſſertione. Primò: Dubium eſt, an Petrus fuerit ſenior omnibus alijs Apoſtolis, & præſertim Andræa. Non igitur Primatus Petri in prærogatiua ætatis certò conſtitui poteſt. Secundò: Falſum eſt, Petrum priùs tempore vocatum eſſe ad Apoſtolatum, quàm cæteros. Falſus igitur Primatus, qui hoc falſo fundamento nititur. Tertio: Incertum eſt apud bonos auctores, an Petrus plùs dilexerit Chriſtum, quàm Ioannes: Incertum igitur, an habuerit eminentiam charitatis. Etſi certum id eſſet, quod non nego, non ideò certum, Primatum Petri io eminentia charitatis conſiſtere.

CAP. III.

Verus Petri Primatus probatur ex Scriptura.

MVlta ſunt Scripturæ teſtimonia, quibus probari ſolet, Petro commiſſam eſſe totius Eccleſiæ guberoationem à Chriſto. Ego vnicum adducam, quo maximè vtuntur Patres, nimirùm illud Ioannis 21. 17. [Paſce oues meas.] Vbi Chriſtus committit Petro ſuas oues paſcendas. Et quia video te, M. Antoni, hoc teſtimonio valdè premi, & in varias contradictiones abire; ſingillatim explicanda ſunt hæc quatuor: Primò: An ſoli Petro dictum ſit; [Paſce oues meas.] Secundò: Quænam ſint illæ oues: Tertiò: Quid ſignificet paſcere? Quartò: An aliquid peculiare hoc loco conceſſum ſit Petro, præ alijs Apoſtolis? io his punctis conſiſtit tota difficultas.

Prima igitur quæſtio eſt: An ſoli Petro dictum ſit, [Paſce oues meas?] Affirmant Catholici. Et probant primò, ex antiquis Patribus apud Bellarminum lib. 1. de Pontifice cap. 14. Deindè ex ipſo textu. Nam illi dictum eſt, [paſce oues meas,] à quo Chriſtus ter quæſiuit: [Simon Ioannis diligis me plùs his?] At hoc à ſolo Petro ſpecialiter quæſiuit. Soli ergo Petro dictum eſt, [paſce oues meas.] Nec opus eſt, pluribus argumentis id probare, cum tu idem ſentias lib. 1. cap. 3. num. 1. vbi ais: [Hoc loco Chriſtum cum ipſomet Petro loqui ſingulariter, & ei perſonaliter dicere, paſce oues meas, conſtituo tamqua certiſſimum.] Igitur in hoc puncto conuenimus, etiamſi poſteà incipias tuo more, nonnihil vacillare. Diſtinguendæ ſunt tamen illæ duæ particulæ, quas fraudulenter connectis, ſingulariter, & perſonaliter. Priorem concedo; poſteriorem nego; Tametſi enim Chriſtus, cum dixit, [paſce oues meas,] ſoli Petro ſingulariter id dixerit, excludendo reliquos Apoſtolos, quibus id non dixit; non ideò concedendum eſt, ſoli Petro perſonaliter dixiſſe, excludendo ſucceſſores Petri; quia id falſum eſt. Non enim dixit Petro, vt priuatæ perſonæ, ſed vt publicæ, ſicut illud: [Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.]

Secunda quæſtio eſt. Quænam oues commiſſæ ſint Petro ad paſceodum? Catholici docent,

cent, omnes Chriſti oues, ideſt, omnes fideles totius Mundi illi commiſſos eſſe. Tu idem aſſeris num 5. his verbis: [Facilè conſentio ſub verbo: Oues, fideles omnes indefinitè totius Mundi intelligi.] Rectè: ſed minimè conſtans es. Nam paulò poſt, duo alia aſſeris, quæ & cum iſto, & inter ſe pugnant. Vnum eſt, omnes Fideles intelligi, exceptis Apoſtolis. Sic enim ſcribis nu. 6. [Illos tamen probare non poſſum, qui verbis illis, paſce oues meas, Petro, etiam ipſorū Apoſtolorum curam cenſent à Chriſto fuiſſe commiſſum.] Alterum eſt, ſolos Iudęos, ſeu Iſraelitas intelligi. Hoc tradis num. 10. his verbis. [Tertiò dici poteſt, quòd etiam paulò antè attigi, Petro ſingulariter Chriſtum dicere, paſce oues meas, id eſt, Iſraelitas, qui tunc ſoli erant Chriſti oues.

Vide obſecro, M. Antoni, quàm vagus, & incoſtans ſis. Nos conſtanter aſſerimus, omnes fideles etiam Apoſtolos, nomine ouium ſignificari. Quod facilè probari poteſt. Primò, auctoritate Patrum, qui vnanimi conſenſu, id docent. Secundò, ex verbis Chriſti: Nam cùm dixit, [paſce oues meas,] hoc voluit dicere, paſce gregem meum, paſce Eccleſiam meam. At reliqui Apoſtoli ſine dubio pertinebant ad gregem, & Eccleſiam Chriſti. Tertiò, quia Chriſtus non dixit: Paſce has oues, aut illas, ſed ſine vlla reſtrictione, paſce oues meas. Ergo omnes ſuas oues illi commiſit: Ergo, & Apoſtolos. Quod eleganter expreſſit ſanctus Bernardus lib. 2. de conſideratione ad Eugenium cap. 8. [Tu es, inquit, cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sunt quidem, & alij Cœli ianitores, & gregum Paſtores, ſed tu tantò glorioſiùs, quantò, & differentiùs vtrumque præ cæteris nomen hæreditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos: tibi vniuerſi crediti, vni vnus: Nec modò ouium, ſed & Paſtorum tu vnus omnium Paſtor. Vnde id probem, quæris: Ex verbo Domini; Cui enim, non dico, Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum, ſic abſolutè, & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oues? Si me amas Petre, Paſce oues meas. Quas? Illius, vel illius populi, ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? Oues meas, inquit, cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil.] Plura teſtimonia citabo ſequenti capite.

Obijcis: Apoſtoli non indigebant Petro Paſtore. [Ad quid obſecro? Fortaſſe ad ipſorum confeſſiones audiendas? An ad ipſos docendos, & inſtruendos? An ad corrigendos, & puniendos?] Reſpondeo. Vel ironicè hęc quęris, vel ſeriò. Si ironicè, non es dignus reſponſo: Si ſeriò, dicam ſeriò, quod res eſt. Apoſtoli indigebant Petro Paſtore in eum finem, ob quem Chriſtus voluit illum eſſe Paſtorem. Nimirùm vt in Eccleſia eſſet vnum caput viſibile, cui reliqui omes obedirent; & ſic ſeruata, & ſtabilita vnitate capitis, tolleretur occaſio ſchiſmatis, & diſſenſionis, quæ facilè oritur in communitate, in qua non eſt vnum caput, cui cæteri adhæreant, & ſubiecti ſint. An autem indiguerint Paſtore, propter confeſſionem, inſtructionem, aut punitionem, parùm ad rem facit. Non enim neceſſe eſt, omnes, & ſingulos ſubditos huiuſmodi præſidijs indigere. Vtinam nullus indigeret. Vtinam omnes à peccato, ignorantia, & reatu immunes eſſent. Non ideò deſinerent eſſe ſubditi.

Tertia quæſtio eſt: Quid ſignificet illa vox paſcere? Hìc iterùm inconſtans es. Nam num. 4. ais: [Poſſet aliquis, nec fortaſsè immeritò ad ſolam paſturam, ideſt prædicationē reſtringere.] Et citas illud Bernardi lib. 4. de conſideratione cap. 3. [Euangelizare, paſcere eſt.] At num. 5. longè aliter: [Contineat, inquis, in ſe verbum paſcendi quamcumque, & quantumcumque auctoritatem, & poteſtatem, non pugno.] Item non pugno, ſi verbo paſcendi tota poteſtas Eccleſiaſtica claudatur.] Nihil certum, fixumque apud te eſt, mi homo. Dic rotundè, & ſine ambagibus, quid eſt paſcere? Relinque illud, fortaſsè: illud, non pugno, illud, quamcūque, & quantācumque.

Nos ſine fortaſsè aſſerimus, paſcere idem eſſe, quòd officium paſtorale exercere. Nemo ambigit. Officium autem paſtorale includit tres actus principales, vt ex Scriptura patet.

Primus eſt, pabulum præbere, & ad paſcua ducere, Ezech. 34. 2. [Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos: Nonnè greges à paſtoribus paſcuntur?] Et Pſalm. 22. 1. Dominus regit me (Græcè eſt, paſcit me,) & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ, ibi me collocauit.]

Secundus eſt, infirmas oues ſanare, diſperſas colligere, errantes reducere, contra Lupos defendere, Ezechiel. 34. 5. [Diſperſæ ſunt oues meæ, eò quòd non eſſet Paſtor, & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri & diſperſæ ſunt. Errauerunt greges mei, & non erat, qui requireret.] Et infrà verſ. 15. [Ego paſcam oues meas, & ego accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat, requiram, & quod abiectum erat, reducam, & quod confractum erat, alligabo, & quod infirmum fuerat, conſolidabo, & quod pingue, & forte cuſtodiam.]

Tertius eſt, præeſſe, regere, gubernare, iudicare, diſcernere, caſtigare 2. Reg. 5. 2. Tu paſces populum meum Iſrael, ideſt, gubernabis, vt patet ex verbis ſequentibus. Et tu eris Dux ſuper Iſrael. Et Pſalm 2. 9. Reges eos in virga ferrea. Græcè eſt, *poimaneis aytoys*, ideſt, paſces eos. Et Ezech. 34. 17. Vos autem greges mei, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego iudico inter pecus arietum, & hircorum. Et ver. 20. [Ecce ego ipſe iudico inter pecus pingue, & macilentum.]

Vnde ſic concludo: Chriſtus cùm dixit Petro, paſce oues meas, commiſit illi officium paſtorale reſpectu omnium Chriſtianorum (nullum enim, vt dixi, excepit.) Ergo dedit illi poteſtatem exercendi officium paſtorale. Officium autem paſtorale eſt, oues ad paſcua ducere, infirmas curare, diſperſas colligere, inter ſanas, & vitioſas iudicare, contumaces cogere, & ad ouile compellere; Lupos arcere, (quæ omnia, vt patet ex Scripturis citatis, & potiſſimùm ex Ezechiele, non tantùm intelliguntur de Paſtore brutarum ouium, ſed multò magis de Paſtore fidelium.) Ergo Petrus habuit poteſtatem, hæc omnia præſtandi reſpectu omnium Chriſtianorum. Potuit igitur ratione officij paſtoralis, vbique Euangelium prædicare, Sacramenta adminiſtrare, peccantes corrigere, errantes reducere, inter

veram,

veram,& falſam doctrinam diſcernete,ad vnitatem Eccleſiæ compellere, hoſtes arcere, ſiue per ſe, ſiue per alios ſibi ſubordinatos. Et ſic explicant anriqui Patres, quorum verba referemus ſequenri capit.

Quarta quęſtio eſt: An aliquid peculiare conceſſum ſit Petro per illa verba, paſce oues meas, præ alijs Apoſtolis? Tu ais, nihil præ alijs conceſſum illi eſſe: Alios non minùs fuiſſe Paſtores, quàm Petrum. Sic enim ſcribis lib.1. cap. 8. num. 3. [Quamuis veriſſimum ſit, illa verba, Paſce oues meas, ſeorſim ſoli Petro fuiſſe dicta, etiam alijs Apoſtolis præſentibus, nihilominùs in ſolo Petro ea effectum ſuum habuiſſe, dici nullo modo poteſt. Nonnè ipſemet Chriſtus dedit quoſdam quidem Apoſtolos, alios Doctores, & Paſtores? Non ergo ſolus Petrus Paſtor.] Et rursùm num.4. [Priùs omnibus Apoſtolis ſimul cum Petro dictum eſt à Chriſto: ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos: Et poſteà dictum eſt, Petro paſce oues meas. Neque video quomodo affirmari poſſit aliquid ampliùs dari Petro ſeorſim his verbis, quàm datum fuerit cæteris omnibus illis:] Et iterùm num.5. illud contendo, nullam verbo paſcendi contineri poteſtatem, quæ non meliùs, & ampliùs contineatur in illis Chriſti dictis, ſicut miſit me Pater & ego mitto vos. Et illis: Euntes docente, &c.]

Hic planè exorbitas, mi Antoni. Et pugnas non ſolùm cum antiquis Patribus, qui docent Petro plùs datum eſſe, quàm reliquis Apoſtolis, ſed etiam eum Euangelio, & recta ratione. Nam ſi Petro nihil datum eſt ampliùs per illa verba, [Paſce oues meas,] quàm quod antea datum erat per illa; [Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos;] iam nihil noui accepit per illud, Paſce, quod anteà non habuerit meliori, & ampliori modo (vt tu interpretaris) per illud, Mitto vos. Quid ergo neceſſe fuit, Chriſtum vti tot ceremonijs circa Petrum, ſi nihil peculiare voluit illi dare? Quorsùm illa trina interrogatio: [Simon Ioannis diligis me plùs his? Simon Ioannis diligis me? Simon Ioannis amas me?] Quorsùm triplex illa commiſſio: [Paſce agnos meos, Paſce agnos meos, Paſce oues meas?] Otioſè hæc omnia facta eſſe neceſſe eſt, ſi nihil datum eſt Petro, quod anteà datum non fuit. Immò, ſi quod anteà meliori, & ampliori poteſtate datum fuit, poſteà deteriori, & reſtrictiori conceſſum eſt.

Ais, nihil otioſè hic factum eſſe, ſed multa myſteria in hoc vno facto contineri. [Primum, inquis, myſterium eſt vnitatis collegij Apoſtolici, ne ipſum collegium diſſolueretur. Cum enim Petrus ſolus ex duodecim Apoſtolis negaſſet Chriſtum expreſsè, poterant reliqui meritò illum excludere, vitare, abijcere, & conſequenter diſſoluere vnitatem illam Collegij Apoſtolici.] Igitur, ne hoc fieret, dictum eſt Petro, coràm alijs Apoſtolis, Paſce oues meas, id eſt mane in Collegio Apoſtolorum, & fac, quod illi faciunt. Pro hac interpretatione citas Optatum Mileuitanum, & Auguſtinum. Sed mala fide. Nam illi duo, ſicut & alij Patres, multò aliter explicant hoc myſterium vnitatis. Aiunt in eo conſiſtere, quòd Chriſtus voluerit ſeruare vnitatem in Eccleſia, quæ vix ſeruari poteſt, niſi conſtituto vno capite, cui reliqui omnes ſubiecti ſint. Itaque Petrum à Chriſto conſtitutum eſſe, cum illi dictum eſt, Paſce oues meas, id eſt, guberna Eccleſiam meam.

Audiamus Patres. Optatus lib.2. contra Parmenianum, non longè à principio, ſic ſcribit: [In qua (Romana Cathedra) ſedit omnium Apoſtolorum Caput, Petrus. Vnde & Cephas appellatus eſt. In qua vna Cathedra, vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent: Vt iam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram, alteram collocaret. Ergo Cathedra vnica eſt, &c.]

Auguſtinus libro de Paſtoribus cap.13. Immò verò, & in ipſo Petro vnitatem commendauit. Multi erant Apoſtoli, & vni dicitur, Paſce oues meas. Quod clariùs explicat Hieronym. lib. 1. contra Iouinianum, cum ait: Propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio. Et Cyprianus libro de ſimplicitate Prælatorum; Petro poſt reſurrectionem ſuam dicit, Paſce oues meas. Et quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat: ſicut me miſit Pater, & ego mitto vos: Tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem, ſua anctoritate diſpoſuit. Hinc apparet, non ſincerè, ſed fraudulenter à te citatos eſſe Patres, pro myſterio vnitatis, quod commentus es.

Secundum myſterium ſic explicas (ibidem num. 9. in fine) Petro ſoli dictum eſt à Chriſto, Paſce oues meas, quia tum Petrus erat figura, & repræſentabat omnes Eccleſiæ Prælatos: Et vt omnium procurator generalis omnium nomine accepit curam paſtoralem. Et producis Auguſtinum, lib. de Agone Chriſtiano cap.30. & alibi. Sed & tibi, & Auguſtino contrarius es. Tibi quidem, quia paulò ante dicebas, Chriſtum ideò dixiſſe Petro coram alijs Apoſtolis, Paſce oues meas, vt alij non excluderent eum à ſuo Collegio propter peccatum negationis, ſed ſcirent reſtitutum eſſe in ſuum locum. Hoc dicis, ideò factum eſſe, quia Petrus repræſentabat omnes Eccleſiæ Prælatos, & erat generalis Procurator, qui omnium nomine accipiebat curam Paſtoralem. Hæc inter ſe pugnant. Nam ſi Chriſtus loquebatur cum Petro, tamquam cum priuato reo, qui propter priuatum peccatum excludendus erat à Collegio Apoſtolorum, certè non loquebatur cum illo, tamquam cum generali Procuratore, qui omnium nomine curam paſtoralem accipiebat. Non enim cohærent hæc duo. Petro, tamquam priuato reo dicitur, Paſce oues meas: Et Petro, tamquam generali Procuratori dicitur, Paſce oues meas. Similiter Auguſtino contrarius es. Nam ille loco à te citato aſſerit, Petro, vt totam Eccleſiam repræſentanti, dictum eſſe, Paſce. Tu aſſeris lib.1.c.8.n.1. Petro ſingulariter, & perſonaliter dictum eſſe, Paſce. De qua repugnantia dicam iterum cap. 7. §. 21.

Deindè quæro ex te: Si Petrus fuit generalis Procurator omnium Prælatorum, an fuerit omnium Prælatorum abſolutè, etiam Apoſtolorum; an omnium, exceptis Apoſtolis? Si priùs, neceſſe eſt, Apoſtolos non per

Digitized by Google

ſe, ſed per Procuratorem accepiſſe curam paſtoralem. At hoc antea negaſti, aſſerens, eos accepiſſe per ſe, quando ipſis dictum eſt. Mitto vos. Si poſteriùs, ſequitur Petro plus aliquid datum eſſe, quàm alijs Apoſtolis, quod ante negaſti. Nam illi datum eſt, vt eſſet generalis Procurator omnium Prælatorum Eccleſiæ, quod alijs non fuit datum.

Tertium myſterium ſic proponis: [Tertiò dici poteſt, Petro ſingulariter Chriſtum dicere. Paſce oues meas, hoc eſt, Iſraelitas, qui tunc ſoli erant Chriſti oues. Vnde & dicebat Matth. 10.6. Ite ad oues, quę perierunt domus Iſrael, & Matth. 15.24. Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.] At ego hìc nullum video myſterium, ſed mendacium, & ignorantiam. Mendacium eſt, ſolos Iſraelitas fuiſſe tunc Chriſti oues. Nam ipſemet dixit, Ioan. 10. 16. [Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere.] Vbi apertè loquitur de gentilibus. Igitur non ſoli Iſraelitæ, ſed etiam gentiles erant ipſius oues. Et alij quidem iam conuerſi ad fidem Chriſti, vt tres Magi, qui illum in ſtabulo adorauerunt: alij deinceps conuertendi. Miror ignorantiam tuam, ſi hæc neſcis.

Sed eſto: verum ſit, quod falsò aſſeris; Quid obſecro hìc myſterij eſt? Quæram enim, quod ſupra quæſiui, ſi Petro nihil noui collatum eſt per illud, Paſce, quod non priùs collatum erat per illud, Mitto vos, &, Euntes in mundum vniuerſum: Quid neceſſe fuit iterum dicere, [Paſce oues meas?] Tu reſpondes; quia per oues intelliguntur ſoli Iſraelitæ. Magnum ſcilicet myſterium. Immò magnum delirium. Nam ſi antea dictum eſt omnibus, Ite in mundum vniuerſum, & per hoc acceperunt poteſtatem prædicandi Euangelium omnibus Gentibus; certè cum poſtea dictum eſt Petro, [Paſce oues meas,] ideſt, ſolos Iſraelitas, neceſſe eſt, priorem poteſtatem, quæ erat ampliſſima, reuocatam eſſe, & ad ſolos Iudæos reſtrictam. Itàne vero?

Teſtimonia ſcripturæ, quæ adducis, vel non intelligis, vel malitiosè abuteris. Nam initio quidem dictum eſt Apoſtolis: Ite ad oues, quæ perierunt domus Iſrael: ſed poſtea laxata fuit poteſtas, cùm dictum eſt, Euntes in mundum vniuerſum, &c. Illud porrò. Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael, ſic debet intelligi, Chriſtum non eſſe miſſum, vt ſuam præſentiam corporalem, prædicationem, & miracula exhiberet, niſi ad Iudæos; quia illis ſolis, propter fidem Abrahæ, facta eſt promiſſio de aduentu Meſſiæ, vt rectè notat Auguſtinus tract. 31. in Ioannem circa finem: nihilominùs erat etiam miſſus ad gentiles, vt ſuo ſanguine illos redimeret, & per prædicationem Apoſtolorum ad ſuum ouile perduceret. Rom. 10.11. [Non enim eſt diſtinctio Iudæi, & Græci: nam idem Dominus omnium.] Et 2. Corinth. 5. 15. [Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.] Et 1. Timoth. 2. 6. qui dedit Redemptionem ſemetipſum pro omnibus.

Quartum myſterium eſt: [Chriſtus ideò ſeorſim dixit Petro, Paſce oues meas, vt eidem Petro, & qua ſatisfactionem iniungeret erroris trinæ negationis, & ſimul etiam eidem animos adderet, ne ſuis fœdis negationibus nimiùm confuſus, in barathrum deſperationis laberetur.] Pro hoc myſterio citas Auguſtinum, Cyrillum, Nazianzenum, & Chryſoſtomum. Inepte omnia. Primò, quia paſtoralis cura ouium Chriſti, non eſt ſatisfactio erroris, vel culpæ, ſed eſt dignitas Prælati Eccleſiæ. Et, ſi verum eſt, quod in ſecundo myſterio dixiſti, Petrus nomine omnium Prælatorum, tamquam generalis Procurator, accepit hanc dignitatem, ſeu curam paſtoralem. At abſurdum eſt dicere, Petrum nomine omnium Prælatorum ſatisfeciſſe pro ſuo errore trinæ negationis. Nam trina negatio erat ſolius Petri, non aliorum Apoſtolorum, aut Prælatorum.

Deindè, nullum erat periculum deſperationis, vt tu inuidiosè fingis. Nam antequam Chriſtus diceret Petro, [Paſce oues meas,] multa alia præceſſerant, quæ ad depellendam deſperationem abundè ſufficerent. Primò, quia Chriſtus, ſtatim poſt peccatum negationis, benignè aſpexit Petrum (Lucæ 22 61.) Secundò, ex hoc aſpectu ſecuta eſt vera contritio, & pœnitentia Petri (Mat. 26. v. 73.) [Et egreſſus foras, fleuit amarè.] Tertiò, poſt Reſurrectionem ſæpè apparuit Petro: ſemel quidem ſoli, (Luc. 24. 34.) Deindè, Petro & alijs ſimul (Ibid. v. 36.) Quartò, ter dixit illi, & alijs Apoſtolis, Pax vobis (Ioan. 20. 19. & ſeqq.) Quintò, dixit illi, & alijs, [Accipite Spiritum ſanctum. Et, Euntes docete omnes gentes. Et, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſumationem ſeculi.] Quibus omnibus ità confirmatus fuit Petrus, vt in piſcatione, quę facta eſt poſt Reſurrectionem, cum magna fiducia miſerit ſe in mare, vt ad Chriſtum in littore expectantem, natando citiùs perueniret, quàm alij nauigando. (Ioan. 21. v. 7.) Et tu, poſt hæc omnia fingis barathrum deſperationis? Magnam iniuriam illi facis.

Patres, quos citaſti, non aſſerunt, quod tu aſſeris.

Primò, quia nullam faciunt mentionem deſperationis.

Secundò, nec aiunt, ſatisfactionem, ſeu compenſationem, quæ Petro iniuncta eſt propter peccatum trinæ negationis, conſiſtere in eo, [Paſce oues meas,] vt tu comminiſceris; ſed in eo, Diligis me plus his? Nam quia Petrus ter Chriſtum negauerat ex timore, viciſſim exigit ab illo Chriſtus trinam confeſſionem amoris. Sic enim ſcribit Auguſtinus (quem tu citas) tract. 123. in Ioannem: [Redditur negationi trinæ terna confeſſio.] Et ſerm. 49. de verbis Domini; [Vt trina confeſſione amoris deleret trinam negationem timoris.] Eodem modo Cyrillus (quem etiam adducis) lib. 12. in Ioannem cap. 64. [Quoniam Petrus, inquit, ter in tempore paſſionis negauit, iure nunc ab eo terna dilectionis confeſſio petitur, vt terna negatio æquali confeſſionis numero compenſetur.] Igitur hæc tria hic diſtinguenda ſunt: 1. trina negatio; quæ eſt peccatum, 2. trina confeſſio, quæ eſt compenſatio, ſeu ſatisfactio pro peccato, 3. paſtura ouium, quæ eſt præmium, & dignitas Eccleſiaſtica.

Quintum myſterium eſt: [Chriſtus ideò cum ſolo Petro locutus eſt, & ſeorſim illi paſturam ouium commendauit, quia ſicut ipſe præ-

præcipuus erat ex vodecim; ità præcipuam curam prædicatinnis ipſi commiſit, qui maximè omnium, qui tunc aderant, debebat in ipſius Domini vinea laborare.] Pro hoc myſterio citas Leonem, Gelaſium, Nicnlaum, & Laufraneum.

Hìc aliquid verè aſſeris ex Patribus, aliquid affingis ex tun capite. Verum eſt, Petrum fuiſſe præcipuum Apoſtolorum, & paſtuam nuium illi enmmendatam: Falſum eſt, illam Petri eminentiam pnſitam fuiſſe io eo, quòd maximè omnium, qui tuoc aderant, debuerit in vinea Domini laborare. Hoc enim iorelligis de labore itineris, prædicationis, & aduerſitatis, in quo conſtat Paulum præ exteris excelluiſſe (2. Cntinth. 11. v.23.) Et ideò, vt relinqueres Paulo hanc prærogatiuam, dixiſti, Maximè nmnium, qui tunc aderant.

De hoc labore nihil dicunt citati à te Patres. Nam Leo epiſt.87. ad Epiſcopos Prouinciæ Vienneoſis, ſic ſcribit: [Cui, cum præ cæteris ſoluendi, & ligandi poteſtas tradita ſit, paſceudatum tamen ouium cura ſpecialiùs mandata.] Et ſerm. de Aſcenſinne; [Beato Apoſtoln Petro ſupra exteros, pnſt regni claues, ouilis Dominici cura demandatur.] Hic notandæ ſunt iſtæ particulæ, [Præ cæteris, &, ſupra exteros,] quæ nnn ſignificant, vt tu falsò aſſeris, Petrum præ ceteris, vel ſupra cæterns debuiſſe laborare, exceptn Paulo: Sed illi præ cæteris, & ſupra cetætos traditam eſſe poteſtatem ligandi, & demandatam curam Eccleſiæ. Quod etiam aſſerunt reliqui Patres à te citati.

Vide nunc, Marce Aotoni, quid myſterij lateat in tuis myſterijs, quæ lectori obtrudis. Nihil aliud ex illis eollign, niſi tuam iocooſtantiam, mendacium, contradictinnem. Deinceps videamus, quid antiqoi Patres, quorum auctoritatem ſimulas re magnificare, ſentiant de Primatu Petri. Ne tamen ex ijs, quæ à te allata ſunt, videar aliquid prætetjiſſe, reſpondendum eſſe ad illud, quod obijcis ex Apoſtoln, Epheſ. 4.11. [Et ipſe dedit quidem qunſdam Apoſtolns, qunſdam autem Prnpheras, alins verò Euangeliſtas, alins autem Paſtores.] Hinc infets, nnn ſolùm Petrum fuiſſe Paſtorem, ſed etiam alios. Facilis reſponſio. Plures ſunt Paſtores particulariom Eccleſiarum: Vnus eſt paſtor Eccleſiæ vniuerſalis, nempè Chriſtus, & eius loco, Petrus, vel Succeſſor Petri. Vnde vneatur Paſtnr paſtnrum, vt ſuprà dixi ex Bernardo, & capit. ſequenti iterum dicturus ſum.

CAP. IV.

Primatus Petri probatur ex Patribus.

ANtiqui Patres tam elatè, diſertè, & rotundè loquuntur de Primatu Petri, vt elatiùs, diſertiùs, & rotundiùs loqui non poſſint. Nam aliqui expreſsè voeant illum Vicarium Chriſti, vt Ambroſ. ad cap. 24. Lucæ. Anſelmus ad eap.16. Matthæi Bernard. lib.2. de conſideratione ad Eugenium. Gennadius Scholatius, de Primatu Papæ. Sect. 2.

Alij Caput Eccleſiæ, vt Hieronymus in Pſalm. 13. Chryſoſtomus homil. 11. in Matthæum, Philo Carpathins in cantica.

Alij Caput fidelium, & Paſtorem Gregis Dominici, vt Auguſtinus (vel quiſquis auctor eſt) io lib. quæſtionum Veteris, ae noui Teſtamenti, qu. 75.

Alij Caput omnium Apoſtolorum, vt Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianum, Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioannem cap. 64.

Alij Principem Apoſtolorum, vt Cyrillus Hierſolymitanus catech. 2. & 11. Baſilius in Proœmin præceptionum latiùs diſputatarum, Hieronymus in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum.

Alij Paſtorem paſtorum, vt Eucherius Lugdunenſis in Vigilia ſancti Petri, Bernard. lib. 2. de conſideratione ad Eugenium.

Alij Coryphæum Apoſtnlnrum, vt Dorotheus Tyrius io Synopſi, Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 142. Andreas Cæſarieoſis ad cap. 13. Apocal.

Alij verticem Apnſtnlnrum, vt Origenes hom. 2. io diuerſns locos nnui Teſtamenti, Chryſnſtnm. in Hom. in Petrum Apoſtolum, & Heliam Prophetam.

Alij Apicem Apoſtnlorum, vt Cyrillus Alexandrinus lib. 14. theſauri cap. 2.

Alij Antelignanum Apoſtolorum, vt Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 58.

Alij petram, & Crepidinem Eccleſiæ Catholicæ, & rectæ fidei fundamentum, vt Synodus Chalcedonenſis act. 3.

Alij Principem Eccleſiæ Chriſtiannrum, vt Ephrem Syrus, ſerm. de transfiguratinne Domini.

Alij Ducem Diſcipulorum Chriſti, vt Epiphanius Hæreſi 51.

Ecce, qui & quanti tituli ſoli Petro præ alijs tribuuntur. Quns tu quidem lib. 1. eapit. 4. & 5. agnoſeis, quia negare non potes; ſed tamen reſpnndes hoc modo:

Primò, Titulum Vicarij perfectiſſimè conuenire Spiritui S. quem Chriſtus ſuo loco miſit poſt Aſcenſinnem.

Secundò, Eumdem conuenire etiam Apoſtolis, ſed nnn magis Petto, quàm alijs.

Tertiò, Titulum Principis Apnſtnlorum communem eſſe Petro, & Pauln.

Quartò, Reliquos titulns quotquot ſuot, conceſſns eſſe Petro propter Primatum ætatis, vocationis, & charitatis; non autem propter primatum poteſtatis, aut iuriſdictinnis. Hæc tria poſterinra diſcutieoda ſunt. Nam primum, de Spiritu ſancto iam antè reſutatum eſt.

Prima ergo quæſtio eſt: An omnes Apoſtnli æquè fuerint Vicarij Chriſti, ità vt Petrus in hoc officio oullam prætogatiuam habuerit præ alijs? Tu affirmas cap. 4. num. 3. & ſeqq. At falsò. Nam etſi reliqui Apoſtoli fuerint etiam Vicarij Chriſti (quod non negn) non tamen ex officio fueruot illius Vicarij in regimioe totius Eccleſiæ, ſicut Petrus, Petro tota Eeeleſia, totum ouile, omnes Chriſti oues commiſſæ ſunt; reliquis non item. Quod tameſi præcedenti eapite ſatis probatum ſit, hic tamen obiter probandum eſt ex Patribus, quorum auctoritate eontra nos pugnas.

Igitur, Anſelmus Archiepiſcopus Cantua-

ſuarienſis (quem Anglia meritò veneratur) ad cap. 16. Matthæi, ſic ſcribit: [Eam poteſtatem, ideò vni Petro conceſſit ſpecialiter, vt ad vnitatem nos inuitaret. Ideò enim eum Principem Apoſtolorum inſtituit, vt Eccleſia, quaſi vnum principalem Vicarium Chriſti haberet, ad quem diuerſa Eccleſiæ membra recurrerent, ſi fortè inter ſe diſſentirent. Quoniam ſi diuerſa eſſent capita in Eccleſia, vnitatis vinculum rumperetur per diuerſa ſchiſmata.] Quid clariùs dici poterat? aut quæ efficacior ratio ad perſuadendum adhiberi?

Et ſanctus Bernardus lib. de conſideratione ad Eugenium: [Indè eſt, quòd Petrus altera vice, inſtar Domini, gradiens ſuper æquas, vnicum ſe Chriſti Vicarium deſignauit, qui non vni populo, ſed cunctis præeſſe deberet.] Ecce, Petrum vocat vnicum Chriſti Vicarium, non quòd reliqui Apoſtoli non fuerint Vicarij, ſed quòd non fuerint generales Vicarij reſpectu totius Eccleſiæ, ſicut Petrus. Plura teſtimonia paulò poſt citabo.

Sed obijcis alios Patres. Primò Auguſtinum lib. 2. contra Gaudentium, cap. 12. vbi citans illud Chriſti ad Apoſtolos act. 1.8. [Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in totam Iudæam, & Samariam, & vſque ad terminos terræ, ſic ſcribit; Hoc tantò tenaciùs, quantò poſteriùs audientium mentibus fixit. Hanc ſponſam ſuis amicis ſponſus abiens commendauit.] Ex his verbis colligis primò, Chriſtum in ſuo diſceſſu ex hoc mundo, commiſiſſe Apoſtolis officium prædicandi Euangelium in totum mundum. Secundò, omnes, & ſingulos Apoſtolos indifferenter accepiſſe curam totius mundi abſque vlla limitatione. Tertiò, Eccleſiam, quæ Chriſti ſponſa eſt, æquè omnibus Apoſtolis, tamquam Vicarijs, à Chriſto commendatam. Quartò, Petro nihil ampliùs præ cæteris collatum eſſe.

Reſpondeo. Erras primò in citatione, Auguſtinus non habet illa verba loco à te citato, ſed lib. 3. cap. 20. Deindè erras in reipſa: nam etſi eo loco, & tempore nihil peculiare Petro collatum ſit præ alijs Apoſtolis, tamen iam antea fuerat illi collata præfectura totius ouilis Chriſti per illa verba, [Paſce oues meas.] Et prætereà, firmitas, ſeu conſtantia fidei in ipſo, & ſucceſſoribus per illa. [Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.] Neque neceſſe eſt, omnia vno loco & tempore conferri. Alioqui ſequeretur Apoſtolis nihil aliud collatum eſſe à Chriſto, quàm officium prædicandi; non autem officium baptizandi, & remittendi peccata. Nam in ſuo diſceſſu ex hoc mundo, quando dixit, Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, non fecit mentionem baptiſmi, aut clauium, ſed tantùm prædicationis Euangelij.

Quod addis, Chriſtum in diſceſſu ſuo, omnibus, & ſingulis Apoſtolis indifferẽter dediſſe curam totius mundi, abſque vlla limitatione, falſum eſſe. Nam vt dixi, per illa verba [Eritis mihi teſtes,] ſolùm commiſit illis officium prædicandi; non autem officium gubernandi Eccleſiam: Ergo ex illis verbis non poteſt colligi, omnes Apoſtolos in gubernatione Eccleſiæ fuiſſe æquales. Deindè ſenſus verborum Chriſti non eſt, vt ſinguli Apoſtoli, nullo ordine, aut reſpectu, prædicarent Euangelium per totum terrarum Orbem (quia hoc moraliter fuiſſet impoſſibile) ſed vt ſinguli, facta diſtributione, ſingulas partes peragrarent; Et ſic ab omnibus, non tamen à ſingulis, Euangelium toto Orbe promulgaretur. Idque fieret, partim per ipſos Apoſtolos, partim per ipſorum ſucceſſores. Quod etiam euentus docuit. Nam poſt aliquot annos à Chriſti diſceſſu, facta eſt diuiſio Apoſtolorum, & ſingulis certa ciuitas, vel Prouincia, vel Regnum aſſignatum. Solus Petrus habebat generalem curam vniuerſalis Eccleſiæ, vt iam ſæpè ex Patribus oſtendi, ac deinceps oſtenſurus ſum.

Nec aliter fieri potuit. Nam ſicut Chriſtus dixit; [Eritis mihi teſtes vſque ad terminos terræ;] ità anteà dixerat, [Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine Patris &c.] At hoc non potuit ſic intelligi, quòd ſinguli debuerint id præſtare; alioqui ſi vnus prædicaſſet Euangelium, & baptizaſſet omnes in vniuerſo mundo, quid reliqui eodem tempore feciſſent? An eoſdem iterum baptizaſſent? Nullo modo. Eſt ergo, non coniunctim, ſed diuiſim intelligendum, hoc modo: Ite diuiſi in diuerſas partes mundi, & vnus hìc, alius alibi prædicet Euangelium, baptizet, & ſimilia officia exerceat. Noſti ſimile exemplum in noſtra Societate. Mittimur in vniuerſum Orbem terrarum: non vt ſinguli vniuerſum occupent, ſed vt quiſque in certo loco ſibi aſſignato, obeat officium hominis religioſi. Neque valet hæc conſequentia: Omnes ſacerdotes Societatis habent poteſtatem eundi in vniuerſum mundum, & vbique Euangelium prædicandi: Ergo omnes ſunt inter ſe æquales, & Præpoſitus generalis nihil plus habet, quàm reliqui. Similis eſt conſequentia, quam tu facis de Apoſtolis.

Secundò obijcis Ambroſium, qui in Pſal. 38. ſic ſcribit: [Aſcende ergo homo in Cœlum, & videbis verum illum, & æternum, atque perpetuum Sacerdotem, cuius hìc imagines videbas, Petrum, Paulum, Ioannem, Iacobum, Matthæum, Thomam. Hinc inferს, non ſolum Petrum, ſed omnes Apoſtolos æquè repræſentaſſe Chriſtum; ac proindè, æque fuiſſe Vicarios Chriſti. Reſpondeo. Verum eſt, quod dicit Ambroſius: Falſum, quod tu infers. Nam omnes Apoſtoli, quatenùs erant Sacerdotes, fuerunt imagines Chriſti, ſupremi, & æterni Sacerdotis. Idem dici poteſt de omnibus alijs Sacerdotibus Noui Teſtamenti. Omnes ratione ſacerdotij ſunt imagines Chriſti. An ideò omnes æquales? Ne tu quidem hoc dixeris. Nam fateris Epiſcopos, ex diuina Chriſti inſtitutione, maiores, ac eminentiores eſſe Presbyteris.

Sed vt planiùs conſtet de mente Ambroſij, ponam antecedentia ipſius verba, quæ ſic habent; [Primùm igitur vmbra præceſſit; ſecuta eſt imago; erit veritas. Vmbra in lege: imago verò in Euangelio: veritas in cœleſtibus. Vmbra Euangelij, & Eccleſiæ in Lege: imago futuræ veritatis in Euangelio: veritas in iudicio Dei.] Hæc eſt Theſis Ambroſij, ſub qua theſi deſcendit ad hanc hypotheſin: Sacerdotes legis Moſaicæ erant vmbræ reſpectu Chriſti: Sacerdotes Euangelij

ſunt

ſunt imagines reſpectu eiuſdem : Chriſtus in Cœlo eſt veritas . Nempè, in ratione ſacerdotij . At, ſicut hinc non ſequitur, omnes Sacerdotes legis Moſaicæ fuiſſe inter ſe æquales, ità nec ſequitur, omnes Sacerdotes Euangelij inter ſe eſſe æquales . Et viciſſim , ſicut omnes Sacerdotes Moſaici fuerunt vmbræ Chriſti; Et tamen, eo non obſtante, Pontifex erat maior alijs; ità omnes Sacerdotes Euangelici ſunt imagines Chriſti; & tamen, eo non obſtante , Pontifex eſt maior alijs . Si hæc exempla non ſufficiunt, dabo aliud . Conſtat ex Scriptura , hominem creatum eſſe ad imaginem Dei, Geneſ.1.26. Et hoc ſenſu omnes homines appellari poſſe imagines Dei . An hinc inferes , omnes in poteſtate , & iuriſdictione inter ſe eſſe æquales , nec plùs habere Reges, & Principes, quàm alios ? Abſit . Hæretica , & ſcandaloſa eſſet hæc illatio .

Tertiò obijcis eundem Ambroſium , qui alibi omnes Apoſtolos expreſsè vocat Vicarios Chriſti , vt in cap.1. Epiſt. ad Rom. & in cap.3. prioris ad Corinth. Reſpondeo. Nemo hoc negat. Sed quæſtio eſt, an omnes eodem ſenſu , & æquali poteſtate ſint Vicarij Chriſti ? Si hoc aſſereret Ambroſius, pro te eſſet . At contrarium aſſerit . Nam in cap.12. poſterioris ad Corinth. ſic ſcribit: [Prior ſecutus eſt Andreas Saluatorem , quàm Petrus : Et tamen Primatum non accepit Andreas, ſed Petrus .] Non ergo omnes Apoſtoli æquales , vt tu fingis . Nam Petrus accepit Primatum , quem Andreas non accepit . Et ſerm.46. de pœnitentia Petri in fine : [Videte ergo quantùm fletus profuerit Petro . Antequam fleret, lapſus eſt: poſtquam fleuit, electus eſt . Et qui ante lachrymas præuaricator extitit, poſt lachrymas paſtor aſſumptus eſt: Et alios regendos accepit, qui priùs ſeipſum non rexit .] Ecce , Petrus poſt fletum electus eſt . Sed ad quid electus ? Non ad Apoſtolatum, quia iam anteà erat Apoſtolus. Ad quid ergo? Ad officium Paſtoris; ad regimen aliorum . Hoc ergo anteà non habuit . Nec igitur reliqui Apoſtoli , qua Apoſtoli , id habebant . Solus igitur Petrus habuit .

Quartò obijcis Chryſoſtomum , Hom.11. in poſter. ad Corinth. vbi explicans illum verſiculum Pauli , [Pro Chriſto legatione fungimur , ſic ſcribit : Miſit filium Pater exhortari , & legatione fungi apud humanum genus pro ſe ; Quoniam autem ille occiſus abijt, nos legationem ſuſcepimus, & pro illo, & Patre, exhortamur vos . Et infrà . Igitur pro Chriſto legatione fungimur , ideſt , illius loco . Nam nos, quæ illius officij ſunt, ſuſcepimus.] Ex vtroque teſtimonio ſic argumentaris; Legatus repræſentat ſuum principalem, & ab eo immediatè mittitur , & vices ipſius , vbi ille abeſt, ſupplet. Omnes, & ſinguli Apoſtoli ſunt tales . Omnes igitur, & ſinguli ſupplent vices Chriſti ; nec magis Petrus, quam reliqui .

Reſpondeo . Hoc teſtimonium contrà te ipſum profers . Primò , quia Chryſoſtomus ſupponit Chriſtum in hac vita per ſeipſum exercuiſſe officium Capitis, Paſtoris , Monarchæ: & poſteà id feciſſe per Vicarios . At tu negas Chriſtum in hac vita fuiſſe caput Eccleſiæ, aut exercuiſſe vllum officium Capitis, vt lib.1. cap.1, & ſeqq. oſtenſum eſt .

Secundò, Chryſoſtomus dicit , non ſolum Apoſtolos , ſed etiam Chriſtum legatione functum eſſe pro Deo : & tamen agnoſcit Chriſtum eſſe maiorem legatum , quàm Apoſtolos . At tu , ex eo , quia Apoſtoli fuerunt legati Chriſti , inſers , omnes æquales fuiſſe in Legatione , quod Chryſoſtomus non inſert . Alioqui etiam Chriſtus fuiſſet æqualis Apoſtolis .

Tertiò , Chryſoſtomus dicit , Apoſtolos ſuſcepiſse, quæ erant officij Chriſti . Vel hoc interpretaris abſolutè dictum eſse , vel cum limitatione . Si abſolutè , falſum eſt . Nam Apoſtoli non ſuſceperunt omnia , quæ erant officij Chriſti, officium enim illius fuit, redimere genus humanum , & inſtituere Sacramenta . Hoc Apoſtoli non ſuſceperunt . Si cum limitatione, verum quidem eſt , ſed contrà te . Nam ſi Apoſtoli non ſuſceperunt omnia, quæ erant officij Chriſti , ſed aliqua tantùm : non poteſt inferri , quod tu inſers, omnes in legatione fuiſse æquales . Fieri enim potuit, vt alij plura, alij pauciora ſuſciperent . Vel, vt alij cum maiori, alij cum minori limitatione ſuſciperent , quæ erant officij Chriſti . Habemus exemplum notiſſimum Legati Apoſtolici, qui à Pontifice mittuntur in prouincias, verè ipſius Legati ſunt; ſed cum limitatione accipiunt, quæ ſunt officij Pontificis: & alius plùs , alius minùs accipit . Non enim omnes æquales ſunt . Idem dico de Legatis Regum , & Imperatorum . Omnes quidem Legati ſunt , ſed alius cum maiori poteſtate fungitur legatione ; alius cum minori . Res nota eſt .

Tertia quæſtio eſt . An titulus Principis Apoſtolorum communis ſit Petro , & Paulo ? Tu aſſirmas lib.1. cap.5. num.2. Et probas ex Hieronymo, & quibuſdam alijs, qui Petrum , & Paulum vocant Principes Apoſtolorum . Reſpondeo . Verum eſt : ſed longè alio ſenſu. Nam quando Petrus ſeorſim vocatur Princeps Apoſtolorum, tunc intelligitur eſſe Princeps reſpectu omnium Apoſtolorum, etiam reſpectu Pauli , quia reſpectu omnium habet curam, & gubernationem paſtoralem. Nemo enim excipitur ab eo , quod illi dictum eſt : [Paſce oues meas . Quando autem Petrus, & Paulus ſimul vocantur Principes Apoſtolorum, hoc intelligendum eſt, non de vero Principatu , aut gubernatione paſtorali ; ſed de eminentia laborum , ac moleſtiarum, in quibus illi duo præcelluere . Itaque magna eſt differentia inter Petrum, & Paulum . Primò, quia Petrus duplici titulo vocatur Princeps Apoſtolorum: tum propter eminentiam poteſtatis , ſeu præfecturæ ; tum propter eminentiam laboris . At Paulus poſteriori tantùm . Secundò, Petrus, & ſeorſim ſolus , & coniunctim cum Paulo vocatur Princeps . At Paulus ſeorſim numquam; quod benè notandum eſt . Vndè Hieronymus, quem tu citas, quando de vtroque ſimul loquitur , appellat Principes Apoſtolorum : quando ſeorſim de alterutro, Petrum quidem vocat Principem Apoſtolorum, non tamen Paulum ; vt patet in cathalogo de ſcriptoribus Eccleſiaſticis .

Idem confirmo ex alijs Patribus . Nam Cyrillus Hieroſolymitanus catech.11. ſic habet : [Omnibus Apoſtolis reticentibus, Petrus Princeps Apoſtolorum , & ſuprcmus Eccle-

Digitized by Google

cleſiæ Præco dicit ad ipſum. [Vbi Petrum vocat Principem reſpectu omnium Apoſtolorum; & vt clariùs explicet, quo ſenſu ſit Princeps, ait eſſe ſupremum Eccleſiæ Præconem. De Paulo id nunquam inuenies.

Et Ephrem Syrus in ſerm. de traosfiguratione Domini; [Sicut Moyſes Societatis illius, & coniunctionis Hebræorum, iuſſu Dei, Princeps fuit: Ità Petrus Eccleſiæ Chriſtianorum. Atque, vt ille Veteris, ità hic noui Teſtamenti Princeps. Pulchra collatio, & ad noſtrum inſtitotum accommodata. Conſtat autem Moyſen fuiſſe Principem Hebræorum, ratione poteſtatis, & iuriſdictionis. Ergo eodem ſenſu, Petrus fuit Princeps Chriſtianorum. Quis hoc vmquam dixit de Paulo?

Et Caſſianus lib.3. de incarnatione Domini cap.12. [Interrogemus ſummom illum, & inter Diſcipulos Diſcipulum, & inter Magiſtros Magiſtrum, qui Romanæ Eccleſiæ gubernaculum regens, ſicut fidei habuit, ità & Sacerdotij Principatum. Dic nobis ergo, dic nobis Princeps Apoſtolorum Petre.] Hic etiam Petrus vocatur Princeps Apoſtolorum, quia erat ſummus inter Apoſtolos, & præ alijs habebat Sacerdotij Principatum. De Paulo, nihil eiuſmodi.

Et Maximus Conſtantioopolitanus Patriarcha in Epiſtol. ad Orientales: [Hunc enim ex cæteris mortalibus de toto Orbe Conditor Orbis elegit, cui Cathedram Magiſterii principaliter poſſidendam tenere, perpetuo priuilegij iure conceſſit.] Vbi vides, Petrum ideò vocari Principem omnium Apoſtolorum, quia principaliter poſſidet Cathedram Magiſterij, quæ illi perpetuo priuilegij iure conceſſa eſt. At nullum eſſet Priuilegium, ſi non principaliter, ſed æqualiter cum alijs Apoſtolis illam Cathedram poſſideret.

Et Leo Imperator, dictus Sapiens, in ſerm. de Petro: [Poſt reſurrectionem ter Petrum Dominus percunctatus, an ab eo diligeretur, Principem Apoſtolorum conſtituit. Et paulò poſt. Petrus verò, cùm intelligeret, Principatum eum magnum eſſe, & magnis indigentem viribus, videretque Ioannem ſequentem, illum dico, quem Ieſus vehementer amabat: Hic, inquit, quid? Quod perinde erat, quaſi diceret; Mene præfici vis Caput Diſcipuli? Hunc verò à te dilectum, qui voluit ſedere ad dextram; hunc, inquam, quid facere iubes? Et iterum; Tu me ſequere, ideſt, ſequere me hoc baculo paſtorali; & ſicut ego, cum eram vobiſcum, ſeruabam vos, vt Pater, & Caput, & Magiſter, vigilans pro vobis; ſic tu eſto meo loco, & ſequere me Principatu, ac poteſtate tua fratres tuos confirmans. Te enim volo eſſe meo loco. Vndè manet in hodiernum vſque diem Petrus ſequens Chriſtum in ſucceſſore ſuo. Magnum hoc teſtimonium.

Et Hugo Victorinus ſerm. 64. de Apoſtolis Petro, & Paulo: [Petrus cæteris eminet excellentia poteſtatis; Paulus excellentia prædicationis. Petrus Sol; Paulus, Luna. Petrus Sol, per collatam ſibi diuinitùs potentiam; Paulus Luna, per collatam ſibi cœlitùs ſapientiam. Et infrà. Petro ſoli inter cæteros, & præ cæteris à Domino cura paſtoralis principaliter, & ſpecialiter iniuncta eſt, vbi dicitur; Paſce agnos meos. Hæc ſufficiant de titulo Principis, qui aliter Petro, aliter Paulo conceſſus eſt.

Quarta quæſtio; An reliqui tituli (ſ.r. enumerati) conceſſi ſint Petro propter Primatum ætatis, vocationis, & charitatis; an verò propter Primatum poteſtatis, & iuriſdictionis. Tu aſſeris priorem partem; ego poſteriorem. Nec opus eſt nouis Argumentis. Iam ante oſtendi, Primatum ætatis, vocationis, & charitatis, vel incertum, vel fictitium eſſe. Primò quia incertum eſt, an Petrus fuerit ætate ſenior, quàm omnes reliqui Apoſtoli. Secundò, falſum eſt, vocatum eſſe ad Apoſtolatum antequam reliqui vocarentur. Tertiò, de Primatu charitatis diuerſæ ſunt auctorum opiniones. Alij tribuunt illum Petro; alij Ioanni.

Deindè, multi ex ſupradictis titulis, plùs aliquid ſignificant, quàm prærogatiuam ætatis, aut vocationis. Sunt enim duplices tituli. Aliqui tribuuntur Petro reſpectu aliorum Apoſtolorum, Princeps, Caput, Coryphæus, Apex, Vertex, Anteſignanus. Alij reſpectu Chriſti, vel totius Eccleſiæ, vel omnium fidelium; vt cum dicitur Vniuerſalis Vicarius Chriſti, Caput, & Princeps Eccleſiæ, Caput fidelium, Paſtor gregis Dominici. Priores fortè poſſent illi accommodari propter Primatum ætatis, & vocationis, quem tu fingis; non tamen poſteriores. Hoc oſtendam in Exemplo à te allato. Dicis Petrum fuiſſe quaſi primogenitum inter Apoſtolos; ac proindè, ſicut quilibet alius primogenitus ratione ætatis poteſt vocari Caput, aut Princeps ſuorum fratrum; ſic etiam de Petro ſtatuendum eſſe. Sit ita. At viciſſim ego retorqueo; Sicut ex eo præcisè, quòd aliquis eſt primogenitus inter fratres, non poteſt vocari Caput, aut Princeps Reipublicæ, Caput, aut Princeps ciuium, Vicarius Regis, aut Imperatoris; Sic in ſimili caſu, ex eo præcisè, quòd Petrus eſt primogenitus inter fratres ſuos Apoſtolos, non poteſt vocari Caput Eccleſiæ, Princeps fidelium, Vicarius Chriſti. Alia ergo cauſa eſt horum titulorum, quàm prærogatiua ætatis, & vocationis.

Deindè falſum eſt, Patres non agnouiſſe alium Primatum in Petro, quàm qui à te fingitur. Primò, quia aliqui, vt ex dictis patet, negant illum fuiſſe ſeniorem ætate, & vocatione. Ergo illi ſaltem, vel agnoſcunt alium Primatum, vel nullum. Vtrumque contrà te eſt. Secundò, verba ac ſententiæ Patrum non ſaluantur per Primatum ætatis, & vocationis. Audi quid ſcribant, & quomodò loquantur.

Chryſoſtomus Hom. 80. ad populum Antiochenum, ante medium; [Nonne, inquit, ter Petrus negauit? Nonne cum iuramento ter? Quid ergo? Multumne temporis fuit illi neceſſarium ad pœnitentiam? Nequaquam. Sed eadem nocte lapſus eſt, & ſurrexit. Poſt illum enim granem caſum, (negationi namque nullum eſt malum æquale) rurſùm eum ad priorem honorem reduxit pœnitentia, & ei per

totum

Digitized by Google

totum Orbem terrarum Eccleſiæ præſidentiam tradidit.

Et orat.5. aduerſus Iudæos, longè ante medium; Petrus poſt illam nefariam abiurationem, quoniam celeriter ſuum ipſius peccatum recordatus eſt, nulloque accuſante, dixit peccatum, fleuitque amarè; adeò abluit illam negationem, vt etiam Primus Apoſtolorum fuerit factus, ac terrarum Orbem totum ſubiecerit.

Hæc duo teſtimonia non poſsunt intelligi de Primatu ætatis, aut vocationis; quia illum Primatum, vt tu ipſe fateris, habuit Petrus ante peccatum negationis, per hoc præcisè, quòd eſset ſenior ætate, & primus à Chriſto ad Apoſtolatum vocatus; Sed debent intelligi de Primatu, qui poſt factam pœnitentiam Petro conceſsus eſt, vt ex verbis Chryſoſtomi conſtat. Quis autem Primatus ille ſit, colligi poteſt ex duabus illis particulis. Primò; [Eccleſiæ Præſidentia per totum terrarum Orbem. Secundò; [Subiectio totius Orbis terrarum.] Porrò hic Primatus, qui tunc illi datus eſt, diſtingui debet ab honore, ad quem ait Petrum reductum eſse per pœnitentiam.

Eodem modo, ac ſenſu loquitur Maximus Taurinenſis (qui vixit circa tempora Auguſtini) Homil.3. in natali Apoſtolorum Petri, & Pauli; Quanti, inquit, meriti apud Dominum ſuum Petrus erat, vt ei poſt naiculæ paruæ remigium, totius Eccleſiæ gubernacula traderentur? Certè, per gubernacula totius Eccleſiæ non ſignificatur Primatus ætatis, aut vocationis, ſed dignitatis, & iuriſdictionis. Nec video, quomodò clariùs explicari poſſit poteſtas iuriſdictionis, quàm hìc explicata eſt: Nam perindè eſt, ac ſi dicas in ſimili caſu; potiùs Imperij gubernacula Matthiæ Auſtriaco tradita ſunt. Vel totius Regni Galliæ gugubernacula Ludouico Vndecimo tradita ſunt. Quis hic locus dubitandi, aut tergiuerſandi?

Similiter Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum: [Inter duodecim vnus eligitur, vt Capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio. Sed cur non Ioannes electus eſt virgo? ætati delatum eſt, quia Petrus ſenior erat, ne adhùc adoleſcens, ac penè puer progreſſæ ætatis hominibus præferretur.] Hinc tria colligo.

Primò, ſolùm Petrum ex duodecim Apoſtolis electum eſſe in Caput Eccleſiæ. At ſi electus ex duodecim Apoſtolis, iàm anteà non erat ratione ætatis, & vocationis. Aut ſi anteà erat, electus non eſt.

Secundò, ideò electum eſſe, vt conſtituto Capite, ſchiſmatis tolleretur occaſio. Ergo non eſt electus pro ſua tantùm perſona, ſed etiam pro ſucceſſoribus, quia ſi tempore Apoſtolorum, quando Eccleſia erat exigua, debuit eſſe vnum Caput ad vitandum ſchiſma, multò magis poſt tempora Apoſtolorum, quando Eccleſia fuit diffuſa per totum Orbem terrarum.

Tertiò, ideò potiùs Petrum, quàm Ioannem electum eſſe in Caput, quia non decebat Ioannem penè puerum præferri ſenioribus. Certè ſi Hieronymus putaſſet, quod tu fingis, Primatum Petri in eo ſolùm conſiſtere, quòd reliquis ætate, & vocatione ſenior eſſet; vel fruſtrà, vel ſtultè quæſiuiſſet, quare Ioannes non eſſet electus ad Primatum? ideſt, quare no eſſet electus, vt fieret ſenior ætate, & vocatione?

Item Leo Papa (qui propter doctrinam, & virtutem dictus eſt Leo Magnus) ſerm. 3. de Aſſumptione ſua ad Pontificatum: [Vnus de toto mundo Petrus eligitur, qui & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur; vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit, & Chriſtus.]

Et epiſt. 87. ad Epiſcopos Prouinciæ Viennenſis, cap. 1. [Sed huius muneris Sacramentum, ità Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret: Vt ab ipſo, quaſi quodam Capite, dona ſua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem ſe myſterij diuini intelligeret eſſe, qui auſus fuiſset à Petri ſoliditate recedere. Hunc enim in conſortium indiuiduæ vnitatis aſsumptum. id, quod ipſe erat, voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus.]

Ex hoc vtroque Leonis teſtimonio habemus hæc tria:

Primò, quòd Petrus regat omnes, quos principaliter regit Chriſtus; etiã omnes alios Eccleſiæ Paſtores, & Apoſtolos.

Secundò, quòd à Petro, tamquam à Capite diffundantur dona Dei in omnia membra Eccleſiæ.

Tertiò, quòd Petrus à Chriſto in conſortium indiuiduæ vnitatis aſsumptus ſit.

Quid tu verò, Marce Antoni; ad hæc reſpondes?

Primò fateris, quod res eſt, Leonem admittere Primatum Petri ſuper totam Eccleſiam. Hoc accipio. Vixit autem Leo circà Annum Chriſti 440. Igitur ab eo tempore, ideſt, ab Annis 1200. Primatus Petri fuit agnitus, & conceſsus in Eccleſia.

Secundò ais, Leonem oratorio more voluiſse Petri dignitatem amplificare, vt hac ratione ſuam dignitatem Pontificalem extolleret. An putas tibi ſimilem fuiſse, qui ſtudio ambitionis, veritati à ſe agnitæ contradixerit? An ſcias in Sanctorum Catalogum ab Eccleſia relatum eſse?

Tertiò ais, Leonem in eo exorbitaſse, quòd dixerit, Petrum in conſortium indiuiduæ vnitatis à Chriſto aſsumptum eſse. Hoc probas, quia indiuidua vnitatis in Chriſto erat ſola cum Patre, & Spiritu ſancto in natura, & eſsentia diuinitatis. [Qualem vnitatem, inquis, quis aſserat in Chriſtum, & Petrum? Niſi Petrum faciamus vnum ex Trinitate, quæ eſt blaſphemia horrendiſſima.] Audi mi frater. Nulla eſt hìc blaſphemia: Sed quòd benè à Leone dictum eſt, tu vel non intelligis, vel malè interpretaris. Non dixit Leo, Chriſtum aſsumpſiſse Petrum in conſortium indiuiduæ vnitatis ratione naturæ, aut ſubſtantiæ diuinæ, vt tu falsò imaginaris; ſed ratione nominis, ac dignitatis. Nàm Chriſtus voluit illum vocari Petram, & fun-

da-

damentum Eccleſiæ, ſitut ipſe voabatur. Verba Leonis aperta ſunr. Quæ etiam repetuntur à Nicolao Papa, & citanrur in iure canonico, cap. Fundamentum: De electione, & electi poteſtate in 6.

Addam adhùc vnum, aut alterum è Patribus. Gregorius lib. 4. epiſt. 32. ad Mauritium Auguſtum, ſic ſcribit: [Cunctis Euangelium ſcienribus liquet, quòd voce Dominica Sancto, & omnium Apoſtolorum Principi Petro, totius Eccleſiæ cura eſt. Ipſi quippè dicitur, Paſce oues meas.]

Et Arnobius Romanus (qui vixit circà tempora Auguſtini) ad Pſalm. centeſimum trigeſimum octauum. [Ecce Apoſtolo Petro pœnitenri ſuecurritur, qui eſt Epiſcopus Epiſcoporum,& maior gradus redditur ploranti, quàm ſublatus eſt deneganti. Quod vt doceam, illud oſtendo, quòd nullus Apoſtolorum nomen Paſtoris accepit. Solus enim Dominus Ieſus Chriſtus dicrbat: Ego ſum Paſtor bonus. Hoc ergo nomen Sanctum, & ipſius nominis poteſtatem, poſt Reſurrectionem ſuam Petro pœnitrnti conceſſir, & tee negatus, negatori ſuo, hanc, quam ſolus habuit, tribuit poteſtatem: Vt non ſolùm recuperaſſe, quod amiſrrat, probaretur; verùm etiam, & multò ampliùs pœnitendo, quàm negando perdiderat, acquiſiſſe.]

Er Eucherius Lugdunenſis in vigilia ſancti Petri: [Dicit ei, Paſce oues meas. Priùs agnos, deindè oues commiſir ei, quia non ſolùm Paſtorem, ſed Paſtorum Paſtorem eum conſtituit. Paſcit igitur Petrus agnos, paſcit & oues: Paſcit filios, paſcit & matres: regit & ſubditos, & Prælatos, Omnium igitur Paſtor eſt, qui præter agnos, & oues in Eccleſia nihil eſt.]

Plures Patres, etiam antiquiſſimos, citabo poſteà, cum diluam obiectiones tuas. Ac ſimul oſtendam, eos ipſos, quorum auctoritatem nobis obijcis, maximè nobis patrocinari. Nunc Auguſtini ſententia, quæ multùm ponderis habet, ſeorſim diſcutienda eſt.

CAP. V.

Primatus Petri probatur ex Auguſtino.

AVguſtini ſententiam conaris tua interpretatione in alium ſenſum detorquere. Ais, nihil eum agnoſcere in Petro peculiare; præter hæc duo.

Primò, quòd primus fuerit admiſſus in Apoſtolatum: Et hinc habuerit aliquam præminentiam, ſeu Primatum.

Secundò, quòd ex hac præeminentia, & Primatu (qui totus conſiſtit in proprietate vocationis) ſecutum ſit, vt figuram totius Eccleſiæ geſtauerit. Sic tu, totidem ferè verbis, lib. 1. cap. 10. num. 21. & alibi.

Ego contra aſſero, Auguſtinum hęc tria agnoſcere in Petro.

Primò, quòd verè habuerit Primatum, ſeu Principatum totius Eccleſiæ, non ratione ætatis, aut vocationis præcisè, ſed ratione poteſtatis à Chriſto ipſi conceſſæ.

Secundò, quòd propter hunc Primatum, ſeu Principatum ſubſtinuerit perſonam totius Eccleſiæ, & conſequenter etiam Apoſtolorum, ac aliorum fidelium. Sicut Imperator, aut Rex, aut Conſul ſuſtinet perſonam totius Imperij, aut Regni, aut Ciuitatis:& conſequenter omnium ſubditorum, qui in Imperio, vel Regno, vel Ciuitati ſunt.

Tertiò, quòd ſicut Imperator, aut Rex, aut Conſul, quia ſuſtinet perſonam ſubditorum, poteſt eorum nomine, vel reſpondere, vel paciſci, vel aliud quid facere, iuxtà iuris conceſſionem; Sic etiam Petrus, quia ſuſtinebat perſonam totius Eccleſiæ, ſolitus ſit vnus ipſe pro omnibus reſpondere. Hæc tria perſpicuè oſtendam ex clariſſimis Auguſtini teſtimonijs.

Ac primò quidem, de Primatu Petri diſertè agit lib. 2. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 1. Vbi recenſet hæc verba Cypriani: [Nàm nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, cum ſecum Paulus de circumciſione diſceptaret, poſtmodùm vendicauit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, vt diceret ſe Primatum tenere, & obtemperari à nouellis, & poſteris, ſibi potiùs oportere, nec deſpexit Paulum, quòd Eccleſiæ priùs perſecutor fuiſſet, ſed conſilium veritatis admiſit, &c.] Deindè, ex ſua ſententia mox ſubijcit: [Ecce vbi commemorat Cyprianus, quos nos etiam in ſcripturis ſanctis didicimus, Apoſtolum Petrum, in quo Primatus Apoſtolorum, tàm excellenti gratia præeminet, aliter quàm veritas poſtulabat, de circumciſione agere ſolitum, à poſteriore Apoſtolo Paulo eſſe correctum.] Et infrà ibidem. Puto, quòd ſine vlla ſui contumelia Cyprianus Epiſcopus Petro Apoſtolo comparatur, quãtum attinet ad martyrij coronam. Cæterùm magis vereri debeo, ne in Petrum contumelioſus exiſtam. Quis enim neſcit illum Apoſtolatus Principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum? Sed etſi diſtat cathedrarum gratia, vna eſt tamen martyrij gloria.]

Hic duo notanda ſunt:

Primò, quòd Cyprianus ſupponat, Petrum habuiſſe quidem Primatum ſupra Apoſtolos, qui in eo conſiſtebat, quòd omnes tenerentur ibi obtemperare: Sed tamen, nec inſolenter, nec arroganter vſum fuiſſe illo Primatu, cùm à Paulo corriperetur; vt daret nobis Exemplum modeſtiæ, & humilitatis, iuxtà illud Chriſti, Matth. 20. 28. & Luc. 22. 26. [Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor; & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.]

Secundò, quòd Auguſtinus eumdem Primatum tripliciter confirmet.

Primò his verbis: [In quo Primatu Apoſtolorum, tàm excellens gratia præeminet.] Quæ eſt illa tàm excellens gratia? Certè non ſola vocationis antiquitas, vt tu vis. Quid enim excellens eſt, ſi dicam Petrum vno, aut altero die citiùs vocatum eſſe ad Apoſtolatum, quàm Andream? quamquam, vt ſupra dixi, id falſum eſt. Deindè illis verbis: [quis neſcit illum Apoſtolatus Primatum cuilibet Epiſcopatui præferendum?] non ergo omnes Epiſcopi Petro æquales ſunt. Immò Auguſtinus ait, ſe vereri, ne ſit contumelioſus in Pe-

trum,

Digitized by Google

trum, ſi illum conferat cum Cypriano Epiſcopo, quò ad dignitatem Eccleſiaſticam. Deuique illis verbis: [diſtat cathedrarum gratia,] ideſt, maior Pontificis, quàm cuiuſuis alterius Epiſcopi.

Tu reſpondes, per Cathedram Petri non intelligi Cathedram Romanam, ſed Petri Apoſtolatum: eumque particularium Epiſcoporum Cathedris præſtare. [Sic enim, inquis, quicumque Apoſtolatus excedit poteſtate quamcumque particularem cathedram, cum Apoſtolus quilibet in toto mundo poſſit ſuum Apoſtolatum exercere, quod Epiſcopi iam non poſſunt, niſi in limitatis Diœceſibus, ſiue Prouincijs, aut Regnis: quantò magis Primi, & præcipui Apoſtoli, aliorum pluribus nominibus Principis Apoſtolatus, ſingularem quamcumque cathedram excedet?] Hac reſponſione teipſum iugulas.

Primò, quia concedis Petrum poteſtate Eccleſiaſtica (de hac n. ſermo eſt) excedere Cyprianum, & omnes alios Epiſcopos Eccleſiarum particularium. Maior igitur, ex tua conceſſione, eſt poteſtas Eccleſiaſtica in Petro, quàm in alijs Epiſcopis. At hoc eſt, quod nos contendimus.

Secundò concedis, eumdem Petrum poteſtate Eccleſiaſtica excedere alios Apoſtolos. ſic enim argumentaris: Si alij Apoſtoli poteſtate Eccleſiaſtica excedunt Epiſcopos: Ergo multò magis Petrus. Quæ conſequentia non valeret, niſi Petrus eadem poteſtate excederet alios Apoſtolos. Sicut patet in ſimili exemplo. Nàm qui ſic infert: Si aer excedit calore terram, & aquam: Ergo multò magis ignis: Sine dubio ſupponit, ignem habere plus caloris, quàm aerem: At hunc exceſſum poteſtatis in Petro nos vrgemus. Si ergo illum concedis, non nobis, ſed tibi contrarius es.

Tertiò affirmas, quemlibet Apoſtolum Eccleſiaſt. poteſtate excedere quemlibet Epiſcopum, cum quilibet Apoſtolus in toto mundo poſſit ſuum Apoſtolatum exercere, quod Epiſcopus non poteſt, niſi in limitato Regno, aut Prouincia. At alibi contrarium aſſeris, nempè Apoſtolos, & Epiſcopos in poteſtate, & iuriſdictione æquales eſſe: & non differre, niſi accidente. Sic n. ſcribis lib. 2. cap. 1. n. 3. [Quoſcumque igitur Apoſtoli eligebant, & ad Eccleſias regendas mittebant, ij proculdubiò, parem cum ipſis Apoſtolis poteſtatem accipiebant, ſi vim ipſam inſtitutionis ſpectemus.] Et ibidem n. 5. [Neque ego inuenio inter verum Apoſtolum, ac Epiſcopum, aliud diſcrimen, niſi quòd Apoſtolus ſit, qui Chriſtum prædicat tamquam teſtis oculatus ab ipſomet Chriſto immedietè miſſus: Epiſcopus verò ſit, qui eumdem prædicat, vt teſtis inſtructus, & fide illuminatus, ac miſſus à Chriſti miniſtris.] Et iterùm num. 7. in fine: [Apoſtoli, dum alios ad fundandas, vel regendas Eccleſias mittebant, eos ad Epiſcopatum euehebant: totumque ipſorum officium cum tota poteſtate miniſteriali eis committebant: Vna illa propria perſonali dignitate excepta, quòd eſſent teſtes oculati vitæ, & Reſurrectionis Chriſti, ab eoque immediatè vocati, & miſſi ad Euangelizandum.]

Vides, opinor, contradictionem in hac duplici tua aſſertione. Vna, Apoſtoli excedunt poteſtate Epiſcopos. Altera, Epiſcopi ab Apoſtolis parem poteſtatem accipiebant. Vel Apoſtoli Epiſcopis à ſe miſſis cõmittebant totũ ſuũ officiũ cũ tota poteſtate. Reſpondebis fortè, vtramque veram eſſe diuerſo ſenſu. Apoſtolos enim, & Epiſcopos habere parem poteſtatem in habitu; non tamen parem in actu. Igitur priorem aſſertionem veram eſſe de poteſtate in actu; poſteriorem, de poteſtate in habitu. Sed hanc ipſam reſponſionem tu ipſe euertis. Nam lib. 2. cap. 5. num. 26. ſic habes. [Prædicandi poteſtatem in toto terrarum Orbe, ſicut Apoſtoli non habebant, niſi habitu; actu verò ibi, vbi iam inter ſe conuenerant, ſeu vbi eos Spiritus ſanctus eſſe volebat: Ità Epiſcopi habitu habent eandem vniuerſalem poteſtatem iure diuino, eo ipſo, quo ſunt facti ritè Epiſcopi: Actu tamen non ſunt Epiſcopi, niſi ſuæ particularis Eccleſiæ in qua illos Spiritus ſanctus poſuit.] Et ibidem: [Ità & iuriſdictio in habitu eſt vniuerſalis iure diuino in vnoquoque Epiſcopo: in actu verò non eſt, niſi particularis, ſicut erat etiam in Apoſtolis.] Hìc planè idem ſtatuis de Epiſcopis, & Apoſtolis, tum quò ad poteſtatem, & iuriſdictionem in habitu, quæ in vtriſque vniuerſalis, & illimitata eſt; tum quò ad poteſtatem, & iuriſdictionem in actu, quæ in vtriſque particularis, & limitata eſt. Nihil ergo diſcernis. Manet igitur vera contradictio, quam poſui.

Addo, ex tuis verbis manifeſtè colligi duo alia abſurda. Vnum eſt, Paulum nec Apoſtolum fuiſſe, nec Epiſcopum. Non Apoſtolum, quia non fuit oculatus teſtis vitę, & Reſurrectionis Chriſti. Nec Epiſcopum, quia non eſt immediatè miſſus à Miniſtris Chriſti, ſed ab ipſo Chriſto. Alterum, aliquos Epiſcopos habere maiorem poteſtatem, & iuriſdictionem, quàm Apoſtolos, ſi non in habitu, ſaltem in actu. Nam Apoſtoli, vt iam dixiſti, non habebant iuriſdictionem in actu, niſi particularem, & limitatam. At aliqui Epiſcopi habent indifferentem, & non limitatam, vt fateris lib. 2. cap. 1. num. 11. his verbis: [Quicumque ab Apoſtolis Epiſcopi fiebant, ij eandem cum ipſis Apoſtolis in ſolidum auctoritatem accipiebant, & ſanè vniuerſalem in habitu, & illimitatam: In actu verò aliqui indifferenter, quòcumque eos Spiritus ſanctus, aut Apoſtoli dirigebant, terrarum Orbem circumibant: alij verò certis locis conſiſtere iubebantur.] Hìc diſtinguis inter Epiſcopos: Aliqui habent poteſtatem in actu limimitatam ad certum locum, alij indifferenter ad totum Orbem terrarum. At Apoſtoli, ex tua ſententia, non habebant, niſi particularem. Minus igitur habebant, quàm aliqui Epiſcopi ab ipſis ordinati, & miſſi.

Ecce, Marce Antoni, in quantas anguſtias te conijcis, dum ſententiam Auguſtini, qui clarè explicat Primatum Petri, conaris obſcurare, & per ineptas ambages peruertere. Dic rotundè, quod dixit Auguſtinus, in Petro Primatum Apoſtolorum excellenter præeminere: Hunc Primatum cuilibet Epiſcopatui præferendum eſſe. Sed, ne dubites, adducam alia tria Auguſtini teſtimonia pro eodem Primatu.

Primum habetur epiſt. 108. ad Seleucianum, ſtatim ab initio, vbi ſic ait: [Quòd autem dicitur Petrum egiſſe pœnitentiam,

cauendum eſt, ne ità putetur egiſſe, quomodo agunt in Eccleſia, qui propriè pœnitentes vocantur. Et quis hoc ferat, vt primum Apoſtolorum inter tales pœnitentes numerandum putemus?] Quaſi dicat: Qui agunt pœnitentiam in Eccleſia, ſubiecti ſunt Prælatis Eccleſiæ, & ex illorum arbitrio puniuntur, tanto, vel tanto tempore, prout ipſis viſum eſt. At Petrus, tametſi grauiſſimè peccauerit, negando Chriſtum, non tamen erat ſubiectus Prælatis Eccleſiæ, cùm ipſe potiùs eſſet Caput, & Princeps Eccleſiæ, & neminem haberet, excepto Chriſto, à quo puniretur. Non igitur debet inter pœnitentes Eccleſiæ numerari. Quòd hic ſit ſenſus Auguſtini, colligitur ex alijs ipſius libris, vbi agit de pœnitentia Eccleſiaſtica, præſertim in Enchiridio capit. 65. vbi ſic ſcribit: [Rectè conſtituuntur ab ijs, qui Eccleſiæ præſunt, tempora pœnitentiæ, vt fiat etiam ſatis Eccleſia, in qua remittuntur ipſa peccata: Extra eam quippè non remittuntur.] Et Hom. 27. de vtilitate pœnitentiæ, diſtinguit triplicem pœnitentiam: Vnam accedentium ad baptiſmum, alteram quotidianam, tertiam Eccleſiaſticam. De hac ità ſcribit: Eſt pœnitentia grauior, atque luctuoſior, in qua propriè vocantur in Eccleſia pœnitentes, etiam remoti à Sacramento Altaris participandi.] Huiuſmodi pœnitentem negat fuiſſe Petrum, quia non erat ſubiectus Eccleſiæ, ac proindè Eccleſia non poterat illum remouere à Sacramento Altaris.

Alterum Auguſtini teſtimonium habetur ſerm. 124. de tempore, vbi agens de negatione Petri, ſic ſcribit: [Ideò beatum Petrum paululùm Dominus ſubdeſeruit, vt in illo totum genus humanum poſſit agnoſcere, nihil ſe ſine Dei gratia præualere. Et vt Eccleſiæ Rectori futuro, ignoſcendi peccantibus quædam regula poneretur. Credendæ enim erant Petro Apoſtolo claues Eccleſiæ. Credenda erat ei populorum innumera multitudo, quæ eſſet pro ſuæ naturæ vitijs, paſſionibus, culpis, inuoluta, atque peccatis.] Et infrà: [Totius corporis morbum in ipſo Capite curat Eccleſia, & in ipſo vertice componit membrorum omnium ſanitatem, in ipſa confeſſionis Chriſti crepidine, in ipſo immobilis fidei fundamento, in Petro, ſcilicet illo, qui dixerat. Etiamſi me oporteat mori tecum, non te negabo.] Et ibidem: [Quid agis, ò Petre, future Rector Eccleſiæ, quid loqueris?] Verba clara ſunt. Petrus vocatur Rector Eccleſiæ, cui infinita populorum multitudo credita eſt. Vocatur Caput totius corporis Eccleſiæ: Vertex omnium membrorum Eccleſiæ: Immobilis fidei fundamentum. Quid quæris ampliùs?

Tertium teſtimonium habetur in Quæſtionibus Veteris, ac Noui Teſtamenti, quæſtione 75. Quamuis enim auctor fortaſsè non eſt Auguſtinus, eſt tamen auctor antiquus, & ipſi Auguſtino æqualis, aut antiquior. [Dicunt exactores didrachmæ ad Petrum Apoſtolum: Magiſter veſter non ſoluit didrachmam. Quo dicto, Magiſtrum, vt pro omnibus Diſcipulis ſolueret, conuenerunt. Saluator autem cum pro ſe, & Petro dari iubet, pro omnibus exſoluiſſe videtur: quia ſicut in Saluatore erant omnes cauſæ Magiſterij, ità & poſt Saluatorem, in Petro omnes continentur. Ipſum enim conſtituit eſſe Caput eorum, vt Paſtor eſſet gregis Dominici.] Et ibidem: [Manifeſtum eſt, in Petro omnes contineri. Rogans enim pro Petro, pro omnibus rogaſſe dignoſcitur. Semper enim in Præpoſito populus, aut corripitur, aut laudatur.]

Iam verò (quod ſecundo loco probandum erat ex Auguſtino) Petrum ratione ſui Primatus geſſiſſe perſonam totius Eccleſiæ, & omnium fidelium, docet idem Auguſtinus, enarratione prima in Pſalm. 108. ſtatim in principio, vbi docet; Multa in Pſalmo illo dici de Iuda proditore, quæ illi conueniunt, quatenùs gerit perſonam Iudæorum Chriſti hoſtium: ſicut etiam multa conueniunt Petro, quatenùs gerit Perſonam Eccleſiæ. Verba Auguſtini ſunt hæc: [Sicut enim quædam dicuntur, quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cum referuntur ad Eccleſiam, cuius ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam propter Primatum, quem in Diſcipulis habuit, &c. Ità Iudas perſonam quodammodo ſuſtinet inimicorum Chriſti Iudæorum, &c.] Vbi aduerte, non eodem ſenſu, Petrum, & Iudam ſuſtinere perſonam communitatis. Nam Iudas propter nefariam proditionem Chriſti ſuſtinet perſonam hoſtium Chriſti. Petrus propter Primatum Eccleſiæ, ſuſtinet perſonam eiuſdem Eccleſiæ.

Ex tract. 124. in Ioannem, poſt medium, recitans illa verba ex Euangelio, [Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris,] mox ſubdit: [Hoc agit Eccleſia, ſpe beata in hac vita ærumnoſa: cuius Eccleſiæ Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui Primatum, gerebat figurata generalitate Perſonam. Quod enim ad ipſum propriè pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Chriſtianus, abundantiore gratia vnus, idemque Apoſtolus. Sed quando ei dictum eſt: Tibi dabo claues Regni Cœlorum, vniuerſalem ſignificabat Eccleſiam.] Hìc quędam attribuit Petro tamquam priuato homini; vt quòd fuerit natura vnus homo; gratia vnus Chriſtianus; abundantiori gratia vnus, idemq; Apoſtolus. Quædam verò tamquā perſonæ publicæ; vt quòd habuerit Primatum Eccleſiæ; quòd ratione Primatus geſſerit perſonam Eccleſiæ, non particularis, ſed generalis, ſeu vniuerſalis, quòd in perſona Eccleſiæ vniuerſalis acceperit claues Regni Cœlorum. At tu, Marce Antoni, contra Auguſtinum doces, Primatum Eccleſiæ, qui à te confingitur, conuenire Petro tamquam priuato homini ratione ætatis, & vocationis.

Et in lib. de Agone Chriſtiano cap. 30. [Nuſquam tàm vigere debent viſcera miſericordiæ, quàm in Catholica Eccleſia, vt tamquam vera Mater, nec peccantibus filijs ſuperbè inſultet, nec correctis difficilè ignoſcat. Non enim ſine cauſa inter omnes Apoſtolos huius Eccleſiæ Catholicæ perſonam ſuſtinet Petrus. Huic enim Eccleſiæ claues Regni Cęlorum datæ ſunt, cùm Petro datæ ſunt. Et cùm ei dicitur, ad omnes dicitur: Amas me? Paſce oues meas. Debet igitur Eccleſia Catholica correctis, & pietate firmatis filijs libenter ignoſcere, cùm ipſi Petro perſonam

eius

eius geſtanti, videamus veniam eſſe conceſſam.] Ecce, Petrus ſuſtinet perſonam Eccleſiæ Catholicæ. Et cùm Petro datę ſunt claues, non datæ ſunt ipſi in priuatum vſum, ſed pro bono totius Eccleſiæ. Et cum illi dictum eſt, [Paſce oues meas,] non illi ſoli, vt priuato homini, ſed omnibus illius ſucceſſoribus dictum eſt.

Denique, quòd Petrus, quia ſuſtinebat perſonam totius Eccleſiæ, ſolitus ſit pro omnibus reſpondere, docet idem Auguſtinus ſerm. 31. de verbis Apoſtoli cap. 2. [Reſpondit, inquit, Petrus nunc pro omnibus, quia vnitas in omnibus.] Et ſerm. 13. de verbis Domini cap. 1. [Ipſe enim Petrus, in Apoſtolorum ordine Primus, in Chriſti amore promptiſſimus, ſæpè vnus reſpondit pro omnibus.] Vbi per illam particulam, In Apoſtolorum ordine Primus, intelligit Primatum Petri, non ratione ætatis, aut vocationis, ſed auctoritatis, & præfecturæ, vt ipſemet ibidem explicat cap. 2. cùm ait: [Idem ergo Petrus à Petra cognominatus beatus, Eccleſiæ figuram portans, Apoſtolatus Principatum tenens.] De hac re dicam plura cap. ſequenti, §. 56.

Ex dictis ſatis conſtat de ſententia Auguſtini, nec quicquam video obijci poſſe, quàm quòd lib. 1. cap. 5. num. 10. obijcis, illum dixiſſe ſerm. 47. de Sanctis Petro & Paulo: [Beatus Petrus primus Apoſtolorum: Beatus Paulus nouiſſimus Apoſtolorum.] Ex quo infers, ſicut Paulus fuit nouiſſimus vocatione; ità Petrum fuiſſe primum vocatione: Ac proindè primatum Petri nihil aliud eſſe, quàm Primatum vocationis. Sed iam ſuprà reſponſum eſt, cap. 2. §. 21. Nam ibi dixi, Auguſtinum non connectere illa verba; ſed vno loco aſſerere, Petrum eſſe primum Apoſtolorum; altero, Paulum eſſe minimum Apoſtolorum. Non igitur neceſſe eſſe, vt quo ſenſu, vnus dicitur minimus, eodem alter dicatur primus. Paulum vocari minimum, idest, indigniſſimum, propter ſua peccata: Petrum vocari primum, idest, Principem, ratione primatus, ſeu præfecturæ.

Sed eſto, dixerit Auguſtinus per modum connexionis, Petrum eſſe Primum, Paulum nouiſſimum; non ſequitur, eodem ſenſu vtrumque dictum eſſe. Dabo ſimile exemplum. Chriſtus Marci 9. 34. dixit: [Si quis vult primus eſſe, erit omnium nouiſſimus, & omnium miniſter.] Vbi primus, & nouiſſimus in eadem ſententia connectuntur; & tamen non ſumuntur eodem ſenſu. Nam ſenſus eſt: ſi quis inter vos vult eſſe primus in gradu, vel Prælatura, fiat nouiſſimus, idest, humillimus in miniſterio.

CAP. VI.

Primatus Petri probatur ex prærogatiuis Petri.

Catholici aſſignant varia priuilegia, ſeu prærogatiuas Petri, ex quibus colligunt ipſius Primatum, & eminentiam ſupra alios Apoſtolos: Non quòd vnaquæque prærogatiua per ſe ſufficiens ſit ad ſtruendum Primatum; ſed quòd omnes ſimùl ſumptæ id faciant. Sunt autem hæ præcipuè:

Primò, Quòd Chriſtus ſoli Petro inter omnes Apoſtolos proprium nomen mutauerit.

Secundò, Quòd quando in Euangelio recenſentur nomina Apoſtolorum, ſemper primo loco ponatur Petrus.

Tertiò, Quòd Scriptura loquatur de Petro, tamquam de Principe: de alijs Apoſtolis, tamquam de ſubditis.

Quartò, Quòd Petrus ſæpè loquatur nomine omnium Apoſtolorum, tamquam illorum Anteſignanus.

Quintò, Quòd inter omnes Apoſtolos, ſoli Petro facta ſit prima reuelatio diuinitatis Chriſti.

Sextò, Quòd ſoli Petro inter Apoſtolos promiſſa ſit ſtabilitas fidei, & cathedræ.

Septimò, Quòd Chriſtus pro ſolo Petro & ſeipſo voluerit tributum ſolui in Capharnaum.

Octauò, Quòd poſt Reſurrectionem, inter omnes Apoſtolos, ſoli Petro primùm apparuerit.

Nonò, Quòd Petrus ſua auctoritate vocauerit alios ad electionem noui Apoſtoli in locum Iudæ proditoris.

Decimò, Quòd primus promulgauerit Iudæis Euangelium poſt acceptum Spiritum ſanctum.

Vndecimò, Quòd primum miraculum apud Iudæos fecerit in confirmationem Euangelij.

Duodecimò, Quòd etiam primus prædicauerit gentibus Euangelium: & quòd ipſi ſoli oblata ſit viſio cœleſtis de vocatione gentium.

Decimotertiò, Quòd primus in Concilio Hieroſolymitano ſententiam dixerit.

Certè, hæ prærogatiuæ, vt alias omittam, manifeſtè oſtendunt, aliquid peculiare fuiſſe in Petro, quod in alijs Apoſtolis non fuerit. Quid autem illud ſit, in eo diſſentimus. Tu nihil aliud agnoſcis, quàm Primatum ætatis, vocationis, & feruoris. Nec putas aliud colligi poſſe ex prærogatiuis iam enumeratis. Sed erras, vt ſæpè dixi.

Primò, quia incertum eſt, an Petrus ætate omnes alios ſuperauerit.

Secundò, nec probare potes ex Euangelio, priùs Petrum, quàm reliquos ad Apoſtolatum vocatos eſſe.

Tertiò, nec ſolus feruor charitatis fuit cauſa omnium iſtarum prærogatiuarum. Quæ omnia clariùs patebunt, ſi ſingulas prærogatiuas expendamus.

Prima Prærogatiua Petri.

Igitur prima Petri prærogatiua eſt, quòd Chriſtus ſoli ipſi inter omnes Apoſtolos proprium nomen mutauerit. Nam cùm antea vocaretur Simon, poſteà vocatum eſt Cephas, idest, Petra (Ioann. 1. 42.) quæ prærogatiua illi communis eſt cum Abrahamo, qui cum antea vocaretur Abram, idest, Pater excelſus, poſteà vocatus eſt Abraham, idest, Pater multitudinis, ſeu multarum gentium (Gen.

(Gen.17.5.) Maior tamen eſt Petri prærogatiua, quàm Abrahami. Nam Petrus idem nomen ſortitus eſt, quod Chriſtus. Cephas enim, & Syriacè, & Græcè ſumi poteſt, teſte Optato lib.2. contra Parmenianum. Syriacè ſignificat petram, vel lapidem: Græcè, caput. Vtroque nomine appellatus eſt Chriſtus. Petra quidem, ſeu lapis, ſuper quem fundata eſt Eccleſia (Matt.21.24.) Caput verò, à quo regitur Eccleſia, ſicut mulier à viro (Eph.5.23.) Itàque per hanc nominis mutationem voluit Chriſtus ſignificare, Petrum fore Caput & fundamentum Eccleſiæ, ſicut ipſe erat. Sed diuerſimodè. Nam Chriſtus eſt Caput & fundamentum primarium, Petrus ſecundarium.

Tu reſpondes (lib.1. cap.9. num.1.) Ex hac nominis mutatione, non poſſe colligi Primatum.

Primò, quia non ſolius Petri, ſed etiam aliorum nomina mutata eſſe legimus.

Secundò, quia alij Apoſtoli non minùs fuerunt petræ, ſeu fundamenta Eccleſiæ, quàm Petrus, iuxtà illud Epheſ.2. 20. [Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide, Chriſto Ieſu.]

Tertiò, quia quòd Petrus fuerit Caput aliorum, non arguit Primatum poteſtatis, aut iuriſdictionis, ſed tantùm ætatis, aut vocationis. Fuit enim Caput illorum, eo ſenſu, quo primogenitus eſt caput ſuorum fratrum.

Hæc reſponſio nulla eſt. Non enim dicimus, ex ſola nominis mutatione colligi Primatum Petri, ſed ex omnibus prærogatiuis ſimul ſumptis. Deindè falſum eſt, aliorum Apoſtolorum propria nomina à Chriſto mutata eſſe. Tametſi enim duo filij Zebedæi, Iacobus & Ioannes vocati ſint à Chriſto Boanerges, ideſt, filij tonitrui, hoc tamen nomen non erat proprium, ſed ambobus commune. Quòd autem Matthæus vocatus ſit Leui, & ſimiliter Iudas vocatus ſit Thadæus; non eſt factum per mutationem, ſed per primam nominis impoſitionem.

Vbi obiter hæc duo diſtinguenda ſunt: Primò, Impoſitio, vel mutatio nominis ab hominibus facta. Secundò, Impoſitio, vel mutatio nominis à Deo facta. Et quidem homines ferè ſolent tripliciter mutare, vel imponere nomina. Primò, ex euentu; & ſic ferè factum eſt in lege naturæ. Secundò, ex nominibus parentum, vel cognatorum; & ſic factum fuiſſe in lege Moſaica, colligitur ex illo Luc.1.61. [Nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.] Tertiò, ex nominibus, vel parentum, vel cognatorum, vel Sanctorum in Cœlo exiſtentium; & ſic paſſim fit hoc tempore.

At Deus non ſolet alicui imponere, vel dare nomen, niſi ad ſignificandum aliquod myſterium, quod paucis contingit. In nouo Teſtamento contigit Chriſto, Ioanni Baptiſtæ, & Petro. Neſcio an alicui alteri. De Chriſto legimus Luc.1.30. [Ne timeas Maria: inueniſti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum: Hic erit magnus.] De Ioanne Baptiſta ibidem verſ. 13. [Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua: Et vxor tua Eliſabeth pariet *tibi filium*, & vocabis nomen eius Ioannem, &c. Hic erit magnus coram Domino.] Denique de Petro, Ioann. 1. 42. [Intuitus eum Ieſus dixit: Tu es Simon filius Iona: Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.] Vbi etiam, vt in duobus præcedentibus exemplis, vel addi, vel intelligi debet: [Et eris magnus.]

Et quidem de myſterio, quod latebat in impoſitione nominis Ieſu, & Ioannis, nihil dicam hoc loco. Res nota eſt, & alibi tractanda. De myſterio autem, quod Catholici agnoſcunt in mutatione nominis Petri, ſcribit Auguſtinus tract. 7. in Ioannem poſt medium, his verbis: [Magnum, quia mutauit ei nomen, & fecit de Simone Petrum.] Et infrà: [Si hoc ante Petrus vocaretur, non ità videres myſterium Petræ, & putares caſu eum ſic vocari, non prouidentia Dei. Ideò voluit eum aliud priùs vocari, vt ex ipſa commutatione nominis, Sacramenti viuacitas commendaretur.] Et Leo Magnus epiſt. 87. ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis de Petro ſic loquitur: [Hunc enim in conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumptum, id, quod ipſe erat, voluit nominari, dicendo, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo Eccleſiam meã] quæ verba cap. 4. explicata ſunt. Et ſerm. 3. de Aſſumptione ſua ad Pontificatum introducit Chriſtum loquentem ad Petrum: [Sicut meus Pater tibi manifeſtauit diuinitatem meam; ità & ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus, ideſt, cùm ego ſim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum; ego fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris, vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia.] Et Proſper Aquitanicus lib.2. de vocatione gentium, c.28. [Quis ergo ambigat, quis ignoret, hanc fortiſſimam petram, quæ ab illa principali petra communionem, & virtutis ſumpſit, & nominis? &c.]

Hìc vides, Marce Antoni, quid Patres ſentiant: Et quàm longè abſis ab illorum ſententia, qui myſterium, quod illi Magnum agnoſcunt, parui æſtimas. Porrò, quòd addis, alios Apoſtolos, non minùs eſſe petras, ſeu fundamenta Eccleſiæ, quàm Petrum, temerarium eſt. Audi. Conſtat ex Scriptura, & Chriſtum, & Petrum, & reliquos Apoſtolos vocari fundamentum, ſeu petram, ſuper quam Eccleſia ædificata eſt; ſed diuerſo modo. Solus Chriſtus eſt fundamentum primarium, quod ſua firmitate conſiſtit, iuxtà illud 1.Cor.3.11. [Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.] Præter Chriſtum, Prophetæ, & Apoſtoli ſunt fundamenta ſecundaria, Epheſ.2.20. [Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide, Chriſto Ieſu.] Nam illi per prædicationem fidei, & doctrinæ Chriſtianę, ſuſtentant Eccleſiam; Vel, quod idem eſt, illorum doctrinæ, & prædicationi incumbit Eccleſia. Et reliqui Chriſtiani ſuper illorum fidem, & doctrinam ſuperædificantur. Inter ſecundaria verò, primum locum tenet Petrus, cui ſpeciatim dictum eſt, [Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccle-

cleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſùs eam.] Vbi aliquid peculiare illi promittitur, quod alijs Apoſtolis promiſſum non eſt. Nimirùm firmitas, conſtantia, & ſtabilitas, quæ per petram ſignificatur. Quæ etiam alibi alijs verbis illi promiſſa eſt, Luc. 22. 32. [Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.]

Igitur Chriſtus eſt fundamentum Eccleſiæ primarium, &, vt loquitur Auguſtinus in Pſalm. 86. [fundamentum fundamentorum.] Eſt lapis angularis, qui connectit inter ſe duos parietes, ideſt, Iudæos, & Gentiles (Epheſ. 2. 12. & ſeqq.) eſt oſtium, ſeu ianua, per quam ingredimur in Eccleſiam, (Io. 10. 9.) Apoſtoli, & Prophetæ ſunt fundamentum ſecundarium, quia illorum doctrina, & prædicatio ſundatur in Chriſto: quem Prophetæ futurum prædixerunt; Apoſtoli præſentem annunciarunt. Hoc peculiare habet Petrus, quòd ipſe cum ſuis Succeſſoribus habeat prærogatiuam conſtantię, & firmitatis in fide; quam reliqui Apoſtoli cum ſuis ſucceſſoribus non habuerunt. Ipſi quidem in ſuis proprijs perſonis manſerunt conſtantes, excepto Iuda, ſed in Succeſſoribus defecerunt. Sola Cathedra Petri habet hoc priuilegium. De quo plura dicturus ſum in ſexta prærogatiua.

Iam verò, quod tertio loco obijcis, ex eò quòd Petrus fuit Caput Apoſtolorum, non poſſe colligi primatum poteſtatis, ſed tantùm ætatis, aut vocationis; & friuolum eſt, & ſępè refutatum. Non audes negare, quod omnes boni auctores aſſerunt, Petrum fuiſſe Caput Apoſtolorum. Quid ergo? Fingis ideò Caput fuiſſe, quia erat ætate ſenior, vocatione antiquior. Nimirùm, vt tollas primatum, qui certus eſt; excogitas alium, qui incertus eſt.

Secunda Prærogatiua.

ALtera prærogatiua eſt, quòd quando in Euangelio recenſentur nomina Apoſtolorum, ſemper primo loco ponatur Petrus, tamquam Princeps, & Anteſignanus, vt Matth. 10. 2. [Duodecim Apoſtolorum nomina ſunt hæc: Primus, Simon, qui dicitur Petrus, &c.] Idem fit Marc. 3. 16. & Luc. 6. 14. & Act. 1. 13. Tu reſpondes, vt ſoles, (lib. 1. c. 9. num. 2.) Petrum primo loco nominari, quia erat primus ætate, & vocatione. Nondùm id probaſti. At ego facilè probem fuiſſe primum auctoritate, & iuriſdictione: ſic enim Patres explicant illam particulam, Primus. Et ratio ſumitur ex ipſo contextu. Nam ſi Petrus in iſta enumeratione Apoſtolorum diceretur Primus ordine ætatis, aut vocationis; tunc reliqui, qui ponuntur poſt Petrum, ponerentur etiam iuxtà ordinem ætatis, aut vocationis. At hoc falſum eſt. Immò, nullus ferè inter eos ſeruatur ordo. Nam apud Matthæum poſt Petrum, nominatur Andreas: apud Marcum, non Andreas, ſed Iacobus: apud Lucam in Actibus, Ioannes. Idem fit in reliquis Apoſtolis. Aliquando Matthæus præponitur Thomæ, aliquando poſtponitur. Et ſic deinceps. Debet ergo aſſignari cauſa, quare Petrus ſemper nominetur primo loco; reliqui nullo certo ordine. Nec poteſt alia dari, quàm quòd Petrus nominetur, vt ſuperior, reliqui, vt inter ſe æquales, & ſolo Petro inferiores.

Et ſanè, quòd Petrus ratione ætatis non ponatur primo loco (etiam ſi demus fuiſſe ſeniorem omnibus, quod tamen non damus) facilè conuincam ex tua ipſius conceſſione. Fateris, Petrum, quia ſenior erat, fuiſſe quaſi primogenitum inter Apoſtolos; Ac proindè, ſicut primogenitus ſolet primo loco numerari inter fratres ratione primogenituræ; ità de Petro ſtatuendum eſſe. At contrarium oſtendam ex Scriptura. Nam Ruben, quo exemplo tu vteris, fuit primogenitus inter duodecim filios Iacob: Et tamen non ſemper nominatur primo loco, vt patet Apocal. 7. 5. vbi Iudas illi præponitur. Nec deſunt ſimilia exempla. Inter filios Iſai, primogenitus fuit Eliab, & pręfertur illi Dauid (1. Reg. 16.) Rursùm inter filios Dauid, Adonias fuit ſenior Salomone, & tamen præfertur ei Salomon (4. Reg. 2.) Ergo ex eò, quòd aliquis ætate ſenior eſt, non ſtatim ſequitur, alijs præferendum eſſe. Vnde ergo probas, Petrum, eo titulo, quia ſenior erat, primum locum inter Apoſtolos obtinuiſſe? Non video.

Tertia Prærogatiua.

TErtia prærogatiua eſt, quòd Scriptura loquatur de Petro, tamquam de Principe; & de alijs Apoſtolis tamquam de ſubditis. Marc. 1. 36. [Et proſecutus eſt eum Simon, & qui cum ipſo erant.] Et Luc. 8. 45. [Dixit Petrus, & qui cum illo erant.] Et Luc. 9. 32. [Petrus verò, & qui cum illo erant.] Et Act. 2. 14. [Stans Petrus cum vndecim.] Et alibi ſæpiùs. Qui modus loquendi vſitatus eſt in Scriptura, & ſignificat principem cum ſuis ſubditis, vt manifeſtè conſtat ex ſequentibus teſtimonijs. 1. Reg. 30. 4. [Dauid, & populus, qui erat cum eo.] Et infrà verſ. 9. Dauid, & ſexcenti viri, qui erant cum eo.] Et 2. Machab. 8. 1. [Iudas Machabæus, & qui cum illo erant.] Et c. 10. 1. [Machabæus autem, & qui cum eo erant.] Et c. 11. 6. [Vt autem Machabæus, & qui cum eo erant.] Et Apoc. 12. 7. [Michael & Angeli eius præliabantur.] Sicut ergo ex hac loquendi forma rectè colligimus, Dauidem, Iudam Machabæum, & Michaelem Archangelum fuiſſe Principes reſpectu eorum, qui cum ipſis erant: Sic etiam colligimus ex ſimili loquendi forma, Petrum fuiſſe principem Apoſtolorum.

Hic iterum repetis tuam cantilenam, non alium primatum ex hac prærogatiua colligi poſſe, quàm ætatis, & vocationis. At iam oſtendi ex modò loquendi Scripturæ, plus colligi poſſe, ac debere. Niſi fortè exiſtimes, etiam Michaelem, Dauidem, & Iudam Machabæum, non alio titulo, quàm ætatis, aut vocationis ſuos ſocios præceſſiſſe. Quod ridiculum eſt. Nam inter Angelos, alius alio ſenior non eſt, nec vmquam probabis ex Scriptura, Michaelem ante alios ad officium Angelorum à Deo vocatum eſſe. Idem dico de Dauide, & Machabæo. Non probabis, vtrumque, & ætate, & vocatione ad militiam ſuos ſocios ſuperaſſe. Sicut nec de Petro id hacte-

nùs

Digitized by Google

nùs probare potuiſti, Mera figmenta ſunt, quæ adfers.

Quarta Prærogatiua.

QVarta prærogatiua eſt, quòd Petrus ſępè loquatur nomine omnium Apoſtolorũ tamquam illorũ Anteſignanus, vt Matt. 16. 15. [Dicit illis Ieſus: vos autem, quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus, dixit: Tu es Chriſtus filius Dei viui.] Et Matth. 19. 27. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.] Et Luc. 12. 41. [Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?] Et Io. 6. 68. [Dixit ergo Ieſus ad duodecim: numquid & vos vultis abire? Reſpondit ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.]

Ex his Patres colligunt primatum Petri. Cyrillus Alexandriuus lib. 4. in Ioannem, cap. 18. [Per vnum, qui præerat, omnes reſpondenr.] Et lib. 12. cap. 6. 4. [Cum Saluator à Diſcipulis quæreret: Vos autem, quem me eſſe diciris? Petrus vt Princeps, Caputque cœterorum, primus exclamauit: Tu es Chriſtus filius Dei viui.] Et aliter Cyrillus Hieroſolymitanus, catech. 11. [Omnibus Apoſtolis reticentibus, ſupra vires enim erat hæc doctrina, Petrus Princeps Apoſtolorum, & ſupremus Eccleſiæ præco dicit ad ipſum: Tu es Chriſtus filius Dei viui.] Et Paulus Emiſſenus hom. de Chriſti Natiuitate: [Nonne Petrus, Apoſtolorum Coryphæus: eorundemque os reſpondit, Tu es Chriſtus filius Dei viui.] Et Cyprianus lib. 1. epiſt. 3. ad Cornelium, longè ante medium: [Petrus tamen, ſuper quem ædificata ab eodem Domino fuerat Eccleſia, vnus pro omnibus loquens, & Eccleſiæ voce reſpondens ait: Domine, ad quem ibimus?] Auguſtinus idem ſentit, vt cap. præcedenti oſtenſum eſt.

Habemus ſimilia exempla in Scriptura. Nam Chriſtus, quia erat ſupremus Princeps omnium, ſæpè loquebatur pro alijs. Verbi gratia. Quando Phariſæi quęrebant ex Apoſtolis: [Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magiſter veſter?] Reſpondit Chriſtus ipſorum nomine: [Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus,] Matth. 9. 11. Item cùm ijdem Phariſæi Apoſtolis ſpicas Sabbatho vellentibus dicerent: [Quid facitis, quod non licet in Sabbathis?] Reſpondit pro illis Chriſtus, [Nec hoc legiſtis, quod fecit Dauid, cum eſurijſſet ipſe, &c.] Luc. 6. 2. Et ſic deinceps.

Quinta Prærogatiua.

QVinta eſt, quòd inter omnes Apoſtolos, ſoli Petro facta ſit prima reuelatio Diuinitatis Chriſti, Matth. 16. 17. [Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in Cœlis eſt.] Quare præ cæteris beatus? Quia præ cęteris à Patre cœleſti reuelatum illi erat, [Tu es Chriſtus filius Dei viui.] Magnum ſine dubio priuilegium. De quo Hilarius in Pſal. 131. Athanaſius ſerm. 4. contra Arrianos, Auguſtinus ſerm. 124. de tempore, Leo ſerm. 3. de aſſumptione ſua ad Pontificatum:

Tu tamen, tuo more conaris hoc Petri priuilegium extenuare (lib. 1. cap. 9. num. 4.) & tria obijcis:

Primò, Nathanaelem citiùs, quàm Petrum, confeſſum eſſe Diuinitatem Chriſti, cùm dixit, Ioann. 1. 49. [Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Iſrael.]

Secundò, Ioannem Baptiſtam, & citiùs, & meliùs, quàm Petrum id feciſſe. Ioan. 3. 30. [Illum oportet creſcere, me autem minui.] Denique ipſum Petrum, antequam faceret hanc confeſſionem, [Tu es Chriſtus filius Dei viui,] iam antea cum alijs Apoſtolis agnouiſſe Chriſti Diuinitatem, Ioan. 6. 70. [Et nos credidimus, & cognouimus, quia tu es Chriſtus filius Dei.]

Nihil efficis, Marce Antoni. Nam primò, quod adfers de Nathanaele, incertum eſt, an ipſe eodem ſenſu, quo Petrus dixerit, [Tu es Chriſtus filius Dei.] Multi negant, aſſerentes Petrum locutum eſſe de Filio Dei naturalis, Nathanaelem de Filio Dei adoptiuo. Plus igitur Petrum confeſſum eſſe, quàm Nathanaelem. Hunc, ſolam ſanctitatem, & iuſtitiam: Illum, Diuinitatem confeſſum eſſe. Ità Chryſoſtomus homil. 20. in Ioannem, Theophylactus, & Eutymius in cap. 21. Ioannis. Quos ſequitur Cardinalis Bellarminus. Tu contra ſentis, vtrumque, tam Nathanaelem, quàm Petrum, confeſſum eſſe Chriſti Diuinitatem. Et probas auctoritate Auguſtini tract. 7. in Ioannem, Chryſoſtomi homil. 19. in Ioannem, & Cyrilli libro 12. theſauri cap. 15.

Sed falsò. Nam Chryſoſtomus hom. 19. (quam tu citas) nihil habet, quod iuuare te poſſit. At Homil. 20. (quam ego cito,) planè contrà te eſt. Verba eius ſunt hæc: [Et ſi ijſdem verbis, & Petrus, & Nathanael vſi ſint, non tamen idem ambo ſenſerunt: Sed Petrus Filium Dei tamquam verum Deum. Nathanael, tamquam hominem tantùm confeſſus eſt, quod ex conſequentibus conſtat. Addit enim, Tu es Rex Iſrael. Filius autem Dei, non modò Iſrael, ſed vniuerſi Orbis terrarum Rex eſt. Quod etiam indè oſtenditur, quòd Petro nihil ampliùs addidit Chriſtus, ſed tamquam perfecto in fide, Eccleſiam ſuam eius teſtimonio ædificaturum pollicitus eſt. Nathanaeli autem tamquam potiori in parte deficienti ſubdidit, Amen amen dico vobis, amodò videbitis Cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſuper filium hominis. Animaduertis, quomodo eum à terra paulatim erigit? quompdo animum excitat, ne ampliùs ſimplicem hominem coniectetur? Cui enim Angeli miniſtrant, & ſuper quem aſcendunt, & deſcendunt, quonam pacto hominem eſſe exiſtimabitur?]

Nunc vides impoſturam tuam in citando Chryſoſtomo. Certè Chryſoſtomus non ſolùm aſſerit, quod Bellarminus aſſerit, ſed etiam validis argumentis confirmat. Quod etiam facit Theophylactus in c. 1. Ioannis, vbi ſic ſcribit: [Nathanael igitur, auditis illis, cœpit ſentire magnitudinem Domini, quantum tunc poſſibile erat, & fatetur illum filium Dei. Verùmtamen, quamuis filium Dei fateatur, non tamen ſicut Petrus. Nam Petrus quidem confeſſus eſt Filium Dei: ideò & bea-

tus prædicatur, & Eccleſia ei concreditur. Nathanael verò, vt hominem nedum quidem eum fatetur, gratia autem propter virtutem, adoptatum in Filium Dei. Et hoc manifeſtum eſt ex eo, quod ſubditur: Tu es ille Rex Iſrael. Vides, quòd nondum venerat ad perfectam cognitionem veræ Deitatis Vnigeniti. Etenim quaſi amicum Dei, & quaſi Regem Iſrael, eum credit eſſe. Quòd ſi verè eum Deum eſſe confeſſus, non dixiſſet, eum Regem Iſrael, ſed Regem Vniuerſi. Vndè non prædicatur beatus, ſicut Petrus. Et Dominus corrigens eum, & inducens ad cognoſcendum quiddam dignum ſua Deitate; videbitis, inquit, Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſuper filium hominis. Ne enim, inquit, ſuſpiceris nudum hominem, ſed Dominum Angelorum. Cui enim Angeli miniſtrant, is vtique non fuerit purus homo, ſed verus Deus.

Eadem fraude vſus es in citando Auguſtino. Nam ille quidem loco citato, ſic ſcribit de Nathanaele: [Talem vocem protulit, Tu es Filius Dei, Tu es Rex Iſrael: Qualem tantò poſt Petrus, quandò ei Dominus ait: Beatus Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in Cœlis eſt. Hic nihil aliud dicit, quàm Nathanaelem protuliſſe talem vocem, qualem Petrus protulit; quod etiam dicit Chryſoſtomus. An autem eo ſenſu protulerit, non dicit ibi Auguſtinus. Cur ergo fingis hoc illum dicere? Audi verò quid dicat ſer. 124. de tempore: [Hic eſt Petrus, inquit, qui diuina reuelatione, prior omnium veritatem meruit confiteri, dicens: Tu es Chriſtus Filius Dei.] Vbi nota particulam illam, Prior omnium. Quam etiam ponit Athanaſius ſerm. 4. contrà Arrianos.

Sed eſto: Demùs tibi (quod neceſſe non eſt) Nathanaelem priùs, quàm Petrum, confeſſum eſſe Chriſti Diuinitatem: demùs etiam Ioannem Baptiſtam (de quo certiùs eſt) idem feciſſe. An ideò ſublatum puras Petro ſuum Priuilegium? Nullo modo. Manet illi ſuum Priuilegium commune quidem cum Ioanne, & Nathanaele, ſed tamen proprium reſpectu Apoſtolorum, cum quibus illū hoc loco conferimus. Nā ille priùs, quàm alij Apoſtoli, confeſſus eſt Chriſti Diuinitatem: Ille præ alijs Apoſtolis meruit audire à Chriſto, Beatus es Simon Bariona. Nec obſtat, quòd idem Petrus, antè illam confeſſionem, de ſe, & alijs Apoſtolis dixerit: [Nos credidimus, & cognouimus, quia Tu es Chriſtus Filius Dei viui;] nam etiam indè colligitur, Petrum, ſicut præ alijs loquebatur, ità antè alios crediſſe, & confeſſum eſſe Chriſti Diuinitatem. Quod tu ipſe concedis l. 1. c. 5. n. 4. vbi cum Ambroſio tribuis Petro Primatum confeſſionis, & Primatum fidei. Vndè etiam manifeſtè conſtat, te, ſtudio contradicendi Catholicis, tibi ipſi contrarium eſſe: Nam loco citato contendis cōtrà Catholicos, Petrum non habere Primatum poteſtatis, aut iuriſdictionis, ſed fidei, & confeſſionis. At cap. 9. n. 4. vbi contrà Catholicos oppugnas Priuilegia Petri, negas Petrum Primum eſſe inter Apoſtolos, qui Chriſti Diuinitatem crediderit, & confeſſus ſit. Hoc ſolemne tibi eſt.

Quæritur hic, non à te, ſed ab alijs bonis auctoribus: Cùm Petrus bis confeſſus fuerit Chriſti Diuinitatem; ſemel Ioan. 6. 70. [Nos credidimus; quia tu es filius Dei;] & ſemel Matth. 16. 16. [Tu es Chriſtus filius Dei viui;] cur priori loco nullam meritus ſit laudem à Chriſto; poſteriori verò dictum illi ſit, [Beatus es Simon Bariona?] Reſpondeo. Hoc ideò factum eſt, quia priori loco multi ex diſcipulis diſcedebant à Chriſto, & non credebant, quę ab ipſo dicebantur de manducanda ſua carne, & bibendo ſuo ſanguine. Vndè poſteà dicebat: [Numquid, & vos vultis abire?] Tunc reſpondit Petrus: [Nos credidimus, & cognouimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei.] Ne ergo Petrus, ſi à Chriſto laudaretur, præferret ſe alijs, qui receſſerant à Chriſto, & ſibi de ſua perſeuerantia blandiretur; noluit illum Chriſtus laudare. At poſteriori loco, non erat occaſio Superbiæ, ideòque dixit Chriſtus: [Beatus es Simon Bariona.] Vide Theophylactum, & Toletum in cap. 1. Ioannis.

Sexta Prærogatiua.

SExta eſt; quòd ſoli Petro inter omnes Apoſtolos promiſſa ſit conſtantia fidei, & Cathedræ. Et quidem duobus locis. Primò: Matth. 16. 18. [Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.] Deindè Luc. 22. 32. [Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua.] Quod ad priorem promiſſionem attinet, iuxtà Hebraicum textum, quo Matthæus ſcripſit Euangelium, non eſt illa generis differentia inter Petrum, & Petram, ſed vtrobique eodem genere dicitur: [Tu es Petra, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.] Perindè ac ſi dicas: Tu es Petra, ſuprà quam ædificabo Eccleſiam meā. Vndè manifeſtum eſt, per petram non poſſe aliud intelligi, quàm ipſum Apoſtolum Petrum, qui eſt quaſi lapis, ſeù petra fundamentalis, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia. Et quamuis non ſolus Petrus, ſed etiam reliqui Apoſtoli ſint lapides fundamentales, ità vt ſimul ſint Duodecim; iuxtà illud Apoc. 21. 14. [Et murus Ciuitatis, ideſt, Eccleſiæ, habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim, nomina duodecim Apoſtolorum Agni,] tamen reliquis Apoſtolis, & illorum Succeſſoribus, non eſt promiſſa conſtantia, & firmitas, quæ Petro, & illius Succeſſoribus promiſſa eſt. Vndè Cathedra Petri, & Succeſſorum eius adhuc firma conſiſtit, nec in ea hactenùs defecit fides Catholica, vt benè aduertit Auguſtinus in Pſalmo contrà partem Donati, vbi ait: [Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Petri Sede: Et in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſit, videte. Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.] At Cathedræ aliorum Apoſtolorum, quia non habuerunt hanc promiſſionem in Succeſſoribus, pridem collapſæ ſunt, vt Cathedra Iacobi Hieroſolymitana; Cathedra Ioannis Epheſina; Cathedra Matthæi Æthiopica; Cathedra Andreæ Scyticha.

Quòd autem per petram, ſuper quam Eccleſia ædificata eſt, debeat intelligi Petrus Apoſtolus, docent antiqui Patres. Origenes Hom.

Digitized by Google

Hom. 5. in Exodum: [Vide, magno illi Eccleſiæ fundamento, & Petræ ſolidiſſimæ, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam, quid dicatur à Domino.] Et in Pſ. 1. [Petrus, ſuper quem Chriſti Eccleſia ædificata eſt, contrà quam inferorum portæ non præualebunt.]

Et Baſilius Magnus ad c. 2. Iſaiæ: [Vnus ex his montibus fuit Petrus, quem Petram appellauit, propter maximam firmitatem fidei, propter infractum animi robur ad non cedendum inflictis plagis tentationum; ſuper quam Petram promiſit ædificare Eccleſiam ſuam.

Et lib. 2. contrà Eunomium: [Statim ex hac voce, Petra, intelligimus Petrum Ionæ filium, qui fuit ex Bethſaida, Andreæ fratrem, qui quoniam fide præſtabat, Eccleſiæ ſibi commiſſam ædificationem ſuſcepit.

Et Epiphanius in Ancorato: [Ipſe Dominus conſtituit Petrum Primum Apoſtolorum, Petram firmam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt, & portæ inferorum non valebunt aduersùs illam.

Et Chryſoſtomus Homil. in Petrum, & Heliam: [Sed vide, cuiuſmodi peccato permiſit ſubijci Petrum, illum talem, ac tantùm virum Apoſtolorum verticem, fundamẽtum immobile, & petram ſtabilem, quæ non poſſet concuti.

Et Cyrillus lib. 2. in Ioannem cap. 12. Intuitus autem eum Ieſus dixit: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, &c. Vocabulo ipſo commodè ſignificans, quòd in eo, tamquam in Petra, lapideque firmiſſimo, ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.

Et Theophylactus ad cap. 16. Matthæi. [Remunerat Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam, quòd ſuper eum ædificauit Eccleſiam.

Et ad cap. 22. Lucæ. [Tu verò conuerſus, confirma fratres tuos. Planus huius intellectus hic eſt: Quia te habeo, vt Principem Diſcipulorum, poſtquam negato me fleueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ petra es, & fundamentum.

Et Hieronymus in cap. 16. Matthæi: [Secundùm Metaphoram Petræ, rectè dicitur ei, Ædificabo Eccleſiam meam ſuper te.

Et Cyprianus lib. 4. Epiſt. 9. ad Pupianum, poſt medium: [Loquitur illic Petrus, ſuper quem ædificanda fuerat Eccleſia.

Et Auguſtinus ſer. 15. de Sanctis. [Petrum itàque fundamentum Eccleſiæ Dominus nominauit, & ideò dignè fundamentum hoc Eccleſia colit, ſuprà quod Eccleſiaſtici ædificij altitudo conſurgit.

Ex horum Patrum auctoritate conſtat, Petrum eſſe fundamentum Eccleſiæ, eſſe Petram ſolidam, firmam, ſtabilem, immobilem, ſuper quam Eccleſia Chriſti fundata eſt. At obijcis, non deeſſe alios Patres, qui per petram non intelligunt ipſum Petrum, ſed fidem ſeù confeſſionem Petri. Reſpondeo. Vtrumque intelligunt, & Petrum ipſum, & confeſſionem Petri. Nam cùm aſſerunt, Eccleſiam fundatam eſſe ſuper fidem, & confeſſionem Petri, volunt ſignificare, fundatam eſſe ſuper Petrum, propter illius fidem, & confeſſionem, vt rectè notat Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Pontifice cap. 10. circà finem, & Maldonatus ad cap. 16. Matthæi. Et modus ille loquendi vſitatus eſt. Vſitatè enim dicimus, in vnius hominis prudentia, & fidelitate fundatam eſſe Rempublicam, ideſt, in vno homine, propter ipſius prudentiam, & fidelitatem. Item, valitudinem Imperatoris pendere à peritia vnius medici, ideſt, ab vno Medico, propter inſignem illius peritiam.

Sed iterùm obijcis (lib. 1. cap. 6. num. 14. & ſeqq.) hanc explicationem non eſſe ſecundùm mentem illorum Patrum. Nam illos loqui de fide, abſtrahendo à perſona Petri. Et ſic omninò loquendum eſſe, probas hac ratione: [Fides in Petro, vel eſt ratio finalis, cur Petrus ſit fundamentum; & ſic vbique, vbi erit illa fides, erit fundamentum: vel eſt tantùm conditio, ſine qua Petrus non eſſet fundamentum; & ſic locutio eſt valdè impropria.] Reſpondeo. Apertè pugnas cum ſcriptura, quæ Chriſtum, Apoſtolos, & Prophetas vocat fundamenta Eccleſiæ, vt dictum eſt. Si ergo Chriſtus eſt fundamentum, ſi Apoſtoli, & Prophetæ ſunt, cur Petrus eſſe non poſſit? Et, ſi ſuper Chriſtum, Apoſtolos, & Prophetas ædificata eſt Eccleſia, cur ſuprà Petrum ædificari non potuit? Aut à contrario, ſi fundamentum Eccleſiæ non eſt Petrus, ſed fides ſeparata à perſona Petri; cur non ſimili modo dicis, nec Chriſtum, nec Prophetas, nec Apoſtolos eſſe fundamentum Eccleſiæ, ſed aliquid aliud ſeparatum ab illorum perſona? Hic reſponde, ſi potes.

Ratio, quam adfers, nihil efficit. Primò, quia non ſequitur, quod infers in priori mẽbro; Si fides in Petro eſt finis, propter quem Petrus eſt fundamentum: Ergo vbicumque eſt fides, ibi erit fundamentum. Sicut in ſimili non ſequitur; Si ſanitas eſt finis, propter quem ſumitur medicina: Ergo vbicumque eſt ſanitas, ibi eſt medicina. Sed ſuſpicor mendum eſſe in tuo exemplari, & pro illa particula, Ratio finalis, ponendam eſſe iſtam, Ratio formalis. Sed tunc, omiſſo priori membro, negandum eſt, quod infers in poſteriori, de impropria locutione. Iàm enim oſtendi, vſitatè dici poſſe, Petrus eſt Petra Eccleſiæ propter confeſſionem fidei. Denique, præter duo membra, quæ aſſumis, datur tertium, nempè, confeſſio fidei eſt cauſa moralis, propter quam Petrus eſt Petra Eccleſiæ. Sicut virtus eſt cauſa moralis, propter quam aliquis eligitur in Epiſcopum. Et meritum Chriſti eſt cauſa moralis noſtræ iuſtificationis: Et interceſſio Principis eſt cauſa moralis, propter quam quis admittitur in aulam Imperatoris. Nam Petrus per confeſſionem fidei, quodammodo meritus eſt, vt fieret Petra Eccleſiæ. Et hoc ſenſu loquuntur Patres. Maximus Taurinenſis Hom. 3. in natali Apoſtolorum Petri, & Pauli: [Quanti, inquit, meriti apud Dominum ſuum Petrus erat, vt ei totius Eccleſiæ gubernacula traderentur.] Et Theophylactus ad c. 16. Matthæi:] Remunerat Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam, quòd ſuper eam ædificauit Eccleſiam.] Et alij.

Sed vt magis percipias, quàm inepta ſit tua ratio, duo quæram ex te: Vnum, ſi fides, abſtrahendo à perſona Petri, eſt fundamentum Eccleſiæ, vt tu vis; vel abſtrahis illam à ſolo Petro, vel ab omnibus vniuerſim.

Si à

Digitized by Google

Si à ſolo Petro, & non ab alijs, quid cauſæ? Si ab omnibus, non erit ratio, cur Apoſtoli potiùs dicantur ſundamenta Eccleſiæ, quàm alij Chriſtiani. Quæ enim eſse poteſt, ſi fides eſt ſundamentum, abſtrahendo ab omnibus? Alterum, quo ſenſu Chriſtus dicatur eſse fundamentum? An agnoſcis aliquid in Chriſto, quod ſit fundamentum Eccleſiæ, abſtrahendo à perſona Chriſti? An verò aliquid, quod ſit ratio formalis, vel conditio, ſine qua Chriſtus non eſset ſundamentum? Hìc redit tua quæſtio. Ad quam reſponde. Sin minùs, paulò poſt ego reſpondebo.

Quod obijcis, Patres loqui de fide ſeparata à Petro, partim falſum eſt; partim illorum ſententiam non aſsequeris. Falſum eſt de ijs, qui apertè aſserunt, Petrum eſse fundamentum Eccleſiæ propter confeſſionem fidei. Reliquos non intelligis. Vt intelligas, explicandum eſt, quomodo Chriſtus, quomodo Petrus, quomodo reliqui Apoſtoli, quomodo item fides dicatur eſse fundamentum Eccleſiæ. Igitur hęc tria diſtinguenda ſunt. Primò, fides in Chriſtum, quæ in eo conſiſtit, vt credas Chriſtum eſse filium Dei, verum Deum, ac verum hominem. Secundò, confeſſio illius fidei, de qua Apoſtolus Ro. 10. 10. [Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.] Tertiò, prædicatio eiuſdem fidei, de qua ibidem v. 14. [Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur?] Iuxtà hanc diſtinctionem, hæ tres propoſitiones veræ ſunt. Prima, Chriſtus eſt primarium fundamentum Eccleſię, ratione fidei circà ipſius Diuinitatem, & Incarnationem. Secunda, Petrus eſt ſecundarium ſundamentum Eccleſiæ, ratione confeſſionis illius fidei, quam fecit dicendo: [Tu es Chriſtus Filius Dei viui;] habens annexam promiſſionem ſtabilitatis pro ſe, & ſuis Succeſsoribus. Tertia, Apoſtoli ſunt ſecundaria fundamenta Eccleſiæ poſt Petrum, ratione prædicationis eiuſdem fidei in Chriſtum: non habentes annexam promiſſionem ſtabilitatis in ſuis Succeſsoribus.

Iuxtà primam propoſitionem intelligendum eſt illud 1. Corinth. 3. 11. [Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.] Vbi Chriſtus dicitur ſundamentum, ratione fidei circa ipſius Diuinitatem, vt explicat Gregorius libro 7. epiſtola 47. Anſelmus, Cornelius de Lapide, & alij in commentario illius loci. Quod intelligunt de fide viua, quæ per charitatem operatur, vt loquitur idem Apoſtolus ad Galath. 5. 6. Verba Gregorij ſunt hæc: [Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, &c. Quiſquis ergo in dilectione Dei, & proximi, fidei, quæ in Chriſto eſt, firmitatem tenet, eundem Ieſum Chriſtum, Dei, & hominis filium, apud ſe poſuit fundamentum.]

Iuxtà ſecundam intelligendum eſt illud Matth. 16. 17. [Beatus es Simon Bariona,] propter confeſſionem fidei, quam Deo Patre inſpirante feciſti, dicens: [Tu es Chriſtus Filius Dei viui.] Propter hanc confeſſionem, [ſuper te, (tamquam petram firmam, ac ſtabilem,) ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.] Quare? quia confeſſio fidei, quam feciſti, numquam defectura eſt in te, & Succeſſoribus tuis. [Ego enim pro te rogaui, vt non deficiat fides tua.]

Iuxtà tertiam intelligendum eſt illud Epheſ. 2. 20. [Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum,] ideſt, ſuper Apoſtolos, & Prophetas, qui propter prædicationem fidei in Chriſtum ſunt fundamenta Eccleſiæ ſecundaria; & ſuper hæc fundamenta proximè, & immediatè ſuperædificantur alij Chriſtiani, qui per illorum prædicationem ad fidem Chriſti conuertuntur. Vide Cornelium de Lapide ibidem.

Ex dictis facilè intelligi, & conciliari poſſunt Patres, quos adduxiſti. Nàm aliqui loquuntur de fide Chriſti, iuxtà primam propoſitionem. Et ſic fides ſeparari poteſt à Petro, non tamen à Chriſto, qui eſt principale obiectum illius fidei. Sic loquitur Bernardus epiſt. 149. cùm ait: [Teſtante Apoſtolo, ſicut vnus Deus, vna fides eſſe dignoſcitur, in qua, tamquam immobili fundamento, prætee quod, nemo aliud poteſt ponere, firmitas Eccleſiæ Catholicæ inuiolata conſiſtit.] Alij loquuntur de confeſſione fidei, iuxtà ſecundam propoſitionem; & ſic fides non poteſt ſeparari à Petro, quia ſolus Petrus eſt, qui propter hanc fidei confeſſionem meritus eſt appellari petra, ſeu fundamentum Eccleſiæ. Sic loquitur Stephanus Papa à te citatus ex Baronio: [Catholica, inquit, Chriſti, & Dei noſtri Eccleſia, fundata ſuper firmam petram, Apoſtoli videlicet Petri confeſſionem.] Et plures alij.

Maneat igitur certum, fixumque, ſextam Petri Prærogatiuam in eo conſiſtere, quòd ipſi ſoli, cum ſuis Succeſſoribus, non autem reliquis Apoſtolis, cum ſuis Succeſſoribus, promiſſa ſit conſtantia fidei, & Cathedræ; & quòd ideò dicatur firma petra, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia, numquam ruitura.

Septima Prærogatiua.

SEptima eſt, quòd Chriſtus pro ſolo Petro, & ſeipſo, non pro alijs Apoſtolis, voluerit tributum, nempè ſtaterem, ſeu didrachmum ſolui in Capharnaum, Matth. 17. 26. [Da eis pro me, & te.] Nimirùm, vt oſtenderet, Petrum alijs præferendum eſſe, & ipſum ſolùm cum Chriſto, tamquam Vicarium cum ſuo Domino ſociandum, vt explicant Auguſtinus libro quæſtionum veteris, ac noui Teſtamenti quæſt. 75. Hieronymus ad cap. 18. Matthæi, circa initium, Theophylactus ibidem, Chryſoſtomus homilia 56. in Matthæum, & alij plures. Ponam illorum verba.

Auguſtinus ſic ſcribit: [Saluator autem, cùm pro ſe, & Petro dare iubet didrachma, pro omnibus exſoluiſſe videtur; quia ſicut in Saluatore erant omnes cauſæ Magiſterij, ità & poſt Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipſum enim conſtituit Caput eorum, vt eſſet Paſtor gregis Dominici.

Hieronymus ſic: [Poſt inuentum ſtaterem, poſt tributa reddita, quid ſibi vult Apo-

Digitized by Google

ſtolorum repentina interrogatio: Quis putas maior eſt in Regno Calorum? Quia viderant pro Petro, & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretij arbitrati ſunt, Petrum omnibus alijs Apoſtolis eſſe prælatum; qui in redditione tributi, Domino fuerat comparatos. Ideò interrogant: Quis maior ſit in Regno Calorum?

Theophylactus ſic: [Quia viderant Petrum à Chriſto honoratum,(honoratus enim erat hic, dando ſtatetem pro Chriſto, & pro ſe,) & propreteà humanum quiddam paſſi, inuidiaque accenſi, obliquè accedunt interrogantes Dominum, quis maximus eſſet?

Chryſoſtomus circa illa verba: [Da eis pro me, & te,] ſic ſubijcit: [Vidiſti honoris excellentiam. Vide nunc,quanta philoſophia vtitur Petrus. Huoc enim locum Marcus, qui Petri diſcipulus fuit, ideò videtur non ſcripſiſſe, quoniam ingens hinc hooor Magiſtro deferebatur. Sed negationem quidem ille diligentiſſimè ſcripſit. Hæc verò, quæ ad Magiſtri laudem pertinent, ipſo fortè ità volente, omninò ſiluit.] Et paolò poſt: [Humanom quid paſſi diſcipuli ſunt,quod Euangeliſta quoque ſignificaoit, dicens: In illa hora; quaodo ſcilicet illis omnibus Petrum protulit. Nàm cùm & Iacobus, & Ioannes primogeniti eſſent, oihil tamen tale pro ipſis feciſſe videtur.] Et paulò poſt: [Quando certos preferri conſpexerunt, (vt in Transfiguratione Petrum,Iacobum, & Ioannem,) nihil tale paſſi ſunt. Cùm verò ad voum delatus eſe hooor, tunc nimirùm doluerunt. Quamvis non ex hac re ſolùm, ſed ex alijs quoque multis inſtãmati fuerunt; tùm quia dixit illi, dabo tibi claoes Regni Cœlorum; tùm quia, beatus es Simon Bariona;tùm etiã hic,da eis pro me,& te; tùm denique,quia liberiùs eum multa cum Chriſto colloqui conſpiciebant.

Quid tu verò ad hæc omnia, Marce Aotoni? Primò, reperis ſolemnem tuam reſponſionem, nihil aliud hinc colligi poſſe, quàm Petrum propter primatum ætatis,& vocationis fuiſſe alijs prelatum. Agnoſcis ergo prelatum eſſe. Erras tamen, vt ſæpè dixi, id factum eſſe propter primatum ætatis, & vocationis. Nàm incertum eſe, an Petrus fuerit prioius omoium ætate. Et falſum eſe, antè alios omnes vocatum eſſe ad Apoſtolatum.

Deindè, ſigillatim hæc dicis de Auguſtino, Hieronymo, & Chryſoſtomo. Primò, incertum eſſe, an Auguſtinus ſit auctor illius libri. Auctorem verò,quiſquis ſit,nihil aliud voluiſſe, quàm Petrum fuiſſe caput, ideſt primum, & quaſi procuratorem cæterorum; aut, ſi plùs voluit, audiendum non eſſe. At plùs voluit ſine dubio. Voluit Petrum eſſe caput, & paſtorem gregis Dominici. Voluit omnes cauſas Magiſterij,quæ erant in Chriſto, fuiſſe etiam in Petro. An ideò, quia hoc voluit, audiendus non eſt? Vide ne tu audieodus noo ſis.

Secuodò ais, Hieronymum, poſt verba ſuperiùs citata, addidiſſe etiam hæc: [Videnſque Ieſus cogitationes eorum, & cauſas erroris intelligens, vult deſiderium gloriæ, humilitatis contentione ſanare.] Itaque ex Hieronymi ſententia, erraſſe Apoſtolos, exiſtimantes Petrum ſibi prælatum, tamquam verè dominum, principem, & monarcham.

Reſpondeo. Apoſtoli in vno errabant; in altero non errabant. Non errabant in eo,quòd putarent Petrum ſibi præferri. Hoc enim maniſeſtè conſtabat ex varijs ſignis, quæ Chryſoſtomus paulò antè attigit. At in eo errabant, quòd putarent illum, non ſolùm eo tempore ſibi præferri; ſed etiam poſteà in temporali Meſſiæ Regno, quod ſomniabant, fore præferendum. Atque hæc eſt Bellarmini ſententia, quam tu fruſtrà oppugnas.

Vt autem meliùs intelligatur, notandum eſt, Apoſtolos ter, vt minimum, contendiſſe de primatu. Primò, in via, quando poſt Transfigurationem ibant Capharnaum. Secundò, poſtquam veniſſent Capharnaum. Tertiò, quando poſteà ibant Hieroſolymam.

De prima contentione ſcribit Marcus cap. 9. 32. [Et venerunt Capharnaum; qui cùm domi eſſent, interrogabant eos: Quid in via tractabatis? At illi tacebant. Siquidem in via inter ſe diſputauerant, quis eorum maior eſſet.] Fortaſsè ex ea occaſione, quòd Petrus, Ioannes, & Iacobus, non item reliqui, fuiſſent cum Chriſto ſeorſim in Transfiguratione.

De ſecunda ſcribit Matthæus cap.18. 1. [In illa hora (cùm ſolutum erat tributum pro Chriſto, & Petro) acceſſerunt Diſcipuli ad Ieſum, dicentes: Quis putas maior eſt in Regno Cœlorum.] Iàm nona erat occaſio, propter ſolutionem tributi, in qua Petrus videbatur omnibus alijs præferri.

De tertia ſcribit idem Matthæus cap.20. 20. [Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs ſuis, adorans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dextram tuam,& vnus ad ſiniſtram in Regno tuo.] Et infrà: [Et audientes decem, indignati ſunt de duobus fratribus. Ieſus autem vocauit eos ad ſe, & ait: Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum,&c. Non ità erit inter vos. Sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter,&c.

Nunc quæſtio eſt,de quo primatu toties contenderint Apoſtoli? Tu putas contendiſse de primatu Eccleſiaſtico, quis ſcilicet eorum, poſt mortem Chriſti, futurus eſſet ipſius Vicarius, qui omnibus alijs deſpoticè præeſſet. Et in eo ipſos erraſſe, & à Chriſto correctos eſſe, cùm talis primatus nulli conferendus eſſet; ſed omnes futuri eſsent æquales. Hoc enim figmentum eſt, mi frater, quo conaris primatum Petri ſuſpectum facere apud Lectorem. Meliores auctores, quàm tu es, aliter ſentiunt. Nimirùm, putaſſe Apoſtolos, temporale Chriſti Regnum, quod ipſi imaginabantur, iàm appropinquare; & in eo cum ipſo ſe regnaturos; ideòque diſputaſſe, quis in illo Regno proximus poſt Chriſtum futurus eſset. Et quia in eo errabant, à Chriſto correctos eſſe. Quam dixi eſse Bellarmini ſententiam lib.1. de Pontifice cap.9. in fine. Et tu ipſe, vt ſoles eſse inconſtans, eandem ſequeris lib.1. cap.11. num.1.

Et probatur Primò ex illis verbis: [Dic, vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dextram tuam, & vnus ad ſiniſtram, in Regno tuo.] Vel, vt Marcus habet, [in gloria tua.] Per Regnum Chriſti intelligebant Regnum huius

vitæ,

Digitized by Google

vitæ, quo putabant Chriſtum potiturum, vt explicat Chryſoſtomus homilia 66. in Matthæum, vbi aie: [Quid porrò eſt, quod petunt? alius te docebit Euangeliſta. Nàm quoniam, inquit, propè Hieruſalem erant, credebantque Regnum Dei iam iàm euenturum, quod huius vitæ, ac ſeculare opinabantur; hæc poſtulabant, vt poſt honorem, faciliùs etiam omnia pericula poſſent euitare. Propterea Chriſtus ab his eos cogitationibus abducens, pericula, ſanguinem, necemque ipſam expetendam eſse iubet. Poteſtis, inquit, bibere calicem, quem Ego bibo?]

Et infrà: [Volebant autem, vt ego coniicio, quoniam ſuper duodecim ſedes ſeſsuros Diſcipulos audierunt, primatum huius conſeſsus impetrare; & præponi quidem ſe cæteris, prçterquam Petro, ſciebant, quem formidantes, dicere auſi ſunt: Dic, vt vnus à dextris, alter à ſiniſtris ſedeat. Quid igitur ipſe? vt ſignificaret nihil eos petere ſpirituale; ſed nec ſcire quidem, quid poſtulent; neſcitis, ait, quid petatis.]

Similiter Theophylactus in cap. 20. Matthæi: [Opinabantur filij Zebedæi, quòd vadens Hieroſolymam Dominus regnaturus eſset Regno quodam temporali. Audierant enim eum ſæpè dicentem: Ecce aſcendimus Hieroſolymam.

Et Hieronymus (de cuius ſententia diſputamus) in cap. 20. Matthæi: [Vnde opinionem Regni habet mater filiorum Zebedæi, vt cùm Dominus dixerit: Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum; & ignominiam paſſionis timentibus Diſcipulis nunciaret; illa gloriam poſtulet triumphantis? Hac, vt reor, ex cauſa; quia poſt omnia dixerat Dominus: (& tertia die reſurget;) putauit eum mulier poſt reſurrectionem illicò regnaturum.]

Vides, Marce Antoni, Hieronymum loqui de Regno temporali, non ſecùs ac Chryſoſtomum, & Theophylactum. In eo ſolùm ab ijs differre; quòd ipſi Regnum illud temporale, ex opinione Apoſtolorum, interpretentur, antè mortem Chriſti: Hieronymus, poſt reſurrectionem.

At vnde conceperant Apoſtoli hanc opinionem de inſtante temporali Regno Chriſti? Ex duplici, vt apparet, Chriſti teſtimonio. Vnum eſt, Matth. 16. 27. Marc. 8. 39. & Luc. 9. 27. [Amen, dico vobis; ſunt quidam de hìc ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in Regno ſuo.] Alterum, Matth. 20. 18. Marc. 10. 33. & Luc. 9. 44. [Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, &c.] Ex priori colligebant, Regnum Chriſti iàm proximè inſtare. Et quia putabant ſedem Regni debere eſſe Hieroſolymæ, vbi Dauid, & alij Reges habitauerant; ſimulatque Chriſtus, dixit: [Ecce aſcendimus Hieroſolymam,] perſuaſi ſunt, iàm iàm Regnum Hieroſolymæ inchoandum eſſe, & in eo Regno, ſe varia officia habituros. Contendebant igitur, quis ſupremum habiturus eſset.

Dicet fortè aliquis, Apoſtolos ex poſteriori teſtimonio contrarium debuiſſe colligere, nempè Chriſtum Hieroſolymæ moriturum, non regnaturum; quia de morte ſua clarè loquebatur, nulla facta Regni temporalis mentione. Reſpondeo. Id quidem debuiſſent colligere Apoſtoli, ſi intellexiſsent ſenſum verborum Chriſti. At non intellexerunt, vt fatetur Lucas loco citato, cùm ait: [At illi ignorabant verbum iſtud, & erat velamentum antè eos.] Loquitur de illo verbo: [Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum;] vbi de morte, & paſſione Chriſti agitur. Igitur ex ignoratione huius verbi, ortus eſt error Apoſtolorum, exiſtimantium, Chriſtum aſcendere Hieroſolymam ad poſſidendum Regnum temporale, de quo putabant illum anteà locutum eſſe, cùm dixerat: [Sunt aliqui de hìc ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in Regno ſuo.]

Tertiò ais, Hieronymum, cùm dixit: [Ex æqualitate pretij, arbitrati ſunt Apoſtoli, Petrum ipſis prælatum;] videri ſupponere, etiam pro cæteris Apoſtolis tributum fuiſſe ſolutum; ſed minùs, quàm pro Chriſto, & Petro. Contra quod dictum tria obijcis. Primò, non conſtare, pro cæteris ſolutum eſſe. Secundò, nec etiam conſtare, alios plùs, alios minùs pro dignitate perſonarum, ſolitos eſſe ſoluere. Tertiò, immò conſtare, omnes omninò, cuiuſcumque ætatis, ac conditionis eſſent, debuiſſe ęquale pretium perſoluere, iuxtà illud præceptum Domini, Exod. 30. 5. [Diues non addet ad medium Sicli, & pauper nihil minuet.] Nàm ex hoc præcepto pendere ſolutionem didrachmæ, iuxtà communem opinionem.

Similiter reprehendit Chryſoſtomum triplici titulo. Primò, quòd vnum præceptum pro alio per errorem ſumpſerit, nempè præceptum Siclorum pro primogenitis ſoluendorum, pro præcepto didrachmi. Secundò, quòd in ſua leuiuſcula inaduertentia perſeuerans, prælaturam Petri ſuper alios, colligat ex eo, quia tributum primogenituræ pro ipſo eſt ſolutum, non pro alijs. Tertiò, quòd dixerit Iacobum, & Ioannem fuiſſe primogenitos, cùm tamen fuerint fratres, qui ſimùl primogeniti eſſe non poſsunt.

Quæ hìc obijcis contra hos Patres, parùm ad rem faciunt. Solùm quæritur hoc loco, an Petrus in ſolutione didrachmi fuerit prælatus alijs Apoſtolis? Iſti Patres nobiſcum affirmant. Quid vis ampliùs? Ex quo autem præcepto iuſsum ſit dari didrachmum, nihil pertinet ad hanc quæſtionem. Sed tamen, quia litem de hac re moues, dicam. Inuenio triplex tributum, quod ex pręcepto debebant Iudæi perſoluere. Vnum, quod tenebantur dare in vſum Templi, Exodi. 30. 13. Alterum, quod dabant pro primogenitis, Num. 3. 46. Tertium, quod Auguſtus Imperator illis impoſuit, cùm iuſſit, vt vniuerſus Orbis deſcriberetur, Lucæ 2. 1. Igitur tu affirmas ſolutionem didrachmi pertinere ad primum præceptum. Ego contra aſſero, ad tertium pertinere. Mecum ſentiunt Hieronymus, Beda, & Maldonatus.

Octaua Prerogatiua.

OCtaua eſt, quòd Chriſtus poſt reſurrectionem inter omnes Apoſtolos, ſoli Petro primùm apparuerit. Sed duo obijcis. Primò, id non adeò eſse certum, quin negari poſſit. Ego contrà, adeò certum eſse contendo, vt negari, niſi ab Apoſtata, non poſſit. Primò. quia reliqui Apoſtoli id fatentur, coram Diſcipulis duobus redeuntibus ex Emaus, Luc. 22. 34. [Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.] Certè, ſi ipſis etiam apparuiſset, dixiſsent ſine dubio: [Apparuit nobis,] Et clariſſimè Paulus, 1.Cor. 15. 4. [Reſurrexit tertia die ſecundùm ſcripturas, & viſus eſt Cephæ, & poſt hoc vndecim.] Quaſi dicat, primùm viſus eſt ipſi Cephæ, & poſteà, alio tempore, viſus eſt alijs. Et tu auſis hoc negare? Audi Chryſoſtomum in illum locum: [Itàque Petro primùm apparet. Nàm qui Chriſtum primus confeſſus erat non abs re primus etiam reſurgentem videt.]

Et ibidem: [Itàque non omnibus initio viſus eſt, nec pluribus ſimul, ſed vni tantùm, & ei Principi, & fide maximè digno.]

Secundò ais. Chriſtum duplici de cauſa, inter Apoſtolos, primùm apparuiſſe Petro.

Primò, quia Petrus erat primus ordine, vocatione, & ætate inter Apoſtolos.

Secundò, quia maximè omnium indigebat conſolatione, propter ingentem dolorem ex trina negatione conceptum. Sed quæro: An quod hic aſſeris, adeò certum ſit, vt negari non poſſit? Si negari poteſt, nihil efficis. Si negari non poteſt, nec illud negari poteſt, primam apparitionem inter Apoſtolos ſoli Petro factam eſſe.

Cur ergo paulò antè dixiſti, negari poſſe? Nihil apud te conſtans eſt. Deindè, ſi ità. Chriſtus apparuerit primùm Petro propter cauſas à te aſſignatas: An ideò prærogatiua non eſt? At non tantò, inquies, vt ex ea Primatus Eccleſiaſticus colligi poſſit. Neque nos ex hac ſola prærogatiua Primatum colligimus, vt initio dixi, & iam clariùs explicabo.

Reliquæ Prærogatiuæ.

HActenùs adduxi eas prærogatiuas, quæ præceſſerunt Primatum Petri: nunc reliquas adducam, quæ ſecutæ ſunt. Priores, vel erant ſigna futuri Primatus, vel diſpoſitiones præuiæ, vel promiſſiones ad eundem obtinendum. Reliquæ ſunt effectus, & quaſi exercitia Primatus iam obtenti. Vnde apparet, te priores non rectè oppugnare ex eo, quòd ex ſingulis ſeorſim ſumptis, non poſſit euidenter conuinci Primatus. Non neceſſe id eſt. Sufficit, ſi vel ſingulæ, vel omnes ſimul ſumptæ, ſint quædam ſigna, vel diſpoſitiones ad futurum Primatum. Accipe ſimile exemplum. Quando Rex, vel Imperator vult alicui dare ſupremam Aulæ præfecturam, non ſolet reipſa dare, niſi priùs illum præ alijs habuerit commendatum, tum in familiari conuerſatione, tum in officijs Regni, vel Imperij, tum in legationibus, & ſimilibus prærogatiuis. Quare hoc? Quia per huiuſmodi præambula, partim vult illum diſponere ad ſupremam præfecturam; partim ſignificare, ſe illum præ alijs magni facere, & ad ſupremam dignitatem promouere velle: Ne ſi ſubito, & quaſi ex abrupto id faciat, videatur temerè ſine conſilio, & cum inuidia aliorum facere. Sic fecit Chriſtus. Voluit Petro dare ſupremam Eccleſiæ præfecturam; Sed non voluit ſine præuijs ſignis, & diſpoſitionibus, vt in ſimili iam explicatum eſt.

Ex hac declaratione manifeſtè conſtat, quo ſenſu nos Catholici colligamus Primatum Petri ex prærogatiuis, quæ Primatum præceſſerunt. Planè eo ſenſu, quo id faciunt prudentes viri in ſimili caſu. Sic enim illi ſolent ratiocinari. Rex noſter cogitat de ſupremo Aulæ Præfecto conſtituendo. Quis ille futurus eſt? Certè non alius, vt apparet, quàm Euſtachius. Nam præ reliquis, illi vni familiaris eſt; ſoli ſua conſilia communicat, ſolùm ad legationes obeundas adhibet; ſoli promiſſionem facit; denique in omnibus primum locum illi tribuit. Non poſſumus aliud ſtatuere, quàm quòd illum vnicum, & non alium ad ſupremam præfecturam deſtinauerit. Res vulgo nota eſt. Et miror, ſi hic velis tergiuerſari.

Sed notior fiet ex alijs prærogatiuis, quæ ex Primatu, tamquam effectus ex ſua cauſa, vel quaſi functiones conſecutæ ſunt. Nam Petrus, poſt quam ſuprema Eccleſiæ præfectura illi commiſſa eſt, per illa verba, [Paſce oues meas,] mox cœpit illam ad praxim applicare, & varios eius actus exercere.

Ac primò, conuocauit omnes Diſcipulos ad electionem noui Apoſtoli in locum Iudæ proditoris.

Secundò; primus promulgauit Euangelium Hieroſolymis.

Tertiò, primus fecit miraculum Hieroſolymis ad confirmandum Euangelium à ſe promulgatum.

Quartò, primus etiam prædicauit gentibus Euangelium.

Quintò, primus ſententiam dixit in Concilio Hieroſolymitano. Quæ omnia fecit ex auctoritate ſibi à Chriſto conceſſa. Et propter hanc cauſam Paulus Apoſtolus venit Hieroſolymam, vt Petrum, tamquam vniuerſalis Eccleſiæ Paſtorem, coram videret, vt ipſemet de ſe fatetur in epiſtola ad Galath. cap. 1. 18. De his ſingulis etiam aliquid dicendum eſt. Igitur, vt in eo, quem cœpimus, ordine perſiſtamus.

Nona Prærogatiua.

NOna prærogatiua eſt, quòd Petrus conuocauerit omnes Diſcipulos ad electionem noui Apoſtoli, Act. 1. 15. [In diebus illis, exſurgens Petrus in medio fratrum dixit. Viri fratres, oportet impleri Scripturam, &c.] Hic eſt primus actus præfecturæ Petri. De quo Chryſoſtomus homil. 3. in Acta: [Quàm eſt feruidus Petrus: Quam agnoſcit creditum à Chriſto gregem: Quàm in hoc choro Princeps eſt: Et vbique primus omnium incipit loqui.]

Et infrà ibidem: [Meritò primus omnium

nium auctoritatem vſurpat in negotio, vt qui omnes habeat in manu.]

Et Oecumenicus ad cap. 1. Actorum; [Surgit Petrus, non Iacobus, vt is, cui præſidentia Diſcipulorum commiſſa erat. Neque vllus orationi Petri contradixit, ſed mox ad eius præceptum conſtituerunt duos, quos digniſſimos eo gradu exiſtimabant, vt vnum eorum Deus ipſe deſignaret.]

Hìc multa obijcis contra illos duos Patres, quos vides tibi aduerſari. Nam illi dicunt, Petrum fuiſſe Principem eorum omnium, qui aderant in electione Matthiæ; habuiſſe eos in manu ſua; agnouiſſe illos tamquam gregem à Chriſto ſibi concreditum; vſurpaſſe in eos auctoritatem; eos viciſſim ad illius præceptum fuiſſe promptos, & expeditos. Hæc omnia tibi deſipiunt, mi Antoni. Quare? Quia aſtruunt Primatum Petri, quem tu ferre non potes. Quid ergo conſilij, aggrederis ipſos Patres, & quos ratione ſuperare non potes, calumnijs opprimendos cenſes. Igitur.

Primò obijcis: Chryſoſtomum oratoriè magis, quàm Theologicè locutum eſſe. Sed dic obſecro, verum, an falſum locutus eſt? Si verum, quid murmuras? Si falſum, cur apertè non dicis? niſi fortè; quicumque oratoriè loquitur, falſum; qui Theologicè, verum loqui cenſeri debeat.

Secundò obijcis, illa verba Chryſoſtomi, [Petrus agnoſcit creditum à Chriſto gregem,] fruſtrà, & otiosè ab eo dicta eſſe; quia Petrus tantùm agebat ibi de adimplendo numero Collegij Apoſtolici. Hoc autem Collegium non pertinebat ad gregem Petro concreditum. Erras, mi frater. Nam ſub iſta voce, Paſce oues meas, qua Petro grex Chriſti concreditus eſt, comprehenduntur etiam Diſcipuli Chriſti. Igitur, & illi Petro concrediti ſunt. De qua re ſuprà actum eſt: Et ſimul obiter notata tua leuitas, ac inconſtantia, qui modò omnes Chriſti fideles, modò omnes, exceptis Apoſtolis, modò ſolos Iſraelitas, ouium nomine comprehenſos, eſſe commentus es.

Tertiò obijcis, Actum Petri, qui conuocauit Diſcipulos ad electionem noui Apoſtoli, non fuiſſe Actum paſturæ, & ideò etiam hac parte, Chryſoſtomum impertinenter dixiſſe illa verba, Petrus agnoſcit gregem ſibi creditum. Iterum erras. Actus paſturæ varij ſunt vt cap.3. ex Ezechiele demonſtratum eſt. Eò te remitto.

Quartò obijcis Chryſoſtomum ſibi ipſi contradicere. Quod ſic oſtendis. Ex vna parte dicit, Petrum fuiſſe Principem in choro Diſcipulorum: Ex alia proponit hanc quæſtionem: [Cur Petrus non poſtulauerit ſolus à Chriſto, vt ipſi daret aliquem in locum Iudæ ſubſtituendum?] Et eam paucis his verbis ſoluit; [Iam Petrus erat ſeipſo factus melior.] Ex quibus tu, miro artificio, connectis has argutias: [Ergo Petrus, ex ſententia Chryſoſtomi, fuiſſet arrogans, ſi hoc præſumpſiſſet. At factus melior Chriſti reprehenſionibus, & proprio caſu, noluit tantùm audere. Arrogantia tamen, & præſumptio non fuiſſet: ſi Petrus relictus fuiſſet à Chriſto Monarcha totius Eccleſiæ: ad ipſum enim ſpectaſſet miniſtrorum ordinatio.]

Vndè infers, Petrum ex ſententia Chryſoſtomi, non eſſe ſupremum totius Eccleſiæ Paſtorem, ideòque Chryſoſtomum ſibi ipſi contradicere. Sed vt candidè dicam, quod res eſt, fingis Chymæras ex tuo capite, de quibus ne quidem ſomniauit Chryſoſtomus. Quæſtio Chryſoſtomi hæc eſt: Quare Petrus conuocauit omnes Diſcipulos, vt communi orationis ſuffragio poſtularent aliquem à Chriſto, in locum Iudæ ſubſtituendum? Quare non ipſe ſolus poſtulauit? Reſponſio eſt: [Quia Petrus erat ſeipſo factus melior.] Quaſi dicat: Quò quis melior eſt, eò humilior: Quò humilior, minoris ſe æſtimat: ac proindè, ſi aliquid à Deo petendum eſt, plùs fidit communi omnium orationi, quàm ſuæ ſolius priuatæ. Quamuis ergo Petrus potuiſſet ſolus à Deo poſtulare ſubſtituendum, maluit tamen communi aliorum ſuffragio id facere. Quid hìc mali eſt? Nihil, præter tuas ineptias.

Quintò obijcis aliam Chryſoſtomi contradictionem, ex illis ipſius verbis: [Iam, & illud conſidera, quàm Petrus agit omnia ex communi Diſcipulorum omnium ſententia, nihil auctoritate ſua, nihil cum Imperio.] Vnde infers; Petrum non fuiſſe Principem Diſcipulorum, quod tamen anteà dixerat Chryſoſtomus; ac proindè Chryſoſtomum ſibi iterum contradicere. Rectiùs dicam, te iterùm chymæras fingere. Sanè ex verbis Chryſoſtomi apertè colligitur, Petrum fuiſſe Principem; ſed Principem modeſtum, qui cùm poſſet ſua auctoritate, & Imperio agere, malit tamen Chriſti exemplum imitari. Si hoc non capis accipe domeſticum exemplum. Si quis laudaret Regem Angliæ, & diceret, omnia illum agere ex communi Epiſcoporum omnium ſententia; nihil auctoritate ſua, nihil cum Imperio, an tu ſtatim inferres: Ergo Rex non eſt? Caue ne feceris. Modeſtia Regum, & Principum non obſtat, quo minùs non poſſint agere ex auctoritate, & Imperio, ſi neceſſe ſit.

Sextò obijcis, Oecumenicum impropriè locutum eſſe, cum dixit: [Mox ad eius præceptum conſtituerunt duos.] Odiſti hanc vocem, præceptum?

Et paulò poſt addis [Oecumenicus de ſolo Primatu perſonali Petri eſt intelligendus, ideſt, de Primatu ætatis, & vocationis.] Non ità eſt. Debet intelligi de eo Primatu, quem ipſemet clarè explicat. De eo, inquam, Primatu, cui conueniunt hæc duo: præſidentia Diſcipulorum, & præceptum. Expreſsè enim aſſerit, Petro commiſſam eſse præſidentiam Diſcipulorum; & Diſcipulos feciſse, quod à Petro præceptum erat. Quòd ais, impropriè locutum eſſe, non credimus. Omitto ſimiles tuas nugas.

Decima Prærogatiua.

DEcima Prærogatiua eſt, Quòd Petrus poſt acceptum Spiritum ſanctum, primus omnium promulgauerit Iudæis Euangelium, Actor. 2. 14. Sicut Moyſes in veteri teſtamento primus omnium promulgauit legem Decalogi, & Deuteronomium. Vterque Actus pertinet ad Primatum. Nam ſicut Moyſes habebat Primatum Synagogæ, &

ideò

ideò Prælatus eſt alijs in promulgatione legis; ità Petrus habebat Primatum Eccleſiæ, & ideò Prælatus eſt alijs in promulgatione Euangelij.

Vndecima Prærogatiua.

VNdecima eſt, Quòd Petrus primum miraculum fecerit in confirmationem Euangelij à ſe promulgati, ſanando claudum ex vtero matris, Actor. 3. 6. In nomine Ieſu Chriſti Nazareni, ſurge, & ambula. Quæ prærogatiua non conſiſtit in eo, quòd Petrus miraculum fecerit in confirmationem fidei, quia hoc omnes Apoſtoli fecerunt, Marc. 16. 20. Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis: ſed conſiſtit in alijs duobus.

Primò in eo, quòd primum miraculum fecerit poſt promulgationem Euangelij. Hic non potes confugere ad Primatum ætatis, & vocationis, vt ſoles; quia ille Primatus nil facit ad patrandum miraculum, ſed neceſſariò id tribuendum eſt Primatui auctoritatis, & poteſtatis, quem Chriſtus voluit oſtendere in Petro per primi miraculi patrationem. Sicut etiam in Veteri Teſtamento, miraculo confirmauit Primatum Moyſis (num. 16.) Ac deindè Primatum Aaronis (num. 17.)

Secundò in eò, quòd fecerit miraculum, non qualecumque, ſed quòd claudum ſanauerit, pedes ipſius conſolidando. Hoc enim non caret myſterio, vt notat Ambroſius ſermone 66. Nam per hoc, quòd pedes infirmi hominis firmauit, ac conſolidauit, ſignificatum eſt, ipſum eſſe firmum, ac ſolidum fundamentum Eccleſiæ.

Duodecima Prærogatiua.

DVodecima eſt, Quòd Petrus non ſolùm apud Iudæos, ſed etiam apud gentiles, primus omnium promulgauerit Euangelium, & baptiſmum adminiſtrauerit (Act. 10. 34.) Huic prærogatiuæ annexa eſt alia, quòd ſoli Petro oſtenſa ſit viſio, qua iubebatur gentilibus Chriſtum annunciare Act. 10. 10. [Parantibus autem illis, cecidit ſuper eum mentis exceſſus. Et vidit Cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initijs ſubmitti de Cœlo in terram, in quo erant omnia, quadrupedia, & ſerpentia, & volatilia Cœli. Et facta eſt vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca.]

Hìc vnum dicis de priori parte prærogatiuæ: Duo de poſteriori, nempè de viſione Petro exhibita. De priori, fateris inſignem fuiſſe prærogatiuam Petri, quòd primus annunciauerit gentibus Euangelium: non tamen prerogatiuam Principatus, ſed ſollicitudinis, ac diligentiæ, qua cæteros omnes ſuperauit. At alibi aſſeris, Paulum ſuperaſſe omnes prærogatiua ſollicitudinis, ac diligentiæ: Paulus autem iam erat Apoſtolus eo tempore; quo Petrus prædicauit gentibus Euangelium: Ergo ſi illa fuit inſignis prerogatiua Petri, non fuit diligentiæ, ſed Principatus.

De poſteriori pronuncias hæc duo, quæ directè inter ſe pugnant.

Primò, viſionem illam fuiſſe priuilegium, quo Petrus, tamquam ſenior, & feruentior inter Apoſtolos, meruit decorari.

Secundò, non fuiſſe priuilegium, ſed potiùs increpationem, quia cum Petrus eſſet nimirùm refractarius, & vix poſſet adduci ad vocationem Gentium, neceſſe fuit, vt per viſionem illam quaſi compelleretur ad officium Itane, Marce Antoni? Iam antè dixiſti. Petrum omnes alios ſuperaſſe ſollicitudine, diligentia, & feruore. Nunc dicis, fuiſſe refractarium, & propterea increpatum, ac reprehenſum à Deo. Nuſquam es conſtans.

Et ne conquereris iniuriam tibi à me factam eſſe, recitabo verba tua; quibus hanc contradictionem inuoluis. Sunt autem hæc: [Fuit inſignis Petri ſollicitudinis prærogatiua, qua ſollicitudine, & indefeſſa diligentia Petrus cæteros facilè ſuperauit.]

Et mox de viſione ſic pergis: [Fuit priuilegium, quo primus, & maximus natu ex Apoſtolis, & feruentiſſimus executor, meruit condecorari.]

Deindè, facta digreſſione contra Bellarminum, quaſi immemor verborum tuorum, ſic concludis: [Hæc viſio plùs ſimplicis inſtructionis, & quaſi cuiuſdam increpationis, quàm laudis, & prerogatiuæ in Petro videtur innuere. Is enim Iudaiſmo addictiſſimus, vix poterat in Gentilium vocationem ad diuinæ filiationis gratiam inclinare. A qua illum auerſione, vt Chriſtus amoueret, nimiùm legalibus addictum, viſione hac occurrit, non ſine illa redargutione: Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Ac ne ipſe, nimiùm fortaſsè in hoc refractarius videretur, ter viſio illa, aut ſaltem hæc vox repetita eſt.] Iam vide, quomodo inter ſe cohæreant, quæ hìc aſſeris.

Taceo de iniuria, quam Petro irrogas. Ais, fuiſſe Iudaiſmo addictiſſimum, vix potuiſſe in gentilium vocationem inclinare, fuiſſe refractarium. Vnde probas? Ex falſa Scripturæ interpretatione: quaſi ob hanc cauſam reprehenſus fuerit his verbis: [Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.] Non ità eſt. Nam Petrus audita hac voce: [Occide, & manduca; reſpondit: Abſit Domine, quia numquam manducaui omne commune, & immundum. Deindè ſequitur: Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.] Hoc tu interpretaris, quaſi Petrus noluerit conſentire in vocationem gentium, & quodammodo fuerit refractarius. Abſit. Nihil adhuc cogitabat de gentilibus; Quia nondùm intelligebat myſterium viſionis. Solùm aſſerebat, ſe numquam comediſſe animalia immunda, quæ ſecundùm legem Moſaicam, erant prohibita. Nec ſciebat, per animalia immunda ſignificari gentiles. Hoc poſteà intellexit: Et poſtquam intellexit, numquam oſtendit ſe refractarium circa gentium vocationem, ſed promptum, & expeditum.

Decimatertia Prærogatiua.

DEcimatertia eſt, Quòd Petrus primo loco ſententiam dixerit in Concilio Hieroſolymitano, Act.15. 7. [Cùm autem magna inquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, &c.] Et quòd omnes ſententiam illius ſecuti fuerint: De quo Diuus Hieronymus in epiſtola ad Auguſtinum (quæ eſt vndecima inter epiſtolas Auguſtini) ſic ſcribit; [In ſententiam eius Iacobus Apoſtolus, & omnes ſimul Presbyteri tranſierunt.]

Et Theodoretus in epiſt. ad Leonem. [Paulus præco veritatis, tuba ſanctiſſimi Spiritus, ad magnum Petrum cucurrit, vt ijs, qui Antiochiæ de legalibus iuſtitutis contendebant, ab ipſo adferret ſolutionem.] Vtique ab ipſo, tamquam controuerſiarum iudice.

Tria obijcis. Primò, Petrum primo loco ſententiam dixiſſe tamquam Decanum Collegij; idque ratione ætatis, non iuriſdictionis. At, mi homo, Decanus Collegij Canonicorum (ſaltem in Germania) non eſt nomen ætatis, ſed dignitatis; Et ſolet præſidere Capitulo, non tamquam ſenior ætate (cùm ſæpe ſit iunior,) ſed tamquam ſuperior iuriſdictione.

Secundò obijcis, Iacobum in Concilio Hieroſolymitano aliquid ampliùs decreuiſſe, quod Petrus non decreuerat, nempè abſtinentiam à contaminationibus ſimulacrorum, & fornicatione, & ſuffocatis, & ſanguine. Diſtinguo. Nihil ampliùs decreuit circa quæſtionem in Concilio propoſitam: aliquid tamen ampliùs circa alia, quæ nō erant propoſita. Quæſtio propoſita erat hæc: An circumciſio eſſet neceſſaria ad ſalutem ijs, qui ex Gentibus conuertebantur ad fidem Chriſti? Reſpondit Petrus non eſſe. Nec aliud reſpondit; quia aliud non quærebatur. Quod etiam ſeruatur à iudicibus ſæcularium controuerſiarum. Putant ſe abundè ſatisfeciſſe ſuo officio, ſi clarè, & directè reſpondeant ad id, quod à litigantibus proponitur. Nihil ergo obſtat, quòd Iacobus aliqua adiecerit, quæ à litigantibus non erant propoſita.

Tertiò obijcis, Decretum in illo Concilio factum, non prodijſſe nomine ſolius Petri, ſed totius Concilij, vt patet ex inſcriptione. [Apoſtoli, & ſeniores fratres, his, qui ſunt Antiochiæ.] Reſpondeo. Si quæſtio ſoli Petro fuiſſet propoſita, prodijſſet decretum nomine ſolius Petri, ſed quia toti Concilio fuit propoſita, debuit prodire nomine totius Concilij, cui Petrus præſidebat. Idem fit in Concilijs, & Parlamentis ſecularibus. Nam Decreta, quæ ibi fiunt, non prodeunt nomine ſolius præſidijs, ſed nomine Concilij, vel parlamenti.

Hæc ſufficiant de prærogatiuis Petri: quarum aliquæ, vt dixi, præceſſerunt ipſius primatum, tamquam ſigna, vel diſpoſitiones præuiæ, aliæ ſecutæ ſunt, tamquam effectus, & executiones primatus iam obtenti. Deinceps diluendæ ſunt obiectiones, quas magno ſtudio ex alijs aduerſarijs tranſcripſiſti, vt Petri, & Pontificis auctoritati derogares. Impium hoc ſtudium eſt, & à rebellibus vſurpatum. Vtinam in proximorum ſalutem id contuliſſes.

CAP. VII.

Diluuntur Obiectiones Marci Antonij contra Primatum Petri.

MVlta obijcis, Marce Antoni, contra primatum Petri; non quidem ſtudio veritatis, quam agnitam oppugnas; ſed Spiritu ambitionis, quo video te ad ſcribendum impulſum eſſe. Sunt autem hæ potiſſimùm obiectiones.

Primò, Eccleſia Apoſtolis omnibus æquè à Chriſto commendata eſt.

Secundò, Euangelium reprobat primatum inter Apoſtolos.

Tertiò, Ipſi Apoſtoli in Petro non agnouerunt primatum.

Quartò, Nec Petrus illum vnquam exercuit.

Quintò, Pauli reprehenſio, qua Petrum obiurgauit, deſtruit primatum Petri.

Sextò, Idem colligitur ex ſcriptis Pauli.

Septimò, Et ex comparatione Petri, & Pauli. Hæc eſt ſumma tuarum obiectionum, quas ferè ex Bellarmino ſuffuratus es. Primam proponis lib.1. cap.3. Reliquas cap.11. ſingulas eo ordine, quo propoſitæ ſunt, diſcutiam.

I. OBIECTIO.

Eccleſia Apoſtolis omnibus fuit æquè à Chriſto commendata.

HOc probas dupliciter. Primò, Ex Scriptura. Secundò, Ex Patribus. Ex Scriptura ſic, Chriſtus dixit omnibus Apoſtolis. [Sicut me miſit Pater, & ego mitto vos. Item, Euntes, docete omnes gentes.] Omnibus ergo ſuam Eccleſiam commendauit. Quòd autem æquè omnibus, indè colligis, quia omnes æquè docuit, & inſtruxit; omnibus æquè miſit Spiritum ſanctum in die Pentecoſtes. Reſpondeo. Prior pars argumenti vera eſt, quòd Chriſtus commendauerit ſuam Eccleſiam omnibus Apoſtolis, poſterior falſa eſt, quòd omnibus æquè commendauerit, nam ſoli Petro dixit: [Paſce oues meas.] Igitur paſtura omnium ouium ſoli Petro, non alijs commendata eſt. De quo ſuprà. Nec valet hæc tua conſequentia: Omnes æquè inſtructi ſunt, & æquè Spiritum ſanctum acceperunt. Ergo vnus non habet maiorem iuriſdictionem, quàm alius. Nam aliud eſt loqui de doctrina, & ſanctitate; aliud de iuriſdictione. Non omnes, qui pares ſunt in doctrina, & ſanctitate, ſunt etiam pares in iuriſdictione. Alioqui Rex in Regno, ſi non haberet maiorem doctrinam, & ſanctitatem, quàm ſubditi, non haberet etiam maiorem iuriſdictionem. Nec tu, Marce Antoni, ſi haberes Sacellanum pari doctrina, & ſanctitate, non eſſes illo ſuperior quò ad

iuriſ-

iuriſdictionem. Quæ omnia abſurda ſunt. Et ratio à priori eſt, quia iuriſdictio non ſe-noo peodet à maiori doctrina, & ſanctitate.

Nec fortaſsè verum eſt, quod aſſeris de æquali inſtructione. Nam Paulus Apoſtolus fuit raptus in tertium Cœlum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Quid ſi ille magis inſtructus fuerit, quàm ceteri Apoſtoli? Certè id admodùm veriſimile eſt. An ideò maiorem habuit iuriſdictionem, quàm alij Apoſtoli? Hactenùs nemo id dixit.

Ex Patribus, pro æqualitate Apoſtolorum, adducis primo loco Cyprianum tract. de ſimplicitate Prælatorum, ſiue de vnitate Eccleſiæ, vbi ſic habet: [Hoc erant vtique, & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis. Sed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia vna monſtretur.] Hunc locum valdè vrges; in quo continentur duæ propoſitiones. Vna de paritate Apoſtolorum: Altera de vnitate. Et putas priorem ſecundùm literam non poſſe aliter explicari, quàm quòd omnes Apoſtoli fuerint pares in honore, & poteſtate; ac proindè Petrus non habuerit plùs poteſtatis, quàm cæteri. Si autem Catholici, inquis, volunt ex poſteriori contrarium probare, videant, quomodò defendant Cyprianum à contradictione. Reſpondeo. Et prior, & poſterior propoſitio vera eſt, ſine vlla contradictione. Nam verum eſt, omnes Apoſtolos, antequam Petrus totius Eccleſiæ præfectus conſtitueretur per illa verba, [Paſce oues meas,] fuiſse inter ſe æquales in honore, & poteſtate. Verum quoque eſt, eundem Petrum, poſtquam præfecturam Eccleſiæ accepit, fuiſse maiorem reliquis in honore, & poteſtate. Et hoc ſignificatur per Exordium ab vnitate. Itaque hic locus Cypriani non tibi, ſed nobis patrocinatur.

Quod, vt clarè percipias, ſcopus, & intentio Cypriani explicanda eſt. Igitur hæc eo loco docet Cyprianus. Primò, Diabolum, poſt idololatriam, per Chriſti aduentum ſublatam, occulta quadam aſtutia circumuenire Chriſtianos, vt poſſit illos in ſuas partes pertrahere: non iàm iterùm per idololatriam, ſed per hæreſes, & ſchiſmata, quæ ab ipſo in Eccleſia excitantur. [Quid verò, inquit, aſtutiùs, quidve ſubtiliùs, quàm ve Chriſti aduentu detectus, ac proſtratus inimicus, &c. Videns idola derelicta, & per nimium credentium populum, ſedes ſuas, ac templa deſerta, excogitauerit nouam fraudem, vt ſub iſto Chriſtiani nominis titulo fallat incautos? Hæreſes inuenit, & ſchiſmata, quibus ſubuerteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet vnitatem. Quos detinere non poteſt in viæ veteris cœcitate, circumſcribit, & decipit noui itineris errore. Rapit de ipſa Eccleſia homines, & dùm ſibi appropinquaſſe iàm lumini, ac euaſiſſe noctem ſeculi videntur, alias neſcientibus tenebras rursùs infundit, vt cum Euangelio Chriſti, & cum obſeruatione eius, & lege non ſtantes, Chriſtianos ſe vocent, & ambulantes in tenebris, habere ſe lumen exiſtiment, blandiente aduerſario, atque fallente, &c.]

Secundò docet, ideò multos per aſtutiam Diaboli fieri hæreticos, & ſchiſmaticos, quia non coniungunt ſe Capiti, & Paſtori Eccleſiæ, à quo eſt origo veritatis. Relicto enim hoc Capite, neceſſarium eſſe, vt à veritate recedatur. [Hoc eo fit, inquit, fratres dilectiſſimi, dùm ad veritatis originem non reditur, nec Caput quæritur, nec Magiſtri cœleſtis doctrina ſeruatur.]

Tertiò ait, ſe breui compendio velle oſtendere ex doctrina cęleſtis Magiſtri, quodnam ſit hoc Caput, à quo eſt origo veritatis. Nàm oſtenſo, & retento hoc Capite, non erit ampliùs periculum recedendi à veritate. Oſtendit autem ex verbis Chriſti, Petrum, cum ſuis Succeſſoribus eſſe hoc Caput. [Quæ ſi quis conſideret, inquit, & examinet, tractatu longo, atque argumento opus non eſt. Probatio eſt ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claues Regni Cœlorum, &c. Et eidem poſt Reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oues meas.]

Mox objicit ſibi ipſi in hunc modum: Chriſtus omnibus Apoſtolis dedit æqualem poteſtatem: Ergo Petrus non eſt Caput Eccleſiæ.

Et reſpondet, dediſſe quidem omnibus æqualem poteſtatem, ſed poſteà ex omnibus æquali poteſtate præditis, elegiſſe Petrum, vt eſſet Caput, ſeu Monarcha Eccleſiæ; vt hac ratione cauerentur ſchiſmata, quæ facilè oriri ſolent inter æquales; & ſeruaretur pax, & vnitas in Eccleſia, quæ faciliùs ſeruatur, quando eſt vnum Caput, à quo omnes dependent. [Et quamvis, inquit, Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam, parem poteſtatem tribuat, & dicat: Sicut miſit me Pater, & Ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctum, &c. tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem, ſua auctoritate diſpoſuit.]

Hoc ipſum magis confirmat ſequentibus verbis: [Hoc erant vtique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis; ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia vna monſtretur.] Quaſi dicat: Omnes Apoſtoli, antè electionem Capitis, quæ facta eſt per illa verba: [Paſce oues meas;] erant quidem æquales; ſed tamen Chriſtus, quia voluit exordium Eccleſiæ ſumere ab vnitate Capitis, & regimen Eccleſiæ eſſe Monarchicum, ex omnibus elegit Petrum, vt ipſe eſſet Caput Eccleſiæ. Nàm ſi in Eccleſia non eſſet vnum Caput, cui reliqua membra obtemperarent; non poſſet Eccleſiæ corpus eſſe vnum, ſed membra ſine Capite inter ſe diſſiderent, ac diſtraherentur.

Hinc infert Cyprianus, eos non habere veram fidem, ſed fieri hæreticos, & ſchiſmaticos, qui ab hac Capitis, & corporis vnitate recedunt. [Hanc, inquit, Eccleſiæ vnitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui Eccleſiæ renititur, & reſiſtit, in Eccleſia ſe eſſe cõfidit?] Quod declarat per ſimilia exempla. Nàm ſicut ſunt multi radij Solis, ſed vnum lumen; multi rami arboris, ſed vna radix; multi riui fõtis, ſed vna origo; ità multa ſunt membra Eccleſię, ſed vnum Caput. (Intelligit

Petrum,

Petrum, de quo ſupra) Et rurſùm, ſicut radius Solis auulſus ab vnitate luminis, diſparet; ramus à radice fractus, non germinat; riuus à fonte præciſus areſcit; ità ſchiſmatici, & hæretici, qui ſe ſeparant à Capite Eccleſiæ, id eſt, à Petro & illius ſucceſſoribus, non poſſunt retinere veram fidem, & charitatem. [Eccleſia, inquit, vna eſt, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur: quomodo Solis multi radij, ſed lumen vnum, & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum. Et cùm de fonte vno riui plurimi defluunt, numeroſitas licèt diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine. Auelle radium ſolis à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præſcinde riuum, præciſus areſcet: Sic & Eccleſia Domini luce perfuſa per Orbem totum radios ſuos porrigit, vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur: ramos ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit: profluentes largiter riuos latiùs expandit, vnum tamen Caput eſt, & origo vna, & vna mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa. Illius fœtu naſcimur, illius lacte nutrimur, Spiritu eius animamur. Adulterari non poteſt ſponſa Chriſti, incorrupta eſt, & pudica. Vnam domum nouit, vnius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit. Hæc nos Deo ſeruat, hæc filios regno, quos generauit, aſſignat. Quiſquis ab Eccleſia ſegregatus adulteræ iungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur. Nec pertinet ad Chriſti præmia; qui relinquit Eccleſiam Chriſti, alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt. Habere iam non poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet matrem.]

Ex hoc Cypriani diſcurſu tria colligo.

Primò, Apoſtolos quidem fuiſſe inter ſe æquales antequam vnum caput à Chriſto conſtitueretur; ſed illo ſemel conſtituto, non ampliùs manſiſſe pares.

Secundò, omnes recedere à veritate fidei, & fieri hæreticos, ac ſchiſmaticos, qui recedunt à Capite, quod à Chriſto conſtitutum eſt.

Tertiò, nec opus eſſe magno tractatu ad diſquirendum, quæ ſit vera fides. Nam illam eſſe veram fidem, quæ à Capite, tamquam ab origine (ex Chriſti inſtitutione) in reliqua membra deriuatur. Si hæc intelligis, Marce Antoni, redi ad vnitatem capitis, à qua receſſiſti; & non eris hæreticus; aut ſchiſmaticus.

Secundo loco adducis Hieronymum lib. I. contra Iouinianum, circa medium, vbi de æqualitate Apoſtolorum ſic ſcribit: [Ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidatur.] Reſpondeo. Hieronymus ibi confert inter ſe Petrum, & Ioannem, & dicit Ioannem, quia virgo erat, fuiſſe Chriſto chariorem, quàm Petrum, qui non erat virgo: Vt oſtendat virginitatem matrimonio præferendam eſſe, quod negabat Iouinianus. Et poſteà ſubiungit: [Si autem obnixè contenderit, Iouinianus, Ioannem virginem non fuiſſe, & nos amoris præcipui cauſam virginitatem diximus; exponat ille ſi virgo non fuit, cur cæteris Apoſtolis plus amatus ſit? At dicis: Super Petrum fundatur Eccleſia; licèt idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues Regni Cœlorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt Capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio. Sed cur non Ioannes electus eſt virgo? Ætati delatum eſt, quia Petrus ſenior erat; ne adhuc adoleſcens, ac penè puer, progreſſu ætatis hominibus præferretur.]

Ex his verbis conſtat, Hieronymum, quem pro te citas, in multis tibi contrarium eſſe.

Primò, Hieronymus aſſerit, Ioannem plus cæteris Apoſtolis amatum fuiſſe à Chriſto. Vnde ſequitur, Ioannem viciſſim plus cæteris amaſſe Chriſtum. Quod ſic probo: Deus plus diligit meliores, vt docet Diuus Thomas I. part. quæſt. 20. art. 4. Si ergo plus diligit Ioannem, quàm alios Apoſtolos, ſequitur Ioannem eſſe meliorem, quàm alij Apoſtoli. Ergo etiam melior eſt Petro: Ergo plus diligit Deum, quàm Petrus. At hoc contra te eſt, quia tu aſſeris, Petrum habere primatum charitatis præ alijs Apoſtolis.

Secundò, Hieronymus aſſerit, ſolum Petrum ex duodecim Apoſtolis electum eſſe, vt eſſet Caput Eccleſiæ, & cæteris præferretur. At ſi electus eſt, iam antea non erat Caput ratione ætatis, aut vocationis, vt tu contendis; Aut, ſi anteà erat, ratione ætatis, aut vocationis, electus non eſt.

Tertiò, Hieronymus dicit, ideò electum eſſe, vt conſtituto Capite, ſchiſmatis occaſio tolleretur. Ergo non eſt electus pro ſua tantùm perſona, vt tu vis, ſed etiam pro ſuis ſucceſſoribus. Nam ſi tempore Apoſtolorum, quando Eccleſia erat exigua, debuit eſſe vnum Caput ad cauendum ſchiſma; multò magis poſt tempora Apoſtolorum, quando Eccleſia fuit diffuſa per totum Orbem terrarum.

Quartò, Hieronymus dicit, Petrum potiùs electum eſſe in Caput, quàm Ioannem, quia non decebat, vt Ioannes, qui penè puer erat, præferretur ſenioribus. Certè, ſi putaret Hieronymus, quod tu fingis, Petrum eſſe Caput propter primatum ætatis, & vocationis, ſtultè diſputaret, quare non potiùs Ioannes ſit electus in Caput, quàm Petrus. Nam hoc eſſet diſputare, quare non potiùs Ioannes ſit electus, vt fieret ſenior ætate, & vocatione, quàm Petrus. Quæ eſt ſtulta diſputatio.

Sed obijcis, Hieronymum in eo nobis contrarium eſſe, quòd aſſerat æqualitatem Apoſtolorum. Reſpondeo. Si hoc darem, nihil aliud ſequeretur, quàm & tibi, & nobis contrarium eſſe; ſed tamen tibi magis, quàm nobis. Faciamus ità eſſe; Iam quæro ex te, an ſententia ipſius vera ſit, an falſa? Si vera eſt, tuam falſam eſſe oportet, quæ illi contraria eſt. Si falſa, cur præſidium ab ea petis? Si partim vera, partim falſa, quis inter veram, & falſam diſcernet? Non admitto te iudicem.

Sed non neceſſe eſt ad has anguſtias confugere. Nego Hieronymum nobis contrarium eſſe, niſi ſibiipſi contrarius ſit. Quod oſtendo ex ipſa diſceptatione, quam habet cum Iouiniano, in hunc modum. Hierony-

mus. Ioannes plus fuit amatus à Chriſto propter virginitatem, quàm Petrus, qui non erat virgo. Virginitas igitur præſtat matrimonio: Iouinianus. Nego Ioannem fuiſſe virginem. Hieronymus. Si virgo non fuit, cur plus fuit amatus, quàm alij? Iouinianus. Petrus plus fuit amatus, quia ſuper Petrum fundata eſt Eccleſia. Hieronymus. Si ſpectes doctrinam Apoſtolorum, ſuper omnes æquè fundata eſt Eccleſia, quia vna eſt doctrina omnium. Si ſpectes iuriſdictionem, fateor Petrum præ cæteris electum eſſe, vt eſſet Caput Eccleſiæ. At hinc non ſequitur, plus dilectum fuiſſe à Chriſto, quia iuriſdictio non neceſſariò ſupponit maiorem ſanctitatem, Iouinianus. Cur non potiùs Ioannes fuit electus, ſi erat virgo, vt tu contendis? Hieronymus. Propter defectum ætatis. Erat enim adhuc adoleſcens, ac penè puer. Non decebat autem, vt puer cum poteſtate præficeretur ſenioribus.

Si hic eſt diſcurſus Hieronymi cum Iouiniano, vt eſſe veriſimile eſt; nihil ex eo præſidij habes præter confuſionem. Si alius eſt, cur diſſimulas? Sed iterùm obijcis alia Hieronymi verba contra eundem Iouinianum: [Ioannes, inquit, & Iacobus quia plus cæteris petierunt, non impetrauerunt: Et tamen non eſt dignitas eorum imminuta, quia reliquis Apoſtolis æquales fuerunt.] Reſpondeo. Hoc contigit ante electionem Capitis. Tunc omnes Apoſtoli erant æquales. At poſtquam dictum eſt Petro, [Paſce oues meas,] deſierunt eſſe æquales, & Petrus cœpit eſſe Princeps aliorum, ac vniuerſalis Eccleſiæ Paſtor.

Ex eodem Hieronymo, Epiſt.58. ad Damaſum Pontificem obijcis hæc verba: [Vt qui Apoſtolos honore ſequeris, ſequaris & merito.] Non dicit, inquis, qui Petrum; ſed qui Apoſtolos honore ſequeris; quia honor Petri, & aliorum fuit æqualis. Reſpondeo. Hieronymus ſcripſit duas breues Epiſtolas ad Damaſum ex Syria de eodem argumento, in quibus conſulit illum tamquam iudicem omnium controuerſiarum, An ſalua fide, concedi poſſit, tres eſſe in Deo hypoſtaſes? In priori; ſic alloquitur Damaſum: [Quoniam vetuſto Oriens inter ſe populorum furore colliſus, indiſciſſam Domini tunicam, & deſuper textam, minutatim per fruſtrà diſcerpit, &c. Ideò mihi Cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam.] Hic Pontificem Petri ſucceſſorem agnoſcit pro iudice. Et paulò poſt: [Apud vos ſolos incorrupta Patrum ſeruatur hereditas,] ideſt, apud ſolos ſucceſſores Petri, & qui illis adhærent. Et iterùm: [Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. A Sacerdote victimam ſalutis, à Paſtore præſidium ouis flagito.] Agnoſcit ſe ouem: Damaſum, paſtorem. At non erat ouis Damaſi ratione particularis Eccleſiæ Romanæ; ſed ratione vniuerſalis Eccleſiæ, quæ Damaſo erat ſubiecta. Et rurſùm: [Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, ideſt, Cathedræ Petri communione conſocior: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicùmque extrà hanc domum agnum comederit, prophanus eſt.] Hoc non dicit de Cathedra aliorum Apoſtolorum. Et infrà: [Quicumque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt; Qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.] De nullo alio Epiſcopo hoc dicit, ſed de Petri ſucceſſore. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, Petrum ex ſententia Hieronymi, non æqualem, ſed ſuperiorem fuiſſe alijs Apoſtolis. Cùm ergo in altera Epiſtola dicit: [Vt qui Apoſtolos honore ſequeris, ſequaris & merito:] non vult ſignificare, omnes Apoſtolos honore, ac dignitate æquales eſſe, vt tu falsò interpretaris; ſed rogat Damaſum, vt ſicut ipſe eſt ſucceſſor Apoſtolorum in honore, ſic etiam conetur ſucceſſor eſſe in virtute, & merito. Quod poteſt commodè intelligi, etiamſi honor omnium Apoſtolorum non fuerit æqualis. Alioqui ſi inde conficeres, æqualem fuiſſe omnium honorem, conficeres etiam, æquale fuiſſe omnium meritum. Immò, tibi ipſi contradiceres. Nam lib. 1. cap. 5. & 9. vltrò fateris, Petrum reliquos Diſcipulos honore, ac dignitate ſuperaſſe.

Tertio loco adducis Auguſtinum lib. de agone Chriſtiano cap. 30. vbi ait: [Non enim ſine cauſa inter Apoſtolos omnes, huius Eccleſiæ Catholicæ perſonam ſuſtinet Petrus. Huic enim Eccleſiæ claues Regni Cœlorum datæ ſunt, cùm Petro datæ ſunt. Et cum ei dicitur, ad omnes dicitur: Paſce oues meas.] Ex hoc, & ſimilibus Auguſtini teſtimonijs colligis, quæ Petro committuntur, non illi ſoli, ſed omnibus committi; ideòque omnes æquales eſſe. Reſpondeo. Hoc potiùs collige: Cùm ſolus Petrus ſuſtineat perſonam Eccleſiæ Catholicæ, non item reliqui Apoſtoli (quia de reliquis hoc numquam affirmat Auguſtinus) Petrum hoc nomine reliquis Apoſtolis præferendum eſſe; ac proindè ex hac parte, non omnes eſſe Petro æquales. Deinde collige Auguſtinum tibi aduerſari. Nam Auguſtinus ait, [cum Petro dictum eſt, Paſce oues meas, omnibus dictum eſſe.] Tu lib. 1. cap. 8. num. 1. contendis, non omnibus, ſed ſoli Petro dictum eſſe. Sic enim ſcribis: [Ac primum quidem hoc loco Chriſtum cum ipſomet Petro loqui ſingulariter, & ei perſonaliter dici: Paſce oues meas; conſtituo tamquam certiſſimum.] Si illi dicitur perſonaliter, & ſingulariter; Ergo dicitur illi tamquam priuatæ perſonæ. Non igitur quatenùs ſuſtinet perſonam Eccleſiæ. Hoc autem aſſerit Auguſtinus: Ergo tu aliter ſentis, quàm Auguſtinus. Quid nos de hac re ſentiamus, explicatum eſt cap. 3. §. 2. Nam hæc propoſitio; [Soli Petro dictum eſt, Paſce oues meas;] poteſt dupliciter intelligi.

Primò, excludendo reliquos Apoſtolos; vt ſenſus ſit: Nulli alteri Apoſtolo, ſed ſoli Petro dictum eſt, [Paſce oues meas.] Sic verum eſt.

Secundò, excludendo ſucceſſores Petri; vt ſenſus ſit, ſoli Petro, & non ſucceſſoribus eius dictum eſt, [Paſce oues meas.] Sic falſum eſt.

Ex eodem Auguſtino lib. 50. Homiliarum homil. 43. adducis hæc verba: [Sed fortè Apoſtoli ſancti, primi, ſummi arietes, paſtoris membra, paſtores ipſi, fortè non habebant peccatum?] Hinc infers æqualitatem Apoſtolorum. Reſpondeo. Ex qua particula infers? An ex eo, quòd fuerint ſancti? At

tu

tu contendis; Petrum præ alijs habuiſſe primatum charitatis, & aliarom virtutum. Igitur ex hac parte concedis inęqualitatem. An ex eo, quòd fuerint primi? At tu ſimiliter contendis, Petrum prę reliquis fuiſſe primum ætate, vocatione, & multis alijs prerogatiuis. An ex eo, quòd fuerint ſummi arietes? At ſicut inter primos, ſic etiam inter ſummos datur ordo, & inęqualitas, vt Num. 23. 9. [De ſummis ſilicibus videbo eum;] At inter ſummos ſilices, alius poteſt eſſe alio altior. An ex eo, quòd fuerint membra paſtoris? At non omnia membra ſunt æqualia, vel magnitudine, vel honore. 1. Cor. 12. 23. [Quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his bonorem abundantiorem circumdamus.] An denique ex eo, quòd fuerint paſtores ipſi? At ſicut Chriſtus eſt ſupra alios paſtores; ità inter hos poteſt eſſe diſcretio honoris, & poteſtatis. Vide quàm Auguſtinus nihil pro te faciat.

Quartò, adducis Ambroſium in cap. 6. Apocalypſis, vbi ait: [Primogenita gregis ſunt Apoſtoli, quos primos genuit Eccleſia, & ea quibus Eccleſia nata eſt.] Reſpondeo. Non ſunt verba Ambroſij, ſed alterius, vt benè inſinuas. Neque nobis officiunt, ſed tibi. Primò, quia alibi diſertè ais, Petrum eſſe primogenitum inter Apoſtolos (lib. 1. cap. 5. num. 13. & 17.) & ideò primum locum illi deberi. Agnoſcis igitur aliquam in hac parte inęqualitatem? Cùm igitur hoc loco contendis, omnes ſimul eſſe primogenitos, ideòque, omnes inter ſe æquales; tibi ipſi contradicis. Secundò, alibi ais, Eccleſiam ędificatam eſſe ab Apoſtolis poſt Aſcenſionem Chriſti. Quomodo ergo verum eſt, quod hìc ais, Apoſtolos eſſe primogenitos Eccleſiæ? Nam ſi ſunt primogeniti Eccleſiæ, neceſſe eſt, Eccleſiam eſſe illorum matrem; Si mater eſt, quomodo ab ipſis, qui filij ſunt, ædificata?

Quintò adducis aliquos Patres, qui aſſerunt, Paulum fuiſſe ęqualem Petro. Inter quos, & Chryſoſtomum in cap. 1. Epiſt. ad Galat. vbi conſiderans officium Pauli in inuiſendo Petro, ſic ſcribit: [Quid hoc animo poſſit eſſe modeſtiùs? poſt tanta, taliaque benefacta, cùm nihil opus haberet Petro, nec illius egeret voce, ſed honore par eſſet illi (nihil enim hìc dicam ampliùs) tamen aſcendit velut ad maiorem, & ſeniorem.] Et Ambroſius lib. 2. de Spiritu ſancto: [Vna gratia fulgebat in his, quos Spiritus vnus elegerat. Nec Paulus inferior Petro.] Et Leo ſerm. 1. de Natali Petri, & Pauli: [Quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Eccleſiæ membra prouexit, vt eos in corpore, cuius Caput eſt Chriſtus, quaſi geminum conſtitueret lumen oculorum. De quorum meritis, atque virtutibus, quæ omnem loquendi ſuperant facultatem, nihil diuerſum, nihil debemus ſentire diſcretum, quia illos, & electio pares, & labor ſimiles, & finis fecit æquales.]

Reſpondeo. Hìc multa contra te ſunt; contra nos nihil. Ac primò contra te eſt, quod ait Chryſoſtomus, Paulum honore parem eſſe Petro. Nam tu dicis (lib. 1. cap. 5. n. 13.) Petrum, vtpotè primogenitum omnium Apoſtolorum, honore omnes præcedere.

Secundò, quod ait Ambroſius, Paulum non eſſe inferiorem Petro. At tu dicis (lib. 1. cap. 9. per totum) Petrum habere multas prærogatiuas, quibus reliquos Apoſtolos excellit.

Tertiò, quod ait Leo, Petrum, & Paulum eſſe pares electione: quod tu negas lib. 1. c. 5. num. 10. & ſeqq.

Quòd autem ſupradicti Patres nihil contra nos habeant, facilè oſtendam. Nam duplex poteſt inſtitui comparatio inter Petrum, & Paulum. Vna, quò ad ſapientiam, ſanctitatem, laborem, zelum, & honorem, qui ex illis conſequitur: Et ſic Paulus potuit eſſe par Petro. Quod manifeſtè ſignificat Leo, cum ait: [De quorum meritis, atque virtutibus nihil debemus ſentire diſcretum.] Altera, quò ad iuriſdictionem: Et ſic Petrus erat maior Paulo, vt ſæpè oſtenſum eſt.

OBIECTIO II.

Euangelium reprobat Primatum inter Apoſtolos.

HOc probas ex contentione Apoſtolorum de Primatu, & reſponſione Chriſti, (lib. 1. capit. 11. num. 1. & 2.) Nam cùm Apoſtoli contenderent, quiſnam illorum eſſet maior, Reſpondit Chriſtus: Lucæ 22. 25. [Reges gentium dominantur eorum: & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic: ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor.] Hinc ità concludis: Omnes Apoſtoli, etiam Petrus, contendebant de Primatu: At ſi Petro erat promiſſus Primatus, cur contendit? Secundò, Chriſtus omnibus eripit cogitationem de primatu temporali, cum ait: Vos autem non ſic. Similiter de primatu, & iuriſdictione ſpirituali, cùm ait: [Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor.]

Reſpondeo. Hìc notanda eſt duplex contradictio in tuis verbis. Vna eſt, quia hoc loco dicis, Apoſtolos contendiſſe de primatu temporali, quis ſcilicet illorum futurus eſſet primus in regno Chriſti temporali, quod ſomniabant. Verba tua ſunt hæc: [Appetitus naturalis humanus propriæ excellentiæ, & in alios dominatus, Apoſtolorum animos adhuc imperfectos, nec parùm, nec raró titillauit. Quia enim Meſſiam dominatione temporali Regem Iſrael in mundo regnaturum, ex ſacris Scripturis non benè intellectis, & communi Hæbreorum intelligentia exiſtimabant, magnas ſibi apud Chriſtum, quem Meſſiam agnouerant, dignitates pollicebantur; quippè qui ipſius primi eſſent aſſeclæ, & familiares. Et cum duodecim eſſent, inter ipſos etiam vnum aliquem primum locum habiturum autumabant.]

Et infrà: [Debuit quidem animos eorum à temporalibus dignitatibus abducere, quas etiam ſibi ſomniabant, &c.]

At cap. 9. num. 6. planè contrarium aſſeris his verbis: [Reſpondet Bellarminus, erraſſe quidem Apoſtolos, quia temporalem principatum ſomniabant; & hunc errorem Dominum ſæpè correxiſſe. De hoc tamen temporali mundi huius principatu, Apoſtolos tunc nihil cogitaſſe, ſed de ſola prælatione

ne Petri ſupra ipſos Apoſtolos, ſatis eſt apertum.] Quomodo cohærent hæc duo: Apoſtoli nihil cogitabant de temporali principatu: Et, Apoſtoli exiſtimabant Meſſiam dominatione temporali in mundo regnaturum, & magnas ſibi apud illum dignitates pollicebantur.

Altera eſt: quia hoc loco in ſumma capitis 11. ſic habes: Chriſtus nudum miniſterium ſine iuriſdictione dedit Apoſtolis. At capit. 3. num. 31. contrarium aſſerebas his verbis: [Chriſtus immediatè conceſſit Apoſtolis poteſtatem ordinis, & iuriſdictionem pleniſſimam.] Nonnè hæc aperta contradictio eſt. Dare nudum miniſterium ſine iuriſdictione: Et, Dare pleniſſimam iuriſdictionem? Et quamuis in priori loco videaris loqui de iuriſdictione humana, hoc tamen non obſtat. Vel enim loqueris de humana, ideſt, à puro homine accepta; & ſic nihil ad rem: Vel de humana, ideſt, homini à Chriſto conceſſa, & ſic manet contradictio.

Obiectio tua, quam à Lutheranis accepiſti, nullius momenti eſt; & iam pridem à Cardinale Bellarmino, & alijs Catholicis refutata. Ad illos te remitto. Obiter tamen attingam, quid reſpondendum ſit. Apoſtoli cogitabant de Primatu aliquo temporali, quem apud Chriſtum eſſent habituri. Hoc ſuprà capit. 6. prærogatiua ſeptima oſtenſum eſt. Et tu paulò antè faſſus es. Chriſtus eripit illis hanc cogitationem, his verbis: Vos autem non ſic. Et ſimul ſuo exemplo hortatur, vt quiſquis inter ipſos habiturus eſſet Primatum Eccleſiaſticum, ſeruaret modeſtiam ac humilitatem; nec ſe ſuperbè efferret ſuper alios. [Qui, inquit, maior eſt in vobis, fiat ſicut minor.] Similem monitionem habemus de Primatu Regis in Veteri Teſtamento, Deuteron. 17. 18. [Poſtquam ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius in volumine.]

Et paulò poſt: [Nec eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos.] Sicut ergo hinc non poſſumus inferre, Regem Veteris Teſtamenti non habuiſſe iuriſdictionem in ſuos fratres, quia debebat ſeruare modeſtiam, & non eleuare ſe ſuper fratres ſuos, quod ſolent facere Reges gentiles: Ità in ſimili, non inferre, Petrum non habuiſſe iuriſdictionem Eccleſiaſticam in ſuos fratres, quia debebat illis ſeruire, & miniſtrare. Alioqui, quid dicemus de Chriſto? Habuit certè pleniſſimam iuriſdictionem in Apoſtolos, & tamen miniſtrabat illis. [Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.] Cùm ergo ſuo exemplo hortatur Prælatos Eccleſiæ ad ſimile miniſterium, non tollit ab illis iuriſdictionem, ſed humilitatem commendat.

OBIECTIO III.

Ipſi Apoſtoli in Petro non agnouerunt Primatum.

Hoc ſic probas, cap. 11. num. 7. Apoſtoli, poſtquam rectè dictum eſſet. [Tu es Petrus, & Tibi dabo claues regni cœlorum;] adhuc contendebant de Primatu: Ergo non agnouerunt Petro per illa verba promiſſum eſſe Primatum; alioqui deſijſſent contendere. *Reſp.* Apoſtoli ex vna parte perſuaſi erant regnum Chriſti fore temporale: ex altera audiuerant Chriſtum moriturum, & Petrum ipſius loco habiturum claues regni cœleſtis, id eſt, Primatum Eccleſiaſticum. Sed prior cogitatio erat magis ipſis infixa, quàm poſterior. Immò nec Petrus, nec alij Apoſtoli credebant Chriſtum moriturum, tametſi clariſſimè hoc ipſis eſſet ſignificatum. Mat. 16. 21. [Exindè cœpit Ieſus oſtendere Diſcipulis ſuis, quia oporteret eum ire Hieroſolymam, & multa pati à ſenioribus, & Scribis, & principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die reſurgere. Et aſſumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens: Abſit à te Domine: Non erit tibi hoc.

Et Luc. 9. 44. [Filius hominis, futurum eſt, vt tradatur in manus hominum: At illi ignorabant verbum iſtud, & erat velatum ante eos.] Certè, ſi vel non credebant, vel non intelligebant, Chriſtum eſſe moriturum, quod tam clarè ipſis dicebatur; quid mirum eſt, ſi non multùm ſolliciti fuerint de futuro Petri primatu poſt mortem Chriſti? præſertim cum altera cogitatio de regno Chriſti temporali præualeret.

Si hoc non capis, Marce Antoni, exemplum ſume à teipſo. Promiſſio tibi facta erat in ſtatu religioſo, cùm abdicabas te rebus temporalibus: [Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.] Quæ ſanè promiſſio erat clariſſima. Et tamen magis inſedit tibi cogitatio de epiſcopatu: ideòque relicto ſtatu religioſo, & parùm ſollicitus de tam inſigni promiſſione, ad ſeculum, cui renunciaueras, redijſti, & dignitatem Epiſcopalem importunè impetraſti. Non tam craſsè hallucinati ſunt Apoſtoli. Nunc quæro, an hæc conſequentia bona ſit? Marcus Antonius, poſtquam dictum eſt illi, [Centuplum accipies, & vitam æternam poſſidebis,] adhuc cogitauit de honore, & dignitate epiſcopali: Ergo non agnouit promiſſionem à Deo ſibi factam. At ſimilis eſt hæc, quam tu facis: Apoſtoli, poſtquam dictum eſt Petro, tibi dabo claues, adhuc cogitabant de regno temporali: Ergo non agnouerunt promiſſionem Petro factam de Primatu ſpirituali.

OBIECTIO IV.

Petrus numquam exercuit Primatum.

Hoc tripliciter probas, cap. 11. num. 10. & ſeqq.

Primò, quia non ſolus Petrus, ſed alij etiam Apoſtoli inſtituerunt primos Diaconos act. 6. 2.

Secundò, quia Apoſtoli miſerunt Petrum, & Ioannem in Samariam: Ergo Petrus non erat ſupra Apoſtolos, ſed ad illorum arbitrium mittebatur. Act. 8. 14.

Tertiò, quia Paulus, & Barnabas detulerunt quæſtionem de circumciſione, non ad ſo-

ſolum Petrum , ſed ad omnes Apoſtolos , ac Seniores. Debuiſſent autem ad ſolum Petrum deferre , ſi ille fuiſſet ſupremus Rector Eccleſiæ , & Iudex controuerſiarum .

Reſpondeo . Hæc omnia deſumpſiſti ex Lutheranis , & Caluiniſtis . Sed cur diſſimulas alia multa , quæ Petrus geſſit in ſuo Primatu ? Solus ſua auctoritate conuocauit omnes Diſcipulos ad electionem noui Apoſtoli . Primus promulgauit Euangelium Hieroſolymæ . Primus item prædicauit gentibus Euangelium . Primus ſententiam dixit in Concilio Hieroſolymitano. Hæc omnia omittis. Quæ autem obijcis, nullius ponderis ſunt, Ad ſingula ſic reſpondeo .

Ad 1. non valet hæc conſequentia: Omnes Apoſtoli inſtituerunt primos Diaconos , & non ſolus Petrus: Ergo Petrus non habebat primatum . Sicut neque hæc : Omnes Principes Angliæ ſanxerunt legem de iuramento fidelitatis , & non ſolus Rex ; Ergo Rex non habet primatum . Neque item hæc : Omnes Epiſcopi Dalmatiæ fecerunt hunc , aut illum actum iuriſdictionis Eccleſiaſticæ , & non ſolus Marcus Antonius : Ergo Marcus Antonius non fuit primas Dalmatiæ . Non enim neceſſe eſt , ſolum Regem in ſuo regno; ſolum Imperatorem in ſuo imperio , ſolum Archiepiſcopum in ſua prouincia exercere quoſuis actus iuriſdictionis , & poteſtatis , ſine aliorum ope , & auxilio . Multò minus valet hæc conſequentia : Petrus in illo actu, quo conſtituebantur primi Diaconi , non exercuit Primatum Eccleſiaſticum: Ergo numquam exercuit . Et tamen mirificè tibi places in his , & ſimilibus tuis argutijs . Quamquam non argutiæ , ſed ſtupiditates ſunt .

Ad 2. Triplex poteſt eſſe miſſio .

Prima ex imperio . Sic Rex , aut Princeps , aut Dominus mittit ſubditum , aut ſeruum .

Secunda , ex conſenſu . Sic Deus Pater mittit Filium in hunc mundum, & Filius Spiritum S.

Tertia , ex conſilio & directione . Sic conſilarij mittunt Regem ad bellum . Igitur Petrus miſſus eſt , non ex imperio , ſed ex conſenſu, & conſilio Apoſtolorum . Ex qua miſſione non ſequitur , Petrum, vel æqualem, vel inferiorem Apoſtolis fuiſſe . Nam ſuperior poteſt hoc modo mitti ab inferioribus .

Ad 3. Hæc illatio nulla eſt : Quæſtio de circumciſione non fuit delata ad ſolum Petrum , ſed ad Concilium Apoſtolorum, & Seniorum: Ergo Petrus non habebat primatum Eccleſiæ . An non plurimæ controuerſiæ ciuiles deferuntur ad parlamentum Pariſienſe? An non plurimæ ad Senatum regium in Anglia ? Nec ideò ſequitur, Regem Galliæ, aut Angliæ non habere primatum in ſuo regno. Audi Antoni , quod res eſt . Sicut in Regno Angliæ poſſunt controuerſiæ ciuiles deferri , vel ad ſolum Regem, vel ad Senatum Regis. præſente Rege: Sic etiam in Eccleſia poſſunt controuerſiæ Eccleſiaſticæ deferri, vel ad ipſum Pontificem , vel ad Concilium , cui præeſt Pontifex . Sicut ergo non deſtruitur auctoritas Concilij, per hoc præcisè , quòd aliqua controuerſia deferatur ad ſolum Pontificem ; ità viciſſim non deſtruitur auctoritas Pontificis per hoc , quòd aliqua controuerſia deferatur ad Concilium , cui præſt Pontifex , & non ad ſolum Pontificem . Res clara eſt . Sed cur illa controuerſia de circumciſione potiùs fuit delata ad Concilium, quàm ad ſolum Petrum? Facilis reſponſio : Vt deciſio fieret cum maiori partium ſatisfactione . Nam partes litigantes faciliùs acquieſcunt , quando conſtat controuerſiam ex communi Eccleſiæ conſenſu deciſam eſſe .

OBIECTIO V.

Pauli reprehenſio deſtruit Primatum Petri .

HOc ſic probas : Paulus in epiſt. ad Gal. cap. 2. 11. ſcribit, ſe in faciem reſtitiſſe Petro , quia reprehenſibilis erat : Ergo Petrus non fuit Caput Eccleſiæ : alioqui Paulus fuiſſet arrogans , & procax , quòd Capiti Eccleſiæ auſus eſſet reſiſtere . Hoc argumentum fusè perſequeris , adductis multorum Patrum teſtimonijs, ad confirmandum Petri errorem, & iuſtam Pauli obiurgationem . Reſpondeo . Non opus eſt tot teſtimonijs . Fatemur Petrum erraſſe : non quidem in aliquo fidei articulo, in quo errare non poterat, iuxtà illam Chriſti promiſſionem ; [Rogaui pro te Petre , vt non deficiat fides tua :] ſed in facto , quia incautè ſimulabat Iudaiſmum cum aliquo ſcandalo , & offenſione gentilium . Fatemur etiam , Paulum apertè illi reſtitiſſe, quia meritò iudicabat eiuſmodi ſimulationem non eſſe tolerandam , eò quòd eſſet ſcandaloſa . At tuæ conſequentiæ , quas hinc nectis , non valent . Non enim ſequitur : Petrus fuit à Paulo reprehenſus: Ergo non habuit primatum Eccleſiæ . Sicut in ſimili non ſequitur : Dauid fuit reprehenſus à Ioab(2. Regum 19. 5. Ergo non habuit Primatum regni . Immò multi Patres ex hac ipſa Petri reprehenſione docent , ſuperiores poſſe corrigi ab inferioribus, quando fit cum debita humilitate, & charitate , vt Auguſtinus epiſt. 19. ad Hieronymum , Cyprian. epiſt. ad Quintinum , de hæreticis rebaptizandis , Gregor. hom. 18. In Ezechielem . Diu. Thom. in 2. 2. quæſt. 33. art. 4. ad 2.

Similiter non ſequitur , Paulum fuiſſe arrogantem, & procacem, quòd auſus ſit Capiti Eccleſiæ in faciem reſiſtere; quia fecit hoc bono zelo, ad tollendum ſcandalum, quod ortum erat ex incauta Petri ſimulatione . Sicut nec ipſe Ioab cenſetur fuiſſe procax , & arrogans , quòd auſus ſit ſuum Regem ob ipſius peccatum arguere , & obiurgare . Et aliundè conſtabat Paulo, Petrum propter modeſtiam & humilitatem, qua erat præditus , non ægrè laturum fraternam correptionem, quam ſciebat ex bona intentione prouenire .

De hoc Petri , & Pauli facto ſic ſcribit Auguſtinus loco citato : [Ipſe Petrus , quod à Paulo fiebat vtiliter libertate charitatis , ſancta, ac benigna pietate humilitatis accepit: Atque ità rarius , ac ſanctius Exemplum poſteris præbuit, quo non dedignarentur, ſicubi fortè recti tramitem reliquiſſent , etiam à poſterioribus corrigi ; quàm Paulus , quo confidenter auderent , etiam minores maioribus ,

pro

Digitized by Google

pro defendenda Euangelica veritate, ſalua fraterna charitate, reſiſtere.]

Et certè Paulus, non tantùm ſuo exemplo, ſed etiam ſcripto docuit, ſuperiores aliquando moueri, & corrigi poſſe ab inferioribus, ſeruata ſemper debita charitate, ac ſubiectione. Sic enim ſcribit ad Coloſſenſes cap. 4. 17. [Dicite Archippo: vide miniſterium, quod accepiſti à Domino, vt illud impleas.] Erat Archippus ille Coloſſenſium Epiſcopus, ſucceſſor Epaphræ, qui tunc captiuus Romæ tenebatur in vinculis, vt ſcribit idem Paulus in epiſt. ad Philemonem verſ. 23. [Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Chriſto Ieſu.] Si ergo Paulus mandat Coloſſenſibus, vt moneant Epiſcopum ſui officij; quid mirum eſt, ſi alij quoque ſubditi poſſint aliquando ſuos Prælatos, vel monere, vel reprehendere, ſi neceſſe ſit?

Et recta ratio hoc dictat. Nàm laudabile eſt, opera miſericordiæ, ſiue corporalia, ſiue ſpiritualia, ſeruato debito modo, ac ordine, præſtare indigentibus: At peccantes corrigere; eſt opus miſericordiæ ſpirituale; Ergo laudabile eſt, ſeruato debito modo, ac ordine, hoc opus præſtare indigentibus. At nō minùs Prælati, quàm ſubditi, poſſunt indigere correptione: & ſæpè magis, quia ſunt in altiori, & periculoſiori loco, vt rectè notat Auguſtinus in Regula ad ſeruos Dei circà finem, cum ait: [Non ſolùm veſtri, ſed etiam Prælati miſeremini. quia inter vos, quantò loco ſuperiore, tantò in periculo maiore verſatur.]

Hoc argumentum pulchrè explicat Diuus Thomas in 2. 2. quæſt. 33. artic. 2. in hunc ferè modum: Duplex eſt correctio. Vna iuſtitiæ; quæ fit per inflictionem legitimæ pœnæ: Alter charitatis, quæ fit per fraternam correctionem. Prior conuenit ſolis Prælatis reſpectu ſubditorum: quia requirit iuriſdictionem, quæ in ſolis Prælatis eſt. Poſterior conuenit tàm ſubditis, quàm Prælatis; quia eſt actus charitatis, quæ ad omnes proximos, ſiue Prælatos, ſiue ſubditos ſe extendit. Tenemur enim omnes ex charitate diligere: ac proindè omnes peccantes corripere, ſeruatis ijs circumſtantijs, quas charitas exigit. Non exigit autem charitas, vt eadem libertate, & auctoritate corripiamus Prælatos, qua ſubditos, ſed exigit, vt Prælatos cum reuerentia, & ſubiectione: ſubditos cum manſuetudine, & patientia, quantum fieri poteſt, obiurgemus.

Nondum acquieſcis, mi Antoni. Ais Patres ſic argumentari: Paulus non reprehendiſſet Petrum, ſi agnouiſſet illum pro ſupremo Eccleſiæ Capite, ſeu Monarcha. Et citas ex Hieronymo, apud Gratianum 2. quæſt. 7. cap. Paulus: hæc verba: [Paulus Petrum reprehendit: quod non auderet, niſi ſe non imparem ſciret.] Et ex Ambroſio, ad cap. 2. epiſt. ad Galat. [Quis eorum auderet Petro primo Apoſtolo, cui claues Regni Cœlorum Dominus dedit, reſiſtere, niſi alius talis, qui fiducia electionis ſuæ ſciens ſe non imparem, conſtanter improbaret, quod ille ſine conſilio fecerat.]

Reſpondeo. Tu peruertis ſenſum illorum Patrum. Nàm Gratianus disertè monet, Paulum dupliciter conferri poſſe cum Petro.

Primò, quò ad Eccleſiaſticam dignitatem.

Secundò, quò ad puritatem vitæ, & conuerſationis. Priori modo: Paulum fuiſſe imparem, ſeu inferiorem: Poſteriori, non imparem. Quod declarat duplici exemplo.

Vno Auguſtini, qui ſcribit, ſe maiorem eſſe Hieronymo ratione Epiſcopatus: minorem, ratione virtutum.

Altero eiuſdem, qui alibi ſcribit, Cyprianum fuiſſe æqualem Petro in martyrio: minorem in poteſtate. Igitur ex ſententia Gratiani, ſic argumentandum eſt: Paulus non auderet Petrum reprehendere, niſi ſciret ſe nō imparem in puritate vitæ, & conuerſationis. Non autem ſic, niſi ſciret ſe non imparem in Eccleſiaſtica poteſtate. Ratio eſt, quia qui alium reprehendit, debet eſſe immunis ab illo vitio, de quo illum reprehendit: At Paulus reprehendebat Petrum de mala conuerſatione cum Iudæis, & gentibus: Ergo non auſus fuiſſet illum reprehendere, niſi ſciuiſſet ſe eſſe immunem ab hoc vitio: & in puritate conuerſationis Petro non imparem, ſed ſuperiorem. Iàm aduertis, opinor, impoſturam tuam.

Idē crimen comittis in citando, Ambroſio. Nàm ille ſimilem adhibet diſtinctionem. Confert Petrum cum Paulo dupliciter.

Primò, ratione poteſtatis.

Secundò, ratione electionis. Priori modo præfert Petrum, quia vocat illum [Primum Apoſtolum, cui claues Regni Cœlorum datæ ſunt,] inſinuat Petrum ex hoc capite reliquos omnes antecellere. Poſteriori, Paulum facit Petro æqualem: quia ſicut Petrus immediatè à Chriſto electus eſt ad Apoſtolatum: itá etiam Paulus, ipſo atteſtante Galat. 1. 1. [Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neque per homines, ſed per Ieſum Chriſtum.]

Tandem, quia vides te argumentis nihil proficere, conuertis te ad ſcommata, & ſarcaſmos: quæſita occaſione ex illis Gregorij verbis, homil. 18. in Ezechielem. [Ecce Paulus in epiſtolis ſuis ſcripſit, Petrum reprehenſibilem: Et ecce, Petrus in epiſtolis ſuis aſſerit, Paulum in ijs, quæ ſcripſerat, admirandum. Certè enim, niſi legiſſet Petrus Pauli epiſtolas, non laudaſſet. Si autem legit, quia illic eſſe reprehenſibilis dicitur, inuenit. Amicus ergo veritatis laudauit etiam, quòd reprehenſus eſt.] Hanc Gregorij ſententiam mirificè laudas. Et meritò. Sed venena indè colligis, non mella: quod malum eſt. Sic enim ſubnectis: [Mirum verò, quòd Petrus, hoc eſt, ſummus Eccleſiæ Monarcha, ſupremus Chriſti, ac Dei Vicarius, illam Pauli epiſtolam ad Galatas in Indicem expurgatorium ſtatim non coniecerit, quippè ipſum primum, & ſupremum Papam, adeò deprimentem, & ipſius errores exaggerantem. Certè Petri ſucceſſores tales epiſtolas, & libros, qui ipſorum errata, & reprehenſiones rationabiles continent, iàm ferre nolunt, proſcribunt eos, & diris deuorent. Expectandum profectò, vt ſi planè noſtri Papæ viderint, ex Euangelio canonico Papatum deſtrui. Euangelium etiam ipſum in librorum prohibitorum Indicem detrudant.]

Hìc appareat verum eſſe, quod Chriſtus dicit in Euangelio: [Ex abundantia cordis os lo-

loquitur. Et, malus homo de malo theſauro cordis ſui profert malum.] Multiplex malum ex theſauro tuo profers.

Primò Petrum Apoſtolum, per ironiam, ac deriſum, vocas ſummum Eccleſiæ Monarcham, & ſupremum Chriſti Vicarium. Si non volebas parcere Pontifici, perpeciſſes ſaltem Petro, qui in Euangelio ab ipſo Chriſto laudatus eſt: [Beatus es Simon Bariona.]

Secundò; aliam iniuriam illi facis, quia inſinuas, tui ſimilem, ac vindictæ appetentem eſſe. Tu certè, quia à Pontifice reprehenſus es, vindictam paras, & de Sede Apoſtolica conaris illum deturbare. At Petrus meliori animo eſt. Reprehenſus fuit à Paulo: non indignatur: non ægrè fert: non ſtringit calamum, vt tu facis.

Tertiò, etiam Paulo iniuriam irrogas; quaſi ipſe[depreſſerit Petrum,& ipſius errores exaggerauerit.] Inuidioſa ſunt hæc verba. Non voluit illum deprimere, ſed à lapſu erigere: non errores exaggerare,ſed errorem corrigere.

Quartò, ſimilem labem aſpergis Petri ſucceſſoribus,quaſi ipſi nolint ſua errata corrigi: nollnt moneri officij ſui; ſed eos, qui hoc tentauerint, proſcribant, ac diris deuorant. Temerarium hoc iudicium, & falſum eſt.

Quintò, auges hanc iniuriam Antoniano præſagio; quaſi Pontifices Romani eò dementiæ eandem ſint progreſſuri,vt ipſum quoque Euangelium in librorum prohibitorum Indicem detrudant. Vide, ne hoc præſagium in te impleatur.

Hæc omnia eò ſpectant, vt tibi, homini Apoſtatæ, ac rebelli, impunè liceat ſcribere, quod lubet: Et non liceat Pontifici facere, quod ſui officij eſt. Numquam hoc obtinebis. Proſcribet tuas, & tuis ſimiles calumnias, hæreſes, & ſchiſmata: ſicut olim, & pij Imperatores, & boni Pontifices fecerunt. Sicut etiam nuper à Theologis Pariſienſibus factum eſt; qui graui cenſura tuos libros perſtrinxere. Sed quia precibus illam cenſuram extorſiſti, non eſt, quod ipſis ſuccenſeas.

OBIECTIO VI.

Pauli ſcripta deſtruunt Primatum Petri.

QVod ſic probas. Primò, quia quando Paulus nominat inſigniores Apoſtolos, Petrum alijs poſtponit, vt Galat. 2. 9. [Iacobus, & Cephas, & Ioannes.] Secundò, quia ibidem non de ſolo Petro, ſed etiam de Iacobo, & Ioanne dicit: [qui videbantur columnæ eſſe.] Ergo Iacobum, & Ioannem Petro exæquat. Tertiò; quia Iacobus, Petrus, & Ioannes dederunt dextras Societatis Paulo, & Barnabæ; vt hi in gentes, illi verò in circumciſione ferrent Euangelium. (Ibid.) At iſtæ dextræ Societatis repugnant Primatui Petri. Quartò, quia Paulus 2. Corinth. 12. 11. ſcribit: [Nihil minùs fui ab iſs, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli.] Quæ verba magnum præiudicium faciunt Primatui Petri. Sic tu.

Reſpondeo. Piget in iſtis quiſquilijs hęrere. Sed tamen, vt eſt in Prouerbijs, [reſpondendum eſt ſtulto iuxtà ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.]

Ac primò, non eſt certum, Petrum medio, non primo loco, poſitum eſſe à Paulo, Nàm, vt benè notatum eſt à Cardinale Bellarmino, multi Patres, præſertim Ambroſius, Chriſoſtomus, Auguſtinus, & Hieronymus, primum locum illi aſſignant. Illo tamen; medio loco inter Iacobum, & Ioannem poſitus ſit. Cur in eo vim facis? Cur non potiùs in eo, quòd non ſemel, ſed ſæpiùs in Euangelio poſitus ſit primo loco, quando omnes Apoſtoli ſimul recenſentur? conferamus hæc duo inter ſe.

Tu ais, ſemel non eſſe poſitum primo loco: Ego, ſæpè poſitum eſſe primo loco.

Tu, ſemel poſitum eſſe poſt vnum: Ego, ſæpè poſitum eſſe ante omnes Tibi multi contradicunt, vt Ambroſius, Chryſtomus, Hieronymus: Mihi, nullus: ne tu quidem. Vter ergo melioris cauſæ patronus eſt?

Addo, nec Paulum, quocumque loco poſuerit Petrum, tibi patrocinari. Nàm in eadem epiſtola ad Galat. cap. 1. diſertè ſcribit, ſe veniſſe Hieroſolymam, vt videret Petrum, & quindecim diebus apud eum manſiſſe. Cur non venit ad Iacobum, & Ioannem? Nimirùm, quia plus Petrum, quàm illos æſtimabat. Vnde Ambroſius circà illum locum: [Dignum fuit, inquit, vt cuperet videre Petrum, quia Primus erat inter Apoſtolos, cui delegauerat Saluator curam Eccleſiarum.]

Et Hieronymus in epiſt. ad Auguſtinum (quæ eſt vndecima inter epiſtolas Auguſtini) [Tantæ Petrus auctoritatis fuit, vt Paulus in epiſtola ſua ſcripſerit: Deindè poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum.]

Et Chryſoſtomus homil. 87. in Ioannem: [Os erat Apoſtolorum, & Princeps: propterea, & Paulus eum præter alios viſurus aſcendit.]

Et Theodoretus in cap. 1. ad Galatas: [Etenim cum humana doctrina non indigeret, vt qui ab vniuerſorum Deo eam accepiſſet Apoſtolorum Principi, quem par eſt, honorem detulit.] E Oecumenius ibidem: [Poſt tot, tantaque certamina abijt, vt videret Petrum tamquam maiorem. Vt autem etiam maneret, cauſa honoris, quem Petro deferebat, factum eſt.]

Iam verò ex eo, quod Paulus ſcribit de Petro, Iacobo, & Ioanne; [Qui videbantur columnæ eſſe, non rectè inſers, duos illos Petro fuiſſe exæquatos. Nàm inter plures columnas, vna poteſt eſſe ſublimior, quàm altera. Sicut ſuprà monui in ſimili caſu, inter plures ſummos, vnum poſſe altiorem eſſe, quàm reliquos. Et habemus manifeſtum exemplum in ſcriptura, Prouerb. 9. 1. [Sapientia ædificauit ſibi domum,excidit columnas ſeptem.] Vbi, iuxtà interpretes, per ſeptem columnas, vel intelliguntur Doctores Eccleſiæ, vel Sacramenta,vel dona Spiritus S. Et tamen non ſequitur, vel omnes Doctores, vel omnia Sacramenta, vel omnia dona Spiritus S. eſſe inter ſe æqualia. Immò conſtat, vbique eſſe magnam differentiam. Nàm de Doctoribus legimus, Daniel. 12. 3. [Qui docti

cti

ſti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: Et qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.] Iàm verò, vt loquitur Apoſtolus 1. Corinth. 15. 41. [Stella differt à ſtellâ in claritate.] Similiter certum eſt, inter Sacramenta, præcipuum eſſe Baptiſmum, quò ad neceſſitatem: Euchariſtiam, quò ad præſtantiam. Denique dona Spiritus ſancti (quæ ſeptem enumerantur ab Iſaia, cap. 11. 2. nempè, Sapientia, Intellectus, Conſilium, fortitudo, ſcientia, pietas, timor Domini) non ſunt omnia inter ſe paria. Quomodò ergo ex eo præciſè, quòd tres Apoſtoli vocantur columnæ, putas conuinci poſſe æquales inter ſe eſſe? Nihil minùs.

Quod tertio loco obijcis, Petrum, Iacobum, & Ioannem dediſſe dextras Societatis Paulo, & Barnabæ, veriſſimum quidem eſt; ſed non rectè indè concludis, vnum alteri non eſſe præferendum: Quaſi verò, quicumque dextras ſocietatis ſibi mutuo porrigunt, pares eſſe neceſſe ſit. Non ità eſt.

Primò, quia ſocietas poteſt eſſe inter inæquales, vt patet ex illo 1. Ioann. 1. 3. [Vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre, & cum Filio eius Ieſu Chriſto.] Deindè, multi porrigunt ſibi inuicem dextras,qui honore,auctoritate inter ſe differunt. Nàm Iehu Rex dicit Ionadab filio Rechab, 4. Reg. 10. 15. [Numquid eſt cor tuum rectum, ſicut cor meum cum corde tuo? Et ait Ionadab: Eſt. Si eſt, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum ſuam.] An ideò Iehu, & Ionadab æquales? Nullo modo. Nàm alter Rex erat; alter homo priuatus.

Illud denique; [Nihil minùs fui ab ijs, qui ſunt ſupra modùm Apoſtoli,] non intelligitur de iuriſdictione, quaſi velit dicere, ſe nulli Apoſtolorum cedere in poteſtate iuriſdictionis, vt tu perperam contendis, ſed partim de reuelationibus, partim de laboribus, & miſerijs pro Chriſto ſuſceptis, partim de prodigijs, & miraculis ab eo patratis: In quibus omnibus ſe ait nemini imparem eſſe. Hoc patet ex ipſo contextu. Nàm de reuelationibus ſic loquitur: [Si gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad viſiones,& reuelationes Domini.]Et poſteà pergit: [Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in neceſſitatibus in perſecutionibus, in anguſtijs pro Chriſto. Cum enim infirmor, tunc potens ſum. Factus ſum inſipiens: vos me coegiſtis. Ego enim à vobis debui commendari: Nihil enim minùs fui ab ijs, qui ſunt ſupra modùm Apoſtoli, tametſi nihil ſum: Signa tamen Apoſtolatus mei ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis, & prodigijs, & virtutibus.] Nulla hic mentio iuriſdictionis. Sed tu, Marce Antoni, vt hæretici ſolent, detorques omnia ad tuum ſenſum. Pudeat impoſturæ.

OBIECTIO VII.

Ex comparatione Petri, & Pauli.

Hanc comparationem inſtituis ex ſcriptura, & Patribus. Ex ſcriptura ſic. Sic Petro dictum eſt, [Paſce oues meas,] idest, commendo tibi ouile meum,Eccleſiam meam. Ità Paulus de ſeipſo dicit, 2. Corinth. 11. 28. ſe premi cura,& ſollicitudine omnium Eccleſiarum; Ergo non minùs Paulo, quàm Petro totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt.

Reſpondeo. Cura, & ſollicitudo Eccleſiarum duplex eſt. Vna oritur ex iuſtitia: altera ex zelo, & charitate. Prior debet eſſe in Prælatis Eccleſiæ, qui habent iuriſdictionem Eccleſiaſticam. Poſterior poteſt eſſe in omnibus, qui charitate præditi ſunt. Igitur Petrus habuit curam Eccleſiæ ex iuſtitia, quia habuit iuriſdictionem in totam Eccleſiam: Quæ iuriſdictio ſignificatur per verbum, Paſce, vt cap. 3. explicatum eſt. Paulus verò loquitur de poſteriori cura, & ſollicitudine, quæ oritur ex charitate. Cum enim recenſuiſſet labores, carceres, plagas, famem, ſitim, & alias miſerias, quas pro Chriſto ſuſtinebat; mox ſubijcit: [Præter illa, quæ extrinſecùs ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?] His poſterioribus verbis explicat, vnde oriatur illa ſollicitudo. Nempè ex duobus actibus charitatis.

Primò, ex dolore charitatis, quem percipiebat ex miſeria proximi. Quis, inquit, infirmatur, & ego non infirmor? Quaſi dicat: Infirmor cum infirmantibus, doleo cum dolentibus, lugeo cum lugentibus.

Secundò, ex amore, & zelo charitatis, quo accenſus vrebatur. [Quis, inquit, ſcandalizatur, & ego non vror?] Quaſi dicat: Quando aliquis patitur ſcandalum, tanto zelo, & amore accendor ad tollendum illud ſcandalum, vt quodammodo vri videar.

Non igitur cura Eccleſiarum, de qua Paulus loquitur, oriebatur ex obligatione iuſtitiæ; ſed ex duplici actu charitatis,dolore ſcilicet, & amore. Quod etiam tuo exemplo facilè confirmabo. Nam in expoſitione conſilij profectionis tuæ, disertè ſcribis te (quaſi alterum Paulum) ſemper habuiſſe deſiderium vnionis omnium Chriſti Eccleſiarum: & anxiè perſpexiſſe, an poſſit aliqua excogitari via, omnes Chriſti Eccleſias ad veram antiquam vnionem componendi. Vnde hoc tantum deſiderium, mi Antoni? An ex obligatione iuſtitiæ? Non opinor te id dicturum. An ex zelo, & feruore charitatis? Hoc dabis ſine dubio. Sed quæro, an hinc inferes, quod de Paulo inferebas, non minùs tibi, quàm Petro, totius Eccleſiæ curam à Chriſto commendatam eſſe? Non, ſi ſapis.

Nec obſtat, quòd Paulus de ſeipſo ſcribit 1. Corinth. 9. 16. [Si Euangelizauero,non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi eſt, ſi non Euangelizauero.] Non enim loquitur de neceſſitate iuſtitiæ, ſed obedientiæ: Neque de regimine Eccleſiæ,

cleſiæ, ſed de Euangelij prædicatione. Nam ex obligatione præcepti teuebatur apud Gentiles prædicare Euangelium: ſicut etiam hoc tempore tenentur Patres Societatis, quando ex virtute obedientiæ mittuntur à Romano Ponrifice. At non teuebatur ex obligatione iuſtitiæ gubernare totam Eccleſiam, quia hoc nuſquam erat illi commiſſum: ſicut etiam hoc tempore non committitur Patribus Societatis. Vtor hoc exemplo, quia tibi notum eſt. Si tamen vis, aliud accipe. Archiepiſcopus Cantuarienſis, ſi obedientiam illi promitteres, poſſet tibi mandare, vt per totum ipſius Archiepiſcopatum, conciones ad populum haberes. An ideò totius Archiepiſcopatus Eccleſiarum regimen tibi committeret? Nullo modo. Et tamen non malè diceres: [Væ mihi eſt, ſi non Euangelizauero: neceſſitas enim mihi incumbit.] Quæ neceſſitas? Non iuſtitiæ, ſed obedientiæ & præcepti. Iam capis myſterium.

Non ſucceſſit ex ſcriptura comparatio Petri, & Pauli, quam vrges. Videamus quid ad eamdem aſtruendam adferas ex Patribus. Patrum teſtimonia, quæ adducis ſunt hæc. Irenæus lib. 3. contra hæreſes, cap. 13. [Ipſius, Dei, Petrus erat Apoſtolus, cuius & Paulus.] Vbi Petrum reducit ad paritatem cum Paulo: non tamen eum præfert Paulo.

Clemens lib. 7. conſtit. Apoſt. capit. 1. inducit Apoſtolos de Petro ſic loquentes: [Ananias, & Saphira Petri coapoſtoli noſtri ſententia, morte ſunt affecti.] Non vocant illum Principem, aut Monarcham, ſed coapoſtolum, tamquam parem.

Gelaſius in Tomo de vinculo anathematis, ſtatim in initio, Paulus vocat coapoſtolum Petri.

Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 4. vocat collegam Petri. Et lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſ. capit. 13. de Paulo ſic loquitur; [Verùm etiam in ipſo Euangelio, vbi & tanti Apoſtolatus meruit principatum.]

Et in Pſalm. 130. [Paulus Apoſtolus, quamuis ex perſecutore factus ſit prædicator, abundantiorem gratiam conſecutus eſt, in omni labore Apoſtolico, quàm cæteri Apoſtoli.]

Origenes lib. 1. contra Celſum, Paulum vocat fundatorem Eccleſiarum; poſt Chriſtum præcipuum.]

Nazianzenus in Apol. circa medium, ait, Petrum, & Paulum, [Verbi, & Sapientiæ, & gubernationis gratiam à Chriſto percipere meruiſſe.] Et numerans eos, qui populo præfuerunt in Teſtamento nouo, ponit primo Ioannem Baptiſtam: proximè verò duodecim Apoſtolos.

Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 6. [Errorem (Simonis Magi) latiùs ſe proferentem coarguerunt duo viri boni huc perlati. Petrus, & Paulus, Eccleſiæ præfecti.]

Ambroſius lib. 2. de Spiritu ſancto in fine: [Vna enim gratia fulgebat in his, quos Spiritus vnus elegerat. Nec Paulus inferior Petro, quamuis ille Eccleſiæ fundamentum, & hic ſapiens Architectus, ſciens veſtigia credentium fundare populorum. Nec Paulus indignus Apoſtolorum collegio, cum primo facilè conferendus, & nulli ſecundus. Nam qui ſe imparem neſcit, facit æqualem.]

Idem Ambroſius ſerm. 66. de Natali Petri & Pauli. [Beati Petrus & Paulus eminent inter vniuerſos Apoſtolos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt. Verùm inter ipſos, quis cui præponatur, incertum eſt. Puto enim eos æquales eſſe meritis, qui æquales ſunt paſſione.]

Leo Papa ſerm. 1. in Natali Sanct. Petri & Pauli. Quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Eccleſiæ membra prouexit, vt eos in corpore, cui Caput eſt Chriſtus, quaſi geminum conſtituerit lumen oculorum.]

Chryſoſtomus, quicquid tribuitur Petro, tribuit etiam Paulo, Petro tribuitur, quòd fuerit petra, & fundamentum Eccleſiæ. At Chryſoſtomus Homil. 2. in epiſt. ad Roman. tribuit Paulo, quòd fuerit columna Eccleſiæ, petra, ferro, & adamante firmior. Petro tribuitur; quòd fuerit Coryphæus Apoſtolorum. Chryſoſtomus Hom. 18. ad Roman. idem dicit de Paulo. Petro dicitur Eccleſia commiſſa. Chryſoſtomus Homil. vltima, dicit Paulum electum à Deo, [cui res Orbis, myſteria cuncta, vniuerſamque diſpenſationem concederet.]

Idem Chryſoſtomus plus tribuit Paulo, quàm Petro. Nam Homil. 12. in poſteriorem ad Corinth. ſic ſcribit de Paulo: [Ille non ſolùm, quæ ſua, curabat cum ſollicitudine, ſed etiam, quæ totius mundi.] Et ibidem: [Duplex illi cura erat pro Orbe terrarum: & quomodo neceſſaria non deficerent, & quomodo ſpiritualia abundarent.] Hæc tu hactenùs, Marce Antoni.

Reſpondeo. Vel agis de iuriſdictione Petri & Pauli, vel de virtutibus, laboribus & meritis eorum. Si agis de iuriſdictione (de qua inter nos diſputatio eſt) non rectè citaſti hos Patres. Nam aliqui illorum dicunt, Paulum Petro præcellere: alij æqualem eſſe: alij dubium eſſe, vter præcellat. Quod de iuriſdictione intelligi non poteſt. Alioqui Patres inter ſe eſſent contrarij. Non enim cohærent inter ſe hæc tria.

Primò. Paulus præcellit Petro iuriſdictione.

Secundò, Paulus par eſt Petro iuriſdictione.

Tertiò, Dubium eſt, vter præcellat iuriſdictione. Si autem agis de eorum virtutibus, laboribus, & meritis, tunc quidem rectè citaſti hos Patres; ſed nihil ad rem, de qua diſputamus. Non enim inter nos quæſtio eſt de virtutibus, & meritis, ſed de ſola iuriſdictione. Igitur extrà rem omnia ſunt, quæ adducis. Patres tamen non pugnant inter ſe. Nam benè cohærent inter ſe hæc tria.

Primò, Paulus in laboribus, & ærumnis præcellit Petro.

Secundò, Paulus eſt par Petro, quia vterque eſt Apoſtolus Chriſti.

Tertiò. Incertum eſt nobis, vter alteri præcellat meritis apud Deum.

Hinc omnia teſtimonia, quæ adduxiſti, facilè conciliantur, & explicantur. Nam Irenæus, Clemens, & Gelaſius faciunt Paulum Petro æqualem, ſi præciſè ſpectes Apoſtolatum. Vterque enim fuit Apoſtolus Chriſti. Rectè igitur Paulum vocant coapoſtolum Petri; & Petrum coapoſtolum aliorum. Eo-

Digitized by Google

dem ſenſu Auguſtinus Paulum vocat collegam Petri. Quando verò idem Auguſtinus præſert Paulum, loquitur de laboribus, vt ipſe ſe explicat. [Abundantiorem, inquit, gratiam conſecutus eſt in omni labore Apoſtolico, quàm cæteri Apoſtoli.] Quod etiam Paulus de ſe fatetur, 2. Corinth. 11. 23. [Miniſtri Chriſti ſunt: plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, &c.]

Origenes tibi contrarius eſt, non nobis. Nam cùm ait: Paulum eſſe præcipuum fundatorem Eccleſiarum poſt Chriſtum: apertè inſinuat Chriſtum eſſe principalem Eccleſiæ fundatorem, quod tu negas. Contendis enim Eccleſiam, non à Chriſto, ſed ab Apoſtolis fundatam eſſe poſt Chriſti aſcenſionem, vt lib. 1. cap. 1. oſtenſum eſt. In eo autem quòd Paulum conſtituit proximum poſt Chriſtum, præferendo illum alijs Apoſtolis in fundatione Eccleſiarum; non contradicit nobis. Fatemur enim, Paulum plus laboraſſe, quàm Petrum; & plures Eccleſias particulares ab illo per prædicationem Euangelij fundatas eſſe, quàm à Petro.

Nazianzenus ſic habet: [Hunc morbum (ideſt, ſtudium inanis gloriæ) curare, ac ſiſtere Petri alicuius eſt, aut Pauli, magnificorum Chriſti Diſcipulorum, eorum videlicet, qui vnà cum ſermonis diſpenſatione, etiam charisma acceperunt, & omnibus omnia fiunt, vt omnes lucriſaciant.] An hinc putas colligi poſſe, Paulum Petro fuiſſe æqualem in iuriſdictione? Parùm ſanus es, ſi hoc putas. Addit Nazianzenus: [quoniam autem Pauli, & illi ſimilium mentionem fecimus, relictis reliquis omnibus, qui vel ſecundùm legislationem, vel prophetiam, vel militarem ducatum, vel aliam conſimilem diſpenſationem populo præfuerunt, quales fuerunt Moyſes, Aaron, Ioſue, Helias, Heliſæus, Iudices, Samuel, Dauid, multitudo Prophetarum, Ioannes, duodecim Diſcipuli, & qui illos ſunt ſubſecuti, &c. his, inquam, relictis omnibus, ſolum Paulum exempli gratia proponamus.] Non video, quid ex his verbis velis extundere. Fateor, quoſdam ex illis præfuiſſe populo ſecundùm legislationem, quoſdam ſecundùm prophetiam; alios ſecundùm ducatum militarem; alios ſecundùm aliam diſpenſationem. Sed quid tum? An ideò Petrus & Paulus æquales erant in poteſtate, & iuriſdictione? Non ſequitur.

At, Cyrillus Petrum & Paulum præfectos Eccleſiæ vocat. Et hoc fateor. Addo, etiam Timotheum, Titum, Polycarpum fuiſſe Eccleſiæ præfectos. An igitur omnes in eo genere æquales? Non ſequitur. Niſi valeat hæc ſimilis conſequentia: Omnes Epiſcopi in Anglia ſunt præfecti Eccleſiæ: Ergo omnes ſunt æquales: Ergo Archiepiſcopus Cantuarienſis nihil habet præ cæteris. Tu ipſe vide, an hoc legitimè ſequatur.

Ambroſius cùm dicit: [Vna enim gratia fulgebat in his, quos Spiritus vnus elegerat:] loquitur de Paulo, & Barnaba, qui ſimul à Spiritu ſancto electi erant ad miniſterium. actor. 13. 2. [Miniſtrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis Spiritus ſanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos.] Quod teſtimonium explicans Ambroſius, ſic ſcribit: [Paruerunt ergo Paulus, & Barnabas Spiritui ſancto imperanti.] Et poſt pauca ſubdit: [Vna enim gratia fulgebat in his, quos Spiritus vnus elegerat.] Facta hac collatione inter Paulum, & Barnabam, pergit conferre Paulum cum Petro, his verbis: [Nec Paulus inferior Petro, quamuis ille Eccleſiæ fundamentum, & hic ſapiens Architectus, &c.] vbi Petrum, & Paulum facit æquales in Apoſtolatu, non tamen in iuriſdictione Eccleſiaſtica. Pergit: [Nec Paulus indignus Apoſtolorum collegio, cum primo facilè conferendus, & nulli ſecundus. Nam qui ſe imparem neſcit, facit æqualem.] Loquitur de laboribus, in quibus Paulus nullo fuit inferior, 2. Corinth. 11. 13.

Leo Papa nihil aliud dicit, quàm Petrum, & Paulum eſſe duo Eccleſiæ lumina. Quis negat? At inter lumina, vnum alio poteſt eſſe maius. Quod etiam fatetur Leo ſerm. 3. de Aſſumptione ſua ad Pontificatum, vbi apertè aſſerit, [Petrum omnibus Apoſtolis, & cunctis Eccleſiæ Patribus præponi.]

Chryſoſtomus aliqua ex ijs, quę tribuuntur Petro, tribuit etiam Paulo; ſed non omnia. Nam ipſemet tribuit Petro primatum Eccleſiæ, quem Paulo non tribuit. Verba eius cap. 4. citata ſunt. De cura omnium Eccleſiarum, quam tribuit Paulo, dictum eſt ad initium huius obiectionis.

Ex ijs, quæ hactenùs dicta ſunt, duo colligo. Primò, Patres in aſtruendo Petri primatu, nobis adſtipulari. Secundò, te, qui oppugnas primatum Petri cum alijs rebellibus, ſæpè tibi ipſi contrarium eſſe: nunc hoc, nunc illud aſſerere, prout occaſio fert; non prout veritatis ſtudium exigit. Deinceps de Pontifice Petri Succeſſore dicendum eſt.

LIBER

Digitized by Google

LIBER TERTIVS.

DE PRIMATV ROMANI PONTIFICIS.

HVnc Primatum magno conatu, ac ſtudio opgnas toto libro quarto. Et in eo oppugnando, plùs laboris, ac operæ videris ſuſcepiſſe, quàm fortaſsè pro animæ tuæ ſalute ſuſcepturus es. Sed fruſtrà. Nam defenſo ſemel, ac ſtabilito Primatu Petti, facilè erit Primatum Pontificis, qui Petri ſucceſſor eſt, defendere, ac ſtabilire. Sunt autem hæc potiſſimùm, quæ oppugnas.

Primò: Eccleſia Romana.

Secundò: Pontifex Romanus.

Tertiò: Cardinales.

Quartò: Nuncij Apoſtolici, qui in diuerſas prouincias à Pontifice mittuntur. De Cardinalibus, & Nuncijs nihil dicam. Solùm de Primatu Romanæ Eccleſiæ, & Pontificis agendum eſt, ex quo reliqua dependent: Et, quo ſaluo, reliqua ſalua ſunt. Agendum autem hoc ordine.

Primò. An Eccleſia Romana à Petro fundata ſit?

Secundò: An Petrus fuerit Eciſcopus illius Eccleſiæ à ſe fundatæ?

Tertiò: An Pontifex ſit ſucceſſor Petri in eadem Eccleſia?

Quartò: An ſit Caput, ſeu Paſtor totius Eccleſiæ ſicut Petrus fuit. In his ferè diſſentis à Catholicis.

CAPVT PRIMVM.

An Eccleſia Romana à Petro fundata ſit?

1 SOlent hic multa diſputari de Petro: Primò. An fuerit Romæ.

Secundò. An mortuus ſit Romæ.

Tertiò. An ibi Eccleſiam primus fundauerit.

Quartò. An fuerit ibi Epiſcopus Eccleſię à ſe fundatæ. Aliqui ex Lutheranis negant hæc omnia. Tu, cum Caluino, concedis duo priora, propter conſenſum Patrum: Verba Caluini lib. 4. Inſtitut. c. 6. §. 15. ſunt hæc: [Propter hunc ſcriptorum conſenſum, non pugno, quin illic mortuus fuerit.] Tua verò. lib. 4. capite 1. num. 2. ſunt hæc: [Petrum Romæ martyrio coronatum fuiſſe, malo aſſentiri, quàm reluctari, ob plurimorum Sanctorum Patrum conſenſum.

2 Reliqua duo, partim hoc capite, partim ſequenti diſcutienda ſunt. Ac primò, [An Eccleſia Romana primùm à Petro fundata ſit?] Vel quod idem eſt; [An Petrus Romæ Euangelium primus prædicauerit, & Romanos ad fidem Chriſti conuertit?] Tu Paulo potiùs hanc laudem tribuis, quàm Petro. Nam loco citato num. 9. ſic ſcribis: [Si itaque fundatio Romanæ Eccleſiæ ſpectetur, eam aut magis, aut non minùs Paulo deberi, quàm Petro affirmamus. Par enim fuit, vt Ciuitas, quæ erat Caput Gentium, à Doctore Gentium primùm inſtitueretur.

3 Duplex hic error eſt. Alter Romanos à Doctore gentium, ideſt, à Paulo, primùm inſtitutos eſſe in fide Chriſti. Quod eſt contrà ipſum Paulum. Rom. 1. 8. vbi ait: [Fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo.] Et tamen, cùm hoc ſcriberet, uondùm fuerat Romæ. Nam mox ſubdit: [Deſidero videre vos] & infrà ibidem: Sæpè propoſui venire ad vos, & prohibitus ſum vſque adhuc.] Ergo Romani iam erant fideles, antequam Paulus ad eos veniret. Non igitur per illum primò facti ſunt fideles, vt tu fingis in odium Petri.

4 Alter eſt, fundationem Romanæ Eccleſiæ, vel magis, vel non minùs deberi Paulo, quàm Petro. Quod eſt contrà conſenſum Patrum, qui illam Petro potiùs tribuunt, quàm Paulo. Theodoretus in illud Rom. 1. 11. [Deſidero videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis, ad confirmandos vos: ſic ſcribit: quia Petrus primum Euangelij doctrinā illis tradiderat, ſubiungit: ad confirmandū vos. Quod perindè eſt, ac ſi diceret: Non aliam doctrinam vobis trado, ſed traditam confirmare volo.] Igitur Petrus, ex ſententia Theodoreti, primus fuit, qui Romanos ad fidem conuertit: Paulus verò conuerſos confirmauit. Quid autem ſit confirmare, dicam poſteà ex ipſo Paulo. Et Paulus Oroſius lib. 7. Hiſtor. cap. 6. [Exordio regni Claudij, Petrus Apoſtolus Domini noſtri Ieſu Chriſti Romam venit, & ſalutarem cunctis fidem, fideli verbo docuit, potentiſſimiſque virtutibus approbauit: Atque exindè Chriſtiani Romæ eſſe cœperunt:] Nota, Exindè cœperunt eſſe Chriſtiani. Ergo ante Petri aduentum non erant Chriſtiani. Falſum igitur quod aſſeris, à Paulo primùm inſtitu-

Digitized by Google

tos eſſe ; & illi potiùs, quàm Petrò conuerſionem illorum deberi.

Et Leò Papa Serm. 1. de Natal. Apoſtolorum Petri, & Pauli: [cùm Apoſtoli imbuendum Euangelio mundum, diſtributis ſibi terrarum partibus, ſuſcepiſſent, beatiſſimus Petrus Princeps Apoſtolici ordinis, ad Arcem Romani deſtinatur Imperj. Nimirùm, vt illam partem Euangelio imbueret. Et Epiſt. 6o. ad Maximum Antiochenum Epiſcopum: [Oportet dilectionem tuam eius meminiſſe doctrinæ, quam præcipuus Apoſtolorum omnium Beatus Petrus per totum mundum quidem, vniformi prædicatione, ſed ſpeciali magiſterio in Antiochena, & Romana vrbe fundauit.] Quid eſt hoc ſpeciali magiſterio? Agnoſcis, opinor, quid velim.

Et Theodoſius Imperator Cod. de Sum. Trinit. & fid. Cathol. [Cunctos populos, quos clementiæ noſtræ regit Imperium, in tali volumus religione verſari, quam Diuum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, religio vſque adhuc ab ipſo inſinuata declarat.

Et Gregorius Turonenſis [lib. 1. Hiſtor. Francorum, cap. 25. Beatus Petrus Apoſtolus ſub Imperatore Claudio Romam aggreditur, ibique prædicans in multis virtutibus, manifeſtiſſimè Chriſtum eſſe Dei filium comprobauit. Ab illis enim diebus, Chriſtiani apud Ciuitatem Romanam eſſe cœperunt.]

5 Idem ſcribunt Euſebius lib. 2. Hiſtor. cap. 14. Arnobius lib. 2. contr. Gentes, & alij. Cur his omnibus contradicis? Cum antea quærebatur, An Petrus Romæ mortuus ſit? dicebas: [malo aſſentiri ob plurimorum patrum conſenſus, quàm reluctari.] Iam verò, cum quæritur, An Petrus Romanos ad fidem primus conuertit? contrarium dicis: [Malo reluctari in odium Papæ, quàm ob plurimum Patrum conſenſum aſſentiri.] Ne tamen temerè videaris reluctari, multa obijcis ſine ordine, vt lectori fucum facias; quæ breuiter perſtringam.

6 Primò; obijcis illud Act. 19. 21. [His autem expletis, propoſuit Paulus in Spiritu, tranſita Macedonia. & Achaia, ire Hieroſolymam, dicens: Quoniam poſtquam fuero ibi, oportet me, & Romam videre.] Ex quo colligis Paulum fuiſſe anxium de Romanorum conuerſione, & ab eo primùm conuerſos eſſe.

Reſpondeo. Non fuit anxius de illorum conuerſione, quia iam erant conuerſi ad fidem, vt ex ipſo Paulo oſtenſum eſt: ſed de confirmatione. Sic enim de ſe ſcribit Rom. 1. 10. [Obſecrans, ſi quo modo tandem aliquando proſperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Deſidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ Spiritualis ad confirmandos vos? ideſt, ſimul conſolari in vobis per eam, quæ inuicem eſt, fidem veſtram, atque meam.] Hic vide, cur deſideret videre Romam. Nempè, vt tam ipſe, quàm Romani perciperent aliquam conſolationem ex mutua fidei communicatione, & ſic in fide magis confirmentur. Erant ergo iam conuerſi ad fidem.

7 Sed vrges: [Cur Paulus tam ſollicitus eſt de videnda Roma, ſi iam Romæ erat Petrus?] Iam dixi. Propter conſolationem, quam Romani ab ipſo, & viciſſim ipſe à Romanis, ex mutua fide erat percepturus. Nec præſentia Petri obſtare potuit. Immò, ſi Petrus Romæ erat, maior fuit occaſio, cur ſollicitus eſſet de videnda Roma. Nempè, vt & Petrum videret. Quod debebas colligere ex illo Gal. 1. 18. [Poſt tres annos veni Hieroſolymam, videre Petrum.] Cur non veniat Romam videre Petrum, ſi Petrus Romæ erat?

8 Secundò, obijcis illud Act. 23. 11. [Sequenti nocte aſſiſtens ei Dominus ait: Conſtans eſto: Sicut enim teſtificatus es de me in Hieruſalem, ſic te oportet, & Romæ teſtificari.] Ex quo etiam vis conuincere, Paulum propterea iuiſſe Romam, Non rectè. Nam vtrobique eſt eadem formula loquendi: teſtificari in Ieruſalem, & teſtificari Romæ.] At ex hac formula, [Paulus teſtificatus eſt in Ieruſalem de Chriſto] non ſequitur, Paulum fuiſſe primum, qui in Ieruſalem prædicauerit Euangelium; cùm conſtet, Petrum fuiſſe primum; Ergo ſimiliter, ex iſta formula, [Paulus teſtificatus eſt Romæ de Chriſto,] non ſequitur fuiſſe primum, qui id fecerit. Non nego quidem, vtroque loco teſtificatum eſſe, & multos ad fidem conuertiſſe; ſed nego primùm ante alios id feciſſe.

9 Tertiò obijcis: Scriptura nihil dicit de Petro, quod ſpectet ad Romanorum conuerſionem. At de Paulo legimus, Rom. 1. 14. [Græcis, ac barbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum. Ità, quod in me, promptum eſt, & vobis, qui Romæ eſtis, Euangelizare.

Reſpondeo. Sicut Scriptura nihil dicit de Petro, quod ſpectet ad primam Romanorum conuerſionem; ità etiam nihil de Paulo. Igitur ex hac parte eſt par ratio. Rurſùm, ſicut ex ſcriptura conſtat, Paulum fuiſſe Romæ; ſic etiam conſtat, Petrum fuiſſe Romæ. Nam in 1. Epiſt. canonica c. 2. 5. v. 13. ſcribit: Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta, & Marcus filius meus.] Vbi nomine Babylonis, intelligit Romam, vt interpretantur Patres, Euſebius lib. 2. Hiſt. cap. 15. Hieronymus in catal. ſcrip. Eccleſ. in Marco, & alij paſſim. Et tu ipſe fateris, l. 4. cap 3. num. 26. & alibi. Eſt igitur, & hic par ratio Petri, & Pauli, In eo ſolùm eſt diſparitas, quòd ſcriptura expreſsè dicat, Paulum Romæ Euangelizaſſe; quod de Petro expreſsè non dicit. Sed quid refert? Ex eo nihil conuinci poteſt contrà nos. Non enim ſequitur: Scriptura hoc non dicit de Petro: Ergo factum non eſt. Sicut non ſequitur: Scriptura non dicit Petrum, & Paulum Romæ martyrium paſſos eſſe: Ergo ibi paſſi non ſunt. Nec item: Scriptura non dicit Apoſtolos Symbolum fidei condidiſſe: Ergo non condiderunt. Notum eſt illud apud Theologos; [Argumentum ab auctoritate negatiua non valet.] Denique, huic diſparitati oppono aliam maioris momenti, quæ eſt huiuſmodi: Antiqui Patres communi conſenſu tradunt, Petrum Romanos primos ad fidem conuertiſſe; quod de Paulo non tradunt. Hanc digere, ſi potes.

10 Quartò obijcis: Ipſemet Paulus teſtatur, Romanos accepiſſe ab ipſo fidem, & Euangelium, Rom. 16. 25. [Ei autem, qui potens eſt vos confirmare iuxtà Euangelium meum, & prædicationem Ieſu Chriſti, &c.]

Reſpon-

Reſpondeo. Paulus non loquitur de Euangelio ſuo, quod ipſe Romæ viua voce præſens prædicauerat (quia nondùm fuerat Romæ, cum hoc ſcriberet, vt ſuprà oſtendi) ſed de Euangelio, quod per Epiſtolam ipſis tradiderat. Eſt igitur hic ſenſus: ei autem, qui poteſt vos in cœpto confirmare, iuxtà Euangelium meum, quod in hac Epiſtola ad vos ſcripſi, ſit honor in ſæcula ſæculorum. Nam in illa Epiſtola ſcripſerat, omnes, etiam gentiles, & paganos, iuſtificari ex fide Chriſti. Et quidem gratis ſine vllis ipſorum meritis præcedentibus. Ex qua re poterant confirmari in fide ſemel ſuſcepta.

11 Sed inſtas: Paulus loquitur de Euangelio, quod ipſe prædicauerat Romanis, non quidem per ſe, ſed per Diſcipulos ſuos, antequam ipſe perſonaliter veniret Romam. Et hoc probas ex eodem cap. 16. vbi multos nominatim ſalutat, vt Priſcillam, & Aquilam, Andronicum, & Iuniam.

Reſpondeo. Nec aſſertio tua vera eſt, nec probatio valet. Non enim ſequitur Paulus ſalutat Priſcillam, Aquilam, Andronicum, & Iuniam, Romæ exiſtens: Ergo per Diſcipulos ſuos conuertit Romam ad fidem. Priùs Probanda ſunt hæc tria.

Primò: Illos fuiſſe Diſcipulos Pauli.

Secondò: Miſſos eſſe à Paulo Romam, vt Romanos conuerterent.

Tertiò: Eos id præſtitiſſe. Nihil iſtorum probas. Quid ſi ego contrarium probem? Quod facilè eſt. Nam de Andronico, & Iunia ſic legimus Rom. 16. 7. [Salutate Andronicum, & Iuniã cognatos, & concaptiuos meos: qui ſunt Nobiles in Apoſtolis: Qui, & ante me fuerunt in Chriſto.] Certè ſi fuerunt Chriſtiani antequam Paulus fieret Chriſtianus; & quidem præcipui inter Apoſtolos, ideſt, inter Doctores Euangelij, (vt interpretantur Chryſoſtomus, Theodoretus, Cornelius à Lapide) non eſt probabile, fuiſſe Pauli Diſcipulos.

12 Similiter de Priſcilla, & Aquila ſic legimus: Roman. 16. 3. [Salutate Priſcam, & Aquilam adiutores meos in Chriſto Ieſu. Et Act. 18. 1. Poſt hæc Paulus egreſſus Athenis, venit Corinthum: & inueniens quendam Iudæum, nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priſcillam vxorem eius (eò quòd præcepiſſet Claudius decedere omnes Iudæos à Roma) acceſſit ad eos. Et quia eiuſdem erat artis, manebat apud eos; & operabatur. Erant autem Scenofactoriæ artis. Et infrà ver. 24. Iudæus autem quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, deuenit Epheſum potens in ſcripturis, &c. Hic ergo cœpit fiducialiter agere in Synagoga. Quem cùm audiſſent Priſcilla, & Aquila aſſumpſerunt eum, & diligentiùs expoſuerunt ei viam Domini.] Ex quibus hæc colligo.

Primò: Quòd Aquila, & Priſcilla habitauerint Romæ, tempore Claudij Imperatoris.

Secundò: Quòd ab eodem Claudio cum alijs Iudæis, Romæ expulſi fuerint (Anno Chriſti 51. vt refert Paulus Oroſius.)

Tertiò: Quòd poſt expulſionem, venerint Corinthum, & ibi primùm à Paulo viſi, & cogniti ſint.

Quartò: Quòd poſteà cum Paulo profecti ſint Epheſum, & ibi in Chriſtiana fide perfectè inſtruxerint quendam Iudæum; nomine Apollo.

Quintò, quòd ob hanc inſtructionem, vocati ſint adiutores Pauli in Chriſto Ieſu.

Sextò: Quòd poſt hæc omnia Romam reuerſi ſint, & ibi habitauerint eo tempore, quo Paulus ſcripſit Epiſtolam ad Romanos, id eſt. Anno Chriſti 58. At, quòd fuerint Diſcipuli Pauli, ex nullo horum conſtare poteſt. Tu hoc fingis ſine fundamento.

13 Quintò, obijs illud 2. Tim. 3. 16. [In mea prima defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me dereliquerunt: Non illis imputetur. Dominus autem mihi aſtitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes. Et liberatus ſum de ore Leonis.] Vbi, inquis, per Leonem intelligit Neronem, à quo tantiſper liberatus, Romanę Eccleſiæ fundandæ egregiam nauauit operam. Et hæc eſt inquis, illa prædicatio, [vt audiant omnes gentes.] Quia cùm Roma eſſet Caput omnium gentium, indè facilè fides in omnes gentes erat peuetratura. Sic tu interpretaris.

Reſpondeo. Vera interpretatio conſiſtit in his punctis.

Primò, Paulus bis fuit Romæ in carcere ſub Nerone. Priori vice liberatus eſt: poſteriori, martyrio affectus. Igitur hoc loco agit de defenſione ſua, quam habuit in priori carcere, quando ſcilicet ſecundo anno Neronis, Hieroſolymæ captus, ad eundem Romam miſſus eſt, ibique per biennium manſit, (Act. 28. 30.)

Secundò, in illa defenſione deſertus eſt à ſuis, quia non audebant illi aſſiſtere, propter crudelitatem Neronis, quam metuebant. Nihilominùs Deum habuit adiutorem, qui cum corda Regum habeat in ſua manu, ità promouit, & flexit cor Neronis, vt Paulum è carcere dimiſerit.

Tertiò, hoc ideò factum eſt à Deo, vt Paulus, qui iam Romæ biennio in carcere prædicauerat Euangelium, etiam in Hiſpania, & alibi prædicaret. Quod etiam contigit. Nam liberatus ex carcere, ſtatim profectus eſt in Hiſpaniam, & vicinas prouincias, ibique per aliquot annos fidem Chriſti prædicauit. Poſteà Romam rediens, iterum captus eſt, & martyrio coronatus.

14 Hæc interpretatio deſumitur ex communi Patrum ſententia, apud Toletum, Peretium, & Cornelium de Lapide, in cap. 15. Epiſtolæ ad Romanos, v. 24. Diſcrepat autem à tua interpretatione, Tu dicis Paulum poſt liberationem ex carcere, Romanæ Eccleſiæ fundandæ operam nauaſſe: Et prædicationem Euangelij, de qua loquitur Paulus, Romę contigiſſe. Nos dicimus Paulum biennio quidem in carcere prædicaſſe Euangelium, (vt expreſsè habetur Actor. 28. 30.) ſed liberatum ex carcere, non manſiſſe Romæ, ſed in Hiſpaniam iuiſſe: Ac proindè prædicationem, de qua loquitur Paulus, non Romæ, ſed in Hiſpania factam eſſe. Et hoc probatur ex ipſo Paulo, Roman. 15. 24. [Cum, inquit, in Hiſpaniam proficiſci cępero, ſpero, quod præteriens, videam vos, & à vobis deducar illuc, ſi vobis primùm ex parte fruitus fuero.]

Vbi

Vbi fatetur, ſe tantùm in tranſitu voluiſſe Romam videre, & rectè in Hiſpaniam contendere, vt ſignificet, Romanos non indigere prædicatione illius. quippè quibus Euangelium, iam anteà erat annunciatum. Hiſpanos autem indigere, qui vix aodiuerant aliquid de Chriſto. Ità Toletus in illum locum. Et conſentiunt Patres ab illo citati.

15 Sextò obijcis n. 13. illud Rom. 15. 20. [Si autem prędicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem: Sed ſicut ſcriptum eſt; Quibus non annunciatum de eo, videbunt; Et qui non audierunt, intelligent.] Ex quo loco conatis Baronium refellere, qui aſſerit, Petrum poſuiſſe fundamentum Eccleſiæ Romanæ; ac deindè Paulum ſuperædifiſcaſſe. Tu contrà contendis, Paulum non ſolere prædicare Euangelium, niſi vbi ante prædicatum non eſt. Reſpondeo. Iterum tibi contradicis. Nam antea dixiſti. Diſcipulos Pauli poſuiſſe fundamentum Eccleſiæ Romanæ; ac deindè Paulum perfeciſſe. Hic dicis Paulum non ſolere prædicare Euangelium, niſi vbi antea prædicatum non eſt. Quæ duo inter ſe pugnant. Deindè, falsò interpretaris mentem Pauli. Non enim vniuersè aſſerit, nuſquam ſe prædicaſſe, vel prædicare Euangelium, niſi in ijs locis, vbi Chriſtus nominatus non eſt; Sed ſe hactenùs prędicaſſe Euangelium apud multos gentiles, qui nihil audierant de Chriſto, iuxtà illud vaticinium Iſaiæ; [Quibus non eſt annunciatum de eo, videbunt; & qui non audierunt, intelligent.] Igitur hæc eſt propoſitio Pauli; Ego prædicaui Euangelium in Arabia, Seleucia, Cypro, Pamphilia, Lycaonia, Phrygia, Galatia, Achaia, & alijs gentilium Prouincijs, vbi nihil antea auditum erat de Chriſto. Quæ veriſſima eſt, vt patet Act. 13. & ſeqq. Tu fingis hanc eſſe: Paulus numquam prædicauit Euangelium in aliquo loco, niſi vbi anteà prędicatum non eſt. Quæ eſt falſa. Nam prædicauit Hieroſolymis, vbi anteà prędicatum erat à Petro. Quod etiam de Roma dicendum eſt.

16 Septimò obijcis (n. 14.) Paulus arguit imperfectionem fidei à Romanis ſusceptæ, Rom. 1. 11. [Deſidero videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandos vos.] Quod non feciſſet, ſi à Petro fuiſſent edocti. Reſpondeo. Hoc argumentum ſic retorqueo: Quod non feciſſet, ſi à Diſcipulis Pauli fuiſſent edocti, vt tu aſſeris. Quid reſpondes, Antoni? Deindè falſum eſt, quod aſſumis. Non arguit, ſed laudat illorum fidem. [Primùm, inquit, gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo.] Certè, non ageret Deo gratias propter eorum fidem, ſi eſſet imperfecta, & reprehenſione digna. Nec diceret Hieronymus l. 3. contrà Ruffinum c. 4. [Ad Romanos Apoſtolico ore laudatos perfidia non habet acceſſum.] Vbi, & cuius ore laudatos? Pauli, cum dixit: [Fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo.] Nec obſtat illud, quod tu imperitè adducis: [Vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandos vos.] Nam ibi nullum eſt verbum, quod arguat imperfectionem fidei. Immò contrarium colligitur ex ipſo textu, qui ſic habet. [Ad confirmandos vos, ideſt, ſimul conſolari in vobis per eam, quæ inuicem eſt, fidem veſtram, atque meam.] At quæ eſſet conſolatio ex parte Pauli, ſi videret Romanos habere fidem imperfectam?

17 Octauò obijcis (n. 15.) Paulus in Epiſtola ad Rom. non ſalutat Petrum, cum tamen multos alios inferioris ordinis ſalutet: Ergo ſignum eſt, Petrum non fuiſse tunc Romæ, alioqui & illum ſalutaſſet. Reſpondeo. Hoc argumentum ſumpſiſti ex Illyrico Lutherano. Et duplex in eo vitium eſt. Vnum, quia non ſequitur; Paulus ſcribens ad Romanos, non ſalutat Petrum; Ergo Petrus non erat tunc Romæ. Sicut non ſequitur; Paulus ſcribens ad Epheſios, non ſalutat Ioannem; Ergo Ioannes non fuit Epheſi. Item, ſcribens ad Hebræos, non ſalutat Iacobum; Ergo Iacobus non erat Hieroſolymis. Quaſi neceſse ſit. omnes notos ſalutare, qui alicubi ſunt. Alterum, quia multò minùs ſequitur; Petrus tunc non erat Romæ; Ergo antea non prędicauerat ibi Euangelium. Poteſt enim fieri, vt antea fuerit Romæ, & poſteà circa illud tempus, quo Paulus ſcripſit epiſtolam, non fuerit. Habemus exemplum in ipſo Paulo. Fuit Romæ per biennium in vinculis. Deindè profectus eſt in Hiſpaniam. Poſteà iterum redijt Romam. Quare ſimiliter non potuiſset Petrus, quando Romæ prædicauerat Euangelium, & Eccleſiam ibi fundauerat, parùm ſecedere, ac deindè ad Eccleſiam a ſe fundatam redire? Et ità factum eſse, tradunt magni Auctores. Vide Bellarmin. lib. 2. de Pontif. cap. 7.

18 Nonò obijcis (n. 15.) Romani dixerunt Paulo Romam venienti Actor. 28. 21. [Nos neque literas accepimus de te à Iudæa, neque aduenient aliquis fratrum nunciauit, aut locutus eſt quid de te malum. Rogamus autem à te audire, quæ ſentis. Nam de ſecta hac notum eſt nobis, quia vbique ei contradicitur.] Ex quo loco ſic ratiocinaris; Si Petrum habuiſsent præſentem, & eius prędicationes audiuiſsent, non eſsent adeò noui, & rudes, neque opus haberent, vt Paulus aliquam eis pleniorem nouæ illius ſectæ notitiam traderet. Reſpondeo. Hoc argumentum æquè tibi, ac nobis, ſoluendum eſt. Nam ſicut nos dicimus, Petrum, antequam Paulus Romam veniret, prędicaſse Romanis Euangelium; Sic tu dicis, Diſcipulos Pauli id feciſse, non Petrum. Si ergo valet hæc conſequentia; Romani cupiebant à Paulo audire pleniorem notitiam fidei Chriſtianæ; ergo non habebant Petrum prę́ſentem, nec Petrus ipſis prędicauerat; Valebit etiam hæc; ergo non habebant Diſcipulos Pauli præſentes, nec Diſcipuli Pauli ipſis prędicauerant. Aut ſi hæc non valet, cur iſta valeat? Hic reſponde, quod vis. Nam quicquid dixeris pro te, dixeris etiam pro nobis; Et viciſſim, quicquid contrà nos, etiam contrà te.

19 Addo, Romæ tum temporis fuiſse non ſolùm gentiles, ſed etiam Iudęos: Vtroſque à Petro quidem audiuiſse Euangelium, ſed non omnes fuiſse conuerſos; Multos adhuc manſiſse, vel in ſua gentilitate, vel in Iudaiſmo: multos dubitaſse; multos ex curioſitate voluiſse audire, quid Paulus de

Euan-

Euangelio ſentiret. Sicut etiam contigit Chriſto in Iudæa prędicanti. Nam aliqui ex Iudęis credebant illi: alij non credebant; alij dubirabant. Idem factum eſt Iconij, cum ibi Paulus, & Barnabas prędicarent Euangelium Act. 14. 1. [Factum eſt autem Iconij, vt ſimul introirent in Synagogam Iudæorum, & loquerentur, ita vt crederet Iudæorum, & Græcorum copioſa multitudo. Qui verò increduli fuerunt Iudæi, ſuſcitauerunt, &c. Et infrà: Diuiſa eſt autem multitudo Ciuitatis: & quidam quidem erant cum Iudæis, quidam verò cum Apoſtolis.] Similia contigerunt Theſſalonicæ, Berœæ, Athenis, Corinthi, Epheſi, & alibi, Act. 17. & ſeqq. Cur non ſimiliter potuit fieri Romæ? ſicut tenera factum eſt.

20 Decimò obijcis (n. 16. & ſeqq.) Petrus non poterat venire Romam ante Paulum. Hoc probas ex Chronologia, quam proponis. Reſpondeo. Illa Chronologia à te conficta eſt: Et in multis diſcrepat à Chronologia aliorum auctorum tam veterum, quàm tecenriorum. Cur tibi potiùs credam, quàm illis? Illi dicunt: Petrum veniſse Romam circa annum ſecundum Claudij Imperatoris, vt Irenæus, Tertullianus. Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Optatus, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, & alij quàm plurimi apud Baronium tom. 1. Annalium, anno Chriſti 44. At conſtat, Paulum veniſse Romam anno tertio Neronis, vt tu ipſe fateris. Igitur neceſse eſt, Petrum, vt minimum, tredecim annis priùs veniſse, quàm Paulum. Si tu aliter ſentis, per me licet. Numquam tamen efficies, vt relicto Chriſtiani Orbis conſenſu, tibi aſsentiar, homini nouo, & inconſtanti, qui non veritatis ſtudio, ſed ambitionis æſtu ad ſcribendum, vt ſæpè dixi, impulſus es.

21 Vndecimò obijcis (num. 10.) multi Patres conuerſionem Romanorum æquè Petro, & Paulo tribuunt, vt Irenæus, Caius, Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, Lucius Papa, Tertullianus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Chryſoſtomus, Gregorius, Bernardus, Innocentius. Reſpondeo. Duo tibi probanda ſunt. Primò, Paulum fuiſse primum, qui Romanos ad fidem conuertit. Quod numquam probabis. Nec vllus illorum Patrum id aſserit. Secundò, Paulum vel magis, vel non minùs, quàm Petrum fundaſse Eccleſiam Romanam. Neque hoc aſserunt citati Patres. Quid ergo? Aliqui dicunt, Petrum, & Paulum id feciſse per prędicationem Euangelij: non tamen addunt, quod tu addis, Paulum vel magis, vel non minùs, quàm Petrum, id feciſse. Ità Irenæus lib. 3. contrà hæreſes cap. 1. his verbis: [Matthæus in Hebræis, ipſorum lingua ſcripturam edidit Euangelij, cùm Petrus, & Paulus Romæ Euangelizarent, & fundarent Eccleſiam.] Quod non eſt contrà nos. Fatemur vtrumque fuiſse Romę, & ibi Euangelium prædicaſse; ſed priùs Petrum, quàm Paulum, id feciſse. Alij dicunt, Petrum, & Paulum reliquiſſe Romanis Euangelium ſuo ſanguine ſignatum, vt Tertull. l. 4. contrà Marcionem cap. 5. [Quibus, inquit, (Romanis) Euangelium Petrus, & Paulus ſanguine quoque ſuo ſignatum reliquerunt.] Neque hoc negamus. Alij denique, Petrum prædicaſſe Romæ Euangelium, antequam Paulus eò veniret, vt Chryſoſtom. homil. 2. in epiſt. ad Rom. poſt initium, cùm ait: [Atqui Petrus prædicauerat Romæ. Verùm, quę ille geſſerat. Paulus pro ſuis reputat.] Hoc contrà te eſt.

CAP. II.

An Petrus fuerit Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ?

1 OStenſum eſt ex communi Patrum ſententia, Petrũ circa annum ſecundum Claudij veniſſe Romam, & ibi ſua prędicatione multos conuertiſſe ad fidem; atque ità Romanam Eccleſiam fundaſſe. Nunc quæſtio eſt: [An etiam fuerit Epiſcopus illius Eccleſiæ? vel, An ſederit in Cathedra Romanæ Eccleſiæ à ſe fundatæ?] Tu nihil peculiare illi tribuis in hac re, præ Paulo, Nam cap. 1. num. 8. aſſeris hæc tria. Primò, Petrum non aliquo peculiari titulo fuiſſe Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, ſed ſolùm ratione ſui Apoſtolatus. Secundò, eodem ſenſu Paulum fuiſſe ibidem Epiſcopum. Tertiò vtrumque tamdiù fuiſſe ibi Epiſcopum, quamdiù quiſque actu exercuit ibi officium Apoſtoli, ideſt, officium prædicandi Euangelium. Nihil igitur in hoc negotio plùs habere Petrum, quàm Paulum.

2 At Patres longè aliter ſentiunt. Euſebius in Chronico, anno 44. ſic ſcribit:] Petrus natione Galilæus, Chriſtianorum Pontifex Primus, cùm primùm Antiochenam Eccleſiam fundaſſet, Romam proficiſcitur, vbi Euangelium prædicans, viginti quinque annis eiuſdem Vrbis Epiſcopus perſeuerat.

Hieronymus in Cathal. ſcript. Eccleſ. [Petrus Romæ viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit. [Et in epiſt. ad Damaſum: [cum ſucceſſore Piſcatoris, & Diſcipulo crucis loquor: Ego beatitudini tuæ, ideſt, Cathedræ Petri, [illegible] conſocior.

Seuerus Sulpitius lib. 2. Hiſtor. [Namque eo tempore, diuina apud Vrbem religio inualuerat, Petro ibidem Epiſcopatum gerente: & Paulo, poſtquam ab iniuſto præſidis iudicio Cæſarem appellauerat, Romam deducto.

Cyprianus lib. 4. epiſt. 2. ad Antonianum: [Factus eſt Cornelius Epiſcopus, cùm Fabiani locus, ideſt, cùm locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret.

Optatus Mileuitanus lib. 2. contrà Parmenianum: [Negare non potes, ſcire te in Vrbe Roma, Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collocatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput, Petrus.

Auguſtinus lib. 2. contrà literas Petiliani cap. 15. [Cathedra tibi, quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, in qua nunc Anaſtaſius ſedet?] Et in Pſalmo contrà partem Donati: [Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Petri ſede: Ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.

Gregorius in Pſalm. 5. pœnitentialem: [In tantùm autem ſuæ temeritatem extendit

veſa-

veſaniæ, vt Caput omnium Eccleſiarum Romanam Eccleſiam ſibi vendicet, & in domina gentium terræ ius poteſtatis vſurpet. Quod omninò ille fieri prohibuit, qui hanc beato Petro Apoſtolo ſpecialiter commiſit.

3 Ex his teſtimonijs (vt multa alia omittam) notanda ſunt hæc. Primò, Petrus primus Pontifex Chriſtianorum. Secundò, Petrus viginti quinque annis Romanæ Vrbis Epiſcopus fuit. Tertiò, Petrus Romæ viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit. Quartò, Petrus Romæ Epiſcopatum geſſit. Quintò, Petro Cathedra Epiſcopalis primo Romæ omnium collocata eſt. Sextò, Petrus ſedit in Cathedra Romanæ Eccleſiæ. Septimò, Romana Eccleſia eſt Petri Sedes. Octauò, Romana Eccleſia Petro ſpecialiter commiſſa eſt. Nihil horum dicitur de Paulo. Et tu tamen, Marce Antoni, contrà communem horum Patrum conſenſum, audes aſſerere, Paulum æquè fuiſſe Romæ Epiſcopum, ac Petrum? Immò priùs Romam veniſſe, quàm Petrum? Priùs Eccleſiam ibi fundaſſe, priùs Epiſcopum Eccleſiæ fuiſſe?

4 Multa obijcis (num. 11. & 12. Primò, Linus, & Clemens, qui primi ſucceſſerunt Apoſtolis in Eccleſia Romana, fuerunt Diſcipuli Pauli; Ergo ſignum eſt, magis Paulum, quàm Petrum, fuiſſe Romæ Epiſcopum. Reſpondeo. Vndè probas fuiſſe Pauli Diſcipulos: Sed fuerint; An ideò ſequitur, Paulum magis, quàm Petrum fuiſſe Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum? miror te ſic deſipere. Omnes, qui ſcribunt cathalogum Romanorum Pontificum, ſeu Epiſcoporum, incipiunt à Petro, & pergunt ad Linum, Clementem, & alios deinceps. Tu fingis nouum cathalogum, in quo oporteat incipere à Paulo, & progredi ad Linum, Clementem, & alios ſucceſſores. Parùm prudenter.

5 Secundò obijcis: Multi Pontifices Romani teſtantur ſe accepiſſe auctoritatem à Principibus Apoſtolorum, Petro, & Paulo: Et ſe multa agere ex eorum auctoritate: Ergo non minùs Paulus, quàm Petrus, fuit Romæ Epiſcopus. Reſpondeo. Pontifices dicunt ſe multa facere ex auctoritate Petri, & Pauli, quia Petrus, & Paulus ſua prædicatione, & ſanguine fundarunt Eccleſiam Romanam. In ea tamen fundanda, Petrus Paulum anteceſſit, vt probatum eſt. Nam Romani primò conuerſi ſunt à Petro, ac deindè à Paulo in fide confirmati. Et vterque quidem fuit Apoſtolus Romanorum; Sed Petrus peculiari ratione Epiſcopus, cui Epiſcopi ſucceſſerunt. Hoc patet ex Patribus iam citatis.

6 Tertiò obijcis: Pontifices dicuntur Vicarij Petri, & Pauli, vt patet ex quadam Synodo ſub Ioann. 8. Vbi Epiſcopi illius Synodi ita loquuntur ad Carolum Imperatorem; [Iam quia diuina pietas vos beatorum Principum Apoſtolorum, Petri, & Pauli interuentione, per Vicarium ipſorum, Dominum videlicèt Ioannem, ſummum Pontificem, & vniuerſalem Papam, ſpecialemque Patrem noſtrum, &c. Reſpondeo. Vel admittis illam Synodum, vel reſpuis. Si admittis, neceſſe eſt te admittere, Pontificem eſſe vniuerſalem Papam. Si reſpuis, nihil ex ea, tuo iudicio, potes conuincere.

7 Quartò obijcis: Romæ in plumbeo ſigillo, Paulus Petro ad dextram collocatur. Reſpondeo. Hæc obiectio pridem ſoluta eſt à Cardinale Bellarmino. Si ſolutio bona eſt, cur non acquieſcis? Si mala, cur non refellis? Summa ſolutionis eſt hæc: Aliquando Petrus ponitur ad dextram, aliquando Paulus: Quia ſicut Petrus excellit poteſtate in Eccleſia; ità Paulus ſapientia, & labore. Plùs enim laborauit, quàm reliqui: plures gentiles ad fidem conuertit: plures prouincias peragrauit. Sicut ergo Eccleſia plùs honorat Petrum, ratione poteſtatis; ità plùs Paulum ratione ſapientiæ, & laboris. Nec id nouum. Plùs etiam honorat Diuum Thomam, Franciſcum, Dominicum, Benedictum, quàm multos Pontifices, & Epiſcopos, quia licèt hi poteſtate excelluerint, illi tamen plùs boni Eccleſiæ præſtiterunt.

8 Quintò obijcis: Numquam fit officium de Petro, quin fiat commemoratio de Paulo; & vice verſa: Ergo pares ſunt. Reſpondeo. Mirus homo es. In præcedente obiectione contendebas, Paulum præferendum eſſe Petro: Nunc vis pares eſſe. Audi. Pares ſunt in Apoſtolatu: impares in alijs. Nam Petrus, vt dixi, poteſtate excellit: Paulus labore, & ſapientia, Eccleſia vtrumque magni facit; & vtrique tribuit, quod ipſis debetur.

CAP. III.

An Pontifex ſit Succeſſor Petri.

1 DE hac re diſputas l. 4. c. 6. Et aſſeris Pontificem non eſſe propriè peculiarem Petri ſucceſſorem. At Patres contrarium aſſerunt, quibus potiùs, quàm tibi credendum eſt. Sic enim ſcribit Optatus Mileuitanus l. 2. contrà Parmenianum: [Petro ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus,] &c. Auguſtinus epiſt. 165. ad Generoſum: [Si ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quantò certiùs, & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti, Dominus ait: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euariſtus, &c.] Et Philippus Presbyter in Concilio Epheſino, tom. 2. c. 16. [Nulli dubium, imò ſeculis omnibus notum eſt, Sanctum Petrum Apoſtolorum Principem, & Caput, Eccleſiæ Catholicæ fundamentum, per ſucceſſores ſuos hucuſque ſemper viuere, cauſaſque decernere, ſemperque victurum eſſe. Huius itaque ordinatius ſucceſſor Papa Cœleſtinus nos ad hanc Synodum miſit.] Omitto reliquos omnes, qui vel Chronica, vel martyrologia, vel vitas Pontificum conſcripſerunt. Omnes incipiunt à Petro: Et Pontifices faciunt Petri Succeſſores.

2 Et ratio euidens ſumitur ex principijs iàm poſitis. Primùm eſt, Chriſtum in hac vita fuiſſe viſibile Caput Eccleſiæ in externa gubernatione, ſicut vir eſt Caput mulieris. Alterum, hanc gubernandi formam non eſſe

mura-

mutatam poſt Aſcenſionem Chriſti; ac proinde etiam nunc opus eſſe viſibili Capite Eccleſiæ in externa gubernatione. Tertium hoc Caput, non aliud fuiſſe poſt Chriſtum, quàm Petrum, cui dictum eſt: [Paſce oues meas. Cùm ergo poſt mortem Petri non ſit facta mutatio in regimine Eccleſiæ, neceſſe eſt, Petro ſucceſſiſſe aliquem, qui eodem modo, quo Petrus Eccleſiam gubernauerit. Nec alius aſſignari poteſt, quàm Pontifex.

4 Secundò obijcis: Nulli Apoſtolo datur perſonaliter pro ſua ſingularitate ſucceſſin: Ergo nec Petro. Reſpondeo. Antecedens poteſt dupliciter intelligi. Primò, abſolutè, quòd nullus Apoſtolorum habuerit particularem ſucceſſorem in Eccleſia aliqua particulari. Sic falſum eſt. Nam Iacobo in Eccleſia Hieroſolymitana ſucceſſit Simeon Cleophæ filius. (apud Euſebium lib. 3. Hiſt. c. 11.) Secundò cum hac limitatione, quòd nullus Apoſtolorum habuerit perpetuam ſucceſſionem in ſua Eccleſia. Sic verùm eſt de omnibus Apoſtolis excepto Petro. Ille ſolus in Eccleſia Romana habet perpetuam ſucceſſionem, & in eo impletur promiſſio Chriſti: [Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.

5 Tertiò obijcis: Omnes Epiſcopi ſunt omnium Apoſtolorum, etiam Petri in ſolidum ſucceſſores, vt fatetur Leo ſer. 3. de Aſſumptione ſua ad Pontificat. vbi ait: [Eccleſiaſticam poteſtatem, quam Petrus habuit, ad omnes Eccleſiæ Principes, ideſt, Epiſcopos commeaſſe.] Reſpondeo. Falſum eſt, quod aſſumis, omnes Epiſcopos in ſolidum eſſe Succeſſores Petri. Solus Pontifex in ſolidum illi ſuccedit: reliqui in partem. Nec Leo tibi, ſed nobis patrocinatur. Nam loco à te citato, ſic habet: [Vnus de toto mundo Petrus eligitur, qui & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur, vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit, & Chriſtus.] Hæc verba omiſiſti, quia contrà te ſunt. Non longè poſt, ſic pergit Leo: [Propter quod dicit beatiſſimo Petro: Tibi dabo claues. Tranſiuit quidem etiam in alios Apoſtolos vis poteſtatis illius, & ad omnes Eccleſiæ Principes decreti huius conſtitutio commeauit, ſed non fruſtrà vni commendatur, quod omnibus intimetur.] Hæc verba citaſti, ſed mala fide. Nam Leo non dicit, quod tu dicis, poteſtatem Eccleſiaſticam à Petro in omnes Epiſcopos in ſolidum commeaſſe: Vel omnes Epiſcopos in ſolidum eſſe Succeſſores Petri. Alioqui ſibi ipſi contradiceret. Nam in priori ſententia, quam citaui, contrarium aſſerebat. [Vnus, inquit, Petrus eligitur, qui omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur.] Hæc præpoſitura, ſeù eminentia, non potuit in ſolidum commeare in omnes Epiſcopos, quia impoſſibile eſt, vt omnes, & ſinguli Epiſcopi præponantur omnibus alijs Epiſcopis.

6 Quartò obijcis: Nulla Eccleſia, tempore Apoſtolorum, habuit proprium, & ſpecialem Epiſcopum; ſed præcipuæ quæque Eccleſiæ à pluribus ſimul Epiſcopis in ſolidum regebantur: Ergo Romanus Epiſcopus non poteſt dicere, ſe alicuius certi, ac ſpecialis Apoſtoli ſucceſſorem eſſe. Reſpondeo. Negatur Antecedens. Nam in Eccleſia Hieroſolymitana, proprius, & ſpecialis Epiſcopus fuit Iacobus, vt omnes fatentur. In Epheſina, Timotheus, (teſte Euſebio lib. 3. cap. 4.) in Cretenſi, Titus, (eodem teſte, ibidem.) Et quid obſecro dicturus es de ſeptem Eccleſijs Aſiæ, de quibus Ioannes in Apoc. Certè ſingulæ habuerunt proprios, ac peculiares Epiſcopos, quorum virtutes, & vitia ibi deſcribuntur, cap. 2. & 3.

7 Quintò obijcis: Petrus eo modo fuit Epiſcopus Romanus, quo Antiochenus: Ergo non eſt ratio, cur magis Romani Epiſcopi, quàm Antiocheni, dicantur eſſe Petri Succeſſores. Reſpondeo. Verùm eſt, Petrum fuiſſe, & Antiochenum, & Romanum Epiſcopum: Et vtrobique habuiſſe ſuos ſucceſſores; ſed diuerſo modo: Nam Antiochiæ habuit Succeſſores in Eccleſia tantùm particulari: Romę, in Eccleſia vniuerſali. Ratio eſt, quia ipſe fuit à Chriſto conſtitutus Paſtor vniuerſalis Eccleſiæ per illud, [Paſce oues meas,] vt ſuprà dictum eſt. Hanc curam paſtoralem vniuerſalis Eccleſiæ non amiſit per mutationem loci, ſed per mortem. At Romæ mortuus eſt, non Antiochiæ: Ergo Romæ illam amiſit, ac proinde Romæ habuit Succeſſorem in paſtorali cura vniuerſalis Eccleſiæ.

8 Sextò obijcis: Si Romanus Pontifex peculiaris Petri Succeſſor eſt, ſequitur Petrum fuiſſe ſpecialem Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, & conſequenter non fuiſſe Epiſcopum vniuerſalem. Reſpondeo. Poſterior conſequentia neganda eſt. Nam Petrus non ſolùm fuit Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ particularis, ſed etiam Romanæ Eccleſiæ vniuerſalis. Scis quid velim? Eccleſia Romana dupliciter accipitur. Primò, pro illa ſola Eccleſia particulari, quæ olim Romæ fuit, & nunc eſt. Secundò, pro collectione omnium fideliũ, qui toto Orbe diſperſi, adhærebant olim Romano Pontifici, & nunc etiam adhærent. Et hoc poſteriori ſenſu habet varia nomina. 1. Dicitur Catholica, ſeu vniuerſalis, quia toto Orbe diffuſa. 2. Pontificia, quia Pontifici ſubiecta. 3. Romana, à nobiliori ſui parte. Petrus ergo fuit Epiſcopus Eccleſiæ Romanæ vtroque modo acceptæ.

9 Septimò obijcis: Paulus non minùs fundauit Eccleſiam Romanam, nec minùs fuit Epiſcopus Eccleſiæ Romanæ, quàm Petrus: Ergo non eſt ratio, cur Pontifex potiùs dicatur Succeſſor Petri, quàm Pauli. Reſpondeo. Antecedens falſum eſt, vt cap. 1. & 2. demonſtraui. Nam Petrus fuit primus, qui Romanos ad fidem conuertit, & Romæ Sedem, ac Cathedram obtinuit, vt conſtat ex antiqua Patrum traditione, quam negare non potes.

10 Octauò obijcis: Adhuc diſputatur, an Pontifex, vt Pontifex, debeat eligi à Clero tantùm Romano, an verò ab vniuerſali Eccleſia, vel generali Concilio. Eccleſiam vniuerſalem repræſentante. Si debet eligi à Clero tantùm Romano, iàm non eligitur, vt Caput vniuerſalis Eccleſiæ. Si autem debet eligi ab vniuerſali Eccleſia, iam non eligitur, vt Epiſcopus Romanus, & Succeſſor Petri in Romana Eccleſia. Nam vniuerſalis Eccleſia poteſt eligere quemcumque vult, non alligando illum ad hanc, vel illam Eccleſiam parti-

culatem. Reſpondeo. Pontifex eligitur à Cardinalibus. Cardinales autem poſſunt dupliciter ſpectari. Primò, quateoùs ſunt Clerici Eccleſiæ Romanæ particularis. Secundò, quatenùs ſunt Procuratores, & Miniſtri totius Eccleſiæ. Et hoc modo eligunt Pontificem. An autem poſſint eligere Pootificem, qui non ſimul eſſet Epiſcopus Romanus, ſed vel Pariſienſis, vel Vienuenſis, vel oullius loci Epiſcopus particularis, alia quæſtio eſt.

CAP. IV.

An Pontifex ſit Caput, ſeù Paſtor vniuerſalis Eccleſiæ?

1 TV id negas, lib. 4. cap. 7. & ſeqq. Ne tamen planè videaris omnem illi auctoritatem derogare, aſſeris hęc duo: Primò, Pontificem Romanum non habere vllum priuilegium iure Diuino, ſuprà alios Epiſcopos. Secundò, babuiſſe tamen aliqua priuilegia iure Eccleſiaſtico, quæ nunc io abuſum abierunt. Nimirùm hæc quinque. 1. Curam quandam, & ſuperintendentiam generalem ſuper vniuerſam Eccleſiam, quæ ſpeciali quadam ratione, præ alijs Epiſcopis, illi conceſſa fuerit. 2. Priuilegium appellationis io iudicijs Eccleſiaſticis. Nam omoes Epiſcopi totius Orbis, qui ſentiebant ſe grauari ab Epiſcopis, aut Synodis prooincialibus, poterant confugere ad Romanum Pontificem, & ibi ſuam cauſam defendere, & innocentiam demonſtrare. 3. Priuilegium communionis in fide. Nam quando graſſabatur aliqua hæreſis, & occupabat multas Eccleſias, vt hæreſis Arriana: tunc Pontifex erat quaſi Dux, & Arbiter Catholicæ communionis: Et cui ipſe dabat, vel adimebat ſuam communioocm, reliqui etiam dabant, vel adimebant. 4. Priuilegium definiendi, ac decernendi. Nihil enim graue in Eccleſia vniuerſali, niſi conſulto priùs, & conſentiente Romano Pontifice, poterat tractari, decerni, aut definiri. Non vt definitio robur haberet à Pontifice, ſed vt maius robur haberet, quàm alioqui habitura eſſet. 5. Priuilegium perfugij. Nam afflicti Epiſcopi, & perſecutionem ab hęreticis, vel tyrannis patientes, confugiebant ad Pontificem, & ab eo iuuabantur. Hæc quinque priuilegia concedis, & explicas capite 9. per totum. Nec vllum aliud agnoſcis.

2 Ego contrà ſtatuo, & hæc, & plura alia priuilegia Pontifici coucceſſa eſſe, nou tantùm iure Eccleſiaſtico, ſed etiam Diuino, & ex peculiari Chriſti inſtitutione. Et quidem, omiſſo quinto priuilegio, quod tu proponis, reliqua proponam hoc ordine. 1. Tota Eccleſia Pontifici gubernanda conceſſa eſt. Ex hoc ferè pendent alia, quæ ſequuntur. 2. Omnes Epiſcopi, in iudicijs Eccleſiaſticis poſſunt appellare ad Pontificem. 3. Omnes Chriſtiaoi, in controuerſijs fidei, debent adhęrere Pontifici, & Eccleſiæ Romanæ. 4. Nullum decretum poteſt ſtatui pro tota Eccleſia, niſi conſulto, & conſentiente Pontifice. 5. Pontifex poteſt leges Eccleſiaſticas præſcribere, quæ obligent vniuerſam Eccleſiam. 6. Poteſt Epiſcopos, Reges, & Principes, propter graue delictum, & contumaciam, excommunicare, aut alia pœoa Eccleſiaſtica punire. De his, vt alia omittam, ſigillatim agendum eſt.

PRIMVM PRIVILEGIVM.

Tota Eccleſia Pontifici gubernanda commiſſa eſt.

3 HOc probo tribus modis. 1. Ex iure inſtitutionis. 2. Ex iure ſucceſſionis. 3. Ex Concilijs, & Patribus. Primò igitur, ex iure inſtitutionis ſic: Forma gubernandi Eccleſiam debet nunc eſſe talis, qualis ab initio fuit, ex Chriſti inſtitutione: At ab initio, ex Chriſti inſtitutione, gubernabatur Eccleſia ab vno viſibili Capite, nempè ab ipſo Chriſto: Ergo etiam nunc debet gubernari ab vno viſibili Capite, quod non eſt aliud, quàm Pontifex. Hoc argumentum fusè tractatum eſt, lib. 2. cap. 3. 4. & 5. Hic obiter ex tua conceſſione confirmari poteſt.

4 Ac primò, quòd talis nunc debeat eſſe forma gubernandi Eccleſiam, qualis ab initio fuit ex Chriſti inſtitutione concedis lib. 1. cap. 1. n. 21. his verbis: [Nam ſicut Eccleſia eadem prorsùs eſt, non alia ſimilis: ità gubernatio eadem perſeuerat, non alia ſimilis.] Item, quòd Eccleſia ab initio gubernata fuerit ab vno viſibili Capite, nempè ab ipſo Chriſto, concedis ibidem n. 24. his verbis: [Ego ſanè in Chriſti viſibili regimine ordinario hæc tantùm obſeruo: Sacramenta viſibilia inſtituere, Miniſtros vocare, & mittere, Euangelizare, Miniſtros ſuos errantes corripere, & increpare, legem explicare, eamque à corruptelis vindicare. Alterius generis officia à Capite Chriſto, vt viſibilis erat, procedentia, ego certè non reperio. Igitur ex vtraque tua conceſſione, & maior, & minor propoſitio ſyllogiſmi noſtri vera eſt. Vera igitur concluſio.

5 Secundò, ex iure ſucceſſionis ſic: Pontifex ſuccedit Petro cum pari poteſtate: At Petro totius Eccleſiæ gubernatio fuit commiſſa: Ergo etiam Pontifici committitur. Minor lib. 2. de Primatu Petri probata eſt. Maiorem probo auctoritate Patrum, quos præcedenti capite receenſui, & paulò poſt iterum recenſebo. Deindè ratione. Nàm ſi Pontifex non ſuccederet Petro cum pari poteſtate, iam mutata eſſet forma gubernandi Eccleſiam. Nàm tempore Petri gubernata fuit ab vno viſibili Capite: nunc non gubernaretur ab aliquo viſibili Capite. Hanc mutationem non admittis. Ergo fateri debes, Pontificem habere Primatum Eccleſiæ, ſicut Petrus habuit.

6 Reſpondes (cap. 6. n. 8.) Etiamſi ex diuino iure ſucceſſionis deberet aliquis Petro ſuccedere in Primatu Eccleſiæ, adhùc tamen negandum eſſe, Romanum Pontificem fore ſucceſſorem. Mira pertinacia. Quis ergo foret? An tu, Marce Antoni? An aliquis alius? Deſigna ſi potes. Aut conſtringam te hoc modo: Aliquis iure diuino debet ſuccedere Petro in Primatu, ex ſuppoſitione. Negas Pontificem eſſe, quod omnes antiqui Patres affir-

Digitized by Google

aſſirmant. Dicis, alium eſſe debere, quod hactenùs nemo dixit. Quis tibi credet? Nec tu ipſe tibi.

7 Sed quo iure, inquies, Romanus Pontifex potiùs ſuccedit, quàm quiuis alius Epiſcopus? Dicam, Antoni. Iure diuino, ſeu ex inſtitutione Chriſti. Nàm quia Chriſtus ſemel inſtituit, vt Eccleſia ſemper gubernetur ab vno viſibli Capite, ſeu Paſtore, neceſſe eſt, ex vi illius inſtitutionis, vt moriente vno Paſtore, ſuccedat alius in eius locum, ſicut in Veteri Teſtamento factum eſt (Hebr. 7. 23.) Alioqui niſi alter alteri ſuccederet, non ſeruaretur inſtitutio Chriſti, qua voluit, vt Eccleſia ſemper haberet vnum viſibilem Paſtorem, cui diceret, quod Petro dixit: [Paſce oues meas.] At vnde conſtat, Pontificem debere eſſe hunc ſucceſſorem? Et hoc dicam. Conſtat ex traditione. Scis, Antoni, quæ ſunt iuris, aut inſtitutionis diuinæ, dupliciter nobis innoteſcere: Vel ex ſcriptura; vel ex traditione. Sicut ergo ex ſcriptura conſtat, Chriſtum fuiſſe viſibile Caput Eccleſiæ; & Petrum conſtitutum Chriſti Vicarium, per illud: Paſce: ità conſtat ex traditione, Pontificem eſſe Petri ſucceſſorem. Hanc traditionem accepimus ab antiquis Concilijs, & Patribus, de quibus iam dicendum eſt.

9 Tertiò, accedit conſenſus Patrum, & conciliorum. Ex quibus dupliciter probo Primatum Pontificis, reſpectu totius Eccleſiæ.

Primò, ex titulis, quos illi tribuunt.

Secundò, ex alijs ipſorum ſententijs. Recenſebo tres titulos, & totidem ſententias, ne prolixus ſim. Plures videri poterunt apud Bellarminum, Coccium, & alios. Igitur.

Primus titulus eſt: [Caput vniuerſalis Eccleſiæ.] Qui titulus habetur in epiſtola Paſcaſini Epiſcopi, & aliorum de damnatione Dioſcori, tom. 2. concil. in fine Concilij Chalcedonenſis, vbi leguntur hæc verba: [Vnde ſanctiſſimus, & beatiſſimus Papa, Caput vniuerſalis Eccleſiæ Leo, per nos, vt Legatos ſuos ſancta Synodo conſentiente, Petri Apoſtoli præditus dignitate, qui Eccleſiæ fundamentum, & petra fidei, & Cœleſtis Regni ianitor nuncupatur, Epiſcopali cum dignitate nudauit.] Vbi tria dicuntur de Pontifice Leone.

Primò, quòd ſit Caput vniuerſalis Eccleſiæ.

Secundò, quòd ſit præditus dignitate Petri Apoſtoli. Vel, vt nos loquimur, quòd ſit ſucceſſor Petri cum pari poteſtate.

Tertiò, quòd Dioſcorum Epiſcopum Alexandrinum priuauerit dignitate Epiſcopali. Ex primò, & tertiò colligimus amplitudinem poteſtatis ipſius. Ex ſecundò, quòd illam poteſtatem habeat iure diuino, ſicut Petrus habuit.

9 Simili titulo vſi ſunt Patres Concilij Chalcedonenſis in epiſt. ad Leonem, quæ extat in eodem Concilio in fine, ſub hoc titulo: [Relatio ſanctæ Synodi Chalcedonenſis ad beatum Papam Leonem de omnibus geſtis generaliter.] Vbi inter cætera, ſic ſcribunt: [Si enim, vbi duo, aut tres ſunt congregati in in nomine eius, ibi ſe in medio eorum fore perhibuit: Quantam circà Sacerdotes peculiaritatem potuit demonſtrare, qui, & patriæ, & labori ſuæ confeſſionis notitiam prætulerunt? Quibus tu quidem, ſicut membris Caput præeras.] Ecce, fatentur Epiſcopi in Concilio congregati, Leonem Pontificem ipſis præfuiſſe, ſicut caput præeſt membris: Erat autem Concilium generale, quod repræſentabat totam Eccleſiam. Igitur agnoſcunt Leonem fuiſſe Caput totius Eccleſiæ.

10 Secundus titulus eſt: [Papæ vniuerſalis Eccleſiæ.] Quo vtuntur Athanaſius, & Epiſcopi Ægypti in epiſt. ad Marcum Papam: (ſi modo Athanaſio aſcribenda ſit illa epiſt.) [Domino, inquit, ſancto, & Apoſtolici culminis venerando Marco, ſanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Sedis, atque vniuerſalis Eccleſiæ Papæ, Athanaſius, & vniuerſi Ægyptiorum Epiſcopi ſalutem.] Cui ſimilis eſt hic titulus: [Paſtor, & cuſtos ouilis Chriſti.] Quo vtuntur Ambroſius, Baſſianus, & cæteri Epiſcopi in epiſtola ad Siricium Papam. Quæ eſt ep. 81. inter epiſtolas Ambroſij. Item hic: [Cuſtos vineæ Saluatoris.] Quo vtitur Concilium Chalcedonenſe in citata relatione ad Leonem Papam, cum ait: [Et poſt hæc omnia, inſuper & contra ipſum, cui vineæ cuſtodia à Saluatore commiſſa eſt, extendit inſaniam, ideſt, contra tuam quoque Apoſtolicam ſanctitatem] Loquitur de Dioſcoro, qui primo quidem contra Flauianum, & Euſebium Epiſcopos; deindè contra Leonem Pontificem ſe oppoſuit. Eſt igitur hic ſenſus: Poſtquam oppoſuit ſe Epiſcopis, audet etiam ſe opponere Pontifici, cui totius Eccleſiæ cuſtodia commiſſa eſt. Nàm per vineam Saluatoris intelligendam eſſe Chriſti Eccleſiam, conſtat paſſim ex Euangelio.

11 Tertius titulus eſt: [Summus Pontifex: Summus Papa: Summus Sacerdos: Princeps Sacerdotum: Summus omnium præſulum Pontifex:] Quem illi tribuunt Bernardus in ſuis epiſtolis ad Romanos Pontifices, Hieronymus in præfat. Euangeliorum ad Damaſum, ſexta Synodus Act. 18. in ſerm. acclamatorio, Valentinus in epiſt. ad Theodoſium, quæ habetur tom. 1. concil. Et Stephanus Archiepiſcopus Carthaginenſis in epiſt. ad Damaſum Papam, quam ſcripſit nomine trium Conciliorum Africæ, in qua ſic legimus: [Beatiſſimo Domino, & Apoſtolico culmine ſublimato Damaſo Papæ, & ſummo omnium præſulum Pontifici.

12 Addo trium celeberrimorum Patrum ſententias, Ambroſij, Hieronymi, Auguſtini, Ambroſius epiſt. 81. ad Siricium Papam: [Recognouimus literis ſanctitatis tuæ, boni Paſtoris excubias, qui fideliter tibi commiſſam ianuam ſerues, & pia ſollicitudine Chriſti ouile cuſtodias, dignus, quem oues Domini audiant, & ſequantur. Et ideò, quia noſti ouiculas Chriſti, lupos facilè deprehendes, & occurres quaſi prouidus paſtor, ne iſti morſibus perfidiæ ſuæ, feralique vlulatu Dominicum ouile diſpergant.] Hìc non aliter loquitur de Pontifice, quàm de Petro. Nàm vocat illum bonum paſtorem: non tantùm reſpectu ouium, quæ tunc erant in particulari Eccleſia Romana, ſed quæ erant in tota Chriſti Eccleſia: Hoc enim ſignificant illæ particulæ.

Primò: Chriſti ouile.

Secundò: Oues Domini.

Tertiò : Onicul æ Chriſti.

Quartò: Dominieum ouile. Vode conſtat, Pontificem ex ſeotentia Ambroſij, eodem iure eſſe paſtorem ouilis Chriſti, quo Petrus fuit; quia omoia, quæ tribui ſolent Petro, tribuit etiam Pontifici, tamquam legitimo Petri ſuceeſſori. At Petrus, iure diuioo fuit paſtor onilis Chriſti, vt lib. 2. oſteoſum eſt; Ergo eodem iure Pontiſex eſt paſtor ouilis Chriſti.

13 Eodem ſenſu ſeribit Hieronymus epiſt. 57. ad Damaſum Papam: [Quamqnam tui me terreat magniendo, inuitat tamen humanitas. A Sacerdote victimam ſalutis, à paſtore præſidium ouis flagito.] Et infrà: [Beatitudini tuæ, ideſt, Cathedræ Petri communione eooſocior.] Vbi tria apertè inſinuat.

Primò, Pontificem eſſe ſucceſſotem Petri, vel ſedere in Cathedra Petri.

Secuodò, Pootificem eſſe paſtorem, ſicut Petrus fuit.

Tertiò, ſe eſſe onem illius paſtoris. At non erat onis pertinens ad partienlare ouile, qnod Romæ erat; ſed pertinens ad vniuerſale onile Chriſti, quod roto Orbe erar diſperſum. Ergo Pootifex, ex ſententia Hieronymi, eſt paſtor omnium Chriſti ouium, eo iure, qno Petrus fuit, quia ſedet in Cathedra Petri.

14 Auguſtious multa ſeribit in eamdem ſenteociam. Et qnidem in lib. cont. epiſt. Manichæi, quam fundameotalem voeant, cap. 4. ſic habet: [Multa ſunt alia, quæ in Catholicæ Eccleſiæ gremio me iuſtiſſimè teneane. Tenet conſenſio populorum, atqne gentium: tenet auctoritas miraeulis ioehoata, ſpe nutrita, eharitare aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, eui paſcendas oues ſuas, poſt Reſurrectionem ſuam Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatnm ſucceſſio Sacerdotum: eenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine eauſa, inter tàm multas hæreſes. iſta Eccleſia ſola obtinuie.] Hìc non loquitur Auguſtiñus de aliqua Eccleſia particulari, quę ſit Romæ rantùm, aut Carthagine, ſed de Eecleſia Carholica, quæ toto Orbe diſperſa eſt: Ideòque ponit quatuor motiua, totam Eccleſiam concernentia, quæ metitò ſuadent homini Chriſtiano, vt maneat in Eccleſia Catholica, & non defieiat ad Eccleſiam Donariſtarum, aut Maniehæorum. Sunt autem hæc motiua.

Primò, conſenſus omnium populornm, qui in Eccleſia Chriſti ſunt.

Secundò, mitacula, quæ in Eecleſia Chriſti ſinne.

Tertiò, conſtans, ac perpetua ſueceſſio paſtorum Eeeleſiæ Chriſti.

Quartò, ipſum nomen Catholicæ, ideſt, vniuerſalia. Circà ſuceeſſionem doo notanda ſunt.

Vnum eſt, quòd Petro commiſſa ſit paſtura totius Eecleſiæ.

Alterum, quòd Pontifex ſuceedat Petro in paſtura totius Eecleſiæ. Hoc eſt, quòd hìe quæ rimus.

15 Idem Auguſtinus epiſt. 162. ad Glorium, Eleuſium, Felicem, & Grammaticum, non lnngè poſt initium, loquens de Carthagine, ſic ſcribit: [Erat etiam rranſmatinis vicioa regionibns, & famæ eeleberrima nobilis. Vnde non mediocris vtique auctoritatis habebat Epiſcopum, qui poſſet non curare conſpirantem multitudinem populorum, cum ſe videret, & Romanæ Eeeleſiæ, in qua ſemper Apoſtolieæ Cathedræ viguit ptineipatus, per communicatorias literas eſſe coniunctum.] Hìe per primatum Apoſtolicæ Cathedræ intelligit primatnm totius Eccleſiæ, quem primò quidem habuit Petrus; deindè Petri ſneceſſores, ideſt, Pontifices. Nàm ſi ille Prioeipatus nõ tranſiſſet à Petro in ſueceſſores illius, falſum eſſet, quod aſſerit Auguſtinus, principatum illum ſemper viguiſſe in Eccleſia Romana. Non enim potuit ſemper vigere, ſi in ſolo Petro, & noo etiam io ſueceſſoribus Petri viguiſſet.

16 Et lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum, ad Boniſacium Papam, cap. 1. [Neque enim dedignaris, qui non alla ſapis, quamuis altiùs præſideas, eſſe amicus humilium.] Et infrà: [Cùm verò non deſinant hęretici fremere ad Dominiei gregi caulas, atque ad diripiendas tanto ptetio redemptas oues, aditus vndecumque rimari, communiſque ſit nobis omnihus, qui ſungimur epiſcopali offieio, quamuis ipſe in eo præemineas eelſiori faſtigio, ſpeeula pſtoralis, facio qnod poſſum pro mei particula muneris.] Hìe duo apertè, dieit de Pontifice.

Primò, illum altiùs pręſidere, quàm Epiſeopos.

Secundò, Illum eelſiori faſtigio pręeminere in Epiſcopatu.

Tertiò, inſinuat hoc eſſe diſerimen ioter Pontificem, & Epiſcopos, quòd quilibet Epiſcopus habear tantùm particulam curæ paſtoralis: Pontifici totius Eeeleſiæ cura ioeumbat. [Speeula, inquit, Paſtoralis eſt communis omnibus Epiſcopis: ſed tu ioter Epiſcopos eelſiori faſtigio præemines; ego pro mei muneris parcicula facio, quod poſſum.]

17 Dices fortè. Pontificem iure tantùm Eccleſiaſtieo pręeminere, nnu diuino. Sed hoc iam refutatum eſt ſępiùs. Nàm Pontifex eo iure pręeminer, quo Petrus, eum ſit ſucceſſor Petri: At Petrus pręeminer iure diuino: Ergo & Pontifex. Vide titulos, & teſtimonia hactenùs citata. Vbi tamen notandum eſt, pręeminentiam illam, qua pollet Pontiſex præ alijs Epiſcopis, & diuino, & eecleſiaſticu iure eouceſſam, ae ſtabilitam eſſe. Diuioo quidem, quia Chriſtus non ſoli Petro, ſed etiam Petri ſnceeſſoribus illam eoneeſſit. Er hoc ſenſu intelligenda ſunt teſtimonia Concilioeum, & Patrum, quæ iam citauimus. Eccleſiaſtico verò, quia Eccleſia ſępè deelarauit Ponrifieem habere illam pręeminentiam, præ alijs Epiſcopis. Et ſic ineelligendus eſt Valentinianus io epiſt. ad Theodoſium (quæ habetur Tom. 1. conciliorum, immediatè antè Coocilium Chalcedonenſe) eum ait: [Beatiſſinius Romanæ Vrbis Epiſeopus, eui principarumSacerdotij ſuper omnes antiqnitas contulit.] Non vult dicere, quòd antiquitas conculerit illi principatum, quem à Chriſto non habet; ſed quòd agnouerit illius principatũ, & deelarauerit pro tali habendum, & agnoſcendom. Neque hoc nounm eſt. Nàm ſæpè fit, vt eadem res, & dinini, & humani ſit iuris. Quo pacto libri Machabæorum, & diuina & eccle-

eccleſiaſtica auctoritate ſunt canonici. Furtum, & diuina, & humana lege prohibitum eſt. Obedientia filiorum erga parentes, & diuino, & humano iure pręcipitur. Ad credendam Chriſti Diuinitatem, & diuino, & humano iure obligamur. Hæc nota ſunt.

SECVNDVM PRIVILEGIVM.

Appellatio ad Pontificem.

18 SEcundum priuilegium eſt, quòd omnes Epiſcopi totius Orbis, qui in iudicijs Eccleſiaſticis ſentiunt ſe grauari ab Epiſcopis, aut Synodis prouincialibus, poſſint confugere ad Romanum Pontificem, tamquam ad iudicem ſuperiorem, cui reliqui etiam Epiſcopi ſubiecti eſſe debeant; & à cuius ſententia non liceat vlterius prouocare. Hoc patet ex Concilio Sardicenſi, cap. 4. iuxtà ſecundam editionem. [Oſius Epiſcopus dixit: Quòd ſi aliquis Epiſcopus iudicatus fuerit in aliqua cauſa, & putat ſe bonam cauſam habere, vt iterùm iudicium renouetur, ſi vobis placet, ſancti Petri Apoſtoli memoriam honoremus, vt ſcribatur, vel ab his, qui examinauerunt, vel etiam ab alijs Epiſcopis, qui in propinquo morantur, Romano Epiſcopo. Et ſi iudicauerit renouandum eſſe iudicium, renouetur, & det iudices. Si autem probauerit talem cauſam, vt ea non refricentur, quæ acta ſunt: quæ decreuerit Romanus Epiſcopus, confirmata erunt. Si ergo omnibus placet, ſtatuatur. Synodus reſpondit: Placet.] Et cap. 5. eiuſdem ſecundæ editionis: [Cum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit eorum Epiſcoporum iudicio, qui in vicinis commorantur locis, & proclamauerit agendùm ſibi negotium in Vrbe Roma; alter Epiſcopus in eadem cathedra (poſt appellationem eius, qui videtur eſſe depoſitus) omninò non ordinetur, niſi cauſa fuerit in iudicio Epiſcopi Romani determinata.]

19 Hi duo canones magnam habent auctoritatem in Eccleſia, quia Concilium Sardicenſe, in quo conditi ſunt, ſemper ab Eccleſia fuit receptum. De quo Sulpitius lib. 2. Hiſtor. ſcribit, ex toto Orbe fuiſſe conuocatum. Et Socrates lib. 2. cap. 16. appellat concilium generale. Interfuerunt enim Legati Iulij I. Pontificis, & prætereà ex toto terrarum Orbe pluſquam trecenti Epiſcopi, nominatim ex Italia, Gallia, Hiſpania, Britannia, Africa, Ægypto, Syria, Thracia, Pannonia, & alijs Prouincijs, vt refert Athanaſius in Apologia ſecunda, circà initium.

20 De ijſdem canonibus ſic ſcribit Gelaſius Papa in epiſt. ad Fauſtum: [Ipſi ſunt canones, qui appellationem totius Eccleſiæ, ad huius Sedis examen voluerunt deferri. Ab ipſa verò nuſquam prorsùs appellari debere ſanxerunt.] Et in epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ: [Ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt. Ab illa autem nemo eſt appellare permiſſus.] Habentur hæ epiſtolæ in tom. 2. Concil. inter Decreta Gelaſij Papæ I.

21 Tu quidem, Antoni, non negas hoc priuilegium de iure appellationis; ſed dicis Eccleſiaſtico tantùm iure, & non diuino conceſſum eſſe. Erras. Nam antequam Eccleſiaſtico iure ſtatutum eſſet in ſupradicto Concilio Sardicenſi, Epiſcopos poſſe appellare ad Pontificem; iam vſu recepta erat huiuſmodi appellatio, vt varijs exemplis demonſtrat Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Pontif. c. 21. circa finem. Vnde etiam Leo Papa epiſt. 87. ad Epiſcopos Prouinciæ Viennenſis in Gallia, fatetur antiquam eſſe conſuetudinem appellandi ad Pontificem. Sic enim ſcribit: [Veſtra fraternitas recognoſcat, Apoſtolicam Sedem, pro ſui reuerentia, à veſtræ etiam prouinciæ Sacerdotibus, innumeris relationibus eſſe conſultam, & pro diuerſarum (quemadmodùm vetus conſuetudo poſcebat) appellatione cauſarum, aut retractata, aut confirmata fuiſſe iudicia.]

22 Porrò hæc conſuetudo, quæ poſteà per canones Concilij Sardicenſis fuit confirmata, non aliundè, quàm ex Apoſtolica traditione, & auctoritate orta eſt, vt colligitur ex Theodoreto in epiſtola ad Renatum presbyterum, vbi ſic ait: [Nudarunt me Sacerdotio, eieceruntque ex ciuitatibus, nec ſenectutem reueriti, neque canitiem in religione, & pietate nutritam. Quamobrem deprecor te, vt ſanctiſſimo Archiepiſcopo (Leoni Papæ) ſuadeas, vt Apoſtolica auctoritate vtatur, iubeatque ad veſtrum Concilium adire. Tenet enim ſancta iſta Sedes gubernacula regendarum cuncti Orbis Eccleſiarum. Quare, quæ ab iſto veſtro Tribunali proficiſcentur, qualiacumque erunt, iudicij veſtri integritate, confiſi amplectemur.] Vbi clarè ſignificat, Pontificem, non ſolo iure eccleſiaſtico, ſed auctoritate Apoſtolica, ſupremum eſſe iudicem in iudicijs eccleſiaſticis: ac proindè ad illum appellari poſſe. Et rationem addit, quia Pontifex Romanus gubernat omnes Eccleſias totius Mundi: Ergo ab omnibus Eccleſijs totius Mundi poteſt ad ipſum fieri appellatio. Eodem ſenſu ſcribit in epiſt. ad Leonem Papam: [Ego, inquit, ſuffragium Sedis Apoſtolicæ expecto, & ſupplex oro, atque obſecro Sanctitatem [illegible] ea me, tribunal veſtrum iuſtum, ac rectum appellantem defendat, ac protegat, &c. Veſtram ſententiam expecto. Quòd ſi ſententiæ eorum, qui me condemnauerunt, acquieſcere iuſſeritis, acquieſcam.]

TERTIVM PRIVILEGIVM.

Qui in fide non vult errare, debet adhærere Eccleſiæ, & Pontifici Romano.

23 TErtium priuilegium eſt, quòd omnes Chriſtiani, quando oriuntur diſſenſiones in fide, debeant adhęrere illi parti, quam tenet Romanus Pontifex, & Sedes Apoſtolica; ſi nolint errare. Hoc tradunt antiqui Patres, Irenęus lib. 3. contra hęreſes cap. 3. rationem reddens, cur potiùs deſcribat ſucceſſionem Epiſcoporum Eccleſiæ Romanæ, quàm aliarum Eccleſiarum particularium, ſic ſcribit: [Ad hanc enim Eccle-

Digitized by Google

cleſiam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, omnes, qui ſunt vndique fideles: in qua ſemper ab his, qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.]

24 Et Diuus Hieronymus epiſt.8.ad Demetriadem,cap.9. [Et quia vereor, immò rumore cognoui, in quibuſdam adhuc viuere, & pullulare venenata blandaria; illud te pio charitatia affectu præmonendum puto, vt ſancti Innocentij, qui Apoſtolicæ Cathedræ Succeſſor eſt, teneas fidem: nec peregrinam, quantumuis tibi prudens, callidaque videatur, doctrinam recipias.] Vbi etiam inſinuat rationem, cur Pontifici in fide adherendum ſit; quia nimirùm Pontifex ſucceſſor Petri Apoſtoli. At Petro; & ſucceſſoribus illius dictum eſt: [Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua: Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.]

25 Et Baſilius Magnus in epiſtola data: Sabino Diacono ad Pontificem Romanum, [Reuera dignum eſt illa excellentiſſima voce, qua te beatum prædicauit, quod pietati tuæ donatum à Domino eſt, ſcilicet, vt quod adulterinum eſt, à legitimo, ac puro diſcernas; ac fidem Patrum ſine ſubtractione vlla predices.] Alludit ad illud, quod Petro dictum eſt: [Beatus es Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in Cœlis eſt.] Quod etiam Pontifici Petri ſucceſſori dictum eſſe interpretatur. Et rectè. Nam ſicut ad illam fidei quæſtionem; [Vos autem quem me eſſe dicitis?] Petrus ex peculiari Dei reuelatione reſpondit: [Tu es Chriſtus Filius Dei viui:] ita ad ſimiles fidei quęſtiones, ſucceſſor Petri; ex peculiari Dei aſſiſtentia, debet reſpondere.

26 Et Cyrillus Alexandrinus in epiſt. ad Cœleſtinum Papam: [Quoniam verò Deus hiſce in rebus prudentiam à nobis exigit, longaq; Eccleſiarum conſuetudo ſuadet, vt iſtiuſmodi ſanctitati tuæ communicentur, non poſſum equidem id, quod apertum eſt, ad pietatem tuam non perſcribere.] Et paulò poſt: [Quamuis hæc ità ſe habeant, non priùs tamen Neſtorij Communionem confidenter deſerere auſi ſuimus, quàm hæc ipſa pietati tuæ indicaremus. Digneris proindè, quid hic ſentias, declarare: quo liquidò nobis conſtet, an communicare cum Neſtorio nos oporteat, an verò liberè ei denunciare, neminem cum eo communicare, qui eiuſmodi erroneam doctrinam fouet, ac prędicat. Porrò tuæ integritatis mens, ac ſuper hac re ſententia, non modò pijſſimis, Deoque deuotiſſimis Macedoniæ Epiſcopis, ſed totius quoque Orientalis Antiſtitibus perſpicuè per literas exponi debet.] Hic apparet, totam Eccleſiam Orientalem, tanti feciſſe Romanum Pontificem, vt in rebus fidei, nihil, niſi ex ipſius deciſione, ſtatuendum eſſe exiſtimarent.

27 Et Maximinianus Conſtantinopolitanus Epiſcopus in epiſtola ad Orientales; [Omnes fines terræ, quæ Dominum ſincerè receperunt, & vbique terrarum Catholici veram fidem confitentes, in poteſtatem Romanorum Pontificum, tamquam in Solem reſpiciunt, & ex ipſa lumen Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei recipiunt. Nec immeritò, quia Petrus legitur primò perfectam fidem eſſe confeſſus, Domino reuelante, cum dixit: Tu es Chriſtus filius Dei viui.] Et infrà: [Hunc enim de cæteris mortalibus ex toto terrarum Orbe conditor Orbis elegit, cui Cathedram Magiſterij principaliter poſſidendam tenere, perpetuo priuilegij iure conceſſit: vt quiſquis diuinum aliquid, aut profundum noſſe deſiderat, ad huius præceptionis oraculum, doctrinamque recurrat.] Nota, perpetuo priuilegij iure.

28 Et Auguſtinus lib.1. contra duas epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium Pontificem, cap.1. [Hæc autem, quæ duabus epiſtolis eorum reſpondeo, ad tuam potiſſimùm dirigere Sanctitatem, non tam diſcenda, quàm examinanda, & vbi forſitan aliquid diſplicuerit, emendanda conſtitui.] Verba clara ſunt. Similia habent Theodoretus in epiſt.ad Leonem Papam, Sozomenus lib.6. Hiſt. c.22. & alij paſſim.

QVARTVM PRIVILEGIVM.

Nullum Decretum ſtatui poteſt pro tota Eccleſia, niſi Pontifice conſentiente.

29 QVartum priuilegium eſt, quòd nihil graue in Eccleſia vniuerſali, niſi conſulto priùs, ac conſentiente Pontifice, poſſit tractari, decerni, ac definiri. Hoc quidem concedis, Antoni, ſed non eo ſenſu, quo nos. Nam nos dicimus, huiuſmodi decreta, vel deciſiones, quæ fiunt pro tota Eccleſia, non habere vim, ac robur, niſi accedat conſenſus Pontificis. Tu aſſeris, habere quidem robur ſine conſenſu Pontificis, ſed tamen plus roboris ex conſenſu illius accedere. Nobiſcum ſentiunt antiqui Patres.

30 Socrates lib.2. Hiſtoriæ cap.5. [Nec Iulius Romæ Epiſcopus in Concilio adfuit, neque quenquam, qui eius locum ſuppleret, eò miſit, cùm vtique eccleſiaſticus canon iubeat, non oportere abſque Romani Pontificis ſententia, Decreta Eccleſijs ſancire.] Loquitur de Concilio Antiocheno, quod contra Athanaſium celebratum eſt; ſed ſine robore, & auctoritate, quia defuit conſenſus Pontificis.

31 Et Sozomenus lib. 3. cap. 7. [Athanaſius fugiens Alexandria, Romam aduentauit. Eodem tempore Paulus etiam Conſtantinopolitanus Epiſcopus fortè illò acceſſit, & Marcellus quoque Epiſcopus Ancyræ, & Aſclepas Gazæ Epiſcopus: qui cùm doctrinæ Arianæ aduerſaretur, in crimen vocatus eſt ab Arianis quibuſdam, quod altare euerterit, & fuerit propterea abdicatus. Cuius locum in Eccleſiæ Gaza adminiſtranda obtinuit Quintinianus, itemque Lucius Epiſc. Adrianapolis, ab alijs accuſatus, ſua, quam regebat, Eccleſia ſpoliatus, Romæ ætatem degit. Quorum criminationes cùm Epiſcopus Romanus intellexiſſet, & omnes fidei Concilij Nicæni conſentientes reperiſſet, in communionem recepit. Ac cùm propter Sedis dignitatem, cura omnium ad ipſum ſpectaret, ſingulis ſuam

Digitized by Google

ſuam Eccleſiam reſtituit, ſcripſitque ad Epiſcopos Orientis, eoſque incuſauit, quòd inconſultò de hiſce viris iudicaſſent, Eccleſiaſque perturbaſſent.]

32 Et Theodoretus lib. 2. Hiſt. cap. 22. [Numerus Epiſcoporum, qui erant Arimini congregati, præiudicij vim habere non debet: præſertim cum formula compoſita ſit, neque Epiſcopo Romano, cuius ſententia pre cæteris omnibus expectanda erat, &c.]

33 Et Concilium Chalcedonenſe act. 1. ſtatim ab initio, poſt recenſita nomina eorum, qui interfuerunt: [Paſchaſinus verò Reuerendiſſimus Epiſcopus, & Vicarius Sedis Apoſtolicæ, cùm in medio, vnà cum his viris reuerendiſſimis collegis ſuis ſteriſſet, dixit: Beatiſſimi, atque Apoſtolici viri, Papæ Vrbis Romæ, quæ eſt Caput omnium Eccleſiarum, præcepta habemus pre manibus, quibus præcipere dignatus eſt eius Apoſtolatus, vt Dioſcorus Alexandrinorum Epiſcopus non ſedeat in Concilio, ſed audiendus intromittatur. Quod nos obſeruare neceſſe eſt.] Et infrà: [Quia cùm perſonam iudicandi non haberet, præſumpſit, & Synodum auſus eſt facere ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ, quod numquam licuit, numquam factum eſt.]

34 Et Act. 16. in Relatione ſanctæ Synodi ad Leonem Papam, paulò poſt medium: [Hæc ſunt, quæ tecum, qui ſpiritu præſens eras, effecimus. Indicamus verò, quia & alia quædam pro rerum ipſarum ordinata quiete, & propter eccleſiaſticorum ſtatutorum firmitatem definimus, ſcientes quia & veſtra Sanctitas eadem probatura, & confirmatura eſt.] Et circa finem: [Rogamus igitur, & tuis Decretis noſtrum honora iudicium, & ſicut nos Capiti in nobis adiecimus conſonantiam, ſic & Summitas tua, filijs, quod decet, adimpleat.] Hic petunt Patres Concilij, vt, quæ ipſi communi conſenſu in Concilio generali ſtatuerant, à Pontifice confirmentur, & robur accipiant.

35 Et Anaſtaſius Hieroſolymitanus Patriarcha in epiſt. ad Felicem Papam: [Fuit ſemper Apoſtolicæ Sedis veſtræ licentia, iniuſtè damnatos, vel excommunicatos, poteſtatis ſuæ auctoritate reſtituere, & ſua omnia ijs reddere, & eos, qui eos condemnarunt, aut excommunicarunt, Apoſtolico punire priuilegio: Sicut etiam noſtris, & anterioribus nouimus factum temporibus, &c. Antiquis regulis ſancitum eſt, vt quidquid, quamuis in remotis prouincijs ſuper eorum querelis, aut excuſationibus ageretur; non priùs tractandum, vel accipiendum eſſet, quàm ad notitiam almæ Sedis veſtræ eſſet deductum, vt huius auctoritate, iuxtà quod fuiſſet faciendum, infirmaretur, aut firmaretur.]

36 Et Auguſtinus cum alijs Epiſcopis Concilij Carthaginenſis epiſt. 90. ad Innocentium Papam: [Hoc itaque geſtum, Domine frater ſancte, charitati tuæ intimandum duximus, vt ſtatutis noſtræ mediocritatis, etiam Apoſtolicæ Sedis adhibeatur auctoritas pro tuenda ſalute multorum, & quorumdam peruerſitate etiam corrigenda.]

37 Et Ambroſius epiſt. 78. ad Theophilum Alexandrinum (vbi agit de componenda diſcordia, quæ erat inter Euagrium, & Flauianum.) [Sane, inquit, referendum arbitramur ad Reuerendum fratrem noſtrum Romanæ Sacerdotem Eccleſiæ.) Et ibidem: [Vt nos quoque, cùm id geſtum eſſe cognouimus, quod Eccleſia Romana comprobauerit, læti huiuſmodi fructum examinis adipiſcamur.]

38 Et Proſper in Chronicis: [Concilio apud Carthaginem habito ducentorum ſeptendecim Epiſcoporum, ad Pontificem Zoſimum ſynodalia decreta perlata, quibus probatis, per totum Mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt.]

39 Accedit efficatiſſima ratio, quæ ſumitur ex primo priuilegio in hunc modum, Pontifex habet curam, & gubernationem totius Eccleſiæ, ſicut Rex totius Regni, aut Imperator totius Imperij, quiſque in ſuo genere: At nemo poteſt facere efficax Decretum pro toto Regno, aut Imperio, niſi conſentiente Rege, aut Imperatore: Ergo ſimiliter nemo poteſt facere efficax Decretum pro tota Eccleſia, niſi conſentiente Pontifice. Hæc tamen duo diſtinguenda ſunt.

Primò, facere efficax Decretum pro tota Eccleſia. Hoc nemo poteſt ſine expreſſo conſenſu Pontificis.

Secundò, facere efficax decretum pro hac, aut illa particulari. Hoc poteſt Epiſcopus huius, aut illius Eccleſiæ particularis, ſine expreſſo conſenſu Pontificis, modò decretum in ſe bonum ſit, & Pontifex rationabiliter non repugnet.

QVINTVM PRIVILEGIVM.

Pontifex poteſt ſancire leges Eccleſiaſticas, quæ obligent vniuerſam Eccleſiam.

40 HOc ſequitur ex dictis, quia cùm ſit Caput Eccleſiæ, ſicut Rex eſt Caput Regni, & Imperator Imperij, non minùs poteſt ſancire leges pro tota Eccleſia, quàm Rex pro toto Regno, aut Imperator pro toto Imperio.

41 Hoc magis explicabo ex tribus generalibus principijs. Vnum eſt, quòd Prælati Eccleſiæ habeant poteſtatem regendi ſubditos; & quòd ſubditi iure diuino teneantur eis obedire. Patet ex Scripturis, Lucæ 10. 16. [Qui vos audit, me audit. Et qui vos ſpernit, me ſpernit.] Et Matth. 18. 17. [Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi, ſicut Ethnicus & Publicanus.] Et Act. 20. 28. [Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.] Et Heb. 13. 17. [Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete illis.] Et ratio eſt, quia ſi ſubditi non tenerentur obedire, iam non eſſent ſubditi.

42 Alterum eſt, quòd Prælati Eccleſiæ non tantùm habeant poteſtatem regendi ſubditos, ſed etiam coercendi, & puniendi; ſi non obediant, vt paſſim docet Apoſtolus 1. Cor. 4. 21. [Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in Spiritu manſuetudinis?] Et 2. Cor. 13. 10. [Hæc abſens ſcribo, vt non præſens duriùs agam, ſecundùm poteſtatem,

quam

quam Dominns mihi dedit.] Et hac poteſtate frequenter vſus eſt.

Primò: Quando excommunicauit Corinthium inceſtuoſum.

Secundò: Quando teprehendit Corinthios, quòd iudicio contenderent apud infideles.

Tertiò: Quando Hymenęum, & Alexandrum, propter hæreſim, tradidit ſathanæ.

Quartò: Quando Theſſalonicenſibus ſcripſit: [Si quis non obedit verbo noſtro, per epiſtolam hunc notate, & non commiſceamini illi.]

43 Tertium ſumitur ex prædictis, quòd Prælati Eccleſiæ habeant etiam poteſtatem condendi nouas leges, obligantes in conſcientia. Ratio eſt, quia habent poteſtatem regendi, & puniendi ſubditos, & ſubditi tenentur illis obedire. Ergo habent poteſtatem condendi leges, ſecundùm quas poſſint regere, & punire ſubditos, & in quibus ſubditi teneantur illis obedire.

44 Fortè dices cum Caluino, id non ſeqni. Nam ſatis eſſe, ſi poſſint eos regere, & punire ſecundùm leges diuinas. Nec requiri, vt regant, & puniant eos ſecundùm leges humanas.

Reſpondeo. Poteſtas Prælatorum latiùs ſe extendit, quàm ad ea, quæ ſunt iuris diuini. Primò, quia teſtimonia Scripturæ, quæ allata ſunt, non aſtringuntur ad ſolùm ius dininum. Secundò, quia Apoſtoli multa præceperunt ſubditis, quæ non erant iuris dinini. Nam in Concilio Hieroſolymitano prohibuerunt ſanguinem, ſuffocatum & immolata, quæ tunc temporis non erant prohibita iure dinino. Ius enim veteris Teſtamenti erat abrogatum. Nec vllum aliud extabat ius diuinum, quo illa prohiberentur. Similiter diuus Paulus legem ſtatuit de bigamis ad Epiſcopatum non admittendis. 1. Timot. 3.2. Et alibi, præſertim 1. Cor. 7. 10., diſtinguit ſua præcepta à præceptis Chriſti. Denique legantur Canones Apoſtolorum, Concilia generalia, Decreta Pontificum, in quibus ſunt multæ leges Eccleſiaſticæ de ijs, quæ iure diuino in particulari determinata non ſunt.

SEXTVM PRIVILEGIVM.

Pontifex poteſt excommunicare Epiſcopos, Reges, & Principes grauiter delinquentes, ſi contumaces ſint.

45 DVplex eſt excommunicatio maior, & minor. Maior, de qua hic agimus, eſt cenſura, ſeu pœna Eccleſiaſtica, qua homo Chriſtianus propter delictum, & contumaciam, eijcitur extrà Eccleſiam, & priuatur communibus Eccleſiæ bonis. Nàm ſicut is, qui in Republica ciuili contumax, & rebellis eſt ſuo Principi, vel magiſtratui, poteſt eijci in exilium, & priuari priuilegijs, & commodis illius Reipublicæ, ex qua eijcitur; ſic etiam fit in Eccleſia. Sunt autem triplicia bona Eccleſiæ, quibus homo priuatur per excommunicationem. 1. Sacramenta. 2. publicæ preces, & ſuffragia. 3. communis conuictus, & conuerſatio fidelium inter ſe. Igitur, qui excommunicatus eſt, non poteſt admitti ad Sacramenta; nec eſt particeps publicatum precum, & ſuffragiorum, quæ fiunt in Eccleſia, nec poteſt cum alijs Chriſtianis in communi conuictu, ſeu ſocietate conuerſari, iuxtà illud Apoſtoli 1. Corint. 5. [Scripſi vobis, cum eiuſmodi, nec cibum ſumere.] Et verſ. 13. [Auferte malum ex vobis ipſis.]

46 Poteſtas infligendi hanc pœnam conceſſa eſt Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, Matth. 18. 15. his verbis: [Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum: Si te audierit, lucratus eris fratrem tuũ. Si autem te non andierit, adhibe tecum adhùc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ: Si autem Eccleſiam, ideſt, Prælatos Eccleſiæ, non audierit, ſit tibi, ſicut Ethnicus, & publicanus,] ideſt, priuetur omnibus Eccleſiæ bonis, quibus ethnici, & publicani priuati ſunt. Eſt autem conceſſa propter duos potiſſimùm fines.

Primò, in commodum, & vtilitatem delinqnentium, vt quando vident ſe excludi à conſortio aliorum, confundantur, & reſipiſcant, iuxtà illud Apoſtoli 2. Theſſal. 3. 14. [Ne commiſceamini cum illo, vt confundatur.]

Secundò, in bonum, & cautelam aliorum, ne inficiantur, iuxtà illud, 1. Cor. 5. 6. [Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?] Vide diuum Augnſtinum lib. 3. contrà epiſtolam Parmeniani, vbi prolixè, & eleganter de hac re diſputat.

47 Hic obiter notandum eſt, hæc ferè pro eodem vſurpari in ſcripturis, & Patribus. 1. Excommunicare aliquem. 2. Eijcere de Eccleſia. 3. Auferre de medio. 4. Tradere Sathanæ. 5. Habere pro ethnico, & publicano. 6. Nec cibum cum illo ſumere. 7. Nec cum eo commiſceri. 8. Arcere à communione fraternitatis. 9. Sacramento benedictionis exauctorare. 10. Communicatione interdicere. 11. A communione orationis, & omnis ſancti commercij relegare. Et ſpeciatim aduertit Aug. queſtionibus ſuper Deuteron. quæſt. 39. hanc formulam loquendi, [Auferte malum ex vobis,] aliter accipi in veteri Teſtamento, aliter in nouo. In veteri idem eſſe, quòd interficite: In nono, idem, quòd excommunicare, Vnde ſubijcit: [Hoc nunc agit in Eccleſia excommunicatio, quod tunc agebat interfectio.

48 His poſitis, quæſtio eſt, an Pontifex poſſit Regem Chriſtiannm, qui id meritus ſit, excommunicare, ſeu communibus Eccleſiæ bonis priuare? Nihil certiùs apud Catholicos. Immò tàm certum apud omnes hoc eſt, quàm certò perſuaſum habent, Pontificem eſſe Chriſti Vicarium in Eccleſia, & omnes Chriſti oues illi commiſſas eſſe: ideòque, quod Petro dictum eſt, [Paſce oues meas,] etiam Pontifici, tamquam Petri ſucceſſori, dictum eſſe interpretantur. Sicut ergo Paſtor poteſtatem habet, non ſolùm paſcendi, & gubernandi oues, quæ ipſius curæ commiſſæ ſunt; ſed etiam morbidas, & infectas ab alijs ſeparandi, ſeu ex ouili depellendi, ne noceant

cæte-

Digitized by Google

cæteris; ſic etiam de Pontifice reſpectu fidelium, ſentiendum eſt. Cùm ergo quilibet Rex Chriſtianus ſit ouis Chriſti, ſanè ſi contingat illum delinquere,& contagionem contrahere, poterit per Paſtorem ſeparari ab alijs, donec ſanetur, & reſipiſcat.

49 Huius rei varia extant exempla. Tametſi enim. primis trecentis annis poſt tempora Apoſtolorum, non legamus vllum Regem, aut Imperatorem fuiſſe excommunicatum, quia vix vlli erant tunc Reges, aut Imperatores Chriſtiani, qui excommunicari poſſent (Gentiles enim non excommunicantur) tamen deinceps non pauci hac pœna caſtigati ſunt.

Primò, Theodoſius Imperator ab Ambroſio Epiſcopo.

Secundò, Arcadius Imperator,& Eudoxia ab Innocentio I.

Tertiò, Leo Iſauricus Imperatoe à Gregorio II.

Quartò,Deſiderius Longobardorum Rex ab Hadriano Papa.

Quintò, Robertus Francorum Rex ab Epiſcopis Galliæ.

Sextò, Henricus III. Imperator à Gregorio VII. in Synodo Romana.

Septimò, Petrus Aragoniæ Rex à Maceino Papa.

Octauò, Philippus Francorum Rex à Paſchali Pontifice.

Nonò, Henricus IV. Imperator à Legatis eiuſdem Pontificis.

Decimò, Rogerius Siciliæ Rex ab Innocentio II.

Vndecimò, Willelmus Siciliæ Rex ab Hadriano IV.

Duodecimò, Fridericus Imperator ab Alexandro III. in Concilio Lateranenſi.

Decimotertiò, Henricus Angliç Rex ab eodem Pontifice.

Decimoquartò, Wilielmus Scotorum Rex à Legatis Pontificis.

Hæc & ſimilia exempla in hiſtorijs paſſim obuia ſunt. Nec aduerſarij negare id poſſunt.

CAP. V.

Diluuntur obiectiones Marci Antonij contra Primatum Pontificis.

1 MVlta obijcis contra Primatum Romani Pontificis(lib.4.cap.7. & 8.)quç omnia ferè ex Lutheranis, & Caluiniſtis ſuffuratus es.

Et quidem prima obiectio ſumitur ex principijs hactenùs à te poſitis. 2. Ex doctrina Pariſienſium Theologorum. 3. Ex eò, quòd in Eccleſia nulla ſit iuriſdictio. 4. Ex dictis Pelagij, & Gregorij Pontificum. 5.Ex Concilijs Oecumenicis. 6.Ex Epiſcopis Aſianis. 7.Ex Cypriano. 8.Ex Firmiliano. 9.Ex Epiſcopis Orientalibus. 10. Ex Athanaſio. 11. Ex Baſilio. 12. Ex Nazianzeno. 13. Ex Hieronymo, & Damaſo. 14.Ex Socrate. Et ſic deinceps.

OBIECTIO I.

Ex principijs Marci Antonij.

2 PRincipia, quæ ais à te prioribus libris probata eſſe, ſunt hæc tria.

Primò, Quòd Chriſtus non inſtituerit Monarchiam Eccleſiaſticam.

Secundò, Quòd omnes Epiſcopi iure diuino ſint inter ſe pares.

Tertiò, Quòd ſolo iure Eccleſiaſtico introducta ſit inter illos aliqua inæqualitas, & Hierarchia.

Ex quibus infers, Pontificem non habere Primatum Eccleſiæ: Vel non eſſe viſibile Caput Eccleſiæ. Sed hæc principia iam refutata ſunt. Quibus oppono alia tria.

Primò, Quòd Chriſtus fuerit viſibile Caput Eccleſiæ.

Secundò, Quòd Petrus fuerit Vicarius Chriſti in viſibili Eccleſiæ regimine.

Tertiò, Quòd Pontifex ſit ſucceſſor Petri cùm pari poteſtate. Ex quibus infero, Pontificem habere Primatum Eccleſiæ, ſicut Petrus habuit. Hæc hactenùs probata ſunt.

OBIECTIO II.

Ex Doctrina Pariſienſium.

3 PRimò explicas doctrinam Pariſienſium ex Gerſonio, Petro Aliacenſi, Iacobo Almayno, & Ioanne Maiore (cap.7. num.4, & aliquot ſeqq.) deindè num. 9. ais, illorum doctrinam de Primatu Pontificis, ſi benè intelligatur, nihil à tua diſcrepare: nec etem à veritate. Illos enim te ipſa negare Primarum; & docere, regimen Eccleſiæ non eſſe Monarchicum, ſed Ariſtocraticum, quod etiam tu doces.

4 Hic non opus eſt mea reſponſione. Ipſi Pariſienſes in ſua cenſura reſpondent, quidquid hic dicis, meram impoſturam eſſe. Itàque negant, tuam doctrinam ab ipſorum doctrina nihil diſcrepare. Tuam damnant: ſuam, contra tuam impoſturam, à calumnia vindicant. Nihil addam. Hoc ſolùm moneo, te ſimilem eſſe Lutheranis, qui cùm viderent ſe pridem à Catholicis turpiter defeciſſe, nec ſuç defectionis prætextum reperirent; finxerunt ſe nihil diſcrepare à Patriarcha Conſtantinopolitano: vt hac ratione perſuaderent Mundo, doctrinam Lutheranorum eandem eſſe cum doctrina Eccleſiæ Orientalis. Sed repulſam paſſi ſunt. Patriarcha non agnouit illos pro veris Chriſtianis, ſed tamquam impoſtores abiecit, & repudiauit. Idem tibi accidit, Antoni. Defeciſti nuper à Catholicis propter priuatos affectus. Quærebas prçtextum Apoſtaſiæ. Nec alium inueniſti,quàm vt diceres,te ſentire cum Academia Pariſienſi. Reclamant Pariſienſes: impoſtorem te vocant. Quem deinceps patronum quæſiturus es? Nemo, niſi neſciat impoſtorem te eſſe, tibi aſſiſtet.

OBIECTIO III.

Ex eò, quòd in Eccleſia nulla ſit iuriſdictio.

5 HAnc obiectionem proponis cap.7. num.6. circa medium, his verbis: [Sciant etiam de iure diuino, veram iuriſdictionem in Eccleſia nullam eſſe; ſed totam charitate regi, regulis voluntarijs, ac documentis, ſuaſione, hortatu, increpationibus, & obſecrationibus: pœnas verò alias non habere, niſi ad ſummum. Excluſionem hominis à reliqua fidelium ſocietate; quæ eſt pęna duntaxat priuatiua, non poſitiua. Quare propter iuriſdictiones falſas, & nullas paparum ponere, eſt maximę leuitatis.]

6 Reſpondeo. Maximæ leuitatis eſt, propter odium priuatum, à communi omnium ſententia decedere: quod tu facis. Nullum hic patronum habes, nec Pariſienſes, nec alios Catholicos, nec Anglicanos, ad quos confugiſti, nec teipſum. Nam Pariſienſes in ſua cenſura, de hac tua propoſitione, qua negas veram in Eccleſia iuriſdictionem, ſic ſtatuunt: [Hæc propoſitio eſt hæretica, & ordinis Hierarchici ſubuerſiua.] Reliqui etiam Catholici agnoſcunt veram iuriſdictionem in Eccleſia, vt patet ex Scholaſticis, & alijs Theologis, qui de hac re copioſè ſcripſerunt. Eandem agnoſcunt Anglicani Theologi, ac nominatim Thomas Lancellottus, & Guilelmus Tookerus in duello contra Becanum, pag.305 & alibi. Et tu ipſe agnoſcis, liber 1. cap. 3. num.31. his verbis: [Chriſtus immediatè conceſſit Apoſtolis poteſtatem ordinis, & iuriſdictionem pleniſſimam.] Et lib. 2. cap. 3. num. 30. loquens de iiſdem Apoſtolis, & eorum ſubditis, ſic ſcribis: [Vbi enim nullum crimen aderat in inferioribus, quod à ſuperioribus corrigeretur, ſuperiores ſuam iuriſdictionem, quam in actu primo habebant, in actu ſecundo non exercebant.] Igitur Prælati Eccleſiæ, ex hac tua conceſſione, habent iuriſdictionem in actu primo, & eam poſſunt exercere in actu ſecundo, ſi neceſſitas exigat.

7 Accedit duplex ratio, quam negare non potes. Vna eſt: Vbicumque eſt poteſtas condendi leges, quibus ſubditi obligantur, ibi eſt iuriſdictio: At in Eccleſia eſt poteſtas condendi leges Eccleſiaſticas, quibus Chriſtiani obligantur: Ergo in Eccleſia eſt iuriſdictio. Maior nota eſt, quia duplex ſolet diſtingui poteſtas: Vna ordinis: altera iuriſdictionis. At poteſtas condendi leges, non eſt poteſtas ordinis, ſed iuriſdictionis. Minor probatur dupliciter.

Primò, ex ſupradictis in quinto priuilegio, vbi oſtendi Prælatos Eccleſiæ habere poteſtatem condendi leges Eccleſiaſticas, ſicut Princeps ſecularis habet poteſtatem condendi leges politicas. Deindè ex tua conceſſione. Nam lib. 2. cap. 10. fateris cælibatum Clericorum, iure Eccleſiaſtico, vel lege Eccleſiaſtica, vel decreto Eccleſiaſtico, introductum eſſe. His enim vocabulis ibi vteris.

8 Altera eſt: Vbicumque eſt poteſtas puniendi ſubditos delinquentes, ibi eſt iuriſdictio: At in Eccleſia eſt poteſtas puniendi ſubditos delinquentes: Ergo in Eccleſia eſt iuriſdictio. Maior nota eſt. Minor probatur dupliciter. Primò, ex Apoſtolo 1. Cor. 4. 21. [Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in Spiritu manſuetudinis?] Et 2. Cor. 13. 10. [Hæc abſens ſcribo, vt non præſens duriùs agam ſecundùm poteſtatem, quam Dominus mihi dedit.] Quæ eſt illa poteſtas? Non ordinis, ſed iuriſdictionis. Deinde ex tua conceſſione, quia fateris in Eccleſia eſſe poteſtatem excommunicandi, ſeu, vt tuis verbis vtar, poteſtatem [excludendi homines à reliqua fidelium ſocietate.

9 Quòd autem ais, excommunicationem eſſe pœnam tantùm priuatiuam, non poſitiuam; nihil obſtat iuriſdictioni poſitiuæ. Immò talis pœna, etiamſi priuatiua ſit, non poteſt legitimè infligi, niſi ab eo, qui habet poſitiuam poteſtatem puniendi: Quæ poſitiua poteſtas eſt vera iuriſdictio. Diſce hoc, exemplo Regis. Nam ſi Rex non haberet poſitiuam iuriſdictionem in ſubditos, non poſſet delinquentes eijcere in exilium, neque priuare communi ciuium ſocietate, aut fama, aut capite, aut bonis temporalibus. Nec valet hæc conſequentia: Priuare hominem ciuili ſocietate eſt pœna priuatiua: ergo non requirit poſitiuam iuriſdictionem.

10 Denique falſum eſt, quod addis, Eccleſiam non habere alias pœnas, quàm increpationem, & excommunicationem. Habet ieiunia, orationes, eleemoſynas, caſtigationes corporales, quas per modum pœnæ, aut ſatisfactionis, poteſt pęnitentibus imponere, vt ſemper vſurpatum eſt. Habet interdicta, irregularitates, & alias cenſuras eccleſiaſticas, quibus ſubditi coercentur. Et quid reſpondebis Petro & Paulo Apoſtolis, quorum alter Ananiam & Saphiram corporali morte puniuit: alter inceſtuoſum Satanæ tradidit in interitum carnis? An illis obiecturus es in Eccleſia non eſſe alias pœnas, niſi increpationem, & excommunicationem; ideòque malè eos feciſſe, quòd alias vſurpauerint?

OBIECTIO IV.

Ex dictis Pelagij, & Gregorij Pontificum.

11 AIs (cap.7. num.10. & ſeqq.) hos duos Pontifices acerrimè oppugnaſſe Primatum in Eccleſia, eò quòd oppugnauerint titulum [Oecumenici, ſeù vniuerſalis Patriarchæ,] quo vtebatur Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus. Hæc enim duo, ſecundùm te, idem valent. Primò, eſſe vniuerſalem, ſeu Oecumenicum Patriarcham. Secundò, eſſe Caput Eccleſiæ vniuerſalis, vel habere Primatum Eccleſiæ vniuerſalis. Ergo qui oppugnat prius, oppugnat etiam poſterius.

12 Verba Pelagij ſunt hæc: [Nullus Patriarcharum hoc tam prophano vocabulo vnquam vtatur, quia ſi vnus Patriarcha vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris

ris

Digitized by Google

ris derogatur.] Quæ verba ſumpta ſunt ex epiſtola Pelagij Papæ ad illegitimam Synodum Conſtantinopolitanam (tom. 2. Concilior. in Decret. Pelagij,) & referuntur apud Gratianum diſt.29. cap.nullus.

13 Verba Gregorij lib. 4. epiſtola 32. ad Mauritium ſunt hæc: [Quis eſt iſte, qui contra ſtatuta Euangelica, contra Canonum decreta,nouum ſibi vſurpare nomen præſumit?] Et infrà: [Sed abſit à cordibus Chriſtianorum nomen iſtud blaſphemiæ,in quo omnium Sacerdotum honor adimitur,dum ab vno ſibi dementer arrogatur.] Et lib.6.epiſt.30.[Ego fidenter dico, quia quiſquis ſe vniuerſalem Sacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum præcurrit, quia ſuperbiendo ſe cæteris præponit.] Alibi habet ſimilia.

14 Reſpondeo. Pugnas contra te ipſum. Nam lib.3.cap.8.num.14. ſic habes: [Docuimus, vnumquemque Epiſcopum iure diuino eſſe vniuerſalem.] Vel certè, vel falsò id docuiſti. Si verè, neceſſe eſt Pelagium, & Gregorium, quos pro te adducis, falſum docuiſſe. Nam illi docent, nullum debere vocari Epiſcopum, aut Sacerdotem vniuerſalem. Si falsò, reuoca errorem. Deinde non intelligis citatos Patres. Reprehendunt illi Ioannem Conſtātinopolitanum Epiſcopum, quòd titulum vniuerſalis Patriarchæ, vel Sacerdotis, faſtuosè ſibi arrogauerit. Vt autem conſtet, quo ſenſu id fecerit, notandum eſt, hæc duo diſtingui, quæ tu confundis.

Primò, Dici vniuerſalem Epiſcopum in Eccleſia.

Secundò, Dici Epiſcopum vniuerſalis Eccleſiæ.

Prior titulus reprehenditur in Ioanne; poſterior Romano Pontifici conceditur. Et citati Patres priorem aſſerunt eſſe prophanum, blaſphemum, Antichriſtianum: poſteriorem, non item.

15 Eſt autem hoc diſcrimen inter vtrumque titulum. Qui dicit ſe eſſe vniuerſalem Epiſcopum, vel Sacerdotem, inſinuat ſe ſolùm eſſe Epiſcopum, & alijs omnibus detogat nomen, & honorem epiſcopalem. Et hoc feciſſe Ioannem, teſtatur Gregorius, partim locis citatis, partim lib.4. epiſt.14. cum ait: [Triſte valdè eſt, vt patienter feratur, quatenùs deſpectis omnibus, prædictus frater, & Coepiſcopus meus, ſolus conetur appellari Epiſcopus. Et epiſt. 36. ad Eulogium: [Si vnus Patriarcha vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.] Et lib.7. epiſt.69. ad Euſeb. [Nam ſi vnus, vt putat, vniuerſalis eſt, reſtat, vt vos Epiſcopi non ſitis.]

16 Qui autem dicit ſe eſſe Epiſcopum, vel Paſtorem vniuerſalis Eccleſiæ, non ſignificat ſe eſſe ſolùm Epiſcopum, vel Paſtorem; ſed ſe habere generalem curam, & gubernationem totius Eccleſiæ, licèt alij Epiſcopi habeant ſpecialem curam, & gubernationem Eccleſiarum particularium. Et hoc ſenſu Pontifex ſolet vocari Epiſcopus, & Paſtor vniuerſalis Eccleſiæ. Quod etiam fatetur Gregorius. Nam lib.6.epiſt.32. ait: [Petro omnium Apoſtolorum Principi, totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt.]

Item, [Cura ei totius Eccleſiæ, & Principatus committitur, & tamen vniuerſalis Apoſtolus non vocatur.] Idem ſentiunt alij Pontifices, qui Gregorium præceſſerunt, vt Sixtus I. epiſt.2. Victor I. epiſt. 1. Pontianus epiſt.1. & alij, qui ſe vocarunt Epiſcopos vniuerſalis Eccleſiæ. Verba eorum ſunt hæc: [Sixtus vniuerſalis Apoſtolicæ Eccleſiæ Epiſcopus, omnibus Epiſcopis in Domino ſalutem.]

Item, [Victor Romanæ, & vniuerſalis Eccleſiæ Archiepiſcopus.]

Item, [Pontianus ſanctæ, & vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus.] Et ſic alij deinceps.

17 Vides Marce Antoni, Pelagium, & Gregorium fruſtrà à te adductos eſſe contra nos. At meritò contra te adduci poſſunt. Nàm Gregorius, vt iàm dixi, agnoſcit, Petro totius Eccleſiæ curam, & Principatum commiſſum eſse, quod tu negas.

Similiter Pelagius loco citato ſic habet: [Relatum eſt ad Apoſtolicam Sedem, Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum, vniuerſalem ſe ſcribere, voſque ex hac ſua præſumptione ad Synodum conuocare generalem, cùm generalem Synodum conuocandi auctoritas Apoſtolicæ Sedi beati Petri ſingulari priuilegio ſit tradita, & nulla vmquam Synodus rata legatur, quæ Apoſtolica auctoritate non fuerit fulta.]

Et infrà: [Sciat Ioannes, niſi errorem ſuum citò correxerit, à nobis excommunicandum fore.]

Quibus verbis fatetur hæc tria. Primò, auctoritatem conuocandi generalem Synodum ſingulari priuilegio traditam eſse Apoſtolicæ Sedi. Secundò, nullam Synodum ratam eſſe, quæ Apoſtolica auctoritate non ſit firmata. Tertiò, Pontificem poſſe excommunicare Epiſcopos Orientales. Quæ omnia contra te ſunt.

Nec debes excipere, ſuſpectos eſſe Pelagium, & Gregorium in hac cauſa: Primò, quia tu vteris ipſorum auctoritate. Secundò, quia vocas eos Pontifices ſanctos; idque propterea, vt ipſorum teſtimonium plus ponderis habere videatur.

18 Ex dictis facilè ſoluuntur argumenta, quæ fruſtrà ex Pelagio, & Gregorio adducis contra Primatum Pontificis lib. 4. c.7. num. 21. Percurram obiter. Primum eſt: qui ſe dicit vniuerſalem Epiſcopum, reliquis omnibus Epiſcopis auſert nomen, honorem, & dignitatem Epiſcopalem: At Pontifex hoc facit. Ergo &c. Reſpondeo. Maior vera eſt eo ſenſu, quo Ioannes vocabat ſe vniuerſalem Epiſcopum. Minor falſa eſt, quia Pontifex vocat quidem ſe Epiſcopum vniuerſalis Eccleſiæ: non tamen Epiſcopum vniuerſalem, eo ſenſu, quo Ioannes.

19 Secundum: Luciferianum eſt, velle vnum Epiſcopum ſe offerre ſuper alios Epiſcopos, qui ſunt aſtra Cœli. Reſpondeo. Lucifer voluit ſe offerre ſuper aſtra Cœli ex mera ſuperbia, non autem ex Dei ordinatione. Luciferum imitatus eſt Ioannes Conſtantinopolitanus. At Pontifex Romanus, Petri Succeſſor, id non facit. Imitatur Petrum, cui totius Eccleſiæ cura erat demandata; & ideò totius Eccleſiæ Paſtorem, & Epiſcopum meritò ſe vocat: non ex ſuperbia, ſed ex Chriſti inſtitutione.

Digitized by Google

20 Tertium: Schiſma aperit, & inducit, qui ſe vocat vniuerſalem. Reſpondeo. Ioannes inducebat ſchiſma, quia cùm Pontifex Romanus eſſet Epiſcopus vniuerſalis Eccleſiæ, cui omnes tenebantur obedire, ipſe ſe ſubduxit ab obedientia, & vocauit ſe vniuerſalem Patriarcham: & ſic diuidebat vnitatem Capitis in Eccleſia. Hoc non facit Pontifex. Quærit conſeruare vnitatem Capitis: non in varia ſchiſmata diſtrahere.

21 Quartum: Solus Chriſtus eſt Eccleſię Caput vniuerſale, & omnes Epiſcopi ſunt Chriſti membra. Reſpondeo. Solus Chriſtus eſt Caput Eccleſię, quò ad internum influxum gratiæ. At non ſolus eſt caput, quò ad externam gubernationem. In priori officio Capitis non admittit Vicarium; in poſteriori admittit. Hoc lib. 1. fusè explicatum eſt.

22 Quintum: Neque Petrus, neque vllus Apoſtolus, aut ſanctus Epiſcopus, vocauit ſe vmquam vniuerſalem. Reſpondeo. Si de nomine diſputas, verum eſt: ſi de re ipſa, falſum. Nàm Petrus re ipſa exercuit officium Paſtoris reſpectu totius Eccleſiæ: quod etiam fecerunt Succeſſores Petri; & tametſi non vocauerint ſe vniuerſales, vocati ſunt tamen Epiſcopi, ſeu Paſtores vniuerſalis Eccleſiæ, vt cap. 1. præcedenti in primo priuilegio oſtenſum eſt.

23 Sextum: Proprium eſt Præcurſoris Antichriſti, ſuperbiendo, ſe cæteris anteponere. Reſpondeo. Verum eſt. At Pontifex hoc non facit. Non enim ex ſuperbia; ſed ex Diuina inſtitutione cæteris ſe anteponit: Sicut in veteri Teſtamento faciebat Moyſes, & reliqui ſummi Pontifices. Sicut etiam in Regno Angliæ facit Rex, & in Imperio Imperator. Vterque enim legitimo iure Electionis præfert ſe alijs. In quo diſſimiles ſunt Ioanni Conſtantinopolitano, qui ex ſuperbia, non ex Dei ordinatione ſe cæteris anteponebat.

24 Septimum: Si in Eccleſia eſſet aliquis Epiſcopus vniuerſalis, eo ſanè in hæreſim lapſo, tota caderet, aut macularetur Eccleſia. Reſpondeo. Hoc argumentum ſumpſiſti ex Gregorio lib. 4. epiſt. 32. & lib. 9. epiſt. 29. Qui longè aliter id proponit contra Ioannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum. Ee ſupponit hæc duo principia. Primò, quòd multi Epiſcopi Conſtantinopolitani in hæreſim lapſi ſint, vt Neſtorius, Macedonius, & plures alij. Secundò, quòd is, qui vocat ſe Epiſcopum, & Sacerdotem vniuerſalem eo ſenſu, quo Ioannes vocabat ſe vniuerſalem, ſignificet ſe ſolum eſſe Epiſcopum, & Sacerdotem; & reliquis omnibus deroget nomen, honorem, & auctoritatem Bpiſcopalem, ac Sacerdotalem. Ex vtroque ſic argumentatur: Si Neſtorius, aut Macedonius fuiſſet Epiſcopus, & Sacerdos vniuerſalis, ſequeretur totam Eccleſiam fuiſſe lapſam, quando ipſe lapſus eſt. Quæ conſequentia bona eſt, ſuppoſitis illis principijs, quæ iàm poſita ſunt. Tunc enim cenſetur labi, vel periclitari Eccleſia, quando nullus in eo manet Sacerdos, aut Epiſcopus. At labente Epiſcopo vniuerſali, qui ſolus vult haberi Sacerdos, & Epiſcopus, nullus ampliùs manet Epiſcopus, aut Sacerdos. Ergo labente tali Epiſcopo, cenſetur labi tota Eccleſia.

25 In hoc argumento plùs roboris eſt, quàm in illo: Si Rex laberetur in hæreſim, totum Regnum periclitaretur. Nàm etiamſi Rex laberetur, adhùc ſupereſſent Epiſcopi, & Sacerdotes Catholici, qui populum in fide retinerent. At labente Epiſcopo vniuerſali, nullus ſupereſt Epiſcopus, aut Sacerdos Catholicus, qui poſſit populum inſtruere. Nec ad Romanum Pontificem poteſt hoc argumentum applicari. Primò, quia Gregorius ſupponit Romano Pontifici dictum eſſe, quod Petro dictum eſt: [Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua,] libro 4. epiſt. 32. Secundò, quia Romanus Pontifex non dicit ſe vniuerſalem Epiſcopum, ideſt, non dicit ſe ſolùm eſſe Epiſcopum, derogando alijs nomen, honorem, & auctoritatem Epiſcopalem. Vndè etiam ex hac parte (poſito, ſed non conceſſo, quod poſſit fieri hæreticus) non ſequeretur, labente Pontifice, totam Eccleſiam periclitari. Nàm illo labente, adhùc ſupereſſent multi Epiſcopi, & Sacerdotes, qui Eccleſiæ proſpicerent, donec nouus eligeretur Pontifex.

OBIECTIO V.

Ex Concilijs Oecumenicis.

26 Obijcis duo Concilia Oecumenica, ſecundum, & quartum, ideſt, Conſtantinopolitanum, & Chalcedonenſe, quæ declararunt Epiſcopum Conſtantinopolitanum Romano Pontifici in poteſtate, & priuilegijs parem eſſe. Reſpondeo. Falſum eſt. Nam in Concilio Conſtantinopolitano can. 5. iuxtà primam editionem ſic legimus: [Conſtantinopolitanæ Ciuitatis Epiſcopum habere oportet Primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum, propterea quòd ſit noua Roma.] Vel, vt habet altera editio: [Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat priores honoris partes poſt Romanum Epiſcopum, eò quòd ſit ipſa noua Roma.] In quo canone ſolùm decernitur, vt Epiſcopus Conſtantinopolitanus habeat pręcipuam dignitatem poſt Epiſcopum Romanum, non autem, vt habeat parem dignitatem cum Epiſcopo Romano. Itaque hoc decretum factum eſt in fauorem Epiſcopi Conſtantinopolitani, non reſpectu Pontificis, ſed reſpectu aliorum Epiſcoporum, præſertim Alexandrini, & Antiocheni, qui cum illo certabant de honoris prerogatiua. Et definitum, vt poſt Pontificem, qui ſemper ſupremus in Eccleſia habitus eſt, proximum locum teneret Conſtantinopolitanus, non autem Alexandrinus, aut Antiochenus.

27 Ex Concilio Chalcedonenſi, act. 15. citas can. 28. in quo ſtatuitur, [Conſtantinopolim æqualibus cum Roma priuilegijs frui debere.] Sed fruſtrà. Nàui canon ille clandeſtinus, & ſubreptitius eſt, quem Legatl Pontificis numquam approbarunt. De hoc vide Baronium to. 6. Annalium, anno Chriſti 451. Bellarmin. libro 2. de Pontif. cap. 18. Et Notationem, quæ habetur tom. Concilior. ad finem 15. actionis Chalcedonenſis, quæ ſic habet: [Meminerit candidus Lector canonem hunc

Digitized by Google

hunc 28. de Conſtantinopolitani Epiſcopi priuilegijs, & eminentia prorsùs reiectum eſſe à Leone ſanctiſſimo Pontifice Romano, vt ex multis eius ſupra excuſſis literis perſpicuè videre licet. Et certè, coactus eſt etiam Anatolius ipſe Conſtantinopolis Antiſtes, qui callidè à Patribus Chalcedonenſis Synodi canonis huius promulgationem impetrauerat, reclamantibus Romani Pontificis Leonis Legatis, & Vicarijs, intrà priſtinos ſe limites tenere, & ab infauſtis ambitionis conſilijs animum reuocare.]

OBIECTIO VI.

Ex Epiſcopis Aſianis.

28 SExtò obijcis: Polycrates Epiſcopus Aſianus, & Irenęus reſtiterunt Victori Papæ, Aſiaticas Eccleſias excommunicanti. Reſpondeo. In facto Victoris duo ſpectanda ſunt. Primò, poteſtas excommunicandi. Secundò, cauſa excommunicationis. Igitur Polycrates, & Irenæus non negarunt Victorem Papam habere poteſtatem excommunicandi Epiſcopos Aſiæ; (vt benè notat Baronius to. 2. Annalium anno Chriſti 198. & patet ex eo, quod ſupra oſtenſum eſt, Pontificem poſſe excommunicare Epiſcopos, Reges, & Imperatores, ſi fuerint contumaces;) ſed negarunt cauſam excommunicationis fuiſſe ſufficientem; & ideò illi reſtiterunt.

Cauſa excommunicationis erat hæc. Poſt longam controuerſiam de celebratione Paſchæ, an deberet celebrari cum Iudæis 14. die primi menſis, ſiue dies eſſet Dominicus, ſiue non; an verò die tantùm Dominico; tandem definiuit Victor, celebrandum eſſe die tantùm Dominico. Et voluit, vt in Aſia ſeruaretur hoc ipſius decretum. Aſiani non volebant ſeruare. Igitur à Pontifice excommunicati ſunt. Pontifici reſtiterunt Polycrates, & Irenæus, aſſerentes, nihil aliud hoc eſſe, quàm turbare Eccleſiam. Neq; eſſe legitimam cauſam excommunicationis: In Aſia ſemper celebratum fuiſſe Paſcha die 14. primi menſis: hanc conſuetudinem mutari non debere.

29 An autem Victor habuerit ſufficientem cauſam, nec ne, iàm non diſputo. Si habuit, immeritò reprehenſus eſt à Polycrate, & Irenæo. Si non habuit, reprehendi potuit cum debita modeſtia, ſicut Petrus à Paulo reprehenſus eſt. At hoc non derogat ipſius poteſtati, aut iuriſdictioni. Nàm etiam Rex poteſt reprehendi à Conſiliario, vel Principe, ſalua ipſius corona, & auctoritate. Vide, quę dicta ſunt lib. 2. cap. 7. §. 38. & ſeqq.

OBIECTIO VII.

Ex Cypriano.

30 SEptimò obijcis Cyprianus lib. 3. epiſtola 3. ad Cornelium, non patitur ſe eſſe inferiorem Romano Pontifice, ſed ei ſe penitùs parem facit. Nàm cùm Cyprianus excommunicaſſet quoſdam Clericos, qui poſteà Romam confugerunt ad Pontificem, & ab eo recepti ſunt in communionem: ægrè id tulit Cyprianus, & ſcribit Pontificem id facere non potuiſſe; atque ex tali facto ſolere ſchiſmata in Eccleſia oriri, quando vnus Epiſcopus immiſcet ſe negocio alterius.

31 Hoc probat ex verbis Cypriani, qui loco citato ſic ſcribit: [Neque enim aliundè hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, quàm indè, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur. Nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur, cui ſi ſecundùm magiſteria Diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduersùs Sacerdotum Collegium quicquam moueret: nemo poſt Diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coepiſcoporum conſenſum, Iudicem ſe non iàm Epiſcopi, ſed Dei faceret. Nemo diſſidio vnitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet: Nemo ſibi placens, ac tumens, ſeorſim foris, nouam hæreſim conderet.] Vbi per Sacerdotem Dei, qui vnus in Eccleſia fungitur officio Iudicis vice Chriſti, ais intelligi vnumquemque Epiſcopum in ſuo Epiſcopatu.

32 Deindè in progreſſu ſic pergit Cyprianus: [Nàm cùm ſtatutum ſit omnibus nobis, & æquum ſit pariter, ac iuſtum, vt vniuſcuiuſque cauſa illic audiatur, vbi eſt crimen admiſſum, & ſingulis Paſtoribus portio gregis ſit aſcripta, quam regat vnuſquiſque, & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus, oportet vtique eos, quibus præſumus, non circumcurſare, nec Epiſcoporum concordiam cohærentem ſubdola, & fallaci temeritate collidere, ſed agere illic cauſam ſuam, vbi & accuſatores habere, & teſtes ſui criminis poſſint: niſi paucis deſperatis, & perditis minor videtur eſſe auctoritas Epiſcoporum in Africa conſtitutorum, qui iam de illis iudicauerunt, & eorum conſcientiam multis delictorum laqueis vinctam, iudicij ſui nuper grauitate damnarunt. Iam cauſa eorum cognita eſt: iam de ijs dicta ſententia eſt.] Vnde concludis, [illegible] eſſe minorem auctoritatem Epiſcoporum Africæ, quàm Romani Pontificis, in iudicio Eccleſiaſtico; ac proindè, qui ab aliquo Epiſcopo Africæ excommunicati ſunt, non debere à Romano Pontifice admitti in communionem.

33 Reſpondeo. Priùs teſtimonium Cypriani contra te eſt. Nam ibi expreſsè docet, ideò in Eccleſia naſci hæreſes, & ſchiſmata, quia non obtemperatur Sacerdoti, ideſt Pontifici, qui vnus in tota Eccleſia conſtitutus eſt, vt loco Chriſti ſit Iudex omnium controuerſiarum fidei. Quod alijs quidem verbis, ſed eodem ſenſu clariſſimè docet in libro de Simpl. Prælat. ſeu de vnitate Eccleſiæ, vbi quærens, quare in Eccleſia naſcantur hæreſes, & ſchiſmata, ſic reſpondet: [Hoc eò fit, fratres dilectiſſimi, dùm ad veritatis originem non reditur, nec Caput quæritur, &c.] quem locum fusè explicaui libro 2. cap. 7. obiect: 1.

34 Circa poſteriùs teſtimonium, tria diſcutienda ſunt:

Primò, quod ſit illud ſtatutum, de quo loquitur Cyprianus.

Se-

Secundò, qui ſint illi pauci deſperati, & perditi, quos ait ab Epiſcopis damnatos eſſe.

Tertiò, quo ſenſu intelligendum ſit, quod ait: [Niſi minor videtur eſſe auctoritas Epiſcoporum in Africa.

Eſt igitur prima quæſtio, de quo ſtatuto loquatur Cyprianus?

Reſpondeo. Vel loquitur de ſtatuto Fabiani Papæ, vel de aliquo ſimili, quod ex illo deſumptum eſt. Statutum Fabiani habetur in epiſtola ipſius 3. ad Hilarium Epiſcopum his verbis: [Peregrina verò iudicia, ſalua in omnibus Apoſtolica auctoritate, generali ſanctione prohibemus; quia indignum eſt, ab externis vt iudicetur, qui Prouinciales, & à ſe electos debet habere Iudices, niſi fuerit appellatum. Vnde oportet, ſi aliquis Epiſcoporum ſuper certis accuſetur criminibus, vt ab omnibus audiatur, qui ſunt in Prouinciæ Epiſcopis, quia non oportet, accuſatum alibi, quàm in foro ſuo audiri.]

Et paulò poſt: [Semper ibi cauſa agatur, vbi crimen admittitur.]

Et iterùm: [Placuit etiam, vt ſi Epiſcopus appellauit ad Apoſtolicam Sedem, id ſtatuendum, quod eiuſdem Sedis Pontifex ſtatuerit.]

Habetur hæc epiſtola tomo 1. Concil. in decretis Fabiani Papæ.

Ex hoc ſtatuto colliguntur hæc duo:

Primò, cauſam vniuſcuiuſque debere illic audiri, & iudicari, vbi admiſſum crimen eſt.

Secundò, licere tamen appellare ad Pontificem Romanum tamquam ad ſupremum in Eccleſia Iudicem. Quod tibi contrarium eſt.

35 Altera quæſtio eſt. Qui ſint illi pauci deſperati, & perditi, quos ait Cyprianus ab Epiſcopis Africanis legitimè damnatos eſſe?

Reſpondeo. Sunt quinque ſchiſmatici Pſeudo-epiſcopi, Priuatus, Felix, Iouinus, Maximus, & Repoſtus, qui propter adulteria, ſtupra, & nephanda ſacrificia legitimè accuſati, & ab Epiſcopis Catholicis in Africa damnati ſunt. De quibus hæc ſcribit Cyprianus in epiſtola citata:

Primò, quòd Fortunatum creauerint Pſeudo-epiſcopum, contra Cyprianum, qui erat legitimus Epiſcopus.

Secundò, quòd Feliciſſimum Romam miſerint ad Cornelium Papam; non appellandi cauſa; ſed fallendi, & mentiendi. Dicebant enim, Fortunatum legitimè electum eſſe Epiſcopum à vigintiquinque Epiſcopis; quod erat falſum, cùm non fuerit electus, niſi à quinque Pſeudo-epiſcopis. Dicebant Cyprianum non eſſe legitimum Epiſcopum:

Hæc, & ſimilia dicebant, vt à Cornelio Papa reciperentur ad communionem Sedis Apoſtolicæ, & Cyprianum, cum alijs Epiſcopis facerent ſuſpectum apud Pontificem. Sciebant enim, ſe pro Hæreticis, vel Schiſmaticis habendos, ſi Apoſtolicæ Sedis communione carerent. De hac ipſorum fraude conqueritur Cyprianus. Vnde colligo hæc tria:

Primò, Cyprianum non negare, quin liceat appellare ad Pontificem, ſi appellatio ſit iuſta, & legitima.

Secundò, reprehendere tamen mendacem, ac fraudulentam appellationem.

Tertiò, non ſolùm Cyprianum, ſed etiam aduerſarios ipſos ipſius agnoſcere Pontificem eſſe ſupremum Iudicem in Eccleſia, quia certò perſuaſum habent, ſe non habendos pro hæreticis, ſi cum illo ad communionem admittantur.

36 Tertia quæſtio, quo ſenſu intelligendum ſit, quod Cyprianus ait: [Niſi minor videtur eſſe auctoritas Epiſcoporum in Africa conſtitutorum?]

Reſpondeo. Non debet ſic intelligi, quaſi non ſit minor auctoritas Epiſcoporum Africæ, quàm Romani Pontificis, in iudicio Eccleſiaſtico, vt tu putas. Nàm ſi ab Epiſcopis licet appellare ad Pontificem, neceſſe eſt, minorem eſſe Epiſcoporum, quàm Romani Pontificis, auctoritatem. Debet ergo ſic intelligi, quòd non ſit minor auctoritas Epiſcoporum in Africa, quàm in Gallia, & alijs Prouincijs. Vt hic ſit ſenſus: Fabianus Papa generatim ſtatuit vt ſi quis Epiſcopus accuſetur ſuper certis criminibus, audiatur ab omnibus Epiſcopis, qui ſunt in Prouincia, vbi crimina commiſſa ſunt. Hoc ſtatutum tam debet intelligi de Epiſcopis Africæ, quàm aliarum Prouinciarum. Si ergo, vigore huius ſtatuti, permiſſum eſt Epiſcopis aliarum Prouinciarum iudicare Epiſcopum de criminibus in propria Prouincia commiſſis; etiam Epiſcopis Africæ id permiſſum eſt. Nam horum auctoritas non eſt minor, quàm aliorum. Hanc explicationem confirmant illa verba Cypriani: [Nàm cùm ſtatutum ſit omnibus nobis,] ideſt, cùm ſtatutum Fabiani pertineat æquè ad omnes Epiſcopos, &c.

37 Iterùm obijcis ex eodem: Cyprianus facit ſe parem Stephano Pontifici in Eccleſia vniuerſali gubernanda. Nàm lib. 3. epiſt. 12. ſic Stephanum alloquitur: [Cui rei noſtrum eſt conſulere, & ſubuenire, frater chariſſime, qui Diuinam clementiam cogitantes, & gubernandæ Eccleſiæ libram tenentes, ſic cenſuram vigoris peccatoribus exhibemus, vt tamen lapſis erigendis, & curandis vulneratis, bonitatis, & miſericordiæ Diuinæ medicinam non denegemus. Quapropter facere te oportet pleniſſimas literas ad Coepiſcopos noſtros in Gallijs conſtitutos, &c.] Hic vim facis in eo, quod dicit Cyprianus: [Qui gubernandæ Eccleſiæ libram tenentes.] Ex quo deducis, æquè Cyprianum, ac Pontificem fuiſſe totius Eccleſiæ gubernatorem.

38 Reſpondeo. Cyprianus rogat Stephanum Papam, vt ſcribat literas ad Epiſcopos Galliæ, & ipſis Pontificia auctoritate denunciet, vt Marcianum Epiſcopum Arelatenſem, propter hæreſim Nouatianam, deponant ab Epiſcopatu, & alium in locum eius ſubſtituant. Et ſimùl inſinuat hæc duo:

Primò, ſe id rogare ex pio affectu erga Eccleſiam, ne illa detrimentum patiatur.

Secundò, cùm ipſe per ſe, & ſua auctoritate, non poſſit Epiſcopis Galliæ id denunciare, rogare ſe, vt Pontifex id faciat, cui omnes Epiſcopi ſubiecti ſunt. Alioqui, ſi ipſe potuiſſet per ſe præſtare, quid neceſſe erat confugere ad Pontificem?

39 Hunc ſenſum colligo ex ipſis Cypria-

ni

ni verbis. Sic enim incipit: [Fauſtinus collega noſter Lugduni conſiſtens, frater chariſſime, ſemel,atque iterùm mihi ſcripſit, ſignificans ea, quæ etiam vobis ſcio vtique nunciata tam ab eo, quàm à cæteris Coepiſcopis noſtris in Prouincia conſtitutis, quòd Marcianus Atelate conſiſtens, Nouatiano ſe coniunxerit, & à Catholicæ Eccleſiæ vnitate diſiunxerit, &c. Cui rei noſtrum eſt conſulere, &c.] Ecce, iam omnes Epiſcopi Galliæ ſcripſerant Pontifici, vt ſuccurreret. Et vnus ex illis, Fauſtinus nomine, ſcripſerat etiam Cypriano, vt Pontificem ſui officij moneret. Sed quare omnes ſcripſerant Pontifici? Quare ipſi per ſe non deponebant Marcianum ab Epiſcopatu, & alium ſubſtituebant? Quia ſciebant ſe ſua auctoritate id non poſſe, ſed auctoritate Pontificis, cui omnes Epiſcopi ſubiecti ſunt. Et ideò Fauſtinus etiam petebat à Cypriano, vt Pontificem inſtigaret. Quod & fecit Cyprianus his verbis: [Quapropter te facere oportet pleniſſimas literas, ad Coepiſcopos noſtros in Gallijs conſtitutos, ne vltræ Marcianum peruicacem, & ſuperbum, & diuinæ pietatis, ac fraternæ ſalutis inimicum, Collegio noſtro inſultare patiantur.]

Et infrà: [Dirigantur in Prouinciam, & ad plebem Arelate conſiſtentem à te literæ, quibus obſtante Marciano, alius in locum eius ſubſtituatur.] Quaſi dicat: Neque ego, neque Epiſcopi Galliæ poſſunt id præſtare. Tui officij eſt, ideò ad te confugimus. Vides, Marce Antoni, Cyprianum tibi iterùm aduerſari.

OBIECTIO VIII.

Ex Firmiliano Epiſcopo.

40 OCtauò obijcis: Firmilianus Epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ non agnouit Stephanum Pontificem pro Capite Eccleſiæ, ſed illum contempſit. Nam in epiſtola ad Cyprianum ſcripta grauiter inuehitur in Pontificem. Et inter cætera ſic illum alloquitur: [Volentibus viuere, cauſa mortis fuiſti, & inſuper indignaris. Vide, qua imperitia reprehendere audeas eos, qui contra mendacium pro veritate nituntur.]

Et infrà: [Niſi quòd imperitos, etiam animoſos, atque iracundos eſſe manifeſtum eſt; dùm per inopiam conſilij, & ſermonis, ad iracundiam facilè vertuntur, vt de nullo alio magis, quàm de te dicat Scriptura Diuina, Prouerb.19. [Homo animoſus parit lites, & vir iracundus exaggerat peccata. Lites enim, & diſſenſiones quantas paraſti per Eccleſias totius Mundi? Peccatum verò, quàm magnum tibi exaggeraſti, quando te à tot gregibus ſcidiſti?] Et multa alia in eundem ſenſum. Ex quibus colligis, Firmilianum non agnouiſſe Pontificem pro ſuo Primate, ſeu Eccleſiæ gubernatore.

41 Reſpondeo. Firmilianus tunc fecit, quod tu non facis. Offenſus erat Pontifici, ſicut tu es. Et ex illa offenſa, multis conuitijs proſcindebat Stephanum, ſicut tu proſcindis Paulum. Itaque argumentum, quod ſumis ex Firmiliano, tanti valet, quanti hoc, quod ex te ſumo: Marcus Antonius ex priuato odio non agnoſcit Pontificem pro Capite Eccleſiæ: Ergo Pontifex non eſt Caput Eccleſiæ. Faceſſant huiuſmodi ineptiæ. Porrò cauſa, cur Firmilianus tam acerbè ſcripſerit in Pontificem, hæc eſt. Cyprianus cum multis Epiſcopis Africæ contendebat Baptiſmum ab Hæreticis collatum, non eſſe validum, ac proindè baptizatos ab Hæreticis, quando redeunt ad Eccleſiam Catholicam, eſſe rebaptizandos. Hanc ſententiam ſequebatur Firmilianus cum alijs Epiſcopis Cappadociæ, Siciliæ,& Galatiæ, qui omnes in Synodo Iconij habita, ſtatuerunt, nihil eorum, quæ ab Hæreticis fiunt, ab Eccleſia Catholica recipiendum eſſe. Non Baptiſmum, non Ordinationem, non manuum impoſitionem, non alia ſimilia. Hoc patet ex epiſtola Firmiliani iam citata, vbi ſic ſcribit: [Planè, quoniam quidem de eorum baptiſmate dubitant, plurimi ſimùl conuenientes in Iconio, diligentiſſimè tractauimus, & confirmauimus; repudiandum eſſe omninò Baptiſma, quod ſit extrà Eccleſiam conſtitutum.]

42 Stephanus Pontifex nixus Apoſtolica traditione, contrarium decernebat, nempè Baptiſmum ab Hæreticis collatum, ſi aliundè non eſſet defectus, validum eſſe; ac proindè baptizatos ab Hæreticis, non eſſe rebaptizandos. Quia verò Epiſcopi, qui fuerant in Synodo Iconienſi, pertinaciter perſiſtebant in ſua opinione, à Stephano excommunicati ſunt, (apud Euſebium lib.7.cap.4.) Hoc ægrè ferens Firmilianus, ſtrinxit calamum, & epiſtola ad Cyprianum miſſa, multis calumnijs bonum Pontificem inſectatus eſt; eòque liberiùs id fecit, quòd ſciret Cyprianum eſſe in eadem ſecum opinione, & Pontifici in hoc puncto aduerſari.

43 Hæc eſt hiſtoria rei geſtæ. In qua tria certa ſunt.

Primò, Cyprianum, & Firmilianum, cùm alijs Epiſcopis, in illa controuerſia de Baptiſmo hæreticorum erraſſe, quod etiam te fateri neceſſe eſt.

Secundò, eoſdem peccaſſe, quòd non voluerint Stephano Pontifici obedire: vt de Cypriano ſcribit Auguſt. lib. 1. contra Donatiſt. cap.18. & alibi.

Tertiò, non tamen peccaſſe contra fidem, ſed contra obedientiam. Nam Stephanus Papa non definiuerat illam controuerſiam, tamquam de fide: Sed ſolùm præceperat, vt non rebaptizarentur hæretici, vt fatetur ipſemet Cyprianus in epiſtola ad Pompeium.

OBIECTIO IX.

Ex Epiſcopis Orientalibus in Concilio Antiocheno.

44 NOnò obijcis: Epiſcopi Orientales in Concilio Antiocheno, duplici de cauſa reſtiterunt Iulio Pontifici.

Primò, quòd ipſos Romam citaſſet.

Secundò, quòd Athanaſium ad ſe confugientem, qui in Synodo Orientali fuerat damnatus, abſoluiſſet, & ſuæ Sedi reſtituiſſet.

ſet. In vtroque dicebant illum vſurpaſſe plùs auctoritatis, quàm debebat. Vndè etiam can. 12. ſtatuerunt, [vt maior debeat eſſe Synodus, quæ abſoluit, quàm fuerat illa, qua damnauit.] Inſinuantes Athanaſium, ſi legitimè vellet abſolui, non debere quærere abſolutionem ab vno Epiſcopo, qualis erat Iulius, ſed ab aliqua Synodo maiori, quàm fuerat illa, in qua erat damnatus. Hęc omnia probas ex epiſtola Iulij, quam ſcripſit ad Orientales.

45 Reſpondeo. Hæc obiectio magis te premit, quàm nos. Tu obijcis Epiſcopos Orientales, inter quos erant triginta ſex Ariani. Ego viciſſim obijcio Athanaſium, & Iulium, qui erant ſinceriſſimè Catholici. Obiectio tua eſt hęc: Epiſcopi Orientales, qui magna ex parte erant Ariani, reſtiterunt Iulio: ergo non habebant illum pro Capite Eccleſiæ. Mea eſt hæc: Athanaſius vir doctiſſimus, & ſanctiſſimus, ab Epiſcopis Orientalibus appellauit ad Pontificem, tamquam ad legitimum Iudicem: ergo agnouit illum pro legitimo Iudice. Item, Iulius abſoluit Athanaſium, & citauit Epiſcopos Orientales: Ergo agnouit ſe habere poteſtatem hoc faciendi. Videamus nunc, tua, an mea obiectio plùs momenti habeat. Tua fundatur in facto Arianorum: mea in facto ſanctiſſimorum Patrum. Tu credis Epiſcopis hæreticis: Ego credo Epiſcopis Catholicis. Credo, inquam, Athanaſio, de quo teſtatur D. Thom. (1. part. quæſt. 61. artic. 3.) quòd numquam in doctrina fidei errauerit. Credo Iulio Pontifici, à quo ipſi etiam Ariani veniam deprecati ſunt, vt fatetur Athanaſius Apolog. 2. contrà Arianos, his verbis: [Ariani victi à veritate, veniam ſcriptis litteris à Iulio Romano Pontifice popoſcerunt, & ad nos pro pace epiſtolas miſere.]

OBIECTIO X.

Ex Athanaſio.

46 TRia obijcis ex Athanaſio. Primò, quòd totam dignitatē Romanæ Eccleſiæ in eo poſuerit, quòd eſſet Sedes Apoſtolica. Secundò, quòd commemorans impudentiam cuiuſdam Eunuchi, non veriti præſentiam Liberij Pontificis, dixerit: Oblitus ſui, quòd coràm Epiſcopo ſtaret. Si putaſſet, inquit, Pontificem eſſe Vicarium Chriſti, dixiſſet, oblitus ſui, quòd coràm Vicario Chriſti, coràm Vice Deo ſtaret. Tertiò, quòd Orat. 1. contrà Arianos, recens præcipuos Scriptores ſui temporis, non ponat primo loco Romanos Pontifices.

47 Reſpondeo. Prima obiectio contrà te eſt. Nam ex eo, quòd Romana Eccleſia eſt Sedes Apoſtolica, habet Apoſtolicam dignitatem. Et ſicut in illa Sede Apoſtolica primus omnium ſedit Petrus, qui erat Vicarius Chriſti; ſic poſt Petrum, in eadem ſedit Pontifex Succeſſor Petri cum pari poteſtate. Itaque Athanaſius non potuit maiorem laudem tribuere Romanæ Eccleſiæ, quàm dicendo, Sedem Apoſtolicam eſſe.

48 Altera obiectio puerilis eſt. Nam ſicut rectè dicimus; Oblitus ſui, quòd coràm Deo, vel coràm Rege ſtaret: Ità rectè dicimus: Oblitus ſui, quòd coràm Epiſcopo ſtaret. Neque neceſſe eſt, omnes titulos, qui alicui debentur, ſemper exprimere. Alioqui ſemper dicendum eſſet: Oblitus ſui; quòd coràm Deo Optimo Maximo; infinito, æterno, immenſo, omnipotente ſtaret: Vel quòd coràm Rege Sereniſſimo, potentiſſimo, inuictiſſimo, manſuetiſſimo ſtaret. Quod ridiculum eſt. Habent iſti tituli ſuum locum; ſed non ſemper vſurpandi ſunt. Addo, Athanaſium alibi non neglexiſſe titulos, qui Romano Epiſcopo debentur. Nam Apolog. 2. contrà Arianos, vocat Romanum Pontificem. In epiſtola ad Marcum, Sanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Sedis, atque vniuerſalis Eccleſiæ Papam. Et in epiſt. ad Felicem II. Beatiſſimum Patrem. Et alibi aliter.

49 Tertia obiectio eſt ſimilis pręcedenti. Nam, qui recenſet præcipuos ſcriptores ſui temporis, non ſemper debet habere rationem dignitatis perſonarum; ſed aliquando etiam doctrinæ, vel ætatis, vel famæ, & exiſtimationis, vel librorum, qui ab vnoquoque editi ſunt. Et tu, Antoni, ſi hoc tempore texeres Cathalogum ſcriptorum huius ſeculi, quem primo loco ponendum ſtatueres? An Regem Angliæ, quia Rex eſt? Liceret quidem. Sed cur non ſimiliter liceat præponere, vel Baronium, propter cognitionem hiſtoriæ: vel Bellarminum, propter doctiſſimos controuerſiarum tomos, qui toto Orbe notiſſimi ſunt: vel Chriſtophorum Clauium, ob inſignem peritiam rerum Mathematicarum: in quibus excelluit, vel aliquem alium in ſuo genere celeberrimum?

OBIECTIO XI.

Ex Baſilio.

50 EX Baſilio epiſt. 77. ad Occidentales, producis hæc verba; [Siue Caput vos ipſos Eccleſiæ vniuerſalis reputatis; non poteſt dicere pedibus caput, nō eſt mihi opus vobis, ſiue in reliquū vos Eccleſiaſticorū membrorū ordinem locaris, non poteſt is nobis dicere, qui in eodē vobiſcum corpore conſtituti ſumus, non eſtis nobis neceſſarij. Nam & manus mutuam inter ſe operam neceſſariam habent, & pedes mutuò ſeſe firmant; & oculi per concordiam habent, quòd obiecta clarè, & dilucidè apprehendunt. Nos quidem noſtram imbecillitatem agnoſcimus, & veſtram auidè concordiam requirimus.] Hæc verba interpretaris ironicè à Baſilio dicta eſſe, contrà factum Pontificis, hoc ſenſu. Siue, vt vos vanè prætenditis, eſtis caput: ſiue, vt eſt veritas, membra cum alijs; debetis nobis ex charitate ſuccurrere.

Reſpondeo. Baſilius non ſcribit ironicè, ſed ſeriò. Scribit autem Damaſo Pontifici Romano, & alijs Epiſcopis Occidentalibus. Et quidem ad Damaſum referri debent illa ipſius verba: [Siue Caput vos ipſos vniuerſalis Eccleſiæ reputàtis.] Ad reliquos verò Epiſcopos iſta: [Siue in reliquum vos Eccleſiaſticorum membrorū ordinem locatis.]

Sed

51 Sed iterùm ſic vrges; Baſilius epiſt. 50. ad Athanaſium data, laudat Meletium Antiochenum, & dicit dignum eſſe, qui præſit vniuerſo Eccleſiæ corpori. Hoc non diceret, ſi putaret Romanum Pontificem præeſſe vniuerſo Eccleſiæ corpori: alioqui iniuriam illi faceret, præferendo illi Meletium Antiochenum.

Et maximè vrges illam particulam, qua vtitur Baſilius: [Vt vniuerſo, vt ità dicam, Eccleſia corpori ipſe præſit.] Quid ſibi vult illud; [Vt ità dicam?] Hoc vult, inquis, in Eccleſia talem Pręſulem non dari.

52 Reſpondeo. Tria dicit Baſilius.

Primò, Eccleſiam Orientalem in varias partes diſſectam eſſe. Quod veriſſimum eſt. Nam alia pars erat Arianorum: Apollinariſtarum: alia Catholicorum, qui rursùm inter ſe erant diuiſi. Et alij quidem adhærebant Meletio (inter quos Baſilius) alij Paulino.

Secundò dicit, Meletium fore aptiſſimum, qui inter partes concordiam, & pacem conſtituat, & omnes ad vnitatem redigat.

Tertiò, totum Orientem optare, vt Meletius præſit vniuerſo corpori Eccleſiæ Orientalis. Itàque iſta particula: [Vt ità dicam,] non ſignificat, nullum dari, qui præſit vniuerſo corpori Eccleſiæ, (quia conſtat Pontificem præeſſe,) ſed ſignificat, ſe non loqui de vniuerſo corpore Eccleſiæ abſolutè, ſed de vniuerſo corpore Eccleſiæ Orientalis.

OBIECTIO XII.

Ex Nazianzeno.

53 NAzianzenus, inquis, in orat. funebri in Baſilium, commemorans turbas in Baſilium excitatas, facit etiam Occidentales Epiſcopos earum auctores, vel ſaltem cooperatores. Verba Nazianzeni ſunt hæc: [Aderant, & ex Occidentalibus Epiſcopis, quidam, qui Eccleſias, quotquot eſſent orthodoxæ, ad ſe pertrahebant.] Hinc ità concludis: Si Romana Eccleſia erat primum Caput Occidentalium, & Domina cæterarum omnium Eccleſiarum, cur arte, & officijs, Orientales Eccleſias ad ſe trahit, & allicit? Hoc erat Primatum artificio ſibi comparare, non exercere.

54 Reſpondeo. Non intelligis, quæ dicis. Hiſtoria rei geſtæ ſic habet. Cæſareæ in Cappadocia vacabat Sedes Archiepiſcopalis. Cæſarienſes petebant Baſilium. Baſilius fugit. Intereà per vim electus, & creatus eſt Euſebius. Ægrè hoc tulerunt Monachi, quibus præerat Baſilius, qui maluiſſent Baſilium creari Epiſcopum, non Euſebium. Ob hanc cauſam Euſebius fuit offenſus Baſilio. Cum hoc aduerterent Monachi, moliti ſunt facere defectionem ab Euſebio. Quod erat illis facilè ob tres cauſas, quas Nazianzenus loco citato commemorat.

Primò, quia Baſilius, cuius cauſam agebant Monachi, erat magni nominis, & exiſtimationis apud populum.

Secundò, magna pars populi erat aliena ab Euſebio, tamquam non legitimè electo.

Tertiò, eodem tempore erant ibi Epiſcopi Occidentales, Euſebius Vercellenſis, & Lucifer Calaritanus, qui propter fidem Catholicam à Conſtantio Imperatore Ariano fuerant in exilium miſſi, & poſt mortem Conſtantij, liberati ab exilio, venerant in Cappadociam, ibique auctoritate Liberij Papæ, reformabant Eccleſias Arianas, & Catholicas in fide conſeruabant. Illi igitur adhęrebant meliori parti factionis. Hæc omnia patent, partim ex Nazianzeno, loco citato, partim ex Baronio, tom. 3. & 4. Annalium, anno Chriſti 360. & ſeqq.

55 Hinc ſequitur.

Primò, falſum eſſe, quod tu aſſeris, Epiſcopos Occidentales fuiſſe, vel auctores, vel cooperatores turbarum, quæ in Baſilium erant excitatæ: Non enim agebant contra Baſilium, ſed contra Euſebium.

Secundò, nullam eſſe hanc tuam conſequentiam: Epiſcopi Occidentales, auctoritate Romani Pontificis, pertrahebant ad ſe Eccleſias Orthodoxas, ne inficerentur; Ergo Romanus Pontifex non habebat Primatum totius Eccleſiæ. Hæc melior eſt: Romanus Pontifex per ſuos Legatos fuit ſollicitus de Eccleſijs Orientalibus, vel ad fidem reducendis, vel in fide confirmandis: Ergo putauit ad ſe pertinere curam illarum Eccleſiarum.

OBIECTIO XIII.

Ex Hieronymo, & Damaſo.

56 HIc multa obijcis. Primò, quòd Hieronymus præfatione in Euangelia, nullum alium titulum tribuerit Damaſo Pontifici, quàm Summi Sacerdotis. At omnes Epiſcopi vocantur Summi Sacerdotes apud Hieron. lib. contra Luciferianos, & lib. de ordinibus Eccleſiaſtic. Ergo nihil peculiare agnouit in Pontifice, præ alijs Epiſcopis. Reſp. Mirus diſputator es. Paulò antè ſic concludebas: Athanaſius Pontificem vocat Epiſcopum: Ergo. Nunc ſic Hieronymus Pontificem vocat Summum Sacerdotem: Ergo. Sed quid ergo? Dicam? Ergo Marcus Antonius ineptè diſputat. Quaſi verò, qui Pontificem vocat Epiſcopum, aut Summum Sacerdotem, per hoc neget eſſe Caput totius Eccleſiæ. Etiam Chriſtus in Scriptura vocatur Epiſcopus, & Sacerdos, (1. Pet. 2. 25. & Hebr. 7. verſ. 11.) an ideò concludes; non eſſe caput Eccleſiæ? Nihil minùs. Immò, & Caput Eccleſiæ, & Epiſcopus, & Sacerdos eſt. Non enim pugnant hæc inter ſe. Nec vnum derogat auctoritati alteriùs. Deindè falſum eſt, Hieronymum omnes Epiſcopos vocare Summos Sacerdotes. Certè in lib. contra Luciferianos, quem tu citas; id non inuenio. Alter liber de ordinibus Eccleſiaſticis, quem adducis, non eſt Hieronymi, ſed alteriùs, vt benè obſeruauit Eraſmus in cenſura, & Cardinalis Bellarminus in lib. de Script. Eccleſiaſticis.

57 Secundò obijcis: Hieron. in epiſt. 85. ad Euagrium ſic ſcribit: [Nec altera Romanæ Vrbis Eccleſia, altera totius Orbis exiſtimanda eſt. Et Galliæ, & Britanniæ, & Africa, & Perſis, & Oriens, & India, & omnes nationes, vnum Chriſtum adorant, vnam obſeruant regulam veritatis. Si auctoritas quæ-

titur, Orbis maior eſt Vrbe. Vbicumque fuerit Epiſcopus, ſiue Romæ, ſiue Eugubij, ſiue Conſtantinopoli, ſiue Rhegij, ſiue Alexandriæ, ſiue Thanis, eiuſdem meriti, eiuſdem eſt, & Sacerdotij.] Hæc verba, inquis, plurimùm pugnant cum Papatu Romano. Et qui hæc nuue diceret, ſtatim Romæ hæreticus conclamaretur, & patibulis deſtinaretur.

58 Reſpondeo. Non pugnaot cum Papatu. Nec Hieronymus ibi loquitur de Papa, ſed de Diaconis Eccleſiæ Romanæ, qui quòd pauciores, & ditiores eſſent, quàm Sacerdotes, & Epiſcopi, per quendam abuſum, abſente Pontifice volebant illis præferri. Contra hunc abuſum diſputat Hieronymus. Et ſic argumentatur: Quod fit in omnibus Eccleſijs Orbis Chriſtiani, debet etiam Romæ fieri; At in omnibus Eccleſijs Presbyteri pręferuntur Diaconis: Ergo etiam Romæ id debet fieri. Nec diuitiarum in hac re habenda eſt ratio. Hic ſenſus colligitur ex ipſo Hieronym. Sic enim ſcribit: [Audio queudam in tantam erupiſſe vecordiam, vt Diaconos Presbyteris, ideſt, Epiſcopis, anteferret.] Deindè poſt verba, à te citata, ſic pergit: [Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſcopum non facit.]

Et infrà: [Cęterum; etiam in Eccleſia Romæ, Presbyteri ſedent, & ſtant Diaconi: licèt paulatim increſcentibus vitijs, inter Presbyteros, abſente Epiſcopo, ſedere Diaconum viderim: & in domeſticis conuiuijs, benedictiones Presbyteris dare, Diſcant, qui hoc faciunt, non ſe rectè facere, & audiant Apoſtolos: Non eſt dignum, vt relinquentes verbum Dei, miniſtremus menſis. Sciant, quare Diaconi conſtituti ſint. Legant acta Apoſtolorum: recordentur conditionis ſuæ.] Et cætera, quæ ſequuntur.

59 Igitur obiectio, quam facis ex hoc loco Hierouymi, talis eſt: Diaconi Romanæ Eccleſiæ, per abuſum præferebant ſe Presbyteris, quod non debebaut facere, quia in alijs Eccleſijs Chriſtiani Orbis, Presbyteri præferuntur Diaconis: Ergo Pontifex Romanus non habet Primatum Eccleſiæ. Vel certè talis: Orbis Chriſtianus maior eſt Vrbe Roma: Ergo Romanus Pontifex non eſt Caput Eccleſiæ: Vel talis: Eccleſia Romæ nou adorat alium Deum, nec obſeruat aliam regulam veritatis, quam aliæ Eccleſiæ per Orbem diſperſæ: Ergo Pontifex non eſt Caput Eccleſiæ. Vel denique talis: Maior eſt auctoritas totius Eccleſiæ, quam ſolius Romanæ particularis. Ergo. Omnes hæ conſequentiæ ioeptæ, & Apoſtaticæ ſunt.

60 Tertiò obijcis: Hieronymus ibidem comparans Eccleſiam Romanam, cum Eccleſia, quæ erat in Bethlehem, ait, multò auguſtiorem locum eſſe, qui Saluatorem Mundi, quàm qui fratris genuit parricidam. At ſi Romaua Eccleſia eſſet Sedes Monarchiæ Eccleſiaſticæ, oon deberet illi præferri Bethlehem.

Reſpondeo. Hieronymus non confert inter ſe Eccleſias illas, quò ad dignitatem, & iuriſdictionem, de qua nos hìc diſputamus: Sed quò ad ſanctitatem locorum, in quibus erectæ, & fundatæ ſunt. Et ait, auguſtiorem eſſe locum Bethlehemiticum, in quo Chriſtus Sanctus Sanctorum natus eſt: quàm Romanum, in quo Romulus parricida fratris genitus eſt. Quis hoc negat?

61 Quartò obijcis: Hierouymus in Apologia contra Iouinianum, de Damaſo Pontifice, qui ſcripta ipſius contra Heluidium laudauerat, ſic ſcribit: [Num vir egregius, & eruditus in Scripturis, & virgo, Eccleſiæ Virginis Doctor, aliquid in illo ſermone reprehendit?] Hìc, inquis, non erat locus tacendi de Papatu; ſed omninò addidiſſet, [Vicarius Chriſti, & totius Eccleſiæ gubernator,] ſi credidiſſet hos titulos Pontifici conuenire.

Reſpondeo. Adhuc neſcis, Antoni, vbi ſit locus tacendi, aut loquendi? Hieronymus volebat oſtendere librum ſuum, quem ſcripſerat contra Heluidium de perpetua Beatæ Mariæ Virginitate, à Damaſo, tamquam Viro docto, lectum, & approbatum eſſe. Nec quicquam in eo repertum, quod Scripturis diuinis eſſet contrarium. Quid hìc opus erat mentionem facere de iuriſdictione?

62 Quintò obijcis: Damaſus Pontifex apud Ambroſium, epiſt. 79. fatetur ſe inferiorem eſſe Concilio Capuenſi, dum non audet iudicare cauſam Bonoſi Epiſcopi, quæ à dicto Concilio iudicanda ei fuerat commiſſa.

Reſpoodeo. Cauſa Bonoſi non fuit Damaſo iudicanda commiſſa, vt tu fingis; ſed alijs iudicibus, vt patet ex epiſtola citata, quæ ſic incipit: [Accepi literas veſtras (ſcribit Theophylo, & Anyſio) quibus, vel pro veritate, vel pro modeſtia, noſtram ſententiam ſciſcitari voluiſtis. Sed cum huiuſmodi fuerit Concilij Capuenſis iudicium, vt finitimi Bonoſo, atque eius accuſatoribus, iudices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Epiſcopo Theſſalonicenſi de eius factis cognoſcerent, aduertimus, quòd nobis iudicandi forma competere non poſſet.] Igitur Concilium Capuenſe non commiſerat Damaſo Pontifici, ſed de alijs iudicibus cauſam Bonoſi coguoſcendam, & iudicandam, præſertim Macedonibus. Porrò inter illos indices, erant etiam Theophilus, & Anyſius vt conſtat ex verbis ſequentibus: [Veſtrum eſt igitur, qui hoc recepiſtis iudicium, ſenteutiam ferre de omnibus: Nec refugiendi, vel elabandi, vel accuſatoribus, vel accuſato copiam dare. Vicem enim Synodi recepiſtis, quos ad examinandum Synodus elegit.]

63 Hinc duo colligo, quæ contra te ſunt.

Vuum eſt, quòd Theophilus, & Anyſius, qui erant duo ex iudicibus à Concilio Capuenſi conſtitutis, voluerint Damaſo Pontifici deferre ſenteutentiam iudicandam: Quod non feciſſent, niſi agnouiſſeut illum pro ſupremo iudice, ad quem liceret confugere.

Alterum eſt, quòd Damaſus non dixerit, ſe non poſſe iudicare ex defectu iuriſdictionis, vt tu falſo interpretaris; ſed non conuenire, ſeu congruere, vt ipſe iudicet, cùm iam alij competeotes iudices à Concilio deſignati ſint. Quod perindè eſt, ac ſi dicat Imperator: Cum Reſpublica Colonienſis deſignauerit certos iudices in cauſa, N. Baronius,

nius,

Digitized by Google

nius, ibi habitantis, non competit, vt ego iudicem. Sic enim ſeruatur ordo, & pax in Imperio. Nam ſi illi rectè iudicauerint, benè quidem; Sin malè, ad me poteſt fieri appellatio. Quid hinc colligis, Antoni? Nihil certè contra nos. Nec plùs contra Pontificem, quam contra Imperatorem.

OBIECTIO XIV.

Ex Socrate.

64 EX Socrate lib. 4. cap. 24. profers hæc verba: [Damaſus Liberio in Epiſcopatus Romani adminiſtratione ſucceſſit. Vnde Eccleſiæ Romanæ ſtatus fortè fortuna magnopere coturbatus fuit.] Ex quibus colligis hæc duo.

Primò, quòd dixerit, illum ſucceſſiſſe in adminiſtratione, non totius Eccleſiæ, ſed Romani Epiſcopatus.

Secundò, quòd dixerit, ſtatum Romanæ, non autem vniuerſalis Eccleſiæ, turbatum eſſe.

Reſpondeo. Miſeret me tui, ſi putas huiuſmodi nugis, te aliquid Lectori perſuadere poſſe. Iam ſuprà dixi, non omnia vbique dicenda, aut ſcribenda eſſe. Scripſit Socrates; quod ripſa contigerat. Scripſit, inquam, Damaſum ſucceſſiſſe Liberio in Epiſcopatu Romano. Quod veriſſimum eſt. Scripſit ex ea ſucceſſione ortam fuiſſe aliquam turbationem in Vrbe Roma. Quod etiam veriſſimum eſt, quia Vrſinus, ſeu Vrſicinus volebat ſuccedere. Quid opus erat addere, ſucceſſiſſe illum in gubernatione totius Eccleſiæ? Aut ex ea ſucceſſione ortam fuiſſe turbationem in tota Eccleſia? priùs fuiſſet ſuperfluum; poſteriùs falſum. Cum enim conſtet, eum, qui ſuccedit in Epiſcopatu Romano, ſuccedere etiam in Primatu Eccleſiæ; ſuperfluum eſt expreſsè hoc addere. Similiter, cùm ex ſucceſſione Damaſi non fuerit turbatus totius Eccleſiæ ſtatus, ſed illa turbatio intra Vrbem Romam ſe continuerit: falsò ſcripſiſſet Socrates, ſi illam turbationem toto Orbi Chriſtiano tribuiſſet.

OBIECTIO XV.

Ex Ambroſio.

65 EX Ambroſio lib. 3. de Sacrament. cap. 1. adducis hæc verba: [Non ignoramus, quòd Eccleſia Romana hanc conſuetudinem (lauandi pedes poſt Baptiſmum) non habeat, cuius typum in omnibus ſequimur, & formam. Hanc tamen conſuetudinem non habeat, vt pedes lauet.]

Et paulò poſt: [In omnibus cupio ſequi Romanam Eccleſiam: ſed tamen, & nos homines ſenſus habemus. Ideò, quòd alibi rectiùs ſeruatur, & nos rectè cuſtodimus. Ipſum ſequimur Apoſtolum Petrum, ipſius inhætemus deuotioni. Ad hoc Eccleſia Romana quid reſpondet? vtique ipſe auctor eſt nobis huius aſſertionis Petrus Apoſtolus, qui Sacerdos fuit Eccleſiæ Romanæ.] Hæc verba, inquis, deſtruunt Papatum Romanum.

Reſpondeo. Vide, ne deſtruas tuum cerebrum: ſi ex quolibet velis quodlibet efficere. Certè ſi ad formam reuoces argumentum, quod hic latet, erit eiuſmodi: Romana Eccleſia non ſeruat ceremoniam lotionis pedum, quam ſeruant aliæ Eccleſiæ: Ergo Pontifex non habet Primatum Eccleſiæ. Conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Quomodò probas? non video, niſi priùs probes hæc duo:

Primò, qualibet ceremonia Eccleſiaſtica, quæ ſeruatur in vna Eccleſia, debet etiam in alijs ſeruari.

Secundò, ſi Epiſcopus Romanus non ſeruat Romæ aliquam ex ceremonijs Eccleſiaſticis, quæ alibi ſeruatur, non poteſt habere Primatum Eccleſiæ.

Si hæc duo probaueris, circumſpiciam de alia reſponſione.

OBIECTIO XVI.

Ex Auguſtino.

66 HAnc ſic proponis: Auguſtinus libro de vnico Baptiſmo contra Petilianum cap. 14. ſaciens comparationem inter Stephanum Romanum, & Cyprianum Carthaginenſem Epiſcopum, nec non inter ipſas Eccleſias Romanam, & Carthaginenſem; ne vllam quidem vmbram ponit Romani Papatus, ſed ſummam æqualitatem.

Sæpiſſimè verò (vt libro 2. contra Creſcentium Grammaticum cap. 37. & libro de vnitate Eccleſ. cap. 12.) vbi ſingulares Eccleſias commemorat, & ex quibus vniuerſalis Eccleſia conſtatur, Romanam facit vnam ex illis, & ſingulares omnes Eccleſias membra tantùm dicit eſſe vnius Eccleſiæ toto Orbe diffuſæ: nullam verò excipit è numero membrorum, vt eam faciat Caput. Hæc tu Antoni.

Deindè ſic concludis: Romana Eccleſia eſt membrum, non caput, teſte Auguſtino: ergo Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ eſt etiam membrum, non caput.

67 Reſpondeo. Multis modis hìc peccas. Primò, quia Auguſtinus propriè non inſtituit comparationem inter Stephanum, & Cyprianum; ſed ſolùm dicit, illos duos inter ſe diſſentire in controuerſia de Baptiſmo hæreticorum. Verba Auguſtini ſunt hæc: [Duo erant eminentiſſimarum Eccleſiarum, Romanę ſcilicet, & Carthaginenſis Epiſcopi, Stephanus, & Cyprianus, ambo in vnitate Catholica conſtituti. Quorum Stephanus Baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe cenſebat, & hoc facientibus grauiter ſuccenſebat. Cyprianus autem in hæreſi, vel ſchiſmate baptizatos, tamquam non habentes Baptiſmum Chriſti, baptizandos in Eccleſia Catholica exiſtimabat.] Quid hinc colligis? Nihil ad noſtrum propoſitum.

68 Secundò, falſum eſt, Auguſtinum inter Stephanum, & Cyprianum ponere ſummam æqualitatem. Nam expreſsè ait, Stephanum ſtatuiſſe pœnam excommunicationis in omnes, qui baptizatos ab hæreticis rebaptizarent. [Cum ergo Stephanus, inquit, non ſolùm non rebaptizaret hæreticos,

ſed etiam hoc facientes, vel vt fieret, decernentes, excommunicandos eſſe cenſeret, ſicut aliorum Epiſcoporum, & ipſius Cypriani literæ oſtendunt; tamen cum eo Cyprianus in vnitatis pace permanſit.] At hinc ſequitur, Stephanum habuiſſe poteſtatem excommunicandi alios Epiſcopos, quam Cyprianus non habuit.

69 Tertiò falſum eſt. Auguſtinum ſæpiſſimè, & præſertim duobus locis à te citatis affirmare omnes Eccleſiæ particulares eſſe membra vnius Eccleſiæ toto Orbe diffuſæ. Vno tantùm loco id affirmat, nempè lib. 3. de vnit. Eccleſ. c. 12. At altero loco nempè lib. 3. contra Creſconium c. 37. commemorat quidem multas Eccleſias particulares, ſed nullam facit mentionem membrorum aut Capitis. Igitur, & fraudulenter citas illum locum, ad decipiendum Lectorem, & temerè ponis illam particulam, ſæpiſſimè. Sed eſto; Sæpiſſimè id affirmat. An ideò valebit hæc conſequentia: Omnes Eccleſiæ particulares ſunt membra vnius Eccleſiæ toto Orbe diffuſæ: Ergo nulla illarum eſt Caput? Non magis quàm hæc: Ergo nulla illarum eſt pes, aut manus. Niſi putes, caput non eſſe membrum corporis. Tam eſt membrum, quàm pes, aut manus. Sed præcipuum inter membra.

70 Sed etiam hoc demus, Eccleſiam Romanam particularem non eſſe Caput. Inſuper, & hoc, Pontificem Romanum, quatenùs præcisè eſt Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ particularis, non eſſe Caput totius Eccleſiæ. Non ſequitur tamen, eundem Pontificem, quatenùs illi totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt, non eſſe Caput totius Eccleſiæ. Accipe ſimile exemplum: Matthias Imperator non eſt caput Imperij, quatenùs præcisè eſt Archidux Auſtriæ; ſed quatenùs gubernatio Imperij ab Electoribus illi tradita eſt. Et Marcus Antonius non fuit Caput Eccleſiæ Spalatenſis, quatenùs erat Doctor Theologiæ; ſed quatenùs erat Archiepiſcopus illius Eccleſiæ.

OBIECTIO XVII.

Ex Concilio Africano.

71 EAm ſic proponis: Epiſcopi Africani tempore Innocentij Papæ, in Concilio Africano cap. 72. ſtatuerunt hunc Canonem: [Quicumque non communicant in Africa, ſi in tranſmarinis ad communicandum obrepſerint, iacturam clericatus excipiant.] Vbi per tranſmarinos, ais, potiſſimùm intelligi Eccleſiam Romanam: Ex quo infers, Epiſcopos Africanos prohibuiſſe, nequiſquam, qui in Africa ſit excommunicatus, appellet ad Romanam Eccleſiam, vel Pontificem, vt ibi ad communionem recipiatur. Eos igitur non agnouiſſe Primatum Pontificis.

72 Reſpondeo. Malè interpretaris Canonem. Non enim prohibet legitimam appellationem ad Pontificem; neque etiam negat Primatum Pontificis; ſed tantùm decernit pœnam in eos, qui cùm in Africa ſint repulſi à communione, poſteà per fraudem, & ſubreptionem communicant in Eccleſijs tranſmarinis, quaſi excommunicati non eſſent. Vel certè, per occultam fallaciam obtinent abſolutionem ab excommunicatione, quaſi iniuſtè excommunicati eſſent. Quod conſtat ex epiſtola Africanorum Epiſcoporum ad Cœleſtinum Papam, vbi ſic habent: [Præfato debitæ ſalutationis officio, impendio deprecamur, vt deinceps ad veſtras aures hinc venientes, non faciliùs admittatis. Vbi notandum eſt, quòd cum debita obſeruantia deprecantur Pontificem, non quidem vt venientes ex Africa nullo modo admittat ad communionem; ſed vt non facilè admittat; niſi cauſa priùs cognita, & examinata. Aliundè autem conſtat, quòd agnouerint ipſius Primatum in Eccleſia vniuerſali.

73 Reliquæ obiectiones, quæ ſequuntur, ſunt triplices. Quædam non egent ſolutione. Aliæ ſolui poſſunt ex ijs; quæ dicta ſunt. Aliæ denique ſolutæ ſunt à Cardinale Bellarmino. Neque neceſſe eſt, ſolutiones ex Bellarmino huc tranſcribere. Lege ibi, ſi vis. Et ſi bonæ ſunt, acquieſce: Sin malæ, tuo iudicio, oſtende vitium, & ſuccurremus.

EIVS.

EIVSDEM AVCTORIS.

DE IVDICE CONTROVERSIARVM.

PRÆFATIO.

AGimus de Iudice controuerſiarum in negotio fidei, & Religionis. De quo alitet Aduerſarij ſentiunt aliter Catholici. Aduerſarij, ve plurimùm docent ſolã Scripturam eſſe normam, & Iudicem controuerſiarum fidei, ac Religionis; & ex ea ſola ſeclusis traditionibus, & auctoritate Eccleſiæ controuerſias omnes finiri, ac decidi poſſe. Hoc ptobant tripliciter.

Primò, quia Deus in Veteri Teſtamento remittit Iudæos ad ſolam Scripturam tamquam ad Iudicem Iſaiæ 8.20. [Ad legem, & teſtimonium.] Idem facit Chriſtus in nouo Ioann.5.39. [Scrutamini Scripturas,] & hoc Chriſti Conſilium ſecuti ſune Beroenſes, de quibus ſcriptum eſt, Act.17.11. [Quotidie ſcrutantes Scriptoras, ſi hæc irà ſe haberent.]

Secundò Deus in Veteri Teſtamento mandauit, vt nihil adderetur ad Scripturam. Deut.4.2. [Non adderis ad verbum quod vobis loquor: & cap.12.32. Quod præcipio tibi hoc tantùm facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas.] Similiter Chriſtus, & Apoſtoli in noua Lege damnant omnes traditiones, & ſola Scriptura volunt nos eſſe contentos, Matth.15.6.[Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram, & Galat.1.13.Perſequebar EccleſiamDei abundantiùs æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum, & Coloſſ.2. v.8. Videte ne quis vos ſeducat per Philoſophiam, & inanem ſallaciam ſecundùm traditionem hominum.

Tertiò, Paulus diſertè, fatetur ſolam Scripturam per ſe ſufficere 2. Timoth.3.16. [Omnis ſcriptura diuinitùs inſpirata vtilis eſt ad docendum ad arguendum ad corripiendum ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.] Hinc idem Apoſtolus execratur illos, qui aliquid putant Scripturæ addendum eſſe Gal.1.9. [Si quis Euangelizauerit vobis præter id, quod accepiſtis anathema ſit. Quod etiam facit Ioannes Apocal. 22. 18.Conteſtor omni audienti verba prophetiæ libri huius, ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro hoc.] Sic aduerſarij.

Catholici diſtinguunt inter Iudicem, & normam. Iudicem vocant, qui fert ſententiam inter partes litigantes. Normam ſecundùm quam fertur ſententia à Iudice. Poſita hac ſententia tria doceot.

Primò, Eccleſiam eſſe Iudicem controuerſiarum.

Secundò, Normam, quam ſeqoitur Eccleſia in ferenda ſententia, non eſſe ſolam ſcripturam, & traditionem ſimul.

Tertiò, Eccleſiam iuxtà hanc normam dupliciter ſententiam poſſe pronuntiare, vel per Pontificem, qui eſt Paſtor Eccleſiæ, vel per Concilia à Pontifice approbata, quæ repræſentant Eccleſiam. Et vtroque modo ſententiam eſſe infallibilem. Nam neque Pontificem in fide errare poſſe, cui in Petro dictum eſt [Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua.] Neque Concilia legitimè celebrata propter illam Chriſti promiſſionem [Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.

Ad hanc ſententiam confirmandam, & priorem refellendam vtar ſex argumentis, quibus perſpicuè demonſtrabo ſolam ſcripturam controuerſiarum Iudicem eſſe non poſſe.

Primum ſumetur ex officio Iudicis, quod ſcripturæ competere non poteſt.

Secundum ex parte ipſius ſcripturæ, in qua duo ſpectanda ſunt, litera, & ſenſus, litera occidit teſte Apoſtolo, ſenſus ſæpè obſcurus, ac intellectu difficilis eſt, vt alio Iudice, ac interprete opus ſit.

Tertium ex parte controuerſiarum, de quarum Iudice quæſtio eſt. Nam aliquæ controuerſiæ ſunt, quæ ex ſcriptura dirimi non poſſunt, cùm nulla de ijs in ſcriptura fiat mentio.

Quartum ex vſu, & praxi Veteris Teſtamenti, vbi non Scriptura, ſed Pontifex pro Iudice cognoſcebatur.

Quintum ex ſimili vſu, & praxi Noui Teſtamenti.

Sextum ex Analogia Iudicis Controuerſiarum non eſt lex ſcripta, ſed Princeps, aut conſiſtorium Principis.

Deindè examinabo teſtimonia ſcripturæ in primo Aduerſariorum argumento contrà nos allata. (Reliqua cap. 2. examinata ſunt.)

Digitized by Google

ſunt.) Ex quorum diſcuſſione conſtabit, primum nihil ad rem facere. Alterum nobis potiùs, quàm Aduerſarijs patrociuari. Tertium non intelligi ab ipſis, ſicut occ cætera.

Solam ſcripturam non eſſe Iudicem.

PRIMVM ARGVMENTVM.

Ex officio Iudicis.

PRimum argumentum quod ſumitur ab officio Iudicis ſic proponitur. Qui eſt Iudex inter duos litigantes debet ità prouunciare ſenteutiam, vt vterque litigantium intelligat, quænam ſit ſententia Iudicis, & alter corũ fateatur illam pro ſe, alter contra ſe latam eſſe. Alioquin numquam ceſſabuot à lite, ſed vterque ſuam cauſam proſequetur. At ſcriptuta uon poteſt hoc præſtare, ergo ſcriptura oou poteſt eſſe Iudex controuerſiarum. Maior per ſe clara eſt. Minorem probo, quia Lutherani, & Caluiniſtæ multis iam annis litigant de his punctis.

Primò: De Baptiſmo patuulorum.

Secundò: De reali præſentia Chriſti in Euchariſtia.

Tertiò: De Prædeſtinatione.

Quartò: de Perſona Chriſti.

Quintò: De exorciſmo.

Sextò de Numero, & Cauone librorum ſcripturæ. & tamen ſcriptura, quam volunt eſſe iudicem non poteſt dirimere, aut finire has ipſas controuerſias. Nec hactenùs auditum eſt, ità pronuntiaſſe ſententiam, vt vel Lutherani, vel Caluiniſtæ faſſi ſint contrà ſe pronuntiatum eſſe, hoc conſtat ex euentu. Nam vtrique pergunt in ſtudio, & ardore litigandi, quod ſine dubio non facerent, ſi putarent ſententiam ſemel clarè latam eſſe; Tunc enim vel vltrò ceſſarent à ſuſcepta contentione, & ſenteutię acquieſcerent. Vel certè ſi exiſtimarent iniuſtè ſecum actum eſſe, ad alium Iudicem prouocarent. Neutrum fit.

Vt magis appareat vis huius argumenti duo conſideranda ſunt. Vnùm quod tam Lutherani, quàm Caluiniſtę palàm fateantur ſe non alium Iudicem, quam ſolam ſcripturam aguoſcere. Et hanc ipſam ſcripturam eſſe claram, perſpicuam, & ad omnes controuerſias ſopiendas per ſe ſufficientem, nec vllam falſitatem ſubeſſe illi poſſe. Alterum quod nihilominùs vtrique nihil aliud faciant litigando apud hunc Iudicem, quàm vt quotidie creſcant eorum lites, & ipſi erga ſe mutuò infeſtiores euadant. Ex quibus alterutrum ſequi neceſſe eſt. Vel ſcripturam hactenùs non pronuntiaſſe claram, perſpicuam, & ſufficientem ſeutentiam, vel certè ſi pronuntiauit Lutheranos, & Caluiniſtas pertinaces eſſe, qui claræ, perſpicuæ, & ſufficienti ſententię non voluue acquieſcere. Alterutrum ipſi eligant.

SECVNDVM ARGVMENTVM.

Ex parta Scripturæ.

IN Scriptura duo ſpectanda ſunt litera, & ſenſus, ſicut in homine corpus, & anima. De illis, vt aliqui interpretantur locutus eſt Apoſtolus 2. Corint 3.6. cum ait [Litera occidit: ſpiritus autem viuificat] quaſi dicat. Si ſequaris verum Scripturæ ſenſum, qui eſt ſpiritus, & anima viuificans proderit tibi ad ſalutem. Si autem neglecto, vero, & legitimo ſenſu hæreas tantùm in externa litera, & contendas illum eſſe ſenſum, quem externa litera præſefert ſæpè errabis. Quam interpretationem ſequitur Auguſtinus ſerm. 70. de tempore [frequenter, inquit, admonui charitatem veſtram, fratres dileſtiſſimi, quæ diebus iſtis in Eccleſia recitantur, non hoc tantùm attendere debeamus, quod ex litera ſonare cognoſcimus, ſed remoto velamine literæ viuificantem ſpiritum fideliter requiramus.] Sic enim dicit Apoſtolus, litera occidit, ſpiritus autem viuificat. [Denique infelices Iudæi, & plus infelices Hæretici, qui dum ſolum literę aſpiciunt ſonum, quaſi corpus ſine anima, ità ſine viuificante Spiritu mortui remanſerunt.] Similia habet lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 5.

Hoc poſito duo probanda ſunt. Vnum eſt, quod Scriptura ſi literam ſpectes non poſſit eſſe Iudex controuerſiarum. Alterum quod neque ſi ſenſum ſpectes poſſit eſſe Iudex. Priorem partem ſic probo. Ille noo poteſt eſſe infallibilis Iudex controuerſiarum, qui ducit homines in errorem, & hæreſim, at ſcriptura ſi nudam illius literam ſpectemus facilè ducit homines in errorē, & hęreſim (ſuppoſita eorum imbecillitate) ergo non poteſt eſſe infallibilis Iudex controuerſiarum. Maior per ſe nota eſt, quia propterea, quærimus infallibilem Iudicem, ne erremus. Ergo qui ducit nos in errorē non eſt infallibilis Iudex. Minor patet ex Apoſtolo, quia Scriptura ſecundùm literam occidit, ideſt in lapſum, & errorem ducit.

Sic olim occidit Iudæos, qui omnia, quę in Moſe, & Prophetis prædictæ erant de Chriſto intelligebant ſecundùm externam literam, & ſenſum ioteriùs latentem non percipiebant. Et hoc eſt quod ait Apoſtolus, 2. Cor. 3.15. [Vſque in hodiernum diem, cùm legitur Moyſes velamen poſitum eſt ſuper cor eorum, ideſt adhuc Iudæi non intelligunt Moſen, quem quotidie legunt, quia non penetrant internum ipſius ſenſum, ſed externa litera contenti ſunt. Vel clariùs non agnoſcunt Chriſtum, qui in Moſe ſub externis cęremonijs, ac ſacrificijs tamquam ſub velamine occultatus eſt. Ad hoc hærent in ipſo velamine, & non conſiderant quid ſub illo lateat reconditum.

Quod etiam objicit illis Chriſtus Io. 5. 39. [Scrutamioi ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere. Ee illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, vt vitam habeatis.] Quaſi dicat ſi vultis certò cognoſcere, me eſſe Meſſiam à Deo promiſſum, de quo Moyſes, & Prophetæ ſcripſerunt non tantùm debetis legere

gere

Google

gere ſcriptuas, quoad exteruam literam,ſed multò magis ſcrutari internum ſenſum, & ſpiritum, qui ſub externa litera, quaſi ſub vmbra, aut figura deliteſcit. Hoc hactenus non feciſtis. Tametſi enim perſuaſum vobis ſit in ſcripturis ſitam eſſe vitam æternam tamen neſcitis in qua parte ſita ſit. Non eſt ſita in externa litera, in externis ceremonijs, & figuris, vt vos putatis. ſed in ſpiritu, in ſenſu, in myſterio. Ibi me quærite,& inuenietis.

Nec ſolos Iudæos, ſed etiam hæreticos litera occidit. Nam multi in ſuis erroribus propterea perrierunt, quod relicto ſcripturæ ſeuſu, quem ſequitur Sancta, & Catholica Eccleſia, alium ſenſum ſecundùm externam literam ſunt amplexi. Quod aliquot exemplis obiter demouſtrabo.

Sabelliani dicebant non eſſe tres perſonas Diuinas, ſed vnam tantùm, quæ tamen haberet tria nomina propter diuerſa officia, ſeu operationes. Eandem enim perſonam vocari Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, ſed diuerſo reſpectu, Patrem, quatenùs eſt Auctor omnium creaturarum. Filium quatenùs aſſumpſit humanam naturam ex Virgine, Spiritum Sanctum quatenùs ſanctificat nos, per ſuam gratiam. Ex eorum ſententia ſequebatur Patrem eſſe mortuum, & paſſum. Nam ſi vna tantùm perſona eſt, quæ dicitur. Pater, Filius & Spiritus Sanctus, ſanè ſi illa perſona, mortua, & paſſa eſt neceſſe eſt Patrem mortuum, & paſſum eſſe. Hinc (teſte Auguſtino in libro de hæreſibus capite quadrageſimo primo) Patripaſſiani appellari ſunt. Vnde hic tantus error? Ex litera occidente. Nam ſecundùm externam literam intelligebant illud Ioan.10.30. [Ego, & Pater vnum ſumus.] Ex quo inferebant Patrem, & Filium,(& conſequenter Spiritum Sanctum) eſſe vnum quoad perſonam, cum tamen ſecundùm ſenſum Eccleſiæ ſint vnum quoad eſſentiam, & duo quoad perſonam.

Ariani dicebant Chriſtum non eſſe Deum, ſed inferiorem Deo. Vnde hoc? quia relicto ſenſu Eccleſiæ ſecundùm literam explicabant verba Chriſti Ioan.14.28 [Pater maior me eſt,] ideſt abſolutè maior. At Eccleſiæ ſenſus eſt Chriſtum ſecundùm humanitatem eſſe minorem Deo Patre, ſecundùm Diuinitatem æqualem. Et Priori modo intelligendum eſſe illud, [Pater maior me eſt.] Poſteriori illud [Ego, & Pater vnum ſumus.] Et ſic omnia optimè cohærere. Vide Athanaſium orat. 2.contrà Arianos Hilarium lib. 5. & 11. de Trinitate, Auguſtinum lib.3.contrà Maximum c.24.& 25. & lib.de.Trinitate,c.7.

Macedoniani negabant Spiritum Sanctum eſſe Deum. Ex quo principio? Ex litera occidente. Nam ſecundùm literam accipiebant illud Apoſtoli 1. Cor.2. 10. [Spiritus omnia ſcrutatur,etiam profunda Dei.] Vnde ſic concludebant. Qui ſcrutatur quærit, qui quærit dubitat, qui dubitat ignorat, qui ignorat Deus, non eſt, ergo Spiritus Sanctus non eſt Deus. At Eccleſia locum illum ſic interpretatur [Spiritus omnia ſcrutatur,] ideſt omnia penetrat, & comprehendit. Quo ſenſu dicitur etiam Deus Pater omnia ſcrutari. 1. Paral. 28.9. [Omnium corda ſcrutatus Deus Pſal.7.10.Scrutans corda,& renes Deus. Et Ierem.17.10.Ego Dominus] ſcrutans corda. Vide Theodoretum, Theophylactum in commentario illius loci.

Manichæi aſſerebant Vetus Teſtamentum nouo contrarium eſſe. Quare? quia totam rem æſtimabant ſecundùm externam literam, quam ſi ſpectes alteri,alterum videtur repugnare. Nam Vetus dicit Deum creaſſe omnia Geneſ.1.5.Nouum dicit verbum creaſſe omnia. (Ioann.1:5.) Rurſum Vetus dicit hominem factum eſſe ad imaginem Dei. (Gen.1. 27.) Nouum dicit hominem eſſe ex diabolo.(Ioann.8.44.)Item Vetus dicit Deum ſeptimo die quieuiſſe ab omni opere (Geneſ. 2.2.)Nouum dicit Deum vſque modo operari (Ioan.5.17.) Contrà hos agit D. Auguſtinus in libro contrà Adimantum Manichæi Diſcipulum, & ex ſenſu Catholicæ Eccleſiæ conciliat inter ſe loca, quæ ſecundùm literam videntur ſibi aduerſari. Non enim repugnat Deum feciſſe omnia: & tamen feciſſe per verbum, veluti per ſuam artem, ſeu Idæam. Nec repugnat hominem factum eſſe ad imaginem Dei, quoad naturam, & tamen eſſe ex diabolo, quoad malitiam. Denique non repugnat Deum quieuiſſe die ſeptimo ab opere creationis mundi, & tamen ſemper operari in gubernando, & conſeruando mundo.

Pelagiani negabant peccatum originale aſſerentes peccatum Adami nocuiſſe ipſi ſoli non autem poſteris, Ex quo fundamento? ex litera occidente, quia ſcriptum eſt Ezech. 18.20. [Filius non portabit iniquitatem Patris.] At ſenſus illius loci ſecundùm mentem Eccleſiæ Catholicæ eſt hic Filius, qui non eſt particeps peccati Patris non portabit iniquitatem, ſi autem particeps eſt,portabit. Vide Auguſt.in lib.poſt collationem cap.7. Nunc autem conſtat poſteros fuiſſe participes peccat primi parentis iuxtà illud Rom.5.12.[In quo omnes peccauerunt,] ſed quomodo peccarunt omnes in Adamo? Hoc alibi, & communi iudice, ſeu principio totius poſteritaris, vt ſi ipſe ſeruaret præceptum de non guſtando fuit prohibito tam ipſe, quam poſteri eſſent rei, ac veluti transgreſſores ex paradiſo eijcerentur. Quod & factum eſt.

Fuerunt etiam antiquiores hæretici, qui negabant carnis reſurrectionem, quia ſcriptum eſt Io.6.63.[Spiritus eſt qui viuificat caro non prodeſt quidquam.] Ex quo loco ſecundùm literam intellecto ſic argumentabantur. Quorſum caro ſi nihil prodeſt, eſſet reſurrectura. Refert Tertullianus de reſurrect. carnis cap.37. Ex eodem loco Caluiniſtæ faciunt hanc ſimilem conſequentiam. Quorſum daret nobis ſuam carnem in Sacramento Euchariſtiæ, ſi nihil prodeſt vtique decepti ſunt ex litera occidente. Alioqui liceret etiam concludere hoc modo. Si caro non prodeſt, quicquam cur Chriſtus eam aſſumpſit? Cur verbum caro factum eſt? Cur pro nobis cruci eam affixit? Certè non fecit hæc fruſtra. Vide Maldonatum in cap.6. Ioannis.

Atque hæc ſufficiant de priore parte argumenti, in qua tum Auctoritate Apoſtoli tum varijs exemplis demonſtratum eſt Scripturam,ſi literam externam ſpectemus non poſſe eſſe infallibilem Iudicem controuerſiarum,

rum, quia litera occidit, & varios ercores, ac hæreſes parit.

Alterapars eſt, nec Scripturam, ſi ſenſum ſprœtemus poſſe eſſe iudicem. Quam ſic probo. Scriptura quoad verum, & legitimum ſenſum ſępè eſt obſcura, & difficilis Intellectu. Ac proinde ſæpè oritur controuerſia de vero, & legitimo ipſius ſenſu. Omnis autem controuerſia requirit aliquem Iudicem. Debet ergo eſſe aliquis Iudex, qui definiat hunc eſſe legitimum ſenſum, illum non eſſe. Ac hic Iudex non poteſt eſſe ipſa Scriptura, de cuius mente, & ſententia controuerſia mouetur, ergo aliquis alius diſtinctus à Scriptura.

In hoc diſcurſu ſunt tria principia. Primum eſt Scripturam, quoad ſenſum ſæpè eſſe obſcuram, & difficilem Intellectu hoc fusè probatum, eſt c.3. quæſt. 7. Alterum ex hac obſcuritate neceſſariò naſci multas controuerſias. Hoc non indiget alia probatione quàm quotidiana experientia. Conſtat enim omnibus ſæculis à tempore Apoſtolorum ad nos vſque ſemper ortas fuiſſe aliquas controuerſias de legitimo ſcripturæ ſenſu. Et vt taceam de ijs, quæ tempore Arij, Macedonij, Donati, & aliorum veterum hæreticorum excitatæ ſunt, certè noſtro hoc tempore propè infinitæ occurrunt, de quibus in progreſſu videbimus. Tertium eſt Iudicem harum controuerſiarum non poſſe eſſe ſcripturam. Quod probo duplici argumento.

Primum ſumitur ex dictis in hunc modum. Iudex debet clarè pronuntiare ſententiam, vt ab vtraque parte litigante intelligi poſſit, alioquin fruſtrà, illam pronuntiaret. At ſcriptura, quando ſenſus ipſius obſcurus eſt non poteſt clarè pronuntiare ſententiam, vt ab vtraque parte litigante intelligi poſſit. Si enim in tali caſu clarè pronuntiaret ſententiam iam ſenſus ipſius non eſſet obſcurus, ſed clarus, quod eſt contrà ſuppoſitionem, ergo in tali caſu non poteſt eſſe Iudex.

Dices tametſi ſenſus ſcripturæ in vno loco aliquãdo obſcurus eſt, in alio eſt clarus. Reſpõdeo. Hoc quidem obtendunt Aduerſarij, ſed fruſtrà. Nam primò ſi ità eſt, cur ipſi per hanc viam non finiunt controuerſias, quas inter ſe habent? Cur inquam altercantur de aliquo ſcripturæ loco, qui obſcurus eſt non recurrunt ad alium, qui clarus eſt? Aut ſi id faciunt cur nullus altercandi apud illos eſt finis? Hìc hęrent.

Deindè aliud eſt verba Scripturæ eſſe clara, aliud ſenſum Scripturæ eſſe clarum. Nam claritas verborum pendet ex cognitione Grammaticæ, claritas autem ſenſus ex intentione, & conſilio Spiritus Sancti, ergo in tali caſu verba Scripturæ poterunt eſſe clara, non tamen ſenſus verborum, qui à Spiritu Sancto intenditur erit clarus.

Hoc oſtendam in exemplo. Verba Chriſti in Euangelio ſunt hæc; [hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus,] Quæ verba ſi natiuam illorũ ſignificationem aſpicias ſunt clara, & perſpicua, & ab omnibus non modò Chriſtianis, ſed etiam Iudæis, Turcis, & Ethnicis intelligi poſſunt. At de ſenſu illorum, qui à ſpiritu Sancto intentus eſt, infinitę propemodum apud Chriſtianos controuerſiæ ſunt.

Simile eſt de illis verbis apud Ioannem. [Maria Magdalena venit ad monumentum, cùm adhùc tenebræ eſſent.] Itemque de illis apud Marcum: [Venit ad monumentum orto iàm Sole.] Quid clariùs, & rotundiùs dici potuit, & tamen quia priora videntur pugnare cum poſterioribus meritò dubitari ſolet, quis germanus illorum ſit ſenſus, & quomodo conciliari inter ſe poſſint, ac debeant.

Addò non rarò etiam fieri, vt idem locus Scripturæ, quem vna pars litigantium putat clarum, & perſpicuum eſſe ab altera cenſetur obſcurus, ac intricatus. Quid in tali caſu facto opus eſt. Aut quis Iudex adhibendus? Scriptura, certè pro Iudice adhiberi non poteſt. Nam de illius ſenſu, ac ſententia controuerſia eſt, cùm alij claram, alij obſcuram eſſe contendant. Et ab alijs in hanc, ab alijs in aliam partem diſtrahatur. Quid ergo conſilij? ſinè dubio alius Iudex quærendus eſt, verbi gratia:

Lis inter nos, & Caluiniſtas eſt de vero, ac locali deſcenſu Chriſti ad inferos, quem illi negant, nos aſtruimus. Et vtimur duplici teſtimonio. Altero ex Symbolo fidei: [Deſcendit ad inferos.] Altero ex c.2. Act. v.27. [Non derelinques animam meam in inferno.] Vtrumque dicimus clarum, & perſpicuum eſſe. Caluiniſtæ de vtroque negant, & obſcuriſſima ſua interpretatione vtrumque faciunt obſcuriſſimum. Ac priùs quidem interpretantur hoc ſenſu. Deſcendit ad inferos, ideſt pertulit in cruce diros cruciatus damnati, ac perditi hominis, vt coactus fuerit vrgente anguſtia exclamare: [Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me.] (Ità Caluinus lib. 1. Inſtit. cap. 16. ſſ. 10. & 11. & Cathechiſmus Heidelbergenſis q. 44.) vide infrà l. 3. capit. 2. Poſteriùs autem hoc ſenſu: [Non derelinques animam meam in inferno,] ideſt; Non derelinques Cadauer meum in ſepulchro, (ità Beza in commentario illius loci.)

Quid hic agendum? Aut quem Iudicem compellabimus? Si Scripturam conſulimus, nihil aliud ipſa dicet, quàm quod anteà dixit: Nullum iota, nullum apicem additura eſt. De eo autem, quod anteà dixit, controuerſia eſt: Ergò per id, quod anteà dixit, controuerſia finiri non poteſt. Si ergò poſt ortam controuerſiam, Scriptura nihil noui dicit, ſed manet in antiquis terminis: certè per illam finiri lis non poteſt; ſed neceſſe eſt, vel alium Iudicem adire, vel alteram partem litigantem ſpontè cedere, vel denique vtramque in lite perſeuerare.

Poſterius argumentum. Multa ſunt teſtimonia Scripturæ, quorum verus, ac legitimus ſenſus haberi non poteſt, niſi ex traditione, & auctoritate Eccleſiæ, vt probatum eſt cap. 2. Ergò ſi oriatur controuerſia circa eiuſmodi teſtimonia, ſola Scriptura non poteſt eſſe Iudex, ſed neceſſe eſt confugere ad traditionem, & auctoritatem Eccleſiæ. Verbi gratia. Chriſtus dicit: Matt. 28. 19. [Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.] Senſus verus, & legitimus eſt: quod in baptiſmo pronunciari debeant hæc verba: [Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus

Digitized by Google

tus Sancti:] Et quòd baptiſmus ſine tali verborum pronunciatione, non ſit validus. In hoc conſentiunt nobiſcum aduerſarij. At ſi aliquis negaret hunc eſſe ſenſum, & contenderet non opus eſſe pronunciare hæc verba: [In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; ſed omninò ſufficere, ſi quis inter baptizandum habeat internam voluntatem, & intentionem baptizandi in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis: quomodo illum confutaremus? An ex ſolis Scripturæ verbis? Nihil minùs. Nam illa verba: [Baptizantes eos in nomine Patris, &c.] non dicunt vocalem Trinitatis inuocationem adhiberi oportere. Vndè ergò conſtat oportere? Ex praxi, & Traditione Eccleſiæ. Si hanc reſpuis, non habebis vllum præſidium contrà aduerſarium, qui negaret vocalem prolationem neceſſariam eſſe.

Aliud exemplum. Chriſtus dicit, Ioan. 3. 5. [Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.] Hic locus, ſecundùm verum, ac legitimum ſenſum, intelligitur de neceſſitate baptiſmi aquæ, vt nobiſcum fatentur Lutherani. At Caluiniſtæ hoc negant. Quomodo ergò refelli poterunt à Lutheranis? Non certè ex verbis citatis. Nam tametſi nominetur ibi aqua, non tamen additur expreſsè, quòd debeat intelligi vera aqua. Nam & alibi nominatur ignis, vt Lucæ 3. 16. [Ipſe vos baptizabit in ſpiritu, & igne:] & tamen non intelligitur verus ignis. Vndè ergò conſtabit, in priori loco, veram aquam intelligi oportere? Aut vndè Lutherani contrà Caluiniſtas id probabunt? Non aliundè, quàm ex praxi, & Traditione Eccleſiæ.

Aliud, Chriſtus in vltima Cœna non ſolùm inſtituit Euchariſtiam, ſed etiam lotionem pedum adhibuit. Et quidem in inſtitutione Euchariſtiæ dixit: [Comedite, Bibite; In lotione autem pedum: [Et vos deberis alter alteriùs lauare pedes.] Hic aduerſarij dicunt, priora verba continere præceptum; poſteriora non item: Ac proindè fideles diuino precepto obligari ad ſumendam Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie, non tamen ad lotionem pedum. Nunc quæro, vndè hoc ipſis conſtet? aut quo prætextu exiſtiment ſe teneri quidem ad ſumptionem vtriuſque ſpeciei, ſed tamen liberos eſſe à lotione pedum? Non poſſunt prætexere Scripturæ verba. Nam illa contrarium potiùs præſeferunt. Hæc enim, [Comedite, & bibite,] non plùs videntur ſignificare, quàm ſi Paterfamilias dicat ſuis hoſpitibus; [Comedite, bibite, læti eſtote.] At ſi Paterfamilias ità loqueretur, non cenſeretur illos velle ſub præcepto obligare. Cùm ergò Chriſtus eodem modo locutus ſit, vndè conſtabit, eum voluiſſe nouo præcepto obligare omnes fideles ad vtramque ſpeciem? Hæc autem verba: [Vos debetis alter alteriùs lauare pedes,] videntur ſignificare præceptum, non minùs, quàm ſi Dominus dicat ſeruo; Tu debes menſam parare. Vndè igitur ſciunt ſe his verbis non obligari ad lauandos pedes, cùm tamen hæc verba obligationem præſeferant? Ex ſola praxi, & Traditione Eccleſiæ. Nam Eccleſia numquam vſurpauit hanc lotionem, tamquam neceſſariam; quod tamen feciſſet, ſi diuino præcepto putaſſet ſe ad illam obligari.

Omitto ſimilia exempla, quæ paſſim occurrunt. Et ex dictis concludo in hunc modum: Scriptura poteſt dupliciter ſpectari. 1. Quò ad externam literam. 2. Quò ad internum ſenſum, qui à Spiritu Sancto intentus eſt. Neutro modo poteſt eſſe Iudex controuerſiarum. Non priori, quia externa litera ſæpè ducit nos in errorem. Nec poſteriori, quia ſenſus Scripturæ ſæpè obſcurus, & ambiguus eſt, ità vt opus ſit alio Iudice, qui definiat hunc eſſe legitimum, & à Spiritu Sancto intentum; illum non eſſe. Atque hæc ſufficiant de ſecundo Argumento, quod ex parte Scripturæ deſumptum eſt.

TERTIVM ARGVMENTVM,

Ex parte Controuerſiarum.

HOc argumentum ſic propono: Multæ ſunt controuerſiæ circà fidem, & religionem, quarum vel nulla ſit mentio in Scriptura, vel certè non ſufficiens ad hoc, vt Scriptura de illis ſententiam ferre poſſit: Ergò in ijs dirimendis alius Iudex quærendus eſt. Eiuſmodi autem controuerſiæ ſunt hæ.

Prima: An Libri Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum ſint Canonici, & Diuini, nec ne? Negant Lutherani, & Caluiniſtæ. Nos affirmamus. At quis erit Iudex, qui litem hanc dirimat? Scriptura eſſe non poteſt. Nec Lutherani, & Caluiniſtæ, quod benè notandum eſt, ad Scripturam prouocant, ſed ad Canonem, & Traditionem Iudæorum. Aiunt libros iſtos in Canone Hebræorum, qui extat apud Hieronymum, non reperiri; ideòque pro Canonicis, ac Diuinis haberi non poſſe. Fatentur igitur, alium in hac cauſa Iudicem, quàm ſcripturam, eſse oportere. Et quem illum? Traditionem Iudæorum. Mira res. Pluris Iudæos, quàm Chriſtianos faciunt: Et cùm ipſi Chriſtiani eſse velint, Chriſti, & Apoſtolorum Traditionibus infeſtiſſimi ſunt, & Iudæorum Traditionem in pretio habent. Quare non dicunt cum Auguſtino lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 36. [Machabæorum libros, non Iudæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet.

Secunda: Quot ſint Sacramenta nouæ legis? Aduerſarij dicunt eſse duo; Baptiſmum, & Euchariſtiam: Catholici, ſeptem. Quid autem Scriptura? Nihil de hoc numero definit: ac proindè Iudex in hac controuerſia eſse non poteſt. Vndè ergò Catholici habent ſeptenarium, ſi ex Scriptura non habent? Ex Traditione, & conſenſu Eccleſiæ. Vndè aduerſarij binarium? hoc ipſi viderint. Certè ex Scriptura non habent. Aut ſi putant ſe habere, ſpeciatim præſtent hæc tria. Primò, oſtendant ex Scriptura, nomen Sacramenti tribui Baptiſmo, & Euchariſtiæ; non item Confirmationi, Ordini, Pœnitentiæ, Matrimonio, Extremæ vnctioni. Secundò, ex eadem Scriptura definiant Sacramẽtum. Tertiò, demonſtrent definitionem conuenire Baptiſmo, & Euchariſtiæ, non autem reliquis. Hæc ſi præſtiterint, ſalua res eſt. At numquam præſtabunt.

Ac primò, vbi inuenient locum Scriptu-

ræ, in quo nomen Sacramenti tribuitur Baptiſmo, & Euchariſtiæ? Nuſquam. At ego inueniam, vbi tribuitur Matrimonio. Sic enim ſcribit Apoſtolus; Epheſ. 5. 31. [Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.] Quaſi dicat: Quòd homo relinquat parentes ſuos, & adhæreat vxori, hoc eſt magnum Sacramentum; quia eſt ſignum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, id eſt, repræſentat coniugium Chriſti, & Eccleſiæ?

Secundò, vbi inuenient definitionem Sacramenti in Scriptura? Lutherus quidem in Libro de Captiuitate Babylonica, cap. vltimo, ſic definit: [Sacramentum eſt promiſſio ſigno externo annexa.] Melanchthon in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ, art. 13. ſic: [Sacramentum eſt ritus, qui habet mandatum Dei, & cui addita eſt promiſſio gratiæ,] id eſt, gratuitæ reconciliationis, ſeu remiſſionis peccatorum, vt ipſe explicat in locis communibus, Tit. de oumero Sacramentorum. Caluinus lib. 4. inſtit. cap. 14. §. 1. ſic: [Sacramentum eſt Symbolum externum, quo beneuolentiæ erga nos ſuæ promiſſionem conſcientijs noſtris Dominus obſignat, ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatem. At hæ definitiones non habentur in Scriptura. Immò, nec inter ſe conueniunt, vt clarè oſtendam cap. 11.

Tertiò, quidquid ſit de definitionibus iàm allatis, quas aduerſarij commenti ſunt; quomodò ex Scriptura poterunt demonſtrare, eas conuenire Baptiſmo, & Euchariſtiæ? Noo video. Experiamur tamen. Vna definitio eſt hæc: [Sacramentum eſt ritus, qui habet mandatum Dei, & cui addita eſt promiſſio remiſſionis peccatorum.] Probent aduerſarij ex Scriptura, hanc definitionem conuenire Euchariſtiæ. Probent, inquam, ex Scriptura, Euchariſtiam habere annexam promiſſionem remiſſionis peccatorum. Vel, quod idem eſt, Deum in Scriptura promittere nobis remiſſionem peccatorum, ſi ad hoc Sacramentum accedamus. Numquam poterunt. Non enim hoc Sacramentum à Deo inſtitutum eſt, vt homini remittat peccata, vel vt ex impio, & peccatore faciat iuſtum, & ſanctum; ſed vt iuſtitiam, & ſanctitatem, quæ in illo eſt, foueat, conſeruet, & augeat. Immò, tantùm abeſt, vt remittat peccata, vt etiam obſit peccatori, ſi cum conſcientia peccati accedat. Hinc Apoſtolus 1. Cor. 11. 28. [Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit.] Et Chriſtus in vltima cœna non voluit Apoſtolis porrigere Euchariſtiam, niſi præmiſſa pedum lotione. Nimirùm, vt ſignificaret, neminem, niſi lotum, purum, & immaculatum à culpa mortali ad menſam Chriſti admittendum eſſe. Et ratio ſumitur ex ipſa natura huius Sacramenti. Quid enim aliud eſt Euchariſtia, quàm cibus, & potus ſpiritualis, quo anima reficitur, & vegetatur? (Ioan. 6. 56. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, &c.) Sicut ergò cibus, & potus corporalis non prodeſt corpori mortuo, ſed vitam habenti: ſic etiam ſeruata proportione de Euchariſtia dicendum eſt. Vide infrà cap. 11. §. 16.

Tertia controuerſia. An Exorciſmus, & aliæ ceremoniæ, in Eccleſia Catholica vſitatæ, poſſint adhiberi in baptiſmo? Lutherani eas admittunt; Caluiniſtæ reijciunt. Neutri tamen ex Scriptura ſuam ſententiam poſſunt confirmare. Non quidem Lutherani, quia Scriptura nuſquam dicit, eiuſmodi ceremonias vſurpandas; ſed ex ſola Traditione Eccleſiæ id habemus. De qua ſcribit Auguſtinus l. 2. de Nuptijs, & concupiſcent, cap. 29. [Antiquiſſima, inquit, Eccleſiæ Traditione, exorcizantur & exſufflantur paruuli, vt in regnum Chriſti à poteſtate tenebrarum transferantur.] Nec Caluiniſtæ; niſi fortè hoc modo: Nullæ Ceremoniæ vſurpandæ ſunt in Eccleſia, niſi de quibus exſtat expreſſum mandatum in Scriptura: At nullum exſtat mandatum de ceremonijs, quas Catholici vſurpant in Baptiſmo: Ergò tales ceremoniæ non ſunt vſurpandæ. Sed maior propoſitio, & falſa, & ipſis Caluiniſtis contraria eſt. Nam Caluiniſtæ vſurpant multas ceremonias in Baptiſmo, de quibus nullum extat mandatum in Scriptura. Cuiuſmodi ſunt hæ.

Primò. Vt infans in Eccleſia coram vniuerſo populo baptizetur; idque vel die Dominico, vel aliquo alio, quo populus ad concionem venire ſolitus eſt.

Secundò. Vt illi, qui adferunt infantem ad Baptiſmum, interrogentur, an ſpondeant, ſe infantem, cùm adoleuerit, in fide & moribus inſtructuros.

Tertiò. Vt nomen imponatur infanti baptizando.

Quartò. Vt formula Baptiſmi pronuncietur lingua patria.

Quinto. Vt recitetur Symbolum, Oratio Dominica, & aliæ preces. Has ceremonias præſcribit Caluinus in libello. De formula Sacramentorum miniſtrandorum. At vbi, obſecro, de his extat mandatum in Scriptura? Nuſquam. Vel igitur condemnet has ceremonias; neceſſe eſt; vel fateatur non omnes damnandas eſſe, quæ in Scriptura mandatum non habent.

Quarta Controuerſia. An infantes accipiant actualem fidem in baptiſmo, an verò in Exorciſmo? Hæc controuerſia verſatur inter Lutheranos. Et quidem Lutherus diſertè docet, eos credere vi Exorciſmi. At Philippus, Kemnitius, & alij, vi Baptiſmi. Quis erit Iudex in hac lite? Si Scriptura eſt, quare non finit litem? De hac re ex profeſſo agendum eſt. Lib. 2. cap. 2.

Quinta Controuerſia. An baptizati ab hæreticis, ſint rebaptizandi? Affirmauit olim Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis, cum quibuſdam alijs. Negabat Auguſtinus cum reliquis. Sed nec hi, nec illi poterant ex ſola Scriptura hanc litem decidere. Nam Auguſtinus, qui veriorem partem amplectebatur, non aliundè, quàm ex Apoſtolica Traditione, & praxi Eccleſiæ ſe tuebatur. Sic enim ſcribit lib. 2. de Baptiſmo, contra Donatiſtas; cap. 7. [Quam conſuetudinem (ſcilicet, non repetendi baptiſmum) credo ex Apoſtolica Traditione venientem.]

Et lib. 5. cap. 23. [Conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab Apoſtolorum tradi-

di-

Digitized by Google

ditioue exotdium ſumpſiſſe credenda eſt.] Huic conſuetudini ceſſit Cyprianus, quia videbat ſe omni præſidio ſcripturæ deſtitutum eſſe.

Sunt & aliæ ſimiles controuerſiæ, quę ex ſola ſcriptura dtcidi non poſſunt, ſed alio Iudice opus habent. Eas obiter inſinuabo. Sunt autem hæ.

Primò. An Baptiſmus vna merſione; an trina conferri debear?

Secundò. An Chriſtiani loco ſabbathi debeant colere diem Dominicum?

Tertiò. An B. Maria manſerir Virgo poſt partum?

Quattò. An Petrus Apoſtolus fuerit Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus?

Quintò. An ſymbolum fidei ſit verè Canonicum & Apoſtolicum?

Sextò. An in vereri Teſtamento fuerit aliquod externum remedium pro fæminis, contra peccatum originale? &c.

QVARTVM ARGVMENTVM.

Ex vſu, & praxi veteris Teſtamenti, vbi non Scriptura, ſed Pontifex pro Iudice agnoſcebatur.

CErtum eſt, in veteri teſtamento, omnes controuerſias legales, quæ erant maioris momenti, à ſummo Sacerdote, ſen Pontifice, tamquam à ſupremo in terris Iudice, non autem à Scriptura, dirimi ac definiri debuiſſe. Hnc teſtatur Ioſephus lib. 2. contra Apionem, cum ait. [Pontifex antè alios Sacerdotes Deo ſacrificat, legts cuſtodit, dijudicat controuerſias, conuictos delicti pnnit: cui qui non obedir, is pœnas luit tamquam in Deum impius.]

Et manifeſtè colligitur ex illo Deut. 17. 8. [Si difficile, & ambiguom apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem cauſam, & cauſam, lepram & lepram: & Iudicum intra portas tuas videris verba variari, ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerir Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempote, quæreſque (vt nonnumquam Auguſtinus opinatus fuit) ante obitum ceſſit, ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritarem. Et facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerir Dominus, & docuerint te iuxtà legem eius, ſequeriſque ſententiam eorum. Non declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Quj autem ſuperbierir, nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille.]

Circa hunc locum aliqua noranda ſunt. Primum eſt, quod variæ fuerint controuerſiæ in populo Iudæorum. Hìc quidem duæ ſpeciatim recenſentur: vna de ſanguine; altera de lepra. Alibi tamen ſummatim inſinuantur quatuor genera, vt 2. Paralip. 19. 10. [Vbicumque quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremonijs, de iuſtificationibus.] Nam aliquæ, vt ibi interpretatur Lyranus, oriebantor ex lege Decalogi: aliæ ex mandatis moralibus, quæ ſunt extra legem Decalogi: aliæ ex præceptis ceremonialibus, ad diuinum cultum ſpectantibus: aliæ denique ex præceptis iudicialibus, quæ ad externam pacem, & iuſtitiam conſeruandam erant accommodata,

Alterum eſt, quòd in ſingulis ciuitatibus conſtituti fuerint inferiores Iudices, qui ex officio debebant huiuſmodi controuerſias dirimere: vt habetur Deuter. 16. 18. [Iudices, & Magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per ſingulas tribus tuas, vt iudicent populum iuſto iudicio, nec in alteram partem declinent.]

Et 2. Paralip. 19. 5. [Conſtituit Iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda munitis, per ſingula loca.]

Tertium eſt, quòd quando inferiores Iudices non poterant inter ſe conuenire, nec controuerſias ad ſe delatas, propter peculiarem aliquam difficultatem, dirimere; neceſsè fuerit confugere Hieroſolymam, ad ſuperiores Iudices, quibus, tamquam ſupremus Iudex, præſidebat Pontifex: Et illius ſententiæ ſub pœna mortis, oportebat acquieſcere. Hoc patet ex verbis paulò ante citatis: [Si difficile, & ambiguum apud te (ideſt, in Ciuitate tua, in qua habitas) iudicium eſſe perſpexeris, &c.]

Hinc colligimus, duplex apud Iudæos fuiſſe Tribunal, & Concilium; vnum maius; alterum minus. Inter ea fuit multiplex diſcrimen.

Primò, quia maius tantum erat in Ieruſalem: minus, in ſingulis Ciuitatibus.

Secundò, in maiori dijudicabantur maiores controuerſiæ; in minori, faciliores.

Tertiò, in maiori præſidebat Pontifex; non item in minori.

Quartò, à minori licebat appellare ad maius; non contra, à maiori ad minus.

Quintò, in maiori erant ſeptuaginta perſonæ, præter Pontificem; in minori, viginti tres.

Sextò, maius vocabatur [Sanedrin, vel Synedrion, vel Concilium ſeniorum;] minus non item. De maiori ſæpè fit mentio in Euangelio, vt Marci 14. 55. & Lucæ 9. 22. & act. 4. 5. Videantur interpretes.

Vtrumque Concilium habuit ſuam originem ſub Moyſe. Et minus quidem inſtitutum eſt, ex conſilio Iethro: maius verò, ex mandato Dei. Occaſio minoris inſtituendi deſcribitur Exodi 18. 13. his verbis: [Altera autem die ſedit Moyſes, vt iudicaret populum, qui aſſiſtebat Moyſi à mane vſque ad veſperam. Quod cum vidiſſet cognatus eius, ait: Quid eſt hoc, quod facis in plebe? Cur ſolus ſedes, & omnis populus præſtolarur de mane vſque ad veſperam? Cui reſpondit Moyſes: Venit ad me populus, quærens ſententiam Dei: Cùmque accideiit eis aliqua diſceptatio, veniunt ad me, vt iudicem inter eos, & oſtendam præcepta Dei, & leges. At ille: Non bonam, inquit, rem facis: ſtultò labore conſumeris, & tu, & populus iſte, qui tecum eſt. Vltrà vires tuas eſt negotium: ſolus illud non poteris ſuſtinere. Sed audi verba mea atque conſilia, & erit Deus tecum. Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint

auariciam: & conſtitue ex ejs tribunos,& centuriones, & quinquagenarios, & Decanos,qui iudicent populum omni tempore. Quidquid autem maius fuerit, referent ad te; & ipſi minora tantummodo iudicent: leuiuſque ſit tibi, partito in alios onere. Quibus auditis,Moyſes fecit omnia, quæ ille ſuggeſſerat: Et electis viris ſtrenuis de cuncto Iſrael, conſtituit eos Principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & Decanos, qui iudicabant plebem omni tempore. Quidquid autem grauiùs erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo iudicantes.]

De maioris Concilij inſtitutione ſic legimus. Num. 11. 16. [Et dixit Dominus ad Moyſen: Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti, quòd ſenes populi ſint, ac Magiſtri: & duces eos ad oſtium Tabernaculi fœderis,facieſque ibi ſtare tecum, vt deſcendam, & loquar tibi: Et auferam de Spiritu tuo, tradamque eis,vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris.]

Et infrà v. 24. [Venit ergò Moyſes, & narrauit populo verba Domini, congregans ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos ſtare fecit circa Tabernaculum. Deſcenditque Dominus per nubem, & locutus eſt ad eum, auferens de Spiritu, qui erat in Moyſe, & dans ſeptuaginta viris. Cùmque requieuiſſet in eis Spiritus, prophetizauerunt, nec vitrà ceſſauerunt.]

Porrò, cum vtrumque Concilium, progreſſu temporis, penè collapſum eſſet,iterum reſtitutum,& renouatum fuit à Ioſaphat Rege Iuda, vt habetur 2. Paralip. 19. 4. his verbis: [Habitauit ergò Ioſaphat in Ieruſalem: rurſùmque egreſſus eſt ad populum,de Berſabee, vſque ad montem Ephraim, & reuocauit eos ad Dominum Deum patrum ſuorum. Conſtituitque Iudices terræ, in cunctis ciuitatibus Iuda munitis per ſingula loca: Et præcipiens Iudicibus, videte, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis Iudicium, ſed Domini: Et quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit.] Hæc omnia intelliguntur de minori Concilio. Iam ſequitur de maiori: In Ieruſalem quoque conſtituit Leuitas, & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Iſrael, vt iudicium, & cauſam Domini iudicarent habitatoribus eius. Præcepitque eis, dicens: ſic agetis in timore Domini fideliter,& corde perfecto. Omnem cauſam, quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, qui habitant in vrbibus ſuis, inter cognationem, & cognationem, vbicumque quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremonijs, de iuſtificationibus; oſtendite eis, vt non peccent in Dominum, & ne veniat ira ſuper vos, & ſuper fratres veſtros. Amarias autem Sacerdos, & Pontifex veſter, in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit. Porrò Zabadias, filius Iſmael, qui eſt Dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.] Vbi vides Pontificem fuiſſe Præſidem, ſeu Caput Concilij ſeniorum.

Igitur, vt verbo repetam, quæ dicta ſunt ſub Moyſe in deſerto, res ità geſta eſt. Primò, ſolus Moyſes (qui erat Pontifex extraordinarius)iudicabat omnes omninò controuerſias, quæ in populo oriebantur. Deindè, vt hoc onere non nihil ſubleuaretur,additi ſunt illi Tribuni, Centuriones. Quinquagenarij, & Decani, qui minores cauſas iudicarent, & grauiores ad illum remitterent. Denique, ad maius ſolatium, ſeptuaginta ſeniores electi ſunt, qui etiam in cauſis grauioribus illi aſſiſterent. Poſt mortem Moyſis, cum iam filij Iſrael veniſſent in terram promiſſionis, duplex Tribunal, ac iudicium conſtitutum eſt. Vnum Hieroſolymis, pro cauſis difficilioribus: alterum in ſingulis ciuitatibus, pro facilioribus. Hoc poſterius reſpondebat Concilio Tribunorum, ac Decanorum:illud priùs Concilio ſeptuaginta ſeniorum.

Hoc addi poteſt, aliter in deſerto ſub Moyſe, aliter in terra promiſſionis ſub alijs Pontificibus, actum eſſe. Et quidem duplici diſcrimine: altero ex parte Pontificis; altero ex parte Concilij ſeniorum. Nam Pontifex poſt ingreſſum in terram promiſſionis, dirimebat controuerſias ex lege ſcripta. At Moyſes, præſertim antequam Lex integrè ſcripta eſſet, multas dirimebat ex viua Dei voce, & oraculo. Cuiuſmodi ſunt illæ tres.

Prima, quid faciendum eſſet cum ijs, qui propter immunditiam legalem non poterant cum alijs celebrare paſcha? (Num. 9. 6.)

Secunda, qua pœna deberet affici, qui inuentus erat colligere ligna in die ſabbati? (Num. 15. 32.)

Tertia, an filiæ Salphaad poſſent habere hæreditatem inter cognatos Patris ſui? (Numer. 27. 1.) De his controuerſijs nihil tunc erat ſcriptum in lege. Igitur Moyſes viua voce conſuluit Deum,& accepto reſponſo voluntatem Dei executus eſt. Ac tunc primum hęc omnia in legem ſcriptam relata ſunt.

Ex parte Concilij ſeniorum, erat hoc diſcrimen. Septuaginta ſeniores, qui à Moyſe electi ſunt, acceperunt ſpiritum propheriæ in ipſa electione. (Num. 11. 25.) De alijs,qui poſtea in illorum locum, per interualla temporum, ſubrogati ſunt, non conſtat accepiſſe. Hoc tamen credibile eſt, ſingulari Dei aſſiſtentia vſos eſſe, quoties de rebus difficilioribus conſultandum eſſet: Et maximè hanc aſſiſtentiam Pontifici, qui omnibus præſidebat, ſpecialiter conceſſam fuiſſe, quando ſupremi Iudicis officio, in ferenda ſententia, fungebatur. De qua re aliquid paulò poſt.

Dices, Hæc omnia procedunt de controuerſijs legalibus, in quibus Pontifex erat ſupremus Iudex, vt benè probatum eſt, non autem de controuerſijs fidei, in quibus ſola Scriptura erat Iudex. Reſpondeo. Hoc ſine fundamento dicitur. Nam omnes controuerſiæ, ſiue eſſent de fide, ſiue de alijs rebus, vocabantur legales,duplici de cauſa. Primò, quia oriebantur ex lege ipſa, non ſatis benè intellecta. Secundò, quia per veram legis interpretationē erant dirimendæ. Deut. 17. 10. Omnes porrò, ſine vlla exceptione, pertinebant ad Pontificem, tamquam ad ſupremum Iudicem, etiam illæ, quæ erant de fide, & religione. Hoc manifeſtè conſtat ex illis verbis paulò ante citatis; [Amarias Pontifex veſter, in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit.] At controuerſiæ de fide, & religione, maximè ad Deum pertinent: ergò Pontifex in illis controuerſijs præſidebat. Quid au-

Digitized by Google

autem eſt præſidere in controuerſijs, niſi Iudicem agere? Item ex verbis precedentibus: [Vbicumque quæſtio eſt de lege, de mandato, de cęremonijs, de iuſtificationibus.] Omnes hæ quæſtiones deferebantur ad Pontificem: Et præter has non erant vllæ aliæ: Ergo nulla erat exempta à Iuriſdictione Pontificis.

Et confirmatur exemplo. Nam inter controuerſias fidei (de quibus maximè nunc agimus) erat vna præcipua de Meſſia. At hæc ipſa, quando dubitatum fuit tempore Herodis. [An Meſſias iam natus eſſet? deferebatur ad Concilium Sacerdotum, in quo Pontifex pręſidebat, vt patet ex Euangelio, Matth. 2. 3. [Audiens autem Herodes Rex, turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo. Et congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudæ. Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda: Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael.] Vbi tria notanda ſunt.

Primò, quòd Rex Hærodes, & totus Hebræorum populus dubitauerit de loco, in quo Meſſias eſſet naſciturus.

Secundò, quòd hanc dubitationem non auſi fuerint ipſi per ſe diſcutere, ſed detulerint illam ad ordinarium Concilium Sacerdotum.

Tertiò, quòd Sacerdotes, vt ſatisfacerent officio ſuo, diſſoluerint hanc dubitationem ex Scriptura, tamquam ex norma, & regula, cui ſe conformabant.

Porrò, quòd Scriptura ipſa per ſe, nec fuerit, nec potuerit eſſe Iudex huiuſmodi controuerſiarum, facilè probari poteſt. Nam Scriptura, quæ tunc exſtabat, præſertim primis aliquot ſeculis, non erat ferè alia, quàm lex Moſaica, ſeu volumen fœderis, ac Deuteronomij. De hoc autem volumine tria ſunt certa.

Primò, primarium ipſius Exemplar, quod Autographum vocant, fuiſſe conſcriptum à Moyſe, & à Sacerdotibus poſitum in Arca fœderis Domini, ibique aſſeruatum, vt eſſet authenticum inſtrumentum, ex quo certò, ac legitimè conſtare poſſit, quænam eſſet Dei voluntas, & diſpoſitio, Deuter. 31. 24.

Secundò, interpretationem illius, in re dubia commiſſam fuiſſe Sacerdotibus, ac potiſſimùm ſummo Sacerdori, ſeu Pontifici. Deut. 17. 8. & Aggæi 2. 12. & Malachiæ 2. 7.

Tertiò, hoc ipſum Exemplar authenticum, ſemel tantùm in ſeptennio, quando erat annus remiſſionis, debuiſſe à Sacerdotibus prælegi vniuerſo populo, in ſolemnitate Tabernaculorum Deut. 31. 10.

Hinc ſequitur primò, populum non habuiſſe primarium, & authenticum Exemplar legis Moſaicæ, ſed ſolos Sacerdotes. Si ergo, extra ſolemnitatem Tabernaculorum, quocumque alio tempore ſeptennij, orta fuiſſet aliqua controuerſia legalis, populus non potuiſſet cõſulere authenticum Exemplar, quod non habebat, ſed debuiſſet adire Sacerdotem, & ab eo, tamquam ordinario Iudice, petere ſententiam definitiuam. Secundò ſequitur, etiamſi populus habuiſſet Exemplar, non tamen potuiſſe ex eo controuerſiam vllam dirimere. Non enim populi, ſed Sacerdotis, & maximè Pontificis erat, legem Moſaicam, ex qua naſcebantur controuerſiæ, interpretari.

Sed quæres, Quare interpretatio legis, & conſequenter deciſio controuerſiarum legalium, pertinuerit potiùs ad Pontificem, quàm ad alios? Ratio dubitandi eſt, quia poterat fieri, vt non minùs alij eſſent periti in lege, quàm Pontifex: immò etiam magis. Reſpondeo. Si ſpectemus induſtriam humanam, certum eſt, non minùs alios, quàm Pontificem, potuiſſe legem intelligere, & interpretari. Si autem ſpectemus aſſiſtentiam Spiritus ſancti, quæ ſanè potiſſimùm in hoc negotio ſpectanda eſt, ea Pontifici potiùs, quàm alijs, fuit communicata. Exemplum habemus in Moyſe. Nam Deus conceſſit illi maiorem aſſiſtentiam, quàm ſeptuaginta ſenioribus, qui illi in hoc officio ſubſeruiebant. Hoc colligitur ex illo Num. 11. 17. [Dixit Dominus ad Moyſem; Auferam de Spiritu tuo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi.] Vbi per Spiritum, intelligi debet aliquod donum gratiæ, quod requiritur in ijs, qui rectè volunt alios gubernare, & eorum controuerſias dirimere. Eſt ergo hic ſenſus: [Auferam de ſpiritu tuo, & tradam eis,] id eſt, dabo illis donum gratiæ, ſed infrà illud donum, quod tu habes. Tibi, qui ſupremus Iudex es, plus dari oportuit, quàm illis, qui tibi ſubiecti ſunt.

Quæres 2. An Pontifex in deciſione controuerſiarum fuerit Iudex infallibilis? Reſpondeo. Omninò fuit infallibilis. Quod tripliciter probo.

Primò ex diſcrimine, quod erat inter ſummum Pontificem, & alios inferiores Iudices. Nam quando oriebatur aliqua controuerſia difficilior, in cuius deciſione inferiores Iudices, vel diſſentiebant, vel veritatem attingere non poterant; volebat Deus, vt partes litigantes deferrent eam ad Pontificem, in ſuperiori Concilio præſidentem, cum hac promiſſione, quod ab eo accepturi eſſent iudicij veritatem. Deut. 17. 9. At ſi Pontifex in tali caſu fuiſſet fallibilis, non accepiſſent ab eo iudicij veritatem; nec promiſſio Dei fuiſſet impleta: Ergo dicendum eſt, in tali caſu, falli non potuiſſe.

Secundò, ex mandato Dei. Nam Deus ſub pœna mortis mandabat omnibus, vt acquieſcerent ſententiæ Pontificis. Deut. 17. 12. At certum eſt, non mandaſſe, vt acquieſcerent ſententiæ falſæ, pręſertim in negotio fidei, ac religionis: Ergo certum eſt, ſententiam Pontificis, pręſertim in negotio fidei, ac religionis, non potuiſſe eſſe falſam; ſed ex peculiari Dei aſſiſtentia infallibilem.

Tertiò, ex parte litigantium. Nam ſi Pontifex, quando publicè in Concilio pronunciabat ſententiam, potuiſſet falli, vel à legitimo Scripturæ ſenſu aberrare; numquam litigantes, qui illum conſulebant, fuiſſent ſecuri. Cur ergo ſub pœna capitis tenebantur ſequi illius deciſionem? Cur altera pars, cum tanto onere, debebat ſubiacere ſententiæ contrà ſe latæ, quam poterat ſuſpicari falſam, & iniquam eſſe? Denique, cur totus populus in negotio religionis iubebatur id ſequi,

quod

quod Pontifex iudicabat ſequi oportere, ſi Pontifex errare poterat?

At obijciunt aduerſarij, Pontificem, etiam cum toto Concilio ſæpè erraſſe in negotio religionis. Quod probant varijs exemplis.

Primò, quia Aaron Pontifex fuit auctor idololatriæ, quando propoſuit populo vitulum adoraodum. Exod. 32. verſ.4.

Secundò, quia Vrias contrà legem Deì extruxit nouum altare in templo, ad formam altaris Damaſceni, & in eo ſacrificia obtulit.

Tertiò, quia tempore Iſaiæ, omnes ſpeculatores populi erant cæci, Iſaiæ 56. verſ. 10.

Quartò, quia tempore Ieremiæ, [à Propheta vſque ad Sacerdotem, omoes loquebantur mendacinm. Ierem.6. verſ.13.

Quintò, quia idem Ieremias, propter Verbum Domini, publico Decreto omnium Sacerdotum, & Prophetarum fuit condemnatus ad mortem. Ierem.26. verſ.tt.

Sextò, quia Chriſtus à Pontificibus, ſcribis, & ſenioribus populi, in publico Concilio, morti audiudicatus eſt.

Reſpondeo. Aduerſarij ſuo more hìc agunt. Omnia voluot probare ex Scripturis, & nihil probant. Hoc euidenter oſteodo in exemplis iam allatis.

Primò, quia Aaron, nec erat Pontifex, quando vitulum ex auro conflauit, nec fuit auctor idololatriæ. Nihil ergo iuuat hoc exemplum. Quòd non fuerit Pontifex, certum eſt. Nam à Moyſe conſecratos eſt in Pontificem, anno ſecundo egreſſionis ex Ægypto, prima die menſis primi, quando Tabernaculum fuit erectum. Exodi 40. 55. At vitulus iam antea conflatus erat, cùm adhuc Moyſes erat in monte Sinai cum Deo, & acceptis ab eo tabulis lapideis, iubebatur conſtruere Tabernaculum per Beſeleel filium Vri. Exodi 31. & 32. verſ.t. Similiter, quòd populus fuerit auctor idololatriæ, non autem Aaron, diſertè habetur Exod.32. verſ.1. [Videns populus, quòd moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus aduerſùs Aaron, dixit: Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant.

Secundò, Vrias non errauit, tamquam Iudex, & Præſes Concilij, in dirimendis Controuerſijs legalibus: ſed extrà Concilium, errauit in facto, volens ſatisfacere mandato Regis Achaz, quod non negamus. Itaque nec hoc exemplum ad rem facit. Non enim eſt quæſtio inter nos, An Pontifex nulla io re potuerit errare, aut peccare? Potuit certè in multis, non minùs, quàm alij. Sed quæſtio eſt, An in ſeotentia publicè ferenda circa controuerſias legales potuerit errare, vel falſam ſententiam dicere? Non potuit. Nec Vrias hoc modo errauit.

Tertiò, Iſaias per ſpeculatores, quos ait cæcos eſſe, non intelligit Pontifices ſui temporis, vt putant Aduerſarij, ſed Scribas, & Phariſæos, qui erant futuri tempore Apoſtolorum, quando Hieruſalem erat vaſtanda à Romanis, ſub Veſpaſiano Imperatore, vt interpretatur S. Hieronymus. Et patet ex ipſo contextu, qui ſic habet: [Ait Dominus Deus, qui congregat diſperſos Iſrael: Adhuc congregabo ad eum congregatos eius. Omnes beſtiæ agri venite ad deuorandum, vniuerſæ beſtiæ ſaltus. Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi, omnes muti, oon valentes latrare.] Senſus eſt: Ait Dominus Deus: Ego poſt captiuitatem Babylonicam, in qoa diſpergentur Iudęi, iterum coogregabo illos ad Hieruſalem (quod contigit ſub Cyro, Perſarurum Rege, 1. Eſdræ t. Deiodè etiam gentiles eis aggregabo (quod factum eſt tempore Chriſti, & Apoſtolorum, quando Gentiles ad lucem Euangelij vocati ſunt, & ex vtroque populo coaluit vna Eccleſia.) Poſteà dicam Romanis, (qui propter infidelitatem vocantur beſtiæ agri) venite ad deuorandum, ideſt, ad deuaſtandam, & euertendam ciuitatem Hieruſalem. Sed ob quam cauſam? Quia ſpeculatores eius, Scribæ, & Phariſæi, merebuntur hanc pœnam, duplicè titolo. Primò, propter ſuam cæcitatem, & incredulitatem. Nam neque ipſi volent Chriſtum agnoſcere pro Meſſia; neque permiſſuri ſunt, vt Iudæi in eum credant. Et ſic vtrique propter incredulitatem digni erunt, qui puniantur. Vodè Chriſtus, Matth.15.14. [Cæci ſunt, & duces cæcorum.] Et cap.23.13. [Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia clauditis Regnum Cœlorum ante homines. Vos enim noo intratis, oec iotroeuntes ſinitis intrare.] Secundò, quia erunt canes muti non valentes latrare, ideſt, ignaui Paſtores; non defendentes gregem ſibi concreditum, nec vitia ſubditorum reprehendentes. Ex hac interpretatione, quæ & textui, & Hieronymo cooformis eſt, oihil poteſt colligi, quod ſit contra nos. Nam noſtra aſſertio eſt, Pontificem in V. T. non potuiſſe errare in definiendis legalibus controuerſijs, quæ ad ipſum in Concilio deferebantur. Hæc non euertitur per hoc, quòd Phariſæi, tempore Apoſtolorum fuerint cæci, & increduli in Chriſtum. Fruſtrà ergo altercantur aduerſarij.

Quartò, nec dictum Ieremiæ ipſis patrocinatur. Non eoim intelligendum eſt de errore, vel mendacio Pontificis in deciſione controuerſiarum legalium; ſed de dolo, ſeu mendacio Sacerdotum, & Prophetarum, in prædictione futurorum. Cùm enim Ieremias, & alij Prophetæ à Deo miſſi, prædicerent fore, vt populus propter ſcelera ſua puniretur, & in captiuitatem duceretur; Sacerdotes, & pſeudoprophetæ blandiebantur populo; & proſpera vaticinabantur: & ſic miſerè illum decipiebant. Hic ſenſus colligitur ex ipſo textu. Nàm Ieremiæ prędictio erat hęc: [Vir cum muliere capietur, ſenex cum pleno dierum. Et tranſibunt domus illorum ad alteros, agri, & vxores pariter; quia extendam manum meam ſuper habitantes terram, dicit Dominus. A minore quippè vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent.] Quid porrò Sacerdotes, & Pſeudoprophetæ? ſequitur: [A Propheta vſque ad Sacerdotem, cuncti faciunt dolum. Et curabant contritionem populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, pax, & non erat pax.] Vel, vt ſeptuaginta vertunt. [A Sacerdote, & vſque ad Pſeudo prophetam oomes fecerunt meodacium. Et curabant contritionem populi mei, parui pendentes, & dicentes: Pax, & vbi eſt pax? Q. D. Quidquid ego ædifico; hoc mali Sacerdotes, & Prophetæ deſtruunt. Ego reprehendo ſce-

lera

Digitized by Google

lera populi, & prædico illi captiuitatem, vt hac ratione promoueam omnes ad dolorem, & contritionem. Illi contra, dolo, ſeu mendacio decipiunt populum, promittendo pacem, & proſperitatem; & ſic conantur abſtergere, & curare contritionem, quam ex mea comminatione conceperat. Ex hoc ſenſu, quid inferunt aduerſarij? Vel nihil, vel hoc: Sacerdotes, & Prophetæ in V. T. mentiebantur in prædictione futurorum: Ergo Pontifex errabat in deciſione controuerſiarum legalium. Illatio nulla.

Quintò, quod obijciunt, Ieremiam publico decreto Sacerdotum, & Prophetarum fuiſſe condemnatum ad mortem, non ſpectat ad præſentem quæſtionem. Primò, quia tametſi Sacerdotes, & Prophetæ peccauerint in hoc facto, non tamen errauerunt in deciſione alicuius controuerſiæ legalis: (de quo errore hic diſputamus) ſed tantum in eo, quòd dicerent, falſam eſſe prædictionem Ieremiæ, de imminente euerſione Ieruſalem, vt iam explicaui. Deindè, non ſoli Sacerdotes & Prophetæ, ſed etiam populus condemnauit illum ad mortem. Cùm enim dixiſſet Ieremias ex perſona, & mandato Dei: [Dabo domum iſtam, ſicut Silo, & vrbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ: mox ſequitur: Et audierunt Sacerdotes, & Prophetæ, & omnis populus Ieremiam loquentem verba hæc in domo Domini.] Et paulò poſt; [Apprehenderunt eum Sacerdotes, & Prophetæ, & omnis populus, dicens: Morte moriatur. Quare prophetauit in nomine Domini, dicens: Sicut Silo erit domus hæc, & vrbs iſta deſolabitur, eò quod non ſit habitator?] Igitur ſententia condemnationis non fuit legitimè, & iudicialiter lata in Concilio, ſeu Synedrio, in quo legales controuerſiæ decidebantur; ſed in tumultuario concurſu, ac ſeditione vulgi, vt etiam à Hieronymo notatum eſt. Et hoc patet ex euentu. Nam Principes Iuda, cùm audiuiſſent tumultum populi, & conſpirationem factam contra Ieremiam, venerunt ad introitum templi, (vbi ſeditio excitabatur) & liberauerunt Ieremiam à ſententia mortis; quod non facilè fecissent, ſi ſententia à ſummo Pontifice in Concilio fuiſſet pronunciata. Inſpiciatur textus.

Sextò, ad id denique, quod adfertur de Chriſto à Pontifice, & ſenioribus morti adiudicato, facilis reſponſio eſt. Fateor Caipham, qui tunc erat Pontifex, erraſſe cum Concilio, nec ampliùs habuiſſe infallibilem Dei aſſiſtentiam, quia ſynagoga iam ferè exſpirabat. Vbi obiter notandum eſt, potuiſſe hæc quinque ſpectari in ſynagoga.

Primò. Legem Moſaicam.

Secundò, Prophetiam de Chriſto.

Tertiò, Sacerdotium, & ſacrificia legalia.

Quartò, Supremam poteſtatem iudiciariam, quæ erat in Pontifice, & Concilio.

Quintò. Infallibilem Dei aſſiſtentiam, quæ illi poteſtati erat annexa. Quando, & quomodo ſingula exſpirauerint, dicam paucis.

Lex Moſaica, quò ad obligationem, abrogata eſt in morte Chriſti, vt docet ſanctus Thomas in 1. 2. qu. 103. art. 3. ad 2. & alij paſſim. Tunc enim amiſit vim obligandi; quia tunc velum Templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſque deorſum. Matth. 27. 51. Et tunc Chriſtus dixit in Cruce; [Conſummatum eſt.] Vnde ſequitur, ante mortem Chriſti, viguiſſe ſimul legem Moſaicam, & Euangelicam: poſt mortem, ſolam Euangelicam.

Prophetia de Chriſto fuit multiplex: Alia de venturo Chriſto in hunc mundum; alia de eius doctrina, & miraculis; alia de morte, & de paſſione: alia de deſcenſu ad inferos: alia de reſurrectione; alia de aſcenſione. Vnaquæque earum tunc exſpirauit, quando impletum fuit id, quod per eam prædicebatur. V. G. Prophetia de venturo Chriſto, exſpirauit per aduentum Chriſti, Mat. 11. 13. [Lex, & Prophetæ vſque ad Ioannem.] Et ſic deinceps.

Sacrificia Legalia ſunt etiam abrogata per mortem Chriſti, ſicut lex Moſaica. Quod maximè verum eſt de cruentis ſacrificijs, in quibus mactabantur animalia. Erant enim figuræ, ſeu vmbræ cruenti ſacrificij, quo Chriſtus in ara Crucis erat mactandus. Itàque adueniente hoc ſacrificio, neceſſe fuit illa exſpirare: ſicut adueniente ſole, faceſſunt tenebræ.

Suprema poteſtas iudiciaria, itemque diuina aſſiſtentia illi annexa, non videtur ſimul, ſeu eodem momento tota expiraſſe, ſed ſucceſſiuè, & quaſi per partes. Nam primò certum eſt, Chriſtum habuiſſe maiorem poteſtatem iudiciariam, & vberiorem Dei aſſiſtentiam, quam habuerit Pontifex in veteri Teſtamento, iuxtà illud Matth. 28. 18. [Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra.] Itàque Pontifex reſpectu Chriſti, non potuit ampliùs habere ſupremam, tametſi habuerit ſupremam in ſuo ordine, ac ſtatu.

Deindè, Aſſiſtentia diuina paulatim ſubtracta eſt. Quod facilè oſtendi poteſt in ijs Concilijs, quæ poſt Chriſti natiuitatem à Pontifice, & Sacerdotibus celebrata ſunt. Tria potiſſimùm recenſebo. Primum tempore Herodis, quando tres Magi venerunt Hieroſolymam. Alterum, tempore Lazari reſuſcitati, quando diſputabatur, quid de Chriſto, tot miracula faciente, ſtatuendum eſſet. Tertium, tempore captiuitatis Chriſti, quando à Caipha ad mortem condemnatus eſt. In primo manſit integra aſſiſtentia diuina; in altero diminuta eſt; in tertio penitus ſublata. Quod ſic demonſtro.

Primum Concilium conuocatum eſt propter Herodem, qui à Principibus Sacerdotum ſciſcitabatur, vbi Chriſtus, iuxta Prophetarum vaticinia, eſſet naſciturus, Matthæi 2. 4. Et reſponſum eſt. [In Bethlehem Iuda. Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael.] Quæ deciſio fuit vera, & infallibilis; ac proindè ex vera infallibili Dei aſſiſtentia profecta.

Alterum celebratum fuit ex occaſione miraculi, quo Chriſtus Lazarum reſuſcitauit. Ioann. 11. 47. [Collegerunt ergo Pontifices, & Phariſæi Concilium, & dicebant; Quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit. Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum? & ve-

& venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem. Vnus autem ex ipſis Caiphas nomine, cum eſſet Pontifex anni illius, dixit eis: Vos neſcitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet Pontifex anni illius, prophetauit, quòd Ieſus moriturus eſſet pro gente, &c.] Ex his verbis manifeſtè conſtat, Caipham ex vna parte erraſſe; ex altera non erraſſe: Et partim ex odio, more humano; partim ex aſſiſtentia Spiritus ſancti, more prophetico, locutum eſſe. In eo errabat, quòd Chriſtum innocentem morti adiudicaret; Et hoc ex inuidia, & æmulatione, (Matth. 27. 18.) In eo non errabat, quòd prædiceret Chriſtum moriturum pro ſalute Iudæorum: Et hoc non ex ſemetipſo, id eſt, ex proprio iudicio, & affectu humano, ſed ex diuino inſtinctu, qui Pontifici ratione ſui officij ſolet aſſiſtere.

Tertium celebratum fuit, inſtante Chriſti paſſione. Matth. 26. 57. vbi Sacerdotes quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum, vt eum morti traderent: Et tandem lata eſt hæc ſententia: Reus eſt mortis. Quæ ſine dubio fuit iniqua, nec vllo modo à Deo inſpirata, ſed potiùs à Diabolo, vt iam antea dictum erat à Chriſto. Ioan. 8. 44. [Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere, ille homicida erat ab initio.] Nec quicquam in illo Concilio geſtum eſt; ex quo conſtare poſſit diuinam aſſiſtentiam adfuiſſe.

Hactenùs reſponſum eſt ad ea exempla, quibus aduerſarij conantur probare Pontificem veteris Teſtamenti fuiſſe quidem Iudicem controuerſiarum, ſed potuiſſe errare, & reipſa ſæpè erraſſe. Ex qua reſponſione duo colligo. Vnum eſt, priora quinque exempla nihil ad rem facere. Nam Aaron non erat Pontifex, quando errauit. Vrias erat quidem Pontifex, non tamen errauit in iudicio legali, ſed in facto. Iſaias locutus eſt de Scribis, & Phariſæis, qui venturi erant tempore Apoſtolorum. Ieremias de Sacerdotibus, & Prophetis, qui errabant in prædictione futurorum. Alterum eſt, noſtram potiùs ſententiam ex hac obiectione confirmari. Nam ex eo, quod dictum eſt de Caipha; [Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet Pontifex anni illius prophetauit; perſpicuè conſtat, Pontificem habuiſſe hoc priuilegium, vt à ſemetipſo non decideret controuerſias; ſed ex diuina potiùs directione, quod nos aſſerimus.

QVINTVM ARGVMENTVM.

Ex vſu, & praxi noui Teſtamenti, &c.

SIcut in veteri Teſtamento, vt iam oſtendi, non Scriptura, ſed Pontifex, & Concilium ſeniorum, fuit Iudex controuerſiarum, ſic etiam in nouo hactenùs ſeruatum eſt. Hoc oſtendam breui inductione. Ac primò, tempore Apoſtolorum fuit orta controuerſia de Circumciſione, An ſcilicet noui Chriſtiani, qui tunc fidem Euangelij recipiebant, non poſſent ſaluari, niſi etiam circumciderentur, & legalia ſeruarent? Quæ controuerſia potiſſimùm intelligebatur de gentilibus ad fidem conuerſis. Erat autem duplex de hac re ſententia. Vna quorumdam, qui ex Iudæis facti erant Chriſtiani: qui dicebant gentiles per fidem Chriſti non poſſe ſaluari, niſi circumciderentur, & ceremonias legis Moſaicæ obſeruarent. Altera Pauli, & Barnabæ, qui aſſerebant non opus eſſe circumciſione, & obſeruatione legalium. (act. 15. 1.)

At quomodo deciſa, & finita eſt hæc controuerſia? An ad ſolam ſcripturam, tamquam ad communem Iudicem delata eſt? Nihil minùs. Sed potiùs ex conſenſu vtriuſque partis delecti ſunt aliqui, qui Hieroſolymam irent ad Apoſtolos, vt ipſi in ſolemni Concilio de tota re cognoſcerent, & definitiuam ſententiam pronunciarent. Quod & factum eſt. Nam ex vna parte deſignati ſunt Paulus, & Barnabas, ex altera, alij: qui ſimul Hieroſolymam profecti, Apoſtolos, & Seniores adierunt. Hi, coacto Concilio, & inuocato Spiritu ſancto, reſponderunt his verbis: [Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione.] Quæ verba, per modum epiſtolæ miſſa ſunt ad gentiles Chriſtianos, de quibus agebatur: Et ſenſus eſt: non volumus vobis imponere onus circumciſionis, & legalium, quod graue eſt: ſed abſtinete ab ijs, quæ iam dicta ſunt, quod graue non eſt.

Hic duo, quæ ad rem faciunt, notanda ſunt. Primum eſt, quòd hæc controuerſia de circumciſione, & legalibus, ſufficienter potuiſſet determinari per Paulum, & Barnabam, qui ambo erant & Apoſtoli, & Prophetæ, & Doctores (Actorum 13. 1.) Ambo à Spiritu ſancto ſpeciatim delecti, vt Euangelium gentibus prædicarent. (Actorum 13. 2.) Et iam re ipſa illud prædicauerant in multis locis, ac prouincijs. (Actorum 14. 26.) Noluerunt tamen voluit hoc officium vſurpare, vt ſuo exemplo docerent, huiuſmodi controuerſias, quæ fidem, ac religionem concernunt, ad ordinarios Eccleſiæ Prælatos, vel ad Concilia Prælatorum deferri oportere.

Alterum eſt, quòd in Concilio Apoſtolorum, in quo controuerſia illa propoſita, & definita eſt, nullum ſcripturæ teſtimonium, quod directè ad circumciſionem pertineret, allatum ſit; cùm tamen in vtramque partem non defutura fuiſſent teſtimonia, ſi ex illis ſolis oportuiſſet litem finire, ac terminare. Nam pro circumciſione adduci potuiſſet illud Geneſ. 17. 10. [Hoc eſt pactum meum, quod obſeruabitis inter me, & vos, & ſemen tuum poſt te. Circumcidetur ex vobis omne maſculum, & circumcidetis carnem præputij veſtri, vt ſit ſignum fœderis inter me, & vos, &c. Tam vernaculus, quàm empritius circumcidetur, & quicumque non fuerit de ſtirpe veſtra: Eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum.] At ſi pactum eſt æternum, vt hìc dicitur, ſemper ſeruari neceſſe eſt, etiam in lege euangelica. Nec ſolùm à Iudæis, ſed etiam ab alijs, qui non ſunt de ſtirpe Iudæorum. Contra verò, occurrebat

illud

Digitized by Google

illud Deuteron. 30. 6. [Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui.] Vbi inſinuatur, circumciſionem carnis non duraturam in nouo Teſtamento, ſed ei ſucceſſuram circumciſionem cordis. Sicut etiam Ierem. 4. 4. [Circumcidimini Domino, & auferte præputium cordium veſtrorum, quaſi dicat.] Non requiro circumciſionem carnis, ſed cordis, quæ conſiſtit in interna contritione, & dolore de peccatis. Hæc & ſimilia vtrinque adduci poterant ex Scriptura. At factum non eſt: ſed Apoſtoli in Concilio congregati, ex directione, & aſſiſtentia diuina, quam Chriſtus promiſerat illis, & eorum ſucceſſoribus, ſententiam protulerunt.

Poſt tempora Apoſtolorum, aliæ, atque aliæ controuerſiæ diuerſis locis, ac ætatibus exortæ ſunt, quas ſimiliter à Pontifice Romano, vel à Concilijs ab eo approbatis, deciſas, ac diremptas eſſe, ex hiſtorijs eccleſiaſticis notum eſt. Et qui illorum ſententiæ noluerunt acquieſcere pro hæreticis habiti, & damnati ſunt. Producam exempla aliquot illuſtriora, quæ primùm occurrunt.

Prima controuerſia fuit, an Paſcha deberet celebrari cum Iudæis, decima quarta primi menſis, vt volebant multi in Aſia, qui propterea Quartadecimani appellati ſunt: an verò tantùm die Dominica, ſicut nunc fit? Hæc tandem poſt multa Concilia Epiſcoporum deciſa, ac finita eſt à Victore Papa, anno Chriſti 198. Vide Euſebium lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 23. & ſequentibus.

Secunda, An Eccleſia poſſet illos abſoluere à peccatis, qui poſt baptiſmum lapſi eſſent? Negauit Nouatianus. Sed damnatus eſt in Concilio Romano ſub Cornelio Papa, anno 255. Vide Baronium circa eundem annum.

Tertia, An in Deo ſint tres perſonæ realiter diſtinctæ? Negauit Sabellius, aſſerens vnam tantùm eſſe perſonam, quæ habet tria officia, creationis, redemptionis, & ſanctificationis. Sed damnatus eſt in Concilio Alexandrino tempore Silueſtri Papæ. Anno Chriſti 319. iuxtà Baronium.

Quarta, An Chriſtus ſit purus homo, ſicut cęteri mortales, & nihil ampliùs habeat in natura, & hypoſtaſi, quam nos habemus? Affirmauit Paulus Samoſatenus. Sed damnatus eſt in Synodo Antiochena, tempore Dionyſij Papæ, anno 266. iuxtà Baronium. Vide Euſebium lib. 7. cap. 27.

Quinta, An Chriſtus ſit Verbum Patris æternum, & eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ? Negauit Arius, aſſerens eſſe verbum verbi, non ab æterno, ſed in tempore à Deo ex nihilo creatum, & alterius à Deo ſubſtantiæ: ac proindè Deum non ſemper Patrem fuiſſe, ſed tempus aliquando extitiſſe, cùm non eſſet Pater. Sed damnatus eſt in generali Concilio Nicæno I. ſub Silueſtro Papa, & Conſtantino Imperatore, anno 325. Vide duas epiſtolas Alexandri Epiſcopi Alexandrini, quarum vna extat apud Socratem, lib. 1. cap. 3. altera apud Theodoretum lib. 1. cap. 4.

Sexta, An in Chriſto ſint duæ perſonæ, ſicut ſunt duæ naturæ, diuina, & humana? Affirmauit Neſtorius Epiſcopus Conſtantinopoliſanus. Sed damnatus eſt in generali Concilio Epheſino, ſub Cœleſtino Papa, & Theodoſio Imperatore, anno 454. & priùs à Cyrillo in Concilio Alexandrino, anno 431. Vide Baronium.

Septima, An in Chriſto ſint duę naturæ? Eutyches, & Dioſcorus dixerunt, ante vnionem hypoſtaticam, fuiſſe duas naturas, diuinam, & humanam: poſt vnionem, duas in vnam coaluiſſe, & vnam factam eſſe. Sed damnati ſunt in generali Concilio Chalcedonenſi, ſub Leone Papa, & Marciano Imperatore, anno 454. Vide Gabrielem Vaſquez to. 1. in 3. partem D. Thomæ, diſp. 14.

Octaua, An in Chriſto ſit vna tantùm voluntas? Macharius Antiochenus Patriarcha, Cyrus Alexandrinus, Sergius Conſtantinopolitanus, & quidam alij, tametſi agnoſcerent in Chriſto duas naturas, dixerunt tamen vnam tantùm eſſe voluntatem, nempè diuinam, vt refert Diuus Thomas in 3. parte quæſt. 18. art. 1. Ideòque Monothelitæ appellati ſunt. Eorum ſententia damnata eſt in generali Concilio Conſtantinopolitano III. ſub Agathone Papa, & Conſtantino IV. Imperatore, anno 679. iuxtà Baronium. An autem nomine voluntatis, intellexerint potentiam, an operationem, videri poteſt apud Gabrielem Vaſquez, tomo citato, diſput. 73. cap. 1.

Nona, An Spiritus ſanctus ſit Deus? Negarunt Macedoniani, de quibus Auguſtinus in libro de hæreſibus cap. 52. ſic ſcribit: [Macedoniani ſunt à Macedonio Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopo, quos & *pneymatomachoys* Gręci dicunt, eò quòd de Spiritu ſancto litigent. Nam de Patre, & Filio rectè ſentiunt, quòd vnius ſint, eiuſdemque ſubſtantiæ, vel eſſentiæ: ſed de Spiritu ſancto hoc nolunt credere, creaturam eum eſſe dicentes.] Hi damnati ſunt in generali Concilio Conſtantinopolitano I. ſub Damaſo Papa, & Theodoſio Imperatore, anno 383.

Decima, An Baptiſmus repeti, ſeu reiterari poſſit? Quæ controuerſia dupliciter poteſt intelligi.

Primò, an Baptiſmus, ſi ſemel validè collatus ſit; repeti poſſit? Affirmauit Marcion, teſte Epiphanio hęreſi 42. paulò poſt principium, vbi de Marcione ſic ſcribit: [Cùm corrupiſſet in ciuitate ſua Virginem, & aufugiſſet, atque in magno delicto inuentus eſſet, excogitauit præſtigiator ſibi ipſi ſecundum lauacrum, aſſerens licere vſque ad tria lauacra, hoc eſt, tres baptiſmos dare in remiſſionem peccatorum: quo ſi quis lapſus eſſet poſt primum, pœnitentia acta, accipiat ſecundum; & tertium ſimiliter, ſi in delicto poſt ſecundum comperiatur.]

Secundò, an Baptiſmus, qui ab hęreticis collatus eſt, repeti poſſit? Affirmarunt Donatiſtæ, qui baptizatos à Catholicis rebaptizabant, teſte Auguſtino in lib. de hęreſibus cap. 69. eò quòd Catholicos haberent pro hæreticis, & baptiſmum ab hęreticis collatum putarent eſſe inualidum, vt explicat Vaſquez diſp. 146. cap. 2. Hi damnati ſunt in Concilio Romano, ſub Melchiade Papa, anno 313. apud Baronium.

Vndecima, An homo ſine gratia Dei, per ſolas naturæ vires poſſit implere legem, ſi velit? Affirmarunt Pelagius, & Cœleſtius. Sed damnati ſunt in Concilio Carthaginenſi, & Mi-

Mileuitano, ſub Innocentio Primo, ann. 416. iuxtà computum Baronij.

Duodecima, An paruuli naſcantur in peccato originali, & ad illud peccatum abolendum indigeant baptiſmo? Negarunt ijdem auctores, Pelagius, & Cœleſtius, teſte Auguſtino in libro de hereſibus cap. 88. vbi de illis ſic habet: [Paruulos etiam negant, ſecundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contrahere. Sic enim eos ſine vllo peccati originalis vinculo aſſerunt naſci, vt prorsùs non ſit, quòd eis oporteat ſecunda natiuitate dimitti: ſed eos propterea baptizari, vt regeneratione adoptati, admittantur ad Regnum Dei, de bono in melius translati, non iſta renouatione ab aliquo malo obligationis veteris abſolui.] Hic error damnatus eſt in Concilio Mileuitano cap. 2. & poſteà à Zoſimo Papa, vt teſtatur idem Auguſtinus in libro de peccato originali, cap. 6. & ſequentibus.

In his, & ſimilibus controuerſijs, quas breuitatis cauſa omirro, tria conſideranda ſunt.

Primò, quòd altera pars litigantium clarè, & perſpicuè damnata ſit.

Secundò, quòd hæc condemnatio facta ſit ab Eccleſia Catholica, tamquam à Iudice: quæ aliquando tulit ſententiam per Pontificem, qui eſt Caput, ſeu Paſtor Eccleſiæ: aliquando per Concilia, quæ repræſentant Eccleſiam.

Tertiò, quòd Lutherani, & Caluiniſtæ agnoſcant hanc damnationem legitimè factam eſſe. Fatentur enim Nouatianum, Sabellium, Samoſatenum, Arium, Neſtorium, Eutychem, & Dioſcorum, Monothelitas, Macedonianos, Donatiſtas, Pelagianos, meritò damnatos eſſe, & pro hæreticis haberi oportere.

Nec aliundè, quàm ex Catholicæ Eccleſiæ deciſione. Quòd ſi ſola Scriptura eſſet Iudex, & Eccleſia ſuam ſententiam non interpoſuiſſet; in hodiernum vſque diem durarent iſtæ controuerſiæ; nec adhuc clarè, & palàm omnibus conſtaret, ſupradictos auctores pro hereticis habendos eſſe. Nunc, cùm ab Eccleſia damnati ſint, res certa, & indubitata eſt.

Dices, Quid ſi Eccleſia erraſſet in ferenda ſententia? Reſppondeo. Hoc tantumdem eſt, ac ſi dicas; Quid ſi Chriſtus, Apoſtoli, & Prophetæ mentiti eſſent. Nam illi teſtati ſunt Eccleſiam errare, aut deficere non poſſe. Eſt enim, vt loquitur Chriſtus, [Fundata ſupra petram; & portæ inferi non prænalebunt aduersùs eam.] (Matth. 16. verſ. 18.) [Eſt columna, & firmamentum veritatis.] (Timoth. 3. verſ. 15.) [Numquam confundetur, neque erubeſcet.] (Iſaię 54. verſ. 4.) [Iaſpis eſt propugnaculum eius.] (Ibidem verſ. 12.) [Et omnis lingua reſiſtens illi in iudicio, condemnabitur.] (Ibidem verſ. 17.) De hac re dixi cap. 3.

Sed inſtat Gardius Lutheranus, Eccleſiam dupliciter ſumi poſſe.

Primò: Pro tota Eccleſia collectiuè ſumpta, quatenùs conſtat ex omnibus fidelibus, qui toto Orbe diſperſi ſunt.

Secundò: Pro Concilio Epiſcoporum, quod repreſentat Eccleſiam. Ait igitur, Eccleſiam priori modo ſumptam errare non poſſe; poſteriori, non ſolùm poſſe, ſed etiam erraſſe. Quod probat dupliciter.

Primò: Auctoritate Bellarmini, qui fatetur Concilia tam generalia, quàm particularia errare poſſe, quando non accedit confirmatio Pontificis.

Secundò: Exemplo variorum Conciliorum, quæ re ipſa errarunt. Adducit autem duo genera Conciliorum. Alia, quæ errarunt ex conceſſione Catholicorum: alia, quæ abſolutè errarunt. Prioris generis ſunt hæc.

Primò: Ariminenſe, Seleucium, & Epheſinum ſecundum, fatente Bellarmino.

Secundò: Conſtantinopolitanum primum, & Chalcedonenſe, decernendo Epiſcopum Conſtantinopolitanum debere eſſe parem, & æqualem Romano Pontifici.

Tertiò: Conſtantienſe, & Baſileenſe, definiendo Concilium eſſe ſupra Papam. Poſterioris ſunt hęc.

Primò: Neocæſarienſe, decernendo preſbyterum non debere intereſſe ſecundis nuptijs.

Secundò: Carthaginenſe quartum, ſtatuens Epiſcopum non debere legere libros Gentilium, nec rei familiaris curam gerere.

Tertiò: Toletanum primum, definiens eum, qui pro vxore habet concubinam, à communione repellendum non eſſe.

Quartò: Nicænum ſecundum, ſanciens cultum, & adorationem imaginum.

Quintò: Conſtantienſe, adimens laicis communionem Calicis.

Sextò: Tridentinum, ſtatuens plurima decreta contra Scripturam, & conſenſum Patrum, vt Kemnitius ad oculum demonſtrauit.

Certè, oleum, & operam perdit Gardius. Primò, quia nos fatemur, Concilia errare poſſe, niſi à Pontifice ſint approbata. Et hanc ſcit noſtram eſſe ſententiam. Cur ergo tot exempla accumulat, vt id probet, quod nos vltrò damus? Duplici, vt opinor, de cauſa id facit.

Primò: Vt ſimpliciores Lutherani concipiant magnam opinionem de Gardio, quaſi is illuſtrauerit, & examinauerit omnia Concilia, quæ hactenùs in Eccleſia celebrata ſunt. Si ſcirent, illum ex Bellarmino Catholico, & Hunnio Lutherano tranſcripſiſſe, non tanti eum æſtimarent.

Secundò: Vt etiam Catholicis, præſertim rudioribus, poſſit perſuadere, non temerè tot Concilia ab ipſo citata eſſe. Sed non obtinebit, quod vult: Notæ ſunt Prędicantium impoſturæ, vt facilè caueri, & contemni queant.

Deindè, multa ex ijs, quæ dixit, falſa ſunt. Ac primò falſum eſt, Concilium Conſtantinopolitanum primum decreuiſſe, Epiſcopum Conſtantinopolitanum debere eſſe parem, & æqualem Epiſcopo Romano. Nuſquam hoc inuenio in Concilio. Inuenio quidem cap. 5. hęc verba: [Conſtantinopolitanæ Ciuitatis Epiſcopum habere oportet Primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum, propterea quòd ſit noua Roma.] Sed aliud eſt eſſe parem, & ęqualem Epiſcopo Romano; aliud, eſſe proximum poſt Epiſcopum Ro-

ma-

Digitized by Google

manum. Hoc poſteriùs innenio; Priùs non item.

Secundò falſum eſt, errafſe Concilium Carthaginenſe quartum, ſtatuendo, Epiſcopum non debere legere libros Gentilium, nec rei familiaris curam gerere. Nullus hìc error eſt; ſed præceptum, vel conſilium eccleſiaſticum.

Poteſt enim Eccleſia ſuadere, vel etiam legitimis ex cauſis mandare, vt Epiſcopi abſtineant à lectione librorum gentilium, & vacent lectioni Scripturarum, ac ſanctorum Patrum. Similiter, vt non implicent ſe curis, & negotijs ſecularibus, ſed occupentur officio paſtorali, quod ipſis incumbit. Et hoc eſt conforme Scripturæ. 1. Timoth. 4. verſ. 16. [Attende tibi, & doctrinæ: inſta in illis. Et 2. Timoth. 2. verſ. 4. Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſecularibus. Et Actor. 6. 2. Non eſt æquum, nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.

Tertiò falſum eſt, erraſſe Concilium Toletanum primum, definiens eum, qui pro vxore habet concubinam, à communione repellendum non eſſe. Non eſt error Concilij, ſed imperitia Gardij. Concilium Can. 17. ſic habet: [Si quis habens vxorem fidelem, & concubinam habeat, non communicet. Cæterùm is, qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, à communione non repellatur: tantùm vt vnius mulieris, aut vxoris, aut concubinæ, vt ei placuerit, ſit coniunctione contentus. Aliàs viuens abijciatur, donec deſinat, & ad pœnitentiam reuertatur.] Vbi per concubinam, non intelligitur fornicaria, quæ extrà matrimonium venit, vt putat Gardius, qui Canonem non examinauit; ſed vxor, quæ ſine externa ſolemnitate viro coniuncta eſt, vt patet ex Iure canonico, apud Gratianum, diſt. 34. Can. 3. vbi ſic dicitur: [Concubina autem hìc intelligitur, quæ ceſſantibus legalibus inſtrumentis vnita eſt, & coniugali affectu aſcitur. Hanc coniugem facit affectus: concubinam verò Lex nominat.] Et gluſſa ibidem: [Accipitur hìc concubina, quæ cognoſcitur vxoris affectu, ſed non fuit ducta cum ſolemnitate. Et talem Lex concubinam vocat. Itàque is, qui non duxit vxorem cum ſolemnitate, ſed tamen habet concubinam, quàm affectu maritali accepit ſine ſolemnitate; non propterea repellendus eſt à communione.] Nihil erroris hìc eſt. Eodem ſenſu loquitur Iſidorus de diſtantia noui, & Veteris Teſtamenti, cum ait: [Chriſtiano, non dicam plurimas, ſed nec duas ſimul habere licitum eſt: niſi vnam tantum, aut vxorem, aut certè loco vxoris (ſi coniunx deeſt) concubinam.] Refertur apud Gratianum loco citato, cap. 5. videri poteſt Auguſtinus, libro de bono coniugali cap. 5.

Quartò falſum eſt, erraſſe Concilium Nicænum ſecundum, ſanciendo cultum, & adorationem imaginum: Itemque Conſtantienſe, adimendo laicis communionem calicis. Gardius quidem dicit erraſſe, ſed non probat. Eodem iure liceat mihi dicere, Gardium errare. Sed extant de vtroque puncto doctiſſimæ controuerſiæ, iam pridem à noſtris conſcriptæ, & diuulgatæ. Eas oppugnet ipſe, ſi vir eſt.

Quintò falſum eſt, Concilium Tridentinum ſanxiſſe plurima decreta contra Scripturam, & conſenſum Patrum. Nec aliundè hoc probat Gardius, quàm auctoritate Kemnitij Lutherani, qui propter apertiſſima mendacia, quibus ſcatent ipſius libri contra Concilium Tridentinum. meritò infamis eſt.

SEXTVM ARGVMENTVM.

Ex Analogia Iudicis controuerſiarum ciuilium, &c.

HOc argumentum, quod rem maximè illuſtrabit, proponi poteſt hoc modo: Inter res fidei, ac religionis ex vna parte, & inter res ciuiles, ac politicas ex altera, poteſt ſpectari multiplex Analogia.

Primò, ſicut in politicis, ac ciuilibus ſæpè oriuntur lites, ac controuerſiæ, quæ requirunt aliquem Iudicem, qui ſententiam ferat inter partes litigantes; ſic etiam fit in fide, ac religione.

Secundò, ſicut in controuerſijs ciuilibus diſtinguuntur hæc tria, Iudex, Lex ſcripta, & conſuetudo: ſic etiam in controuerſijs fidei hæc tria, Iudex, Scriptura vtriuſque Teſtamenti, & Traditio.

Tertiò, ſicut Princeps, vel Magiſtratus ſecularis fungitur officio Iudicis in deciſione controuerſiarum ciuilium: Sic etiam Princeps Eccleſiæ, vel Synodus Eccleſiaſtica fungitur officio Iudicis in deciſione controuerſiarum fidei.

Quartò, ſicut Lex ſcripta eſt quaſi Norma quædam, ſeu regula, quam ſequitur Iudex ſecularis in decidendis controuerſijs ciuilibus: Sic etiam Scriptura vtriuſque Teſtamenti eſt quaſi Norma quædam, ſeu Regula, quam ſequitur Iudex eccleſiaſticus in decidendis controuerſijs fidei.

Quintò, ſola Lex ſcripta non eſt ſufficiens, & integra Norma omnium controuerſiarum ciuilium, ſed Lex ſcripta, & conſuetudo ſimul: ſic etiam ſola ſcriptura vtriuſque Teſtamenti non eſt ſufficiens, & integra Norma omnium controuerſiarum fidei, ſed Scriptura, & Traditio ſimul.

Hæc clara ſunt. Nihillominùs, ne quis dubitet, ſingula breuiter explicabo.

Ac primò, quòd Princeps, vel Magiſtratus ſecularis fungatur officio Iudicis in controuerſijs ciuilibus, non eget longa probatione. Hoc enim teſtatur quotidiana experientia in omnibus Regnis, ac Prouincijs. Nàm vbique contentiones, & cauſæ ciuiles deferuntur ad Principem, vel Magiſtratum ſecularem, quem partes litigantes agnoſcunt pro legitimo ſuo Iudice. Quod etiam ex vtroque iure, tàm ciuili, quàm canonico notiſſimum eſt. Nàm in vtroque extant tituli: De officio iudicis ordinarij, & delegati. Nec vllus in hac re, tam peregrinus, aut ſtupidus eſt, vt per Iudicem ordinarium, aut delegatum, intelligat Legem ſcriptam: cum conſtet, illum eſſe ordinarium, qui ordinarium habet iuriſdictionem, & poteſtatem: illum verò delegatum, qui accepta ab ordinario poteſtate, vicem illius gerit.

Deindè, quòd Lex ſcripta non poſſit eſſe Iudex, facilè probari poteſt. Et quidem, in his tribus caſibus.

Primò, quando ipſa obſcura, aut ambigua eſt. Tunc enim opus eſt alio Iudice, ſeu interprete, qui mentem illius explicet.

Secundò, quando vna lex videtur alteri repugnare, quod frequentiſſimè contingit. Tunc etiam Iudex adhibendus eſt, qui eas inter ſe conciliet.

Tertiò, quando verba legis, quæ generalia ſunt, reſtringenda eſſent in aliquo caſu, & tamen reſtrincta non ſunt. Quod tunc fit: quando occurrit aliquis caſus particularis, quem Legislator, cum legem conderet, non præuidit euenturum. Et ſi præuidiſſet, non voluiſſet illum ſub lege ſua comprehendere. In tali igitur caſu contra legis verba iudicandum eſt. Et quis erit tunc Iudex? Non lex ipſa. Nàm illa ſeipſam non deſtruit, aut iudicat. Alius ergo diſtinctus à lege.

Poſtremò, quòd ſola lex ſcripta non poſſit eſſe ſufficiens Norma pro deciſione quarumcumque Controuerſiarum Ciuilium, ſed præter legem ſcriptam admittenda ſit etiam conſuetudo; certiſſimum eſt apud Iureconſultos. Ac potiſſimùm in duplici caſu.

Primò, quando mouetur aliqua controuerſia, de qua nulla extat lex ſcripta. Tunc enim conſuetudo, ſi adſit, vim legis obtinet, iuxtà illud: [Ea, quæ longa conſuetudine comprobata ſunt, ac per annos plurimos obſeruata velut tacita ciuium conuentio, non minùs quàm ea, quæ ſcripta ſunt, iura ſeruantur. (L. 35. ff. de legibus.)

Secundò, quando extat quidem lex ſcripta, ſed ambigitur de mente, ac ſenſu illius; nec aliundè, quàm ex conſuetudine, & Traditione de ea conſtare poteſt. Tunc enim locum habet illud: optima legum interpres eſt conſuetudo. (L. 37. ibid.) Itemque illud: [Imperator noſter Seuerus reſcripſit, in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiſcuntur, conſuetudinem, aut rerum perpetuò ſimiliter iudicatarum auctoritatem, vim legis obtinere debere. (L. 38. ibid.)

Dices, quid ſi occurrat aliqua controuerſia, quæ nec ex lege ſcripta, nec ex conſuetudine definiri poſſit; quæ tunc erit Norma, quam Iudex ſequi debet? Reſpondeo. Tunc ex naturali æquitate debet rem componere. Hoc tunc potiſſimùm fit, quando occurrit aliquis caſus, qui comprehenditur quidem ſub verbis legis, non tamen ſub mente Legislatoris, vt ſupra dictum eſt. Tunc enim Iudex ex æquo, & bono debet ſententiam pronunciare. Idem fieri poteſt in controuerſijs fidei, aut religionis, Nàm ſi occurret aliqua controuerſia, quæ neque apertè ex ſcriptura, neque ex Traditione decidi poſſit, recurrendum eſſet ad auxilium Spiritus ſancti, qui tametſi omni caſu implorantibus adeſſe ſolet; in hoc tamen ſpeciatim docere nos omnem veritatem, vt Chriſtus promiſit: Et hoc remedio vſi ſunt Apoſtoli in Concilio Hieroſolimitano, vbi agebatur de circumciſione, & obſeruatione legalium. (ſupra.)

Atque hæc ſunt argumenta, quibus hactenùs probatum eſt, Iudicem cõtrouerſiarum fidei, non poſſe eſſe ſcripturam, ſed Eccleſiam. Nunc ſupereſt vt teſtimonia Scripturæ, quæ initio propoſita ſunt in primo argumento aduerſariorum, examinemus; & ſimul alias obiectiones, quæ adferri poſſunt, diſſoluamus. Ex quarum ſolutione apparebit, aduerſarios, qui perpetuò de ſcriptura gloriantur, ineptiſſimè ex ſcriptura argumentari, & nihil minùs, quàm ſcripturæ ſenſum, & intelligentiam aſſequi, &c.

Obiectiones Aduerſariorum.

PRima ſumitur ex illo Iſaiæ 8. 20. [Ad legem magis, & ad teſtimonium.] Hinc colligunt, Iudęos in Veteri Teſtamento, quandocumque oriebatur aliqua controuerſia, ex mandato Dei miſſos fuiſſe ad legem, & teſtimonium, ideſt, ad ſcripturam, tamquam ad Iudicem. Sed valdè errat.

Primò, quia iam ſupra oſtenſum eſt, Iudicem controuerſiarum in V. T. non fuiſſe ſcripturam, ſed Pontificem.

Secundò, quia illa verba: Ad legem, & teſtimonium, multò aliter accipienda ſunt, quàm putant Aduerſarij, vt patet ex præcedentibus, quæ ſic habent: [Cum dixerint ad vos: Quærite à Pythonibus, & à diuinis, qui ſtrident incantationibus ſuis: Numquid non populus à Deo ſuo requiret pro viuis, ac mortuis? Ad legem, & ad teſtimonium. Quòd ſi non dixerint iuxtà verbum hoc, non erit eis matutina lux.] Vbi diſertè agitur contra illos, qui de futuris euentibus ſolent conſulere Pythoniſſas, & ariolos: Et remittuntur partim ad legem, quæ id prohibebat (Deut. 18. 9. [Quando ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium: nec inueniatur in te, qui Pythones conſulat, aut diuinos, aut quærat à mortuis veritatem.) partim ad teſtimonium Prophetarum, qui à Deo conſtituti erant, vt futura prædicerent. (3. Regum. 22. 7. Dixit autem Ioſaphat: non eſt hìc Propheta Domini quiſpiam, vt interrogemus per eum?)

Igitur ſenſus illorum verborum, (ad legem magis, & ad teſtimonium,] eſt hic: ſi vultis fieri certiores de futuris euentibus, non debetis conſulere Pythoniſſas, ſicut fecit Saul (1. Reg. 28. 7.) quia hoc Deus per legem ſuam fieri prohibuit, ad quam vos remitto: Sed conſulite Prophetas Domini, quorum officium eſt de futuris prænunciare. Quid hoc facit ad Iudicem controuerſiarum? Nihil penitùs. Niſi aduerſarij velint hoc modo ratiocinari: De futuris euentibus non licet conſulere Pythoniſſas: Ergo ſola ſcriptura eſt Iudex controuerſiarum. Ineptiſſimè. Et tamen, quod miseris, pręcipui illorum Rabbini ſic ineptiunt. De quibus benè pręmonuit nos Chriſtus: [Sinite illos: cæci ſunt, & duces cęcorum.]

Sed duo contra hanc ſolutionem opponit Gardius.

Primò, in tota ſcriptura nullum locum monſtrare poſſe, vbi vox Teſtimonij, ſignificet teſtimonium Prophetarum futura pręditentium. At ego monſtrabo locum: Actorum 10. 43. [Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt

in

in eum.] Deindè opponit, legem, & teſtimonium pro eodem accipi, nempè pro ſcriptura: Et contineri generale mandatum, quo omnes, in quibuſcumque rebus dubijs, obligati ſint recurrere ad ſolam ſcripturam. Non ità eſt. Tametſi enim verum ſit, legem, & teſtimonium aliquando ſumi pro eodem, quod non nego: tamen hoc loco diſtincta ſunt: Et per legem intelligitur Lex illa particularis, de qua dixi: [Quando ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium: nec inueniatur in te, qui Pythones conſulat, aut diuinos, aut quærat à mortuis veritatem.] Et per teſtimonium intelligitur reſponſum Sacerdotum, & Prophetarum, quod viua voce ſoliti erant dare, quando in rebus dubijs à populo, vel Rege conſulebantur.

Hoc dupliciter probo.

Primò, quia ſi lex, & teſtimonium loco citato ſumeretur pro ſcriptura, & mandatum eſſet, vt Iudæi, in rebus dubijs, recurrerent ad ſolam ſcripturam, vt Gardius interpretatur; iam omnes illi peccaſſent contra hoc mendatum, qui in rebus dubijs conſulebant Prophetas, & Sacerdotes, vt Dauid, & Ioſaphat, & alij plures in ſcriptura laudati. Immò Deus dediſſet duo contraria mandata: Vnum, quo iubebantur in rebus dubijs conſulere ſolam ſcripturam, vt vult Gardius: alterum, quo iubebantur conſulere Sacerdotes, & Prophetas, Deutero. 17. 8. & Deutero. 18. 14. & 15. Hęc abſurda ſunt: Ergo, & illud, ex quo ſequitur.

Secundò, quia ſi Iudæi de ijs omnibus, de quibus gentiles conſulebant Pythones, & ariolos, debuiſſent conſulere legem, & teſtimonium, ideſt, ſolam ſcripturam, vt Gardius contendit, debuiſſent etiam conſulere ſolam ſcripturam de futuris euentibus, de quibus, vel maximè gentiles conſulebant Pythones, & ariolos: At ſcriptura nihil determinatè poterat pronunciare de futuris euentibus: Ergo fruſtrà illam conſuluiſſent. Deus autem nihil fruſtrà mandat fieri. Dabo exemplum, quo res illuſtretur. Ioſaphat Rex Iuda volebat ſcire, quis eſſet futurus euentus, ſi obſideret Ramoth Galaad? an ſcilicet poſſet eam expugnare, nec ne? ſi in hoc caſu conſuluiſſet ſcripturam, nihil reſponſi accepiſſet, Quid ergo fecit? Conſuluit Prophetam, vt viua voce reſponſum ab eo acciperet. (Reg. 22. 5.) Idem in ſimili caſu fecerunt Dauid, & alij. Et rectè. Fruſtrà ergo vrgent aduerſarij ad ſolam ſcripturam remiſſos eſſe.

Secunda Obiectio.

SEcunda ſumitur ex illo Ioann. 5. 39. [ſcrutamini Scripturas.] Ecce, inquiunt aduerſarij, Chriſtus remittit nos ad ſcripturam, tamquam ad Iudicem controuerſiarum. Hoc certè non dicerent, ſi intelligerent mentem Chriſti. Chriſtus in illo capite diſputat cum Iudæis, qui negabant ipſum eſſe filium Dei, Ipſe autem probat ſe eſſe, quatuor teſtimonijs.

Primò teſtimonio Ioannis Baptiſtę [. Vos, inquit, miſiſtis ad Ioannem, & teſtimonium perhibuit veritati.] Erat autem hoc ipſius teſtimonium: [Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.] Et iterùm: [Ego teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei (Ioannis 1. 34.)

Secundò, teſtimonium miraculorum, quæ patrabat. [Ego, inquit, habeo teſtimonium maius Ioanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me.]

Tertiò, teſtimonio Dei Patris. [Et qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me. [Nempè, cum dixit de Cœlo: [Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite.] Matth. 3. 17. & Lucæ 9. 35.

Quartò, Teſtimonio Scripturarum Veteris Teſtamenti. [Scrutamini, ait, Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me, vt vitam habeatis.] Q. D. ſi non vultis recipere tria priora teſtimonia, quæ tamen efficaciſſima ſunt, (alioqui illa non produxiſſem) ſaltem non poteſtis reijcere teſtimonium ſcripturarum, de quibus tantoperè gloriamini. Illæ ipſæ, ſi attentè ſcrutemini, perhibent teſtimonium de me, quòd ſim Meſſias à Deo promiſſus. Quare ergò non creditis?

Hinc concludo, aduerſarios ex hoc loco ſeipſos potiùs, quàm nos oppugnare. Nàm ipſi contendunt, ſolam ſcripturam eſſe Iudicem controuerſiarum: Et Chriſtum ad ſolam ſcripturam nos remittere. At contrarium verum eſt. Nàm Chriſtus in controuerſia, quam habebat cum Iudęis: An ipſe eſſet filius Dei, non remiſit illos ad ſolam ſcripturam, ſed primò ad teſtimonium Ioannis Baptiſtæ: deindè, ad teſtimonium miraculorum, quæ oſtendebant ipſum eſſe Deum: poſtà ad teſtimonium Dei Patris, qui voce de Cœlo delapſa idem confirmabat: deniquè, vt omnia experiretur, ad teſtimonium Scripturarum.

Nos Catholici in hac re Chriſtum imitamur. Nàm in Controuerſijs, quas habemus cum aduerſarijs, non ſolùm vtimur teſtimonio Scripturæ; ſed etiam ſanctorum Patrum, & Matris Eccleſiæ, & miraculorum, quæ ſępè fiunt pro confirmatione noſtræ fidei. Aduerſarij autem, quaſi Chriſto prudentiores eſſent, nihil volunt audire, niſi ex ſolis ſcripturis. In quo ſimiles ſunt Iudęis, contra quos Chriſtus agit. Nàm Iudęi repudiato quocumque alio teſtimonio, ſolam Scripturarum admittebant: Et hanc ipſam, neque tunc intelligebant, neque adhùc intelligunt, vt teſtatur Apoſtolus 2. Corinth. 3. 14. cum ait: [Obſcurati ſunt ſenſus eorum.] Et infrà: [Vſque in hodiernum diem, cùm legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum.] Idem aduerſarijs noſtris, qui in hac cauſa Nepotes illorum ſunt, accommodari poteſt.

Tertia Obiectio.

TErtia ſumitur ex illo Act. 17. 11. [Quotidiè ſcrutantes Scripturas, ſi hęc ità ſe haberent.] Hic iterùm clamant Aduerſarij, Beroenſes non temerè crediſſe, quæ ab Apoſtolis dicebantur, ſed omnia examinaſſe iuxtà

xtà Normam Scripturæ. Æquum igitur eſſe, vt nos illorum exemplum imitemur, & ſolam Scripturam pro Norma, ac Iudice agnoſcamus. Sed fruſtrà. Quod facilè conſtabit, ſi conſtet de re ipſa, de qua tunc agebatur. Ea fuit huiuſmodi. Paulus Apoſtolus, vt expreſsè habetur in eodem capite, primùm quidem Theſſalonicæ, deindè apud Bernenſes, diſſerebat [ex Scripturis, adaperiens, & inſinuans, quia Chriſtum oportuit pati, & reſurgere à mortuis: Et quia hic eſt Ieſus Chriſtus, quem ego annuncio vobis.] Quid verò Beroenſes? ſequitur ibidem: [Susceperunt verbum cum omni auiditate, quotidiè ſcrutantes Schripturas, ſi hęc ità ſe haberent.]

Igitur hic eſt ſenſus illius loci: Beroenſes, cum audirent Paulum citare quędam teſtimonia Scripturæ Veteris Teſtamenti, quibus aſtruebat Chriſti mortem, & Reſurrectionem; ſcrutabantur, an ijs ipſis teſtimonijs conſentanea eſſent, quæ à Paulo dicebantur. Non quidem eo animo, quaſi dubitarent de morte, & Reſurrectione Chriſti: quippè, quæ iam ſatis confirmata erat ab Apoſtolo per virtutem miraculorum (1. Theſ. 1. 5.) ſed vt magis in fide confirmarentur, ſi viderent ea, quę Paulus prędicabat, multò antè per Prophetas fuiſſe pręuiſa, & pręſignificata.

Ex hoc ſenſu, quid, obſecro, concludent aduerſarij? Nihil ad rem, de qua agitur. Niſi fortè ſic velint concludere: Beroenſes ſcrutabantur teſtimonia Scripturæ à Paulo citata: Ergo ſola Scriptura eſt Iudex controuerſiarum. Quod perindè eſt, ac ſi dicas: Lutherani ſcrutantur teſtimonia Auguſtini à Bellarmino citata: Ergo ſolus Auguſtinus eſt Iudex controuerſiarum. Vel ſic: Ruſtici ſcrutantur teſtimonia Lutheri à Prędicante citata: Ergo ſolus Lutherus eſt Iudex controuerſiarum. Vel ſic: Kemnitius in examine Concilij Tridentini ſcrutatur Traditiones à Catholicis allegatas: Ergo ſola Traditio eſt Iudex controuerſiarum. Vel denique ſic: Diſcipuli ſcrutantur teſtimonia Ciceronis à Præceptore citata: Ergo ſolus Cicero eſt auctor latinitatis. Apage cum iſtis conſequentijs. Et tamen apud aduerſarios, quia meliores non habentur, in pretio ſunt.

Quarta Obiectio popularis.

Plerique ſimpliciores ſic obijciunt: Iudex controuerſiarum in rebus fidei debet eſſe infallibilis, qui errare non poſſit; quia ſi ipſe erraret, reliqui etiam errarent, qui illius ſententiam ſequerentur. Iam verò conſtat, ex vna parte, Scripturam eſſe infallibilem, cùm ſit Verbum Dei, qui errare non poteſt: Et ex altera, homines non eſſe infallibiles, ſed mendaces, & errori obnoxios, iuxtà illud Rom 3. 4. [Eſt autem Deus verax: omnis autem homo mendax:] Ergo Scriptura poteſt eſſe infallibilis Iudex: homines, cùm ſint mendaces, non poſſunt. At Pontifex eſt homo; & Eccleſia nihil aliud eſt, quàm collectio hominum: Ergo Pontifex, & Eccleſia ſunt mendaces, & errare poſſunt. Nemo igitur eſt tutus, ac ſecurus in negotio fidei, qui illorum ſententiam ſequitur.

Hæc obiectio, ſi quid roboris, ac momenti habet, non minùs valet contra aduerſarios, quàm contra nos. Nàm ſi omnis homo mendax eſt, & errare poteſt, neceſſariò ſequitur, Moyſem, Prophetas, Apoſtolos, Euangeliſtas, Lutherum quoque, & Caluinum, itemque omnes Prędicantes Lutheranos, & Caluinianos mendaces eſſe, & errare poſſe, quia homines ſunt. Nihil igitur illis credendum, aut fidendum eſſe; ſed omnia, quæ ab illis dicuntur, ſuſpecta, & incerta haberi oportere. Vbi ergo fides? Nec refert, ſi dicant ſe non hominis, ſed Dei Verbum annunciare. Nàm ſi mendaces ſunt, etiam in hoc puncto mentiri poſſunt. Nihil ergo certi eſt.

Sed abſit, vt nos ità loquamur, aut ſentiamus. Longè aliter res habet.

Ac primò quidem fatemur, Scripturam certam, ac infallibilem eſſe, quia Verbum Dei eſt: ſed addimus, cùm ſępè obſcura ſit, non facilè vnicuique conſtare poſſe de legitimo illius ſenſu. Itàque alio Iudice opus eſſe, qui infallibiliter decernat, quis legitimus Scripturæ ſenſus ſit. Hic autem Iudex non poteſt eſſe quilibet homo priuatus; quia alioqui tot eſſent diuerſi Iudices, quot diuerſa capita, & ſententiæ: Et ſic nulla controuerſia componi poſſet. Quiſque enim diceret, ſe benè ſentire; reliquos malè. Neceſſe igitur eſt, vt ſit aliquis publicus Iudex, qui cum auctoritate decernendi, inter partes litigantes, poteſtatem habeat.

Deindè aſſerimus, homines dupliciter ſpectari poſſe.

Primò, quatenùs ſunt filij Adam, & obnoxij varij naturæ corruptionibus. Sic ſine dubio proni ſunt ad mendacium, & falſitatem (Gen. 8. 21. & Pſalm. 38. 6.)

Secundò, quatenùs à Spiritu ſancto diriguntur, & gubernantur ad aliorum inſtructionem. Sic infallibiles, & ſine mendacio ſunt. Talis in Veteri Teſtamento fuit Moyſes cum ſenatu ſeniorum. (Num. 11. 17.) Tales alij Pontifices, qui deindè ſecuti ſunt. (Deuter. 17. 9. & Aggæi 2. 12. & Malach. 2. 7.) Tales Prophetæ, Iſaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, & alij. (Ierem. 1. 7.) Tales in nouo Teſtamento Apoſtoli, quibus dictum eſt, Ioannis 15. 16. [Mittam vobis à Patre Spiritum veritatis.] Et cap. 16. 13. [Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.] At vbi omnis veritas, ibi nullum mendacium.

Talis denique ſemper fuit, & nunc etiam eſt Eccleſia, quæ propter perpetuam Spiritus ſancti aſſiſtentiam, & directionem, numquam errauit hactenùs, nec deinceps errare poterit. [Eſt enim ædificata ſupra firmam petram, & portæ inferi non prçualebunt aduerſus eam.] (Matth. 16. 18.) Eſt Columna, & firmamentum veritatis. (1. Timoth. 3. 15.) Numquam confundetur, neque erubeſcet. (Iſaiæ 54. 4.) Iaſpis eſt propugnaculum eius. (ibidem v. 12.) Et omnem linguam reſiſtentem illi in iudicio, iudicabit. (ibidem v. 17.) Eſt igitur infallibilis Iudex, quem quærimus.

Sed, an omnes, & ſinguli, qui in Eccleſia ſunt, habent hanc aſſiſtentiam, & directionem Spiritus ſancti, vt in fide errare non poſſint? Facilis reſponſio. Singuli quidem habent, ſed dependenter ab ipſa Eccleſia. Quamdiù ergo manent coniuncti cum Eccleſia, errare

non

non poſſunt: ſi diſſentiunt ab Eccleſia, iam errant. Quod duplici ſimilitudine declarari poteſt. Vna ſumitur ex proportione humani corporis. Nam ſi quæras, an ſingula membra, quæ ſunt in humano corpore, habeant in ſe ſpiritus vitales, & ſenſitiuos, quibus vita conſeruatur? reſpondendum eſt, ſingula quidem habere, ſed dependenter à capite, & corde. Nàm à capite, & corde, tamquam à duplici principio, deriuantur huiuſmodi ſpiritus in reliqua membra. Vnde ſi intercipiantur, aut occludantur meatus illi, ſeu canales, per quos fit illa ſpirituum deriuatio, & diſtributio; neceſſe eſt reliqua membra deſtitui ſpiritibus, & officium ſuum exercere non poſſe. Sin pateant, & aperti ſint, res ſalua eſt. Sic etiam in Eccleſia. Singuli fideles, qui ſunt quaſi membra Eccleſiæ, habent quidem aſſiſtentiam, & directionem Spiritus ſancti, ſed dependenter à Pontifice, qui eſt veluti caput Eccleſiæ; & à Concilijs, quæ ſunt quaſi cor Eccleſiæ. Quamdiù ergo ſinguli manent colligati cum doctrina Pontificis, & Conciliorum, participant de aſſiſtentia, & gubernatione Spiritus ſancti, nec in fide errare poſſunt. Sin per diſcordiam, & pertinaciam diſcedant à capite, & corde, iam occludunt ſibi omnes meatus, vt aſſiſtentia, & directio diuina ad eos deriuari non poſſit. Et ſic à veritate abducuntur, & erroribus obnoxij ſunt. Quod contigit Ario, Neſtorio, Macedonio, Pelagio, & ſexcentis alijs. Ne idem nobis contingat, audiamus Conſilium Apoſtoli, qui vbique hortatur nos ad conſenſum, & vnitatem doctrinæ, vt Rom. 16. v. 17. [Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſentiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt; & declinate ab illis.] Et 1. Corinth. 1. 10. [Obſecro vos fratres, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata.] Et Epheſ. 4. 3. [Seruate vnitatem Spiritus in vinculo pacis. Vnũ corpus, & vnus Spiritus; ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma.] Et Hebr. 13. verſ. 9. [Doctrinis varijs, & peregrinis nolite abduci.]

Altera ſimilitudo ſumi poteſt à grege ouium, qui optimè repræſentat Eccleſiam, atteſtante Chriſto (Ioann. 10.) Nàm ſicut totus grex in vno ſtabulo, vel loco collectus, habet perpetuam aſſiſtentiam Paſtoris, qui furca, & canibus defendit illum à ferocia luporum; ſic etiam tota fidelium Eccleſia, in vna fide, & Spiritu collecta, habet perpetuam aſſiſtentiam diuini illius Paſtoris, qui dixit. [Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oues meas. (Ioann. 10. 14.) Et iterùm, [Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſumationem ſeculi. (Matth. 28. 20.) Item, ſicut ſingulæ ouiculæ, quamdiù manent coniunctæ cum grege ſub cuſtodia Paſtoris, immunes, ac tutæ ſunt à morſu luporum; Sic etiam ſinguli Chriſtiani, quamdiù manent coniuncti cum Eccleſia, ideſt cum doctrina, & conſenſu Eccleſiæ, immunes, ac tuti ſunt à periculo erroris, & infidelitatis. Denique ſicut ouiculæ, quæ aberrant à grege, deſtituuntur protectione Paſtoris, ac proindè luporum inſidijs expoſitæ ſunt; Sic Chriſtiani, qui diſcedunt à communi ſenſu, & doctrina Eccleſiæ, deſtituuntur aſſiſtentia Spiritus ſancti, ideòque erroribus expoſitos eſſe neceſſe eſt.

Epilogus huius Capitis.

CVm in hoc capite conſtitutum, & multis argumentis confirmatum ſit, Eccleſiam Chriſti, quæ errare non poteſt, eſſe Iudicem controuerſiarum fidei, ac religionis; non magnopere laborandum erit de ijs controuerſijs, quæ deinceps ſequuntur; quia quilibet vir prudens facilè aduertet, in ſingulis eam partem ſequi nos oportere, quam Eccleſiæ auctoritas ſequendam eſſe affirmat: non verò, quam priuati quidam homines, neſcio quo Spiritu afflati, propria electione amplectuntur. Nec tamen propterea ab earum tractatione abſtinendum eſt; ſed potiùs danda opera, vt ſingulæ, quanta fieri poteſt breuitate, & claritate proponantur, & explicentur. Sic enim futurum eſt, vt & Catholici facilius ſua dogmata intelligant, & aduerſarij perſpecta rei veritate, vel ad mentem redeant, vel ſi obſtinati ſint, in ſuo errore confundantur, &c.

F I N I S.

REGESTVM.

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa.

Omnes ſunt Duerniones.
Principium eſt Duernio.

ROMÆ, M.DC.XCVIII.
Ex Typographia Ioannis Franciſci Buagni.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google